

· 1 · 6 · 5 1 ·

Turres agitantur et propinqua domus non concutitur?
Cedrus quassatur et pinus secura est. [illegible]
Ulula abies quia cedrus cecidit. Zachar. 11
[illegible]

R. P. LVCÆ

VELLOSO,

E SOCIETATE IESV,

COMMENTARII

IN

IVDITHAM.

R. P. IVCE

VELLOSO,

E SOCIETATE IESV,

IN

IVDITHAM.



IVDITHA

COMMENTARIIS
Paræneticis adornata

A P. LVCA VELLOSO *Olysipponensi, Theologo Societatis* IESV, *ac Magistro sacrarum literarum in Collegio Conimbricensi.*

Nunc primum lucem videt.



ILLVSTRMVM AC REVERMVM

D. D. FRANCISCVM DE CASTRO,

EPISCOPVM IGÆDITANENSEM, CENSOREM FIDEI MAXIMVM IN REGNO LVSITANICO, & Conſiliarium de ſtatu Regio IOANNIS IV: inuictiſſimi, ſalutat plurimum

P. M. LVCAS VELLOSO, Theologus è Societate IESV.

1.

OLVMNAM *poſcit hedera molli nata caulículo, vt vireſcat mora temporum longiori. Neque enim ſtare, ac virere poteſt hedera, niſi alienum ſuis clauiculis amplectatur adminiculum. Hæc vna mihi fortuna tecum eſt,* (ANTISTES ILLVSTRISSIME,) *qua de cauſa, proditurus in lucem publicam, libro condito, columnam premo amplexu hederaceo, cùm tuos amplector pedes, & me humo tollam, & cœlo condam beatè: nec expalleſcam metu fractus inter obſtrepentes anſeres, & Ariſtarchos oblatrantes. Quis enim Mecænas libris tuendis potior eſſe poteſt, quàm Fidei Cenſor Maximus, in quo Regum Maieſtas elucet, morum comitas eminet, & ſeniorum grauitas explendeſcit? Non eſt facile auctoritatem libris nouis dare, niſi magnus adſit, benignúſque Mecænas. Sed magna tibi maieſtas eſt, Antiſtes Illuſtriſſime, ducta ab Auis, Atauíſque ampliſſimis; in quibus Principes, Duces, Comites, & quidem Stabiles recognoſco. Mitto Caſtrios Regum parentes eſſe genuinos; ſi quis id repetat ab antiquitate vltima cùm Iudices Caſtellam adminiſtrarent. Nec appono Comitem Lemoſienſem, adiugatámque Martino Sanctio, & filio Regis Luſitanici: vt apponam Comitem Petrum Fernandi Caſtrium, cognomento Bellatorem. Deinde filium Aluarum Petri Caſtrium, Arrayoenſium Comitem, & Comitem huiuſce regni Stabilem, quibus acceptam*

Apud Brand. 4. p. Monarch. Luſit. lib. 3. cap. 6.

refert maiestatem gentis domesticæ D. D. Ioannes Castrius, Auúsque tuus priuatim clarus, & publicè, cùm rerum Indicarum nunc Prætor, nunc Prorex sceptrum illud teneret manu. An aliena laudo, cùm Auos, Atauósque tuos laudare pergo, Antistes Illustrissime? Sed nemo dixerit aliena à Christo esse, quæ Matthæus latè recensèt, cùm Patres optimos, Reges Maximos, Ducésque strenuos commendat, ab Abrahamo ad Mathanum vsque; priusquam illud apponat oraculum, Natus est Iesus, *&c. scilicet, Paulino teste,* Dignum erat, vt vnus in cœlo Dei filius, etiam in terris illustrium virorum sibi apices vendicaret, *&c. Laudo ego Maiestatem gloriæ domesticæ, quæ quidem magna tibi est, vt ostendam Nepotem ab auita maiestate non defeciſſe. Cùm tamen sciam certò laudem ab auita domo ingestam minus tibi placere, qui virtutem colis seueriorem; addo, quæ à fortunæ sinu, Deique manus in te profluxere, argumento virtutis intimæ.*

Matth. 1. n. 1. & 6. Epist. 10.

2. *Inter alia, quibus Pontifex suam tuetur maiestatem, veritas est, & bonitas. Ad iustitiam facit veritas, ne iudex ab æqua censura malè deflectat. Ad sanctitatem spectat bonitas, ne quid Pontifex sanctè non faciat: nec Deus alio virtutum nexu Sacerdotem concinnat Maximum, vnde ad Moysen,* Pones *(inquit)* in rationali iudicij Doctrinam, & Veritatem, *&c. Scio luces Hebraicè ab* ור Or *ad veri doctrinam pertinere; Veritatem; quæ à* תמם Tammam *ducta Sacerdotem perficit, ad sanctitatem facere. Quasi nuda veritas Pastorem non gignat hominum; & nuda bonitas censorem morum non constituat. Ab vtroque Pontifex, vt suum faciat officium; neque enim temere additum,* Pones in rationali iudicij Veritatem, *&c. Hebræaque schola, perfectiones. Sed, quod Arnoldus habet, illud Deus monet, lites de fide tuenda, iustitiáque seruanda profligandas esse à Sacerdotum Maximo, vt acerrimè, sic & integerrimè.* Siue parcat, siue percutiat, à veritatis via non recedat, *&c. Hoc Deiscito, Antistes Optime, tua tibi virtus constat; nihil enim Deus iubet, quod tuas in partes, morésque non transcripseris. Norunt Conimbricenses, quid Rector egeris in re Academica, vt iustitiam humanitate sedatam explicares, officio confecto Rectoris optimi. Norunt Olysipponenses, quid peregeris in præfectura Regiæ Conscientiæ; vbi censura vim suam ita moderata est, vt nulla te morderet hominum Querimonia. Iam tunc Deus elaborabat Censorem Fidei Maximum; qui in rebus minoribus proluderet, quidquid in causis Fidei maximis facturus esset. Videt, qui non cæcutit, videt, qua fide punis homines damnatæ perfidiæ, qua pietate reos peragis: videt, quo delectu honores diuidis, quo cerebro quæris iudices, ad fidem tuendam, religionémque seruandam; sed habes* in rationali iudicij: *quidquid Sacerdotem perficit maximum, vt Rex Ioannes testari possit de tua, integráque iustitia.*

Exod. 28. n. 30.

Ad tract. de sept. verbis.

3. *Quid ego mirer te non vno tantùm loco sedisse Præfectum hominum;*

sed

ſed ab vna aliam in ſedem tranſmeaſſe feliciter? Probantur dotes animi congeſtis honorum infulis: proindeque dici de te genuinè poteſt, quod ſuo de Olybrio dictum Panegyriſtes voluit:

——Actúſque priores
Commendat repetitus honor, *&c.*

In magnis enim dignitatibus Princeps benè ſolitus agere, ampliori ſemper honore dignus videbare? Tanta erat vitæ integritas, & tanta morum comitas! quæ quidem Principis Optimi nota eſt apud Iſaiam. Nam Vates, Interpretes *(inquit)* tui: *genuinè, Principes legum ſuarum interpretes, rectè admonent. Vbi vox Hebræa* מליץ Melits *Principem ſimul, dulcémque ſonat. Scilicet voces Principum dulces audientibus, moréſque faciles eſſe debent, vt hominum animos alliciant ad officium. Quod in principatu optimo Deus probat, & laudat, id in te non deſiderant, qui tibi aſſident, qui te inſpiciunt, Antiſtes Optime; quare neceſſe erat, plurimis te locis præfectum eſſe, vt quæ vno laterent angulo virtutum dotes, inſpicerent intimè, ac ſuſpicerent religiosè homines quamplurimi. Eo enim reſpectu Deus Abramum è Charris in Chananæam, è Chananæa in Ægyptum manu duxiſſe, multíſque hominibus oſtentaſſe viſus eſt,* vt Ægyptiis patefaceret tanti viri pietatem, ac religionem, *&c. quod Theodoreto placuit.* cap. 43. n. 27. Gen. 12. n. 1. & 10. q. 76.

Sed parte alia occurris ingens mihi Pontifex; cùm præfectus Igæditanenſibus curam intenderes Parentis Optimi, ſenſêre Igæditanenſes, quid præſtitiſſes in parœcia obeunda, in pauperculis adiuuandis, in erratis hominum protrudendis. In hoc enim pontificatu nullum virtutum genus eſt, quod non protuleris, vt ab vno loco commeares ad alium, μὴ πλεσιώτερ@, ἀλλ' εὐδοξώτερ@, non ditior, ſed glorioſior. *quod Iſocrates ſuo laudat in Dæmonico. Neque enim tuam obibas parœciam, vt numos cogeres, ſed vt diuideres. Hæc te, Antiſtes benigniſſime, adornat ſapientia: qua ſuam ſibi laudem captat Apoſtolus, ad Philippenſes: vbi Magiſter hominum,* Scio *(inquit)* abundare. *Neque enim auri cogendi, ſed erogandi artem probat Apoſtolus; quod Anſelmo placitum eſt, ſcilicet,* qui non ſolus poſſidet, quod accepit, ſed cum indigentibus miſericorditer diuidit, ille ſcit abundare, *&c. Quantum profeceris Antiſtes Optime, hac vna ſcientia inopiæ mitigandæ, norunt benè, qui pauperum greges à tuis foribus triſtes abire negant. Credis fortaſſe te à Deo locupletatum, vt Dei pauperculis numos diuidas. Erat Abramus* diues in poſſeſſione auri, & argenti, *&c. quod textus notat. Sed menſam pauperibus extructam, inſtructámque lautè volebat.* Abraham enim opes non habere, ſed prorogare geſtiebat: ſciens ſe non incubatorem, ſed diſpenſatorem diuinæ poſitum largitatis, *&c. Hæc Chryſologus. Par Abramo, Antiſtes Optime, pauperibus, non tibi diues, largiter opes erogas, vt pietatem exeras.* 4. cap. 4. n. 12. Geneſ. 13. n. 2. & 19. n. 2. Serm. 121.

Hæc

5. Plin. *Hæc si nosset Plinius, tuam in laudem tonaret, quod suo de Traiano dixerat,* Tam velox est tua potentia, támque intenta in omnes, & accincta bonitas, vt tristius aliquid passis ad remedium, salutémque sufficeret, vt scires. *Viderunt id persæpe Jgæditanenses; vident modò Olysipponenses, vbi scholam de pauperibus adiuuandis apertam Magister habes. Sed Pontifex hac vna pauperum cura, & schola magnus est: si delectum se à Deo credat, vt piè numos diuidat in turbam pauperculam. Palliolum è collo appensum gestabat Hebræus Pontifex gemmarum colore vario nobilissimum: in lapillis pulchrè elaboratis elucebant nomina tribuum duodecim.* Portabátque Aaron nomina super pectus suum, *&c. Benè, & suo in loco oues erant, scilicet in amoris sinu, in Pastoris affectu: quod Arnoldus monet.* Hoc enim intimatur, vt qui sunt in rectoratu, semper affici debuerint pro his, qui ad eorum curam pertinent, *&c. Et verò Pontifex, qui subditos sibi homines habet in animo, non potest non curare, non alere. Notum id tui, paterníque animi argumentum hominibus, fœminisque pauperculis iuris etiam alieni, quibus, ne deficiant, opem erogas. Et erit adhuc, qui me spe tui patrocinij concepta beatum neget?*

Exod. c. 18. n. 29.

Ad tract. de sept. verbis.

6. *Crescit mihi spes, Antistes Optime, quæ meam Iuditham beare potest, si non titulo alio, certè viduam Pontifex tueberis: ita fiet, vt Iuditha, à te piè susceptа, abeat sine metu publicum in theatrum, ac plenis dicat buccis,*

lib. 4. Ode 3. Quod spiro, & placeo, si placeo, tuum est.

AD

AD LECTOREM.



VERVNTVR plerique hominum, bone Lector, mulieres ſcelerum omnium matres, ac faces eſſe, quibus infectum dolent naturam humani generis. Et verò Arcades id ſenſiſſe videntur, cùm Venerem Mechaniten colerent honore perpetuo, tradit Pauſanias *ad lib. 8. in Arcad.* Ac ſi nihil ſit doli, nihil mali, quod mulier non machinetur, natura duce, & comite occaſione. Vnde natæ voces hominum ex vtraque ſchola aduersùs mulierem, quam Tertullianus vocat Diaboli ianuam, *de habitu mulier. c.* 1. Chryſoſtomus Dæmonum officinam, *Hom.* 15. *ad pop.* Cato natura impotentem, apud Liu. *lib.* 34. Hippolytus peiorem fera quolicumque, *Actu* 2. Mordet enim mulier impudens, ſuóque morſu venenum ſcelerum euomit in homines. Ac proinde Princeps illa mulier, humanæque gentis parens, & bellua, & ſerpens Hebræa ſchola nuncupatur. Hebraicè vnum eſt verbum חיה *Chaiiah*, quod eſt *viuo*. Vnde natum eſt nomen חוה *Chauah*, quod eſt Heua, & חיה *Chaiiah*, quod eſt *beſtia*: & patet ex *Geneſ. cap.* 1. *num.* 24. ex *Pſalm.* 148. *num.* 10. Quanuis textus Græcè Θηρίον habeat, ſcilicet *venenatam beſtiam*. Itaque vna ex radice vtrumque malum, & mulier, & beſtia; & ſerpens, & Heua; quod notat Clemens Alexand. Orat. 1. ad Gentes. *Si accuratè* (inquit) *vox ſpectetur Hebræa, nomen Heua adſpiratum exponitur ſerpens, fœmina*, &c. Et quidem modica eſt diſcriminatio inter ſerpentem, & mulierem, vt nomine, ita & crimine conueniunt. Quare non ſine aceto Ariſtophanes torques muliebres ab elaborata ſerpente, ſerpentes vocat. Redeat iterum Clemens Alexand. 2. Pædag. cap. 12 *Quemadmodum Heuam ſerpens decepit, ita & mulieres mundus aureus, vtens eſca ſerpentis figura improba, furioſè impellit*, &c. Illud magiſter voluit, mulieres dolis nectendis, ſceleribúſque patrandis faciles eſſe; quæ torquibus elaboratis admonentur de ſua, ſerpentíſque natura. Ac proinde ceream dixeris mulierem ad quamcumque improbitatem.

1. *Mulier ſcelerum machinatrix.* Geneſ. 1. n. 24. Pſal. 148. n. 10. *Ab vna Hebræáque radice mulier & ſerpens.*

Idcirco Salomon alatam notat mulierem *Prou. cap. 7. num.* 10. Textus eſt de adoleſcentulo: *Occurrit illi mulier ornatu meretricio*, &c. Deinde verſus eſt proximus n. 11. *vaga, quietis impatiens*, &c. Græcè, ἀνεπαῤῥωμένη, καὶ ἀσωτος, *alata, & intemperans*, &c. quod vidit Cyr. Alex. *ad Iſa. cap.* 3. Vnde ſignificatum puto mulierem ad turpiſſima quæque abire volatu facili. Nec ſignat aliud Venus in numo excuſſa alatis pedibus. Succurrit in litem locus ex Zacharia. Videt Vates *cap.* 5. & dolet grauiter, mulieres alis expanſis detuliſſe toto cælo amphoram, ſiue mulierem in amphora, ſcelerúmque ſentinam, quod monet Angelus: *Hæc* (inquit) *eſt impietas*, &c. *num* 8. Græcè ἀνομία, *tranſgreſſio legis vniuerſæ*, &c. Accedunt mulieres ex promptis animis, *& leuauerunt amphoram*, &c. *num.* 9. Sed quæ nam mulieres? quo ornatu? *& habebant alas, quaſi milui*, &c. ſiue vpupæ, ex Græco textu. Sublimes alis volant mulieres, quaſi alatæ, & faciles ad omnem proteruitatem: cenſet id Cyrillus Alexand. *Alas vpupæ habuiſſe affirmat, vt earum, ad quæcumque nefaria facilitatem appoſitiſſimè declararet*, &c. Volat profectò mulier ad quamcumque nouitatem ſcelerum.

2. Prouerb. 7. n. 10. *Volat ad nequitiam mulier.* Pauſan. lib. 3. in Laconic. Zach. 5. n. 8. 9. *Alata eſt mulier in omnem improbitatem.*

Volat deinde, vt cùm benè compta prodit, ſuum oculis hominum pudorem malè prodat. *Propter ipſum enim conuentum, & mutuum videri, ac videre, omnes pompæ in publicum proferuntur*, &c. ait Tertullianus *de cultu fœmin. cap.* 11. Si negites, rogo, cur ſuam ad ianuam ſedet, ac deſidet mulier, quam notat Sapiens *Prou. 9. num.* 14. de textu eſt: *ſedet in foribus domus ſuæ*, &c. Miror ego, cur non in foro ſuam venditans venerem? ſed quæ ſuam ſedet ad ianuam, *vt vocaret tranſeuntes*, &c. *n.* 15. benè ſuas vendit merces. Non puto mulierem voce exerta iuuenes inuitaſſe ad voluptatem: foret enim

3. *Videri, ac videre cupit mulier.* Prouerb. 9. n. 14. 15.

propudium turpissimum; sed prouocare iuuenes venustate, vocare est. Quod habet Clemens Alexand. 3. Pædag. cap. 12. *Vocat eos* (inquit) *per suam speciem*, &c. Tanta in pulchra facie vis est, vt mollius quàm vox exerta, cogat, valentiúsque alliciat. Sensit eam vim suis inesse oculis mulier alata, & quæ loco stare nescia insidet, *nunc foris, nunc in plateis*, &c. *Prou. 7. num. 12.* Hugone teste, *vt videat, & videatur*, &c. Id verò mulier nota procacitate. *Eiusdem enim libidinis est videri, & videre*, &c. apud Tertullianum *de veland. virgin. cap. 2.* Nónne Iezabella, cùm Iehu Regum victor vrbem intraret, *depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram?* &c. De textu res est 4. *Reg. cap. 19. num. 30.* Illúdque Regina suo ornatu voluit, vt Princeps rerum potens forma scitè concinnata turpem molliretur in Venerem; quod censet Abulensis *q. 28.* Sed à Lyra id exscripsit: quo teste, Iezabella *faciem suam fucauit, vt esset gratiosior in conspectu Iehu*, &c. Acsi placendi studio mulier etsi Princeps, videri velit, vbi aperta videt fenestra.

Venerem concinnat mulier, cùm suam prostituit faciem. Prouerb. 7. n. 12.

4. Reg. 19. n. 30.

An mulier venustè se adornet in Venerem.

4.

Sed esto, non peccet mulier placendi studio. Nónne vitium est, domo exire, & sese hominum oculis subiicere? vitium omnino est, quo pudor teritur, & quod notat castus magister in alumna etiam rusticella. Nam cùm virgo domo exiret, quærendi magistri causa, nec inuenisset, quod probant tristes voces Cant. c. 5. num. 6. *Quæsiui, & non inueni illum*, &c. offensáque virgo à custodia vrbana malè mulctaretur; quod sic dolet, ac queritur num. 7. *Percusserunt me, & vulnerauerunt me*, &c. Conniuet Christus ad alumnæ iniuriam, quippe quæ suam in foro venustatem ostentauerat, cùm domi posset magistro casto perfrui. Mentiar, si non hæc Hieronymo sententia est, Epistol. 21. ad Eustoch. *Zelotypus* (inquit) *est* IESVS: *non vult ab alio videri faciem tuam*, &c. Sed quæ nam culpa est Christum quærere, licèt in foro? nisi quòd egressus ille votum ostendit formæ ostentandæ, & quo pudorem virgo terit. *Ipsa enim concupiscentia non latendi, pudica non est: patitur aliquid, quod virginis non est: studium placendi vtique viris*, &c. addit Tertullianus *de veland. virgin. cap. 14.* Quare mirum non est, si Christus virginem malè pulsatam esse velit; & si leat ad iniuriam, etsi apposita satisfactione. Hieronymus iterum. *Excusses licèt, & causeris; obducto velo ora contexi, & quæsiui te; indignabitur, & tumebit*, &c. Nouerat Dominus mulierem occasiones euagandi, & sese ostentandi, quærere, vmbra pietatis offusa; quare obligatis hominibus, vt ad sacram domum quotannis conuenirent, Exod. 23. num. 17. Deut. 16. num. 16. vbi textus est, *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum*, &c. de sexu muliebri nihil omnino Moyses agit. Vnde probant interpretes, non teneri mulieres ea lege. Cur id? benè aduertit Oleastrius *in Exod. cap. 34.* Ne scilicet pietate adumbrata mulieres licentiùs vellent excurrere. *Amat hoc genus exire; hinc, inde amat discurrere; & quia à viris sæpiùs arcentur, causam religionis, aut pietatis mentiuntur*, &c. Sic Olastrius: ac deinde addit, quo iure Moyses de conuentu muliebri tacuerit. *Vt ergo licentiosum genus teneret officio, occasiones vagandi præclusit*, &c. Sanè insanum fœminis studium videndi, ac placendi est.

Cantic. 5. n. 6.

Malè virgo in publicum egreditur, si placendi studio egreditur.

Exod. 23. n. 17.

Deuter. 16. n. 16.

Licentiam euagandi obtegit mulier fuco pietatis.

5.

Si malè apud homines audit mulier ea vagandi, ac placendi cura: grauiùs multo notatur de humanæ gentis odio, cùm cædes faciat aut ferro, aut philtro. Ludit iuuenis, sale quidem Laconico, in feritatem muliebrem. Notatus enim ducta vxore perpusilla, addit se è malis minimum elegisse: quod Plutarchus habet *in Laconic.* Nónne mulier sui impotens si quam patitur iniuriam, sæuit grauissimè? certè Helias mulierem timet, ac fugit, 3. Reg. cap. 19. num. 3. *Surgens abiit*, &c. Qui Achabum minis vrget, nec Regem timet, nec fugat. *cap. 18. num. 18.* Sed Regina ardet, furit, & minatur; vnde Helias fugam capit, montem petit, antro se condit: peiora Vates ab infensa Regina, quàm ab offenso Rege timet, ex Chrysostomi sententia. *Timuit mulierem, timuit; nulla enim malitia æmulari potest malitiam muliebrem. O Diaboli telum acutissimum!* &c. *Hom. 15.* ex Matth. locis. Ab hoc vno, amentatóque iaculo multa semper carnificina est in miseros homines. Quid Petrum Magistri amantem malè prodiderit, ac perdiderit, de Lucæ textu est, c. 22. n. 56. *Quem cùm vidisset ancilla quædam*, &c. emissis in Petrum oculis, dixit; *& hic cum illo erat*, &c. De muliercula textus meminit in re acerba: *vt & iste sexus peccasse in necem Domini videretur*, &c. ait Ambrosius *lib. 10 in Luc.* Acsi non posset Dæmon Petri scelus, & Magistri cædem vrgere, sine opera muliebri.

Mala mulier mala bellua.

3. Reg. 19. n. 3. & 18. n. 18.

Nihil acerbi nõ timeas ab irata fœmina.

Luc. 22. n. 56.

Nec Christo parcit mulier.

6.

Quare si quis sanam mentem, sanámque fidem velit exuere, mulier ad hosce furores Princeps erit, vel turpi Dæmonum pactione. Quod quidem vitium fœminis esse docet Moyses: vrget ille Exod. 22. num. 18. *Maleficos non patieris viuere*, &c. Sed Hebræa vox vitium reiicit in mulierem: nam מכשפה *mechasceph*a, sonat maleficam: cur verò

Exod. 22. n. 18.

verò Hebræa ſchola artem maleficam à viro detraxerit in mulierem, bona ex Lyra eſt ratio. *Illud exprimit, quod accidit communiùs*, &c. ſcilicet, mulier potius, quàm homo arte malefica pollet, ac polluitur, quod à Saule diſco. Nam cùm ſcire certò vellet, quæ nam eſſet futura belli alea, ſuos monet Duces. *Querite mihi mulierem habentem Pythonem*, &c. 1. *Reg. cap.* 28. *num.* 7. Non quæ it hominem artis Magiſtrum: meminerat enim, *quomodo magos, & hariolos de terra eraſerat*, &c. *num.* 9. Credebat tamen ſupereſſe adhuc poſſe matrē huiuſce monſtri mulierē, quæ fami iari colloqui o vteretur cum Diabolo. In hac ſententia Abulenſis eſt q. 21. *Dixit de fœmina; quia fœminæ magis vacant iſtis ſuperſtitionibus, quàm viri*, &c. Parum habent cerebri mulieres, & multum curioſitatis; vnde fit, vt arte quærant, quod natura negat. Mitto plura mulierum ſcelera, quæ ſub elogio muliebri adhuc latent. Noſti benè inſcriptum in facie muliebri *Myſterium*, Apoc. cap. 17. n. 5. quæ quidem inſcriptio denotat, patrato flagitio, flagitium adhuc grauius moliri poſſe mulierem; neque enim effundit vno impetu, quidquid mali ſuo condit animo; adhuc myſterium eſſe, nec multis dici poſſe, quid fœmina poſſit; *cui vel tantùm ipſam ſcire; quæ nam ſit; pudorem affert*, &c. ait Clemens Alex. 2. *Pædag. c.* 2.

Infames arte maleſica mulieres. 1. Reg. 28. n. 7. 9.

Apoc. 17. n. 5.

Nullum eſt ſcelus, quo grauius mulier non admittat.

Putant homines venire à malo cerebro hæc, & plura mulierum mala; probant id ex Apoſtolo, qui 1. ad Corinth cap. 11. n. 5. *Omnis mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput ſuum*, &c. Quærunt enim, quare fœminis mitella, celantica, plicaturiſque multis velum compoſitum? ſed ea Ruperto ratio ſuccurrit in ſententiam, lib. 3. in Gen. c. 11. *Quia ipſa natura docet adeò minoris capitis eſſe mulierem, quàm virum, vt ille velando, illa non velando caput ſuum deturpet*, &c. Acſi deficiat penitus, ſine veli fomento, cerebrum muliebre. Quid ni deficiat cerebro mulier omnino Lunatica? Id Iſaias inſinuat, cùm lunulam ornamentum ſcilicet capitis, in mundo cenſet muliebri: ad cap. 3. num. 19. *In die* (inquit) *illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques*, &c. Fortaſſe, quia laborant mulieres vitio cerebri, faciles conſiliis peruertendis. Quare ſi qua mulier pede lunam premat, ſignum erit illud magnum, ac toto cœlo notum, Apoc. 12. num. 1. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius*, &c. Virgo ſcilicet mater exactæ ſapientiæ; quod Bernardus probat. *Vt penitus abſit hæc ab inſipientium mulierum numero, & à collegio virginum fatuarum*, &c. *ad ſerm. de verb. Apoc.* Quo ex loco illud colligunt homines, vnicam ex mulierum numero Phœnicem eſſe, quæ Lunam cerebro non condat, non colat. Vin' plura? Adeat, qui velit, Ephræm *tom.* 1. *ſerm. aduersùs mulier.* Nazianz. *Eleg.* 63. Chryſoſtom. *Hom.* 15. *in Matth. loca.* Hieronym. *lib.* 1. *aduersùs Iouin.* Tertullian. *de cultu fœmin. cap.* 11. *de veland. Virgin. cap.* 1. Cyprian. *de habitu Virgin.* Clement. Alex. *lib.* 1. *Pædag. cap.* 12. *& lib.* 3. *cap.* 11. hominéſque alios, apud Cerdam, qui multa congerit ad Virgilium explicandum, *lib.* 5. vbi habes:

Infelix cerebri mulier.

Iſa. 3. n. 19.

Apoc. 12. n. 1.

Lunam pedeterit virgo mater, vti ſapient.

—— *Quid fœmina poſſit*, &c.

Adeò tument, debacchanturque homines in mulieres, & ſuas ſtyli naſo iras proflant.

8.

Sed qualis, & quanta mulierum virtus eſt! quæ hominum accuſationibus non reſpondent, hac vna, cerealique taciturnitate probatiores. Nota ab Orbe condito hæc mulierum taciturnitas in perferendis accuſationibus. Accuſata à viro Heua apud Deum ea viri querimonia, *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno*, &c. *Gen. 3. n.* 12. Deinde interrogata de flagitio, flagitium delegat in ſerpentem n. 13. *Serpens decepit me*, &c. Virúmque accuſata à viro non accuſat, iniuriæ patiens. Placet Ambroſio Heua, & addit, *Nec accuſata crimen retorſit; ſed ipſum accuſatorem ſuum maluit, ſi poſſet, abſoluere, quàm ligare*, &c. *de inſtit. virg. cap.* 4. Quàm firma, & patiens ad repulſam Chananæa mulier! *ad Matth. cap.* 15. Precatur Chananitis obnixè, num. 22. *Miſerere mei Domine*, &c. Sed nullum à Chriſto reſponſum elicit. Interponunt ſeſe Apoſtoli precatores *num.* 23. Occurrit Magiſter num. 24. *Non ſum miſſus niſi ad oues*, &c. precatur mulier iterum, genu ſubmiſſo num. 25. *Domine adiuua me*, &c. Sed Chriſtus acerbè num. 26. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, &c. Propè adſtruens Chananæam omnino catellam eſſe; quod ita accepit mulier, vt eam in vocem eruperit, *Etiam Domine*, &c. *num.* 27. Non potuit mulier non dolere, ſe durè acceptam eſſe; pertulit tamen præfata modeſtè: ait Chryſoſtomus Hom. 15. *Vides, quo modo non contradicit; nec alienis laudibus indolet; nec quia contemni videtur, moleſtè fert?* &c. Sed cùm tanta in muliercula virtus eſſet, captauit inde Chriſtus occaſionem virtutis

Geneſ. 3. n. 12.

Tacet mulier ad iniuriam condonandam facilis.

Matth. 15. n. 22.

Iniuriarum patiens non inuidet mulier.

tutis commendandæ: *O mulier!* (inquit) num. 28. *Noluit enim talem, tantámque mulieris virtutem ignorationis tenebris obfuscari*, &c. Hæc Chrysostomus. Sed Christus hac via obtundit morsus tristes hominum aduersùs mulierem: neque enim mulier in odium humani generis nata est.

Commendata à Christo mulier causa virtutis commendanda.

9. Luc. 8. n. 2. *Mulieres commendat Magister Deus cùm admittit comites.* Matth. 28 n. 9. *Carpitur homo laudata fœmina.* Rom. 16. n. 1. 6. 12. *Pudor est languere homines ad virtutem, fœminis viriliter agentibus.*

Quòd si Magister hominum passus est comites sibi mulieres seruire, apud *Luc. c. 8. num. 2.* vbi, *Duodecim cum illo, & mulieres aliquot*, &c. *Ne rigore nimio in totum Domini fabrica damnaretur*, &c. quod Cyprianus voluit, *de singularit. Cler.* Multa in sexu muliebri virtutum seges est. Quare tam Magister, quàm discipulus mulieres sanctè colunt, & castè laudant: scilicet vt hominibus pudorem iniiciant. Nónne Christus è tumulo excitatus illud mulieribus imperat? *Ite, & nuntiate fratribus meis*; &c. *Matth. 28. num. 9.* quod eo consilio factum putat Hieronymus, *vt erubescerent viri non quærere, quem iam fragilior sexus inuenerat*, &c. *in prologo ad Sophon.* Nónne Phœben commendat Apostolus de famosis in pauperes largitionibus? *ad Roman. cap. 16. num. 1.* Nónne Mariam laudat proximè de multis pœnitentiæ stimulis? *num. 6.* Sed Tryphænam, & Tryphosam altè extollit, laudes iterans de virtutum cura perpetua, *num. 12.* Felices admodum mulieres! quæ irato Nerone, fidem adhuc, & castos mores colebant, sub Apostolo morum Præfecto. Vnde Chrysostomus vrget homines in pudorem. *Rursus* (inquit) *mulier coronatur; rursus confundimur viri; sed etiam honestamur: honestamur quidem, quòd tales apud nos sint mulieres; confundimur, quòd longè ab illis post terga relinquimur viri*, &c. *Hom. 31.* Quid adhæc opponant homines? quibus mulieres pudorem excitant.

Fœminis viriliter agentibus.

10. *Laudantur mulieres sacro textu ad pudorem hominum.* *Nullum est ignauis fœminis patrocinium à natura.*

Certè Hieronymus laudatos prisco textu putat mores fœminarum nobilissimarum, vt pungantur homines sua molles ignauia. Mulieres erant, sed vita nobiles; Sara, *Genes. cap. 17.* Debbora, 4. *Iud.* Holda, 4. *Reg. 12.* Susanna, *Dan. 13.* Iuditha, *cap. 8.* Et hasce mulieres inducit Hieronymus, vt Principiam moneat de virtutum cura, pungat homines de morum ignauia. *Hæc* (inquit) *& istiusmodi, σεμνοτάτη filia, id est, modestissima, perstrinxi breuiter, vt nec te pœniteat sexus tui; nec viros nomen suum erigat: in quorum condemnationem fœminarum vita laudatur*, &c. *Epist. 140.* Et verò pudor hominibus esse potest, fecisse mulieres piè, ac sanctè, quod non faciunt homines suapte natura fortiores. Scio, cur virgo Clælia equestri sit statua: nam, teste Seneca, *exprobrat nostris iuuenibus puluinum ascendentibus, in ea illos vrbe sic ingredi, in qua mulieres equo dominauimus*, &c. *ad Marc. cap. 16.* Quòd si tanta fœminis virtus est, iure merito laudantur, ne de sua querantur natura, & inde capiant sibi patrocinium ignauiæ: & verò ignauiam tollit Pelusiotes, cùm Susannam, & Iuditham suggerit ad mulierum excitamentum, lib. 1. Epist. 87. *Excusationem* (inquit) *natura nescit, veniámque non habet fœmina*, &c.

11. Dan. 13. n. 32. *Videri non vult casta, & prudens mulier.* *Pudet castam fœminam accusari, etsi falsò ream.*

Reliquum erat, vt accusationibus hominum responderent mulieres; sed cùm taceant persanctè, satis ego faciam. Notantur mulieres de cura videndi, ac placendi, etsi pudorem deterant. Sed quantus in Susanna pudor est, quanta in animo cura, ne videat, ne videatur! Nouerat mulier castissima ægrè sibi fuisse ex hominum oculis: rapta ad iudices, ficto adulterio, faciem tegit velo obducto; *erat enim cooperta*, &c. *Dan. cap. 13. num. 32.* Sed quia Susanna erat, Hebraicè lilium castitatis, faciem tegit, aut pudore victa, aut ne pudorem tereret: quod Tertulliano visum est. *Rea* (inquit) *venerat, erubescens de infamia sua; meritò abscondens decorem, vel quia timens iam placere*, &c. *de Corona milit. cap. 4.* Itaque Susanna licèt falsò accusata, vultu obtecto, nec videre cupit, nec videri amat. *Est enim in oculis verecundia, vt nec videre viros fœmina, nec videri velit*, &c. ait Ambrosius 1. *Offic. cap. 8.* Lex Persis erat, vt nemo, nisi domesticus, vxorem videret: quod Iustinus tradit *lib. 4.* Quo id consilio fieret, benè monet Xenophon lib. œconom. *vt formam cum pudicitia domi se continendo, tueretur*, &c. Hoc latendi studio Vasthi ab Assuero euocata, *vt ostenderet populis, & Principibus pulchritudinem eius*, &c. *Hest. 1. num. 11.* Regina virtutis amans, *ad Regis imperium venire contempsit*, &c. *num. 12.* vanum Assueri studium abnuens. *Tanto laudabilior, quanto perseuerantior, in legum, ac pudoris custodia*, &c. Ita Sulpitius *lib. 2. sacræ Histor.* scilicet latere Vasthi pudicè maluit, quàm regnare impudenter. Erat fortasse in Reginæ oculis Venus illa, quæ pedicas pedibus innexas habebat, testitudinémque terebat pede presso, quod tradit Pausanias *lib. 3. in Laconic.* Illud admonens, mulierem nunquam domo, aut rarò exituram esse, cùm testudo tardigrada sit, ac domi porta.

Hester 1. n. 11. 12. *Laudatur Vasthi latendi studio.*

12. Sua fœminis laus est, si latebris se domesticis contineant; qualem sortem bono viro

Dauid

Dauid precatur Psalm. 127. num. 3. *Vxor tua sicut vitis in lateribus domus tuæ*, &c. scilicet, vt vxor, quasi vitis pedamentis obligata, domo intima facilè non abeat in publicum. Quòd si ratio egressum iubeat, faciem obnubat, necesse est. Quo elogio Rebecca laudatur. Isaacum virgo prospicit, à seruo monita, *Ipse Dominus meus*, &c. *Gen.* 24. *num* 65. Quæ sine velo iter agebat, *Tollens citò pallium, operuit se*, &c. *num.* 66. Ne placendi studio, sed latendi amore flagrare videretur. *O mulierem, iam de Christi disciplina!* &c. ait Tertullianus *de veland. virgin. cap.* 11. quæ scilicet schola illud iubet 1. ad Corinth. cap. 11. num. 5. *Omnis mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum*, &c. Sed ritu domestico seruatum à Rebecca illud est: *priuatus enim pudor legem facere non potuit*, &c. quod addit Tertullianus *ad cap. 4. de Corona.* vbi vides Rebeccam pudore victam de velo cogitasse. Planum igitur est, quid faciat casta, & cauta mulier; ne dum patet hominum oculis, suam prostituat faciem. *Tam sancti enim viri est, suffundi, si virginem viderit; quàm sanctæ virginis, si à viro visa est*, &c. sic Tertullianus *ad c. 2. de veland. Virgin.*

Psalm. 127. n. 3. *Domi se vxor bona continet.*

Genes. 24. 65. 66. *An placere studet, quæ faciem tegit mulier.*

1. Cor. 11. n. 5.

Opponunt homines mulierem pietatis, religionisque negligentem esse, vt quæ facilè Dæmones consulat, inf. mi licèt pactione. Sed qualis in fœminis pietas est? Multus est Salomon in laudanda pietate virginis honestissimæ. Nam castos amores canit, honestos amplexus explicat; vota, & voces laudat, epithalamio integro. Itaque multis cantat Sapiens pietatem mentis optimæ, & mulierem commendat, non hominem. *Ratione deuotionis, quæ magis vigere solet in mulieribus*, &c, Ita Lyra. hac vna re fortes admodum censentur mulieres. Vnde natum est, vt verbo militari exprimantur affectus mulierum pientissimarum. *Quæ excubabant in ostio tabernaculi*, &c. *Exod. cap.* 38. *n.* 8. nam Hebræo textu verbum est, צבא *Tsaba*, quod est *milito, excubo.* Cur ita? Pulchrè Oleastrius cum Brixiano. *Erant mulieres, quæ diebus singulis veniebant ad ostium tabernaculi, vt orarent, ac Dei præcepta audirent*, &c. Sed cur textus mulieres laudet ab excubiis, explicat Laudunensis. *Hoc est continuo amore ingressum æterni regni obseruantes*, &c. Cauebant scitè ne à regni sacri ianua aberrarent. Cur militantes dicantur mulieres, dicit benè Salmeron tom. 3. tract. 12. *Dicuntur excubare, tanquam milites qui pro toto exercitu inuigilant*, &c. Satis hæc probant mulieres pio in Deum, & hominem animo esse; nec de humanæ gentis carnificina cogitare, licèt hominum pungantur stimulis.

13.

Cant. c. 1. & reliquis.

Pia in primis est mulier hominésque vincit pietate.

Exod. 38. n. 8. *Valentes ad pietatem mulieres.*

Vigilant, quæ Deum orant mulieres.

Iam verò, si qua homines fortuna premantur, mollius mulier, quàm homo, Deum precibus allicit, lachrymísque fatigat. Multo Iosias erat in metu, cùm Helciam, & Sacerdotes reliquos vrgeret. *Ite, & consulite Dominum*, &c. 4. *Reg. cap. 22. num.* 13. Sed Ieremia prætermisso, abiere consultores *ad Holdam prophetidem, locutíque sunt ad eam*, &c. *n.* 14. Mulierem potius, quàm hominem conuenerunt, vtpote affectu molliorem. Ita Lyra, ex schola Hebræa. *Iosias quærebat consilium pietatis, & diuinæ misericordiæ; ideo ierunt ad mulierem prophetidem: quia mulieres magis esse solent misericordes, quàm viri*, &c. Non quòd affectus lenior mutare possit voces Domini; sed quòd possit maiori, quàm homo, affectu mulier iratum hominibus Deum mitigare. Hoc enim mulierum ingenium est.

14.

4. Reg. 22. n. 13. 14.

Miseratur facilè mulier.

Tandem addunt homines mulierem cerebri vitio laborare. Sed qualis, & quanta fœminis sapientia est? Non explico libros Sibyllinæ sapientiæ, de quibus Plin. *lib.* 13. *cap.* 13. Gell. *lib.* 1. *c.* 19. Horat. *in car. sæc.* nec expono sacrarum mulierum oracula germanica, de quibus agit Clemens Alexand. 1. *strom. cap.* 7. nec addo consultationes muliebres de re dubia, apud gentem Celticam, quod Plutarchus habet *ad cap. 6. de claris mulier.* Scio Britannos fœminarum consilio bellum facere, si qua Tacito fides est *ad lib de moribus Germ.* Fuerunt enim mulieres adeò nobiles, vt cura virili exuerint vitia fœminarum. Quales Camilla, Zenobia, Dardana consiliis militaribus addita à Pharnabazo: quod monet Xenophon *lib. 3. de rebus Græcan.* Nec Medis, Persísque Reges alij, quàm mulieres domi, ac militiæ iura dixere. Vnde Panegyristes cecinit,

15.

Mulieres cerebro felices, ac sapientia.

Imperat hic sexus, Reginarúmque sub armis
Barbariæ pars magna iacet, &c. *lib. 2. in Eutrop.*

16.

Matth. 19. n. 39. *Discat Princeps quo pacto iubeat.*

Sed & sacro textu laudantur mulieres apprimè sapientes. Commendatur à Christo Domino Regina, quæ Salomonem è Sabæa aula Magistrum adiit, Matth. c. 19. n. 39. *quia venit à finibus dare audire sapientiam Salomonis*, &c. Mente id sana, quod Bernardus notat, Regina fecit iter, *vt regi disceret, & sic regeret*, &c. *Epist.* 289. Nónne 2. Reg. cap. 29. n. 16. *Exclamauit mulier sapiens de ciuitate*, &c. scilicet Abela, vt Ioabum à

2. Reg. 29. n. 16.

muro subiuendo auerteret? Profectò mulier ingenio velox. *Tantæ multitudinis periculum muliebri auctoritate sedauit*,&c teste Hieronymo *ad Princip.Epist.*140.Mitto plures & poëtica, & prophetica facultate nobiles virgines, de quibus Clemens Alex. 4. *lib.strom. cap.*6. & Hieronymus *Epist.cit.* Vnam appono Debboram maiestate prophetica notabilem, & quod Theodoretus voluit q. 11. ad lib. Iudic. *in virorum contumeliam*,&c.Solent enim mulieres ingenio valere, & homines superare. Ibat Moyses cum virga censoria, & grege domestico in Ægyptum; quod habet *Exod cap.*4. *n.*20. In via occurrit Angelus,ferróque Moysen petit, num.24. *& volebat occidere eum*,&c. Causam tanti mali non præsentit homo, præsensit mulier, *num.* 25. ac proinde cultro puerum circuncidit, Angelúmque à viro abigit. Quare Moyses rem non tetigit, sed vxor,benè sensit Pelusiotes *lib.*1. *Epist.*125. *ad Gregor. Episcop.* Laudat Isidorus mulierem dubiis dignoscendis habilem,ac tandem addit: *Mulieres,cùm necessitas vrget,diligentioribus,quàm viri,artibus vti consueuerunt*,&c. Itaque sapiunt religiosè mulieres, cùm res in angustiis est.

Hominem vincit mulier ingenio. Exod.4. n. 20.14.

In re dubia sapit vxor, quàm maritus felicius.

17. Taceant igitur homines, probata mulierum sanctissimarum sapientia; neque enim habent,quod obtrudant. Sed quanuis aberrarent à bono, & æquo mulieres reliquæ; vna erat Iuditha,quæ famam sarciret muliebrem; vt patet ex *cap.* 8. Vnde Patrum laudes in Iuditham profluxere, quam Pelusiotes loco cit. *admirandam vocat fœminam*;Origenes, *Fœminarum nobilissimam*,Hom.9.in Iudic.Clemens Alexand. *consummatam in mulieribus mulierem*, 4. strom. cap. 6. Prudentius in Psychom. pug. 2. *Pudicitiæ vindicem.*Fulgentius,*viduam sanctissimam*,Epist.2.cap.14 Zonaras, *viraginem masculi animi*,tom.1.Multæ vna in Iuditha virtutes eminent;quod notat Ambrosius de viduis. *Ne mulieres à virtutis officio sexus infirmitate reuocentur*,&c. Deinde vt Iuditha viuat gloriosè, libro nomen imponit suum; quod habet Hieronymus epist. cit. *Tantæ*(inquit)*gloriæ sunt mulieres,vt sacris libris nomina indiderint*, &c. Meminit inibi Hieronymus de Hestera, Rutha, & Iuditha; & addit: *Quarum igniculos clarum Mariæ lumen abscondit*,&c.*in prologo ad Sophon.* scilicet,ne quis hominum suo mulieres morsu pungat.Quæ quidem si Magnam Matrem suo typo expressere,magnum fœminis decus est.Nec minor hac parte occurrit Iuditha:quod probat Serar. *ad c.*16. *q.*12. vbi homines alij,Canis.*lib.*3.*cap.*12.*& lib.*4.*cap.*5. de Beata Virg.Barrad.*tom.*1. *lib.*7. *c.*13. Mendoça, quo ego Magistro glorior, *tom.*2.*in* 1. *lib. Reg.cap.*4.*annot.*2.*sect.*2. *& ad cap.* 5. *annot.* 17. *sect.* 11. Tirin. *tom.* 1. Typum igitur aggredior suis formare coloribus. Faue,precor, Magna Mater, quam mihi Ducem rebus in omnibus esse volo, vt prosit,quod à quindennio iam exacto instructum publicè opus est.

Mulieres à via viuendi recta non retrahit sexus fragilior.

Laus est magna fœminarum, quòd sacris libris indùt nomina.

Lucet virgo mater inter mulieres velut inter ignes luna minores.

CENSO

CENSORVM IVDICIA.

QVA potui diligentia, & magna voluptate perlegi hos Commentarios in Librum Iuditħæ argutè, & ſumma elaboratos induſtria à ſapientiſſimo Patre LVCA VELLOSO, Societatis IESV, in Collegio Conimbricenſi olim ſacræ paginæ Profeſſore; & nihil reperi, quod fidei Orthodoxæ, bonis moribus, Sanctorúmque Patrum ſententiis diſſonet. Imò eſt opus ſublime, varium, elegans, & acutis mentis conceptibus refertum: & ideo digniſſimum iudico, quod prælo mandetur. Conimbricæ in Collegio Societatis IESV die 4. Iulij. Anno Domini 1644.

HIERONYMVS VOGADO.

MANDATVM mihi eſt à P. admodum R. Antonio Maſcaregnas, Prouinciali Societatis IESV in Luſitaniæ Regnis, vt hoſce Commentarios in Iuditham à P. LVCA VELLOSO confectos legerem, & excuterem. Lecto igitur libro diligenter, perlectóque libenter, opus eſt rebus quidem varium, ſtylo altè ornatum, Patrum dictis copioſum, ſententiarum momentis graue, concionibus adornandis grande, moribus piè colendis vtile, ſacris literis caſtè explicandis percommodum, cum fide ſana congruens, & à vera doctrina minimè diſſidens. De Auctore dici poteſt, quod Hieronymus de Paulino dixit, *Magnum habes ingenium, & infinitam ſermonis ſupellectilem, & purè loqueris, & facilè: facilitáſque ipſa, & puritas mixta eſt prudentiæ.* Quæ cùm ita ſint, dignum opus cenſeo, quod typis mandetur, atque oculis omnium, & manibus circunferatur. In Collegio Conimbricenſi Calendis Iulij. Anno Domini 1644.

SIMON D'ABRANTES.

REVERENDI admodum Patris Antonij Maſcaregnas, Portugalliæ Prouincialis iuſſu, Commentarios in Iudith, à Patre LVCA VELLOSO, ſacræ paginæ Profeſſore diligenter elaboratos, recognoui. Moribus ſalubrem reperi doctrinam, eámque fidei Orthodoxæ maximè conſonam. Prima hæc fœtura ad priora ſeptem capita lucubrata, germanam euocat; quæ labori fœliciter inchoato triumphalem coronam imponat. Licétque Holophernis duntaxat capite generoſa Virago exultet, à ſuo tamen interprete proſtrati cadaueris, fugatíque exercitus palmam, variis gloriæ corymbis ſpectatiſſimè racemoſam expectat. Cenſeo igitur, ad plurimorum vtilitatem, recens, nouúmque opus, ſubtili opera excudendum. In Collegio Conimbricenſi, pridie Idus Iulij, Anno Domini 1644.

Epiſtola gratulatoria à P. M. Antonio Leyte ad Authorem.

ASSYRIORVM arma ſuperis inuiſa, Hebræis damnoſa, Orbi formidanda virilis fœminæ induſtria, & ſagacitate ſubacta, fugaci æuo iam penè obruta, tuo nunc labore (Magiſter Optime) beneficij loco ampliſſimi, Bethulia conſpicit rediuiua. Vltra montis ſupercilium, quo ſe iactat extructam, ſuum dignitatis attollit faſtigium. Oppidulum quidem natura ipſa perangustum, elaboratis Commentariis, memorabile in poſteros nomen nulla annorum ſerie abolendum ſibi fauſtè, felicitérque vendicat. Quauis ex pagina clarigatio perſonat, litui obſtrepunt, tubæ funeſto clangore cladem minitantur, quatiuntur mœnia, eruuntur ciuitates, quóque magis tyranni truculentia in pauidos deſæuit, eò clarior Iudithæ victoria triumphabunda exultat. In Holophernem tuus fulminat calamus, quem vt declinaret, ſi perſentiſceret, ante necem victus, ingloriúſque fugam moliretur in bellis. Doces non ſolùm caſtra, tentoriáque metari, ſed precibus cœlum demulcere, cuius copiis obluctari inſania eſt non mediocris. Nabuchodonoſorem vecordi ſuperbia humanos fines tranſgreſſum frugali mortalitatis conditione compeſcis, quódque in aula impendio magis laborioſum eſt, ſui memorem, cœlo morigerum, Hebræos pertimeſcentem reddiſti; labant éſque tandem conſilio, ne anguſtis in rebus animos deſponderent, corroboras Quibus cœlum lachrymarum, dolorúmque blandimentis expugnandum, quomodo ab aſtris deuocandum auxilium, quibus technis cùm mortales, tum immortales fundendi ſint hoſtes, ex opulenta ingenij tui officina addiſcimus.

Si in valuis, primóque in Iudithæ limine, tam erudito Phœbo fœcundum pectus exæſtuat, quid ſperandum, cùm ditiori doctrina amplificatus labor ſibi ipſi contra liuentes oculos, dentéſque, ſolo, ac cœlo plaudentibus, gratulabitur? Achior (niſi in auream facundiam propenſus me fallit amor) diuini iuris in Aſſyrios promulgator, dum aduerſarios inimicar, arbori potius inſeritur, quàm illigatur, inde vt prouentu vberrimo in feraces panegyres totus pomifer erumpat, fit profectò Alcinoo inuidioſus, ipsóſque Heſperidum fœtus auri colore irradiantes in certamen laſſeſcit. Nil niſi politiſſimi Auctoris titulos progerminat; ſi quid iucundum, ſi quid vtile, ſi quid dulce, ſi quid opimum ex parturiente illa inſitione exoptari poteſt, vota ſibi iam reſpondere, arbitratu non temerario pollicentur. Alacres ad Achior properant Bethulitæ; non tantùm vt nexus adimant, verùm vt laudum fructus decerpant, quos gratiis, encomiiſque grauidos deguſtant.

Quantus eris in Iudith venuſtanda? Tergemina ſplendebit elegantia, natiua ſcilicet, eáque eximia, quam crinium ſinuoſum patagium, mitra veneribus intertexta, lilia auribus pendula, gemmati Oriente digiti, aluta ad cœleſtes paſſus Hyacintho variegata, florida quondam iucunditatis ornamenta, feſtiuo augebunt lumine! Altera diuinitus impenſa, cui ſummus Opifex ſolerti adeò penicillo incubuit, vt ſola ſpecie triumphalem victoriam Bethuliæ trepidanti auſpicatò ominaretur, *cui etiam Dominus contulit ſplendorem,*

Iudith c.10.n.4. *splendorem; quoniam omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat; & ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Postrema, augustius quiddam è tuis coloribus, plusquam ex Apellis, aut Prothogenis sedulitate hauriet. Genialem, diuinámque pulchritudinem vt illustres, cœli munere largè tibi concessum. Suam à Lusitano calamo, te vno delineante, glorioſi dux Fœmina facti, æternitatem opperitur. Conimbricæ in Collegio Societatis IESV. Pridie Nonas Augusti. Anno Domini 1644.

ANTONIVS LEYTE.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS *Societ.* IESV, *in Prouincia Lusitana.*

EGO Hieronymus Vogado Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lusitana, potestate ad hoc mihi facta à R. admodum Patre nostro Mutio Vitelleschio Præposito Generali Societatis vniuersæ, facultatem concedo; vt *Commentarij Parænetici in Iudith*, à P. LVCA VELLOSO Theologo nostræ Societatis, & Magistro sacrarum literarũ in Collegio Conimbricensi compositi, eiusdemque Societatis Doctorum Patrum iudicio recogniti, & approbati, typis mandẽtur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Olysippone, die 13. Iunij 1645.

HIERONYMO VOGADO.

APPROBATIONES.

VSSV supremi sanctæ Inquisitionis vidi Disquisitiones prologisticas, Parænetica, & Commentarios in Iudithæ librum, Auctore R. admodum P. Magistro LVCA VELLOSO, Theologo è Societate IESV, nil continent contra fidem, vel bonos mores, dignéque prælo demandari queunt. In Conuentu S. Dominici de Benfica, die 4 Octobris 1644.

FR. THOMAS DE CORDES.

VISTAS as informaciones pode-se imprimir este Liuro que ten por titulo *Commentaria in Iuditham*, Autor o P. M. LVCAS VELLOSO, da Compania de IESVS, e depoy de impresso tornara ao Consejo para se conferir com o original, ese dar licença para correr e sem ella não correra. Lisboa 7. de Decembre 1644.

FRANCISCO CARDOSO DE TORNEO.

PERO DE SILVA.

EX mandato Illustrissimi Domini Episcopi Inquisitoris Generalis Regnorum totius Lusitaniæ vidi, & legi *Commentaria in Iuditham*, à sapientissimo Magistro P. LVCA VELLOSO in lucem edita; ea nimis quidem laudo, in nullo sacræ fidei, & bonis moribus dissentire iudico, Sanctorum etiam Patrum assertis consentiunt, eorúmque sententiis, & acutissimè dictis pollent, ad finem nostrum vnum, & trinum Deum tendentibus vtilissima censeo, ac denique talia vt digna sint quamprimum typis mandari pro gloria Dei, pro communi bono, & peculiari sanctissimæ Societatis IESV decore. In Collegio sancti Patris nostri Benedicti Monachorum omnium Patriarchæ. Die 7. Iulij 1644.

FR. PAVLVS A NATIVITATE.

Facultas R. P. Prouincialis in Prouincia Lugdunensi.

CLAVDIVS Maucler, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi. Iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. concessum quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque Superiorum permissione imprimant; permitto LAVRENTIO ANISSON, Bibliopolæ Lugdunensi, vt librum qui inscribitur *R. P.* LVCÆ VELLOSI, *Societatis* IESV *Commentaria in Iudith*, ad decem proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die 19. Octobris 1648.

CLAVDIVS MAVCLER.

IOANNES Claudius de Ville, in sacra Theologia Magister, in Ecclesia S. Crucis Custos, & D.D. Alphonsi Ludouici du Plessis de Richelieu, Eminentissimi Cardinalis, ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis Prouicarius generalis: Librum cui titulus est, *R. P.* LVCÆ VELLOSO, *è Societate* IESV, *Commentarij in Iudith*, à Theologis approbatum in lucem edi facultatem concedimus. Lugduni 20. Octobris 1648.

DEVILLE.

IN

INDEX CONCIONATORIVS.

Dominica Prima de Aduentu.

Ad Luc. cap. 21.

N. 5. EVNT *signa in Sole, & Luna.* Quasi miserantur astra, cum occultantur, oculósque retrahunt à calamitatibus hominum. p. 13. n. 2. ad c. 2. p. 38. n. 1. ad c. 7. in com. cap. 7. n. 24.

An tenebris Deus suum tegit vultum, quasi peccatores videre pudeat? p. 12. n. 1. & 4. ad cap. 3. p. 45. ad cap. 5.

Fortasse Deo pudor est de necessitate puniendi. in com. cap. 4. n. 39. p. 38. ad cap. 7.

An Deus Iudex punit in tenebris, vt grauiùs feriat? aio. p. 38. n. 2. ad cap. 3.

26. *Præ timore, & expectatione.* Malis, ac bonis hominibus metum auget Deus Iudex. in com. cap. 1. n. 30. p. 17. n. 4. ad cap. 1. p. 2. n. 1. & 4. ad c. 6. p. 17. num. 1. ad cap. 6. in com. c. 7. num. 4. p. 20. ad c. 7. Ingens est terror à Christi dicto ad Matth. 24. num. 36. *De die illa nemo scit, nisi solus Pater.* Ad litem Rupertus: *Hunc esse sensum fideliter accipimus. Ac si diceret: dies illa tantæ erit iræ, tantæ calamitatis, ac miseriæ; tantæ tribulationis, & angustiæ; quantum nemo vnquam vllo potest, aut poterit experimento præscire.* ad lib. 1. & c. 29. de oper. Spirit. sancti.

27. *Tunc videbunt filium hominis.* Ingraueſcit metus, cum Iudex homo est. p. 14. ad c. 2. p. 3. n. 6. ad c. 6. *Tunc videbunt.* id est, *in nouissima tuba:* quod paret ex 1. ad Corinth. cap. 15. num. 52. Deus enim cunctator ad puniendum Iudex est. p. 3. ad cap. 5. p. 28. n. 1. ad c. 5.

An Iudex ex mora iustiùs, grauiúsque punit? p. 28. ad c. 5.

Ex Matth. c. 25. num. 32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* Grauior in omnium oculis censura est latæ sententiæ. in com. cap. 5. n. 98.

34. *Venite benedicti Patris mei.* A benedictionibus Deus cognominatur, non à maledictionibus. p. 3. n. 4. ad cap. 5.

Dominica II.

Ad Matth. cap. 2.

N. 2. IOannes cum audisset in vinculis. Virum bonum malis premit Herodes ex morum diuidia. p. 12. n. 4. ad c. 5. p. 13. ad cap. 5.

Virum bonum malis Deus vrget, vt ex merito *Veloſ. in Iudith.* faueat. p. 14. n. 2. ad cap. 6. p. 20. n. 4. ad cap. 6.

Cùm audisset in vinculis opera Christi. Scilicet inter latrones Christum Ioannes meditatur; nec friget pius impietate aliena. p. 12. ad cap. 6.

Mittens duos ex discipulis suis. Pressus malis bonus homo Deum quærit. p. 12. ad cap. 4. p. 21. n. 1. & 4. ad cap. 5. p. 2. n. 2. d. 5.

Mittens duos ex discipulis suis. Multa viro bono cura est de salute aliena: inde homines ad Christum mittit. p. 7. & 8. ad cap. 6. p. 2. n. 2. d. 2.

4. *Renuntiate Ioanni, quæ auditis, & vidistis.* Ex Christi actis dubitare sè Ioannes de Christo simulat: sed constans in actis labor genuinè Christum probat. p. 17. ad cap. 5.

5. *Cæci vident, claudi ambulant.* Notus ex benefactis in hominem Deus est. p. 3. n. 4. ad cap. 3. p. 9. n. 4. & 5. ad cap. 3. p. 3. n. 4. ad cap. 5. in com. cap. 5. n. 44. & 59.

6. *Et beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Pungit, non mulcet homines veritatis magister; scilicet adulari nescit, vt auditores colligat. p. 2. n. 5. ad cap. 2. p. 7. n. 3. ad cap. 2. p. 46. n. 2 ad c. 5.

Dubitantes, ac proinde peccantes homines tectè Christus pungit, ne peccent latè impudentes. in com. cap. 5. n. 51.

7. *Illis abeuntibus, cœpit Iesus dicere de Ioanne.* Absentem laudat amicum vetus amicus. p. 10. ad cap. 6.

Christum Ioannes laudauerat; ad Ioann. cap. 1. n. 26. ius erat, vt Ioannem Christus laudaret affectu gratificandi. p. 17. n. 3. & 4. ad cap. 6.

Illis abeuntibus. Scitè actum: nam laudatus coràm homo facilè vanam concipit gloriolam. p. 12. n. 5. & 6. ad cap. 4. p. 6. n. 5. ad cap. 6.

Ieſus enim declinauit à turba. Scilicet, vt laudes hominum de re bene geſta fugeret: quod eſt humilitatis celebratæ. Homines à Dæmonibus liberauerat Dominus. Mar.cap.1. n.34. ſed paucis poſt verbis, addit Marcus de Magiſtro Deo. *Et diluculo ſurgens abiit in deſertum locum.* Verè humanam, & inde vanam fugitat gloriolam, qui rebus mirè factis ſola, & vaſta loca petit. *Suo nos exemplo monens, vt poſt miracula patrata, alò ſecedamus, ne quod inanis gloriæ venenum, aut humanæ laudis ſtudium noſtros in animos irrepat.* Hæc Victor Antiochen. Deinde ſecedit Chriſtus à turba hominum, re piè, ac benignè facta, ne qua laboret inuidia. p.10.n.2. ad cap.1. p.23.n.1. ad cap.5.

14. *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ex dictis patet hominem morbo diuturno emendatum non eſſe: quo loco Deus vtitur in ſalutem hominum. in com.cap.5.n.53. p.20.n.4. ad cap.5.

Deinde patet hominem malè habuiſſe, aſſiduitate peccandi. p.20. ad cap.5. Ad tandem patet grauius puniri hominem ex peccati relapſu, aggrauarique pœnam ex Dei patientia. p.42. ad c.5. p.28.n.2. ad cap.5.

Addo mali metum vrgere, ne quis peccet. Vnde morum Magiſter ait. *Ne deterius tibi aliquid contingat.* p.1.n.1. ad cap.3. p.20. n.4. ad c.7. p.25. n.3. ad cap.5. in com.cap.5.n.82.

Dominica II.

Ex Matth cap.17.

N.1. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* E diſcipulis pauciores Magiſter ſelegit; paucis enim datum eſt adire cœlum. in com.cap.5.n.38. p.15. ad cap.5.

Agendum erat de Chriſti affectu ad crucem ferendam: quod Lucas habet cap.9.n.31. Res quidem magna; ſed magna paucis detegenda. p.5. ad cap.2.

Et ducit illos in montem ſeorſum. Procul à diſcipulis Magiſter, ne dum ab hominibus reliquis vt ſemotis arbitris magna tractet. in com.cap.2.n.12. p.5.n.1. ad cap.2.

In montem ſeorſum. Agendum inibi erat de bono ſalutis humanæ; res quidem magna: quod Lucas tradit: ſed res magna clanculo tractanda. p.5. ad cap.2.

In montem. Inibi, *vox de nube, dicens.* Et verò Dei vox eſt. Deo enim fruitur, qui fugit homines. p.29. ad cap.5. in com.cap.5.n.68. p.16.n.4. ad cap.5.

In montem. Aſcenſu difficili paranda eſt gloria. p.6.n.6. n.5. ad cap.5. p.4. n.4. ad c.1. p.37.n.3. ad cap.5. in com.cap.7.n.12.

In montem. Cur in montibus oſtentat Chriſtus fortunam beatiſſimam? an vt ex aſcenſu difficili maior ſit voluptas? aio p.29.n.7. ad c.5. in com. cap.5.n.67.

4. *Domine, bonum eſt nos hìc eſſe.* Bono Petrus fruitur: ſed quantum ſit bonum, explicare non poteſt. Ad rem Dauid Pſ. 30. n. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te?* Verſiculum ſit verſat Thomas de

Kempis.

Kempis. *Sed quid eſt amantibus? Verè ineffabilis eſt dulcedo contemplationis tuæ, quam largiris amantibus te?* ad lib.3.cap.11. *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Cur in loco filium Pater magiſtrum laudat,quem in Baptiſmo non laudauerat? An quia Magiſtrum ſua affectum gloria audit facilè appetens gloriæ diſcipulus? Sic D. Thomas in Catena. Sed qui ſuo de exceſſu agit apud Luc.9.auditores facto magiſter cogit.p.20. num.4.ad cap.4.p.13.num.1.ad c.5.p.12. num.1. ad cap.1.

Quid ſi Chriſtum Pater Magiſtrum non exponit, cum peccati reum Baptiſmo ſuſcepto Chriſtus repræſentat; exponit verò cum hominem vita ſanctum gloriosè excipit? Scilicet ne Magiſter adhuc monendus moneat.p.12. n.1. ad cap.1.p.13.n.3.ad c.7.

9. *Nemini dixeritis.* Tanta eſt felicitas patriæ beatiſſimæ, vt fidem teſtes ægrè impetrent ab hominibus. p.23. n.2. ad cap.5.

Tanta eſt beatitas, vt inuidiam videntes moueant non videntibus p.23.n.2. ad cap.5. Quare ſilentium iure ſummo Chriſtus imperat.

Feria 4. ad Domin. II.

Ex Matth. cap.20.

N. 17. *Aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò,& ait illis.* Non ſe in Magiſtri Domini ſinum intrudunt boni homines; ſed euocantur ſecretum in Concilium. Nam Magiſter, *aſſumpſit duodecim diſcipulos.* Quare audire malè ſolent, qui ſe in Regiam conſultores inſinuant,ingerunt,intrudunt. p.10.ad cap.2.p.2. ad cap.5. Scio defuncto Ioſue ſeniores populi de principatu non cogitaſſe, niſi Deo iubente ad Iud.cap.2.num.8. *Cum Dominus iudices ſuſcitaret.* Bene Procop. *Adeo in Deum piè affectus erat populus,vt nullus in Magiſtratum ſua ſe ſponte auderet ingerere.* Qui enim ſe ingerit,ſuſpectus eſt.

Aſſumpſit duodecim diſcipulos. in quibus Iudas, nec indignus interim à Magiſtri ſchola; ſed quantùm mutatus ab illo eſt, qui Dei conſilio interfuerat? adeo variat homo in Magiſtrum impudens, in Deum inſolens, vt à bono in malum citò deficiat. p.17. num.1. ad cap.4. p.22. ad cap.7.

Et ait illis: & filius hominis tradetur. Quæ paſſurus eſt Dominus, amicè diſcipulis detegit, vt dolorem temperet quodammodo. Solatium enim eſt dolentibus in amici manum ſinumque loqui,& queri;ait Nazianz ad Carm. de ſuis calamit. *Et luctum lenire ſolet narratio luctus.* Totus eſt Dauid in querimonia rerum acerbiſſimarum. Ægrè carmen legas, quo Dauid ſuam acerbè vicem non doleat. Vide Pſal.3.Pſ.14.Pſ.16.num.9. Pſalm.21. Pſalm.39. num.13. Pſalm. 40. num.6. Pſalm.53.num.5.Pſalm.139. num.2. Et nulla eſt mali vis, de qua Dauid non queratur. Fortaſſe doloris ſolatium petit à querimonia. *Silentio enim ingraueſcit calamitas*, ait Peluſiotes lib. 3. Epiſt. 8.

18. *Et filius hominis tradetur.* Hominis ſe,non Dei filium Chriſtus appellat ſua de Cruce agitans,vt carnificum ſcelus minuat; quaſi homines in hominem ſæuierint,non in Deū. Adeo magna pietas erratum minuit alienum. Vocatur à Semeio Dauid contumeliosè; ad 2.Reg.cap.16.n.7. *Egredere* (inquit) *vir ſanguinum.* Irritatus dictis aculeatis miles vindictā cogitat cauſa Regis colendi: ſed occurrit Dauid,illud iterans. *Dominus præcepit illi,vt malediceret Dauid.* num.10. Duplex ad iram premendam ratio eſt, & quod pœna à Deo ſit ſecreta, & quòd Semeius malè non in Regem, ſed in hominem dixerit. Regem tacet Dauid, acſi vellet ea via lenire culpam hominis.

19. *Et tradent eum Gentibus,ad illudendū,ad flagellandum,ad crucifigendum.* Minutè de ſua cruce, ac nece Chriſtus agit;quaſi altum inde gaudium concipiat. Sed latè de re loquitur, qui latè gaudet. p.24. ad cap.7. Latè Chriſtus apud Iſaiam exponit,quidquid acerbi paſſurus eſt. cap.50.n.6. Gratum ſibi eſſe docet, quod patitur cauſa humani generis, cum id explicat ſermone continuo.

20. *Tunc acceſſit mater adorans,& petens.* Notat Matthæus occaſionem honoris petendi abſurdam eſſe. *Tunc* ſcilicet, cum Magiſter de ſua cruce diceret,*& filius hominis tradetur.* Abſurdum enim eſt ſub Magiſtro contumeliosè vocato diſcipulum honoris appetentem eſſe. Nulla de Tribubus ordinandis cura eſt ad Apoc.7. num.4.ſic enim textus habet. *Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati.* Deinde maior natu Rubenus ſecundo ponitur loco, nec ſuus reliquis locus eſt; quod Moyſes ordinatim fecit, cum recenſeret gentem vniuerſam in Num. cap. 1. num. 5. Sed agat Iudæus ante Chriſti aduentum de loci primatu,poſt Chriſti necem ac crucem,nec meminerit hac de re Chriſtianus: ait Abulenſis quæſt. 23. *In nouo* (inquit) *teſtamento vetera omnia ceſſauerunt; ideo non curatur de honore, vel ordine.* Senſit quidem Ioannes ineptum eſſe Chriſto in crucem erecto diſcipulum de loco honorario agere, cogitare. Vide p.30.n.5. ad c.5.

Adorans,& petens. Quot ſordibus emit ambitus,vt explendeſcat; & quot ſubmiſſionibus, vt erigatur. in com.c.5.num.8.in com. c.6.n.4.p.7. ad cap.2.

Adorans, & petens. Hominem adorat, quaſi Deum aſſentator honoris appetens. p.2. num.3. ad cap.2. in com. cap.3. num. 33. in com. cap.5. num.107.

21. *Dic, vt ſedeant.* Prope negans diſcipulos Magiſtri dictis obloquuturos. Tanta Apoſtolis in Chriſtum erat obſeruantia, vt quod Magiſter iuberet,diſcipulus caperet,non carperet. p.15. n.4. & 5.ad c.2.p.18 n.3.ad c.5.

Dic,vt ſedeant. De Chriſto, vti de propinquo ſpem mulier altè concipit: quis enim in mandandis honoribus domeſticos non anteponit? p.10.ad cap.2.

Deinde ſpes honoris parandi nata eſt ab obſequio muliebri in Matrem Virginem: quod aduertit Abulenſis q. 6. in Num.cap.29. *Quia fortaſſe illa aliquando adiuuerat Dominam ad nutriendum Chriſtum.* Et vero honores ſibi iuſtos conciliat, qui Dei matrem colit. Vnde Virgo Mater Eccleſiaſt.cap.24.n.23. *Flores* (inquit) *mei,fructus honoris,& honeſtatis.* ſcilicet honeſtatem cum honore coniunctam confert magna Dei Mater. *Pulchrè honeſtas dicitur,quaſi honoris ſtatus.* Ait Guerricus ad ſerm.1.de natiuit.Mar.Virg.

Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Cur non in dextra vterque frater cedat minor, excedat maior. Sed qui velit imperio cedere,

cedere,nullus erit. Ethæc Caietano Commentatio in loco est. *Primas itaque sedes petunt,nec volunt alter sub altero sedere.* Vide p. 3. num.3.ad cap.4.

Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram. Qui valet apud Regem, omnes occludit aditus, ne homnines alij placeant, & valeant. Cur enim *Daniel erat in foribus Regis*?cap. 2.n.49.Cur ad aulæ fores excubat?an, vt Iudex lites soluat populis?Id Vatablus probat: illud addit Lyranus,expressum eo facto aulici cuiusque ingenium; qui fores, & horas omnes obseruat ne quis ad Regem adeat,quo cum gratiam possit inire. *Vt enim teneret Regem in amicitia, non recedebat de latere eius,ac ne inuidi in eius absentia seminarent odium.* Leniter id ego interpretor, occlusisse Danielem calumniantibus aditũ, ne qua Hebræum populum fortuna premeret,occupata Regis amicitia.

22. *Nescitis, quid petatis.* Dura,sed iusta increpatio ferre non potest Deus ambitum gentis humanæ, quæ non merito, sed gratia honores captat.p.2.num.1.ad c.5.in com.cap.2.n.15.p.10. n.2.ad c.2.

Nescitis,quid petatis. Sic Magister,licet accesseris *Mater cum filiis adorans, & petens.* Neque enim bonus Magister adulatur adulantibus; sed quod notandum est,notat, carpit.in com.cap.7. num.69.p.7.num. 3. ad cap. 2. p. 46. num. 2. ad cap.5.

Nescitis,quid petatis. Acsi dicat,,tempus laborandi est,non sedendi,nec desidendi.p.16.ad c.3.

Potestis bibere calicem? Viam Christus aperit, qua parandus honor est. p.37.num.3.ad cap.5.in com. c.7.n.12.

Potestatis bibere calicem? Non qui precantur, sed qui merentur, honores sibi iustos parant. p.2.ad c.5.p. 10.n.4.ad c.5.p.7. ad c.7.p.12.n.5.ad cap.7.

Quem ego bibiturus sum. Ea loquendi forma discipulos Magister allicit ad crucem ferendam: quod notat Chrysostomus Hom.66.*Perspice,qualiter ipso interrogandi modo & hortatur, & allicit.* Tanta in Præfecti cuiusque factis vis inest ad homines piè ducendos.p.4.n.4. ad c.4.p.18.ad c.4. p.13.n.3.ad c.7.p.10. n. 3. ad c.3.p.21.n.3.ad c.6. in com.c.7.n.26.

Quem ego bibiturus sum. Christi cruce mitigantur cruces hominum.p.30.ad c.5.

Dicunt,possumus. Quò se non proiicit ambitus? ait Theophylactus, *ad id, quod volunt spectantes; dicunt, possumus.* Honores petunt, quos vt assequantur,nihil acerbi est,quod non ebibant facilè.Video leones gradatim collocatos ab imo gradu ad sedem summam Salomonis. 3.Reg. c. 10. num.20.

Et duodecim leunculi stantes super gradus hinc,& inde. signata est difficultas ea rerum facie: nam qui sedere Iudex, Princepsque velit,inter leones sedeat,necesse est.Sed nihil ambientibus obsistit, quo minus ascendant,& altè sedeant. Per leones abeunt ad honores.

23. *Non est meum dare vobis.* Vbi rogatus beneficium Christus non erogat,satis discipulis facit, detrahent sibi de potestate potius, quàm de voluntate. Quod notat Ambrosius ad lib. 5.& c.3. de Fide.*Noluit his,quos diligeret,videri, quod peterent denegasse sanctus,& bonus Dominus:qui mallet aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere.* Adeo promptus benefaciendo Christus est. p.34.n.4.ad c.5.

24. *Et audientes decem indignati sunt.* Nemo est qui ferat leuiter ambitum alienum; quasi res indigna fuerit,velle pares homines hominibus imperare.in com.c.2.n.15.

Hac mente Iacobus Pater Iosephum carpit, vbi puer de suo dicit principatu, ad Gen.cap.37. n.10.*Et increpauit eum Pater suus.* Philone Auctore.*Timens,ne quid ille peccaret:nam expectare principatum inter domesticos res abominanda est, me Iudice.* ad lib.de Iosepho.

Et audientes decem indignati sunt. Notat Chrysostomus Hom. 66. Apostolos dolenter indignatos non esse, nisi postquam Magister petitores notauit de ambitu,illud ingerens:*nescitis,quid petatis.* Adeo Magistrum colebant, vt quidquid ille iuberet, & si durum honorarent silentio. p. 15. n.4.ad c.2. p.18. n.3. ad c.5.

25. *Iesus autem vocauit eos ad se.* Discipulos Magister notaturus secludit à turba reliqua,vt pungeret clanculo erratum domesticum: & hoc est officium boni Domini.p.5.ad c.5.

Scitis,quia Principes Gentium dominantur. Cur Magister notat Gentes de ambitu? an quod ambitus Gentilismo sit proximus?Id ego puto.p.7. n.1.ad cap.2.p.2.num. 3. ad cap.2.in com.cap.3. num.33.

Sicut filius hominis non venit. Facto docet Magister notæ humilitatis, ea eundum via esse.Cur enim Dei filium tacet, hominisque filium exprimit?Certè quod pulchrum, ac magnum est,tegit humilitas, teste Hieronymo ad Prouer. cap. 25. *Denique calans Verbi æternitatem, & prætendens carnis infirmitatem, ait; Quem dicunt homines esse filium hominis?* Matth.c.16.num.15.Quæ quidem nomenclatura passim occurrit sacro textu, ad Matth.c.9 n.6. & ratio est ex Hieronymo citato. *Gloria Domini est humanitatis suæ infirmitatem magis,quàm diuinitatis æternitatem hominum oculis ostendere,& se potius operum miraculis, ac mysticis locutionibus, quàm apertis assertionibus verbum,id est,Dei filium fateri. Vnde multo sæpius filium se hominis, quàm Dei filium appellare consueuit.* Addit Chrysostomus Christum, cum Dauidem vti parentem nominaret, Regem nusquam appellasse. Matth.12.num.3.& c.22.n.45.Quasi vellet Christus affectu humilis occultare,vnde genus traheret, & maiestatem Regiam. *Cur cum Dauid mentionem faciat,neque hic,neque alibi regiam dignitatem vnquam nominauit:ideo fortasse,quia ab illo trahebat originem.* Abeant, qui suos honores iusto augustiores iactant.

Feria 6 ad Domin. II.

Ex Matth.c.21.

N.33. *Homo erat Pater familias.* Qui modò Pater est;n. 42. Princeps vocatur,ac rerum Dominus. *A Domino* (inquit)*factum est illud.* Quare agat Princeps hominem comiter, non Deum arroganter,necesse est.p.7.n.1.ad c.1.p.40. ad c.7.in com.c.5.n.15.

Pater familias. Bonus Princeps æquè bonus est Pater hominum.in com.c. 2.n.42.& 44.p.39. num.4.ad cap. 6.p.16. ad cap. 4.p.39. num. 2.ad c.7.

Homo erat Pater familias. Cur non appellatur Dominus familiæ?cur suam non auget auctoritatem ea,& grandi nomenclatura?sed auctoritatem

tem humanitate, ac ciuilitate non minuit Dominus.p.40.& p.41.n.7.ad c.7.

Homo erat Pater familias. Semel textus inducit maiestatem Domini; quod patet ex num. 42. semel;& iterum apponit & comitatem hominis, & humanitatem Patris; nam lenitate magis, quàm seueritate administrandum est regnum, vt possit stare.p.37.n.7.ad c.7. p.14. ad c.1.in com. cap.2.n.21. p.10.n.3.ad c.2.

Qui plantauit vineam. Agris,ac vinetis colendis consulit bonus Princeps,ne rapto viuat.p.18. n.1.ad c.2.p.9.n.1.ad c.2.

Et locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cum abit aliò, docet herus fidere se domesticis; & quidem seruum reddit malum,qui diffidit, herus improbus.in com.c. 5.n.34.Nonne Princeps ille,qui suam seruis pecuniam credidisse dictus est, admonens interim: *negotiamini dum venio.* Luc.19.num.13.vocauit domesticos, *peregrè proficiscens?* Id Matthæus tradit c.25. num.13. Egit Princeps, vt pateret se de seruis benè opinari; vnde necesse non erat herum lucris parandis interesse.

Et peregrè profectus est. Cur peregrinatur Dominus?an vt ostendant, quo in herum affectu sunt domestici? Ait id Hugo. *Nam seruus fidelis Domino absente probatur.*p. 10.ad c.6.p.17.n.6. ad c.7.p.15.n.7.ad c.4.

34. *Misit seruos suos ad agricolas.* Verè Deus officij exactor est; quod quisque debet, memor est, vt colligat. Redit Princeps ille de longinquo,*& ponit rationem cum seruis suis*,Matth.c.25. n.19. vt quod quisque parasset mota pecunia benè constaret, herus cogeret. Vnde Hildebertus Epist.15. excitatur, vt Reginam moneat de cura virtutum. *Proinde timendum est, ne ad iudicem venias, sine venia, si negotiandi negligentiam obliuione fore impunitam somniaueris.*

Cùm autem tempus fructuum appropinquasset. Et quod nam hoc tempus est?Lucas benè. *Multis* (inquit)*temporibus.*c.20.n.9. Proindeque Princeps opportunè fructus quærit, dato ad vineam colendam temporum spatio. *Ne præpropera videretur exactio*, ait Ambrosius lib. 9. Neque enim Deus in iubendo morosus est;nec extorquet, sed elicit obsequium. p.7.ad cap.2.

Misit seruos suos,vt acciperent fructus eius. Videri potuit cura Deo absurda,vt exigeret, quid quisque deberet;ac proinde *misit seruos suos.* Magni enim viri est dare potius, quàm accipere. p.16.n.1.ad cap.4.

Misit seruos suos,vt acciperent. Non vnum, sed multos mittit seruos, qui manu quasi militari pensionem exigant. Tenax adeo alieni homo est, vt nisi cogatur, non soluat. p. 17. num. 3. ad cap.2.Lego Zachæum soluendo facilem,cum dixit Luc. 19. num. 8. *si quid aliquem defraudaui,reddo quadruplum.*Sed totus in soluendo homo est,postquam Deum excepit hospitio. Quasi oportuerit iuuari hominem Dei aspectu,& manu,vt quod rapuit,tandem soluat.

35. *Alium ceciderunt, alium occiderunt.* Mala, & sæua bellua est rerum cupiditas. Reponit Christus, quæ ab hominis sinu intimo proueniunt. Ad Mar. cap. 7. num. 21. & multa post mala: *Homicidia* (inquit) *& furta.* Homicidium iuxta, ac furtum Magister collocat, eo quod ab appetitu alieni persæpe nata est carnificina hominum. Lego minas graues à Na-

Velos. in Iudith.

humo vate aduersus Niniuen cap. 3. num. 1. *Væ ciuitas sanguinum! non recedet à te rapina.* Vtrumque scelus in Niniue notat vates,& quod alieni appetens manu raperet, & quod in prædis agendis cædes faceret. Neque enim furtum secreuit ab homicidio. quod Rupertus notat,lib.3.in Nahum. *Non recedet à te rapina;id est, non remittetur tibi rapacitatis culpa, quæ tibi malorum omnium radix fuit, & causa homicidarum; propter quæ ciuitas sanguinum vocaberis.* Hoc alieni appetitu cædem hominum patrarunt vinitores.

36. *Iterum misit alios seruos,& fecerunt illis similiter.* A peccato ad peccatum via est facilis. nam à cæde, iam patrata iterum ad cædes prouolant homines. in com.c.4.n.6.

37. *Nouissimè,misit ad eos filium suum.* Læsus ab agricolis Dominus adhuc ingratos iuuat homines,misso in salutem humanam filio.p.41.n.2. ad c.7.in com.c.5.n.82.

Misit ad eos filium suum. Verè Deus iniuriarum memor non est, qui suffert, nec punit reos scelerum.p.12.n.5. ad c.2. in com. cap. 4.n.39.

Misit ad eos filium suum. Constat iussum abiisse filium vtpote quem viles homines occiderunt. Quare laudo ego tanti Patris filium nobilem, rerumque tantarum hæredem proximum; quippe qui non grauatur obire officium proximè factum à turba domestica. Sed non curat hasce ineptias casta humilitas. Curat Ionas; qui quidem missus à Deo, vt Niniuen moneret de pœnitentia scelerum, fugit procul, officiumque refugit.cap.1.num.3.*surrexit Ionas,vt fugeret.* Hieronymus in loco, *Videns Ionas cum prophetas suos mitti ad oues perditas Israel,vt ad pœnitentiam populum prouocaret, dolet se solum electum, qui mittetur ad Assyrios, & ad ciuitatem hostium maximam.* Sed filius castæ humilitatis non curat hasce nugas vanæ gloriolæ. Deinde prouinciam accipit difficilem, malisque obsessam plurimis: quod est virtutis maximæ; obsequium scilicet in re difficili. p.15.ad c.1.

38. *Venite occidamus eum.* Facilè ad peccandum conueniunt peruicaces homines. p.6.num. 3. ad cap.6.in com. cap.7. num.8. p.4.n. 1.& 2. ad c.7.

Venite,occidamus eum. Cur sese mutuo adhortantur,& vrgent ad peccandum vinitores, nisi vt pudorem peccandi soluat turba peccantium?p.4. n.5.ad c.5.p.4.n.4.ad c.6.

Occidamus eum,& habebimus hæreditatem eius. Inepta omnino cogitatio. Nam filio interfecto, adhuc Pater superest, qui suam sibi villam manu vendicabit. Sed appetentes rerum homines malè cæcutiunt.

Græcè diuitiarum Deus est, & cæcus fingitur, ait Clemens Alexand.2. Pædag. cap.1. *Quod ad gulæ insaniam cæcutiunt copiæ.* Adeo cæca est rerum cupiditas.

39. *Eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Cur non in vinea? an aspectus locatæ ab hero vineæ cædem morabatur?aio:Quis enim memor beneficij ausit maleficium?p.32. n.5. ad c.5. p.13.n.3. ad cap.3.

Et occiderunt eum. A seruorum nece ad filij necem excessere pertinaces homines. Vnde metus est, ne sua sibi patientia Deus nocuerit. p.43.n.1.ad c.7.

Et occiderunt eum, cum se impunè peccasse nossent homines, fiunt ad peccandum audaciores

impunitate. p. 46. ad cap. 5. p. 17. num. 2. ad cap. 1.

40. *Quid faciet agricolis illis?* Nulla in ingratum hominem pœna satis est ; inde Christus mouet dubium. Pulchrè Seneca notat actionem de ingrato non esse apud Romanos Iudices. *Hoc* (inquit) *frequentissimum vitium nusquam punitur, vbique impugnatur: sed cum difficilis esset incertæ rei æstimatio, tantùm odio damnauimus, & inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos mittimus.*

Quid faciet agricolis illis? Adhuc cunctatur Iudex, nec de peccantibus pœnas sumit, tardus ad puniendum Pater. in com. cap. 4. n. 39. p. 3. n. 4. ad cap. 5.

41. *Malos malè perdet.* Rectè monet consultores, quandoquidem peccantes iam tertio homines grauius puniri necesse erat. p. 43. n. 2. ad c. 7. p. 20. n. 4. ad c. 5. p. 28. n. 1. ad c. 5. p. 42. n. 3. ad c. 5. p. 36. n. 5. ad c. 7. p. 38. n. 1. ad cap. 7.

43. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Censuram à Iudæo latam probat Magister : iusta enim pœna est, quæ serò datur. p. 3. n. 7. ad c. 5. p. 29. n. 4. ad cap. 7.

Auferetur à vobis regnum Dei. Grande malum! sed quod à læsa patientia malum est, grande est supplicium. in com. c. 5. n. 52. p. 43. n. 2. ad c. 7.

Auferetur à vobis regnum Dei. Adhuc regnum Iudex non auferr. Cur tardo ad puniendum gradu Christus venit? certè vt peccantibus locum faciat pœnitentiæ. p. 42. n. 4. ad c. 5. p. 28. n. 1. ad c. 5.

Et dabitur genti facienti fructus eius. Minatur Magister Dei regnum Iudæo ereptum Gentibus datum iri : sic torqueri Iudæum voluit felicitate aliena. Nullum enim tormentum inuidia grauius. p. 23. num. 2. & 4. ad c. 5. in com. cap. 5. n. 51. p. 10. n. 2. ad c. 1.

Dominica III.

Ex Luc. cap. 11.

N. 14. *Et illud erat mutum.* A vi malefica suum sibi nomen facit Diabolus, p. 12. n. 3. ad cap. 3. p. 7. n. 2. ad c. 4. p. 3. n. 2. ad c. 7.

15. *Quidam autem dixerunt; in Beelzebub eiicit dæmonia.* Inepta omnino existimatio : an Diabolus premat Diabolum ? sed inuidia in decretis cæca est. p. 1. n. 6. d. 1. p. 24. n. 3. ad c. 5. p. 3. n. 5. ad cap. 7.

16. *Alij tentantes signum quærebant de cælo.* Malignitas varia vno aduersus Christum affectu conuenit. in com. c. 7. n. 8. p. 4 ad c. 7. p. 6. n. 3. ad cap. 6. sic Pharisæus cum Sadducæo conuenit, vt Christum circumueniant, teste Hieronymo ad Matth. cap. 22. num. 16. & 23. *sed ad Iesum tentandum pari mente consentiunt* : quanuis secta dissentiant.

17. *Vt vidit cogitationes eorum, dixit.* Nec affectus calumnia, doctrinam Magister supprimit, p. 7. n. 3. ad c. 2. p. 7. n. 3. & 4. ad c. 6.

Omne regnum in se diuisum desolabitur. Sermonem texit Christus luculenter, quo suam tuetur causam ; vt ratione vincat, non contentione. in com. c. 4. n. 43. p. 20. n. 3. ad c. 4. p. 49. ad c. 5. in com. c. 5. n. 32.

20. *Si in digito Dei eiicio dæmonia?* Erubescite Christiane, si iaces malè victus à Diabolo, qui vno pellitur digitulo. p. 19. n. 2. ad c. 1. p. 7. n. 1. ad cap. 4.

21. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum.* An Diabolum natura nobilem exprimit domus atrio palatina? aio, sed qui à Deo exerrant nobiles, durant in erratis pertinaces. in com. c. 1. n. 20. p. 6. n. 1. ad c. 3. p. 10. n. 3. ad c. 5. p. 3. ad c. 6. in com. c. 3. num. 33.

26. *Assumit septem spiritus nequiores se.* Vnum hoc malo Diabolo bonum est, quòd Princeps Dæmonum minus sit malus. vnde vis Præfecto hominum magna inest ad rectè viuendum. in com. c. 1. n. 21. p. 10. n. 2. ad c. 1. p. 4. n. 2. ad c. 3. p. 10. n. 2. ad c. 3.

Assumit septem spiritus nequiores se. An præfecto malo peior euadit populus ? Id textus probat. p. 10. n. 4. & 5. ad c. 3. p. 6. n. 4. ad c. 6.

Feria 4. ad 3. Domin.

Ex Matth. c. 15.

N. 2. *Quare discipuli tui transgrediuntur?* Multa Pharisæo cura erat de scitis negligentia: quod opponit Christus n. 3. *Quare & vos transgredimini?* Sed placet nouitas sanctionum hominibus improbis. Vnde Thimotheus à Paulo Magistro didicit antiquitatem venerari; *deuitans profanas vocum nouitates.* 1. ad Timoth. cap. 6. n. 20. Ne qua sub noua doctrina grassaretur hæresis. Placet Diabolo nouitas : quod Hugo probat ad Gen. c. 3. n. 1. *Cur præcepit vobis Deus?* Notat enim Hugo Deum à Diabolo priusquam ab Angelo Nazarænum esse denominatum. Mar. cap. 1. num. 24. Cur id? monet Hugo: *quia nouitas multum placet Diabolo.* Non tamen Christo placet; quare totus est magister in negando se nouitatis magistrum esse. Matth. c. 5. n. 17. *Non veni soluere legem.* Quasi timeret famam nouatoris. *Vide quàm sit metuenda nouitatis suspicio*, ait Antistes Clarius. Sed Pharisæo noua seniorum scita placent.

Quare discipuli tui transgrediuntur? Pharisæus religionis celebratæ facilè notat vitam alienam; eo trahit curiositas improba. p. 7. ad c. 5. in com. cap. 5. n. 16. p. 30. n. 5. ad c. 7.

Quare discipuli tui? Magistrum Pharisæus notat in discipulis: quasi scholam malè instituerit. quæ quidem indigna Magistro Deo nota est. p. 45. n. 1. & 2. ad c. 5.

Quare discipuli tui? Ad hæc Magister n. 3. *Quare & vos?* Minima quæque notant in aliis, qui vitiis scatent non minimis. scio scholam Christi vniuersam de primatu cogitasse Mar. cap. 9. num. 33. *siquidem inter se disputauerant, quis eorum esset maior* ? Vbi verò Iacobus, & Ioannes hac de re agunt apud Magistrum cap. 10. num. 37. mirum est quàm excanduerint alij, num. 41. *& audientes decem indignati sunt.* More hominum, qui in aliis sua carpunt vitia, quibus indulgent maximè. Hæc de Augusto Aurelius. p. 12. n. 3. ad c. 1 p. 42. num. 3. ad c. 5.

Quare discipuli tui ? Qui Magistri metu prius adierant discipulos. c. 9. num. 11. *Quare cum publicanis manducat Magister vester* ? modò audaces Magistrum petunt. scilicet, qui peccat semel, parat sibi audaciam peccandi. in com. c. 4. n. 6. p. 20. n. 4. ad c. 5. p. 6. n. 3. ad c. 6.

Quare discipuli tui ? Apostolos carpit schola Pharisaica ; vt quidquid peccet, zeli typo tegat. p. 12. n. 1. ad c. 1. p. 18. n. 2. ad c. 7.

Quare discipuli tui? Magistrum Pharisæus tectè culpat; quasi velit discipulum à Magistri congressu malos hausisse mores. p. 12. n. 2. ad cap. 5. p. 16. n. 3. ad cap. 5. p. 29. n. 1. ad cap. 5. p. 13. n. 1. ad cap. 6.

Non enim lauant manus. Totus erat Pharisæus in cura extera: sed affectum in sacris poscit Deus. in com. cap. 3. n. 36. p. 19. n. 1. ad cap. 6.

3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei?* Non potest Christus ferre, vt vitiis turpes homines aliena carpant vitia. p. 46. num. 6. ad cap. 5. p. 12. ad cap. 1.

Quare & vos? Excandescit Christus grauiter in susurrones, qui sub zeli typo famam carpunt alienam. p. 5. n. 6. ad cap. 5. in com. cap. 6. num. 23. in com. cap. 7. n. 11.

5. *Vos dicitis: Munus quodcumque est ex me.* Auaritiam Pharisæus tegit religione affectata: sic honestis nominibus homines sua, & fœda concinnant vitia. in com. cap. 1. n. 34. p. 19. ad cap. 1. in com. cap. 4. n. 3. p. 4. n. 4. ad cap. 7. p. 21. n. 2. ad c. 5. p. 23. n. 2. ad cap. 4.

7. *Bene prophetauit de vobis Isaias.* Quod mordet, à vate dictum probat; ne affectu dicatur increpare. Hausit à Christo Paulus, vt è sacris literis increpationes scelerum educeret, ad Rom. cap. 11. num. 8. illud ingerens. *Sicut scriptum est.* Deinde aggerit num. 9. & *Dauid dicit.* Vnde Chrysostomus, *Vide* (inquit) *Pauli prudentiam: accusationem quidem à Prophetis sumptam induxit: ne videretur Iudæos ex se ipso reprehendere, grauique sermone taxare hostiliter.* Vide p. 42. n. 5. ad c. 7.

9. *Docentes doctrinas, & mandata hominum.* Frustra Deum colunt, qui Deiscitis opponunt scita hominum: & hæc est genuina loci commentatio. In hanc partem facit D. Thomas, & Paulum trahit, ad Colossens. c. 2. n. 22. *Secundùm præcepta, & doctrinas hominum.* Facit D. Hieronymus ad Tit. cap. 1. n. 14. vbi Paulus dehortatur homines ab Iudaicis traditionibus, & interpretationibus. *Non intendentes fabulis Iudaicis, & mandatis hominum.* Vide Theodoretum vtroque loco. Addo notari homines, qui sanctiones de suo nouant cerebro, *docentes doctrinas, & mandata hominum*: animosque hominum obturpant copia legum nouitiarum, cum legum breuiarium disci, ac seruari facilius soleat. Qua de re comitem admonet Hildebertus Epist. 25. Magnus verò Basilius hominem qualemcumque Hom. 3. Notat Cyprianus legum veterum sanctiones multiplices breui claudi compendio, apud Matthæum c. 22. n. 40. vbi Christus: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet.* Quod iam Magister prodixerat ad cap. 7. n. 12. *Quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc enim est lex.* Nec Isaias id non promiserat cap. 10. num. 23. Quod Paulus ita vertit ad Rom. c 9. n. 28. *Verbum abbreuiatum faciet Dominus exercituum.* Et quare Deus legum suarum fecit compendium? Cyprianus optimè, ad ser. de Orat. Domin. *Vt in disciplina cœlesti discentium memoria non laboraret.* Nec aliter Zeno Martyr ser. 1. ad Deut.

10. *Et conuocatis ad se turbis dixit.* Auditorium Magister à vana seniorum schola trahit ad sanam legum scholam. Magistro enim hæret discipulus, dum audit. Vide p. 20. n. 4 ad c. 4. p. 13. n. 1. ad c. 5.

Deinde auditores à Pharisæo abducit Christus, *conuocatis ad se turbis.* Eo quod Magistri mali vita discipulo malo vitæ doctrina est. p. 3. n. 2. *Veloſ. in Iudith.* ad cap. 1. p. 42. n. 6. ad cap. 5. p. 6. n. 4. ad cap. 6. p. 13. n. 4. ad cap. 1.

11. *Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Miror ego Christum in linguam reiecisse, quidquid turpat mores hominum: quandoquidem paucis post verbis recenset. *Homicidia, adulteria, furta.* n. 19. An ad hæc proximè lingua lenocinatur? aio. Nam cædem lingua facit, cum minatur; adulterium admittit, cum blanditur; furtum perpetrat, cum parat socios. Mala igitur bestia, lingua mala est. p. 30. ad cap. 7.

12. *Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt.* Pharisæo Christum propitiat læsus contumeliosè Apostolus, nec talionem cogitat. p. 2. num. 4. d. 5. p. 3. num. 4. ad cap. 5. *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?* De affectu est boni discipuli auditores Magistro quàm multos cogere; p. 18. ad cap. 6. p. 17. num. 3. ad cap. 6.

14. *Sinite illos, cæci sunt.* Non irascitur Magister in discipulos admonitores; nec admonitionem interpretatur contumeliam: vt Præfectus hominum facilè accipiat consiliarios. p. 3. n. 4. ad cap. 2. in com. cap. 6. n. 6. in com. cap. 4. n. 12.

15. *Edissere nobis parabolam istam.* Tanta Petro cura est de Theologia mystica: & quidem sapiens malo perit otio. Vide p. 16. num. 5. ad cap. 3. p. 19. num. 1. ad cap. 5. p. 14. num. 5. ad cap. 7. Hinc illa est felicitas, quæ sapientem beat hominem. Ecclesiastici cap. 14. num. 22. *Beatus vir, qui in sapientia morabitur.* Quis enim benè, ac beatè viuat sapiens, si non discat labore assiduo? Scitè Guerricus ad sermon. 1. de S. Benedicto. *Prorsùs hæc est beatitudo, hæc sapientia; si moreris in sapientia, & perseueranter eam teneas. Non enim statim qui inuenerit, sed qui tenuerit, beatus.* Sic laborandum in virtutum via est.

16. *Adhuc & vos sine intellectu estis.* Petrum Magister bone pungis, quòd non intelligat sermonem mysticum? sed culpa est non proficere hominem in Dei schola. in com. cap. 7. n. 47.

Adhuc & vos sine intellectu estis. Quanuis Magistri, & sciendi amans schola; quod patet ex rogatu Petri; non adulatur Magister, sed quæ oportet morderi, mordet. p. 3. n. 3. ad c. 2. p. 46. n. 2. ad c. 5.

Feria 6. ad 3. Domin.

Ex Ioann. cap. 4.

N. 6. ¶ *Esus ergo fatigatus ex itinere.* Non sine labore, ac sudore Deus quærit homines: quò maior eluceſcat Dei affectus de salute humani generis. p. 18. n. 2. ad cap. 4. p. 17. n. 3. ad cap. 5.

Deinde laborat Deus, ac sudat pro hominibus, vt caueat studiosè partam suo labore salutem hominum. p. 7. ad cap. 7. p. 8. num. 1. ad cap. 7. in com. cap. 7. num. 20.

Fatigatus ex itinere, sedebat sic. Docet Ioannes cur Magister sederit: & probat sessionem à labore, & sudore iustam esse: parari benè quietem aliquantulam defatigatione continua ad merum meridiem *Hora erat quasi sexta*: quod notat Cyrillus Alex. lib. 2. c. 79. Vide p. 15. n. 2. ad c. 3.

Fatigatus ex itinere sedebat sic. Ostendit Christus laborem prudenter intermittendum esse, vt quis possit laborare. p. 17. n. 5. ad c. 1. p. 15. ad c. 3. p. 16. n. 1. ad cap. 3. *Hora erat quasi sexta.* Scrupulosè horam Ioannes signat. Quod Cyrillus notat.

Vt & nos discamus vel in minimis veritatis curam non paruam habere. lib.2.c.79. Vide p.1.n.2.d.1.

7. *Venit mulier de Samaria.* Et quænam hæc est mulier? Fortasse nomen Ioannes tacet, ne famam premat, cum peccatricem exprimat. p. 5. ad cap. 5.

Dicit Iesus: Da mihi bibere. Cum muliercula Christus loquitur, facto docens posse virum bonum cum fœmina religiosè agere. quod notat Cyrillus Alex. lib.2.cap.97. *Non enim, vt nonnulli, simulatione sanctitatis c llocutiones cum mulieribus euitabat: sed misericordiam præstabat omnibus.* Fœminas secum Petrus ferebat; quod Paulus non damnat. 1. ad Corinth. cap.9. num.5. *Nunquid non habemus potestatem circumducendi mulierem sororem: sicut & cæteri Apostoli, & Cephas?* Cur id Petrus? nónne malam traheret notam apud Gentes? Sed pios mulierum affectus Magister voluit alere. Vide Prolog.n.9.

Da mihi bibere. Suam Christus sitim ostentat, vt occasionem amplectatur mulier salutis procurandæ. Sic Moyses à Deo instructus ducem in via socerum voluit, vt viam socero aperiret salutis intimæ. Num. cap.10. n.31. *Tu eris ductor uoster.* Prætendit Moyses necessitatem sibi grauem imminere, quo socerum facilè alliciat; & occasionem sumat inde veritatis explicandæ. Quod habet Magnus Gregor. 3. p. curæ pastor. cap.18. Rupertus lib.1. in Num. cap. 28. Sic & virgo sapiens, quæ iam volauerat in Dei amplexum: *Osculetur me.* Cant. 1. n.1. Currendum sibi esse docet num. 3. *Trahe me post te, curremus.* An quæ anhelat ad regni apices, & Regem sibi virum optat, cursu contendat? Absurda omnino cogitatio videri potuit. Currat adolescentula, currat ancillula: Regina verò sic incedat, vt vera incessu Dea pareat. Sed accommodat sese virgo sapiens ad cursum adolescentularum, ne pereant à via iusta. Quod probat Origenes Hom. 1. in Cant. Currit igitur virgo Princeps: *Siue quod ipsa cursu indigeat adhuc, & profectu; siue quod ipsa perfecta sit; pro his verò adolescentulis, quæ adhuc cursu indigent, ac profectu, etiam ipsa se currere fateatur.* Tantus de salute aliena affectus est bonæ virginis, vt quod adolescentulis deest, id sibi deesse prætendat. Quod in Paulo commendat Origenes. *Sicut & ille, qui cum sit in Christi lege, his tamen, qui sine lege sunt, fit & ipse sine lege, vt eos saluet, qui sine lege sunt.* 1. ad Corinth. c.9.n.20.

9. *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Vrget mulier, *neque tacet* (ait Chrysostomus,) *sed quod esset contra legem corrigit.* Acerba in alienas papulas, benigna est suas in vomicas meretrix. Sed hæc zeli species de humano genio est, vt vitiis notabiles homines facilè notent, & carpant nævos alienos. Præfectus ille, qui sub heri itum genio indulgere visus est, *edere, bibere, & inebriari.* Luc.12.n.45. Si quid peccarent domestici, ardere, furere, debacchari ait Lucas. *Percutere seruos, & ancillas.* Benignus adeo sui Iudex homo est, censórque rigidus alienæ licentiæ. Qua de re vide p.12.n.3. ad cap. 1.

Quomodo tu Iudæus cum sis. Christum vti Iudæum è vulgo hominem peccare censet mulier. Sed quamuis errauerit cogitatu, rectum ab errato illud est; quod à commercio temperet, occasionem peccandi resecans, ait Chrysostomus Homil. 30. *Abstinet mulier à commercio, ne peccet; cum alterum sua causa peccaturum arbitratur.* Vellem ego mulieres, homines, pueros flagrare hoc affectu occasionis rescindendæ. Vide p.1.num.5. ad cap.6. in prolog.n 11.& 12.

10. *Si scires donum Dei.* Christus in hac causa rhetor est optimus; quippe qui ab aqua ad gratiam procedit. Vnde Rupertus lib.4. in Ioan. *Pulchrè diuina sapientia dignatur humanæ facundiæ nunc vti elegantia.* Et quidem Magister morum dicat ornatè, necesse est, si velit persuadere dictione. p.27. ad cap.7. in com. cap.4.n.43.

Et dedisset tibi aquam viuam. A rebus leuiusculis occasionem meditandi altè rimatur homo piè affectus. p.4. num.2. ad cap.3. p.9. num.6. ad cap.3.

11. *Domine, neque in quo haurias, habes.*

15. *Domine, da mihi hanc aquam.* Adulatur ne mulier, cum Iudæum appellat Dominum? Aio: nata enim ab spe donatiui adulatio. Promittit Christus, sperat mulier; cur non aduletur? in com.cap.6. num.14. p.7. ad cap.2. p.9. ad cap.6. *Domine, Domine aperi nobis,* aiunt Virgines verè imprudentes. Matth. cap. 25. num. 11. Si clausa firmiter ianua est, num. 10. quo merito aditum precantur appellatione scilicet adulatoria; *Domine, Domine.* Abulens. q.71. *Per hoc persuadere volunt, vt aperiat.* Et quidem adulatio molles plerumque reddit aditus.

16. *Vade, voca virum tuum.* An vt mulier, iubente marito donatiuum caperet? Satis Magister insinuat vxorem castam, nisi maritus annuat, manum à munusculis cogendis trahere. Quod notat Chrysostomus Homil. 30. Nónne perit Heua, cum pomum ab Diabolo non datum, sed commendatum capit, Adamo absente?

Voca virum tuum. Cur id? Cyrillus Alex. lib. 2. cap. 37. *Probè dici potest fœmineam esse fœminarum mentem: & hac de causa virum vocare suum mulier iubetur.* Quasi mulier non caperet facilè doctrinam veri. in prolog.n.7.

Non habeo virum. Miratur in loco Rupertus, qua arte Christus expresserit à muliercula confessionem scelerum. Non ita Magister vrget. Age mulier pœnitentiam; & fatere, quid peccaueris. *Sed vsa est arte sua nostræ salutis opifex Dei misericordia; quo nec illam molesta verecundia pulsaret; & tamen necessariam saluti eius peccatorum confessionem eliceret.* Nec Iudam nisi rectè Christus pungit, vt honore saluo peccator dolens, ac latens confessionem peragat. Sic Magister: *Vnus ex vobis tradet me.* Ad Marc. c. 14. n.18. vbi Chrysostomus *Vide, quo modo illi indulget; non enim dixit, ille, sed vnus ex vobis; vt occasionem pœnitentiæ meliorem latenti daret.* Hom.82.in Matth. Vide p.33.n.2.ad cap.7.

17. *Benè dixisti; quinque enim viros habuisti; hoc verè dixisti.* Acerum Christus fauo miscet, & increpationem simplicem laude mitigat duplici Præfectus morum optimus. p.15. ad c.1. in com. c.1.n.28. in com.c.4.n.24.in com.cap.7. num.63. p.37.n.7.ad cap.7.

18. *Benè dixisti, hoc verè dixisti.* Magna à Deo laus est fœminam veri amantem esse: quod à Christo probatur semel, & iterum. Nam mendacium ab Heua natum, ait Ambrosius ad cap.12.de paradis. Vide p.11.n.4.ad cap.5.

Deinde laudat Christus mulierculam de vulgo humilem, veri amatricem esse, cum mentiri viliores soleant. p.1.n.6.d.1. p.11.n.2.ad cap.5.

Domine,

19. *Domine,vt video,Propheta es tu.* Non video, vnde vis argumento sit. Potuit Iudæus videre, potuit audire quod publicè factum erat:nec Dei Vatem ageret. Sed qui bonum laudat,& malum notat,vtrumque suo ex merito;verè Dei Propheta est Nam assentator malum probat. in com.c.2. n.6.p.2.ad cap.2.p.7.ad cap.2.

Domine,vt video. Reuerenter se habet mulier, verique patiens audit, quæ pungunt monita, salutem anhelans vltimam; nec talionem cogitat. p.1. n.1.d.3. in com.cap.6.num.6. p. 2. n. 4. d. 5. p.9.n.1.ad cap.1.

20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt; & vos dicitis.* Laudo in muliercula curam religionis addiscendæ, occasione oblata. p. 1. num. 3. d.2. p.17.n.3.ad cap.4.

Et vos dicitis. Facto vrget mulier,vt nemo suo fidat cerebro, cum negotium de salute intima dubium est. p.3.n.5.ad cap.2.p.10. n.3. ad cap.2.

21. *Mulier, crede mihi.* Quanta Deo charitas! qui mulierculam docet cura lenta. Sed bonus morum Magister viliotibus æquè, ac nobilioribus debitor est. p. 2. d. 2. Agaram conuenit Angelus à Deo missus. Genes. cap. 16. num. 9. *Dixitque Angelus Domini.* Deinde ancillam monet de puero, quem gerit vtero, ac de fortuna domestica num. 10. *Multiplicans multiplicabo semen tuum.* Hæc Angelus ad Agaram: quid verò ad Abramum herum? Genes. 22. n. 15. Nonne *vocauit Angelus Domini Abraham, dicens*, n. 17. *Multiplicabo semen tuum.* Herum igitur,& seruam docet pari cura Deus; nec grauatur admonere mulierculam notæ seruitutis. Benè Chrysostomus Hom.38.in Gen. *Considera*(inquit)*misericordiam Domini: quomodo nullum despicit hominem; etsi ille seruus, & ancilla.*

27. *Et mirabantur quod cum muliere loqueretur:* Hæc Christo erat moderatio; vt ne sermonem quidem cum fœmina misceret:& ita de familiaritate vitanda moneret homines.p.13.n.2.ad c.1. p.12.n.2.ad cap.5.

Nemo tamen dixit, quid quæris. Nouerat discipulus colendum esse Dominum veneratione maxima:quod habes in com.cap.2.n.43.in com. cap.5. n.25. Ac proinde Magistri factum honotant silentio. *Tanquam Magistro,ac Domino reuerentiam exhibentes tacuerunt*,ait Rupertus lib.4. in Ioan. Addo notatum à Ruperto Iudam, quippe qui Magistrum reuerenter non vocasset. Aiunt alij: *nunquid ego sum Domine?* Matth.cap.26.n.22. Benè, pulchrè ait Rupertus. *Nam, si ritè recolis, eorum appellatio, qui cum dilectione appellauerunt; talis erat,vt dicerent, Domine.* lib. 7. in Matth. Quid verò Iudas?n.25. *Ille,vt erat cordis amari,& perfidi,diceret;nunquid ego sum Rabbi?* Id est Magister.Qui non amat Iudas facile abstinet ab honoraria Magistri nomenclatura.Vide com.c.5.n.25.

28. *Reliquit hydriam suam mulier.* An sui oblita mulier de suis rebus non curat? sed piè commota de fortuna domestica minus cogitat. *Superior iam huius sæculi curis*,ait Cyrillus Alex.lib.2.c.99. *sitim suam, præ gaudio aquæ viuæ, quam inuenerat, oblita est.* Vide p.24.n.1.

Reliquit hydriam suam mulier,& abiit in ciuitatem. Quæ in vrbem cursu tendit mulier, *reliquit hydriam suam,vt expeditior curreret*, ait Rupertus loco cit.Onerat scilicet cura humanarum rerum, & cursum moratur vitæ sanctæ.p.6. n.2. ad c.7.

Abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus. Christum mulier annuntiat, nec suo contenta bono est. *Charitas igne accensa bonum,quod habet, cæteris studet cursu præbere*,ait Cyr.Alex.lib.2.c.99. Vide p.18.ad cap.6.p.17.n.3.ad cap.6.

32. *Ego cibum habeo manducare.* Miror ego famescentem Deum sine cibo recreatum esse. Sed famem à Deo pepulerat Samaritana mulier fide concepta,& salute parata: quod sentit Hieronymus Epist.4. ad Rusticum Monach. *Et Apostolis ementibus cibum, esurientem reficit, lassumque sustentat.* Tanta Christo voluptas est de salute vnius animulæ.p.18 n.5.ad cap.6.p.38.num.4.ad cap.5.p.35.n.8.ad cap.7.

38. *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis.* De Iudæis piè colendis sermo est.Illud in dubio, Apostolos scilicet minus laborasse, quam Vates sacros in populo admonendo,cum per Cruces,ac neces rem peregerint. Sed tanta est voluptas messis faciendæ, vt laborem minuat. *Horrorem operis fructus excusat.* Ait Tertullianus causa, non mente alia,ad Scorpia.cap.5. Vide p.4.n.4.ad c.1.

40. *Et mansit ibi duos dies.* Inuitatus fide, & affectu gentis Samariticæ biduum inibi magister conficit; causá laborandi, non interquiescendi. Quid Magister optimè? Legem à te latam non seruas?& vbi mandatum illud est?Matth.cap.10. num.5. *In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Mitto reliqua. Volunt alij, Auctore Maldonato, Christum id fecisse rogatum, *vt recusare humanitatis officium honestè non posset.* Quod verò Samarites rogauerit;patet:scilicet debetur iustis precibus quidquid petitur.p.24.num.4.ad cap.5.p.10. n.4.ad cap.7.

Dominica IV.

Ex Ioann cap 6.

N.2. *ET sequebatur eum multitudo magna.* Deum sequi,felicitas maxima.in com. c.5.n.39.

Videbant signa super his, qui infirmabantur. Ad bonum Deum trahit mala fortuna.in com.cap.4. n.9.p.12.n.1.ad c.4.p.21.n.1.& 4.ad c.5.

3. *Subit ergo Iesus in montem.* Modò adest,modò Christus abest; vt fortuna varia mores instituat hominum.in com.c.5.n.72.p.20.n.2.ad cap.6.

4. *Erat autem dies festus.* Festiua Deo est occasio benefaciendi.p.3.n.4.ad cap.5. in com.cap.5. n.44.p.3.n.4 ad cap.3.

5. *Cum subleuasset Iesus oculos, & vidisset.* Oculus verè artifex miserendi. in com. cap.2.n.24. in com.cap.6. n.25. in com.cap.4 n.49.

Cum subleuasset Iesus oculos. Inibi D.Antonius. *Quos forte ex honestate habebat declinatos in terram.*

Dixit ad Philippum. D. Anton. in loco addit. *Quia erat de illa prouincia,magis pertinebat ad eum prouisio. Quia naturale est, quod quilibet suum conterraneum diligat.* p.19.ad cap.2

Dixit ad Philippum: ipse enim sciebat quid esset. facturus. Consilium à ministro exigit Princeps verè sapiens. in com.cap.2.n.8.in com.c.4.n.12. p.3.ad cap.2.

Cur Iudam Christus non interrogat de remedio cibandæ plebeculæ?scilicet *fur erat.* Ex Ioan. c.12. n.6. Nec bonus est consiliarius,qui numos cupit. in com.cap.2.n.19.p.7.ad cap.2.

Vnde ememus panes? Famem non patitur, qui Deum verè sequitur.p.16.n.4 ad c.2.in com.c.5. n.73.p.31.n.3.& 4.ad cap.5.p.32.ad cap.5.

5. *Vnde ememus panes?* Agit de turba cibanda bonus Princeps. p. 22. n. 1. ad c. 2. p. 31. n. 1. ad c. 5.

11. *Accepit Iesus panes, & cùm gratias egisset.* Felix à precibus initium agendi, vnde panes crescunt. in com. c. 4. n. 15. p. 9. ad c. 4.

Et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus. Non bene Princeps tribuit, qui suum cum Deo consilium non communicat. Nec magistratum Apostolicum Magister discipulis tribuit. Luc. cap. 6. n. 13. *Vocauit discipulos suos, & elegit duodecim*, nisi oratione peracta. n. 12. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* quod notat Caietanus.

Accepit Iesus panes, & distribuit discumbentibus. Verè bonus Princeps, qui plura hominibus tribuit, quàm acceperit ab hominibus. Panes quinque Princeps capit: sed quot panibus reficit quinque hominum millia? p. 17. num. 4. ad c. 6.

12. *Colligite, quæ superauerunt, fragmenta.* Id verò, ad perpetuam beneficij memoriam. p. 1. ad c. 2. *Colligite, quæ superauerunt, fragmenta.* sic Magnus Princeps administros pascit Apostolos, & laborantes reficit homines. p. 16. ad c. 2.

Colligite, quæ superauerunt, fragmenta. Administros rerum humanarum bonis Princeps reficit, ne ex inopia rapiant aliena. p. 16. n. 5. ad cap. 2.

14. *Dicebant: Hic est verè propheta.* Adulantur homines ventre benè pleno. Vide p. 1. n. 1. ad c. 1. p. 7. ad cap. 2. in com. c. 6. n. 14. p. 1. n. 2. ad cap. 2.

15. *Vt raperent eum, & facerent eum Regem.* Non raperent, nisi crederent homines Christum à regni ambitu alienum esse. in com. cap. 2. n. 15. p. 10. num. 4. ad c. 5. p. 2. ad cap. 5. p. 10. num. 4. ad cap. 2.

Feria 4. ad 4. Dominic.

Ex Ioann. c. 9.

N. 1. *Præteriens Iesus vidit.* Necesse est, vt Princeps, nedum Pontifex vrbes, ac vicos obeat, cura peruidendi ac prouidendi. in com. c. 4. n. 53. & 49. p. 15. num. 1. ad c. 4. p. 16. n. 1. ad c. 4.

Præteriens Iesus vidit. Verè Petrus de Magistro dixit, Act. c. 10 n. 38. *Pertransiit benefaciendo, & sanando.* Christus enim stare loco nescit, vt opem ferat miseris. p. 19. n. 5. ad c. 2. p. 15. n. 4. ad c. 4. p. 17. n. 3. ad c. 5.

2. *Quis peccauit, hic, aut parentes eius?* Ita censent homines de hominibus aliis. *Temerarium iactantes iudicium*, ait Rupertus lib. 9. Potuit quidem cæcitas à peccato esse; potuit à Dei consilio venire calamitas. Quod tamen peius est, cogitant homines, more solito. Ab hac & temeraria hominum censura abesse Christus voluit, cum *fugit in montem*, Ioan. cap. 6. num. 15. sciens homines temerè cogitaturos, si Rex acclamatus à turba largiter pasta, non aufugeret: ac proinde *fugit in montem.* Teste Ruperto. *Planè hoc faciendo se ipsum calumniæ patere non permisit.* Et verò homines temere dicerent, quod temerè cogitarent; scilicet Christum de regno occupando cogitasse, cum turbam cibo proliceret in obsequium.

4. *Me oportet operari opera eius qui misit me.* Probat Rupertus illud Dei opus esse, quod fecit Christus non rogatus, lib. cit. *Notandum quod lux mundi non expectauit, vt clamaret tale quid dicens; Miserere mei. Mar. cap. 10. n. 48. Sed vltro naturæ indigenti se accommodauit; & gratuito beneficio, tacenti subuenit; nam hoc ad opera Dei manifestanda pertinuit.* Si rogatus tantum Deus benè hominibus faceret, non daret, sed venderet beneficium. *Nulla enim res constat carius, quàm quæ precibus empta est*, ait Seneca, ad lib. 2. c. 1. de benefic. Imo qui rogatus erogat, non libens præstat beneficium. Quare Abramus domo excipit Angelos, priusquam poscant hospitium; Gen. 18. n. 2. *Adorauit in terram, & dixit.* Vbi Hildebertus Epist. 60. *Nec expectauit quæri hospitium; ne si precibus impetrarent, ægrè præstitum videretur.*

Me oportet operari opera eius, qui misit me. Deo Christus adscribit, quidquid agit: nec inde captat gloriam, vnde Pater iustum sibi honorem vendicat. *Domine mna tua decem mnas acquisiuit.* Ait bonus seruus Luc. 19. n. 16. Negat seruus lucrum mota pecunia collectum esse fructum ex industria, ne quid boni sibi tribueret. Quod Gilbertus notat serm. 34 *Nihil inde fraudulenter sibi decerpentes, etiam à laudis munere manum excutiunt, omnia referendo in Dei gloriam.*

7. *Vade, & laua.* Docet Magister oportere, vt homines suam cum Deo manum moueant; si parare sanitatem, ac salutem velint. p. 12. ad c. 7.

Abiit, & lauit, & venit videns. Iussus à Christo pauperculus ad fontem, non obloquitur: sed mandatum peragit, cæca, vt aiunt, obedientia: quod notat Cyrillus Alex. in Ioann. lib. 6. c. 15. Vide p. 15. n. 4. ad c. 2. p. 18. n. 3. & 4. ad c. 5.

6. *Ille verò dicebat, Ego sum.* Sanatum se à Christo cæcus fatetur ingenuè. *Eligens magis inuidiam cum illo sustinere, quam ingrato silentio Dei laudi, ac gloriæ damnum inferre*, ait Rupertus lib. cit. In hac sententia Chrysostomus est, Hom. 56. Vide p. 1. ad c. 2. com. c. 7. n. 45.

12. *Vbi est ille?* In loco illud Chysostomus. *Intuere* (inquit) *Christi humilitatem: curatos dimittebat; quippe qui non gloriam, non populi plausum, non digito monstrari volebat.* p. 2. n. 3. d. 1. Hominem à Diabolo solutum Christus abire iubet. Mar. c. 5. n. 19. *Vade* (inquit) *in domum tuam.* Nec se Magister exoratum esse patitur, vt schola excipiat hominem. Ambrosius lib. 8. *Cur non recipitur liberatus, sed domum redire iubetur, nisi vt iactantiæ causa viuatur?*

15. *Lutum mihi posuit.* Quod edixerat n. 11. id modo repetit, verax omnino homo, nec tentatus grauiter *negat, aut dictis prioribus contradicit.* notat Chrysostomus Hom. cit. p. 7. n. 3. ad c. 2. p. 7. ad cap. 6.

Lutum mihi posuit, & laui, & video. Scitè Ambrosius, *quod significat, vt sortem humanæ generationis agnoscerem.* ad lib. 3. c. 2. de sacramentis. *Tibi imposuit lutum, hoc est verecundiam, considerationem fragilitatis tuæ.* Cui tantus de notitia inducenda humanæ vilitatis apparatus est? scilicet vt cæcus Deum videns ne superbiret. Nam sapientia tument leues homines. p. 2. n. 5. d. 1. p. 46. n. 2. ad c. 5. p. 9. ad c. 7.

16. *Alij dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere.* Placet morum bonitas malis etiam hominibus. p. 5. n. 4. ad c. 6. Deinde boni testimonium ab hoste grande est. p. 28. n. 3. ad c. 7.

Et schisma erat inter eos. Hac via factum est, vt Pharisæus Christum non perderet; quod tentabat. Nam peccantium diuidia scelerum medicina est. p. 4. n. 5. ad c. 7.

18. *Donec vocauerunt parentes eius.* Cur parentes cæci hominis accitos esse Pharisæus voluit. in loco

loco D. Antonius. *Fortasse, ipsorum timore negaret miraculum.* An qui suo pressus malo verum dicit, parentum malo territus verum taceat? Tantus est liberis parentum amor. in com. cap. 5. num. 48.

19. *Quem vos dicitis, quia cæcus natus est.* Acsi velint, ait in loco D. Anton. *Ita diuulgastis, vt Christo daretis honorem.* Genium carpit gentis humillimæ rabies Pharisaica. Nam viliores homines facilè mentiri solent. p. 1. n. 6. d. 1. p. 11. num. 2. ad cap. 5.

24. *Da gloriam Deo: nos scimus.* Sub pietatis vmbra simultas tegitur, quo procedat felicius. p. 19. n. 1. ad cap. 1. p. 21. n. 2. ad c. 5.

Da gloriam Deo. Laudat Pharisæus hominem, quasi Dei amantem; vt laudatus falsum dicat. Nam commendatio virtutis aliquando inuitat ad peccandum. p. 9. num. 3. ad c. 6. p. 2. n. 6. ad c. 2.

33. *Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.* Multus in Christo laudando homo est, à num. 25. ad num. 33. & Magistri Domini causam tuetur generosè, religiosè. Sed pauperculus à paupertate magistra pietatem, ac virtutem hauserat. p. 12. ad cap. 2. Mittit discipulos Magister, causa veritatis explicandæ. Matth. cap. 10. num. 7. *Euntes prædicate.* Ac ne quid mali timerent homines, paupertatem Magister imperat. num. 9. *Nolite possidere aurum.* Quis enim magistra paupertate virtutem non exerit masculam?

34. *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Contendit Pharisæus cæcitatem peccato quæsitam esse; proindéque cæcum à teneris peccatorem docere non posse. p. 12. ad cap. 1.

Et eiecerunt eum foras. Quasi profanus à fano procul arcetur veri Magister: quippe qui veri aceto pungit auditorium. p. 7. n. 6. ad cap. 2. p. 9. num. 1. ad c. 5. in com. cap. 7. n. 21. p. 3. n. 7. ad c. 6.

35. *Et cum inuenisset eum, dixit.* Noto hominem alternis temperatum vicibus: nunc à Pharisæo agitatus est; nunc à Christo susceptus. Quod toto patet textu. sic tamen sic itur ad astra. p. 20. ad cap. 6.

38. *Credo Domine; & procidens adorauit eum.* Benè cæcus videt: nam factis voluntas, & fides probatur. p. 18. n. 2. ad cap. 4.

Feria 6. ad 4. Dominic.

Ex Ioann cap. 11.

N. 1. *Erat languens Lazarus à Bethania, de Castello.* Virum magnum signat Ioannes à castro nobili. Sed, cum ius esset, vt langueret, & obiret magnus homo, vtrumque sine respectu Christus inducit. *Non enim est personarum acceptor Deus,* ait Petrus Act. 10 num. 34. Laudat Angelum Deus Iudex à loco nobili, à sapientia multiplici, à virtutum censu; apud Ezech. cap. 28. num. 12. Post laudes iudex virgam mouet. n. 16. *Peccasti, & eieci te de monte Dei.* Quo facto probat Deus se de iustitia curasse, non de natura Angelica, vt iustam ferret censuram. Scilicet *non est personarum acceptio apud Deum,* ait Paulus ad Coloss. cap. 3. num. 25. Sic & Chaldæum Deus mensura punit iusta, nec Regem suspicit. p. 29. n. 4. ad c. 7.

2. *Maria erat, quæ vnxit Dominum vnguento.* Quid hæc ad Lazari morbum, ac mortem pertinent? Sed negat Ioannes Christum flecti humano officio, ne pœnam inferat, si ius est. *Reges eos in virga ferrea,* canit Dauid Ps. 2. num. 9. *Id est, recta, ac seuera iustitiæ disciplina, quæ non cito flectatur in gratiam,* ait Rupertus lib. 1. in Apoc.

3. *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* An calamitas à Deo in Dei amicum benè conuenit? Hæc ne Dei est amicitia? sed laborem, ac dolorem miscet Deus, vt ex merito faueat. p. 20. n. 4. ad cap. 6. p. 7. num. 3. ad cap. 7. p. 12. n. 6. ad c. 7.

Ecce quem amas, infirmatur. Opem sorores non exposcunt, sed insinuant, quid à Christo velint: notat Rupertus. lib. 10. *Amanti enim satis erat, nuntiare.* An amicus amici curator est? Aio in com. c. 4. n. 49. p. 39. num 2. ad cap. 7. Cur enim monent sorores de amicitia? *Ecce quem amas.* Benè Chrysostomus Hom. 61. *Christum ad misericordiam volunt adducere.* Scilicet nemo amicum malis pressum non iuuat, si qua possit.

4. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro Dei gloria* Edixerat iam pridem Christus, Ioann. c. 5. num. 28. *Venit hora, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei.* Ac ne vanus vanis hominibus, insanúsque magister haberetur, Lazarum è tumulo excitat. Rupertus benè lib. cit. *vt glorificetur, & insaniæ non arguatur filius Dei, oportet illum in hoc vno, qui nunc infirmatur, experimentum dare virtutis, ac veritatis suæ.* Et dicta factis exæquare. p. 4. ad cap. 3. in com. cap. 3. num. 7.

6. *Tunc quidem mansit in eodem loco.* Illud ego oppono. Si Christus verè amicus est, cur longas in loco moras ducit? An serò Deus abit in auxilium, vt gratius ex mora fiat beneficium? ait Augustinus ad lib. 3. cap. 11. de mirabilibus. Promissum Abramo Isaacum Deus serò donat. Gen. 21. num. 2.

Sæpe retrahere simulat, vt gratius feret. Addit Chrysostomus dilatum parentibus Samuelem; quod patet ex 1. Reg. cap. 1. num. 2. vt gratior multo puer nasceretur. *Hanc ob causam distulit partum Deus, vt hanc augeret voluptatem.* Tom. 1. Hom. 2. de Anna.

8. *Et iterum vadis illuc?* In loco scitè Chrysostomus. *Timebant Magistro, vt debebant, & sibi:* Hom. 61. Hæc Apostolis ratio, vt Magistrum ab itu retraherent; metus scilicet, ne cum Magistro perirent. Malus profecto consiliarius, qui malè formidat. Inde Magister notat discipulos num. 4. Nonne duodecim horæ sunt. in com. cap. 2. num. 19.

11. *Lazarus, amicus noster, dormit; sed vado, vt à somno excitem eum.* Amicitiam hominis opponit Magister, vt discipulos adigat in viam: quod à Ruperto disco. Tanta est vis amicitiæ vt difficultatibus tolerandis exponat amicum, ne amico desit. in com. cap. 6. num. 26. p. 18. num. 2. ad cap. 4.

14. *Lazarus mortuus est.* Notat Chrysostomus benè, Christum de somno dixisse. *Vado vt à somno excitem.* Cum verò defunctum vita Lazarum dixit, non addidisse: Vado vt à tumulo excitem. *Semper nos admonet, vt inanem gloriam caueamus, & nihil de nobis temerè promittamus.* Hom. cit. A Magistro hausit Paulus modum loquendi, ad Rom. cap. 1. n. 11. *vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritalis.* vbi Chrysostomus Hom. 2. *Orationem temperat, cum ait; vt aliquid impertiar. Perpusillum* (inquit) *aliquid; & iuxta modulum meum.*

15. *Et gaudeo propter vos; quia non eram ibi.* Satis Magister ostendit, cur serò abiret, licet rogatus. Scilicet vt Lazarum quatriduò sepultum suscitaret, quem, si adesset, victus sororum lachrymis, ac precibus mori non sineret: ait Rupertus lib. 10. Tanta lachrymis hominum virtus in Deum est. in com.cap.5.num.93. p.32.n.2. ad cap.7.p.24 n.2.ad cap.5 p.11.num.5. ad cap.6.in com.c.6.n.34.

19. *Multi ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam.* Docet Ioannes cap.9.num.22.coniurasse hosce homines, vt Christi auditores Synagoga abigerent; cur modo adeunt Christi alumnas? Putat Chrysostomus Hom.cit. homines de senatusconsulto non curasse; *quia nobiliores reuerebantur.* Nam, qui respectu ducuntur humano, negant vrgere legem, vbi dignitas intercedit aliena. Ius erat, vt Senatus, populúsque Iudaicus Oziam lepra tactum Ierosolymis exigerent. Quæ de leproso lex erat, Leuit. cap.13. num.46. Tacent tamen, Oziamque Ierosolymis demorari sinunt; quod patet ex 2. Paralipom. cap. 16. num.21. *Et habitauit in domo separata plenus lepra.* Cur id? scitè docet Chrysostomus Hom. 4. in Isaiam. *Exiuit Rex cum lepra, nec tamen eiecerunt eum è ciuitate; Regiam dignitatem reueriti.* Fortasse docebant Regem à lege exemptum esse. Aliter Deus habet. Minatur Pharaonem grauiter pulsandum esse, illud ingerens, Exod.cap.9.num.16. *Vt ostendam in te fortitudinem meam.* Domine, quid est homo, puluis, & vmbra, vt in hoc premendo tua eluceſcat virtus? *Tange montes, & fumigabunt,* Ps.143.num.5. Sed erat Pharao sceptro potens: vnde mascula erit virtus Iudicis, qui magnum virum non reueretur, damno iustitiæ. Ostentat igitur Deus Pharaone punito, *quòd sit Deus seuerus, qui ne Regibus quidem, & populis clarissimis parcat peccantibus,* ait Antistes Lippoman.

21. *Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus.* Modestè Martha sese habet aduersus Christum. Nec de absentia queritur, nec de mora, cum audiret de amici morbo, nec curatum veniret. *Sed reuerentiam Domino seruans, & dilectionem lædere cauens, humili tantùm fide omnipotentiam fatetur amantis.* Docet Rupertus lib. 10. Qui verè amat, nec læsus lædit amicum. *Charitas enim patiens est.* 1. ad Corinth. cap.13. num.4. *Omnia suffert, omnia sustinet.* num.7. Quæ primo charitatem virtus subsequitur, patientia est, & germana soror, ait Athanasius. *Edidit charitatis indicia, & patientiam in primis totius philosophiæ radicem ponit.* Sed charitatem probari iterata patientia ostendit vox iterata: *omnia suffert, omnia sustinet.* Quod à Tertulliano disco, ad lib. de patient. cap. 12. *Quid* (inquit) *impatientiæ reliquisset? ideo charitas omnia suffert, omnia sustinet.* Scire cupit Virgo sancta quo nam sponsus loco cibum, & somnum caperet. Cant. 1. num.6. sed repulsam patitur; imo audit, *si ignoras te, egredere, & abi.* num. 7. Dura omnino increpatio: & tamen virgo patiens, & sapiens non queritur de repulsa; quod si loquitur, sponsi laudes sunt. *Dum esset Rex.* num. 11. Vbi commendat sponsi maiestatem. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Vbi rationes amandi explicat. n. 12. licet durè accepta amaritudine myrrhina: *Charitas enim patiens est*; & charitatem lædere cauens, potentiam fatetur amantis. p.24.n 1.ad c.7.

28. *Magister adest, & vocat te.* Si textum euoluas, nihil de Magdalena Christus meminit; sed adesse Magistrum satis erat, vt se à Christo vocatam esse crederet pia mulier: euocat Magistri aspectus iucundissimus, ait Theophylactus, *Istud ipsum adesse, pro voce factum est.* Nescit enim amans abesse ab aspectu rerum charissimarum. p.10.n.1.ad cap.6.

32. *Videns eum, cecidit ad pedes eius.* Suum ad Christi pedes locum occupat Magdalena. Rupertus benè lib. 10. *Cecidit ad pedes eius dolore fratris pariter, & amore Christi saucia.* scilicet magnus dolor affectum piè corpusculum obruit grauiter. Abeunt mulieres ad Christi mausolæum. *Valde manè.* Mar. cap. 16. num. 16. Non abit virgo Mater; sed mœsta domi sedet; scilicet dolor corpusculum grauior oppresserat, ait Bern. ad serm.de lament. Virg. *Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus.* Hæc ad Christum Magdalena; *breuiterque locuta lingua conticuit, cætera lachrymis peregit,* ait Rupertus. Amor ne, an dolor ingens vocem premit, vt breuius, quàm Martha loquatur soror? Vtrumque probo. Quod vocem dolor eripiat, habes p.38. num.2. ad c.7. in com.c.7.n.66.

Inde est, quod Magister, loquente Magdalena, tacet. Scilicet homo fletu occupatus vocem premit: nec temerè dictum, *infremuit spiritu.* Quod amor amantem loqui non sinat, habes p.2.n.4.ad cap. 6.

33. *Iesus autem, vt vidit eam plorantem infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.* Tanta lachrymis vis inest, vt Deum cogant ad fletum, nisi contineat sese. Commouetur enim bonus quisque lachrymis alienis. in com.c.7.n.63. p.13.n.1. ad c.2.p.18.n.3.ad c.4.

Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum. Cohibet benè Christus lachrymas; quasi absurdum esset flere virum magnum: ait Chrysostomus Hom. 62. *Nouerat lachrymas excitare, & fletum arguere. Illa enim particula (infremuit spiritu) significat illum cohibuisse motum.* Satis probat Chrysostomus, quod Cyrillus Alex. asserit lib.7.cap.20. *Non est viri prudentis, & maturi opus assiduo luctu deplorare.* Quod igitur fleuit Christus num. 35. docet calamitatem alienam pie deflendam esse. p.31. n.8. & 9. ad cap. 7. Quod fletum cohibuerit. num. 38. *Rursus fremens in semetipso*; monet propudium esse, vt vir magnus largè, ac publicè fleuerit. p.31. n.4.5. & 6.ad cap. 7. Lego Iobum malis pressum rogasse, cap. 10. num. 20. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.* Mira loquendi formula: vt, qui dolet grauiter, flere velit breuiter: & adhuc flendi facultatem petat? scilicet modum lachrymis ponendum censet; cum non deceat virum magnum flere.

35. *Et lachrymatus est Iesus.* Si amicum tumulo Christus excitat, cur mittit lachrymas? Rupertus optimè. *Fortasse non tam pro eo, quod mortuus erat, quàm pro eo, quod reuocari illum oportebat ad tolerandas rursus* huius vitæ miserias. lib. 10. in hac sententia est Pelusiotes lib. 2. Epist. 173. Vide, quot malis infesta est vita hominum? p.20. n.3.ad c.6.in com.c.5.n.86.

41. *Iesus autem eleuatis sursum oculis.* Quò mittamus oculos, docet Christus oculis in cœlum emissis, vnde præsens venit auxilium. An Deo inconsulto quidquam fiat boni? id ego negito. p.9.ad c.4.p.1.n.6.ad c.2.in com.c.4.n.15.

Dixit:

Dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Deo Christus gratificatur, vt beneficium à Patre accipat. Quasi gratitudo sit ars promerendi. *Cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Ioann. cap. 6. num. 11. Hac via Christus Patrem mulcet, priusquam panes, ac pisces multiplicet; *ad erudiendum nos, quod futurorum petitio ex præteritorum gratitudine consurgit.* Ita Caietanus.

43. *Voce magna clamauit.* Hominem à peccato excitatum signat Lazarus suo extractus tumulo; sed qui iacet in luto scelerum, non extrahitur manu facili. Vide p.20.n.4.ad c.5.

44. *Et facies illius sudario erat ligata.* An peccator tecta pudenter exit facie? tanta est scelerum fœditas. in com.cap.3.num.31.p.12.ad c.3.

Et facies illius sudario erat ligata. Præstat Christus vitæ beneficium, ac beneficiarium tectis oculis exire iubet. Ne dicatur beneficium venditare, imo vendere, si benefactorem norit beneficiatius. Terra, marique salutem humani generis solicitatam esse voluit Angelus magni consilij. *Et posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum verò super terram.* Apoc. 10.n.2. sed vultu ad rem gerendam obtecto prodit. *Vidi Angelum amictum nube,* ait Ioannes. Quasi puderet Angelum, si daret se oculis, cum benè hominibus faceret.

Dominica V.

Ex Ioann. 8.

N.46. *Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico.* Qui verè magistrum agit, rectè viuat, necesse est. p. 12. ad c.1.in com. c.5.n.7.

Si veritatem dico, quare non creditis mihi. Imò qui verum dicit, facile pellitur. p.7. num. 6. ad cap.2.p.9.ad c.5.in com.c.7.n.21. p.15.n.8.ad c.7. p.3.n.7.ad c.6.

47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Id verò est, vane audit, qui non obedit. in com.c.5. n. 2. Deinde conciones audit bonus, odit malus. p.20.ad cap. 4.p.10. n.1.ad c.5. p.15.n.7.ad c.7.

Samaritanus es tu. Cur ita de Christo cogitant? Rupertus lib.9. *Pro eo, quod apud Samaritanos biduo mansit, & docuit.* sic malus socius videtur nocuisse. p1.num.1.d.5.p.3.n.2. ad c.1.p.6.n.4. ad c.6.p.12.n.1.ad c.5.p.21.n.3.ad cap.2.

48. *Nonne bene dicimus nos, quia Dæmonium habes.* Maledicta iacit liberè, qui veri mordetur aceto. p.18.n.4.ad c.7.in com. c. 6.n.2. p.24. n. 4. ad c.5.p.49.n.2.ad c.5.

Nonne bene dicimus nos, quia Dæmonium habes. Hæc Iudæus maledicta in Christum effundit, post increpationem publicam. n.47. *Quia ex Deo non estis.* Nam increpatio publica aliquando pudorem soluit peccandi. in com.c.5.n.52.

Dæmonium habes. Sic bonum Præfectum mala pungit plebecula. p.13.n.3. ad c.5.p.18.ad c.7.

Dæmonium habes. Sciebat Christus, quid Iudæus animo agitaret; & inde malus infert Magistrum Diaboli alumnum esse; vnde bonus colligit Christum esse plusquam hominem. p. 5. n.6. ad c.6. p.15. num.4.ad c.7.p.24.n.3.ad c.5.

Dæmonium habes. Hac iniuria bonum malus afficit. sed argumentum boni est malis displicere. p.18.n.5.ad c.7.p.13.n.3.ad c.5.

Nonne bene dicimus nos. Facilè detractores conueniunt ad maledicendum. p.6.n.3.ad c.6.in com. c.7.n.8.p.4.n.2.ad c.7.

52. *Nunc cognouimus, quia Dæmonium habes.* Iam id prodixerant. n.49. Pertinax enim in peccando homo est. p.20.n.1.p.44.n.1.ad c.5.

Nunc cognouimus. Victor in disputando magister est; vnde victus argumentis auditor male iacit dicta more hominum solito. p. 49. n. 2.ad cap.5.

Mortem non videbit; ait Christus: Audit Iudæus, & addit: *non gustabit mortem.* sic dicta inuertit mendax calumniator. p.1. n.2. d. 3. in com. c.5.n.22.

54. *Respondit Iesus: si ego.* Rationes Magister apponit, quibus suam tuetur causam. Nam veritas ratione agit, non contentione. p.49.n.1.ad c.5.

Respondit Iesus. Boni Præfecti est tumultuantem sedare populum molli responso. in com.c.7. num.56.

Respondit Iesus. Affectus iniuria Magister adhuc respondet, ac docet, ne quam de concepto odio suspicionem moueat, si tacuerit. p. 7.n.3.ad cap.6.

Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Nemo bonus laudat se, ne laudem perdat suam. p.2.n.3.d.1.

Est Pater meus, qui glorificat me. Scilicet, cum pro vero dicundo contumeliam patior. p. 7.n.1. ad c.6.in com.c.5.n.105.

Est Pater meus: ita dicit, qui prodixerat; *si veritatem dico vobis;* se Deo genitum esse docet; veritas enim veri Dei virtus est; homo verò mendax. p.11.n.1.& 2.ad c.5.in com.c.5.n.23.

Est Pater meus, qui glorificat me. Vnde verax, qui Patre nobili natus loquitur; mendax, qui Patre genitus humili verba facit. p.1. n.5. & 6. d.1. in com.c.5.n.101.p.11.n.2.ad c.5.

55. *Scio eum, & sermonem eius seruo.* De scientia amatoria sermo est: ac proinde qui Deum piè recognoscit, iussa libens facit. p.18.n.3.ad c.5.p.15. n.5.ad c.2.

Sermonem eius seruo. Quidquid iubet Deus, sermonem dicit vnicum Dei amans. Vnde Christus docet, ad Ioan.c.14.n.23. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Vide Oleastrium ad Gen. c.3.p.8. n.3.ad c.7.

59. *Tulerunt ergo lapides.* A maledictis ad malefacta cursus est facilis: peccatum enim peccato alitur alio. Vide com.c.4.num.6.p.10.num. 3. ad cap.5.

Iesus autem abscondit se. Ne peius furerent in Deum homines, sic peccandi occasiones Christus resecat. p.32.n.5 ad c.5.p.9.n.4. ad c.1.

Abscondit se. An Christo pudor est, quod Magister discipulis occasio peccandi videri possit? p.1.n.5.ad c.6.

Feria 4. ad 5. Dominic.

Ex Ioann. c.10.

N.22. *Facta sunt Encænia in Ierosolymis.* Id verò est dies festus de templo innouato; & quidem tam grata Deo est ratio templi condendi, vt agi diem festum ea de causa Deus velit. Vide p.3.ad c.1.

23. *Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* Disputandum Christo erat, quod tulit occasio; ac proinde porticum Magister occupat; ne sacro

ſacro in templo loquatur. *Nec enim decebat*, ait Maldonatus. Sic iuſtus ſacris locis reſpectus conſtat. p.2.ad cap.4.

Ambulabat Ieſus in templo. Cruce iam minante frequentior in templo magiſter erat,cauſa docendæ plebeculæ: cum ſciret parum ſibi vitæ ſupereſſe ad docendum. Et verò temporis breuitas vrget ad benè, & malè agendum. Laudo quod Seneca Epiſt. 31. *Multum nocet,qui moratur,vtique in tanta vitæ breuitate.* Laborandum ſcilicet in virtutum via eſt, cum vita ſit momento breuior. Precibus ſanctè confectis Magiſter ducit diſcipulos;*& ait illis: Eamus in proximos vicos,& ciuitates,vt prædicem.* Mar.cap.1.num.38. Quo tantus docendi amor eſt? Benè Victor Antiochen. in locum. *peregrinationis ſuæ tempus breuè futurum ſciens,doctrinæ ſuæ theſauros cum aliis communicare volens,ait, Eamus in proximos vicos,& ciuitates.* Vide p.3. n. 6. ad cap.7.

24. *Quouſque animam noſtram tollis?* Adulantur auditores, Magiſtrumque laudant à ſapientia, quæ non poſſit capi facilè; ac proinde velit,ſine metu,enuntiare, ſe Chriſtum eſſe, quod optant: & credunt valere adulationem poſſe ad fallendum malè bonum quemque hominem. in com. cap. 2. num.6. in com.cap.7. num. 30.

25. *Loquor vobis,& non creditis.* Fidem nec Dei verbis, nec factis adhibent auditores ceruicis rigidæ. Vnde Magiſter ſemel, & iterum queritur: *& non creditis*:deinde additum. num.26. ſed vos *non creditis.* Teſte Ruperto. *Ac ſi dicat; iam non docendi eſtis,ſed de peccato arguendi;qui iam dudum teſtimoniis euidentibus non credidiſtis.* lib.10. in Ioann.Et quidem pœnas dabit grauiores,qui ſuo de officio monitus ſatis non fecerit.p.28.num.1. ad cap.5.

31. *Suſtulerunt ergo lapides, vt lapidarent eum.* Patet facto ſimulatè dictum. *Dic nobis palam.* cum auditores malè acceperint reſponſum veri. Simulant velle ſe quod nolunt, Magiſtrumque docentem reiiciunt.Sed veri doctrina malis placere non poteſt. p.7. n.6. ad cap.2.p.9. num.4.ad c.5.p.15.n.7.ad c.7.

Suſtulerunt ergo lapides. Verè Magiſter admonuerat num.25. *Loquor vobis, & non creditis.* Ad ſaxa volant auditores. Sic vindictam parat, qui admonitionem interpretatur contumeliam.p.9. num.1.ad cap.1.p.3. n.6.ad cap.6. in com.cap.7. num.21.

32. *Reſpondit Ieſus.* Reſponſo Chriſtus ſuo probat ſe commotum non eſſe. Nam qui tumet odio, negat loquendi commercium. Percuſſus alapa, *reſpondit Ieſus.ſi malè locutus ſum.* Ioann. cap.18. num. 23. Cur mi Domine tuam tecum iniuriam non deuoras? Nonne, qui tacens patitur, ſuam ſilentio adornat patientiam? Auguſtinus benè,tract.114.in Ioann. Nota eſt celebratæ patientiæ,reſponſio notæ beneuolentiæ. *Quanto* (inquit)*melius reſpondet vera placatus.* Nam taciturnitas ab accepta iniuria, aliquando odium eſt,vindicta eſt. Qui patitur grauiter,& loquitur comiter, cuſtos eſt laudatæ patientiæ. Quid ſi Deus odium ſcelerum oſtendit negato loquendi commercio? *Anno quo mortuus eſt Ozias*; Iſaiam alloquitur cap.6.num 8. *Audiui* (inquit) *vocem Domini.* Cur Deus non loquitur dum Ozias vita fruitur? Iratus in homines Deus erat,eo quod Regem lepra infectum à Ieroſolymis non expulerant; & quo in peccatum odio graſſare-

tur,pertinaci oſtendit ſilentio.Vnde Chryſoſtomus Hom. 4. *Silentium* (inquit) *erat, ſimultas erat inter Deum, & hominem.* Scilicet, nota ſilentio Dei ira nota ſimultas. Vide p.5.num.6.ad cap. 4.

Multa bona opera oſtendi vobis, ex Patre meo. Nihil boni operis ſibi Chriſtus arrogat, verè amans humilitatis intimæ. Quod notat Cyrillus Alexand.lib.7.cap.11. Vide p.2.num.4 d.1. Nam ſuperbus homo quidquid rerum magnarum eſt ſibi tribuit.in com.cap.2.num.23. in com.cap.6. num. 33.

33. *Reſponderunt Iudæi.* Pacatè homines licet manu ſaxa tenerent. Sed qua vi Chriſtus vincit iratos homines? Oſtendit Magiſter comiter,quot in hoſce homines beneficia contulerat. *Multa* (inquit) *bona opera.* Inde tota hominum ira deferueſcit. Nemo enim memor beneficij iram effundit in benefactorem.p.32.num.5.ad c.5.

Reſponderunt Iudæi. Si lapides manu Iudæus tenet, cur non iacit in Chriſtum: ſed furore ſedato, reſpondet? Tanta Chriſti verbis comitas inerat,vt homines, etſi furentes, leniret. *Placida enim verba, iracundia concitatum animum lenire ſolent.* Ita Cyrillus Alexand. lib. 7. cap. 11. Vide p.15.num.5. ad cap.6.

Homo cum ſis, facis te ipſum Deum. Vſque adeo ſeſe iactant ſuperbè mendaces homines, vt vel Chriſtum de ſe dicentem gloriorè repulerit Iudæus inſolens,ac impudens.in com.cap.5. n.14.& 19.in com.c.6.n.33.

34. *Nónne ſcriptum eſt?* Sacris ſe literis obarmat Chriſtus aduerſus calumniam Iudaicam.An hæc Chriſto grata eſt ſcientia de ſacro textu? Aio. p. 14. num. 4. ad cap. 7. p. 26. num. 8. ad cap. 7.

36. *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum.* Hebraiſmo celebri; *Sanctificauit,id eſt, ſegregauit in ſalutem hominum:* quod Theophylactus notat.Duplex ex loco nota eſt:altera,ſanctificari maximè hominem, qui ſeſe ab hominibus longè abducit. Vide p. 13. ad cap. 6. in com. cap. 5. num. 69. p. 29. ad cap. 5. p. 26. num. 6. ad cap. 5.

Altera verò nota eſt miſſum à Deo Chriſtum apprimè ſanctum, vt cum mundo immundo verſari poſſet impunè. Nocet enim congreſſio, cum malo grege hominum. p. 13. n. 1. & 2. ad c.6.p.6.n.4.ad cap.6.p.16.n.1. ad cap. 5.p.29.n.1. ad cap. 5.

38. *Operibus credite,vt cognoſcatis,& credatis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Factis, non dictis probat quiſque malo ne, an bono Patre ſit genitus?p.7.num.6.ad cap.5.p.8.num.4.ad cap.5. p.34. n.2.ad c.7.

Feria 5. ad 5. Dominic.

Ex Luc. cap. 7.

N.37. *IN ciuitate peccatrix.* Quid peccaſſet Mulier,exponit Lucas, vt, quo ſumma ſcelerum eſt grandior,eo ſit auguſtior Dei indulgentia.p.36.ad c.7.

In ciuitate peccatrix. Peccatricem vocat Hiſtoricus,& nomen reticet, ne famam lædat. p.5. ad cap.5.

In ciuitate peccatrix. Si de fœmina libidinante fama eſt, cur Lucas ſpeciem non exponit?

Sed

Sed timet castus homo ne impudicitia explicata, suam tetat pudicitiam. p.14. ad cap. 4. p.5. ad cap. 5.

38. *Et stans retrò, secus pedes Domini.* Pudet mulierem peccasse; ac proinde se à Christi subtrahit oculis, ait Magnus Gregorius lib.5. cap.2. in lib. Reg. *Retrò quidem stat pro verecundia peccati.* in com.c.3.n.31.p.12.n.4.ad cap.3. p.14.n.3. ad cap.4.

Secus pedes Domini. Peccati onus adeo graue est, vt mulierem solo apprimat. in com.c.6. n.27. Vide Chrysolog.ser. 104.

Secus pedes Domini. Accidit mulier ad Christi genua; vbi locus est parandæ veniæ: vnde factum est, vt peccatrix ad Christi pedes, suum sibi propriumque locum fecerit. Accedit Magister, vt Lazarum è tumulo excitet: accurrit Magdalena; *& videns eum cecidit ad pedes eius.* Ioann. cap.11. num. 32. *Tanquam impotens se continere iuxta Christi pedes, à quibus veniam consecuta fuerat.* Ita Caietanus laudat mulierem quasi seruam à Christi pedibus.

Et lachrymis cœpit rigare pedes eius. Deflet granditer, quæ dolet grauiter, Deum à se læsum esse. Inde fontes lachrymarum effluxere. Nam iustus de peccato dolor est, & iustus fletus. p.12. num. 2. ad cap. 3. in com. cap.6. num.29. p. 11. num. 5. ad cap. 6. in com.cap.7.num.61. p.32.ad cap. 7.

Et lachrymis cœpit rigare. Cur non petit veniam peccatrix mulier? Luget, & tacet; quippe quæ, dum mittit lachrymas, grandiores apud Deum mittat voces.p.35. n.1. ad cap. 7. in com. c.6.n.34.p.24.n.2.ad c.5. Luget Magdalena, cum Magistrum adit; & vno contenta verbo, tacet. *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Ioann. cap. 11. num. 32. scilicet à verbis temperat, quæ lachrymas emittit precatrices: ait Rupertus lib.10. *Linguâ conticuit, cætera lachrymis vberius peregit.*

Et capillis capitis sui tergebat. Capillos soluit peccatrix; quibus tam Christi pedes tergat, quàm suam tegat faciem, ne vanam gignat gloriam pœnitentia publica: in com. c. 4. num. 43. p.22.ad cap.4.

Et osculabatur pedes eius. Officiosa est pœnitentia, quæ Dei pedes exosculatur; nec tamen loquitur, dolore vocem premente. p.38.n.2.ad c.7. in com.c.7.n.66.

Et vnguento vngebat. Scitè peccatrix odores effundit, quæ non ignorat peccatum qualecumque Deo putidum esse. p.12.n.1.ad c.3.

Et stans retro. Nullum est officium, quod mulier non peregerit, vt veniam obtineret scelerum. Scilicet spes metu dubia acriores capit motus ad pœnitentiam. in com. cap.7. n.70. p.43. num.5. ad cap.7.

Quid si, nulla etsi magna sceletum pœnitentia abunde est? p.41.num.3.ad cap.5.p.32.num.1. ad cap.6.

39. *Ait intra se; quia peccatrix est.* Videt Pharisæus flagrare mulierem studio pœnitentiæ, affectu sanctimoniæ; & adhuc peccatricem appellat contumeliosè; id tamen de genio humano est, vt quod aliis est propudium, siue à natura, siue à fortuna, siue à consilio, obtrudat facilè. in com. c.7.n.11.& 12.

40. *Et respondens Iesus dixit ad illum.* Magdalena contumeliosè vocata, causam muliebrem Christus suscipit, ac tuetur. Tanta Deo cura est de pœnitentibus. in com.c.5.n.84.p.22.num.3.ad cap.4. p.41. n.2.ad cap.3.p.5.n.5.ad c.3.p.33.n.3. ad cap.7.

44. *Vides hanc mulierem?* Quid in fœmina videndum Christus monet? An gemmas, aurum, vestem Attalicam, & lenocinia reliqua venustatis emendicatæ? minimè: sed lachrymas doloris indices; & signa reliqua pœnitentiæ; quæ quidem augustiorem fœminis venustatem conciliant. p.47.n.3.ad c.5.

Vides hanc mulierem? Non peccatricem, vti Pharisæus Magdalenam, sed mulierem Christus appellat honestè: quasi peccatum lachrymis diluisset mulier. p.41. n.3.ad c.5.in com. c.5. n.93. p.47.n.2.ad c.5.

Vides hanc mulierem? Cum mulierem momenclatura communi Christus appellat, verè laudat: quo pacto Chananæam probè laudatam scio. *O mulier!* ad Matth.c.15.n.28. Sed quæ Deo blanditur pœnitentia, mulierem honestat æquè, ac honorat. p.47. ad cap. 5. p.33. n.4. ad c.7 p. 19. num.1. ad cap.4. p.41. num.6. ad c.5.p.5.num.5. ad cap. 3.

47. *Remittuntur illi peccata multa.* Citò Christus annuit pœnitentibus, ait Gilbertus ser.33.in Cant. *Non est sera Christi gratia.* Probat id Abbas ex Magdalena, *Reuolue* (inquit) *Euangelium; vbique Iesum inueniens & citum, & copiosum ad veniam.* Tam grata Deo est pœnitentia hominum. p.41. ad c.5.p.47.n.7.ad c.5.

Quoniam dilexit multùm. Parùm valerent signa dolentis animi, nisi ab affectu imperata. Ab affectu enim intimo suam vim capiunt facta extera. Quod Paulinus monet in com.c.3. num.36. p.19.n.1.ad c.6.p.8. ad c.2.in com.c.2.n.21.p.18. n.2.ad c.4.p.19.ad c.6.in com.c.3.n.36.

50. *Fides tua te saluam fecit.* A pœnitentia, ab amore, à fide mulierem Christus laudat, vt virtutem alat muliebrem. p.15.ad cap.6. Samaritanam Magister pungit vitio coram explicato. Ioann.4. num.18. sed laudes aggerit de veritate muliebri. *Benè dixisti, hoc verè dixisti.* p.15.n.5.ad cap.6.p.9. n.4.ad cap.6.

Vade in pace. Non abiret à Magistro mulier nisi iussa. Tanta erat voluptas à Christi aspectu, & affatu; quod benè Caietanus inuenit. Sensit Martha sororem à Christi pedibus non abituram nisi Magister id iuberet. Inde Martha Christum vrget. *Dic ergo illi, vt me adiuuet.* Luc. cap. 10. num.40. vbi Caietanus. *Sciebat enim sororem nisi Domini præcepto, auelli non posse à verbo audiendo.* Vide p.10.n.1.ad c.6.

Feria 6. ad 5. Dominic.

Ex Ioann. cap. 11.

N.47. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium.* Negotium de Christo occidendo vrget rabies Iudaica. Erratum grande: illud tamen placet, quod ad rem benè gerendam, consultant senatu collecto. in com. cap. 2. n. 8. p. 3. ad cap. 2. in com. cap. 4. num. 12. in com. cap.5.n.1.

Pontifices, & Pharisæi. Pontifex mitra superior, & Pharisæus secta religiosior consultant de tuenda religione. Oportet enim consiliarios rerum, de quibus agitur, scientes esse. in com. cap.2.

cap. 2. num. 10. p. 4. ad cap. 2. in com. cap. 5. n. 20.

Pontifices, & Phariſæi. Scitè in Senatu conſultores quàm plurimi, vt magnis de rebus agant. Vnus enim in conſilium homo, nullus homo eſt. in com. cap. 7. n. 46. p. 23. ad cap. 7.

Pontifices, & Phariſæi. Multi in ſenatu conſultores; à quibus, vt à plurimis iuſtè damnata videretur innocentia. Quod Rupertus docet lib. 10. *Vt eum interficerent per concilij ordinem legitimum.* p. 23. n. 2. ad cap. 7.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? De Chriſti factis diſputatio inter Senatores mota eſt; & inde nata occaſio, vt Chriſtum perdat inuidia, quæ ad necem vſque ſæuit. in com. cap. 5. n. 51. p. 23. n. 4. ad cap. 5. p. 18. n. 3. ad cap. 7. Vide Cyr. Alex. lib. 8. cap. 1.

Hic homo multa ſigna facit. Metum auget poteſtas ſubitò magna, ſuſpicionémque mouet de rebus innouandis. p. 1. n. 3. ad cap. 1.

Hic homo multa ſigna facit. Chriſtum à rebus mirè patratis Deum eſſe rectè colligerent: ſed rebus ad miraculum vſque geſtis, *adhuc hominem, per abiectionem quandam vocant.* Ait Cyrill. Alex. lib. 8. c. 1. Quod enim magnum eſt opus, ſi non poteſt, auctorem operis carpit inuidens. p. 15. n. 4. ad cap. 5. p. 18. n. 3. ad cap. 7. p. 6. n. 2. ad cap. 5. in com. cap. 5. num. 18.

48. *Venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.* Quo in Chriſtum flagrant odio, tegunt homines, ac ſe de Rebuſp. curare oſtentant. Sed Chryſoſtomus notat hoſce homines, qui priuatam exercent vindictam, cura affectata boni publici. *Ne affectu aliquo dicere viderentur.* Hom. 63. ſic pulchris nominibus ſua tegunt vitia. p. 19. ad cap. 1.

49. *Cum eſſet Pontifex, dixit: Vos neſcitis quidquam.* Superior loco Pontifex, lingua videtur ſolutior: quaſi thiara licentiam loquendi permitteret. *Cæteris impudentius, & cum ſtomacho dixit; quaſi inſcitiam, & ſegnitiam increpitans.* Ait Cyrillus Alex. lib. 8. cap. 2. Scilicet Præfectus loco ſuperior, ac inde ſuperbior contemptim habet homines reliquos. p. 6. ad cap. 5. in com. cap. 6. num. 2. p. 1. n. 1. d. 4.

Vos neſcitis quidquam. An verè ſuo de Senatu Pontifex? ſi vera conſultorum cenſura eſt; video conſultores ineptè delectos, qui nihil recti peruident, vt prouideant. in com. cap. 2. num. 10. p. 4. n. 3. ad cap. 2.

50. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo.* Inibi Chriſtus damnatur, vbi probatur Pontifex, qui ſuum nimis pontificatum redemit. Hæc enim ab honore quæſito nata impietas. p. 3. n. 3. ad cap. 6. p. 37. n. 3. ad cap. 7. p. 42. ad cap. 7.

Expedit vobis. Conſilium ab vtili probatum eſſe docet Pontifex: licet Chriſto regnum anteponat Machiauello ſenior. Sed perit malè regnum pietate neglecta. p. 2. num. 3. ad cap. 4. p. 48. n. 4. ad cap. 5.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo. Iuris formam non curat Pontifex honore inſolens, ac proinde reum damnat inauditum. p. 6. ad c. 3.

51. *Cum eſſet Pontifex, prophetauit, quod Ieſus.* Grande ab hoſte improbo teſtimonium de ſeruatore humani generis: ne quis de re tanta dubitaret. p. 28. n. 3. ad cap. 7. Primus, qui Dei filium nominauerit, Nabuchodonoſor eſt. Dan. cap. 3. n. 93. Amicus ne, an Dei inimicus? Id expendit Rupertus ad lib. 6. cap. 22. de vict. Verbi. *Speciosa victoriæ pars, & inſigne præconium filij Dei: quod illum manifeſta confeſſione prius confeſſus fuerit inimicus, quàm amicus.* Id verò, quod Rupertus addit c. 21. *Mente non ſua locutus eſt.* Quod fecit & Pontifex.

Cum eſſet Pontifex, prophetauit. In loco Chryſoſtomus. *Pontifex, licet indignus prophetauit.* Homil. 64. Neque enim denegandum Præfecto licet improbo, quod poſtulat dignitas. Ait Auguſtinus ad q. 35. ex Teſt. vet. *Poteſtas enim exigit, quæ meretur honorem.* Vide com. cap. 5. n. 26.

54. *Sed abiit in regionem.* Formam agendi; ſi premat inuidia, reponit Magiſter, ſcilicet vt malis teoculis ſubducas. Iram enim, & inuidiam fugat abſentia. De inuidia vide p. 10. n. 2. ad c. 1. De ira vide p. 12. n. 3. ad cap. 2. p. 21. num. 5. ad cap. 2. Vtrumque patet ex Gen. cap. 37. n. 8. Ioſepho inuident fratres, & iraſcuntur maximè. Quid Pater vt iram ſimul, inuidiámque ſedaret? Fratres à Ioſepho longè abducit num. 12. *Cum fratres morarentur in Sichem.* Philo egregiè de Iacobo. *Veritus, ne præſentibus omnibus, ſeditionis aliquid oriretur, illos ablegat ad paſcua, hunc domi ſeruat.* Ad lib. de Ioſepho.

Ad 6. Dominic.

Ex Marc. cap. 11.

N. 2. *Ite in Caſtellum.* Res erat difficilis aſinam alienam à Domino ſubtrahere. Id tamen diſcipulis Magiſter imperat, vt ſe prodant in re difficili. p. 19. ad cap. 5. *Ite in caſtellum.* An locus ſitu aggreſſores abigit? ſed bonus diſcipulus ſuum approbat obſequium in re difficili. Vide p. 1. n. 3. d. 5. p. 7. n. 4. ad cap. 7. p. 15. n. 4. ad cap. 2.

3 *Dicite, quia Dominus his opus habet.* Quæ iubet Magiſter, accipit diſcipulus, nec rationes iubendi expendit curioſè: nam curioſitas in Dei iuſſis abſurda eſt. p. 15. n. 5. ad cap. 2. p. 18. ad cap. 5.

Dicite, quia Dominus his opus habet. An tibi opus aſello eſt, *qui volas ſuper pennas ventorum.* Pſ. 17. num. 11. Nonne tu Deus meus, *quoniam bonorum meorum non eges?* Pſal. 15. num. 1. Sed humanam Deus poſcit operam, quaſi indigens, occaſionem captans gratificandi. p. 12. num. 3. ad cap. 7.

4. *Vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam.* Probat Matthæus ſermonem qualemcumque ſacro textu adornandum eſſe. p. 2. n. 7. d. 3. p. 15. n. 2. ad cap. 4. p. 20. n. 3. ad cap. 4. p. 23. n. 3. ad c. 7.

5. *Dicite filiæ Sion.* Ieroſolymam Chriſtus filiam vocat, vt affectu Magiſtrum excipiat. p. 19. n. 4. ad cap. 6.

Ecce Rex tuus. Sed Iſaias cap. 62. n. 11. *Ecce* (inquit) *Saluator tuus.* Vnde colligas Regem ex officio verè ſeruatorem eſſe. p. 9. n. 2. ad cap. 2. p. 15. n. 3. ad cap. 4. p. 16. num. 2. ad cap. 5. p. 3. num. 3. ad cap. 6.

Venit tibi manſuetus. Video Regem, nedum ſeruatorem à comitate morum laudatum eſſe. Hac enim via conſtat ſalus publica. p. 14. n. 3. ad c. 2. in com. c. 1. n. 27. p. 15. n. 1. ad c. 1. p. 14. ad c. 1. in com. c. 3. n. 23. p. 3. n. 2. ad c. 5. in com. c. 2. num. 44. p. 8. n. 6. ad cap. 2.

Venit tibi manſuetus. Qui populos habet comiter, ille regnat feliciter. Vnde nata acclamatio. *Hoſanna filio Dauid.* num. 9. id eſt, *Salus ſit filio Dauid.*

Dauid. Et quidem nemo hero mitiori vitam non apprecatur longiorem. p. 11. n. 5. ad cap. 2. in com.cap.2.n.21.

Venit tibi. Non sibi: neque enim suis seruit commodis bonus Princeps. in com.cap. 2. n. 22. p.20.n.5.ad cap.3.p.9.ad cap.2.

Venit tibi, sedens super asinam. Ita ne Rex magnus venit, & vectus asello est? sed Christi regnum commendatur ab affectu, & apparatu humili.p.17.n.1.ad cap.1.p.5.n.1.ad cap.3.p.10.n.5. ad cap.7.in com.cap.2.n.26. p.7.num.3.ad cap.1.

6. *Euntes autem discipuli fecerunt sicut præceperat illis Iesus.* Nulla in mandatis patrandis mora est.p.15.n.3.ad cap.2.p.17.n.3.ad cap.5. p.18. ad cap.5. in com.cap.7.n.1.

7. *Et imposuerunt super eos vestimenta sua.* Satis sibi non facit in magistro colendo amans discipulus.p. 17. n.3. ad cap.4. in com.cap.5. n.25. in com.cap.2.n.42.

Et eum desuper sedere fecerunt. An Magister asello sedere cogitur, eo quod pedes eat discipulus?Bonus morum Præfectus non iure viuit alio, quam schola subdita.in com.c.6.n.41.p.21.ad c.6.

8. *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via.* Facto Apostolus turbam inuitat, vt plura faciat in Christi honorem. p.18. ad cap. 4. p.16. n.3.ad cap.6.p.3.n.2. d.2.

9. *Hosanna filio Dauid.* Id est, *Salua, fili Dauid.* Agat Princeps de salute aliena,oportet. p.9. n.1. ad cap.2.p.4.n.5.ad cap.3.

Hosanna filio Dauid. Ante crucem laudatur à turba Christus. An id Pater curat, vt laudatus benè Christus ferat crucem libenter,ac valenter? p.15.n.3.ad cap.6.p.9.n.4. ad cap. 6.

Hosanna filio Dauid. De Christi Auo Rege turba meminit. An vt Christus Auo notus rem benè gereret? certè nobilitas vrget homines ad agendum,& ferendum strenuè. in com.c.3. n.18. p.7.ad cap.3. in com.cap.6. n.36.

Hosanna filio Dauid. Hæc pueris vox vna erat, n.15.& laus boni vera,non adulatio. Quod Guercus notat serm.4. ad Dominic.6. *Ista demũ perfecta laus est,quam ætas illa non tacet,quæ nescit adulari.* Verbum Guerricus rapuit ex Ps.8.n.3. vbi Dauid,*Ex ore infantiũ;& lactentium perfecisti laudem.*

Feria III. De Petri lachrymis.

Ad Luc.cap.22.

N.55. *ET circumsedentibus illis, Petrus erat in medio.* Negat Petrus se de Christi schola esse. Cur erratum non admitterer,cum se misceret hominibus improbis? Tanta à malo socio vis est ad improbitatem. p.13. n.3. ad cap. 1. p.12.n.2.ad cap.2.

57. *Negauit,dicens:mulier non noui illum.* An hic Petrus ille est,qui de se dixerat gloriosè n.33.*Domine tecũ paratus sum,& in carcerem, & in mortem ire.* Tam subito malus est, qui modo Petrus erat, & Christi amans discipulus? Clara est admonitio,vt nemo sibi fidat,sed timeat.p.1.n.2. ad c.4. p.43.n.5.ad cap.5.

58. *Homo,non sum.* Tradit Matthæus Petrum negasse,ac iurasse,c.26.n.72.Matthæo addit Marcus Petrum iuramento addidisse;vt diris se precibus deuoueret,c.14. n.71.Quasi monerent,hominem gradatim relapsum ab vno in erratum aliud. Vide com.cap.4.n.6.

Veloſ. in Iudith.

59. *Et ait Petrus, homo, nescio, quid dicas?* Hora est exacta, ex qua Petrus negauerat, & adhuc versatur inter homines improbos, vt tertiò peccet in Magistrum?fugienda vtique erat peccandi occasio. in com. cap. 2. num. 34. p. 13. num. 2. ad cap. 1. p. 45. num. 3. ad cap. 7. p. 12. ad cap.5.

61. *Et conuersus Dominus, respexit Petrum.* Multa Deo cura suo de Petro est. Erat Magister contumeliosè negatus à discipulo: quasi puderet Petrum fateri, per quem profecerat in virtutis via sacra. In hac rerum fortuna, oculos ad Petrum Magister obuertit; suo vt aspectu salutem conferat. An sua Deo est obliuio de accepta iniuria?Aio, p.12. num.5.ad cap.2.in com.cap.4. n.39.

Respexit Petrum. Quænam Christi oculis virtus ineſt,vt peccator aut amet, aut timeat? Benignitatem sapit Dei aspectus cum videt peccantes homines, & virgam suspendit, vt ea mora locum faciat pœnitentibus.p.3.ad cap.5. p.42. n.4. ad cap.5.p.38.ad cap.7.

Quid si metum Petro incutit Dei aspectus,nè in posterum malè agat? Et verò scholam continet Magistri oculus.p.17.n.3. ad cap. 1. Nec homo peccat facilè in Dei oculis.p.44.ad cap. 5. in com.cap. 5.n.84.

62. *Et egressus foras Petrus.* Cur è loco Petrus abit, cum fletum adornat suum? Laudunensis benè. *Vt haberet liberum flendi locum.* Deflet tam largè, quàm liberè, qui sine arbitris deflet. In hortulum Augustinus se se colligit cum flere velit. *Solitudo mihi ad flendi negotium aptior videbatur.* Ad lib.8. c.12. Confess. Nec Ezechias,cum lugere vellet,*conuertit faciem suam ad parietem.* 4. Reg. cap. 20. n.2. nisi vt maiorem flendi libertatem consequeretur: ait Antistes Clarius. *Quo se* (inquit) *magis colligeret, & flere posset liberius.*

Et egressus foras Petrus. Pulchrè in locum Laurentius Iustinian. *Exiuit de stadio, non valens suæ mentis ferre pudorem.* Ad lib. de Christi agon.c.8. Tantus Petro de peccato pudor est, vt Magistri oculis abesse procul velit.p.12.n.5. ad cap.3. p.4. ad c. 5.n.98.

Fleuit amarè. Sciens certo propitiari Deum vna lachrymula pœnitentis hominis. p. 24. n. 2. ad c.5.p.11.n.5.ad cap.6.in com.cap.7.n.61.

Fleuit amarè. Vt vindictam de peccato sumeret,Deique iniuriam sarciret. p.32. n.2. ad cap.7. p.47.n.1.ad cap.5.p.5. n.5.ad cap.3.

Fleuit amarè. Cur non poscit veniam scelerum? Nouit lachrymas apud Deum voces grandes esse.in com.cap.6.n.34.p.35.n.1.ad cap.7.p.24.n.2. ad cap.5.

Fleuit amarè. Flentem lego, loquentem non lego. An vocem contraxit dolor ingens? Aio, p.38.n.2.ad cap.7.

Fleuit amarè. Scilicet,vt ablueret sordes scelerum.p.32.n.5.ad cap.7. p.41. ad cap.5.

Fleuit amarè Vt per mare lachrymarum Petrus suum ad Magistrum enauigaret. p. 32. num. 3. ad cap.7.

Fleuit amarè. Sed ex Mar. cap. 14. num. 72. *Cœpit flere.* Textu Græco, *Adiiciens fleuit.* Quasi lachrymas lachrymis addiderit,nec vllam sine lachrymis horam labi sineret.Scilicet tempus flendi est,dum vita manet,etsi impetrata venia.p. 32. n.7.ad c.7.p.36.n.4.ad c.7.

Et egressus foras Petrus fleuit amarè. Quid

Prodeſt flere, niſi fugias occaſionem peccandi? Fleuit Dauid dolore ſcelerum intimo. *Laboraui* (inquit) *in gemitu meo.* Pſal.6. num.7. Sed addit, verſu proximo. *Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.* Suum Dauid fletum approbat, fuga celeri occaſionis improbæ. p. 42. num. 6. ad cap. 5.

Perquiris fortaſſe, cur ſinit Chriſtus Petrum labi, ac relabi miſerè? ſed reſponſum ex Theophylacto eſt. *Vt compateretur labentibus.* Cautum à Chriſto eſt, ne durus aliis Petrus negaret veniam ſcelerum, memor ſuæ fragilitatis. Commiſerationem lege lata natura ſanxit; *vtpote ex eadem infirmitate ad pietatem, & humanitatem erudita.* ait Nazianzenus Orat. 16.

Deinde labi Petrum ſinit Magiſter, vt erectus in ſedem Pontificiam haberet, vnde ſuperbiam refutaret. p.12.n.5.ad cap.3.

De bono Latrone.

Ad Luc. cap.23.

N.39. *VNus de his, qui pendebant, latronibus, blaſphemabat.* Aliter Matthæus habet cap. 27. num. 44. *Idipſum* (inquit) *& latrones improperabant.* Nec à Matthæo Marcus abeſt cap. 15. num. 32. ſi latrones Chriſto inſultant, cur vnus tantùm latro apud Lucam dicit malè? Sanam mentem receperat latro alter; inde Lucas indignum putauit, vt facti pœnitens adhuc peccator audiret. Latet enim peccatum ſub pœnitentia. p. 41. num. 2. & 3. ad cap. 5. p. 47. ad cap. 5.

40. *Reſpondens alter increpabat.* Motus piè latro latronem pungit impium, vt à peccato expiet. quod Auguſtinus docet ſerm. 49. *In cruce doctor effectus, ac corripiens.* Vide p. 18. ad cap. 6. p. 17. n. 3. ad cap. 6.

Reſpondens alter increpabat. **Benè latro ſuam** auſpicatur ſalutem à refutando ſocio ſcelerum: quod eſt ſignum probatæ pœnitentiæ. Teſtatur Auguſtinus loco citato. *Ita ex abundantia receptæ iuſtitiæ proximum, & ſocium quondam arguens.* Vide com. c. 5. n. 35. p. 12. n. 1. ad cap. 5. p. 42. n. 6. ad cap. 5.

Neque tu times Deum? Quid verò Dimas timet? an Deum Iudicem timet latro? ait Euſebius Emiſſen. *Futuri examinis diem cogitans.* Quanta in Dei Iudicis metu vis eſt, vt latronem pungat vtiliter? p. 2. n 4. ad cap. 6. p. 20. ad cap. 7. p. 27. n. 1. ad cap. 7.

41. *Et nos quidem iuſtè. Nulla eſt ſera pœnitentia,* ait Hieronymus Epiſt. 47. vide p. 42. ad cap. 5. p. 3. n. 4. ad cap. 7.

Nos quidem iuſtè. Quid prodeſſet facti pœnitentia, niſi Dimas fateretur, quidquid peccaſſet? teſte Auguſtino. *Nemo vim facit, ſed ipſe ſe diuulgauit.* ad ſerm. cit. Vide p. 33. ad cap. 5. Addit Arnoldus benè. *Increpat maledicum, nec ſibi parcit.* in com. cap. 7. n. 60.

Nos quidem iuſtè. Crucem libens patitur, qui ſe agnoſcit reum ſcelerum. p. 25. n. 5. ad cap. 4.

Nos quidem iuſtè. A Chriſti patientia patientiam latro diſcit: dolores enim patitur ſtrenuè, qui ſe pati cum Deo videt. p. 3. num. 1. d. 2. p. 30. ad cap. 5. p. 18. num. 5. ad cap. 7. p. 8. num. 3. ad cap. 3.

Nos quidem iuſtè. Chriſtum latè docentem latro non audit, nec ſanam in mentem redit. Sed Magiſtra eſt Chriſti patientia: nam Magiſter vita loquitur; etſi lingua taceat. p. 15. n. 1. ad c. 5. p. 49. n. 1. ad cap. 5. p. 7. n. 4. & 5. ad cap. 6.

Hic verò nihil mali geſſit. Quid ais bone latro! Damnatus ad crucem, ac necem Chriſtus eſt poteſtate prætoria: & hominem eſſe dicis probatæ innocentiæ. An id colligis à patientia dolorum facili? Aio. Vide com. c. 6. num. 15. p. 24. n. 2. ad c. 7. Imo Chriſtum à patientia Deum eſſe nouit. quod Tertullianus à Phariſæo impetrare voluit. Vide p. 49. n. 1. ad cap. 5.

42. *Domine, memento mei.* Vnde probat latro hominem clauis ſuffixum verè Dominum eſſe? an à patientia argumentum eſt, placet. Nam viri magni eſt pati ſtrenuè dura quæque vitæ mala. p. 8. n. 3. ad cap. 3. in com. cap. 5. n. 102.

Cum veneris in regnum tuum. Regem in Chriſto latro agnoſcit; audierat enim Chriſtum ita precatum n. 34. *Pater, dimitte illis.* Vide p. 12. n. 4. & 6. ad cap. 2. p. 14. n. 3. ad cap. 2. p. 41. ad cap. 7.

Domine, memento mei. Quæ nam hæc petendi forma eſt bone latro? ſi tui memor ſit Iudex, latronem malè punitum dabit. Sed occaſio indulgendi melior Deo eſt, vbi maior eſt vis ſcelerum. p. 36. ad cap. 7.

Domine, memento mei. Quo id merito latro poſtulat? Patientia ſocia, & natura ſimili animoſus ad petendum latro factus eſt. De patientia benè Cyrillus Catecheſ. 13. *Simul tecum ad mortem eo: memineris comitis tui. Omnis enim homo afficitur ad comitem ſuum.* De natura ſimili, vide p. 39. num. 6. ad cap. 7. *Vnus enim* (Paulo teſte) *mediator hominum homo Chriſtus Ieſus.* 1. ad Timoth. cap. 2. num. 5. Vide Caietanum. Deinde Bernardum vide ad Ioan. cap. 5. n. 27. *Quia filius hominis eſt.*

Domine, memento mei. Qua id ſpe repetis bone latro? ſcilicet ſpem facit impetrandi bona ſcelerum pœnitentia. Præmiſerat enim Dimas. *Nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus.* Hac via regnum ſuffuratur latro ſcelerum pœnitens: quod Auguſtino placet. Ad ſermon. 49. *Confeſſus eſt, & tantæ fiduciæ robur accepit, vt regnum de latrocinio depoſceret.* p. 19. num. 1. ad cap. 4. p. 47. num. 4. & 5. ad cap. 5. p. 33. num. 4. ad cap. 7.

Domine, memento mei. Quo id vultu latro! Quo vultu ſocium admonuerat. *Neque tu times Deum?* Scilicet Deo placet curator ſalutis alienæ: quod Arnoldus notat ad tractat. de ſept. verbis. *Itaque illuſtris concionator, victoriæ ſuæ palmam, & auctoramentum exigens, conuerſus dixit, Memento mei.* Inde eſt, quod à Chriſto reſponſum accipit. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Quæ ab Adamo ad Chriſtum vſque fortuna in ſpe erat, hanc latro momento impetrat; *ſed iſte, & Magiſter pendebat in cruce, & ſanis perſuaſionibus alium inuitabat ad vitam*: ait Chryſoſt. Hom. 2. de latrone.

Domine, memento mei. Quo id ore latro? ſed preces à patientia valentiores. Adeo patiens dolorum latro eſt, vt, quod patitur, merito ſe pati dicat. *Nos quidem iuſtè.* Cur cœlum non petat iuſta fiducia? in com. cap. 5. num. 52. p. 24. num. 2. & 3. ad cap. 5.

Domine, memento mei. Cur tam citò latro, ac reus notarum omnium fidem concipit de Chriſto, ſummoque Deo? Sed titulo ad ſummam crucem perlecto mentem demutat facilè.

Tantum

Tantum è sacro textu lucrum est. p. 1. n. 2. d. 2. p. 6. n. 3. ad cap. 1.

Dum veneris in regnum tuum. Vnde probas latro bone Christum in cruce Regem esse? Titulum Dimas inspexit lentè: vbi Christus audit, *Iesus, id est seruator.* Ac proinde Regem probat à cura salutis publicæ. Vide p. 26. n. 2. ad cap. 5. p. 44. n. 2. & 4. cap. 7.

43. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Iurandi forma est, qua se Christus obstrictum voluit, vt latronem piè seruatum daret. Quis enim de salute vltima hominis perditissimi non dubitaret, si Christus id non assereret iureiurando? p. 43. num. 6. ad cap. 7. Et verò, si spem facit bonus latro, metum facit latro malus.

Hodie mecum eris. Festinat Christus in salutem hominum. neque enim diem perdit immemor largiendi; ait Cyrillus Catech. cit. *Longa est petitio, celerrima gratia.* Cyrillo Bernardus hæret ad ser. 5. de Sanctis. *Factum* (inquit) *est vtique quod promissum est, ipsa die, qua compassus est, & conregnauit.* Vide p. 17. n. 1. ad cap. 7.

Hodie mecum eris. Regem latro agnoscit, qui precatur veniam, illud ingerens, *Cum veneris in regnum tuum.* Addit Cyrillus cit. *Ideo iustè audit: Confide; non quod opera tua digna sint confidentia; sed quod Rex adest, qui gratiam confert.* Vide p. 26. ad cap. 5. in com. cap. 7. num. 73. p. 44. ad cap. 7.

Hodie mecum eris. Plura Deus præstat, quàm rogetur. Nam latro sui memoriam deposcit die vltima reeum humanarum; *Memento* (inquit) *mei, dum veneris in regnum tuum.* Christus verò non cunctatur: sed manu largiori & regnum confert, & diem præuenit: sic Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 23. *Vberior est gratia, quàm precatio.* Obsessa Ierosolyma, precatur Ezechias; *Saluos nos fac de manu eius.* 4. Reg. cap. 19. num. 19. Quid verò Deus? & vrbem tuetur soluta obsidione, & Sennacheribum malè perdit; quod Ezechias non petierat num. 37. *& percusserunt eum gladio.* Vt Chrysologus diceret serm. 95. *Semper Deus maiora tribuit, quàm rogatur.*

Hodie mecum eris. Deus bone! tam citò latronem audis? sed latro aduersus latronem Dei causam de Cruce tuetur: illud versans, *Hic verò nihil mali gessit*: ac proinde gratiam citò Christus reddit, teste Cyrillo ad Catech. cit. *Celeriter* (inquit) *tibi gratificor.* Nullo enim Deus colitur officio, vt non reponat beneficium. p. 17. ad cap. 6.

Hodie mecum eris in paradiso. Aude peccator, & spem foue impetrandæ veniæ. Si enim latronem cœlo intulit Dei bonitas, nulla vi scelerum vincitur. p. 42. ad cap. 5. p. 35. ad cap. 7.

Feria V. De Cœna Domini vltima.

Ex Ioann cap. 13.

N. 1. *Ante diem festum.* Dies, qua patitur, festa Christo, & læta est, ac proinde canit Magister Cygnæo canore dulcius. p. 24. n. 4. ad c. 7. à Tertulliano illud: *Satis poterit tibi facere Psalmus vigesimus primus totam Christi continens passionem, canentis iam tunc gloriam suam.* Aduers. Iudæos cap. 10.

Velos. in Iudith.

Sciens Iesus, quia venit hora eius. Ait de Christo Ioannes. *Hæc est hora vestra*, ait Christus de turba Iudaica ad Luc. 22. num. 53. Sed quæ dies malis hominibus hora est: ex affectu sæuiendi; hæc vna dies Christo hora est ex affectu patiendi. Hoc affectu Christus occasionem patiendi horariam esse dixit, teste Paulo ad Hebr. cap. 2. num. 9. *Vt pro omnibus gustaret mortem. id est, horariam, & non longam: quasi aliquid gustando transiret pro omnibus.* Sic Anselmus docet breuem Christo fuisse patiendi moram.

Agit Christus de vi, dolóque malo aduersus Christianam scholam. *In Synagogis* (inquit) *suis flagellabunt vos*: & ad *præsides, & ad Reges, ducemini.* Matth. cap. 10. num. 18. Ne metus vocem intercludat, benè Magister num. 19. *Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* An dies benè longa, & torquendis hominibus destinata, verè hora erat? Ait, qui benè amat. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri.* num. 20. Et verò Dei amor diem tormentis exactam quasi horam supputat.

Venit hora eius. Cum sciret amans hominum Deus mortem sibi instare, ex spatio vitæ breuiori vrgetur ad laborandum: *Surgit à cœna*, num. 4. vrgetur ad largiendum, *In finem dilexit.* num. 1. Vide p. 8. n. 3. ad cap. 6.

Sciens, quia venit hora eius. Facto Christus docet, quod monet Seneca Epist. 76. Præuidenda esse iacula, vt minus feriant. *Mali enim præcogitati mollis ictus venit.* Et quidem frequens Deo erat sua de cruce meditatio. In via, apud Matth. cap. 20. num. 18. In cœna, ad Marc. cap. 14. num. 8. vbi Christus Magdalenam laudat. *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Neque enim inungi se Christus passus est, causa vitæ curandæ, quod Iudas voluit, & Rupertus negat. lib. 10. in Matth. *Frustra calumniatus est Iudas; quoniam ibi non erat delectatio profusionis, sed meditatio vicinæ mortis; quod notum esse voluit, dicens; Ad sepeliendum me fecit;* Itaque Magister, & viam terens, & cibum capiens crucem meditatur, & tumulum; quò minus premat acerbitas.

Sciens Iesus, quia veniit hora eius. Qui suam prænoscit crucem, nec subterfugit, voluntate patitur, non necessitate: quod notat Salmeron tom. 9. tractat. 5. Et grata est virtus, patiendi prompta voluntas. p. 8. ad cap. 2. p. 19. ad cap. 6.

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. Abire se putat ab hominibus, non obire Deus amans. Neque enim sua de cruce meminit, quæ ad Patrem scala est; quasi memoriam deponeret iniuriarum. p. 12. ad cap. 2.

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. De Patre meminit semel, & iterum, dolorem patiendi mulcens paterna veneratione. p. 28. num. 5. & 6. ad cap. 7.

Vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. Alienum se à Patre esse negat Christus, licet Patris iussu crucem, necémque tulerit. Extremo iam habitu clamat: *Pater in manus tuas.* Luc. 23. num. 46. cum enim prius sua de cruce questus esset Marc. 15. num. 34. *Vt quid dereliquisti me.* Suspicionem mouere poterat auersi animi: ac proinde opus erat, vt Patrem amanter vocaret, teste Euthymio. *Vt omnes audirent, omnesque scirent, quod ad extremum vsque spiritum, Deum appellaret*

Patrem, nec esset illi contrarius. Iam id pridem Christus, licet clauis suffixus ad crucem dixerat, apud Zachariam cap. 13. num. 6. *His* (inquit) *plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Nam cum Pater in proximo crucem parari iuberet, num. 7. *Framea suscitare super Pastorem meum.* Credit Deus amoris Christus lanienam sui ab affectu patrio imperatam esse, Ruperto Auctore. *Vt sit sensus: monumenta sunt paternæ charitatis.* Quod ego patiar,& moriar, id ab amore patrio natum est; nec pati grauor, nec mori queror.

Cum dilexisset,in finem dilexit. Nescit ab amando feriari Deus;cum enim dilexisset,dilexit,& ad finem vsque dilexit. p.3.num.2.ad cap.2. p.3.n.4. ad cap.3.

2. *Et cœna facta: cum Diabolus iam misisset.* Ingratissimus hominum homo est, qui mensa exceptus familiari,male respondet. Id notat Chrysostomus Homil. 64. Vide p. 36. numer. 4. ad cap. 5. Cur non ingratissimus? si beneficiarium inuitant ad gratificandum beneficia? p. 1. ad cap. 2. p. 32. n. 5. ad cap. 5. p. 12. num. 3. ad cap. 6.

Cum Diabolus iam misisset. Iniuriam sibi factam leniter interpretatur Deus amans. Hominem enim,aut Diabolo victum, aut dolo captum peccasse docet,peccatum vtroque motu eleuans. Nónne apud Lucam Deus tribuit Diabolo,quidquid peccauerat mulier in ciuitate peccatrix? *De qua septem dæmonia exierant?* Textus est Luc.8.n.2. Vbi Caietanus. *Excusando eam* (inquit) *& dæmones accusando ait; de qua septem dæmonia exierant.* Deinde carnifices malè peccantes, dolo errantes vocat meus Iesus. *Non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23. num. 34. Cur verò peccantes dicantur ignorantes, licèt ignorantia affectata, inuenit Bernardus scitè. *Ad hoc* (inquit) *peccato singulari ignorantiam copulauit; vt sub aliqua vmbra iustitiæ ignorantibus posset ignosci.* Itaque Deus amans, vt parcat facilè, iniuriam sibi impactam leniter interpretatur.

3. *Sciens, quia omnia dedit ille Pater in manus.* Amantem hominum filium latè diuitem Pater misit, vt benefactis suum testaretur amorem. p.17.n.3.ad cap.4.

Sciens,quia omnia dedit illi Pater. Monet textus sciente donandum, non cœco affectu. p. 10. ad cap.2.p.6.n.5.ad cap.3.

Sciens, quia omnia dedit illi Pater. Id Ioannes docet, postquam dixit, *Et cœna facta*, num. 2. Cùm enim Christus sua in homines bona expendit, tunc se benè donatum esse putat. p. 44. num. 5. ad cap.7. Terram Iudæo tributim daturus, Iosue administro, Deus rerum se vocat, terrarúmque Dominum. Ad Iosue cap.1.n.2. Dei vox est. *Transi Iordanem istum, in terram, quam ego dabo,* Deinde addit Iosue ad c.3. num. 10. *Disperdet in conspectu vestro Chananæum.* Sed quis hæc patrabit, nisi terrarum Dominus? num. 13. *Qui portant arcam Domini Dei vniuersæ terræ.* An benè in Deum quadrat Musa Bilbilitana? *Quas dederis, solas semper habebis opes? aio.*

Sciens, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit. Habet Christus in oculis patiendi scenam vniuersam, *Sciens, quia venit hora eius.* Nec tamen aduersis deferuescit amor;sed *cum dilexisset Christus, in finem dilexit.* in com.c.6.n.26. p.8.num.3. & 4. ad cap.6.

Sciens, quia à Deo exiuit. Scitè additum, quis nam Christus fuerit, cum locus est de potestate benefaciendi. *Quia omnia dedit illi Pater in manus.* Nam bene hominibus facit, qui genus à Deo, animúmque trahit. p.26. ad cap.5.

Sciens, quia à Deo exiuit. Cum docuisset, quid largiturus hominibus esset; *quia omnia dedit illi Pater in manus.* Opus erat, vt pateret, quàm magnus esset Princeps. Nam magna à magnis dari solent. p. 27. num. 1. ad cap. 5.

4. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* Scilicet cum sui iniuria Deus hominum amans est: quod Guerricus notat ad sermon. de Ascens. *Tunc enim prorsus sua oblitus maiestatis, & quasi iniuriam faciens sibi, Dominus, ac talis Dominus seruorum pedes lauit.* Cur de cruce non exscendit, licet rogatus? Apud Matth. cap.27. num.4. *Descendat nunc de cruce.* Necesse erat periclitari, aut maiestatem Regis maximi, nisi exscenderet, aut charitatem humanæ salutis, nisi perstaret. Sed mauult apud homines periclitari opinionem suæ maiestatis, quàm suæ charitatis. *Vt discas benè operandum esse, etsi homines malè de nobis senserint.* Hæc à Theophylacto.

Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua. Præmittit Ioannes, vnde Magister genus traxerit nobilissimum. *Sciens, quia a Deo exiuit*: ac deinde addit, quo se modo humiliauerit; vt scias humilitatem generositatis prolem esse. Quis enim submittat se se, nisi homo sua de prosapia securus? Theophylactus benè in locum. *Non timebat minui gloriam suam discipulorum pedes lauans; non enim rapuerat gloriam, vt timeret ab illa excidere.* Sacco vestitur Ezechias, & templum adit. Inde legat homines ad Isaiam, & se se ad serui pedes abiicit, illud ingerens. *Hæc dicit Ezechias.* Nec se in loco Regem appellat. Quod patet ex Isaia cap. 37. num. 1. & 3. Facilè Ezechias submittit se se ad preces humiles, sacco induto, securus maiestatis suæ quam proinde textus exprimit num.1. *Cum audisset Rex Ezechias.* Nec meus Christus aliter.

7. *Quod ego facio, tu nescis modò.* An conducit nescire Petrum, quid Magister velit, & tamen obsequatur? Aio. p.15.n.5.ad cap.2.p.18.num.3. ad cap 5.

13. *Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis.* Cum docet facto Christus Magistrum se approbat apud homines. *Magisterio namque illo indigebant*, ait Rupertus lib. 1. in Apocalyp. Et quidem Magister non est, qui dicta factis non probat. p.12.num.1.ad c.1.p.13.n.1.ad c.5.p.13.n.3.ad cap.3.

14. *Si ego Dominus, & Magister.* Magnus amandi artifex Christus est, vnde *sciens Iesus in finem dilexit. Quasi perfectus de amandi arte Magister*, ait Salmeron. Sic & amor faciendi artifex; modos enim inuenit, quibus vim ostendat suam. Hac mente Christus, *Mandatum* (inquit) *nouum do vobis.* numer. 34. Cur nouum Dei scitum modo est, quod erat antiquum, à lege scilicet veteri; *Sed custodientes in se charitatis mandatum, nouos in spiritu reddit homines.* Sic Origenes Hom. 8. in Numer. Viam aliam, atque aliam aperit magnus amor, qua se se ostendat latè magnus agendi artifex.

15. *Exemplum enim dedi vobis.* Constat suam

Magistri

Magistri factis vim inesse ad scholam piè mouendam. p.20.n.45.ad cap.4.p.13.n.3. ad cap.7. p.12.n.1. ad cap.1.

Feria VI.

Christus de cruce depositus.

Ad Ioan. cap. 19.

N.38. *Rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa.* Apud Matthæum cap.27. n.57. *Homo dines.* Ad Marci cap.15. num.43. *Nobilis decurio.* Quis nam Iosepho socius pium in officium? Addit Ioannes *Venit & Nicodemus.* num.39. scilicet Princeps Iudæorum. Ad Ioann.cap.3.n.1. Multa quidem nobilitas hominum, & multus inde stimulus ad pietatem colendam. p.10.n.3.ad cap.3. p.7.n.2.ad cap.3.

Rogauit Pilatum. quo id animo factum docet Marcus ad c.15.n. 43. *& audacter introiuit ad Pilatum.* An hic ille Iosephus est, qui metu concepto Magistrum colebat clanculo? ait Ioannes in loco. Deinde comes est Nicodemus: *qui venerat ad Iesum nocte.* n. 39. *Dimidia tantùm parte Christum amans*, ait Nazianzenus Orat.16. Sed Magistro in crucem acto excitatur piè discipulus quisque, & metum animo abigit,vt Christum de cruce deponat.p.30.n.4.ad cap.5.

39. *Venit & Nicodemus ferens mixturam.* Vbi maior est pietas, inibi maior pium in officium sumptus fit.Vnde Tertullianus monet Apologetic.39. *Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine, sumptum facere.* Nec bona virgo ab hoc sumptu aliena. *Dum esset Rex* (inquit) *in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum,* Cant.1.n.11. Non enim temperat ab incendendis odoribus, quæ Deum vti Regem colit.

40. *Acceperunt corpus Iesu.* Magistrum vita defunctum boni viri de Cruce deponunt.Coronam spinis textam detrahunt, ac meditantur, quid in Deum potuerint turpes hominum cogitationes. Texta enim corona erat, *ex spinis, opinor, ac tribulis, in figuram delictorum*, ait Tertullianus de Coron. milit. cap. 14. Deinde expendunt magnam Christo virtutem inesse, quippe qui cruciatum, & dirum, & fœdum tulerit. Si enim in rubo apparuit Dominus, ac rerum potens, vt Hebræum Ægypto extraheret.Exod.3.num.2.& 9. In prætorio sentes pertulit; *& exiuit Iesus portans coronam spineam.* Ioan. 19.n 5. *Veteris descensus initium instaurans; vt ostenderet omnia esse vnius potentiæ.* Ita Clemens Alex. Pædag. c. 2. Cum verò clauos refigerent,quid putamus dixisse viros bonos causa pietatis excitandæ? illud puto, quod Bernardus aliquando. *Clauus penetrans, clauis reserans, factus est mihi.* serm.61.in Cantic. Meditarentur deinde, quàm piè Dauid Christum referens,vocaret apes sui carnifices. Ps.117.num. 12. *Circumdederunt me sicut apes.* Nam Augustino Auctore; *Nescientes persecutores Domini illum nobis fecerunt sua passione dulciorem.* Cur non flerent dulciter, qui tam dulces in Cruce fauos inuenerant?

— Quid pia Mater,dum Christum de Cruce deponerent viri boni, maternóque reponerent in gremio? Hac de re textus non agit: satius tacere putans, quàm parum loqui de tanto Matris dolore. Nemo tamen dubitet Matrem, susceptο in sinum filio,doluisse,defleuisse,fletu, ac dolore tacuisse.Nam vocem dolor ingens intercludit. Vide p.38.n.2.ad cap.7.in com.c.7.n.66.

Vt tamen lenitus fletu dolor est,& loqui Mater potuit, dixisse crediderim, quod Mater segistrata, cum filium malè interfectum sinu reciperet. *Nimia, fili mi, in patriam charitas, nimiáque humanitas te simul, & me perdidit.* Voluit Princeps Agis vrbem honestè institutam esse, ac proindè odium contraxit hominũ quo periit.Sic & Christus odio laborauit Iudaico. Vide Plutar.in Agi.

Acceperunt corpus Iesu. A Matre scilicet excepere viri boni corpus Magistri,vt condirent aromatibus,& conderent tumulo.Id tamen à Matre dolente ægrè abstrahunt. *Nam de filio malè tractato satiari non poterat*,ait Bernardus loco citato. Tunicam Iosephi cruore madidam, quod putat Iacobus Pater, auelli à se non patitur, illud iterans, *Tunica filij mei est*, Gen.37. num.33. Cur id? bene Theologus,Orat.14. *Cruentam pueri vestem quasi filij corpus deosculans,eadem re,& dolorem incendens,& mulcens.* Quid Virgo Mater aliud?

42. *Ibi posuerunt eum.* De Christo sepulto locus est. Tumulum Ioannes monumentum vocat; num.41. *Quasi monens mentem* de Christi dolore,ac amore. Docet Marcus esse monumentum *excisum in petra*: ne qua foret obliuio de Christi nece; *ad perennem etiam ex loco memoriam*, ait Caietanus:ita Christo placet meditatio de sua Cruce,ac nece. Quare mulieres *erant ibi sedentes contra sepulchrum.* Matth. cap.27. num.61. vt lentè cogitarent Dei tragœdiam vniuersam.Nec mente alia Deus significatam esse tot victimis Christi mortem voluit, nisi vt semper in oculis Iudæus haberet, quid pro hominibus Christus esset passurus:ait Clemens Alex.6.Stromat. cap.8. *Eminus certè lex præmeditabatur.* Quare nemo deponat animo, quantum Deo soluendum putat causa gratificandi.

Dixi: Ascendam in palmam,& apprehendam fructus eius. Ita Sapiens Cant.7.num.8.An Christum virgo suspicit,& se se accingit, vt Magistrum vita functum de Cruce deponat? Id opinatur Antistes Philo. In re difficili vires cogit; *Dixi* (inquit) *mecum ipsa deliberans*,ait Theodoretus. Obsistunt difficultates;deuorat tamen virgo, modò Christum de cruce tollat, satis sciens quid inde boni collectura sit anima.

Et apprehendam fructus eius. Nam si credendum Richardo Victorino est, *Difficultatem ascensus aufert dulcedo gustus.* lib. 1. institut. monast. cap.22.Vrget Pontifex;instat Iudex; tortor vbique,dolor simul, & mala mortis imago: non timet amans anima;sed clamat iterum, atque iterum: *Ascendam in palmam*; & Christum de cruce deponam. *Qui adeo me dilexit, vt acerbissimam crucis mortem subire non dubitauerit, altitudinésque dolorum, ac ignominiaram non modo vicerit, verùm etiam amabiles reddiderit.* Hæc Antistes Philo. Quis igitur non doleat?quis non fleat? cum sciat Christum clauis fixum, ac tumulo conditum pro salute hominum:Dolendum, deflendúmque perfæpe est,imò dicendum, quod Ambrosius in Valentini obitu. *Quotidie mihi maior ad dolorem, crescis ad gemitus.*

Index Concionatorius.

Feria VI.

Solitudo Magnæ Matris Christo sepulto.

Ad Cant. cap. 3.

N. 1. *IN lectulo meo, per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Ita Mater Christi amans est, vt filio in tumulum illato, se se cubiculo abdiderit, & inibi fleuerit, *gemitibus quidem multiplicatis*, ait Hugo: dum perquirit, nec videt, quod amat. Et quidem Rupertus locum explicat de Christi matre sanctissima, postquam filio piè condito, domum rediit, ac desideriis icta fidelibus absens absentem *quæsiuit, nec inuenit. Sepultus est* (inquit) *& ego quali mente quærebam, & quali desiderio desiderabam?* Sic Rupert. lib. 2. in Cant. Ingens adeo Magnæ Matris dolor est, vt in lectum ægra decidat. Quod Gilbertus scitè notat serm. 1. *Quid ni* (inquit) *sic ipsa recidat, vbi sic dilectus recedit?* Aberat à matris aspectu, & amplexu clausus tumulo filius, non poterat mater non dolere; tunc enim pulchrior ad dolorem ciendum Christi facies erat, virtus maior, ars dexterior: *magisque solito pendet extremus decor*, ait Seneca in Troad. act. 5. Parcior in Christo laudando sponsa est, cum sponsus adest: cum abest ille? tunc effundit se se in Christi laudes virgo. Quod patet ex Cant. 5. num. 10. *Dilectus* (inquit) *meus candidus.* nec id ego miror. *Hæc enim mortalium natura est, vt nihil magis placeat, quam quod amissum est.* monet Seneca ad Marciam cap. 17.

Recurrunt Matris animo, quæ, dum vixit, Christus dixit, ac fecit; absens absentem Mater desiderat, tanto ista dolore, vt sepulchrum non adierit cũ fœminis reliquis. Nam suo sub tecto latet, ac luget. *Deficiens pia Mater ad sepulchrum ire nequibat.* Sic Bernardus in lament. Virg. Magistri sepulchrũ adit Magdalene odoribus paratis; Christum desiderans: *stabátque ad monumentum foris plorans*, Io. c. 20. n. 11. Cur se domi non continet, vt fleat liberè? sed exire domo cogit fœminam magnus Christi amor, ait Hieronymus Epist. 150. ad Hebid. q. 5. *Domi enim ob eius desiderium manere non poterat.* Aliter virgo Mater, scilicet magis amat, & magis dolet; quare suo se claudit cubiculo, grandiori affecta amore, & grauiori confecta dolore. Lego Ionam ima se nauicula abdidisse, cum tempestas iusto grauior fureret, cap. 1. n. 5. *Descendit Ionas ad interiora nauis.* Eò loci traxit hominem iustus dolor, ac mœror ingens; cum sciret Ionas sui causa, sæuire mare. *Ideo tristis absconditur*, ait Hieronymus. Nec virgo Mater latet, nisi mœrore concepto.

Et verò tantus erat mœror, vt diem in noctem verteret: sic locum interpretor, *Per noctes quæsiui.* Neque enim virgo Domina ita noctem luctu exegit, vt diem fletu non exigeret: sed magnus de Christi dolore dolor tristem ex die noctem fecit. Quæ Iudæo erat acerba calamitas. Ad Thren. c. 1. n. 2. Inibi gens Hebræa *plorans ploranit in nocte.* Negat Ieremias Iudæum ploraſſe die clara; *quia non licebat in die*; ait Laudunensis. Tanta Chaldæo erat feritas, vt non sineret homines flere publicè communem calamitatem. Puto ego diem Iudæo noctem videri ex mœstitia. Quo laborat malo pia Dei Mater.

Quid si domesticis clausa tenebris est, vt fleat, ac dicat sine arbitris liberius, quidquid, Deo sepulto, dolet? solitudo enim ciendi lachrymis nata est. Vnde Petrus Luc. 22. num. 62. *Egressus foras fleuit amare?* Teste Laudunensi, *vt haberet liberum flendi locum.* Nec Ieremias solitudinem expetit, nisi vt plangat liberè, cap. 9. n. 1. *Plorabo* (inquit) *die, ac nocte.* Additque in proximo. *Quis dabit me in solitudine?* Scienter admodum solus esse vates cupit, cum se ad fletum accingit: vt dicat Nazianzenus Orat. 17. *Solitudinem amplectitur, vt magnam mœroris sui partem exhauriat, atque ad interna plaga leuetur.* Sola domi flebat Dei Mater, & flebat liberius, quo secretius. Meditabatur, qua vi dolorum vitam Christus finierat, & quos ille clauos tulerat, hosce Mater clauos ferebat animo. Amor enim magnus est, qui alieno dolere malo solet.

Carmen Dauid pangit, quo totam Christi necem, & crucem plangit. *Deus* (inquit) *Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti?* Psal. 21. num. 1. Sic tamen Dauid Christi dolores exponit, vt se dolere vates dicat. Scilicet Dauid Christi auus affectu sentit, quidquid reapse nepos sentit. *Verè enim Dauid in Christo passus est, quoniam Iesus verè crucifixus est in carne Dauid.* Ait Leo Pont. ser. 6. de Passion. Sed grauius multo dolet Mater; vtpote quæ filium magis amet, amore testato. *Quem diligit anima mea.* Nónne Mater filij cruce excruciatur? *Vadam* (inquit) *ad montem myrrhæ.* Cantic. 4. num. 6. Hæc Mater, vbi Christum videt cruce excruciatum: satis insinuans, quid pati vellet; vnde laudem à Christo grandem tulit: num. 7. *Tota pulchra es amica mea.* Et quidem Christus; *quoniam sciebat ipsam secum esse crucifixam, rursus commendat his verbis:* ait Theodoretus.

Miror ego Matrem Virginem luctu confectam non mori? nam mœror ingens extrudit animam. *Descendam lugens in infernum*, ait Iacobus Gen. 37. n. 35. Illúdque voluit, Iosepho, quod putabat, interfecto, facilè enecari Patrem mœrore contracto. *Vtrum ideo in infernum, quia cum tristitia?* Placet id Augustino q. 141. Fortasse vita periclitaretur Dei Mater piè dolens Christo enecto, nisi opem ferret vis diuina. Reputabat suo cum animo interfectum esse iuuenem probatæ innocentiæ, nec à lachrymis temperare poterat: quæ vel demortua fleret vbertim. Deflet Rachela occisos ab Herode infantes esse. *Vox in Rama audita est; ploratus, & vlulatus multus.* Matth. 2. n. 18. Constat vrbem ab agro Bethlemico distare, leucas non paucas: eò tamen loci voces ab eiulatu muliebri deuolarunt. Sed quæ nam Mater ita fleuit, vt fletus longè audiretur? *Rachel* (inquit) *plorans filios suos.* An Mater iam olim clausa tumulo flere potuit cædem innocentium? Benè Hugo: *Notatur doloris exaggeratio, qui tantus est, vt & mortua dicatur flere.* Quid faceret Virgo Mater, adhuc viuens, ac videns, occiso Christo, celebratæ innocentiæ? Doleret, ac fleret altè, vt cœlum fletu pulsarer. Illud iterans: *quæsiui illum, & non inueni.* O quoties filium modo vitam, modo animam diceret suam; quas amor in luctu voces edit. Iosia interfecto, mitum est, quibus Regem nominibus appellat Ierosolyma, *Princeps prouinciarum, ac Domina Gentium*, ad Thren. cap. 1. Nunc enim Iosiam amanter vitam appellat suam. c. 4. n. 20. nunc suos vocat oculos c. 3. n. 50. nunc tandem venustatem dicit meram c. 1. n. 6. *Egressus est à filia Sion omnis decor eius.* Hæc loquendi

quendi forma est, qua Mater, occiso filio, suum solatur dolorem; ait Lyra. *Sicut Mater, lamentans filium, nominat ipsum, vitam suam, & sic de aliis.* Hoc affectu loqui,& queri ius erat Dei Matrem,Christo iam sepulto;cum haberet in oculis clauos,crucem,necem,ac tumulum.

Quis non doleret, quis non fleret,considerata hominum in Deum carnificina?Priusquam Ieremias de Christo passo diceret ad Thren. cap. 3. n.52.*Venatione ceperunt me.* Est in versu proxima litera, ע *Aiin.* Id verò est *fons, siue oculus.* Quasi monuerit Vates, mittendos ex oculis esse fontes lachrymarum: vbi quis de Christo passo meminerit. Suo in clypeo habet Princeps Cantaber inde cruces, inde oculos expressos affabre. Acsi velit, videri non posse crucem Domini sine lachrymis;proindeque oculos adesse crucibus eruditos ad lugendum. In linteo expressum habet virgo Mater,quidquid Deus sua cruce passus est: Parate oculos, & lugere; ne querantur de siccis hominum oculis vulnerum signa, *ac iustæ querelæ.* quas vocat Salmer. tom.10.tract.

Dominica VII.

De Christo resuscitato.

Ex Marc. cap. 16.

N. 1. *Emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Pius fœminis affectus in Deum est. in prolog.n.13.

2. *Et valde manè veniunt.* Commendatur officium à celeritate. Vide p.18.ad cap.5.p.15.n.3.ad c.2.p.8.n.3.ad c.7.in com.c.3.n.8.p.5.n.5.ad c.7.

Veniunt ad monumentum, orto iam sole. Quæ à prima luce ad Solis vsque progressum rectè agunt mulieres, perdurant in rectè agendo, in com.c.4.n.38.p.17.ad c.4.in com.c.7.n.44.

3. *Quis reuoluet nobis lapidem.* Difficultates rerum deuorat facilè affectus ingens,non defervescit,in com.c.6.n.26.p.8.n.3.ad cap.7.p.9 n.1. ad cap.5.

4. *Viderunt lapidem reuolutum.* In re dubia erant mulieres; sed nulla Deo mora est in opę ferenda. p.9.n.4.ad c.2.in com. cap 2.n.26.p.17. n.1.& 3.ad c.5.

5. *Intro euntes in monumentum.* Post Christi mortem, ne mulieres quidem terrentur mortis aspectu. p.30.ad c.5.

6. *Nolite expauescere.* Quæ mortem suo in loco non timent, cur timent Angelum mulieres? sed timent, quæ *viderunt iuuenem.* Et metus est, qui pudicitiam commendat muliebrem.p.5.n.1. p.22.n.4. ad c.4.

Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum. Laus est,quod mulieres Christum vita functum perquirant. Sed multa inde timendi ratio est, cum laudantur à iuuenculo mulieres. p.1. num.2. & 3 d.6.

Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum. Nazarænum Angelus florem dicit, & Iesum à cruce lata commendat. Gratior enim post laborem, ac dolorem corolla est. p.7.& p.8.n.5.ad c.7.

Iesum quæritis Nazarenum. Quanta post mortem Christo maiestas, ac venustas, vt Angelus Dominum pulchrè describat? *Porro Angeli gratulantes in resurrectione eius, nomen istud solemniter prædicauerunt.* Ita Rupertus lib.2. in Matth. Nescio quid pulchri in Christo Paulus vidit,vt Magistrum è tumulo excitatum plusquam hominem dixerit. Ad Galat.c.1.n.1. *Paulus* (inquit) *Apostolus, neque per hominem; sed per Iesum Christum.* Quid bone Paule? si per Christum, nonne per hominem tuo defungeris apostolatu? sed addit Apostolus Christum a Deo excitatum gloriosè; *quem suscitauit.* Additumque à Paulo id esse credit Theophylactus, *vt hinc appareret cur dixerit, neque per hominem. Nam propter immortalitatem iam nunc Christus non homo est.*

7. *Dicite discipulis eius.* An fœminis commissa potestas denuntiandi garrulitatem culpat muliebrem? Sed cura mulierum commendata ignauos homines culpat Angelus.in prolog.n.9.

Dicite discipulis eius, & Petro. De Petro in culpam lapso Christus signanter meminit, ne quid timeret discipulus errati pœnitens. p.19:& p.22.n.3. ad c.4.p.41.& p.47.ad cap.5.

De Christi in cœlum ascensu.

Ad Marc. cap. 16.

N. 14. *Recumbentibus vndecim discipulis.* In cœna Christus agit de suo in cœlum itu; satis admonens cœnam piè temperandam esse tractatu rerum sacrarum.Quod probant leges de cibis vetitis,ad Leuit.c.11.n.2.Deut.c.14. n.3.vbi Moyses, *ne comedatis quæ immunda sunt.* Condita legum scitis mensa erat;*vt istis legalibus disciplinis vbique occurrentibus, ne illi momento vacarent à Dei respectu.* Quod Tertullianus probat lib.2. contra Marcion.c.18. Vide p.22.num.4.ad cap.6.

Recumbentibus vndecim discipulis. Inter cœnandum agit Christus de salute hominum. *Prædicate* (inquit) *Euangelium.* Sed castigata adeo cœna erat, vt discipulus magnis de rebus Magistrum posset audire. p.22 num.3.& 4.ad c.6.

Exprobrauit incredulitatem eorum. Hæc inter cœnandum Magister.Cur cibos temperat increpationibus?Monet fortasse Christus nullam sine dolore voluptatem esse in hac hominum vita. p.20.n.3.ad c.6.

Exprobrauit incredulitatem eorum. Nonne Christus verè Pater,Apostoli verò filioli? constat ex Ioann.c.13.n.33. Sed filiorum erratis non parcit bonus,ac sciens Pater. Vide p.7.n.3.ad c.2.p.46. n.2. ad c.5. Sic Iacobus increpans benè liberis apprecatur *Benedixitque singulis*, ait Moyses, ad Gen.c.49. n.28. Quod Iudam laudauerit Pater à bono virtutis masculæ,scio.n.8.Quod Iosephum commendauerit à bona rerum copia, lego.n.22. An Rubenum laudat,cum pungit? n.4. *Non crescas.* An Simeonem bene,ac Leuitam dicit, cum pulsat.n.5. *Vasa iniquitatis bellantia?* Sed bene Iacobus liberis apprecatur, cum imprecatur, teste Caietano. *Nam arguere, & increpare alienum non est à paternis benedictionibus.*

Exprobrauit incredulitatem eorum. In cœna suam Christus scholam pungit; quippe quod bonus Pater,& alit,& punit. Vide com.c.1.n.28. com. c.4. n.24.com.c.5.n.72.p.15.num.4. ad c.6. p.20.ad c.6.p.42.n.2.ad c.7.

15. *Euntes in mundum vniuersum.* Quanta Deo bonitas vt orbem vniuersum fide sana instructum velit! p.2.n.1.d.2. p.3.n.1.d.2.p.17.num.2. ad cap.5.

Euntes in mundum vniuersum prædicate. In summa rerum gloria missiones de fide promouenda probat Christus,& vrget. p.17.n.1.& 2.ad c.5.in com.c.5.n.42.

18. *Dæmonia eiicient,linguis loquentur nouis.* Totus in adiutandis hominibus Christus est paratus ad auxilium ex nomenclatura nobili. Nam de textu est, *Dominus quidem Iesus.* Et hæc Deo maiestas est seruare homines. p.26.n.3.ad cap.5. p.44.num.1.& 2.ad c.7.in com.c.7.n.73.

19. *Et Dominus quidem Iesus.* Ex nomenclatura duplici, duplex est Christo occasio benè hominibus faciendi.p. 4. ad cap. 3. Vide com. cap. 3. num.7.

Et Dominus quidem Iesus. Priusquàm textus Christo nomen daret, latè dedit Christum hominibus emancipatum esse affectu salutis publicæ:quod pater,num.18. *Et bene habebunt.* Neque enim placet Christo nomen quo factis partum, exæquatumque non est. p.3. ad c.3.p. 2. n. 1. ad cap.1.

Postquam locutus est illis. A resurrectione ad ascensionem vsque ; *loquens de regno Dei*, Act. cap.1.num. 3. Transacti ne dies in concinnando rerum apparatu ad ascensum ? scilicet more hominum , qui ludos non obeunt calore subito, sed collecto ludorum instrumento. Et placet hæc Chrysologo commentatio ad serm. 85. *Patris occursum differt , Patris suspendit amplexum;donec totum se releuet, ac reformet suæ ascensionis in gloriam.* Quasi oportet parari copiam triumphi granditer celebrandi.

Postquam locutus est. Quanta in discessu Domini , seruatorisque benignitas?Quot in amplexu Magistri alloquia ! scilicet dolorem mitigant allocutiones familiares. p.16. n.5.ad c.4.

Postquam locutus est illis. Quod Magister discipulos allocutus fuerit , bene Marcus docet: quod Magistro schola responderit , non tradit. sed quanta in discipulis fuerit pietas!quam pius in Magistrum affectus ! quàm dulces ab affectu lachrymæ!Ostendit Christus,ad Ioan.c.13.n.33. cap.14.n.2.n.19.n.28.c.16. num.5 & 16. Quibus locis Magister tuum discipulis discessum explicat , & sermonem ea de re versat. *Vt enim æquo animo discessum suum, ac generosè perferrent,assuefecit.* Ita Chrysostomus Hom.78.in Ioan.

Assumptus est in cœlum. An vi raptus in cœlum Christus est?Id textus insinuat. Et verò bonus Magister sua ab schola ægrè discedit. *Et raptus est filius ad Deum , & ad thronum eius*, ait Ioannes Apoc.12.n. 5. signatè dixit Apostolus Christum è terris esse raptum. *Quod adstantibus discipulis assumptus ascendit in cœlum,quid est,nisi raptum esse filium ad Dei Thronum?* Ita Rupertus lib.13.c. 2. de vict.Verbi.

Assumptus est in cœlum. Apparet, qua vi Magistrum schola retineret, ne cœlum peteret. Sed qua voce Magistrum abeuntem reuocaret, bene docet virgo sapiens,Cant.c.2.n.17.vbi occlamat, *Reuertere , dilecte mi , super montes Bether.* Quod in Olueto factitatum Bernardus putat , ad sermon.73. *Si hæc cogitamus,non immerito,nec incongruè (puto) videbitur, quantùm de abscessu tristis, tantùm de reditu sollicita fuisse,præsertim sic affectu, & sic relicta.* Quæ nimis amat,nimis dolet abire dilectum Deum. Vnde clamat , *Reuertere dilecte mi.*

Et sedet à dextris Dei. Si Deo Christus assidet, multa Chtisto maiestas est.Ssd quis exponat maiestatem suo honoratam silentio? Nam Christus, licet carnem induerit, incedens gloriosè carnem videtur exuisse ; quò Magnus Leo trahit Pauli vocem. *Etsi cognouimus , secundùm carnem , Christum ; sed nunc iam non nouimus.* 2.ad Corinth.c.5. num.16. Cum Magister cœlo fruitur , quidquid humani est,exuisse visus est. *Meritò dicitur Christi caro in eo statu notâ nesciri ; quia nihil in ea infirmum remansit.* Ita Magnus Leo ad serm.1. de resurrect. Quid si tanta est Christi gloria, cum cœlum conscendit,vt explicari non possit?De Christo in crucem acto dicit Zacharias cap. 13. n. 6. *Quid sunt plagæ istæ?* Sed tacet de Christo resuscitato , ac ne verbum quidem facit de Christi ascensu honorans silentio maiestatem rerum maximarum. Quod Rupertus ait lib. 5. in Zachar. *Nimirum in litera vel tantillum deesse oportebat; nam qui portare posset,quotus tunc erat ?* Nemo igitur exprimat Olueti claritatem,*in quo beneplacitum est Deo.* Ps. 67. n. 16. Vnde Christus cœlum petit ; vnde sacrum sibi auxilium Dauid repetit. Fugatus Ierosolymis Dauid , *ascendebat cliuum Oliuarum.*2.Reg.cap.15.num.3.Nec montes subit alios Dauid, quod Cyrillus notat Catech. 2. *Sed per Oliuetum fugere maluit , firma inuocans mente liberatorem illum , qui isthinc cœlos erat ascensurus.* Tantum de Christi ascensu affectum alebat Dauid.

De Spiritu sancto.

Ad Ioann. cap.14.

N.23. *Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit.* Qui à S. Spiritu affectus est , in multis legum scitis vnicum Dei verbum agnoscit,amore laborem minuente : quod probat Oleastrius ad Gen.cap.3. *Qui diligit,multos sermones vnicum, ac leuem sermonem reputat.* Hoc aspectu Moyses decem Dei mandata,decem Dei verba vocat;& à se scripta dicit Exod. cap.34. n. 28. *Et scripsit in tabulis verba decem.* In Sina Moyses erat , cum primùm à Deo leges accepit Exod. 31. num.18. *Deditque Dominus tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei.* Nec inibi Moyses vocat leges Dei verba,nec à se scripta dicit : scilicet multa inibi tonitrua mugire , multa inde videntur micare fulgura:multus à Deo minante metus est, Exod. c.19.n.12.& 16. Cum verò nullus est metus, nec cœlo tonante,micant ignes,benè Moyses *scripsit in tabulis verba decem.* Et lex vna vnicum Dei verbum est à Moyse scriptum. *Quia homo potest legis opus facere per charitatem iustitiæ , quod non potest per timorem pœnæ.* Sic Augustinus rem flectit à synagoga ad Christi scholam lib. 5. q. 15. in Deut.sic amor laborem minuit. p.8. n.1. & 2. ad cap. 2.

24. *Qui non diligit me,sermones meos non seruat.* Qui metu seruit in vno Dei verbo dura legum scita agnoscit , & inesse queritur. Friget Heua metu ducta in Dei obsequium. Inde mulier de lege lata,ad serpentem Gen.3.num.3.*Ne*(inquit) *moriamur.* Quæ nam ab hoc metu vox nata ? In vno Dei mandato,*Ne comedas* vnum, & alterum Heua mandatum agnoscit ; *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Mentitur mulier impudenter, mandato ad Dei mandatum addito.*Cur mentiris mulier?quoniam non ex amore,*

sed

ſed ex timore legem ſeruandam eſſe arbitraris? Sic Oleaſtrius. Erat Heua in mortis metu, quam Deus minabatur, *morte morieris.* Ac proinde ſimplex Deiſcitum metu duplex videtur. Putat Rupertus mandatum ab Heua deprauatam ex mandati impatientia. Nam querimonia eſt, *& ne tangeremus illud*; quod Rupertus notat lib. 3. cap. 5. in Geneſ. *Iam* (inquit) *impatienter ferebat, iam murmurabat.*

26. *Paraclitus autem ſpiritus.* Multa à ſancto Spiritu ſolatia venire ſolent ad mitigandos labores, ac dolores hominum. Quis enim ferret, ac perferret calamitatem, ſi Deus Amor non ſolaretur hominem? Aquis, ac tenebris obducta erat terra vniuerſa, ad Gen. cap. 1. n. 2. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Cur non timeret Deum Iudicem? de quo textus Hebraicè. *Creauit Index.* Sed adeſt ſpiritus, & quidem Paraclitus.

Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Aduolat Deus Amor, alis indutis, ne terra metu prematur nimio, ac mœrore; quod Rupertus arbitratur: ad tom. 1. l. 1. cap. 3. de proceſſ. Spirit. ſancti. *Vnde putas ſumptam huius vocabuli auctoritatem, niſi ex hoc capite; Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Acſi Rupertus vellet Paraclitum à rebus fouendis appellatum eſſe. Abire ſua ab ſchola Magiſtrum erat occaſio. *Vado* (inquit) *ad Patrem.* n. 28. Oportebat, vt ſubueniret, afferrétque ſolatium. *Paracletus, Spiritus ſanctus: quod mulcet*, teſte Laudunenſi.

Spiritus ſanctus. Sanctos facit mores hominum Deus Amor. Suam Deus ſcholam benè moratam voluit; quod pollicetur apud Zachariam cap. 10. num. 7. *Et exultabit cor eorum in Domino.* Scilicet tanta erit morum ſanctitas, vt grandi fruantur voluptate homines: addit in proximo, cur id promiſerit. *Sibilabo illis* De meo (inquit) ſpiritu tota erit copia rerum lætiſſimarum. Sic enim Deus, teſte Ruperto.

Quidquid boni eſt, vel eſſe poteſt, de meo erit ſpiritu. lib. 4. vel Magum formabit ſanctè Dei ſpiritus, ac morum pædagogus. *Irruente in ſe ſpiritu Domini; dixit Balaam, dixit homo, dixit auditor ſermonum Dei* Num. cap. 24. n. 2. 3. 4. An iſte homo eſt, *qui cadit?* ait Moyſes. Stare Magus non poteſt Dei ſpiritu actus homo; pugnat enim bonus ſpiritus cum malo ariolo. *Non valens ferre ſpiritum Domini, cecidit in terram*, ait Antiſtes Clarius. Scilicet vim hominibus, etſi dulcem infert ſpiritus, ac tyrannus amor, ad rectè agendum.

Spiritus ſanctus. Priuſquam ſpiritum promittat Chriſtus, ac mittat, docet legem ſeruandam eſſe, parata morum ſanctitate. *Sermonem meum ſeruabit.* Satis admonens inuitari ſanctum Dei ſpiritum vita hominum ſancta Laudo Iſaiæ c. 11. vbi Vates ait ſpiritum pie affectum in Chriſto quieuiſſe. n. 2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Sed parata, ornataque prius domo per copiam gratiarum ſeptenarum. *Spiritus* (inquit) *ſapientiæ, & intellectus.* Neque enim aduolat ſanctus Dei Spiritus, niſi ad ſanctitatem morum exploratam. *Inſpirauit in faciem eius ſpiritum vitæ Spiritus ſanctus, opifex munditiæ eius, vt requieſceret in eo permanſurus ſtatione æterna.* Ita Rupertus ad lib. 1. cap. 16. de oper. Spir. ſancti.

Spiritus ſanctus, ille vos docebit. Quid recti, ſanctíque auſit monere, qui vita ſanctus non eſt? Ille docet, factis qui ſua dicta probat. p. 12. n. 1. ad c. 1. p. 13. n. 2. ad c. 5. in com. c. 5. n. 7.

Ille vos docebit. Sciens rerum Magiſter eſt Deus Amor. Oculos habet lynceos caſtus amor, vt peruideat, ac prouideat; nec quidquam erit in rerum natura, quod non exponat ſcitè amor ſciens. *Vicit Leo de tribu Iuda aperire librum.* Ap. 5. n. 5. monet ſenex. Sed quem homo leonem dicit, agnum Ioannes laudat. *Habentem oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei* n. 6. Librum ſcilicet, nec ſcienter legeret, nec explicaret Magiſter, niſi adornatus ſpiritu ſeptenario. *Quoniam per ſeptiformem gratiam, quam habet ſpiritus, oſtendit Chriſtus veritatem ſuæ cognitionis.* Quod Hugo interpretatur. Hæc, puto, lux illa eſt, de qua Moyſes dixit dixiſſe Deum Gen. cap. 1. n. 3. *Fiat lux, & facta eſt lux.* Sed præmiſſus à Deo ſpiritus eſt, quo lux eſſet clara, & candida. *Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Vnde Rupertus ait. *Illo quidem principio, ſic aquis ſuperferebatur ſpiritus Dei, vt diceret, fiat lux, & facta eſt lux.* Ad lib. 2. c. 12. de Sapient. Quaſi vellet non poſſe lucem eſſe, & notitiam rerum, niſi Dei ſpiritus aduolaret in auxilium.

De Trinitate ſanctiſſima.

Ad Matth cap. 28.

N. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* A Cruce, & nece iuſtus venit honor: paranda enim labore, ac ſtudore corona eſt. p. 3. n. 4. ad c. 3. p. 37. n. 3. ad c. 5. p. 8. ad c. 7. p. 7. n. 3. & 4. ad c. 7.

Data eſt mihi omnis poteſtas. Quam à Patre Deo Chriſtus habet maieſtatem hæreditariam, generosè tacet. Datam ſibi poteſtatem factíſque partam laudat, quippe quæ magis placeat. Vide p. 7. n. 2. & 3. ad cap. 7. p. 8. n. 5. ad c. 7.

19. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Miſſis Apoſtolis, terrarumque Epiſcopis in orbem vniuerſum, forma Epiſcopis datur obeundi prouinciam ſibi traditam, vt piè moneant, large ſolentur. in com. c. 4 n. 33. p. 15. n. 3. ad c. 4. p. 16. ad c. 4.

Data eſt mihi omnis poteſtas; euntes ergo docete. Poteſtate in homines accepta, curam bonus Princeps capiat de ſalute gentiis ſubditæ. In com. c. 2. n. 22. p. 10. n. 5. ad c. 3. p. 39. n. 2. ad c. 7. p. 9. n. 1. ad c. 2. p. 4. n. 3. & 5. ad c. 3.

Docete omnes gentes. Quanta Deo bonitas, vt gentes ſibi omnes piè collectas velit cauſa ſalutis impertiendæ. Apud Ioannem docet Magiſter aliis ſeſe hominibus daturum, aliis negaturum eſſe. c. 4. n. 21. Quare Thaddæus nouitatem rerum miratus, quærit n. 22. *Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es te ipſum nobis, & non mundo?* Nouum Thaddæo erat, quod Magiſter paucis contentus hominibus, ſalutem reliquis non promitteret, teſte Caietano. *Ratio admirationis in Iuda erat, quod Ieſus erat ſolitus bona ſua promittere communia omnibus.* p. 17. n. 2. ad cap. 5. p. 2. n. 1. d. 2.

Baptizantes eos in nomine Patris, &c. ſuam Deus gloriam cum noſtris miſcet commodis: nec honorem ſibi iuſtum conciliat, vt noſtram non quærat ſalutem. Fidem repetit ab hominibus, cultumque Trinitatis ſanctiſſimæ; ſed gratiam hominibus impertit ſuam aqua luſtrali. Vide p. 3. n. 3. ad c. 3.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Probat textus ſummam tribus perſonis pacem eſſe

esse à natura vnica: quasi dissolueretur concentus Trinitatis sanctissimæ, nisi vnus esset consensus à voluntate vnica. p.16.n.4 ad c.1.

Baptizantes eos in nomine Patris, &c. Cum homo aqua lustrali gignitur in salutem, statim occurrit hypostasum diuinarum consensio: vt inde pacem discat homo, vnde vitam haurit sanctam. Vide p.16.n.2.ad c.1.

20. *Docete omnes gentes seruare omnia* Quid prodest fides piè suscepta, si factis non iuuatur? Lego sancta Dei animalia, oculis aliisque adornata plurimis esse, apud Ezechielem cap. 1. n.18. *Et totum corpus oculis plenum erat*: quibus notiones rerum significantur. Sed addit vates alis additas esse manus hominum; quibus signantur facultates agendi. n.8.

Et manus hominis sub pennis eorum. Scitè vates hac schema negitat prodesse notiones rerum sacrarum, nisi contingat factis iuuari: nam fides sine factis manca est; factis constat salus intima, & vltima.

Ego vobiscum sum omnibus diebus. Proderit adesse Magistrum, oculis in scholam emissis, vt rectè viuat discipulus: nam Magistri aspectus componit auditorum mores. in com.cap.5. n.84.p.44.n.6.& 7.ad c.5.p.17.n.3.ad c.1.

Et ego vobiscum sum omnibus diebus. Laborare discipulos iubet Magister, cum dicit: *Euntes ergo docete*: sed laborat ille, nec sibi parcit; imo suam mouet manum cum manu Apostolica. *Et ego* (inquit) *vobiscum sum.* Decet enim Principem laborare, ac sudare, cum laborem, sudoremque imperat subditis populis. p. 9. n.2. ad cap.2.p.16.n. 2.ad c.3.in com.c.7.n. 68.p.13. num.5.ad c.7.p.19.n.3.ad c.7.

Et ego vobiscum sum omnibus diebus. Cum Princeps inuitat ad communem laborem, ingens addit solatium à laborum socio. p.8.n. 2.ad c.2.in com.cap.6.n.31.

De Sacramento sanctissimo.

Ad Ioann.c.6 n.56.

FAciant tibi satis p.33.p.34.p. 35. p.36. p. 37. p.38 p.39.ad c.5.

Sermones de Sanctis per menses.

De Christo circuncisо, & sacra Epiphania vide quæ suis habentur locis.

IANVARIVS.

De sancto Sebastiano.

Ad Luc.c.6.

N.17. *DEscendens Iesus de monte, stetit in loco campestri.* E summo cælo Christus ad imam venit terram causa humanæ salutis. Ab aula Sebastianus venit ad carceres, vt fidem iuuaret sermonibus. p.20.ad c.4. Et quidem Magister hominum amans stare loco nescit. p.17.n.3.ad c.5.

Stetit in loco campestri. Bellum Diabolo mouet Christus; quod repræsentat statu militari. Nec Sebastiano mens alia; vt trudat Idolomaniam. p.15.ad c.7.

Stetit in loco campestri. Quo magis viget Idolomania, eo magis Sebastianus flagrat ad tuendam Christi fidem. Neque enim friget bonus aliena improbitate. Vide p.12.ad c.6.

Stetit in loco campestri. Christianum militem suo Christus statu laudat, vt Sebastianum, licet militem, à fide piè culta laudes. p.1.n.3.d.5. Hoc rerum aspectu Nebridium laudat Hieronymus Epist. 9. *Nihil nocuit militanti paludamentum, & baltheus; quia sub alterius halitu alteri militabat.* Nec colore dicendi alio Paulinus laudat Victricium, qui à castris Cæsarianis ad tiaram venerat, pugnaturus cum Idolomania. *Passus est militare te cæsari: & vt Deo disceres militare, dum labore castrensi corporis robur exerces, spiritualibus te bellis roborares.* Hæc Paulinus Epist.25.

Stetit in loco campestri. Hoc statu probat Christus, quantas vires virtus habeat, vt non succumbat difficultatibus Christianæ militiæ. Quod in Sebastiano elucet maximè. Vide p.19.ad cap.5. p.1.num.3.d.5.p.7.num.4.ad c. 7.p. 8. num.3.ad cap.7.

18. *Qui venerant, vt audirent eum.* Magistrum audire piè voluit turba hominum plurima. Quavi ducta? benè Bernardus monet, *Affatu pariter, & aspectu delectati sequebantur Dominum populi.* Ad serm.1. de Sanctis. Tanta Christo erat venustas in agendo, tanta in dicendo maiestas, vt auditores alliceret. Ita defensor fidei Sebastianus. Et quidem valet ad persuadendum Magister ad loquendum instructus benè. in com.cap.4. n.43. p.26.n.5.ad c.7.

Et sanarentur à languoribus suis. Auditorium Magister conciliat morbis pulsus hominum. Qua virtute suos adornat discipulos, cum mittit ad fidem explicandam. Matth.10.n.7. *Euntes* (inquit) *prædicate.* Nam iubet, in proximo. *Infirmos curate.* n.8. scilicet vt benefactis doctrinam reddant facilem. *Deinde, vt regni prædicatores fide dignos efficeret; infirmos* (ait) *curate.* Ita Chrysostomus Hom.33.in Matth. Docet hac rerum scena Christus ægre homines rerum sacrarum auditores esse; quos beneficio inuitari oportuerit. p. 26. n.4.ad c.4.p.10.num.1.ad cap.5.p 15.n.7.ad c.7.

19. *Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Tota Dei virtus est benefica in homines p.3. n.4. ad cap.5. Eò tendit & virtus boni viri, vt benè miseris faciat: dolet enim humanam vicem. p.13. n.1.ad c.2. Nec bonus Latinis homo est, nisi beneficus. in com. cap. 6. num. 25.p.18.ad cap. 6. Hæc in Sebastianum benè quadrant, Hippocratem pestilentiæ. De quo illud Christi elogium verè dixeris Habac. 3. num. 5. *Ante faciem eius ibit mors.* Hebraicè *Ibit, pestilentia.* suis enim sagittis, quasi alis sanitatem referre solet; quæ & Christo laus est, apud Malachiam cap. 4. n.2. *Et sanitas in pennis eius.*

Et sanabat omnes. Nullum de magnis, infimisque hominibus discrimen facit bonus, benè vt faciat. Omnes omnino homines recreat officio humanitatis. quod in Thaddæo eminet. sui copiam aliis promittit Christus, negat aliis. Inde Iudas maxime demiratus, ait Ioan. 14. num. 22. *Domine, quid factum est, quia manifestabis te ipsum nobis, & non mundo?* Pro mundo vniuerso Thaddæus agit, verè amans hominum Apostolus. *Volebat non solos discipulos, sed totum mundum ex manifestatione eius vtilitatem percipere.* Hæc à Theophylacto.

Et

20. *Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes.* Emissis in scholam oculis Magister suos beat discipulos, illud iterans, *Beati pauperes.* Adest Christus, faces mittit ex oculis; & inde explendescit Sebastiani facies, cum fidem explicat, ac tuetur. Hac via Christus auctoritatem Sebastiano, & gloriam conciliat. Sic Moyses è Sina venit cum legum tabulis, & gloriarum luminibus. Ad Exod. cap. 34. n. 29. *Tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua.* Addit Paulus 2. ad Corinth. c. 3. n. 7. *Propter gloriam vultus eius.*

Multis luminibus fulget Moyses, vt auditor legem reuerenter capiat. *Accepta in peccatores potestate descendit cum honorificentia, facie gloriosa*: ait Augustinus ad q. 7. ex Vet. testamento. quod in Sebastianum conuenit.

Addo hominem luce communicata fulgurasse, cum dissereret de fide, ac pietate; ne quis nesciret magistros fidei honorari à Christo maximè. Suam in Ithabyrio gloriam ostentat Christus. Adsunt Moyses, & Helias, *visi in maiestate.* scilicet, *in consortio claritatis, quod gratiæ exemplum est* Sic Tertullianus lib. 4. aduers. Marcion. cap. 22. ad Luc. cap. 9. num. 31. Id verò, cur Magister ita præstat? iterum Tertullianus in litem. *Quid tam Christus creatoris, quàm secum ostendere prædicatores suos; cum illis gloriam suam communicare, à quibus Dominus gloriæ nuncupabatur.* Hæc & Sebastiano Christus præstat, cum suam emittit lucem, hominemque beat. Addit Tertullianus Dei colloquio frui hosce Vates. *Quod familiaritatis indicium est.* Ait enim Lucas num. 30. *Et loquebantur cum illo.* Vt scias Christum Sebastiano amicum esse, quo cum ita colloquitur: *tu semper mecum eris.* Nec Magister Apostolis amicitiam ostendit aliam; quandoquidem, *eleuatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes.*

De Paulo ad Christum conuerso.

Ad Matth cap. 19.

N. 27. *Ecce nos reliquimus omnia.* Quid rerum contempserit, Petrus explicat; sed tacet Paulus abundè numatus; quid reliquerit facultatum domesticarum. Ne se laudare videretur: quæ boni viri laus est. p. 2. n. 3. d. i. Patet, quid Seraphines cecinerint in Dei obsequium. Nam apud Isaiam cap. 6. n. 3. *clamant alter ad alterum.* Sed alas opponunt, vt tecto Dei vultu id faciant. n. 2. *& duabus velant faciem eius.* Tanta Angelis cura est occultandi, quæ piè fecerint, vt latere Deum, si possit, id velint.

Et secuti sumus te. Prior ad Christi scholam gradus est, contemptus rerum humanarum: nec sequi Deum homo potest, cum facultatum graui sarcina. An Iacobus cum Deo luctari potest, nisi pauper? *Traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant?* Gen. 32. n. 23. Id Paulinus obseruat, Epist. 2. Quasi non possit homo cum Deo loqui, nisi pauperculus. *Cum lego illum præmissis curarum oneribus, id est, necessitudinum, & facultatum impedimentis, Deo colluctatum.*

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Procedit benè Petrus in virtutis via, nec vno consistit gradu: nam & opes contemnit, & Christum subsequitur. Quid Paulus de se? Ad Philippens. 3. n. 13. *Quæ retro sunt obliuiscens*, &c. Sed hæc viri magni laus est, vt in rectè agendo proficiat. in com. cap. 7. num. 14. & 47. p. 8. ad cap. 7.

Et secuti sumus te. Christum Petrus ad crucem, Paulus verò ad necem vsque sequitur. Quantus in vtroque viro Magistri amor? vt nec mortis metu Christum deserant. p. 30. n. 1. ad c. 5. & maior multo virtus est, cum sint leues in placitis homines. p. 17. ad c. 4.

Quid ergo erit nobis? Hæc Petrus sui amans, ac mercedis appetens. Sed Paulus hac parte nobilior est. Qui quidem *tremens, ac stupens dixit, Domine, quid me vis facere?* Act. cap. 9. num. 6. Suam promittit operam, nec pactum init de pretio operæ, satis sciens gratum Deo officium esse gratis factum. in com. c. 1. n. 21. p. 8. ad c. 2. p. 18. n. 2. ad c. 4. p. 19. n. 2. ad c. 5.

28. *Amen dico vobis: quod vos, qui secuti estis me.* Iurandi formula est Christo nota; ad spem alendam mercedis parandæ. Sic Deum trahit ad iurandum hominum diffidentia. p. 18. n. 3. ad c. 1. Paulum verò Magister cum aggreditur, non docet, quid mercedis, sed quid laboris ferre debuerit. *Ego* (inquit) *ostendam illi, quanta oporteat eum pati*: Act. cap. 9. n. 16. An Paulo Magister, quàm Petro magis fidit? Id quidem ex dictis patet. Quod & in Iosepho videre est. Iosepho Deus, quid honorum esset adepturus, stellis, ac manipulis signatum voluit. Gen. 37. n. 7. & 9. Non tamen exponit labores, quibus honores erant parandi. Scilicet non tantum Iosepho, quantum Paulo Deus fidit, vt exponat, qua sit fortuna premendus. Vide com. cap. 5. n. 102. p. 8. num. 3. ad cap. 3.

Cum sederit filius hominis, sedebitis & vos. Suam Christus maiestatem cum discipulis diuidit, vt scholam promoueat honore communicato. Vide com. cap. 6. n. 42. Nonne Christus hominum Magister sacro textu petra est? 1. ad Corinth. cap. 10. num. 4. Sed Petrus ab hac vna petra nomen habet. quod Matthæus exponit cap. 16. n. 18. *Affectauit charissimo discipulorum de figuris suis peculiare nomen communicare*, ait Tertullianus lib. 4. aduersus Marcion. cap. 13. Hac via Petrum Magister vrget in officium.

Cum sederit filius hominis, sedebitis & vos. Fortasse Deus se honoratum putat, cum homines late honoratos videt. p. 44. n. 5. ad cap. 7.

Sedebitis & vos iudicantes. Bene Iudices, qui affectu contemnunt opes, illudque iterant: *Ecce nos reliquimus omnia.* Cæcutit enim Iudex rerum cupiens. Paulum Festo malè Felix tradit, nec reum absoluit probatæ innocentiæ: quod patet ex Act cap. 24. num. 22. Sed Felix auaritia infelix homo est; *sperans, quod pecunia daretur à Paulo.* n. 26. Sic auaritia transuersum egit hominem. Totus est Dauid in Dei iustitia commendanda, ad Ps. 49. Homines enim euocat, terra concussa. *Quoniam Deus iudex est.* n. 6. Deinde ostendit iudex quàm auersus ab auaritia: iudicium exercebit, vtpote qui nullum captabit munusculum. *Non accipiam de domo tua vitulos.* num. 9. abunde numatus iudex: *quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum.* num. 10. Acsi moneret iudicem esse non posse hominem, qui suo non viuit succo, sed opem ab alienis exposcit opibus. Quàm probatus in causis scholæ Christianæ iudex Paulus! qui, vt iustè ius diceret, ne cibum quidem ab auditorio peritum voluit. Vnde vox Paulo nara

Act.

Act.c.20.n.34. *Ad ea,quæ mihi opus erant,ministrauerunt manus istæ.*

29. *Et vitam æternam possidebit.* Paratam viris optimis felicitatem exponit Matthæus latè. Addit Marcus pretium operæ terris parandum esse: *cum persecutionibus,* ad c.10.n.30. Nouum mercedis genus est, vt qui Deum sequitur, persecutionibus atteratur. Sed ratio patiendi cum Deo, occasio viris optimis gaudendi est. p.30.n.1. ad c.5. p.18.num.5. ad cap.7.p.24 ad cap.7. Et hæc Paulo innata virtus; cum pateretur acerba quæque. *Gloriamur* (ait) *in tribulationibus.* Ad Rom. cap. 5. num.3.

FEBRVARIVS.

Dei Mater purificata.

Ad Luc. cap. 2.

TRes è sacro textu leges sunt viuendi rectè: altera, qua puer Deo consecratur; altera, qua mulier suam curat famam: & tertia, qua senex pios capit motus.

22. *Postquam impleti sunt dies purgationis.* Piè Dei Mater expiatur sacro Iudaico, & sanctè redimitur Puer Deus præsenti munusculo: quanuis immunes à legum nexu. Id tamen fecere, ne viderentur leges violasse. Cauent religiosè famam peccati. quæ bonæ mentis laus est. *Caueto, quidquid probabiliter de te fingi potest.* sic Hieronymus Nepotianum admonet Epist. 2. Cauet id Christus maximè. Nam Magister vnguento perfusus, quod à Magdalena piè factum; Math. 20. num.12. addit proximè, cur id tulerit? *Ad sepeliendum me fecit.* Suspicatus in loco Iudas est Magistrum deliciarum amantem esse, vnde loquendi, & cauillandi occasio: apud Ioan.c. 12. num.4. sc. Christus in cœna suam cogitat crucem, & opponit; scilicet ne in suspicionem veniat vitæ delicatæ. Quod Rupertus notat lib. 10. in Matthæum. *Falsum locutus est, frustra calumniatus est: quoniam illi, qui vnguentum admisit, non erat ibi delectatio profusionis, sed meditatio vicinæ mortis; quod notum esse voluit, dicens; ad sepeliendum me fecit.* Non satis est virginem præstare virtutis nota intima, nisi famam quærat bonam externis actis. Nonne virgo virginum Princeps Deo nota ob virturem erat intimam? Cantat id Dauid Ps. 44. n.13. *Omnis gloria eius ab intus.* sed Pater adhuc monet vt virgo famam caueat suam, ac videar, quid facto opus est, ne peccasse videatur. *Audi* (inquit) *filia, & vide.* Parum enim prodest virtus intima, nisi externis actis abigat mulier suspiciones probabiles hominum. Quandoquidem præscriptum est, vt bona prouideas. *Non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.* 2. ad Corinth. c.8.n.21.

Tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. Benè parentes Deo puerum consecrant. Ætas enim eo ad virtutem facilior, quo tenerior. p.5. ad cap.7.p.45.n.5. ad c.7.

Vt sisterent eum Domino. Lex erat, vt puer quisque Deo consecraretur; quod est in Exod. 13. n.12. sed Princeps legum Deus supra legem esse noluit; vt facto doceret seruandam religiosè legem esse. p.6. num.5. ad cap.7.p.10.n.3. ad c.3. p.21.n.3. ad c.6.

25. *Et ecce homo erat in Ierusalem, & homo iste iustus.* Semel, & iterum textus appellat hominem probatæ iustitiæ; & quidem præstat hominem vittutis masculæ, qui sanctè viuit. p.1.num.3.d.5. p.7.n.4. ad cap.7.p.8. ad cap.7. sic homo cum Deo agens, *Noë vir iustus, atque perfectus.* Gen.cap.6. num. 9. sic & Iobus notæ patientiæ, *vir fuit in terra.* cap.1.num.1. quod obseruat Chrysostomus. Et quidem virum agat, & pro virili faciat, necesse est, qui ad rectè viuendum inuitatur.

Et homo iste iustus, & timoratus. A Dei metu nata viri sanctitas, cum sit metus morum custos. p.1.n.1. ad c.3.p.15.num.6. ad c.4.p.25.num.3. ad cap.5. Quid si iustitia presse accepta, opus sit, vt bonus Iudex timeat Deum Iudicem? Id ego laudo. p.20.n.4. ad c.7.p.2.n.4. ad c.6.

Expectans consolationem Israel. Agit amanter sacerdos, ac senex de re patria; quis enim Patriam, vti parentem non amat, non colit? in com. cap.2.num.38.p.19.num.1. ad cap.2.p.6.num.2. ad c.4.p.4.n.1. ad c.[illegible],p.31. ad c.7.

Et Spiritus sanctus erat in eo. Vere actus à bono spiritu homo est, qui suam curat patriam, & qua potest manu tuetur. Lego Iudices à Deo lectos patriæ seruatores, homines esse à Dei spiritu excitatos. De Othoniele textus est, Iudic.3. num.10. *Fuit que in eo spiritus Domini.* sic de Gedeone, ad cap.6. num.34. *Spiritus Domini induit Gedeonem.* Nec de Iephthe aliter, ad cap.11.n.29. *Factus est super Iephthe spiritus Domini.* Hoc vno Dei spiritu notus Samson; ad cap.13.n.24. *Cœpitque spiritus Domini esse cum eo.* Itaque Dei spiritus vrget homines, vt patriam signis collatis curare, ac tueri velint Quid Reges? Saulem bonus obarmat spiritus aduersus Ammonitam. 1.Reg.c.11. n.5. *Insiluit spiritus Domini in Saul.* Benè in patria tuenda sudat miles, quem magnus vrget Dei spiritus ad rem gerendam.

27. *Cùm inducerent puerum Iesum parentes eius.* Ierosolymam suo cum Iosepho adit pia Dei Mater: sic via sacram in domum ineunda. Nec mulier sine viro, nec virgo sine comite viam terat. Vide prolog.n.11. & 12. Nosti ne, cur Deus virginem pulsari malè sinit? Cant. cap. 5.n. 6. Inibi virgo, *Percusserunt me, & vulnerauerunt me.* Certè non id meruisse videtur, quæ toto Deum conatu perquirit? etsi frustra conatur. *Quæsiui, & non inueni illum.* Sed abierat virgo sine comitatu; ac proinde mulctatur suo merito, licet causa abeundi pia esset. Vnde Hieronymus Lætam monet de infantula instituenda. Epist. 7. *Nusquam absque te procedat in publicum; basilicas martyrum sine Matre non adeat.* Satis docet Magister virginum Hieronymus cauendam virginibus famam esse, nec viam sine comitatu obeundam.

28. *Benedixit Deum, & dixit.* Laudo senem pietatis celebratæ, qui suscepto in sinum Dei infantulo, ardens amat, & amans cantat, *Prorsus liquescebat ad amplectentis amorem, quasi ad ignem;* sic Guerricus Abbas, ad serm.2. de Purificatione. Hosce, ac pios mores postulat ætas vltima. Vide p.8. ad cap.6. Nec Moyses alius in extrema rerum linea. Cœlum, ac terram euocat in theatrum. Deut. 32. num. 1. *Audite cæli, quæ loquor.* Et carmen erat de quo ad cap. 31. num. 30. *Locutus est Moyses verba carminis huius.* scilicet erat Moyses prope vitæ metam. quod habes n. 14. vbi Deus, *Prope sunt dies mortis tuæ.* Quid ergo mirum, si cantum edat Moyses vicinæ mortis aspectu excitatus? Quod Philo comm.endat, ad lib. de charit.

Quid

Quid si Angelos, & homines euocat in auditorium? *vt adessent spectatores animæ ostentantis musicam, & certantis cum cœlestibus syderum harmoniis.* Hæc & Simeonis cantio est cygnæo canore dulcior, cum mortem sibi apprecatur.

De Matthia Apostolo.

Ad Matth cap. 11.

N.25. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ.* Patrem laudat Christus à potestate, qua superbos contemnit homines: pulchrè significans eminere Dei virtutem in superbia hominum deprimenda. p.1.n.1.& 3.d.4.p.26.n.5. ad cap.5.

Pater, Domine. Affectu ne Deus patrio, an officio Regio delectum facit hominum? vtraque id vrget via, satis insinuans, errare affectum, vbi nullus de re communi respectus est. Vide p.10.ad cap.2.p.6.num. 1. & 5. ad cap. 3. Quare delectus à Deo Matthias est affectu salutis publicæ, proindeque delectus à Deo hominum, & Patre, & rerum Domino.

Pater, Domine. Paterna, ac seuera nomenclatura humanam Deus gentem ducit: miscendum enim oleo acetum est; ne præfectura sit iusto granior; scio enim dictum à Hieronymo, ad Eccles. cap.10. *Nimietas omnis in vitio est.* Vide com. c.1.n.28.com.c.5.n.24.p.10.n.4.ad c.6.

Domine cœli, & terræ. An ausit alios aliis homines antefetre, nisi rerum Dominus? facinus id est virtutis masculæ, & facultatis plusquam humanæ. Inde est, quod senatus Apostolicus in Deum reiicit curam Matthiæ deligendi. Act. 1. num. 24. *Et orantes dixerunt: Tu Domine*, &c. Metus fortasse Apostolis erat, ne tumultu dissideret schola vniuersa, si res humano tantum delectu fieret. Non aliter Moyses Deum precatur, vt Ducem prouideat gentis Iudaicæ. Num. c.27. num. 16. *Prouideat Dominus hominem.* Cur verò Moyses curam non capit hominis deligendi, bene Philo docet, p.10.num. 3. ad cap. 2. Addo, timuisse Moysen delectu facto, ne tumultu dissideret gens vniuersa; quod notat Abulensis q. 39. *Et quod Moyses id fecisset, sine eorum auctoritate, non consentirent.* Prudens admodum Moyses timet, & à se in Deum auertit curam Ducis deligendi, eo quod res plena timoris erat.

Quia abscondisti hæc à sapientibus. Cum Deus contemptim superbos abigit homines, mulcta est superbiæ grauissima. Nam contemptus superbo cruciatus est. p.1.n.2.d.4.

Quia abscondisti hæc à sapientibus. An hæc iusta gratiis agendis occasio est, sapientia Philosophis sapientibus denegata? Aio. Vt minor Deo sit ratio nequitiæ puniendæ, quæ ab ignorantia patrocinium qualecunque habet. Nam qui peccat sciens, vt peccat impudens, sic peccat grauius. Vide com.cap.5. num. 84. p.44.ad c.5. Hac Deus via quærit occasiones veniæ indulgendæ. Vnde Christo vox, cum Deum piè rogaret *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Luc. 23.n 34. scilicet patrocinium capit ab ignorantia hominum, vt veniam possit facilem impetrare. Ait Bernardus ad ser. de sancta hebdom.

Ob hoc singulari peccato ignorantiam copulauit, vt sub aliqua iustitiæ vmbra ignoscí posset ignorantibus.

Veloſ. in Iudith.

Et reuelasti ea paruulis. In quibus Matthias est Hebræa schola, *paruulus Domini.* faciunt hæc ad pœnam augendam superbiæ: quis enim superbus non dolet premi se, & alios erigi homines? p.10. num. 2. ad cap. 1. p.23. num. 1. ad cap. 5. Constat viros bonos à Christo honorandos esse in oculis gentis malæ. ad Matth. c.25. num. 34. *Quo videlicet acrius dolcant, videntes, quid amiserint.* Ita Bernardus ser. 8. in Ps. 90.

26. *Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Pater ne ad extra facit, quod non fecerit filius? Refutat id schola Theologica. Sed Christus ita loquitur, *Honorans Patrem.* Teste Euthymio: omnemque bene faciendi laudem à se auertit in Patrem, à quo habet rationes faciendi. Et erit in hominibus, qui vires benè agendi arrogare sibi velit? Aliter magni, bonique homines. p. 2. num. 3. d. 1. Vnde aiunt Luc. 19. num. 16. *Mna tua Domine, acquisiuit decem mnas.* scilicet quidquid fecerant, Deo non sibi tribuunt, quasi nullum ab industria lucrum esset. Quod Gilbertus notat, ser. 34. in Cant. *Nihil inde fraudulenter sibi decerpentes, etiam à laudum muneribus manum excutiunt, omnia referendo in Dei gloriam.*

Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Iustus est delectus hominum, qui sese non ingerunt, sed bono Dei placito legantur ad præfecturam qualemcumque. Id ego laudo. p. 2. num. 2. ad cap. 5. p.10. num. 4. ad cap. 2. Et scio Matthiam non humana gratia, sed diuina iustitia selectum esse ad munus Apostolicum. Act. 1. num. 26. Et quidem partus gratia magistratus ineptè respondet. p.10.n.2.ad c.2.

Ita Pater, quoniam sic placitum. Quod Pater homines bonis affecerit, paterna est voluptas, quæ vota præuenit hominum; ait Chrysostomus, Hom. 39. *Ostendit, hoc loco Patris benignitatem.* Neque enim rogari se Deus patitur, vt benè hominibus faciat, cum sit Pater hominum. *Pater meus vsque modò operatur,* ait Christus apud Ioan. c. 5. num. 17. Id vero est. Terrarum orbe condito, adhuc rebus conditis prouidet bonus Deus. scilicet Pater est, Philone teste. *Nunc enim cuncta inspicit, paternam curam gerens rerum omnium.* Ad 1. Allego. Nescit enim Pater adeo bonus feriari à benefaciendo. Vide p.3.n.4.ad c.3.

28. *Venite ad me omnes, qui laboratis*, &c. An hæc Dei promissa conueniunt cum versu proximo. *Tollite iugum meum.* Qui iugo premit impositio ceruices hominum, labores non leuat, nec dolores lenit; sed Christi seruitus honorat, non onerat; leuat, non grauat homines. in com.cap.4. n.41.p.19.ad c 4.

29. *Tollite iugum meum super vos.* Ius erat, vt delectus rebus cognoscendis homo Deum gratè coleret, ceruisque supponeret ferendis laboribus. Nam qui morum Magister à Deo legatur in orbem vniuersum, necesse est patientiam approbet suam. Vnde Paulus 2. ad Timoth. cap. 4. num. 2. *Argue* (inquit) *increpa in omni patientia, & doctrina.* Vbi Anselmus benè. *Ad sustinendas eorum indignationes, quod destruis.* Vide p. 24. numero 4. ad cap. 5. p. 15. num. 7. ad cap. 7.

Tollite iugum meum super vos. Noto postulari patientiam à Magistro, morum optimo; vt norit auctoritatem dicendi cogi maximam à patientia p.7.n.4.& 5.ad c.6. Quid Matthias non tulit à cæcis ingratissimis? Veritas odium peperit, & Magistro carcerem aperuit.

Eo tamen loci Christus accessit, vt promissis staret suis;cum dixit,*& ego reficiam vos.*num. 28. Adest ergo Christus , Matthiamque solatur in vinculis. Et vero pati cum Deo,ac pro Deo pati gratissimum est patiendi genus. p.18.num.5. ad cap. 7. *Antequam tentaretur , Iobo Deus nunquam locutus fuerat ; postquam tentatus est, venit ad eum Dominus, & familiariter loquitur,*ait Hieronymus in Ps.66.Vide Iobi cap.38.Itaque Iobus mali patiens,Deo gratior est , quàm bene fortunatus. Ac proinde cum Iobo Deus non modò loquitur,sed agit amicè.

30. *Iugum enim meum suaue est , & onus meum leue.* Vnde tanta iugo laborum, dolorumque leuitas,ac lenitas ? An à Magistri vita , qui sua ad patientiam vrget patientia?Illud iterans, *Discite à me.*Aio.Vide p.3.num.1.d.2. p.30. ad c.5.p.24. ad cap.7.

Deinde leuius est onus , quod voluntate ducitur , non trahitur necessitate:& probat forma dicendi,*Venite ad me: tollite iugum meum.* Neque enim textus vim sonat, sed volentem hominem. Haec à Paschasio est interpretatio lib. 3. in Thren. *Qui verbi iugum patienti ceruice susceperit,disciplinæ onus graue non portat.* Vide com.c.2. n.25.p.8.ad cap.2.

Inde est,quod Matthias lapides , quibus peritus male est , suo secum tumulo conditos esse voluit,tis insinuans gemmas esse magni pretij, quo paratur in cælum aditus, saxum, quo Iacobus Deum videt somnians , *erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Gen. cap. 28. num. 18. Tanto in pretio Iacobus lapidem habuisse dictus est,vt columnam esse voluerit honorariam. *Eum lapidem huiusmodi somnij causam esse arbitrantur , quibus poterat, honoribus prosequebatur.* Ait Cyrillus Alex in Gen.

Iugum enim meum suaue est. Cur ita , si iugum est,si onus est ? Paschasius iterum. *Suaue fit onus ferendi suauitate purioris conscientiæ.* solatium enim est in patiendo,conscientia in agendo.p.7. num. 4. ad cap. 6. quo Matthias solatio fruebatur.

MARTIVS.

De sancto Iosepho.

Ad Matth. cap. 1.

N.18. *CVm esset desponsata Maria Ioseph.* Magnus homo , qui à casto coniugio creuit in melius, verè Ioseph , Hebræa schola *accrescens.* sic Ioannem virgo Mater sua ad virtutem vita ducit. Ideo enim Christus de cruce ad discipulum,*Ecce*(inquit)*mater tua.*Ioan. c.19. num.27.*Vt de contubernio tanta proficeret sanctitatis.*ait Guerricus ad serm. 1.de Assumpt. p. 18. n.4.ad c.4.

19. *Ioseph autem,cum esset iustus.* Iustitiam magno in viro Matthæus laudat;sed quæ ex Iosephi etymologia proficit in melius. Vide com. c. 7. n.47.p.8.ad c.7.

Vier eius cum esset iustus. Iosephum textus virum appellat virtutis masculæ:agit enim pro virili,qui iustos colit mores,vbi maior est difficultas.p.1.n.3.d.5.p.7.n.4. ad c.7.

Et nollet eam traducere. Virtus est , & quidem probata, quidquid notes in aliis tegere, non accusare. p.5.ad c.5.

Et nollet eam traducere. Quid si virtus est Regia occultare , quidquid erratum domi est?Id ego probo.p.5.num.5.ad cap. 5. Meminit Angelus,vnde suum Iosepho genus esset. *Filij*(inquit) *Dauid.*Vt honeste vocatus homo tegeret , quidquid notaret in domesticis.

Voluit occultè dimittere eam. Pertinax Iosepho silentium est de culpa dubia:ne, si dicat temerè, contingat notari innocentiam iniuriosè. Vnde notantur homines , qui aliena iudicant ausu temerario. Non ita senatus Apostolicus. Monet Christus se à discipulo tradendum esse, Ioan.13. num.21.*Vnus ex vobis tradet me.* Turbatur schola vniuersa;ac de se quisque,*numquid ego sum Domine?*Matth.26.num. 22. Cur de se quisque,non de reliquis,Magistrum interrogat,benè Chrysostomus Hom. 71. in Ioan. *cum longè à tali scelere abessent,nec de aliis suspicabantur.*Laudo Petrum, qui ne de Iuda quidem sinistra cogitauerit. Opponit Magister , Ioan. 6. num. 65. *Sunt quidam ex vobis , qui non credunt.* Ac de Iuda sermo est. Ad hæc Petrus , numer. 70. *Et nos credimus.* Vel Iudam Petrus vendicat à sententia. Quid bone Petre?Negas ne,quod Magister ait?An Iudas credit?Responsum à Caietano est. *Putans se verum dicere Petrus,& putans alios vndecim esse tales, qualis ipse erat , à communi Apostolorum fide perseuerantiam asserit.* Hac se via Iosephus expedit,& quanuis notas errati videat , benè silet;ne quod notat,falso carpat.

20. *Hæc autem eo cogitante.*Laudo ego Patrem familiæ, qui suo cum animo reputat,quid in re dubia sit agendum ne errare contingat mentem audacem. p.9.num. 4.ad cap.2.p.16.n.1.ad c.2.

Ecce Angelus Domini. Cur virgo Mater virum male agitatum non solatur , suspicionemque amouet re explicata?maluit virgo domina vrgeri viri suspicionibus,quam laudare sese.p.2.n.3.d.1.

Angelus Domini apparuit in somnis. Cur in somnis loquitur Angelus?Veniat luce palam, & Iosephum moneat de suspicione amouenda.sed curat , velo tenebrarum oppanso,ne quis rescisca de turbella domestica. p.5.n. 2.& 3.ad c.5.

Ioseph fili Dauid , noli timere. De Auo nobili meminit Angelus , vt nepos motum caperet facilem agendi rectè. Non aliter Hieronymus in loco.*Blandientis affectu loquitur Angelus;vt silentij iustitiam comprobaret.* Hæc à Theophylacto est interpretatio. *Admonuit,ne discrederet , sed cogitaret Dauid.* Quis enim ab Auo nobili non trahit affectum vitæ sanctæ?p.7.ad cap.3. p.8.num.3.ad c.4.p.10.n.3.ad c.3.

Noli timere. Quid homo timet vitæ sanctus? An morsum timet peccati ? scilicet,ne qua virginem sanctissimam infamia denigrasset?verè bonæ mentis est,ibi culpam vereri , vbi culpa non est. p.43.n.5.& 6.ad c.5.p.1.n.2.ad c.4.

Noli timere. Quid timet iustus homo?timet, ne iniustus fiat. Est enim metus emendator acerrimus.Nonne sacerdos ille apud Lucam 2. n.25. *Iustus, & timoratus erat ? vigilanter perfectam commendans iustitiam.*ait Guerricus de purificat.Quasi deficiat iustitia,vbi Dei timor deficit.p.20.n.3. ad cap.7.

Fili Dauid,noli timere accipere coniugem tuam. Viri magni est ita vxorem amare,vt nulla inter coniuges sit diuidia : quod Angelus vrget , Rege interposito. Vnde Rupertus , *Ex eo* (inquit) *filius*

filius Dauid tali in re, & tali in tempore, tam insigniter dignus fuit appellari. lib. 1. in Matth. c. 1. Vide com. c. 7. n. 48. p. 25. ad cap. 7.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Commendat Angelus Dei matrem à partu virgineo. quæ quidem Angelis occasio gaudendi, & ratio cantandi est. p. 5. n. 4. ad cap. 6.

21. *Et vocabis nomen eius Iesum.* Nomen liberis parentes imponunt, quibus ius est. Quare Ioſephum Deus iure patrio honestatum voluit: & honor adeo magnus est, vt Iudas anteponi reliquis meruerit, cum Ioannes recensseret gentem Iudaicam. Apoc. 7. n. 5. *Ex tribu Iuda duodecim millia signati: ex tribu Ruben duodecim millia signati.* scilicet ab hac tribu Christus Dominus & Leo, *& radix Dauid.* Apoc. 5. n. 6. Rupertus bene ad rem: *Conuenienter à Iuda inchoat: ex qua tribu ortus est Dominus noster.* lib. 4. in Apoc.

Et vocabis nomen eius Iesum. Assertio est logica facere notiones rerum, vt quis suum rebus nomen scitè imponat. Inde Christus probat suum sibi gregem notum esse: *& cognosco oues meas.* Ioann. 10. n. 14. eo quod Pastor apprimè sciens *oues vocat nominatim.* n. 3. Mirum, quot de Christo notiones Ioſepho erant, qui potestatem nactus est nominis imponendi? *An non beatus, qui ita Christi naturam nouit, vt Christo nomen imponeret?* Hæc Palacius in Matth. c. 1.

Ex rerum summa illud colligas, necesse est, homines sanctitatis celebratæ, & rentari, & explorari difficultatibus rerum acerbissimarum. Video quo prematur dolore virgo innocens. *Sed pulchra vt Luna est.* Cant. 6. n. 9. proindeque suo laborat deliquio. Terra opposita vmbram Luna trahit. Et virgo casta laborat vmbra suspectæ castitatis. Hugone teste. *Carnis* (inquit) *oppositio eam facit eclipsim pati; ita quod Ioseph voluit eam dimittere.* Video Ioſephum notæ virtutis hominem vexari cura, & angi metu læsi tori, ne sine dolore viueret. Et erit, qui velit sine cura, sine metu, sine dolore vitam agere? Id quidem ridet Seneca lib. ad Marciam cap. 8. *Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam.* Si quis verò quærat cur nunc lata, nunc mœsta dies viro bono est, sciat facere hasce rerum vices ad virtutem concinnandam egregiè. p. 2. n. 4. d. 5. p. 20. n. 2 ad c. 6.

De Christo annuntiato.

Ad Luc. cap. 1.

N. 26. *Missus est Angelus à Deo.* Cur cœlo se mitti patitur Angelus? sed magnum Angelo gaudium est de salute hominum, qui mitti è cœlo in terram sustinet. p. 3. n. 3. ad c. 1.

27. *Ad virginem desponsatam viro.* Moras nescit Angelus, cum virginem Dei cognatam iubetur adire: vnde textus est. n. 28. *& ingressus Angelus ad eam dixit.* p. 5. n. 2. ad cap. 6.

De domo Dauid. Prosapiam coniugum textus laudat Regiam; vt scias, quo officio Christum coluerint. Id Guerricus de Magna Dei Matre sentit, ad serm. 1. de Annuntiat. *Regali siquidem ex progenie virgo electa est, generositatis quidem Regiæ nobilis proles, sed virtutis Regiæ nobilior indoles, vt æterno Regi materna quoque nobilitas Reginm defenderet honorem*, &c. Et verò pars nobilior hominum ad pietatem faciliùs accenditur. p. 7. n. 1. ad c. 8. p. 8. n. 3. ad c. 4. p. 10. n. 3. ad c. 3. *Veloſ. in Iudith.*

28. *Et ingressus Angelus ad eam, dixit.* Patet non euagari domo Virginem sanctissimam; vtpote quam domesticis clausam latebris adierit Angelus: scilicet ne suum egressu pudorem virgo tereret. Vide Prolog. n. 11. & 12.

Dixit, Aue gratia plena. Laudes serit Angelus, vt assensum eliciat à Magna Domina. Tanta laudum vis est ad persuadendum. d. 6. n. 3. p. 9. ad c. 6. p. 15. n. 1. & 3. ad cap. 6.

29. *Quæ cum audisset, turbata est.* Laudes ab adolescentulo suspicionem mouent, vnde Virgo timet. Est enim castæ mentis vereri affatus iuuenum. p. 1. d. 6.

Et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Virgo bene prudens, secum benè tacens cogitat, quid loqui deceat. Inde Andreas Ieroſolymit. de Salut. Angelica. *Nullum facit verbum, quæ illam animi perturbationem studet supprimere.* Addit Bernardus Hom. 3. *Cogitabat, malens non respondere, quàm loqui temerè, quod nesciret.* Vide p. 30. num. 3. & 4. ad c. 7. Cur sacrum Mercurio est malum punicum? *propter interpretationem*, ait Clem. Alex. lib. Stromat. 6. c. 7. Sed huiusce pomi acinos ordinatim positos membrana tegit, cortéxque tuetur; vt scias ordinandum serio sermonem, seróque proferendum esse.

Et cogitabat qualis esset ista salutatio. Prudens tacet, ac sciens timet; quod putat Hieronymus Epist. 26. Vide p. 2. n. 2. ad c. 6. p. 30. num. 3. ad c. 7.

30. *Ne timeas Maria.* Nunc primò Angelus Mariam vocat vbi metum curare aggreditur; scilicet hæc nomenclatura vim habet timoris pellendi. Est enim virgo Dei Mater. *Terribilis, vt castrorum acies.* Cant. c. 6. n. 3. & 6. *Ad cuius memoriam Dæmones contremiscunt; & eam omnino sustinere non possunt.* Hugone teste satis est Mariam vocare, vt metu perdita fugiat acies Dæmonum.

Inuenisti gratiam. In loco Chryſologus, ad sermon. 144. *Timet, non qui inuenit, sed qui perdit gratiam.* Tanta gratiæ potestas est, vt metum animo abigat. Peccatricem Christus sua firmat gratia, illud ingerens, *Remittuntur tibi peccata tua.* Luc. c. 7. n. 48. Nullus deinde locus timendi est, quod Magister insinuans, ait. *Vade in pace.* nimirum, *sine metu.* Quod Maldonatus interpretatur. Vbi enim Dei gratia obtinet; inibi timendi ratio nulla est.

Ne timeas Maria, inuenisti gratiam. Prudentior ne Angelo virgo est, dum timet parte Dei gratia? Aio. Quandoquidem magna virtus, magna laborat Diaboli inuidia: ac proinde timendum semper est. p. 27. n. 5. ad cap 5. p. 1. n. 2. ad cap. 4. p. 3. n. 3 ad cap. 7.

31. *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Apparet, cur tam sancta Dei Mater est; scilicet, vt vtero caperet Deum hominem. Proindeque Dei Matrem Paulus cœlum suo vocat meritò. *Secundus* (inquit) *homo de cœlo cœlestis.* 1. ad Corinth. cap. 15. n. 47. Nec semel Christus se è cœlo venisse docet, nam apud Ioannem ait c. 6. n. 51. *Ego sum panis, qui de cœlo descendi.* Non quod pater è cœli materia Christi carnem concinnauerit, quidquid somniauerit hæresis, sed quod è matris vtero, tanquam è cœlo Christus prodierit. Ita Rupertus lib. 1. in Matth. *quia beata Maria cœlum illud est, de quo præscriptum est; & ianuas cœli aperuit.* Psal. 73. num. 23. Et vero factum id est, cùm Deus homo factus est. Rupertus iterum, *Quando factum est, quod dixit Angelus: Concipies in vtero, tunc Dominus cœli ianuas aperuit.*

In hanc litem benè conuenit,quòd cælebs à cœlo denominatur.

32. *Hic erit magnus.* Multus eſt Angelus in Chriſto laudando , ſatis explicans Deum hominum amantem eſſe : qui maieſtate diſſimulata ad hominem venerit , imo hominem induerit, factus homo. Et quidem res eſt , quam multis locis Chriſtus exponit apud Matth. cap. 10. num. 24. Apud Luc. 12. num. 49. Apud Ioann. cap.10.num.10. *Ego veni.* Multus ero , ſi loca reponam reliqua;vbi Chriſtus ſe hominem ad homines veniſſe monet ; vt hominum ſibi animos alliciat.Quod à Caietano diſco. *Manifeſtat ex ſui aduentus officio culpam minus amantium ipſum.* ad Matth.cit.

Hic erit magnus. Quid attinet explicare maieſtatem Chriſti Domini , cum agitur de ſalute humani generis ; *& vocabis nomen eius Ieſum.* Vt memineris eſſe magni viri,magnique Dei iuuare, ac ſeruare homines alios p.26. ad cap.5. p.44. ad cap.7.p.32.ad cap.5.

34. *Quomodo fiet iſtud?* Caſtior ne in loquendo , quàm Angelus , virgo eſt?apparet id. Quod enim Angelus dixit apertè : *concipies in vtero , & paries.* Id virgo caſta ſic inuoluit vmbra loquendi,vt non exprimat. *Quo* (inquit) *modo fiet iſtud?* Sed quæ pudicè viuit , pudice loquatur, neceſſe. p.14.n.1.& 2.ad cap.4.

Quomodo fiet iſtud ? Cum dicat Angelus Deum fore hominem humaitate ſuſcepta , neſcit mater, quo id nomine appellandum cenſeat. Et verò res mira eſt , Deum pro hominibus hominem fieri. Vel vmbram tantæ charitatis miratur Paulus Angelicus apud Iſaiam,c.6. n.3. Cum Deus ſacram in domum veniſſet : *& clamabant alter ad alterum : Sanctus, Sanctus.* Vbi Procopius. *Eos in admirationnm rapiebat tantus diuini verbi de cœlo in terram deſcenſus.* Non aliter virgo Dei mater demiratur.

35. *Quod naſcetur ex te Sanctum,vocabitur.* Ne dictis ſuſpendat aſſenſum virgo Domina tutam partu virginitatem promittit Angelus,commendato Dei filio. Vnde ait D. Fulgent ad ſerm. de laud. virgin. *Qui venerat triſte lætificare ſæculum, ventris non contriſtauit hoſpitium.* Et conſentit Chryſologus ad ſerm. 42. ore locutus Angelico. *Ille , quo aucta ſunt tibi omnia , nihil minuit virgo.* Sic Deus humanæ caſtitatis amans eſt.p.5.ad c.6.

38. *Ecce ancilla Domini.* Nullo intumeſcit honore Dei Mater,ſed quo magis à Deo erecta , eo magis deprimit ſe ſe. *Quia deuotus animus infulis beneficiorum creſcit ad obſequium , augetur ad gratiam ; non ad arrogantiam proſilit , non ad ſuperbiam pertumeſcit.* Duplex à Chryſologo nota eſt , ad ſerm. 42. Altera , quod ſelecta in Dei Matrem virgo, ſeruire ancilla velit affectu gratificandi.p.1. ad c.2. Altera, quod virgo Deo ſacra non tumet honore ſuſcepto. p.7.n.3. ad cap.1.

APRILIS.

De Marco Euangeliſta.

Ad Luc. cap. 10.

N.1. *Deſignauit Dominus & alios.* Non bene reſpondet præfectura ambitu parata, ſed iuſto Domini calculo. p. 10. ad cap. 2. p. 2. n.2.& 5. ad cap. 5. Nam honores appetit homo virtutis infirmæ. p.42.n.4.ad cap.7.

Deſignauit Dominus & alios Iam pridem Chriſtus ordinauerat ſenatum Apoſtolicum. ad c. 6. n.13. Nunc ſeptuagenos deligit diſcipulos. Ius enim erat vt priores magiſtratum inirent , qui meritis priores erant. p.6.n.5.ad cap.3.Quales in aula Dauidica Primates. Textus eſt 2. Reg.cap.8. num. 18. *Filij Dauid Sacerdotes erant.* Græco textu , *aulæ Principes.* Iuuenum Principes , hominum Principes. Quo id merito,addit textus 1. Paralip. cap.18. num.8. *Porro filij Dauid primi ad manum Regis.* Quaſi velit , priores in aula valere qui priores erant ad obſequium. Vide Lyranum.

Et miſit illos binos. Oſtendit Magiſter ſocietate laudata hominum , quot à bono laborum ſocio venerint ſolatio.p.8.n.2.ad cap.2. Sed quot à bono comitatu morum præſidia? Inde Magiſter *miſit illos binos.* teſte Chryſologo , *Ne deſtituta ſingularitas , aut negaret vt Petrus,aut fugeret vt Ioannes.* ſerm. 17. Populum bello captum non deſerunt Ieremias,Zacharias,& vates alij. Quod patet:ſed ſponte ſua peregrinantur boni homines. Cur id,docet Ambroſius ad 2. lib. de Caino cap. 10. *Ne plebs reliqua ſanctorum virorum deſtituta præſidio ,conſilioque viduata grauiorem ſubiret ruinam.* Scilicet mores perderet , fidemque læderet ; quæ quidem fœda hominum calamitas eſſet.

Et miſit illos binos. Deo Magiſtro ſocietatis incundæ alter alterius teſtis eſſet de vita ſanctè acta. quod Caietano placuit. *Mutuum* (inquit) *teſtimonium , mutuam morum cuſtodiam , mutuam conſolationem conſtituit Ieſus in diſcipulis peregrinantibus.* An malè ſuſpectus homo eſt,qui vrbem, ne dum orbem ſolus inambulat, ſi iuſta inambulandi ratio non eſt ? Sodomam intrat alter, & alter Angelus,quod habes Gen. c.19.n.1. *Venerunt duo Angeli Sodomam.* Vrbem damnatæ nequitiæ adeunt comites , vt teſtes ſibi eſſent, officio mutuo.quod notat Ioannes Climacus.

In omnem ciuitatem , & locum quò erat ipſe venturus. Bonus omnino Præfectus,qui laborem aliis imperat ; nec ſuam à labore manum ſubtrahit. p.9. num.2. ad cap.2. p.16.num.2.ad cap.3. p.21. ad cap. 6.

In omnem ciuitatem, & locum quo erat ipſe venturus. Monet Chriſtus ſe poſt diſcipulos è veſtigio abiturum eſſe , ne obdormiſcant homines in mandatis obſeruandis. *Scientes enim diſcipuli, quod ſubſequeretur Magiſter, cogebantur omni cura inimicta exequi.* Ita Caietanus in loco. Suum benè officium faciunt homines , metu rationis reddendæ.p.20.n.3.ad c.7.p.17. n.4.ad c.1. p.44. n.5. ad cap.5.

2. *Meſſis quidem multa , operarij autem pauci.* Occurrit Seneca ad 1. de prouident. cap. 5. *Labor optimos citat.* Nec à ſe alius, Epiſt.31. *Generoſos animos labor nutrit.* Quo enim maior eſt difficultas,eò maior elucet virtus.p.19.ad cap.5. p. 1. n.3.d.5.p.7.n. 4.ad cap.7.

Deinde occaſio ſalutis humanæ à labore maiori melior expromptos citat animos.p.18.ad c.6. p.13.num. 3. ad cap. 6. Erat Paulus à Iudæo vexatus , Corinthúmque deſeruerat Apoſtolus rebus deploratis. Tunc Chriſtus , vt Paulum reuocaret in vrbem.Act.cap.18.n.9.*Noli*(inquit)*timere.* Quidquid occurrat durum,ac dirum : ne cadas animo ; & duplex à Magiſtro Deo ratio eſt: altera ſcilicet , num. 10. *Ego tecum ſum.* Altera

verò est. *Populus est mihi multus in hac ciuitate.* quod Paulo magis arridet. postremo apponit, salutem scilicet plurimam gentis Corinthiacæ: quasi bolum secunda in cœna gratiorem. quod notat Chrysostomus. *Vide quot rationibus persuadet, & quo modo id, quod Paulo maximè placebat, vltimo loco ponit.* Homil. 39. *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios.* Preces hominum exposcit Christus, vt rogatus eroget quasi merentibus. Hac via suam laudat iustitiam, & nostrum curat honorem. p. 14. n. 2. ad cap. 6.

3. *Mitto vos, sicut oues inter lupos.* Sua constat patientia Christi schola, & fidem facit dictis, patiens pro sana fide. p. 49. ad c. 5. p. 7. num. 4. & 5. ad cap. 6.

Sicut agnos inter lupos. Petitus morsu lupino agnus tacet, vnde typus est patientiæ affectu celebratæ. Sic & Christus, ait Isaias cap. 53. n. 7. *Tanquam agnus, coram tondente se obmutescit:* Inibique Chrysologus. *Tacet, qui volens patitur; clamat, qui laceratur inuitus.* serm. 24. Quid si patiens, dum tacet, respondet felicius? p. 1. ad cap. 6. in com. cap. 6. n. 8.

4. *Nolite portare sacculum, neque peram.* Benè paupertatem Magister laudat, qui discipulos inuitat, ad laudem mortis ferendæ: nemo enim valentior ad crucem perferendam, quàm malè numatus homo, scilicet nihil rerum amissurus. p. 22. num. 2. ad cap. 2. Non alia se lorica munitam docet virgo sapiens, quàm rerum inopia, ad labores, doloresque tolerandos. *Percusserunt me, & vulnerauerunt me,* ait, velut gratulabunda. Cantic. 5. num. 7. addit rationes patiendi, & gratulandi, suis se rebus spoliatam esse. *Tulerunt pallium meum.* Ac si vellet se ab inopia rerum vires sumpsisse, vt volens, ac libens sustineret pulsata grauiter.

Nolite portare sacculum, neque peram. Qui festinato viam init, sarcinas abigit. Viam obit discipulus, Magistro iubente, *Ite.* Necesse est, vt copiam rerum à se abigat, ne cursus tardetur. scilicet onus diuitiarum est grauissimum. Nonne Christus Matthæum videt addictum opibus congerendis? *Vidit hominem sedentem in telonio.* Matth. cap. 9. num. 1. Cur non assurgit erecto statu? *Matthæum diuitiæ sacculorum ponderibus sic premebant, vt leuari ad innocentiam, ad iustitiam surgere, ad virtutem progredi non valeret: vnde sedere, erat subsidere.* Ait Chrysologus serm. 28.

Et neminem per viam salutaueritis. Quid hoc est mi Domine? tollis ne commercium humanæ salutationis? an placet rusticitas in congressu populari? Aliò rem ducit Nazianzenus à D. Thoma citatus. *Mandauit hoc Dominus ad verbi gloriam; ne viderentur in illis magis vigere blanditiæ.* Neque enim eget fides sana blandimento aulico, nec lenocinio rhetorico, vt auditores alliciat: paucis amat veritas, & suo se tuetur ornatu. p. 1. num. 3. d. 1. in com. cap. 7. n. 33. p. 26. n. 1. ad cap. 7.

5. *In quamcumque domum intraueritis, primum dicite.* Iam id pridem Magister imperauerat Matth. cap. 10. num. 12. *Intrantes* (inquit) *domum, salutate.* Iubet Magister gratificari discipulum hominibus, à quibus exceptus benignè fuerit. Vnde Caietanus benè; *vt ex vestro hospitio prædicationis fructus incipiat.* Iubet Magister, vt discipulus hospitio inuitatus, bonam hospitibus pacem velit; & salutem dicat plurimam causa gratificandi: quæ mentis bonæ virtus est. p. 17. n. 2. & 5. ad cap. 6. p. 9. n. 5. ad cap. 7.

6. *Etsi ibi fuerit filius pacis.* Docet Christus nihil agere pacis ministrum posse, nisi Deus auditorem effecerit pacis alumnum; humanámque operam sine diuina ope nihil valere. Itaque gloriolam à Magistro vanam trudit. p. 2. num. 3. d. 1.

7. *In eadem domo manete.* Laborandum esse monet Christus, laborem tamen intermittendum; ne vires labore frangantur assiduo. p. 15. ad cap. 3. p. 17. n. 5. ad cap. 2. p. 16. n. 4. ad cap. 3.

Edentes, & bibentes quæ apud illos sunt. Priusquam de cibo sumendo Magister ageret, de via ineunda, ac de labore subeundo egit. *Ite* (inquit:) prouinciámque docendi mandauit. *Primum dicite.* An cibos eo labore, ac sudore iucundiores esse voluit? aio. p. 7. & p. 8. num. 5. ad cap. 7.

Dignus est operarius mercede sua. Cibatu Deus suo laborantes homines recreari voluit, ne quis laborem imponat, & cibum malè subducat. p. 16. n. 2. ad cap. 2. p. 15. n. 4. ad cap. 3.

Nolite transire de domo in domum. Ne qua diffidendi nascatur occasio mutato hospitij loco. Quod notat Chrysostomus Homil. 33. *Vt ne qui suscepit, turbetur.* Tantus Christo amor erat de concordia gentis Christianæ. p. 16. ad cap. 1.

8. *Manducate, quæ apponuntur vobis.* Non verò, quæ appetieritis, & petieritis. quæ quidem rusticitas est maxima. *Per quod vetat eos inquirere hoc, vel illud.* Addit Caietanus in loco. Ingerit se Caietano Seneca, de tuendo corpusculo. *Non* (inquit) *nego indulgendum, seruiendum nego,* Epist. 14. Quid si vel necessitatibus indulgendum Christus negat? Repræsentat Christo Mater, *Vinum non habent.* apud Ioan. cap. 2. num. 3. Sed Christus vultu ad seueritatem composito, *Quid mihi* (inquit) *& tibi est mulier?* num. 4. An preces reiicit bonus Deus? & Matrem à se precantem remouet? Illud Iustinus, quæst. 136. *Non ad obiurgationem dictum est, sed quasi hoc demonstrare vellet; non nos ij sumus, qui vini curam susceperimus.* Neque enim cœnam curat studiosè qui Deo hæret, sed paucis contentus viuit. p. 19. ad cap. 7.

9. *Et curate infirmos, qui in ea sunt.* Qui sanitatem reddit affectis corpusculis hominum, cur peram gerat, & sacculum? patebit latè domus, & cœna aliena. Eusebius Emissenus optimè. *Miserat eos Dominus non modò prædicare, sed curare infirmos, ideo nec sacculo indigebant, neque pera.* Panem sibi deesse quæritur ille, qui ad regnum delectus, Æsculapium morbis curandis se esse negat. Isai. 3. n. 7 *Non sum medicus, & in domo mea non est panis.* Persanctè Christus. *Nolite* (inquit) *portare sacculum.* vbi potestatem mandat sanitatis restituendæ. *Curate infirmos.*

Appropinquauit regnum Dei. Quæ Magister docet, hæc & discipulis docenda imperat. Sic enim Christus in principiis docendi, apud Matth. c. 4. n. 17. *Appropinquauit regnum cœlorum.* Vnde Caietanus. *Quod ipse prædicat, Apostolis prædicandum mandat: non reseruans sibi altius aliquid.* Eodem se iure Magister habet, ac discipulos. p. 21. num. 4. ad cap. 6.

Nec sibi Magister indulget otium, ac discipulis negotium imperat. quod in Præfecto homi-

num absurdum est. Vide com. c. 1. num. 2. p. 21. ad cap. 6. Neque enim Præfectus honestè iubet fieri, quæ non facit. p. 16. n. 2. ad cap. 3. p. 9. num. 2. ad cap. 2.

MAIVS.

De Philippo, & Iacobo.

Ad Ioan. cap. 14.

N. 1. *NOn turbetur cor vestrum.* Rectè Magister discipulis timet, ne concidant, cum dixisset proximè de Petri metu, & casu ad cap. 13. n. 38. Trahit enim secum ad improbitatem Præfectus improbus gentem subdita. p. 10. n. 4. ad c. 3.

Creditis in Deum, & in me credite. Solatium parat ingens rebus trepidis, qui Deo fidit. Vide com. cap. 4. num. 37. p. 11. num. 3. ad cap. 5. p. 9. num. 2. ad cap. 4. Nec aliud Philippo, & Iacobo erat solatium.

Non turbetur cor vestrum; & in me credite. Quod ad vos attinet, animos obfirmate: sic tamen, vt opem à Deo poscatis. Manu enim pugnandum est, Deoque fidendum. in com. c. 5. n. 76. p. 11. n. 3. ad c. 1. p. 12. n. 1. & 2. ad c. 7. hac Philippus, ac Iacobus via abière.

2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Illud in loco Magister. Scitote finem laboribus dandum esse, cum sedes sit parata: quod animo credendum Christus monet. *Et in me credite. Hoc est, quòd malæ transibunt,* ait Chrysostomus Hom. 72. Addit Pelusiot. lib. 1. Epist. 65. *Illic verè mansio est; nam præsens vita, tentorium vile est; quod simul, ac compactum fuerit, soluitur.* An hæc à laborando quies laborum merces est? *Considera, quomodo consolatur;* ait Chrysostomus Hom. citat. p. 15. n. 3. ad c. 3.

5. *Nescimus, quò vadis; & quomodo possumus viam scire?* Hæc Thomas, satis insinuans, quo Magistrum studio sequi vellet, cum schola reliqua. Et hæc Chrysostomo placet commentatio Hom. cit. Scire cupiunt Apostoli, quò Magister abeat, vt viam cum Magistro obeant; vnus tamen Thomas id rogat, victus affectu. Quis enim procul à Christo discipulus esse velit? & sustineat? Cum Apostolos à se Magister emitterer, vt vacaret nocturnis precibus. Textus est Marc. cap. 6. n. 45. *& statim coegit discipulos suos.* Ad rem Victor Antiochen. *Quia se ab illo diuelli non facilè paterentur.* Nec Matthæus colorem dicendi sumit alium cap. 14. n. 22. *Et statim compulit Iesus discipulos suos.* Ægrè videtur schola à Magistro digredi: quod notat Chrysostomus Hom. 50. *Cum dicit (compulit) declarat, quòd magno suæ amore præsentiæ discipuli tenebantur.* Et quidem amicus ab amico abesse nescit. p. 10. n. 1. ad c. 6.

6. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Patrem plusquam decies hoc textu Christus vocat, & totus in Patre laudando, colendoque est. Cur id? Sciebat Patrem dictis, & factis improbis hominum malè acceptum, ac proinde, qua potest via, paternum curat honorem. An hæc Christo ratio, vt veniret ad homines? Ait Cyrillus Ierosolymit. Catech. 6. *Nosti, quid moverit à throni dextera venire vnigenitum? Pater spernabatur.* Addo Patrem à Christo nominatum frequenter. Matth. cap. 11. num. 25. Marc. 8. num. 38. Luc. 22. n. 29. Ioann. 6. n. 32. Quò scirent Apostoli vtrumque populum cura patria instruendum esse: quod habet Iustinus aduersus Typhon. *vt intelligant populum vestrum reuocari paterne ad mentem meliorem.* Neque enim trahendus ad Christi scholam homo est. Vide com. cap. 2. n. 21. p. 8. ad cap. 2. p. 18. num. 2. ad cap. 4. p. 19. num. 4. ad cap. 6.

8. *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Sic Philippus, & formam loquendi apponit hominibus piè affectis; ait Rupertus lib. 11. *Hoc* (inquit) *rectè dicat homo, qui tædium patitur præsentis, & amorem habet futuri sæculi, qui Deum diligit, & hoc nequam fastidit sæculum, dicat: Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Ostendit Philippus se piè commotum esse qui de rebus humanis minus curat, totus in Deo colendo, & amando. quod ego laudo. p. 24. ad c. 4. Id ille diceret affectu meliori, cum suam ferret crucem.

9. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Queritur, nec immeritò, Christus non profeciisse discipulos sub Magistro sapientissimo, ac sanctissimo. Fit enim inde vt scholæ erratum Magistro obtrudant homines. p. 45. n. 1. & 2. ad cap. 5.

Et non cognouistis me? Quid scire velit Philippus, ostendit; & quod nescierit discipulus, notat Magister, punítque, ne probare videretur errantem discipulum, si dissimularet. p. 46. n. 2. ad c. 5. p. 7. n. 3. ad c. 2.

Et non cognouistis me? Vnus tantùm Philippus labitur, & notatur schola vniuersa? sed pudor Philippo esset grauior, si notaretur sine reliquis. Ac proinde Magister Philippi lenit pudorem morsu communi: ægrius enim multo dolet, qui solus dolet. Vide com. cap. 5. n. 24. Vnus peccat Iudas maligna interpretatione: quod Ioannes insinuat, cum docet Christum à Magdalena inunctum piè. Ioann. c. 12. n. 4.

Dixit vnus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes. Nam discipuli reliqui mente alia factum notarunt. Quid Magister? num. 7. *Sinite* (inquit) *illam.* Scholam pungit vniuersam, cum Iudas vnus peccet; ne grauius doleat, si non doleant reliqui. Notat id D. Gaudentius tract. 23. Et Christus assensu communi Magister notæ lenitatis. *Idcirco dicta lenitate, & promiscuo monitu Iudæ sermones euacuat, ne Iudæ occasionem tribuat excusandi furoris.* Hac via pudorem, doloremque lenit hominis perditissimi.

10. *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater in me manens, ipse facit opera.* Inde Christus (apud Rupertum.) *Nunquid si mentirer in sermone, Pater mecum esset in tantorum operum exhibitione?* lib. 11. in Ioann. Scilicet Christi sermones probant, & signant, imo sigillant patrata miracula. *Hunc enim Pater signauit Deus.* Ioann. cap. 6. num. 27. vbi Græcum est verbum σφραγίζω quod est *sigillo notare.* Sunt enim signa mire facta Dei sigilla. Suam Christus scholam aperit, & simul edit miracula: apud Matth. cap. 4. n. 23. *Prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem.* Cur id? benè Chrysostomus. *Auctoritatem mandatis præstruxit, claritate signorum.* Hom. 14. in Matth. Orbe prius condito suam Adamo legem dedit. *Ne comedas.* Gen. 2. n. 27. Quid posset, rebus mire factis, ostendit Opifex, vt dictis auctoritatem conciliaret. *Cum enim fit politiæ cuiusdam introductio, signa Deus facit.* Sic Chrysosto-

mus

mus loco cit. Hæc Philippo, ac Iacobo permissa facultas, qua fidem sanam tuerentur.

Pater in me manens, ipse facit opera. An quidquam Pater facit, quod non fecerit filius? Respondet Chrysostomus Hom. 73. *Si pinguior verborum significantia humilitatem arguit, ne admireris.* Illudque Chrysostomus voluit Christum ea forma locutum, vt nullam de signis patratis gloriam sibi optaret. Sed more id solito Magister; vt Patrem magnarum rerum auctorem ebuccinauerit. Homines cibo refecturus quid agit? Matth. 14. num. 19. *Aspiciens in cælum benedixit.* vbi Chrysostomus: *Cælum aspexit, vt crederetur non aliunde, quàm à Patre missus, & vnde persuaderetur, nisi multa humilitate, quæcunque faceret, ita in ipsum retulisset, vt Patrem inuocaret.* Hom. 50. Hoc aspectu Christus ait, apud Matth. 11. n. 25. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus.* Nam licet filius cum Patre id fecisset operis, vnum in loco Patrem laudat: *Honorans Patrem*, ait Theophylactus. sed maior, ne dum melior apparet homo, qui se Deo minorem gerit. in com. c. 2. n. 26.

12. *Quæ ego facio, & ipse faciet; & maiora horum faciet.* Fecit Iacobus, quod Magister: Hebræum instruit lingua patria. Egit Philippus, quod Magister non egit; nam Scythiam lingua Scythica, Phrygiamque instituit lingua Phrygia, vt benè constarent Magistri dicta. *Et maiora horum faciet.* In quibus facultas est loquendi lingua varia: quod Rupertus sentit lib. 11. in Ioan. & canit Musa Dauidica Ps. 18. num. 14. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Et duplex est ratio, cur facta Apostolis potestas est docendi lingua varia: altera vt auditorium allicerent sono linguæ patriæ: altera vt Christo gentes quàm plurimas addicerent, quod ego laudo. p. 2. n. 2. d. 2.

De Cruce inuenta.

Ad Ioan. c 3.

N. 1. *Erat homo ex Pharisæis Nicodemus.* Hominem Ioannes à natura laudat. Nam homo verè est, qui rationes discutit benè beatéque viuendi. Hæc Ruperto mens in loco, ad lib. 11. Vide com. cap. 6. num. 13. Qui de salute non curat intima, homo non est; id probat Chrysostomus de Noë ad Genes. c. 6. num. 9. vbi Moyses, *Noë* (inquit) *vir iustus.* Satis insinuans homines à natura verè denominandos esse, qui suos concinnant mores. Hom. 23. in Gen.

Princeps Iudæorum. Docet Ioannes senatorem à senatu Iudaico venisse ad Christi scholam. *Ne contemptui haberetur, quasi à solis simplicibus recepta.* Ait Lyranus in loco. Non ego negauerim simplices, ac rudes à Christo homines à Christo suam in scholam inuitatos esse. *Ne doctrina fidei sapientiæ humanæ adscriberetur.* Id enim Lyranus probat. Viros tamen Princeps inuitat Magister, aut auctoritatem ab hisce viris cogat schola Christiana. p. 1. n. 1. d. 1.

Princeps Iudæorum. An senatorem Magister benignè excepit, vt Principem doceret de Cruce colenda? illud ingerens num. 14. *Sic exaltari oportet filium hominis.* Scio Crucem à gente nobiliori cultam religiosè. p. 10. num. 3. ad cap. 3. Quo respectu Deus vrget Helenam rerum Dominam, ad crucem quærendam. Patitur Deus crucem loco subterraneo; clausam esse, ad Constantini vsque principatum? *vt tunc inueniretur, cum religiosè quæreretur.* ait Paulinus Epist. 11.

2. *Venit ad eum nocte.* Victus metu senator, non luce palam, sed noctu Magistrum adit: nondum enim toto colit affectu, ait Nazianzenus. Orat. 16. *Dimidia tantum parte Christum amans.* Si toto Nicodemus amaret conatu, metum abigeret, & mero in meridie Christum adiret. Lego Dei scholam pie notatam Christi signo. Apoc. cap. 7. num. 3. Deinde video signum summa facie inscriptum esse. *In frontibus eorum* ait Ioannes; & Rupertus lib. 4. *Non in abscondito cordium, sed etiam in aperto.* Laus hæc est hominum, quibus gloria est Christi iniuria. *Signum enim vocationis est, & spes futuræ magnitudinis signari Dei seruos signo crucis.* Iterum in loco Rupertus.

3. *Respondit Iesus, & dixit.* Agit Christus latè de fide, commendat opes gratiæ, & laudat virtutum numeros, tactus amore salutis alienæ. Quid tamen aliud Iesus faceret, seruator humani generis? p. 26. ad cap. 5. p. 32. n. 2. ad cap. 5. p. 44. ad cap. 7.

9. *Quomodo possunt hæc fieri?* Multa Nicodemo difficultas erat in terenda vitæ Christianæ via. Ad hæc Magister suam inducit Crucem num. 14. *Sic exaltari oportet filium hominis.* Quid enim Crux sancta non emollit? p. 30. ad c. 7.

13. *Et nemo ascendit in cælum.* An suum Christus regnum parauit, cruce lata, & descensu ad imam terram? Respondet Magister num. 14. *Sic exaltari oportet filium hominis.* p. 8. n. 3. ad c. 3. Nepotulis, vt bene Iacobus dixerit, opem à cruce exposcit. *Commutans manus benedixit.* Gen. cap. 48. n. 14. scilicet in crucis modum conformans. Quod Damasceno visum est lib. 4. cap. 12. *Cancellatisque manibus benedicens, crucis signum descripsit.* Satis negans posse bonam Dei gratiam, nisi à cruce, venire in homines. Vide Tertullianum de baptismo. c. 8.

14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem.* Multis egit Deus, vt suam erucem nemo nesciret ab antiquitate vltima; quare multos huiusce crucis typos expressit à vitæ ligno, quod Moyses laudat Gen. 2. n. 9. ad vitæ lignum, quod Ioannes vidit, *& ligni folia ad sanitatem gentium.* Apoc. 22. num. 2. Mitto Iohelem, ad cap. 2. num. 22. Nonne Dauid laudes canit de sacro ligno? ad Ps. 95. n. 10. *Dominus enim regnauit à ligno.* Quidquid Iudæus nolit malignè. Putat Chrysostomus Deum toties de cruce, crucisque dolore meminisse, ne quis obliuiscereturQua ne obliuioni traderentur, mille sacramentis effectum à Christo est, & quæ maximæ Diabolus delere obliuione conatur; crucem dico, & passionem. Hom. 44. in Matth. 12.

Nullum Diabolus non mouit lapidem, vt crucem Domini abraderet à memoria hominum. Egit, vt Iudæus crucem abstergeret à Musa Dauidica: vide p. 2. n. 1. d. 3. vt occultaret loco subterraneo: ad Magni Constantini vsque principatum. Id verò, *vt ruinæ suæ dedecus suppresso victoriæ signo compensaret?* ait Petrus Damia. ad ser. de cruce. Contra egit & Christus, vt crux sancta rerum maximarum thesaurus videretur, & coleretur. Cur virgam Mosaicam tot, tantisque signis honoratam esse voluit ad Exod. cap. 7. num. 9. scitè Augustinus docet, ad serm. 101. de temp. *Non*

vtique Deus virgæ auxilio indigebat; sed erigebatur, vt scire possimus, quantum esset illud futuri ligni mysterium, cuius fuerat vmbra. Haclvia occurrit scitè Christus, Diabolique eludit artes in cruce occultanda.

Sic exaltari oportet filium hominis. Nicodemum de fide admonitum, ne deficiat labore impositi, Magister corroborat, cum suam laudat crucem. Quasi monens, à cruce venire, quidquid bonæ, firmæque mentis est. Vnde Chrysostomus Hom. 26. *Cum suam erga homines liberalitatem ostendisset, addit huius causam, hoc est crucem.* Video Christum de cruce locutum, pauciscque verbis Deuteronomium legum dictasse quodam modo, si quid Arnoldus videt. Nonne Christus de cruce latronem cœlo infert? nonne lictores vendicat ab ira patria? nonne Matrem discipulo commendat? & quæ sunt reliqua? Crucem hisce rebus honoratam voluit. *Volo* (inquit) *vt in ligno mea largitas demonstretur.* Sic Chrysostomus ad Hom. de cruce.

Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat. Id à Dei cruce bonum est, vt tueri suam quisque salutem, & vitam possit, Diabolo profligato. Quod habes p. 14. num. 1. ad cap. 3. Nonne sanitate iudulta, vitaque donata Dei crucem discreuit Macarius de cruce dubius? Ad rem Paulinus Epist. 11. *Ita, vt Christi crucem decebat, vitæ experimento inuenta crux, & probata est.* Lego signatos Dei homines; *vexillo crucis victoriosæ*, ait Rupertus lib. 4. in Apoc. cap. 7. Deinde homines huiusce notæ clamitasse in Dei laudem, num. 10. *dicentes, Salus Deo nostro.* Quod in primis laudandum occurrit, causa gratificandi salus est vltima humani generis: acsi velint, salutem, qua fruuntur, venire à cruce qua signantur. *Et quod olim opprobrium fuit, & pœna damnatorum, nunc verò decus, & salus iustorum.* Id inuenit Rupertus. Ego inuentis addo, genesim vitæ ligno, crucisque signo honoratam, cap. 2. n. 9. Deinde Apocalypsim crucis ligno, & vitæ signo adornatam esse cap. 22. num. 2. vt scirent certo homines, quidquid sanitatis ac salutis promissum est sacris literis, id suam à cruce vim habere. Vide p. 11. n. 7 ad cap. 6.

De Sancto Michaele.

Ad Matth cap. 18.

N. 1. *Quis putas maior est in regno cœlorum.* Ab affectu dominandi nata contentio, quod Magister notat grauiter. Sed tam fœda Apostolis nota est, vt ambitum mentis vanæ tegant affectu adeundæ patriæ, teste Caietano. Quasi non deceret Christi discipulum ambire vana, & humana. Vide com. cap. 2. n. 15. p. 10. n. 4. ad cap. 5.

2. *Et aduocans Iesus paruulum.* Rudes homines tam facto, quàm dicto monet; satis sciens moueri felicius hosce homines schema rerum explicata. Ita Chrysostomus Hom. 59. *Rectè ante oculos monstrato paruulo, totam rem posuit, ipso aspectu conuertens, ac persuadens.* Vrget Isaiam Deus, vt nudus, pedibusque discalceatis, vates vrbem perambulet. *Et fecit sic, vadens nudus, & discalceatus*, Isai. cap. 20. num. 2. Addit textus. *Et dixit Deus.* n. 3. Suam de fortuna Ægyptiaca sermonem Deus firmatum voluit nudato Isaiæ corpusculo: quandoquidem *segnius irritant animos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subiecta*, ait Horatius. Ad litem scitè Procopius. *Ad metus incussionem, inusitatus ille habitus nudo sermone efficacior erat futurus.*

3. *Nisi conuersi fueritis, sicut paruulus iste.* Humilitatem docet Magister affectu humilior: sed humilitatem exigit ab Apostolis veram, non vanam: & quam in puerulo agnoscit Chrysostomus Hom. cit. *vt absque simulatione aliqua humilitatem amplectantur.* Non ficto puerulus vultu, se se parentibus subiicit. Ita se habeat Christi discipulus, necesse est. p. 3. num. 6. ad cap. 1. p. 23. ad cap. 4.

Vt suspendatur mola asinaria. Pati Christus non potest, vt homo sit homini lupus, ne dum asinus ad improbitatem, quippe qui dictis, & factis, velut ruditu, & vngula vrget in præceps hominem simplicem. Asinum certè notat mola asinaria. in com. cap. 5. n. 81.

7. *Væ mundo ab scandalis.* Dolet Christus aberrare homines à vitæ via, alioque secum homines trahere. Tanta Deo est bonitas, vt suo fletu fletum ab improbis velit elicere. quod putat Chrysostomus Hom. 60. *Idcirco dolentis vocem adhibuit, vt dolore suo ipsos incitaret, ac diligentiores, vigilantioresque faceret.* Bonus omnino Magister, qui flendo flere docet peccantes homines. Vide com. cap. 6. n. 29. p. 11. ad cap. 6.

Necesse est, vt veniant scandala. Scilicet improbitate hominum supposita. Quid si vtilitas, & inde necessitas est parari scandala? scitè Chrysostomus Hom. 60. *Scandala quidem, atque acuunt, & perspicaciorem faciunt; non solum hominem, qui sibi diligenter cauit, sed etiam, qui incidit: nam postquam se inde eripit cautior, & tutior redditur.* Qua de causa ius est, vt mala permittat Deus prouidens. Vide p. 43. ad cap. 5.

9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Sic resecanda peccandi occasio est, vt nec amico parcas, si nolit vsque ad aras amicus esse. Vide com. cap. 2. n. 34. p. 13. n. 2. ad cap. 1.

10. *Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Mederi scandalis Christus voluit, idque huc vsque egit monitis prudentissimis. Nunc vires addit ab auxilio Angelico: emittit enim cœlo Angelos hominum custodes, qui à Deo Magistro ediscunt rationes agendæ custodiæ. Ac proinde *semper vident faciem Patris mei*, scilicet *in sapientiæ speculo contemplantes, qualiter suum perficiant munus.* ait Laurentius Iustinian. ad lib. de connub. cap. 16. Necesse id erat, cum scirent custodes hominum Angeli rationem de officio reddendam esse. p. 3. num. 3. ad cap. 2. Vigilent custodes oportet, de quibus Daniel. *In sententia vigilum decretum est.* Nec alij ab Angelis custodes iuxta, ac vigiles, ad Cant. 3. num. 3. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Vnde Lyranus, *Vigilant ad nostram custodiam.* p. 15. n. 3. ad cap. 2. p. 7. n. 6. ad cap. 4.

Semper vident faciem Patris mei. Ita Angeli curant homines, vt Deum prope inspiciant, precesque deferant gentis miseræ. Quod habes in com. cap. 3. n. 9. p. 17. n. 2. ad cap. 5. Scala in cœlum erecta, videt Iacobus in somnis *Angelos Dei ascendentes, & descendentes.* Gen. 28. n. 12. An Dei ministros videt cœlo missos ad custodiam, ac salutem

ſalutem humani generis? Ait Philo ad 'lib. de ſomn. *Patris mandata deferentes ad filios, & viciſſim ad Patrem filiorum preces.* Quanta Deo 'cura eſt, ne Dæmones paruulis obiiciant ſcandala, miſſis in terram Angelis & ſapientiſſimis, & vigilantiſſimis.

Semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt. Valentes omnino Angeli, vtpote milites immortales, qui terrent, non timent Diabolum. Neque enim Deum fruſtra cuſtodes vident; ſuas à Patre Deo vires eſſe docet Chriſtus. *Et exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Matth. 26. num. 53. Cur Angelus militari habitu, bene Salmeron tom. 10. tract. 17. *Militant pro nobis aduerſus legiones Dæmonum.* Militat & Michael in ſalutem gentis Chriſtianæ, vtpotè Magnus Princeps virtutis Angelicæ. Vnde Iuſtinianum iuuat bello Vandalico, apud Baron. tom. 7. anno Domini 532. Iuuat & Alphonſum Regem pugna Scalabitana. Vidit enim Princeps manum alatam, quæ Mauros perdit, ferro impacto. apud Vaſconc. l. 2. cap. 10. p. 5.

Semper vident faciem Patris mei. Intima Deo, & continua eſt acies Angelica. Idque è loco Theophylactus eruit. *Vſque adeo familiares Deo ſunt, vt eius faciem videant coram ipſo ſtantes.* Sic primates aulici. Cur non iuuent, ac ſeruent homines? Eſt enim magni viri iuuare, ac ſeruare, ſi qua poſſit manu homines alios. p. 26. ad cap. 5. p. 44. ad cap. 7. Quid hac parte non faciat Michael, ſi Princeps ducit, ac iuuat aciem Angelicam? *Michael, vnus de Principibus venit in adiutorium meum*, ait Angelus Dan. 10. n. 13.

IVNIVS.

De Barnaba Apoſtolo.

Ad Matth. c. 10.

N. 16. *Mitto vos, ſicut oues in medio luporum.* Oues, non lupos eſſe Magiſtros veri iubet Magiſter. Neque enim bene docet, qui pacatus in docendo Magiſter non eſt, ſed ſcholam tumultu miſcet. p. 49. ad c. 5.

Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes. De textu eſt, quid à diſcipulis Magiſter velit; mores quidem mites, motus prudentes, actus ſimplices: ſcilicet vt ſuam cum Magiſtro manum moueant, nec de Chriſti ope ita fidant, vt ſuam non præſtent operam. Et Chryſoſtomi placitum eſt Hom. 33. *Vult non ſolum gratia ſui ipſos eſſe munitos, ſed à ſe ipſis etiam non nihil ad præclara opera conferre.* Vide p. 12. ad c. 7.

17. *Cauete ab hominibus.* Docet Magiſter cauendos eſſe homines, qui dolos tegunt obtentu humanitatis; & quo magis agunt homines, magis nocent. teſte Caietano. Vide com. c. 2. n. 12. p. 19. num. 1. ad cap. 1. p. 1. num. 4. ad cap. 4. p. 15. ad c. 7. Scio Diabolum humana facie dolos texiſſe. p. 7. n. 4. ad c. 4.

Cauete ab hominibus. Non ſatis eſt virtus maſcula ad vim vi repellendam, niſi caueris hoſtiles fraudes: pugnandum enim eſt, ſed vigilandum. Vide com. cap. 4 num. 11. p. 7. num. 4. & 5. ad cap. 4.

Tradent enim vos in conciliis. Prouidentia eſt, quod Magiſter diſcipulos admonet de occaſionibus patiendi. Scitè id Chryſoſtomus Hom. 34. *Ne ſi repente atrocitatem malorum premerentur, quod præter ſpem accidiſſet aliquid, turbarentur.* Feriunt enim minus, quæ præuidentur iacula. Vnde Seneca ſuum ad Lucilium. *Præcogitati mali mollis venit ictus.* Epiſt. 76. Vide Clem. Alexand. lib. 4.

Nec ſemel Chriſtus certos hac de re diſcipulos eſſe voluit: ſed cruce iam parata id exponit, apud Luc. 20. n. 12. Apud Ioann. cap. 15. num. 20. *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Cur Magiſter bone cœnam miſces amaritudinibus? Auguſtinus optimè Hom. 14. cap. 1. *vt prædicendo faceret paratiores.* Hac via Paulum ducit, ne ſuccumbat difficultatibus. *Ego* (inquit) *oſtendam illi, quanta oporteat eum pati.* Act. cap. 9. num. 16. Id verò, ait Cyrillus Ieroſolymit. Catech. 16. *vt ea præuidendo promptior eſſet.*

18. *Et ad Præſides, & Reges ducemini.* Diſcipulis opponit Magiſter iudices, vtpote legum peritos, & Reges, vtpote rerum dominos, à quibus grauiora timeri ſolent, ait Lyranus. Et quidem grauior multo eſt calamitas, vbi poteſtas iuuat nequitiam, & poteſtatem irritat nequitia. p. 3. n. 1. ad cap. 6. p. 37. n. 3. ad c. 7.

19. *Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini.* Quid oues à lupis timerent, niſi raucedinem (mitto grauiora) vt loqui non poſſent de ſchola Chriſtiana? ait Lyranus. *Lupus enim homines anhelitu inraucat.* Et verò tam Hebræus, quàm Græcus Iudex id multis curarunt, ne quis de re Chriſtiana diceret ad populum. Sed Chriſtus vrget ad dicendum vitæ Magiſtros, etſi Orationem prius non ordinauerint. Sic Rupertus lib. 8. in Matth. *Nolite* (inquit) *præcogitare, qualibus verborum phaleris ſanctæ Scripturæ ſenſum exornetis.* Neque enim veritas cultu eget rhetorico. Vide p. 26. n. 1. ad c. 7.

Nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Turba carnificum obiecta, metum à Magiſtris morum Magiſter amouet, vrgetque, dicendum pro fide eſſe, licet auditor ſit improbus. p. 7. n. 3. ad c. 2. p. 7. ad c. 6.

21. *Tradet enim frater fratrem.* Sæuit grauius fraterna diuidia, quare atrocitatem harumce diſſenſionum Chriſtus loco reponit vltimo. Vide p. 3. num. 4. ad cap. 4. Sed percontor vnde grauior hæc apparet acerbitas? Reſponſum eſto: Nemo fratrem, vt hoſtem formidat; ac proinde fratrem male cautum frater vrget, vtque nocentius. p. 4. n. 2. ad cap. 5.

22. *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Aliud multo horribilius addit*, teſte Chryſoſtomo, *ſed conſeſtim conſolationem adiunxit, cum dixit propter nomen meum*, Hom. 34. Nam dulce, ac decorum eſt pro veritate pati, ac mori. Vide com. c. 6. n. 15. p. 7. ad c. 6.

De Antonio Olyſiponenſi.

Ad Marc. cap. 5.

N. 13. *Vos eſtis ſal terræ.* Dixerat Magiſter copioſè, diſcipulóſque monuerat de cura virtutum; modò laudes aggerit, vt animos addat aggrediendi, ait Chryſoſtomus Hom. 15. *Rurſus eos laudum admixtione permulcet, ne trepidarent.* Quod ſuam Magiſter ſcholam maxime laudatam voluerit, bene Rupertus docet lib. 5. in Matth. *Sic* (inquit) *diſcipulos ſuos honorauit.* Quòd verò laudum cantiones adigant ad rectè agendum,

agendum,probo.p.9.n.4.ad c.6.p.15.num.1. & 3. ad cap.6.

Vos estis sal terræ. Sermo est de Magistri casta vita,& disciplina;quod Rupertus notat.Vt enim cato sale curata suo benè habet ; sic & homines rectè valent sub Magistri casta vita,& disciplina. Rupertus inibi, *Habebant vbique terrarum consilio castitatis salire credentium corpora. O quantas salierunt puerorum,ac puellorum turbas?*Et quidem Magister vitio affectus docere non potest. p. 12. n.1.& 2.ad c.1.

Vos estis sal terræ. Si de Magistri vita locus est, quod plerique volunt, sale commendatur vita dure acta ; quæ malè corpusculum cruciat, & emaciat. Neque enim cibum condis,nisi sale minuto,ac diluto:quæ D.Antonio vita erat,in sacco scilicet,ac ieiunio.Id ego laudo p.2. n.1. d. 6. in com. cap. 4. num. 19. p. 19. num. 3. & 4. ad cap. 7.

An mores concinnat piè mensa castigata?aio. p.2. n.1.ad cap.6. Inde est,quod Deus toties de sale meminerit, ad Leuit. cap.2. num.13. & Rupertus dixerit in Matth. lib. citato. *Diligentissimè salem commendat, quod ne paruum quid, aut parui pendendum putes, scriptura benè triplicauit, & sic sublimiter extulit,vt diceret,sal fœderis Domini,*&c. Qui malè pungit corpusculum, bene purgat animum.

Quòd si sal euanerit. Admonitio quædam est, posse Magistrum qualemcumque periclitari vana gloriola. Ac si Christus vellet,teste Ruperto, *Noli altum sapere,sed time,conscius tibi sermonis,& sapientiæ, quæ fortasse tibi abundat: nonnunquam enim contingit,vt sal euanescat,nonnunquam accidit, vt scientiam habens abutatur ea in superbiam.*Quid si lenes homines sua intumescant sapientia ? p.2. n.5.d.1.in com.c.5.n.7.p.49.n.2. ad c.5.

13.& 14. *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.* Quidquid vbique gentium est, discipulis committit Magister,vt piè moneat:quod Chrysostomo placitum est Hom. 15. *Neque enim ad vnam vos mitto gentem,sed ad omnem prorsus terram, totúmque mundum.* Et quidem magnis morum Magistris vnus non sufficit orbis : adeo amantes sunt humanæ salutis.p.2. n.2.d.2.p.18.ad cap.6. p.17.n.3.ad cap.5.& 6. quod & dictis, & scriptis peregit D.Antonius.

Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi. Vitam prius,ac doctrinam deinde laudat ; quod Theophylacto placet : quasi doctrina suam à vita vim habeat.p.12.n.1.ad c.1.p.20.n.3. ad c. 4. Et verò Antonius vitam prius , quàm doctrinam cogitauit.

Vos estis sal terræ,vos estis lux mundi. Si castitas sale exprimitur,& luce doctrina,benè ad sapientiam,ducit morum castimonia. in com.c.6.n.13. p.4.ad c.6.

Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi Bene lucet vita castè acta;proindeque à plerisque hominum colitur,& amatur. Ad litem Chrysostomus Hom.15. *Nihil est,quod hominem sic insignem faciat, etsi magno ambitu optet latere, ac splendor ipse virtutis.* Vide p.5.ad c.6.

Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi. Caute agat, lucerna accensa, qui viuit castè; ne qua Dæmonum vis vrat , & fraus subrepat. Vide p.27.n.5.ad c.5.p.2.ad c.7.

Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi. Cur Magister discipulis sua demutat nomina? an vt benè lateant nominibus demutatis?Id fortasse est.Hac mente Saulus in Paulum, siue Paululum versus est;ne quid Saulus à Saule Regium sonaret,quod Caietano placet. *Constat, quod Regio nomine vti noluerit, sed nomine humili.* Sic & Fernandus in Antonium demutatur : siue vt ex nomenclatura vrgeretur ad exprimendum sanctè Antonium, ac Magistrum vitæ monasticæ ; vrgent enim ad rectè agendum indita viris nomina. in com. c.3. n.7.p.4. ad c.3.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Multa in luce versatur Magister hominum, qui & mundi lux vocatur, & ciuitas summo in iugo locatur. Auctore Chrysostomo. *Vt studeant esse soliciti ; quasi in omnium oculis constituti.* scilicet Doctores , ac Rectores humanæ gentis. Et quidem hæc meditatio bene cautos reddit homines. p.44.n.7.ad c.5.p.17. n.3.ad c.13

Non potest ciuitas abscondi. Pulchrè appellantur viri optimi,nominibus ampliatis : nam totus de sale,de luce , de vrbe mystica textus est. Sed ingens viris magnis studium latendi , teste Ruperto. *Talium quisque paruulus est in oculis suis, latere vult, quasi dignum se aspectibus hominum, aut hominem se esse non arbitretur.* Puto ego latendi curam hisce viris inesse , ne congressu hominum Deum perdant. Vide com. cap.5. n.69. p.29. ad c.5.p.19.ad c.6.

Non potest ciuitas abscondi. Ad virum Dei continuum, quasi ad arcem refugiunt miselli homines. Tanta viro magno , ac bono virtus, & voluntas est ad tuendam salutem alienam; quod Lyranus interpretatur. Vide p. 26. ad c.5. p.44.n.1.ad c.7. An hæc Antonio virtus deest,& voluntas deficit ?

15. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.* Ostendit Magister curam latendi magnis viris magnam esse , licet granditer sapiant. Quod affectu humili factum laudo. p.2.d.1.

Neque accendunt lucernam , & ponunt eam sub modio. Hominem Deus è latebris extrahit, qui latere ignotus cupit ; *vt non solum sibi sit vtilis, sed & aliis:*monet Euthymius.Locis vastis latere Ioannes voluit, & procul agere ab hominibus, cum esset *Lucerna ardens, & lucens:* necesse erat, vt veniret in publicum. *Factum est verbum Domini super Ioannem in deserto.* Luc. cap.3. n.2. vbi Rupertus. *Illud* (inquit) *deserti latibulum sponte subiit,istud publicæ prædicationis officium obediens suscepit.* A Ioanne id hausit Antonius,vt culinam volens,ac lubens, conciones verò,nisi iussus,non tractarer. Video, qua vi trahuntur magni homines ad officium docendi,ad honorem dominandi,quod ego probo. p.10.n.4.ad c.2.p.2.ad c.5.

16. *Et glorificent Patrem vestrum.* An suam Magister scholam vrget ex nomenclatura nobili ad mores piè concinnandos ? ait Chrysomus Hom. 15. *Nec dicit Deum, sed Patrem conferendæ illis nobilitatis prærogatiuam largiens hoc nomine.*Id habes p.7.ad c.3.p.8. c.4.p.10.n.3.ad c.3.

18. *Donec omnia fiant.*Quid rerum faceret,non iactat Magister , sed quid fiat;quasi negare velit se rerum factorem esse. Rupertus inibi. *Quanto* (inquit) *suauius , ac reuerentius sonat taliter dictum,donec omnia fiant!sed, ne iactantiam redolere sermo videretur, pulcherrimè temperauit dicendi modum.*Nec mitor:nam bonus Magister modestè de suis rebus agit.p.2.n.4.d.1.p.10.num. 1.ad cap.1.

De

19. *De mandatis istis minimis.* Modestè Christus de sua loquitur disciplina, quam vti facilem commendat. Acsi velit Quod ego moneo, ac iubeo, minimum est, nec factu difficile. Ita Chrysostomus Hom. 16. *Studium* (inquit) *nouæ legis extenuans, humili orationis modo vsus est.* Bonus omnino Magister, qui, quæ iubet, dictis leuat. p. 16. n. 1. ad cap. 4. in com. c. 5. num. 72. p. 20. num. 6. ad cap. 6.

Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur. Res magna est Magistrum sanctè agere, ac scitè docere. Nam doctrina vim à vita suam capit. in com. c. 5. n. 7. p. 12. n. 1. ad c. 1.

De Ioanne Baptista.

Ad Luc. cap. 1.

N. 58. *Magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa.* Ioanne concepto, & nato, suam Deus beneficentiam amplificat: tanti mundo est Iohannes, & bonus quisque ad ciendos virtutis amores. p. 18. ad cap. 4. p. 3. num. 1. d. 2. Tanti parentibus ad gloriam est bonus filius. Denarrat textus, quæ Banaias siue bello integro, siue duello simplici fecerat strenuè: ad 2. Reg. cap. 23. n. 20. & 21. Addit, quo Patre genitus militum Princeps fuerit. num. 22. *Hæc fecit Banaias, filius Ioiadæ.* Tam filium è Patre, quàm Patrem è filio commendatum esse textus voluit. Illud inferens, filij gloriam ad Patrem spectare.

Et congratulabantur. De vicinis textus agit: & monstrum est, quod vicini oculus viderit, nec inuiderit felicitatem alienam, sed gratulari pergerer. p. 2. num. 4. ad cap. 1. p. 14. num. 3. ad cap. 1. Aliud ego monstrum in loco video; scilicet, quod vicini oculus Ioanne iam nato non concepto, viderit fortunam adeo prosperam; cum vicinus facilè inspexerit domum alienam. in com. c. 5. n. 16. p. 7. ad c. 5.

Audierunt vicini, & cognati, & congratulabantur. Noto vicinos, deinde cognatos de Ioanne iam nato gratulatos esse. An quia prior, & inde grauior cognatis inuidia est de fortuna aliena? aio. p. 1. num. 2. ad cap. 1. p. 3. num. 4. ad c. 4.

Et congratulabantur. Ioannes hominibus est commune bonum; vnde commune ab eius ortu gaudium est. Neque enim bonus sibi tantùm, sed aliis nascitur in salutem. p. 18. ad cap. 6. Benè prudentes alij apud Tertullianum de pallio. cap. 5. *Scilicet Patriæ, Reique publicæ viuendum est.*

Et vocabant eum nomine patris sui. vt Ioannes vrgeretur ad virtutem colendam nomenclaturâ patria. p. 16. num. 3. ad cap. 6. p. 3. num. 2. d. 2.

60. *Nequaquam, sed vocabitur Ioannes.* Nomen à Deo inditum video quod habes num. 13. ac deinde multam in Ioanne virtutum copiam esse. Gratum omnino nomen, quo puer latè commendatur. p. 3. num. 1. ad cap. 3. Necesse erat vt homo Dei continuus nomenclatura vocatus honoraria, explicaret, quidquid virtutum animo clausum lateret. Vide p. 3. num. 1. ad cap. 3. Abrahamum Deus ex Abramo facit, addita literula, cum Patrem appellaret multarum gentium. Gen. 17. num. 14. & 15. Nec Deus apponit promissione, quod non exponat appellatione. Rupertus ad rem scitè. *Cum tanti muneris acceperit largitatem, eiusdem multiplicationis insigne in ipso posuit titulo nominis* lib. in Gen. 5. cap. 29. Neque enim Deus nomen indit vanum.

62. *Innuebant Patri eius.* Video Zachariam suo notatum silentio; siue quod hæsitâsset de promissa felicitate, siue quod ad promissi maiestatem stupor vocem intercluisset. *Vt qui quodammodo excessisset è sensibus, totum se conuertens ad id, quod visum fuerat:* ait Theodorus Monach. apud Surium. Et quidem res magna, quod Ioannes erat, stupentibus vocem eripit. p. 17. num. 7. ad cap. 7.

Deinde tacet, Deo iubente, Zacharias, ne, si Ioannis virtutes diceret, licet rogatus, creditu essent difficiles. Quod Theodorus addit loco citato. *Permansit mutus, vt non interrogaretur; vtpotè quod sustinendum non esset.* Et vero felicitas magna credi ægrè potest. p. 23. num. 2. ad cap. 5.

63. *Et scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius.* Vbi Pater Ioannem scripto reddit, redditam sibi videt facultatem loquendi: *Et lingua eius loquebatur benedicens Deum,* ait Ambrosius, serm. 65. *Vide quanta sit vis huius vocabuli, cuius nuncupatio reddit muto vocem.* Quid non faciat Ioannes piè vocatus?

64. *Et lingua eius loquebatur, benedicens Deum.* Paternam Ioannes linguam soluit vt grates Deo soluat pro tanta virtutum copia, negat enim se gratiis agendis parem esse. p. 1. num. 7. ad cap. 2. Licet materno clausus vtero *exultasset infans.* n. 41. causa gratificandi, quod ait Metaphrastes, apud Surium. *Saltabat, simul chorum ducens, & ægre ferens, quod teneretur in vtero.* Festinat bonus quisque ad gratiam referendam.

65. *Et factus est timor super omnes.* Cur vicinus timet, vbi tanta in Ioannem est Dei charitas? metum ne auget homo vita sanctus? certè malus apparet multo peior ad aspectum virtutis alienæ; est enim virtus mali vicini censura. p. 13. n. 2. & 3. ad cap. 5. Inde natus malis timor est. *Fiebat omni animæ timor,* ait Lucas Act. 2. num. 43. cum tractarent Apostoli scholam Christianam, moresque sanctè polirent: nemo enim è vulgo Iudaico non verebatur gentem Apostolicam. Benè Cyrillus Ierosolymit. Catech. 16. *Tanta erat Apostolis spiritalis gratia, vt quamuis mansueti essent, metuendi tamen viderentur.* Tanti vel à malo bonus fit, & si mali censor vita bona.

66. *Quis putas, puer iste erit?* Mirari malunt homines, quàm de Ioanne parum dicere; quanquam satis dicunt, dum mirantur hominem plusquam hominem: de quo scitè dixerint, quod iam de Roma Claudianus 3. panegy. ad Stilic. *Nec laudem vox vlla capit.* vnus tantùm Christus de Ioan. ne dicat, vt pote quem intus nouerit; nec incuriosus hac de re Magister est. patet ex Ioan. cap. 5. num. 35. Ex Marc. cap. 11. n. 30. ex Matth. cap. 17. num. 12. ex Luc. cap. 7. num. 24. vbi ferret occasio, Ioannem Christus laudabat amicè. Et quod *illius laudibus delectabatur immorari,* si credendum Guerrico est, ad serm. 3. & quod nemo Ioannem possit laudare, nisi magister celebratæ sapientiæ. Video quàm magnus Deo est, clarúsque Ioannes?

Etenim manus Domini erat cum illo. Quid à Dei manu puer non pararet, qui sub Dei manu erat; scire tamen opus erat, à Dei manu esse, quidquid virtutum haberet, ne tumeret superbè. p. 2. n. 3. d. 1. p. 1. n. 4. ad c. 2.

De

Index Concionatorius.

De Petro, & Paulo.

Ad Matth cap. 16.

N. 13. *INterrogabat discipulos suos.* A domesticis inquirit Magister, quid homines dicant alij: scilicet domesticis tanquam amicis fiducia loquendi est, nec tegunt, quod pungat, ait Hieronymus Epist. ad Ruffin. *Vera amicitia, quod sentit, dissimulare non debet.* Hoc affectu exactores *accesserunt ad Petrum, & dixerunt: Magister vester non soluit?* Matth. 17. num. 23. Cur Petrum, non Thomam, aut Iacobum conueniunt exactores? Caietanus benè. *Petrum consultò adeunt, familiarem Magistri.* Credebant Petrum confidentius cum Magistro locuturum de exactorum querimonia, cum esset de Christi sinu.

Quem dicunt homines? Monet hac via Christus ita viuendum, vt cures, quidquid de te homines cogitent, ac dicant alij. Athanasius optimè, ad Monachos. *Nemo ab obtrectationis metu redditur securus, obtrectandi solennitate.* Acsi velit, timendam licet falsam, ac ex vitio hominum detractionem. A Christo didicit Hugo Princeps mentito habitu in agrum itare, vt à vulgo hominum certus fieret, quid suo in Duce notaret. Res est, de qua Petrus Damian. lib. 7. Epist. 11. Addit Petrus meam in litem. *Porro cum de se, quid diceretur, inueniret, quid aliud, quàm nostri Redemptoris imitabatur exemplum,* Matth. 16. Multa præstant Reges metu famæ. *Qui qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt*; ait Seneca ad 1. de Clem. c. 6.

Quem dicunt homines? Quid absentes dicant homines, inquirit Magister. Absens enim adulari nescit, ait Petrus Damiani. Inde Christus absentes sui testes voluit. *Scilicet, vt Rex Angelorum formam daret Rectoribus hominum, quatenus non quod in faciem assentatoriè dicatur, attendant, sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant.* Mendax enim est adulatio, & mores corrumpit hominum. p. 2. num. 2. d. 3. p. 2. n. 2. & 4. ad cap. 2.

14. *Alij Ioannem Baptistam, alij Heliam.* Falsò homines plerique æstimant homines alios: labuntur affectu vario, nec sua rebus indunt nomina: quod Philo queritur ad lib. de agricultura. *Vulgus* (inquit) *hominum ignorans rerum naturas, in imponendis nominibus erret, oportet.* Quare cum Adamus adhuc vita sanctus esset, *appellauit nominibus suis cuncta animantia.* Gen. 2. num. 20. scilicet id hac via Deus prospexit, collectis ad hominem vitæ integrum animantibus, ne exerraret, cum imponeret nomina. Sic Philo ad lib. de opific. *Cum natura etiam tunc pura maneret, nullo turbata morbo, aut affectu, à vero non aberraret, dum nomina inderet.* Cur non errarent homines in Christo appellando?

15. *Vos autem, quem me esse dicitis?* Homines de Christi schola aliter de Christo sentire decet. Iniuria enim Magistri est discipulos erratis labi: quod vel Deo acerbum est. p. 45. num. 2. ad cap. 5.

16. *Respondens Simon Petrus dixit.* In re difficili vnus audet Petrus, tacent reliqui: sed ius erat vt Petrus viam munitet ad Pontificatum responso nobili: iusta enim ex meritis præfectura est. p. 3. n. 2. ad c. 3. p. 7. n. 3. ad c. 7.

Respondens Simon Petrus dixit. Ad Christi fidem prorogandam Pontifex ex officio Princeps esto. Tacuerint alij, vnus de fide, ac religione dicat Pontifex, necesse est; exemplum aliis audendi ingens. p. 7. ad cap. 6. p. 18. num. 4. ad cap. 6.

17. *Beatus es Simon.* Gratificari latè Christus nouit, & quas Magister laudes capit, vicissim regerit in discipulum. p. 17. n. 3. ad cap. 6.

Beatus es Simon Bar-Iona. Patrem non ita nobilem Petro Magister opponit, cum discipulus respondit optimè, vt vanam trudat gloriolam. p. 2. n. 6. d. 1. sic & Paulo fixus est stimulus, ne tumeret parata sapientia.

Sed Pater meus. Multis agit Christus, ne Petrus sibi tribuat, quam à Deo sapientiam acceperat; satis admonens superbiam literatis hominibus tineam esse. p. 2. n. 5. d. 1.

18. *Et super hanc petram ædificabo.* Non prius Magister Petrum honorat, quam Petrus meruerit, testata diuinitate: vt iustè Christus feciisse videatur. Vide p. 20 n. 4. ad cap. 6. Abramo plura, quàm optaret, Deus promittit. Gen. 21. num. 17. *Multiplicabo semen tuum.* Sed probata Abrami fide, ac pietate, *quia fecisti hanc rem.* num. 16. vnde Augustinus colligit Deum in bonis tribuendis iustum adeo esse, vt videri iustus velit, ad q. 43. de Testam. vet. *Diligentes enim se aliquid pati vult, vt iuste illos videatur promouere.* Priusquam sanitatem Christus conferat, fidem ab hominibus exigit Matth. 9. num. 28. Marc. 9. num. 22. Luc. 8. num. 50. Ioann. cap. 11. num. 26. vt quæ præstat, iustè præstare dicatur, ait Athanasius ad tract. de Cruce. *Ne videretur personis gratificari, & non annuere fidei.* Hac via Christus Petrum, Paulumque ducit; exploratisque virtutum meritis, honores mandat.

Et super hanc petram. Petrum, quasi petram sub humo conditam, cæmentoque aptatam video; neque enim Petrus videri, sed esse caput voluit scholæ Christianæ. Quàm modestus honore susceptо Petrus est? p. 7. n. 3. ad c. 1.

Et super hanc petram. Quid si à petra commendatur virtus constans? nec laus à Petro, & Paulo aliena. p. 17. num. 2. & 4. ad cap. 4. in com. c. 7. n. 44.

Et super hanc petram. Quid rerum non sustinet lapis cæmentarius? molem suo nexu tenet vniuersam, nec in sustinendo querimonia est. An Petrus, & Paulus de labore, ac dolore conqueruntur? laborant, & silent; dolent, & tacent. Addo gratiam Apostolis esse patiendi occasionem. p. 24. n. 2. ad c. 7.

Et super hanc petram. Pontifex est Petrus, hominumque Iudex; oportet, vt sit petra in iure dicundo, petramque animo induat, ne affectu labatur. Hæc Apostolis in commune laus est. de quibus Dauid; *Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum.* Ps. 140. num. 6. An hæc, Paulo teste, *petra erat Christus?* ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 10. num. 4. ac proinde iudices à Magistro petra petram animo induerunt, quod Bernardus monet serm. 8. in Psalm. 90. *Absorpti plane in affectum iustitiæ, & petræ soliditatem imitantes.* Neque enim affectu virgam flectunt iudices. Cur non id Petrus, & Paulus benè præstent, si pauperes voto, & auctu viuunt? iustus omnino iudex est, qui non cupit. Iudices hominum Christus legit. Matth. 18. num. 28. *Sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus.* Sed postquam discipulos affectu

paupe

pauperes esse videt; *Ecce nos reliquimus omnia.* num. 27. satis insinuans homines re apse pauperes, & affectu bonos in Rep. iudices esse: vtpote qui affectu pulso iustitiam coluerint. *Quam profecto solam, vt sequerentur, cætera reliquerunt:* addit Bernardus p.3.n.6.ad cap.6.

Et portæ inferi non præualebunt. Firmat Petrum hac voce Christus, ne timeat, quidquid minatur potestas adiuta nequitia: quod quidem acerbum fatum est. p.3.num.1.ad c.6. p.37.num.3. & 4.ad cap.7.

IVLIVS.

De visitatione B. Virginis.

Ad Luc cap. 1.

N.39. *Abiit in montana cum festinatione.* In loco dantur leges benè aliis faciendi. Lex prima est, celeritas in ope ferenda. *Omnis enim benignitas properat.* Ait Seneca ad lib. 2. & cap.5. de benefic. *& qui tarde proficit, non ex animo fecit.* p.17.num.1.& 3. *Cum festinatione.* Celeritas hæc in benefaciendo motum prodit volentis animi, quo munus adornatur. p. 8.n.1.ad c.2. p.18.num.2.ad cap.4.p.19.ad cap.6. De Christo Dauid ad Ps. 18. num. 6. *Exultauit, vt Gigas ad ad currendam viam.* Sed qui ministrare venit Christus, voluptate concepta, moras pellit omnes. *vincit alacritate ministrandi; vtpote quem Deus vnxit oleo lætitiæ*, ait Bernardus benè ser. 54. in Cant.

40. *Et intrauit in domum Zachariæ.* Laudo virginem Dei Matrem festinasse, vt multis prodesset hominibus. Zachariam castè visitat, vt dolorem moderetur, Elisabetham piè salutat, vt gratuletur felicitatem, Ioannem sanctè adit vt puer exiliat sanctitate patta. Ingentes Dei opes vna in domo claudit nota miserendi artifex. p.2.n.2. d.2. p.17.num.2. & 3. ad cap.6. p.35. num.6. ad cap.7.

41. *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* Notes, licet, non meminisse Lucam de gradu propinquitatis inter hasce fœminas, cum virgo seruitum iret: acsi moneret faciendum bene esse, affectu leuandæ necessitatis, non fouendæ necessitudinis. Proximum Christus probat, non ab affectu cognati sanguinis, sed à natura communi humani generis. Christum Legum peritus conuenit hac voce. *Et quis est meus proximus?* Luc. c.10.n.19. Responsum à Christo est. *Homo quidem*, n. 11. nullamque de cognato, aut amico mentionem facit: ne quis affectu domestico metiretur charitatem, teste Caietano. sed ab Isidoro Peluſiota id exscripsit, lib.4.Epist.123. vbi ille: *Non* (inquit) *actionibus, neque dignitatibus, sed natura definiuit proximum.* Quod ope ferenda spectandum est.

42. *Benedicta tu inter mulieres.* Postquam *repleta est Spiritu sancto Elisabeth*, ac Dei Matrem hujusce boni agnouit artificem, statim laudat. Grata adeo est bene merendi ratio. p. 32.n.5 ad c.5. p.17.n.3. ad c.6.p.9.n.5.ad c.7.

43. *Et vnde hoc mihi, vt Mater Domini*, &c. Grande nomen, quo illustratur virgo Domina; sed non minor benè faciendi obligatio; vnde addit Elisabetha, *Exultauit infans*, Quasi maior ex nomenclatura potiori nascatur occasio bene-

faciendi. p.9.n.1.ad c.2.p.4.n.2.ad c.3.

46. *Magnificat anima mea Dominum.* Quas factis laudes parat, Deo reddit virgo Mater; neque enim vanam è rebus piè gestis cogit gloriolam, sciens verè à Tertulliano dictum esse. *Malo nullum bonum, quàm vanum* Ad 1. c. de pudicit. Vide p.1.n.4.ad c.2.p.2.n.3.d.1.

De Madalena.

Ad Luc. cap 7.

N.37. *Mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* Mulierem Lucas non denominat, cum peccatricem appellat. Ne famam lædat mulierem Vide p.5.n.5 ad c.5.

38. *Et stans retro secus pedes eius.* Cur non in Dei oculis? mulier? scilicet peccatrix erat; pudore concepto, non audet sese dare oculis. quod Bernardus monet faciundum tibi esse; *vt suffusum pudore vultum non ante, sustollere audeas, quàm audias, remittuntur peccata tua.* ser.1.in Cant. Vide com.c.3.n.31.p.12.n.5 ad c.3.

Secus pedes eius. Vi scelerum pressa mulier solo affligit corpusculum: est enim scelerum onus adeo graue, vt vultum Cainus solo premat, vnde petit Iudex. *Quare concidit facies tua?* Gen. 4. n.6. sed respondet Bernardus optime. *Non potest caput attollere pressum iugo Diaboli.* ser. 24. in Cant. Deinde Cainum allocutus addit. *Non te surrigere prævales, cui dominatur iniquitas.*

Lachrymis cœpit rigare. Solum rigat lachrymis, sciens certò mulier ablui sordes scelerum non posse, nisi grandi lachrymarum alluuione. Vide com.c 5.n.85.p.32. n. 7. ad c.7. Vide feriam 5.in hebdom.passion.

39. *Quia peccatrix est.* Pharisæus, verè Pharisæus Quæ benè mulier agit, non curat, sed vitam opponit retro actam; & quod benè tegendum dum erat, malè detegit. Vide com.c.5.n. 93.p.47. n. 5.ad cap.5. An Pharisæus vitæ criminator alienæ, ea via suum voluit erratum lenire? Aio. p. 18. n.2.ad c.7.

40. *Et respondens Iesus.* Peccatricem tuetur Dominus vtpote quæ tacet. An victa pudore silet? Aio in com.c.2.n.14. an pressa dolore tacet? id ego probo. in com.cap.7.n.66. An quod sua lachrymis vox est loqui non vult mulier? id ego volo, in com.cap.6.n.34.

44. *Videshanc mulierem?* Quid in fœmina spectandum est? scilicet quo affectu Christum meditatus: tacet enim mulier, vt meditari possit liberè. Hoc aspectu silet, cum soror queritur. Luc.10.n.40. notat Augustinus ser. 26. cap. 2. *si enim respondere pararet, audiendi intentionem remitteret.* Et vero Dei meditationem interturbat confabulatio cũ hominibus. Vide p.16.n.4.adc.5.

Vides hanc mulierem? Quod nam in fœmina spectaculum? spectandum, quo nam studio peccatum à se truserit. scilicet vi lachrymarum, pedum osculis, capillorum neglectu; & toto corpusculi annisu rem piè gessit: neque enim paucis contenpietas est. p 17.n. 3.ad c.4.

47. *Quoniam dilexit multum.* Exponit Magister vnde sua rebus pie gestis forma est, ab affectu scilicet. Quod Paulinus obseruat Epist. 4. vnde laudata pie mulier est. *Quæ non tam munerum pretio, quam obsequij placet affectu.* Quid Magister ageret amoris cupiens? *Non vn-*

guentum in illa Dominus, sed charitatem dilexit, qua prudenter impudens, & piè improba extraneam sibi domum penetrauit. Hæc iterum Paulinus citatus. Vide com. cap. 2. num. 21. p. 8. ad cap. 2. p. 18. num. 2. ad cap. 4.

50. *Fides tua te saluam fecit.* Miror ego cur tam multis Christus peccatricem laudauerit? sed mulierem sic Origenes alloquitur. *Laudabat te, & dolorem tuum mulcebat.* Addo ego citari virtutem laudum cantu, ac proficere. in com. c. 6. n. 35. p. 15. ad c. 6.

Vade in pace. Noto mulierem à Christo laudatam tacere pertinaciter. Sed quæ nimis amat, affectu dominante silet. p. 2. num. 4. ad cap. 6. Amans deflet mulier ad Christi sacrum tumulum; quod Ioannes tradit cap. 20. num. 11. certa de Magistro, ait calore subito, *Rabboni.* num. 16. Nec vocem in verba plura soluit. Bene Laurentius Iustin. ad cap. 24. de Christi agone. *Paucis locuta est: nam amor vehemens sermonem intercidit.* sic vocem premit affectus impotens.

De Iacobo Apostolo.

Ad Matth 20.

N. 20. *Adorans, & petens aliquid.* Quò se mater non deiicit, vt liberos altè erigat? hoc de ambitu moneo ad fer. 4. hebdom. 2. quadrages.

21. *Dic, vt sedeant.* Non timet offensiones hominum materna affectio, quos sciret Magistri dicto obedientes fore. Vnde signanter mater ait. *Dic, vt sedeant.* Laus Apostolis magna est, quibus ad ambitum rerum comprimendum Magistri vox satis erat. p. 18. n. 3. ad c. 5.

22. *Nescitis, quid petatis.* Nescit bonus Magister conniuere ad scholam errantem malè. Pungit acerbè, punit grauiter; ne quod tacet, probare dicatur. p. 46. num. 2. & 3. ad cap. 5. p. 7. num. 3. ad c. 2.

Potestis bibere calicem? Tanta Iacobo virtus erat vt necem Christus vti aquam propinaret. Vide p. 8. n. 3. ad c. 3. com. c. 6. n. 15.

Potestis bibere calicem? An Iacobo necem pati erat dulci potu frui? Aio. p. 24. num. 2. ad c. 7.

Quem ego bibiturus sum. Sua Magister patientia patientiam citat, & mulcet hominum p. 3. n. 1. d. 2. p. 18. n. 1. ad c. 7.

Quem ego bibiturus sum. Qui vitæ labores, ac dolores suis imponit discipulis Magister, labores, ac dolores ne fugiat. p. 9. n. 2. ad c. 2. p. 16. n. 2. ad cap. 3. Nec alia Magister quam discipulus mensa fruatur. in com. c. 6. n. 41.

23. *Calicem quidem meum bibetis* Moriendum Iacobo esse docet Magister? sed mors (teste Cassiodoro) *calix dicitur, quoniam mensura bibitur.* Ad Ps. 115. Neque enim bonus *Deus patitur vos tentari supra id, quod potestis*; ait Apostolus 1. ad Corinth. c. 10. n. 13. Et hæc Apostolis ratio dicendi: *possumus.* Quis acerbitatē Dei manu temperatam non ferat? Vide com. c. 5. n. 71. p. 6 n. 4 ad c. 3.

Calicem quidem meum bibetis. Iacobi necem Magister suum dicit calicem, vt Apostolus æquiori bibat animo acerbitates hominum. p. 28. ad c. 7.

Sed quibus paratum est à Patre meo. Quæ Pater largitur, meritis solet dare: neque enim honores mandat, nisi labore imperato: *Calicem quidem meum bibetis.* Quod ego probo. in p. 20. num. 4. a cap. 6.

Sed quibus paratum est à Patre meo. Cur honores à Patre non à se diuidendos Magister dicit? An Patrem altè honestatum Christus voluit? Id ego puto, quod Theophylactus putat, ad Matth. cap 11. n. 25. vbi potestatem veritatis explicandæ Christus Deo, non sibi tribuit: *Confiteor* (inquit) *tibi Pater.* Et hæc Christus Auctore Theophylacto, *honorans Patrem. Sed quibus paratum est à Patre meo.* An honorem à Patre dandum, monet Christus, vt quo id affectu fiat, certò scias? Hæc fortasse Christo mens est. Vide p. 3. num. 4. ad cap. 5.

De Ignatio Confessore.

Ad Luc. cap 12.

N. 35. *Sint lumbi vestri præcincti.* De textu est miles patiens, Magister ardens, seruusque vigilans. Miles quidem patiens corpusculum cruciat, & emaciat inopia rerum humanarum, vt Deum sibi reddat facilem: quod ego laudo. p. 10. n. 1. ad c. 7. p. 22. n. 4. ad cap. 4. Vide quæ de Xauerio dicta.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris. In loco Magister est ardens; vtpote qui mētis sanæ lucem offerat hominibus: ac ne quem lateat, lucem, & ignem gerit manibus. Quantus Ignatio amor de salute aliena! Vide p. 18. ad cap. 6. & quæ de Xauerio explicata. Filios domo emittit sua Abramus Pater, homineſque seducit ab occasu ad Solis ortum: quod patet ex Gen. cap. 25. n. 6. Id verò, vt docerent gentes locis varias, quid sana fides sentiret de vno, magnoque Deo; ait D. Thom. *Vt plures terras occupando, nomen Dei amplius dilataretur, & magnificaretur in illis.*

Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Quod socciis faciundum imperat, id & ipse facit Præfectus morum optimus. p. 21. n. 4. ad c. 6. Iubet, vt Indiam petat Xauerius, Oceano enauigato. Sed qui se se prius in lacum gelatum proiecerat affectu salutis alienæ. sic & Christus Iordanem ingreditur. Matth. c. 3. n. 16. non sua, sed Adami causa. *Vt veterem Adam aquis obruat.* quod Nazianzeno placet Orat. 39.

36. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.* Nulla seruo bono virtus est, quam Deo acceptam non referat: ne quà subrepat vana gloriola. Quod magno placet Ignatio. Vnde seruus ille vigilans quidquid virtutis acquirit, Deo acquirit. *Mna* (inquit) *tua decem mnas acquisiuit.* Luc. c. 19. n. 16. Quæ seruus pie gesserat, Dei gratia gestum dicit, Deo non sibi arrogat; quod persanctè faciunt Dei familiares, ait Gilbertus ser. 34. in Cant. *Nihil inde fraudulenter sibi decerpentes, etiam à laudis munere manum excutiunt, omnia referendo in Dei gloriam.*

Et vos similes hominibus, &c. Adest seruus benè vigilans in Deo cogitando. Et quidem hæc Dei meditatio, bonæ mentis est cœna dulciaria. Quo aspectu dicit Apostolus 1. ad Corinth. c. 2. num. 10. *spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* An hoc scrutinio opus est, vt sanctus Dei spiritus agnoscat Dei intima? Agit id spiritus. *Non ignorans, sed vt ex eorum contemplatione*

summam

summam voluptatem capiens. Ita Nazianzenus Orat. 20. Inde fit, vt seceſſu petito viri boni frequenter meditari appetant. Vide p. 29. num. 2. ad cap. 5. p. 13. n. 4. ad c. 6.

An vires pie agendi paratur cura aſſidua meditandi? aio. p. 15. n. 4. ad c. 3. Viſionibus quamplurimis fruitur vates ſanctus Ezech. cap. 1. n. 1. quod ille de ſe tradit. *Vidi* (inquit) *viſiones Dei.* Fortaſſe quia mittendus ad Hebræum admonendum vates erat, hiſce rerum notionibus recreatur. Quò vates mittatur, patet ex com. 2. num. 3. Nunc Theodoretus. *Crebrò viſiones aſſequitur, vt ad verbi miniſterium reddatur ſtudioſior.* Id boni præſtat frequens de magno Deo meditatio.

37. *Et tranſiens miniſtrabit.* Scatet locus ſacris deliciis bonæ mentis: neque enim corpuſculis maceratis non eſt ſua, & caſta voluptas Viam parat ſeruus benè præcinctus ad hoc Dei epulum; quo Deus *& tranſiens miniſtrabit.* p. 32. n. 6. ad c. 7. Lego ſapientiam myſticam latè commendatam nominibus deliciarum, ac diuitiarum. Prouerb. cap. 1. n. 33. & aliis locis, Cant. c. 1. n. 2. *Ne quis metu, aut neceſſitate, ſed quadam cupiditate ad fruitionem bonorum excitaretur*, ait Nyſſenus Orat. 1. in Cant. Addo ego, ne quis putaret ſuas virtutibus delicias non eſſe. Deinde fortunam Deus variat, & amaritudines, dulcitudinesque rerum miſcet, ne ſeruus deficiat in via rectè viuendi. p. 10. ad c. 6.

Et tranſiens miniſtrabit. Si Chriſtus epulum apparat baſilicum ſeruis benè vigilantibus, ac meditantibus, cur menſam breui apponit tranſitu? An breui tranſcurſu capitur voluptas maxima? Sed tanta eſt Chriſti largitas in ſapore meditationum elaborando, vt mente in Deum breuiter erecta, conuiuium ſeruus capiat deliciarum plurimarum: quo Ignatius frui ſolitus ad aſpectum floſculi minutiſſimi. p. 9. n. 4. 5. 6. ad cap. 3.

AVGVSTVS.

De ſancto Laurentio.

Ad Iohan c. 12.

N. 25. *Multum fructum affert.* Martyr patiens homines ad fidem piè cogit. p. 7. n. 4. ad c. 6. Vnde Tertullianus Apologet. c. 50. *Nec quidquam profitit veſtracru delitas, illecebra magis eſt ſecta; plures efficimur, quoties à vobis metimur.*

Qui odit animam ſuam. Se Magiſter ducem approbat ad patientiam acerbitatum: ac deinde inuitat diſcipulos ad crucem ferendam, necemque perferendam, à vita vim doctrina cogit. in com. c. 1. n. 21. p. 21. ad c. 6.

26. *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Chriſto miniſtrat, qui ſuam pauperibus ſtipem ſubminiſtrat. Nam & Chriſtus pecuniam Iudæ loculis collectam habebat, *vt egenis aliquid daret.* Ioan. c. 13. n. 29. Et hæc Laurentio laus eſt de pauperibus recreandis. Vide p. 26. ad c. 5.

Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. In loco Magiſter ſui poſcit æmulationem in cruce ferenda, ait Chryſoſtomus Hom. 66. Rupertus lib. 10. in Ioannem. Iure id ſummo Chriſtus repetit: quis enim Deo patientiæ Magiſtro non arſerit affectu patiendi? p. 30. n. 3. 5. 6. ad c. 5.

Veloſ. in Iudith.

Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Tertio Chriſtus amores excitat patiendi. ſemel, cum dicit: *niſi granum frumenti mortuum fuerit.* Iterum, cum repetit: *Qui odit animam ſuam.* Ac tandem, cum addit. *me ſequatur*, fortaſſe vrget ad patientiam pertinacem; quæ magno æſtimat occaſiones crucis ferendæ, ac perferendæ. p. 24. n. 4. ad c. 7.

Me ſequatur. Læta eſt Chriſti patientia: quod habes p. 24. n. 4. ad c. 7. Et hæc Maurentio voluptas in patiendo. An Iobo par Leuita eſt? Aio. de ſe Iobus, *Clamabo* (inquit) *vim patiens.* cap. 19. n. 7. Nec vox eſt querula; nam Græcè habes. *Ridebo opprobrio.* Illudque textus ſonat: quidquid acerbitatum inferat Diabolus, riſu excipiam, lætus feram. Quàm venuſtè ad Valerianum Laurentius. *Verſa* (inquit) *& manduca.*

Me ſequatur. Probat Magiſter, & laudat conſtantem virum, qui toties de patiendo monet, & quaſi negat difficultatibus cedendum eſſe. p. 24. n. 1. ad c. 7. in com. c. 7. n. 47. Nec Laurentius non eſt in hoc albo hominum.

Me ſequatur. Multa Chriſtus ſtrenuè paſſus clauis fixus, plura multo pati cupit: inde vox Chriſto exorta, *ſitio.* Ioan. c. 18. n. 29. Opponat ſciolus: ſed Chriſtus de Patre queri videtur, cum dicit; *vt quid dereliquiſti me?* Matth. cap. 27. n. 46. Queritur quidem; ſed quòd mortem adeſſe videt, & finem patiendi. Inde Chriſtus, apud Laurentium Iuſtinian. *Oneroſum* (inquit) *non eſt, nec queror de eo, quod ſitio.* ad lib. de Chriſti agon. c. 19. De Sixto ad necem ducto, queritur Martyr Laurentius, ſed quòd Patrem non ſequatur filius.

Virgo in cœlum aſſumpta.

Ad Luc. c. 10.

N. 38. *Excepit illum in domum ſuam.* Quidquid piè fecere Chriſti amantes ancillulæ, fecit Mater, & Domina. Chriſtum excepit domo piæ mentis, vt ſacra tereret loca frequenti meditatione; & quæ Deus tota fecerat Ieroſolyma perſanctè cogitaret. Id verò *vt ſic amorem ſuum aliquatenus ſolaretur.* ait Guerricus ſer. 2. Quæ ſatis Deum amat, caſtis icta deſideriis ſuum, ac dolentem mulcet amorem, locis piè exploratis, quibus Deum hæſiſſe nouit. Vnde vox illa Cant. 3. n. 2. *ſurgam, & circuibo ciuitatem.* cũ virgo Deum tota quærit Ieroſolyma, ſatis probat; *Quantum pietatis, & quantum confert ſolatij, crebrò terere greſſu loca, in quibus ſtare ſolebant pedes eius, quem diligit anima mea.* Ita Gilbertus ſer. 4. in Cant. Hæc quidem loca frequenter adibat virgo Mater, vt inde nullum non cogeret amoris ſolatium.

39. *Secus pedes Domini.* An ab Oliueto Mater abiret, vbi preſſa Chriſti veſtigia? Inibi virgo Mater meditari, & pedum ſigna exoſculari ſolita, ad ciendum ſenſum pietatis, quod Heliſæus, Helia per Deum ſublato, ad Carmelum cogitare ſolitus. Extractus è Iudæa Helias eſt; è veſtigio Heliſæus *abiit in montem Carmeli.* 4. Reg. c. 2. n. 25. Cur ita factum docet Abulenſis, q. 41. *Quoniam erat Heliæ diſcipulus, ideo frequentabat locum illum; & potiſſimùm, cum vacare vellet meditationibus.* Non alia in Oliueto Chriſti Mater; ſciebat iuuari pietatem cultu extimo. in com. c. 3. n. 22.

Secus pedes Domini. Quæ Deum mulier piè amat,à Dei pedibus non abscedit, ne deferuescat amor absentia, quod fieri solet.p. 10. n.2. ad c.6.p.24.n.3.ad c. 4. sed virgo Mater ad Christi amorem excitatur Christi absentia. p.10.n.4.ad c.6.p.17.n.6.ad c.7.

Secus pedes Domini. Sororem à Christi pedibus non retrahit Martha querula:ac ne responsum quidem exprimit. Tacet enim Magdalena, dum Magistrum audit. An silet rapta in Chtistum mulier?Aio.p. 2.n.4.ad c.6.

Secus pedes Domini. Cur non recedit à Christo mulier? Ne doleret absens cruciatu graui. Crúciatus ne Ioannes est Christi intimus, ne vox de nece fraterna, *Calicem quidem meum bibetis,* vana esse diceretur ? Cruciatus vere Ioannes est,vita protracta : posterior enim obiit, quàm Apostoli reliqui;& hoc amanti longum martyrium,ait Petrus Damia.ad ser.de Ioan. Apost. *Et quo prolixius mansit,eo durioris martyrij tormenta subiuit.*p.10.n.1.ad c.6.

Secus pedes Domini. Hæret Magistri pedibus mulier,ne si abierit, mori contingat quod virgo Mater pati visa est Christo absente. Abierat Deus alio,virginemque rusticellam fugerat:neque enim Deum,nisi absentem virgo reuocaret. Cant. c.2.n.17. *Reuertere, reuertere dilecte mi.* Cum tamen Deus, & taceret, & lateret, nec reueniret: tunc virgo,*In lectulo*(inquit)*meo quæsiui.*c. 3. n.1. cur de lectulo meminit?Hæc desideriis vis inest, vt virginem affigat lectulo. *Quid ni sic ipsa recidat vbi sic dilectus recedit?*ait Gilbertus ser.2.in Cant.

40. *Non est tibi curæ, quod soror mea,* &c. sic Martha de sorore queritur ; sic & Christi schola de Christi matre. vnde nata Apostolis flendi;ac querendi accasio.Cur non fleuerint Matre sublata filij?Rapta Augustino solatia cum materno corpusculo.Quid Augustinus lib 2.Confess.c.10. *Quoniam deserebar, tam magno solatio sauciabatur anima mea.* Solatium tamen est miseris in matris sinum lugere. com. c. 7.n.75.77. Deflet Hebræus mente alia Iuditham vita defunctam. *Luxitque illam omnis populus.*c.16. n. 29. Et quidem luxisse visus est *non ex desperatione, sed ex vitæ futuræ recordatione.* Habet interpretatio ordinaria. Neque enim mœstus, sed lætus fleuit populus, cum sciret Iuditham suo iam bono frui. An hæc Apostolis etiam flendi ratio?Puto homines de bono virginis lætos fleuisse.

42. *Maria optimam partem elegit.* Maternum Christus discessum tuetur,quo aspectu Magdalenam tueri visus est:illudque opponit lachrymis Apostolicis. Matrem è terris abire oportet, vt suo æternum Deo fruatur. Tacet Martha, Christo loquente, nec deinceps queritur, satis probatum reputans otium, quod probasset Magister.Non queritur Apostolus ; sed non tacet, imo fletum vertit in Canticum virginis chorus Apostolicus. *Scientes nimirum, quod Matris obsequiis captanda est gratia filij.* Ait Guerricus ser. 2. in hoc choro Dauid *Surge*(inquit)*Domine:tu, & arca sanctificationis tuæ.*Ps.131.n. 8. Vnde Augustinus eruit,oportere virginem sanctissimam cælo condi,ac beari. *Quoniam tanta sanctificatio dignior cælo,quàm terra est.* Chorum Apostolicum subsequitur chorus Angelicus, illudque iterat Cant. 6. n. 9. *Quæ est ista,quæ progreditur, quasi aurora?* &c. similitudines variat Angelus,vt Matrem cælo illatam dicat. *Multis signis venustatem eius declarant, cum vno tantùm signo comprehendi non possit.* Hæc Nyssenus Orat.6.

Maria optimam partem elegit. Matrem cælo inferens piè Christus laudat,& quidem prior, suo more:quod patet ex Cant.1.n. 14. vbi Christus, *Ecce tu pulchra.*& Mater n.15. *Ecce tu pulcher.*Ex c.2.n.2.vbi Deus : *sicut filium inter spinas,*&c. & virgo n.3.*sicut malus inter ligna* &c. Ex c. 4. n.1. vbi Dominus, *Quam pulchra,*&c.& Domina:*Dilectus meus candidus,*ad c.5. n.10. Affectus loquitur & inuitat Christum.Rupertus benè lib. 3.in Cant.*Ferè in omnibus dilectam honore dilectus præuenit, vtpote Matrem filius.*

De Bartholomæo Apostolo.

Ad Luc. cap. 6.

N.12. *Exiit in montem orare.*Nata precibus faciendis solitudo est.quod Magister fecit,Bartholomæusque discipulus Vide p. 29. ad c.5.p.26.n.6.ad c.5.p.13.n.4.ad c.6.

Et erat pernoctans in oratione Dei. Scio noctem meditationum officinam esse : vbi non obturbat aspectus rerum humanarum.in com.c. 6.n.44.in com.c.4.n.38.

Et erat pernoctans in oratione Dei. A Deo nomen habent preces, quæ noctu fierent ; scilicet res clanculo facta humanam trudit gloriolam. *Per noctes quæsiui,quem diligit anima mea.* Ait virgo sapiens.Cant.3.n.1.scitè Bernardus ser. 86.in Cant. *Orare volentes iubemur intrare cubiculum.* Matth.6. n. 6. *Id quidem ad cautelam.* Addit noctem precibus virgo prudens, & Bernardus aggerit. *Quàm secura de nocte ascendit oratio solo Deo arbitro;quam grata verecundo colorata rubore!* Nec Bartholomæus viam fecit aliam ; cum diu, noctuque preces iteraret.

13. *Et elegit duodecim.* Commune ex loco placitum est,vt preces fiant deligendis hominibus, rebusque publicè faciendis.in com.c.4.n.15. p.9. n.1.ad c.4.

17. *Et descendit cum illis.*Miscenda est contemplatio,& actio ad salutem humani generis:quod probat Chorus Angelicus. Videt Iacobus scalam cælo missam, *& Angelos Dei ascendentes, & descendentes.* Gen.c.8.n.12.Formam bonis vitæ magistris præscribit schola Angelica, ait Hildebertus Epist.37. *Quod in contemplatione aspiciunt,pro vt opus est,ad subditos reportant.* Et quidem à meditatione ad actionem fortius itur.p.1.n.3.ad c.3.

Et descendit cum illis,& stetit in loco campestri. Docet Magister, quæ nam via tenenda est in populis edocendis, scilicet vrbes, vicos, montes, agros oportet lustrari causa humanæ salutis. p. 19.n.5.ad c.2.in com.c.5.n 42.p.17.n.1.& 3.ad c.5.

18. *Vt audirent eum,& sanarentur.* An spes sanitatis parandæ cogit auditorium?Hac spe Magister inuitatos esse voluit auditores, cum dixit Matth.cap.10.n.7. *Euntes prædicate.* & statim adiecit n.8.*curate infirmos.*sciebat Christus inuitari auditores,& leniri veritatem oportere lucro sanitatis impetrandæ. Quod inuenit Chrysostomus in Matth.Hom. 33. Hæc Bartholomæo vis docendi, vtpotè adiuta lenocinio sanitatis communicatæ.

Vt audirent eum. Notum satis est,quot Bartholomæus gentes adierit affectu salutis, ac sanitatis communicandæ. Sed notum æque est, quid pertulerit

tulerit acerbitatum animo obfirmato. Nam ſic diſcipulus, vt Magiſter *ſtetit in loco campeſtri*: veri cuſtos, rigiduſque ſatelles. Vide com. cap. 6. n. 15. p. 7. ad cap. 6.

SEPTEMBER.

Dei Maternata.

Ad Matth. 1. c. 1.

N. 1. *Liber generationis.* Nata feliciter infantula eſt, quam libro ſcitè confecto, Matthæus celebrat: vnde natum Parentibus gaudium, Rebuſque publicis conſtat ſolatium. Et quidem, teſte Plinio, ſicut *flos arborum gaudium eſt, pleni veris indicium, & anni renaſcentis*, ad lib. 16. c. 25. ſic & virgo nata Parentum ſolatur morſus triſtes, ſpe concepta felicitatis publicæ, ac domeſticæ. Quantum Abrahamo gaudium, nato infantulo! qui Deo iubente Iſaac appellatur, Hebraicè *riſus* Gen. c. 17. n. 19. Acſi Deus vellet, Infantulum Parentibus natum feliciter merum arridentibus riſum, & gaudium eſſe.

2. *Abraham genuit Iſaac.* Auos longa ſerie, Atauoſque Matthæus repetit, ac tandem natam Dei Matrem eſſe; vt ſcias proritatum mora Parentum appetitū, vt naſceretur infantula. p. 38. n. 4. ad c. 5.

Abraham genuit Iſaac. Natam ſerò virginem probat textus, ſerie Auorum latè producta: vt quæ paratu difficilior eſt fortuna, iam parta, voluptatē auxerit. Vide p. 7. & p. 8. n. 5. ad c. 7. Samuelem ſerò concepit Anna ex ſterili mater. Quod patet ex 1. Reg. c. 1. n. 6. & 10. Addit Chryſoſtomus ad 2. Hom. de Anna. *Diſtulit partum, vt hanc augeret voluptatem.* ſcilicet teſte Seneca. *Lenocinium eſt muneris antecedens metus.* Ad 1. lib. & c. 11. de benef.

Abraham genuit Iſaac. Lento ad virginem edendam gradu procedit diuina bonitas; & mora impetrandi creſcant rationes promerendi. Filium Abrahamo Deus promittit. Gen. 18. n. 10. *Habebit filium Sara.* Sed multa intercedit mora temporum à promiſſis ad rem vſque: & quod Moyſes probat tribus capitibus, ac tandem addit ad c. 21. n. 1. *Viſitauit Dominus Saram, ſicut promiſerat.* ſcilicet exerceri precibus lachrymis, boniſque factis Parentes neceſſe erat, vt ex meritis felicitatem caperent domeſticam, dit D. Thomas in Gen. *Quia ab aliquo initio gratiæ per meritum ire debet ad terminum.* Iam id pridem Rupertus monuerat de Rebecca ſterili, ad Gen. lib. 7. c. 3. Neque enim filium Mater concipit niſi Deo per maritum exorato: ad Gen. c. 25. n. 21. *Sic ipſe prouiderat, vt fides oratione adiuuaretur, & prædeſtinatio ſeminis deprecatione ſterilitatis adimpleretur.* Vide p. 10. n. 4. ad cap. 6.

Abraham genuit Iſaac. Multus eſt Matthæus in docendo natam Dei Matrem fuiſſe temporibus vltimis gentis Iudaicæ: id vt euincat ab Abrahamo, ad Ioſephum vſque progreditur, *virum Mariæ.* Scilicet virginem eo auguſtiorem videri voluit, quò tardius naſceretur. Maior enim eſt rerum æſtimatio ex mora impetrandi. Redeat in locum Rebecca ex mora parens, ac pariens, ad Gen. c. 25. n. 21. Id enim hac mente Deus fecit, vt Iacobus conceptu difficilior, appareret difficultate auguſtior. Quod Rupertus docet lib. 7. in Gen. c. 3. Sic Rupertus de Rebecca ſterili. *Talem Deus præparauit, in qua non poſſet omnis caro, ſed ſola fides coram Deo gloriari.* Quare nemo Dei Matrem Anna ſterili natam, Dei gratiam eſſe neget.

Veloſ. in Iudith.

Abraham genuit Iſaac. Quem quiſque genuerit lentè Matthæus explicat; non tamen quibus parentibus nata virgo; nec quo virtutum apparatu adornata proceſſerit. *Quod in ea* (vt exiſtimo) *actū credi poteſt, quatenus eo maior fidelium veneratio ad eius ortum exiſtet.* Sic Anſelmus ad lib. de excellent. Virg. cap. 2. Tacere Matthæus de re tanta, quàm parùm loqui maluit. Quid ſi nouitate rerum obſtupefactus ſiluit? Quæ quiſque miratur, nec loquitur, nec ſuis appellat nominibus; quod habes in p. 2. n. 2. ad cap. 6. Lucet nouum cœlo aſtrum; demiratur Aſtrologus, nec denominat. Eruitur noua ſolo gemma; obſtupeſcit artifex, nec ſuum gemma nomen capit. Addit Plinius ſilere homines affectos rerum nouitate. *Veluti ipſius naturæ admirationem in ipſis venditantes.* lib. 37. c. 12. Nec aſtris, nec gemmis quàm multis natura nomen dedit, quaſi demirata maieſtatem rerum pulcherrimarum. Sic Matthæus, quo rerum, virtutumque cenſu nata Dei Mater eſt, prudens tacet, & ſilentio rem magnam honorat.

Abraham genuit Iſaac. Inſinuat Matthæus explicata Auorum proſapia, quid quiſque fecerit, vt paratum inueniret hoſpitium Virgo ſanctiſſima: in qua emineret Abrahami fides, & virtutes genreliquæ. Abrahamo in ſpem erecto generis domeſtici ait Deus. *Qui egredietur de vtero tuo*, &c. Gen. 15. n. 4. Deinde addit, cap. 17. n. 1. *Ambula coram me & eſto perfectus.* Suo loco Deus Abrahamum admonet de cura virtutum, vbi filium promittit vita ſanctum, & Chriſti Patrem laudat. Rupertus ad rem illud. *Tunc dici debuit, eſto perfectus, quando omnipotentis Dei dono Iſaac generatio quærebatur.* lib. 5. in Gen. c. 18. Nec minorem virtutum cenſum poſcebat ab Auis, Atauiſque virgo Dei Mater. Fecere in hanc partem Parentes ſteriles, quippe qui dum ſpes in mora erat, precibus, lachrymis, boniſque factis, mundaſſe videntur domum, qua virginem exciperent. Quod Chryſologus factum putat in Zacharia, & Eliſabetha, vt Ioannem caſtè ſuſciperent. *Mundabatur enim longo tempore ſanctitatis hoſpitium.* ſerm. 91.

16. *De qua natus eſt Ieſus.* Quod ſpectat ad ſalutem publicam, & promittit virgo recens nata: petendum à die conceptæ virginis.

De Cruce exaltata.

Ad Ioan. cap. 12.

N. 31. *Nunc iudicium eſt mundi.* victus à Chriſto mundus eſt, & quidem per crucem: *nunc.* Vbi de cruce textus agit: vnde Chriſti ſtatua manu tenet globum, cruce impoſita: deinde *Chriſtus extendit in Cruce manus, quo omnia ad ſe traheret*, ait Ambroſius in Lucam lib. 10. c. 23. Sed ſcriptus à Pilato, *Rex Iudæorum*, caput inclinans Deo reddit animam. Apud Ioan. c. 19. n. 30. Quaſi inſinuans, anguſtos ſibi terminos eſſe regni Iudaici, qui orbem ocuparet vniuerſum cruce piè lata. Vide p. 2. n. 2. d. 3.

Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. Diabolum Chriſtus victum, regnóque demotum voluit: non ferro, ſed ligno geſta benè res eſt. p. 14. n. 1. ad cap. 3. Amalecum typicè Diabolum vincit latè Ioſue; habet id Exodus c. 17. num. 11. Rem tamen iuuat Moyſes expanſis vtrinque manibus, & in crucem formatis; quod Tertullianus ſcitè admonet. *Crucis* (inquit) *habitus erat neceſſa-*

*rius,qua Iesus victoriam esset relaturus.*lib.3.aduersus Marcion c.18.

32. *Et ego si exultatus fuero à terra.* Lignum Christus denotat,quo daturus est animam causa salutis humanæ. Sed tanta Crucis maiestas est, vt erectus altè Christus vincat titulos honorarios humanæ maiestatis.*Si enim cognouissent,nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Mali scilicet homines,ait Apostolus 1.ad Corinth. cap.2.n.8. Addit Chrysostomus Orat.7. *Opportune appellauit Dominum gloriæ: nam crux videbatur ignominia, & idcirco ostendit crucem esse magnæ gloriæ.*

Nonne vexillum Regium suis pictum notis, signum est maiestatis Regiæ? nemo id nescit. Nec Christus signo se ostentabit alio,cum reuenerit aduersus hostes legis Christianæ, *cum potestate magna, & maiestate.* Nam teste Matthæo, *Tunc parebit signum filij hominis,*ad c.24.n.30.Cur signum Iudæo notatissimũ in tanta rerum pompa,in tanto senatorum apparatu?An Crux piè lata Christo maiestas est?Additam sibi maiestatem Christus à cruce explicat gloriarum plenus. quod notat Chrysostomus ad Hom. de cruce.

Et ego si exaltatus fuero. Tanta Dei à cruce maiestas est,vt possit Angelus Domino crucifixo gloriari,& suam sibi seruitutem gratulari. A fœminis petit Angelus. *Iesum quæritis crucifixum?* Mar.c.16.n.6.Deinde addit: *Videte locum,vbi positus erat Dominus.*Matth.c.28.n.6.Nec de Cruce meminit Angelus,nisi vellet se eo Domini titulo gloriari,ait Cyrillus Ierosolymitan. Catech. 13. ac monet piè. *Non pudeat Christi crucem fateri: Angelus enim gloriatur.* Inde est, quod se Christi seruum dicit,cum locum ostendit,*vbi positus erat Dominus.*Piè admodum Chrysologus serm.76.*Si Angelus post sepulchrum agnoscit Dominum, suam loquitur seruitutem?Cur homo aut minoratum Deum carne, aut passione consumptam dominationẽ credit?* Multa Deo gloria à cruce est. Sed perconctor, Christus ne à cruce, an crux à Christo clarior?

36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.* Quæ per crucem Christus hominibus communicauerit paucis ostendit; eaque via crucem latè honoratam voluit. Nam cruce laudata, lucem affert tenebris intimis: fidem auget luce communicata,& Patrem hominibus Deum prouidet. Hæc, & plura, vt venirent per crucem, Christus scitè curauit, teste Chrysostomo. *Quoniam crux erat signum dedecoris, crucis infamiam decorauit multis, mirandisque beneficiis,* ad Hom. de Cruce. Quod ita verum est, vt quantùm crux, suo cum titulo possit, non vnus Moyses potuerit,sed & Iosuæ repræsentare:ac proinde Moyses virgam tulit,& crucem,Iosue nomen,ac titulum. *Considerandum est, quod neuter eorum solus par est sustinendo vtrique mysterio;hoc est crucis,& assumpti nominis:*ait Iustinus aduersus Tryphon.

Dum lucem habetis,credite in lucem. Vnde hæc, nisi à Cruce laudata lux est, diffusa in angulos terrarum vltimos, vt tenebras pellat dæmonum. Nam crux piè culta præsens affectæ mẽtis amuletum est. Proindeque, *ad omnem aditum, & exitum,& quacumque nos exercet conuersatio, frontem signaculo crucis terimus,* ait Tertullianus ad lib. de Corona,cap.3.Hoc signo via piè trita,& vita sanctè acta: tandem acies dæmonum fusa, & fugata;quod malè timet,ac dolet,ad Mar.c.1.n.24. ad c.5.n.7.illud iterans,*Quid mihi, & tibi?* Queruntur de Christo dæmones *cuius nomen principatus verentur,dolentes,quod per illum dissoluendi sunt.* Monet Iustinus lib.aduersus Tryph.Iam tunc natus Diabolo metus de cruce erat.Nec mente alia Constãtinus crucem vexillis Romanis additam voluit,nisi quod *victoriam conciliare videretur,*ait Helias ad Nazianzen. Orat.3. & Historici alij.

Vt filij lucis sitis. A cruce piè laudata habent homines, vt illustres fiant equites, ac Principes, luménque à Patre luminum capiant generis amplissimi.NamChristus,vate Sedulio, *Pœnam vestiuit honore.* Id quidem,vt crux suum hominibus honorem communicaret. Placet ad rem textus, Ex.c.11.n.3.*Fuitque Moyses magnus coram seruis Pharaonis.* Ita ne apud Regem, & Regis continuos,magni cognomentum, ac decus sibi peregrinus fecerit? Sed qui expressam virga crucem gestat,magnus vbique homo est.*Nullum enim signum Moyses peregit,sine crucis sacramento,* docet Augustinus ad ser.9.de temp.

*Vt filij lucis sitis.*An Crucis amantes homines, lucis filij? quasi lucem à cruce habeant, qua solem,ac Lunam crux obscurat?Aio.Redibit Christus die vltima Iudex hominum, cruce prælata; quod Matthæus docet c.24.n.30.*Tunc parebit signum filij hominis.* Præmittit Apostolus Solem obscuratum iri, *& Luna* (inquit) *non dabit lumen suum.*n.29. Cur ita silebunt mundi lumina clarissima?Tanta crucis lux erit, vt obtundat lumina reliqua.Sic Chrys.Hom.77.in Matth.*Crux apparebit,quod fieri non potest,nisi radios solares splendore vincat.* Tanta Deo cura est de cruce honoranda; quod si crux cælo recepta explendescit,& cum iudex hominum Christus aderit,*Tunc parebit signum in cœlo.*Ratio,à Sibylla est, vbi crucem alloquitur 6.lib. *Nec te terra capit.* Illata cœlo crux est,acsi augusta signo augustissimo terra esset.

Scio,quonam Christus studio suam velit crucẽ amari,& coli.Nec Reges id negant;scio enim flagrare Regũ studia in cruce piè colẽda.Nonne Heraclius sacrum humeris signum euexit,abundè honoratus,si crucem honoraret religiosè?iam pridem maiestas Romana crucem licet nesciens, videtur coluisse:cum vexillum Regium, pilo in crucem formato,explicaret.Quod Tertull.opponit ad Apol.c.16.*Laudo* (inquit) *diligentiam; noluistis nudas cruces,& incultas consecrare.*Iam olim Christus adornatam Romano signo crucem, & adoratam esse iussit. Quibus presse dictis dubium adhuc est, crux ne à Christo,an Christus à cruce clarior euaserit.

De sancto Matthæo.

Ad Matth. c. 9.

N.9. *Vidit Iesus hominem.*Cum Matthæus officio peccator esset, ait Chrysol. *Vidit Iesus hominem,vidit opus suum,vt peccatorum opera non videret.*ser.30. quæ magni Dei bonitas est. Vide com.c.7.n.20 p.35.n.5.ad c.7. Multa Christus patitur,& absurda pro salute hominum, vt factum à se opus tueretur, ait Tertullianus. Ad lib.de Christi carne c.4.*Si Christus* (inquit) *eius Creator est,suum merito opus amauit.*

Vidit Iesus hominem. Vidit infirmitatem gentis humanæ, vt veniam daret facilem.Peccat Angelus,& veniam peccati non impetrat:peccat homo,sed veniam licèt punitus,assequitur. Albinus optimè, q.4. in Gen. *Homo quanto fragilior natura,tantò facilior ad veniam.*Cur non impetrarẽt errati veniam homo è luto factus? Adulteram sua Christus solatur venia, illud ingerens, *nec ego te*

condem

condemnabo. Io.8.n.11. Sed veniam tribuit,oculis in terram deiectis,*inclinans se deorsum,digito scribebat in terra.*n.8. Absoluta ab erratis mulier est, quo id respectu Christus fecerit , piè inuenit Chrysologus serm. 115. *Maluit in puluere scribere veniam , quàm dare in carne sententiam.* A Luto,vnde facta mulier,concepit Christus impetum veniæ indulgendæ.

Sedentem in telonio. Videt Christus hominem ea pressum vi scelerum , vt stare non potuerit; quod aduertit Chrysologus ser.29. *stare* (inquit) *Matthæus non potest pondere cupiditatis oppressus.* Quæ in hanc litem faciunt,pete à D.Magdalena.

*Sedentem in telonio.*Homo erat Matthæus peccandi pertinax;quod sedendo probat; cur id explicat?Victor Antiochen.ad Mar.c.2.*Quo Medici artem impensius admireris, suum ipse vulnus aperit.* Et quidem maior ex vi scelerum maiori Deo bonitas eluceſcit. p.36.ad cap.7.

Matthæum nomine. Aliter alij:nam Matthæus ad Mar.c.2.n.14. ad Luc.c.5. n.27. Leui appellatur,nomenclatura non satis nota. Sed Matthæus se,& Matthæum abundè notum , & publicanum appellat contumeliosè,ad c.10.n.3. *Quasi accusator sui*(ait Anselmus)*publicanum se vocat.* Id Theophylactus laudat in Iona, qui suam, & ineptam à Deo fugam describit, c. 1. n. 3. libroque integro exponit , quid peccauerit. *Propheta mores placidos hic mirari par est , qui suos defectus denudet.* Vide p.1.n.4. d.1.

*Et surgens secutus est eum.*Nulla in obsequendo mora est: iubet Magister,obsequitur discipulus: benè ad salutem intimam, ne mora noceat.p.14. n.3.& p.18.n.1.ad cap.5.p.5.n.5.ad cap 7.

Et surgens secutus est eum. Ad mortem vsque Matthæus Christum sequitur , qui in sacris operandis ferrum libens recipit ; sic suam odit animam,vt fidem nece lata probatam velit.Vide p.7. n.5.ad c.7. Sed Matthæus Deo religiosus vbi,nisi loco sacro,necem ferret ? Audit Cornelia Gracchos in Capitolio interfectos esse.Nec dolet Mater, nec queritur;sed ait , *dignos mortuis tumulum esse* : quippe qui ante Iouis aras occubuissent. Et hæc Matthæo laus est,qui ad Christi aram pie necem tulerit.Iustum Christus Zachariam appellat gloriosè.Matth.c.23. num.35. *vt veniat super vos omnis sanguis iustus vsque ad sanguinem Zachariæ.* Vnde tanta viro magno est nomenclatura , vt vnus cum Abele exprimatur ? Addit textus. *Quem occidistis inter templum , & altare.* Acsi vellet dignum occiso tumulum esse.

10. *Et factum est eo discumbente.* Mensam Christo Matthæus parat,quasi gratificãs Deo salutem; & sibi gratulans.Sanctificatus à Christo Ioannes saltitat præ lætitia:quod Mater ait ad Luc. cap.1. num.44. *Exultauit in gaudio Infans.* Vnde Caietanus addit. *Hæc sanctificatio causa fuit,quòd exiliret.* Scilicet Matthæus à Magistro delectus mensam parat,Ioannes à Christo sanctificatus saltat,causa gratificandi. Nec Zachæus mente alia Christum *suscepit gaudens,* mensáque excepit.Ad Luc.c.19. n.6.Alte Zachæus gaudet,& Chrysologus apponit rationes gaudendi.ser.54. *gaudet quia reus iudicem inclinat suffragio humanitatis.*Id in Matthæo gaudium esse poterat.

11. *Quare cum publicanis manducat* ? Si Pharisæus nosset altum Christo gaudium esse de salute hominum,id non rogaret. In Patrum limbo Christus demoratur,nec suam, ac tristem solatur scholam,nisi triduo iam exacto:quod promiserat Matth. cap. 20. n. 19. Oportebat,vt Latronem à Christo aduectum Patres mensa exciperent geniali,ait Rupertus.*In paradisum recepti epulari cœperunt , latrone simul epulante.* Iusta id causa , cum grata sit.Christo salus cuiusque hominis.

Quare cum publicanis manducat ? Inuitatum se Christus voluit à publicano,vt peccatores inuitaret ad salutem plurimam:quod monet Chrysologus serm.29. *vt discumdentes reuocaret conuiuio, humanitatis affectu,& dulcissima sui confabulatione.* Tanta Christo cura est humanæ salutis , vt cum summa sui iniuria peccantes quærat homines. Multa,& indigna Christus patitur,quasi vnus inter latrones collocatus:cum satis esset hominibus redimendis vnica lachrymula ; sed ab affectu grandiori quæsita est patientia iniuriarum plurimarum. *Qui magno redemit pretio , amauit vtique:* admonet Tertullian. ad lib. de Christi carne, c.4.

Quare cum publicanis manducat ? Hosce homines inuitat Matthæus ad Christi scholam:scilicet factus à Magistro Apostolus , officio defungitur Apostolico , vt peccatores Deo iungat. Victor Antiochenus ad litem. *Facit hoc,ne solus ipse beneficium accipiat.*Petrum à Ioppe accitũ voluit Cornelius, vt Magistrum audiret gentis Christianæ. Accedit Petrus sanctè vocatus. *Et inuenit multos, qui conuenerant.* Act.c.10.n.27.Amicos,& propinquos suam in domum euocauerat centurio;quod habes n.24.Tantus Cornelio amor erat de salute aliena;ait Chrysostomus Hom.23.*Hoc amici officium,& pij hominis est,in bonis talibus propinquos,& amicos facere socios.* Quod Magistrum sequitur, Matthæo salus est ; quod homines ad Christum adducit,discipuli abundè amantis laus est. Docet Isaias , quo affectu homines Deum quæsitum ibunt ad cap.9. n.3. *& ibunt populi multi.* An suo tantùm bono fruuntur homines ? negat id vates. *Et dicent , venite ascendamus ad montem Domini.* Flagrant amãtes Dei homines affectu salutis humanæ ; & quibus gaudent bonis volunt perfrui homines alios : ait Procopius. *Peramanter socios adhortantur, vt effusam in omnes pacem amplectantur.* Scilicet collatam sibi salutem boni homines populis quàm plurimis communicatam esse voluere. Quod Matthæus tota Æthiopia fecisse dictus est, ac per totum terrarum orbem Euangelio conscripto. Hæc enim viri magni virtus est, monitis, ac scriptis homines curare alios : quod habes, p.2.n.2.d.2.

OCTOBER.

De sancto Francisco.

Ad Matth. cap.11.

N.25. *Confiteor tibi Pater, Domine.* Patrẽ cum Domino miscet Christus , lenitatem scilicet cum seueritate, ad bonam rerum administrationem. in com. cap.1.n.28.in com.c.5.n.24.

Pater, Domine. Auctoritatem non minuit Dominus,si leniter agit ; neque enim,qui Patrẽ agit largiter,desinit esse Dominus.p.41.n.7.& 8.ad c.7.

Pater,Domine. Prior Deo lenitas,quàm seueritas, ad tractandos homines. in com. cap.1. n.27. p.15.n.1.& 2.ad cap.1.

*Et reuelasti ea paruulis.*Quanti à Deo fiunt humiles!quibus suum Deus sinum aperit,teste Lyra. *Qui sunt de secreto consilio summi Regis.* Ne vates suæ sortis obliuiscatur, creberrimè appellatur fi-

lius hominis. Ezech. cap. 2. n. 1. Nam delectus homo, vt penitiora nosset Dei consilia, quod patet, libro explicato. *Et expandit illum coram me.* n. 9. necesse erat, vt ter, quater audiret, filius hominis. scilicet vna est humilitas, quæ Dei sinum rimatur intimum. quod in D. Francisco videre est.

26. *Ita Pater: quoniam sic placitum fuit ante te.* Quod æque, ac Pater, donat filius, latè refert in Patrem. *Honorans Patrem*, ait Euthymius. Et est id ab affectu humili. p. 2. n. 4. d. 1.

28 *Venite ad me omnes, qui laboratis.* Laborandum in Dei via est, vt quis virtutem assequatur. in com. cap. 7. n. 14. p. 8. ad cap. 7.

Et ego reficiam vos. Multa Deo cura est de hominibus pie laborantibus. p. 16. n. 2. ad c. 2. p. 15. n. 4. ad cap 3.

29. *Tollite iugum meum super vos.* Voce nota Magister labores imperat pœnitentiæ, vbi iugũ imponit ceruicibus hominum. Hac tamen via exoratur Deus. p. 5. n. 2. ad cap. 3. p. 11. n. 2. & 3. ad c. 4.

Tollite iugum meum. Vrget Magister homines, vt libenter iugum ferant legum sacrarum; nam voluntas rebus suum addit pretium. in com. c. 2. n. 21. p. 8. ad c. 2. p. 18. n. 2. ad c. 4. p. 19. ad cap. 6.

Tollite iugum meum. Voluntatem obtemperandi Christus elicit ab hominibus, vt persistant in obtemperando. in com. cap. 2. n. 20. p. 8. ad c. 2.

30. *Iugum enim meum suaue est.* Vnde tanta Christi iugo suauitas? scilicet voluntas expromptа obtemperandi voluptatem auget obtemperantibus. Neque enim Magister imponit, sed tollit discipulus. Et hæc à Paschasio est interpretatio lib. 3. in Thren. *Qui iugum patienti ceruice suscipit, disciplinæ onus graue non portat.* Vide p. 8. ad c. 2. comment. c. 3. n. 36. p. 19. n. 4. ad cap. 6.

De Sancto Luca.

Ad Lucæ cap. 10. n. 1.

QVæ ad sanctũ Lucam pertinent, pete à mense Aprili, vbi sermo est de sancto Marco.

De Simone, & Iuda.

Ad Ioan. c 15.

N. 18. *SI mundus vos odit.* Explicat Magister Deus, quæ pati solet veri Magister homo. Nam veritas odio semper est. p. 9. n. 4. ad c. 5. p. 3. n. 7. ad cap 6.

Si mundus vos odit. Quæ à Christo explicantur mala, facilius tuleris, difficultate præcogitata. Nam teste Seneca ad Marciam c. 9. *Quæ multo ante prouisa sunt, languidiùs irruunt.* Cur Paulo obiecta calamitatum scena est priusquam pateretur? Act. c. 9. n. 16. Scilicet laborem Paulo, ac dolorem hac notitia mollire Christus voluit. *Vt ea prauidendo promptior esset.* Auditorem Magister ad patientiam sua vrget patientia. p. 3. n. 1. d. 2. p. 30. n. 1. ad cap. 5.

19. *Quia de mundo non estis. Iniuria in bonos non tentatur nisi à malis*, ait Seneca ad c. 7. de Const. Sapient. Scilicet vita viri boni censura est mali hominis. p. 13. n. 1. & 3. ad c. 5. d 18. n. 3 & 5. ad c. 7.

Sed ego elegi vos. An mundus sui despectum interpretatur delectum hominum à Deo factum? aio: & inde odit bonos homines. p. 10. n 2. ad c. 1. p. 18. n. 3. ad cap. 7.

20. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Malis hominibus displicere, nota viri boni bona est. p. 18. n. 6. ad cap. 7.

21. *Nesciunt eum, qui misit me.* Tanta Christo bonitas est, vt quæ quisque peccat, lenierit, excusatione concinnata. Sic ille de suis tortoribus, ad Luc. c. 23. n. 34. *Non enim sciunt quid faciunt.* Quod Bernardus notat ad serm. de Hebdom. Sancta Ignorantiam hominum, etsi affectatam Christus excusat. *Vt sub aliqua iustitiæ vmbra ignosci possit ignorantibus.*

23. *Qui me odit, & Patrem meum odit.* De odio in Deum concepto benè Christus meminit, vt pati discat auditor. Quæ enim Deus patitur, gloriose patitur discipulus. p. 30. n. 1. ad cap. 5. p. 18. n. 5. ad cap. 7.

24. *Viderunt, & oderunt me.* Rebus mirè gestis conflatam sibi inuidiam esse docet Christus: acsi velit magnum virum patere solitum iaculis inuidentium. p. 23. n. 1. ad c. 5. p. 3. ad c. 7. Quæ quidem vna est causa odij in Apostolos, verique Magistros alios.

NOVEMBER.

De Sanctis omnibus.

Ad Matth cap. 5.

N. 2. *DOcebat eos dicens, Beati pauperes.* Cum docet Christus, beatum in terris pingit hominem, quod Nyssenus aduertit, *Animam* (inquit) *nostram ad id, quod beatum est, pingendo concinnat.* Proindéque sermonem exorditur ab affectu paupertatis; quæ quidem viri beati vestis, est Attalica. Nonne Deus, qua paupertatem colit, beatus est? scienter Seneca Epist. 31. *Parem Deo non facit pecunia; Deus nihil habet; prætexta non facit, Deus nudus est.* Natus in Iudæa Deus, & habitu inuentus vt homo paupertatem ostentat vniuersam: de qua pastores, monet Angelus. *Inuenietis infantem pannis inuolutum.* Luc. c. 2. n. 13. Sed inibi tota est species aulæ beatæ Angelis assistentibus, & concinentibus. *Gloria in altissimis Deo.* n. 14. Quasi Deus in terris beatus, ac glorioſus esse non posset, nisi pauper, ac malè vestitus esset.

4. *Beati mites.* Morum suauitas suaues genis colores inducit: quos in beato Stephano recognouit senatus Iudaicus. Act. cap. 6. n. 15. *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* scilicet accusatus falsò Stephanus apud Senatores, adhuc Fratres, Patresque vocat accusatores, & Iudices. *Viri* (inquit) *Fratres, & Patres audite.* c. 7. n. 2. Vnde monet Chrysostomus, Hom. *Tam mitis erat, atque adeo in facie videbatur.*

5. *Beati qui lugent.* Quàm nitent lachrymis oculi: hisce oculis placet, cum Deum placat, beatus homo. p. 32. n. 6. ad cap. 7.

6. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Vindex iustitia beati viri cœna est, qua famem, sitimque leuat suam. Gladium Christus hominum Iudex ore gerit. Apoc. c. 1. n. 16. & gladio facultatem signat vindicem; quod Paulus docet ad Rom. c. 13. n. 4. *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est.* An vindicta scelerum sua Christo cœna est, vt gladium scelerum vindicem ore exerat? aio: neque enim viro beato indigna est vindicta sceleris publici. p. 21. n. 2. ad cap. 7.

7. *Beati misericordes.* Hac vna dilargiendi copia voluit Christus adornatam esse manũ viri beati. Pulchrè Dauid Ps. 111. n. 1. *Beatus* (inquit) *vir, qui ti-*

met

met Dominum. Quid hoc adactus metu egerit homo iſte, canit Dauid n.9. *Diſperſit, dedit pauperibus.* Quidquid rerum habet,ita diuidit in pauperes,vt timeat ſibi grauiter,id niſi fecerit.Scias igitur virum longimanum facultate dilargiendi, verè beatum eſſe:quandoquidem *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi*, ſuoque merito beatus Dei opes reperit.

8. *Beati mundo corde.* Affectus bene caſtus viri beati affectus eſt.Vrget Apoſtolus 1.ad Cor.c.7. n.40.*Beatiór erit;ſi ſic permanſerit* Edixerat Magiſter n.37.vnde hæc ad beandum hominem poteſtas eſſet;à voto ſcilicet caſtitatis ſeruandæ.*Nam qui hoc iudicauit in corde ſuo,ſeruare virginẽ ſuam, benè facit.*Inde fit,vt homo vita caſtus Deo,quaſi Angelus obſequatur liberè;notat Lyra. *Quoniam ſic permanendo,liberius ſeruire poteſt Domino.* p. 5. ad cap. 6.

9. *Beati pacifici.* Vox hæc pacis conciliandæ, vox à beato viro eſt,qui ſano ductus affectu agit, vt homines conueniant amicè.Sic de ſua animula Chriſtus verè pacificans, ad Cant.4.n.3. *Sicut vita coccinea,labia tua*, &c. ſcilicet amans homo pacis alendæ verbis, quaſi vittis obligat auditores,ne abeant ab ſtudio charitatis fouendæ.*Ea enim labia ligant,& rutilant*,ait Gilbertus ſer.24.in Cant.ſcilicet,cum amanter docent,nitere,ac flagrare;cum pacem ingerunt, vrgere,ac ligare videntur diſſidentes homines,vt tollant diuidiam.

10. *Beati, qui perſecutionem patiuntur.* Laudat Magiſter humeros beati hominis. Quis enim crucem ferat ſuam,& non ferat ſarcinam exertis humeris? vno id onus humero ferendũ eſſe monet Sophonias c. 3.n.9 *vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant humero vno.*Inſinuat vates Chriſtianum Chriſto ſocium in cruce ferenda, & magnum ſua patientia hominem fore. Magiſtrum enim adiutabit diſcipulus; *ad colendum illum,cuius principatus ſuper humerũ eius.* Ait Lyra.

12. *Beati eſtis.* Cùm oportuerit agere viros ſtrenuè,vt benè viuant,ac beatè, iuuare poſſunt homines, ac mulieres vita nobiles ſuis ad rem gerendam factis. Inde tot homines vitæ integros, ſceleriſque pueros explicat dies iſta.p.18.ad c.4. p.3.n.1.d.2.p.16.n.3.ad c.6.

Beati eſtis. Dei familiares Dei homines ſuo iuuant præſidio, vt laborem quiſque ferat in via rectè viuẽdi.Vide p.10.n.3.& 5. ad c.4.De Abrahamo, Iſaio, & Iacobo meminit benè Moyſes, cum Deum precaretur.Exod.32.n.13. Meminere Helias 3.Reg.c.18. num.36. & Azarias Dan.c.3. n.35. *Quatenus Patrum meritis ſuffragantibus, facilius impetrent, quod implorant.* Ita Pont. Innocent.ad lib.3.& c.9.de Miſſa.

De ſancta Catharina.

Ad Matth. cap. 25.

N.1. *Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus.* An pares cœlo virgines? Aio.p.5.n.1. & 3.ad cap.6.

Quæ accipientes lampades ſuas. Lucem virgo præfert,vt cautè viuat. p.1.n.2. d.6. p.22.n.4. ad c.4.p.24.n.3.ad c.4.p.2.n.3.ad c.7.

Quæ accipientes lampades ſuas. Euadit affectu, & cultu caſtitatis virgo ſapiens.in com.c.6.n.13. p.4.ad c.6.

2. *Quinque ex eis erant fatuæ,& quinque prudentes.* An prudentia eſt,prudentes fatuis comites eſſe? Curant prudentes virgines de ſalute imprudentium fœminarum;quas proinde non fugiunt. Vide p.18.ad c.6. Hoc affectu Maximinum, etſi improbum,adit Catharina: quo Deus hominum amans Libanum repetit,vbi tota eſt Idolomania; quandoquidem Libanus Græcis thus eſt:& inibi clamitat Cant. 4.num. 8. *Veni de Libano,veni de Libano,veni.*Ac proinde cum Libanus odore incenſo Deos coleret,eò ſe Chriſtus ingeſſit,& homines inde ſeuocauit in ſalutem:ait Tertullianus lib.4.aduerſus Marcion.cap. 11.*Eleganter Libani montis iniecta mentione; de Idololatria enim deſponſabat ſibi Eccleſiam.*

Quinque ex eis erant fatuæ. Miror ego cur imprudentes prudentibus non offecerint?ſed multa prudentibus virtus inerat.Quam in Hierone laudat Nazianzenus Orat.23. Quid Hiero inter ciues?*Philoſophus*(inquit) *aduerſus inſipientes, illud oſtendens,nihil referre, quo ſimus habitu; & quibus cum habeamus conſuetudinem.* Scio Lothum, *qui habitabat in Sodomis* Gen.c.13.n.12.à Petro dictũ benè iuſtum eſſe.Ep.2.c.2.n.8.vbi textus, *Habitans*(inquit)*apud eos, qui animam iuſti iniquis operibus cruciabant.* Egit Petrus de conſortio gentis improbæ,vt Lothus ſua iuſtitia latè explendeſceret inter homines vitiis infames. Auguſtino teſte. *Inter quos viuens ad vitam ſimilem inclinari non potuit.*in Gen.quæſt.45.

5. *Moram autem faciente ſponſo.* Qui Deum rerum cenſorem longe abeſſe putat, multo peccat facilius. in com.c.1 n.84 p.44.n.6.ad c.5.

6. *Media autem nocte.* An Deus hominum iudex noctem putat habilem virginibus iudicandis? ſcilicet vt metum ſolito grauiorem ingerat. Nocte Ægyptum premit Angelus Ex. c. 11. n.4. *Media*(inquit)*nocte ingrediar Ægyptum.* Vt homines tenebris obductos quatiat grauius, ait Abulenſis. p.38.n.2.ad c.3.

Media autem nocte. Noctem Chriſtus ſummam ſelegit, deliciis caſtè procurandis; an id,ne quis obſiſtat malus genius?aio.p.13. ad cap.6.p.29.ad c.5.p.26.n.6.ad c.5. Nec. niſi latebris clauſa domeſticis Chriſtum videt Catharina,ſponſumque Deum ſibi prouidet.

Ecce ſponſus venit. Quid hoc rerum eſt? Chriſtus nunc Iudex virgines excludit foribus: illud iteraus n.12.*Nescio vos.* Nunc ſponſus domo excipit.n.10. *Intrauerunt cum eo ad nuptias* Nec ſemel vocatur iudex,ſed ſponſus,ter quaterque appellatur? Fortaſſe amari Deus mauult, quàm timeri;& inde nomen ab officio capit mitiori.p.8. n.6.ad c.2.in com.c.3.n.36.p.15.num.2.ad c.1.in com.c.7.n 63. in com.c.5.n.39. Nec Chriſtum, niſi ſponſum nacta eſt Catharina annulo in amoris ſignum impetrato.

10. *Et clauſa eſt ianua.* Domo clauſa virgines honeſtatem, & honorem tuentur ſuum.Inde eſt, quod noctu non patet ianua, ait Salmer.in prol. n.4 p.24.n.3. ad c. 4. Domeſticis clauſa latebris, nocturniſque tenebris virgo ſapiens, vbi Chriſtus fores pulſat,illud clamitans, *aperi mihi ſoror mea.*Cant.5.n.2.Nec ianuam ſapienter, nec rimã aperit.n.3.famam tueri ſuam volens:ait Gilbertus.ſer.43.*Diſciplinam attende cuſtodiæ, vbi ianua paſſim non patet. Quis ibi intrabit ad arbitrium,vbi Ieſus,ſine interpellatione non intrat.*Vide p.2.n.5.ad cap.7.

12. *Neſcitis diem,neque horam.* Occidunt natura

tura virgines,occiduntur laniena martyres. Vno vel altero aſpectu ſatagere oportet ſapientes, ac vigilare,licet ſponſus moram fecerit,quaſi diſſimulans. Neque enim ſimplex,ſed pertinax mali patientia,ſatis eſt. p.24.n.4.ad c.4.Nec placet,niſi conſtans in rectè agendo homo. in com. cap.7 n.44.p.17.n.2.ad c.7.

De ſancto Andrea.

Ad Matth. c. 4.

N.18. *Ambulans Ieſus iuxta mare.* Scholam ſibi Magiſter, ſalutem diſcipulis Chriſtus prouidet: nec vno ſtare loco poteſt. p. 19.n.5.ad c.2.p.17.n.1.ad c.5.

Ambulans Ieſus iuxta mare. Laborat in diſcipulis colligendis Chriſtus; quaſi tota Dei ſit maieſtas laborare in ſalutem hominum. p.44. n.1. ad c.7. Scio Deum toto conatu elaboraſſe mundum vniuerſum, qui quidem apud Ieremiam cap. 51. n. 15. *Fecit terram in fortitudine ſua, præparans orbem in ſapientia ſua.* Ad id operis opifex benè præfatus eſt Pſ.148.n.5. *Dixit & facta ſunt.* Nec tacet Iobus Deum vtraque manu laboraſſe c.10. n.8. *Manus* (inquit) *tuæ fecerunt me.* Cur tantos opifex conatus adhibuerit, vt orbem conderet vniuerſum, inuenit Tertullianus lib. aduerſus Hermog.c. 45. ſcilicet laboraſſe Deum, vt grandiorem ex labore maiori laudem ſibi pararet. *Maior eſt gloria eius,ſi laborauit.* Et verò, *non iuuat ex facili gloria parta iugo.* Deinde,quid magni Deus feciſſe videretur, ſi pro hominibus non laboraſſet amicè?

Vidit duos fratres. Cum Deus videt homines, tota in hoſce homines rapitur indulgentia. in com.c.4.n.49.p.39.n.6.ad c.7. *Terra erat inanis,& vacua;* ait Moyſes Gen.c.1.n.2. Græcè, *erat inuiſibilis.* Quaſi Deus terram nollet videre, vbi Adamus nondum erat. *Qua non habebat propter quem Deus reſpiceret terram.* ſic Ambr. lib. 1. Hexaëm. c.7. Tanti apud Deum pretij homo eſt.

Vidit duos fratres. Natura ſcilicet, & aſſenſu fratres. Nam vbi fraterna eſt charitas, eò Deus aduolat. p.16.n.6.ad c.1.

Simonem,& Andream. An de affectu venit humili, vt Petrum ſubſequatur Andreas natu maior? Sed non curat de primatu bonus Andreas. in com.c.2. n.15.

Mittentes rete in mare; ſcienter iniecta de retibus mentio eſt; vt ſcires homines labore detritos ad laborandum facilè inuitari. p.16.n.1.ad c.3. in com. c.5. n. 55.

19. *Venite poſt me.* Magna viris magnis fortuna eſt Deum ſequi ducem. Sua cum philoſophia ſermonem texit Boetius,lib.1.proſa 4.ac tandem illud apponit. *Inſtillabas auribus, cogitationibúſque meis Pythagoricum illud: Deum ſequere.* in com. c.5.n.39.

Venite poſt me. Laborans Magiſter benè ad laborandum vrget: proindeque grata diſcipulis vox à Magiſtro eſt: *Venite poſt me.* p.9.n.2.ad c.2.p.16. n.2.ad c.3.

Venite poſt me. An vrget homines ad crucem piè ferendam? Aio. Nec Petrus, & Andreas Dei amantes homines pretio inuitari grandiori poterã. p.8.n.3.ad c.3.p.30.ad c.5. ſcilicet pati cum Deo, ac pro Deo pati glorioſum apprime eſt. p.18.n.5.ad c.7.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Inuitantur benè ad curandam ſalutem hominum, qui Deum piè ſequuntur,& amicè. p.17.n.3. ad cap.6. p.18. n.1.ad c.6.

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Quanta Deo cura eſt de ſalute gentis humanæ, qui ſuam cum hominibus curam diuidit. p.17. n.2. ad c.5.

20. *Continuò ſecuti ſunt eum.* Volat in Chriſti obſequium bonus Andreas, ne ſuam obſequio gratiam demat, ſi tardè veniat. *Non intelligis tantum te gratiæ demere, quantum moræ addis?* ait Seneca ad lib.2. c.5. de ben. Et quidem minuit obſequium mora obſequendi. p.18. ad c. 5. in com. c.3.n.39.p.5.num.5.ad c.7. Reuocatus ab Angelo Pater, ne feriret Iſaacum, Gen.22.n.11. *Reſpondit; Adſum,* nec in reſpondendo mora eſt: acſi veller. *Num ſacra mea lentitudine fœdaui?* ſic Baſilius Seleucienſ.orat.7. Metus Abrahamo erat, ne arceretur à ſacris, tanquam moras in faciendo feciſſet.

Relictis retibus. Prior ad Chriſti obſequium gradus eſt, paupertatis amor: vt quæ quiſque habuerit, bona abiiciat. Piſcem è mari numum è piſcis vẽtriculo extractum Chriſtus voluit apud Matth. c.7. n.26. Piſcem mari, hominem baptiſmo ablutum putat Clem. Alex. lib.2. Pædag.c.1. *Monet auferre auaritiam, tanquam piſcis numum, ſeparet vanam gloriam.* Et verò bona rerum fortuna gignit inanem gloriolam: quam à ſe Andreas abeſſe volens, fugit lacum,& nauiculam, *relictis retibus.*

Continuo ſecuti ſunt eum. Currentem Deum ſequi non poſſet Andreas, niſi paupertatem cum Magiſtro ſequeretur. *Nemo cum ſarcinis enatat,* ait Seneca Epiſt.22. Et quidem paupertas bonis morum pera eſt: ne qua rerum cura diſturbet officiũ docendi. Inde Magiſter Deus, *Euntes* (inquit) *prædicate.* Matth.c.10.n.7. Et reponit modum eundi. n.9. *Nolite poſſidere aurum,* &c. viam malè terit viator onuſtus ſarcinis, ait Chryſologus ſer.170. *Depone ſarcinas diuitiarum tuarum, onuſtus non poteſt per anguſtam viam ad opus miſſis dominicæ peruenire.*

Secuti ſunt eum Quo affectu Andreas crucem amat, vt Magiſtrum ſequatur? Exultabundus, & gratulabundus erumpit in canciones. *O bona crux!* Tam læta viro magno eſt rerum patientia, quàm certa eſt ſapientia. Vide p.24 ad c.7.

Magnus omnino Petrus eſt, magnus & Andreas; à quibus, tanquam à ciuibus potioribus laudem Philippus emendicat. Nam Ioann. c.1.n.44. *Erat Philippus* (inquit) *à Bethſaida, ciuitate Petri, & Andreæ.* Spectat hæc de Petro,& Andrea commemoratio ad Philippi laudem; quippe qui ciues habuerit vita inſignes homines. Ita Nyſſenus in Cant. Orat.15. *Hoc mihi videtur encomium Philippi eſſe.* Tanti ſit Petrus à Ioanne, tanti & Andreas. Scio Lupum de Haro, Cantabriæque Dominum adornaſſe ſtemmata gentilia octonis Andreæ crucibus, eo quod vrbem ceperit die Apoſtoli ſacra. Tantus à magno Andrea honor eſt! Argote lib.1.cap.80.

INDEX
LOCORVM E SACRIS
literis, quæ in hoc tomo continentur.

C. notat Commentarium; D. signat Disquisitionem; P. ostendit Paræneticum; N. indicat Numerum.

TESTAMENTVM VETVS.

De Genesi.

Cap. 1. n. 1. IN principio creauit Deus. *p. 3. n. 4. & p. 16. n. 1. ad c. 3. p. 14. n. 2. p. 20. n. 5. ad cap. 7.*

3. *Dixit Deus, fiat lux: & facta est lux.* *p. 18. n. 4. ad cap. 5.*

4. *Et diuisit lucem à tenebris. p. 4. num. 3. & p. 15. n. 1. ad cap. 3.*

9. *Congregentur aquæ in locum. p. 15. n. 3. ad cap. 3.*

11. *Germinet terra herbam virentem. p. 16. n. 2. ad cap. 3. p. 31. n. 2. ad cap. 5.*

24. *Producat terra bestias terræ. in prolog. n. 1.*

27. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam. p. 7. n. 6. ad cap. 3. in com. c. 5. n. 108.*

28. *Replete terram, & subiicite. p. 16. n. 2. ad c. 2.*

Cap. 2. n. 2. *Et requieuit die septimo. p. 16. num. 1. ad cap. 3.*

4. *In die, qua fecit Dominus. p. 17. n. 1. ad cap. 1. p. 3. n. 4. ad cap. 3.*

7. *Formauit Deus hominem de limo terræ. p. 9. n. 3. ad cap. 7.*

9. *Produxitque Dominus Deus. p. 4. num. 4. ad cap. 3.*

Ibid. *Lignum scientiæ boni, & mali. p. 21. n. 3. ad cap 5. p. 20. n. 2. ad cap. 6.*

15. *Vt operaretur, & custodiret. p. 9. n. 2. ad c. 2. p. 16. n. 4. ad cap. 3.*

Ibid. *Tulit Deus hominem, & posuit in Paradiso. p. 19. n. 3. ad cap. 2. in com. cap. 5. n. 30.*

16. *Ex omni ligno paradisi comede. p. 16. num. 5. ad cap. 2.*

17. *Ne comedas. p. 14. num. 1. ad cap 1. in com. cap. 4. num. 19.*

22. *Ædificauit Deus costam in mulierem. p. 25. n. 2. ad cap. 7.*

27. *Morte morieris.* *p. 17. n. 1. ad cap. 1.*

Cap. 3. n. 1. *Cur præcepit vobis Deus. p. 7. num. 1. ad cap. 4.*

4. *Dixitque serpens.* *in com. cap. 2. n. 17.*

5. *Eritis, sicut Dij.* *p. 13. n. 2. ad cap. 3.*

6. *Qui comedit. in com. c. 2. n. 16. in com. c. 7. n. 38.*

7. *Consuerunt folia ficus.* *p. 21. n. 3. ad cap. 2.*

8. *Absconditque se Adam. p. 14. n. 1. ad cap. 1. p. 27. n. 1. ad cap. 7.*

9. *Vocauit Dominus Adam.* *p. 33. n. 1. ad cap. 7.*

12. *Mulier, quam dedisti mihi.* *in prolog. n. 8.*

15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem. in com. cap. 5. n. 7. p. 12. n. 1. ad cap. 5. p. 3. n. 1. ad cap. 7.*

16. *Multiplicabo ærumnas tuas. p. 14. n. 2. ad c. 3.*

17. *In laboribus comedes.* *p. 21. n. 3. ad c. 4.*

19. *In sudore vultus tui.* *p. 21. n. 3. ad cap. 5.*

20. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ, Heua. in prolog. n. 1. p. 3. n. 5. ad cap. 3.*

21. *Fecit tunicas pelliceas.* *in com. c. 5. n. 85.*

23. *Vt operaretur terram.* *p. 16. n. 4. ad c. 3.*

24. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim.* *p. 6. n. 2. ad cap. 1.*

Cap. 4. n. 1. *Peperit Cain. p. 4. n. 1. ad cap. 3. p. 1. n. 5. ad cap. 2.*

2. *Fuit autem Habel.* *in com. c. 6. n. 40.*

4. *De primogenitis gregis sui.* *p. 18. n. 2. ad c. 4.*

5. *Et concidit vultus eius.* *p. 1. n. 1. ad cap. 4.*

8. *Egrediamur foras.* *p. 25. n. 3. ad cap. 5.*

9. *Vbi est Habel frater tuus?* *p. 33. num. 1. ad cap. 7.*

10. *Vox sanguinis fratris tui clamat. p. 4. num. 4. ad cap. 4.*

11. *Maledictus eris super terram. p. 12. num. 3. ad cap. 1.*

12. *Vagus, & profugus eris. p. 14. num. 2. ad c. 3. p. 40. n. 3. ad cap. 5.*

14. *Qui inuenerit me, occidet me. p. 9 n. 3. ad c. 1. in com. cap. 3. num. 24. p. 22. num. 5. ad cap. 5. p. 6. n. 4. ad cap. 6.*

16. *Habitauit profugus in terrâ. p. 22. num. 1. ad cap. 7.*

17. *Ædificauit ciuitatem. in com. cap. 1. n. 3. p. 4. n. 1. ad cap. 1.*

20. *Pater habitantium in tentoriis. p. 20. num. 1. ad cap. 2.*

23. *Dixitque vxoribus suis.* *p. 27. n. 3. ad c. 7.*

24. *Septuplum vltio dabitur de Cain. p. 1. num. 4. ad cap. 3.*

26. *Iste cœpit inuocare nomen Domini. p. 13. n. 3 ad cap. 3.*

Cap. 5. n. 1. *Ad similitudinem Dei fecit illum. p. 7. n. 6. ad c. 3. p. 47. n. 5. ad cap. 5.*

24. *Ambulauit Henoch cum Deo. p. 12. num. 2. ad cap. 5.*

Ibid. *Et non apparuit. p. 16. n. 2. ad cap. 5. p. 29. n. 1. ad cap. 5.*

29. *Vocauitque nomen eius Noë. p. 4. num. 1. ad cap. 3.*

Cap. 6.

Index

Cap. 6. n. 2. *Videntes filij Dei filias hominum. in com. cap. 5. num. 14. p. 16. n. 4. ad c. 6.*

4. *Gigantes autem erant.* *p. 1. n. 5. d. 4.*

5. *Videns autem Deus, quod multa malitia esset. p. 13. n. 3. ad cap. 3.*

9. *Noë, vir iustus, atque perfectus. in com. c. 4. num. 42.*

14. *Fac tibi arcam.* *p. 8. n. 2. ad cap. 2.*

Cap. 7. n. 6. *Erátque sexcentorum annorum. p. 28. n. 3. ad c. 5.*

10. *Aquæ enim inundauerant. p. 12. n. 2. ad c. 5.*

11. *Mense secundo rupti sunt fontes. in com. cap. 2. n. 46.*

16. *Inclusit eum de foris.* *p. 13. n. 1. ad cap. 2.*

21. *Consumpta est omnis caro.* *p. 1. n. 3. ad cap. 3.*

Cap. 8. n. 8. *Vt videret, si iam cessassent aquæ. in com.* *cap. 5. n. 2.*

Cap. 9. *n.* 3. *Vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus.* *p. 21. n. 1. ad cap. 6.*

4. *Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.* *p. 45. n. 6. ad cap. 7.*

5. *Sanguinem animarum vestrarum requiram. p. 9. n. 2. ad cap. 1.*

18. *Cham ipse est Pater Chanaam. p. 8. num. 4. ad cap. 5.*

22. *Cum vidisset Cham Pater Chanaan. p. 8. n. 4. ad c. 5.*

25. *Seruus seruorum erit. p. 5. n. 6. ad cap. 5. p. 40. n. 4. ad cap. 5.*

26. *Sit Chanaan seruus eius. p. 34. n. 6. ad cap. 7.*

Cap. 10. n. 10. *Principium regni Babylon. in com. c. 1. n. 2.*

12. *Hæc est ciuitas magna.* *in com. c. 1. n. 15.*

15. *Et ædificauit Niniuen.* *p. 2. n. 2. d. 4.*

Cap. 11. n. 1. *Erat quidem terra labij vnius. p. 4. n. 5. ad c. 7.*

2. *In terra Senaar.* *p. 1. n. 4. d. 4.*

Ibid. *Cum proficiscerentur ab Oriente. in com. cap. 1. n. 19.*

4. *Venite, faciamus ciuitatem.* *p. 2. n. 2. d. 4.*

5. *Vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.* *p. 34. n. 2. ad cap. 7.*

7. *Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* *p. 37. n. 5. ad cap. 7.*

9. *Disperfit eos Dominus. p. 3. n. 5. ad cap. 6. p. 4. n. 5. ad cap. 7.*

32. *Fuerunt dies Thare in Charra.* *d. 6. n. 1.*

Cap. 12. *n.* 1. *Egredere de terra tua. p. 19. n. 5. ad c. 2. p. 19. n. 2. ad cap. 5. in com. cap. 5. n. 68.*

3. *Benedicam benedicentibus tibi. p. 20. num. 4. ad cap. 6.*

6. *Chananæus autem erat in terra. p. 12. num. 5. ad cap. 6.*

Ibid. *Ad conuallem illustrem.* *in com. c. 6. n. 39.*

7. *Ædificauit ibi altare.* *p. 48. n. 2. ad cap. 5.*

8. *Et inde transgrediens ad montem. p. 29. num. 6. p. 13. n. 3. ad cap. 5.*

Ibid. *Ædificauit ibi altare.* *p. 1. n. 4. ad cap. 2.*

10. *Facta est fames in terra.* *p. 22. n. 3. ad cap. 2.*

Ibid. *Ascenditque Abram in Ægyptum. in com. cap. 5. n. 42.*

11. *Noui, quod pulchra sis mulier.* *p. 1. n. 4. d. 6.*

15. *Nuntiauerunt Principes.* *in com. cap. 2. n. 6.*

Cap. 13. *n.* 4. *In loco altaris, quod fecerat prius. p. 29. n. 6. ad c. 5.*

5. *Et Loth, qui erat cum Abram. p. 13. num. 4. ad cap. 1.*

13. *Peccatores nimis coram Deo. p. 44. num. 1. ad cap. 5.*

14. *Postquam diuisus est ab eo Loth. p. 10. n. 3. ad cap. 1.*

18. *Habitauit iuxta vallem. p. 9. num. 5. ad cap. 3.*

Cap. 14. n. 9. *Quatuor Reges aduersus quinque. in com. cap. 1. n. 20.*

14. *Benedictus Abram Deo.* *p. 1. n. 4. d. 5.*

18. *Nuntiauit Abram Hebræo. p. 4. num. 2. ad cap. 3.*

Ibid. *Erat enim Sacerdos Dei. p. 6. num. 1. ad cap. 4.*

22. *Leuo manum meam ad Dominum. p. 18. n. 2. ad cap. 1. p. 11. n. 1. ad cap. 5. p. 17. n. 3. ad c. 6.*

23. *Non accipiam ex omnibus. p. 10. num. 1. ad cap. 1.*

Cap. 15. n. 1. *Ego protector tuus. p. 17. num. 3. ad cap. 6.*

2. *Domine Deus, quid dabis mihi. p. 8. num. 4. ad cap. 4.*

7. *Eduxi te de Vr Chaldæorum. in com. cap. 1. num. 7.*

Cap. 16. n. 2. *Ingredere ad ancillam meam. p. 14. n. 1. ad cap. 4.*

Cap. 17. n. 1. *Ambula coram me. p. 44. num. 6. ad cap. 5.*

3. *Cecidit Abram pronus in faciem suam. in com. cap. 6. n. 27.*

5. *Sed appellaberis Abraham. p. 3. n. 1. ad cap. 3.*

9. *Custodies pactum meum.* *p. 7. n. 5. ad cap. 3.*

26. *Eadem die circumcisus est. p. 13. n. 2. ad cap. 7.*

Cap. 18. n. 1. *Apparuit illi Dominus in conualle Mambre.* *p. 10. n. 2. ad cap. 6.*

25. *Non est ita, sed risisti.* *p. 11. n. 4. ad cap. 5.*

1. FVrti rea, & adultera omnis est sapientia, quæ de libris editis venatur gloriolam, & suum Deo honorem detrahit. *Qua enim defursum est sapientia,* (Iacobo teste) *primum quidem pudica est,* &c. *c.*3.*n.*17. Hoc est, pudicè intelligens, nec Deo denegans, quod suum est. Vnde viri probati libris scitè confectis, suum modestè nomen supprimunt. Historiam Moyses condit ab Orbe condito ad Iacobi exitum vltimum; non tamen librum suo inscribit nomine: Genesim appellat, & libros alios suis nuncupat nominibus. Sciebat Moyses ab Angelo se libri argumentum excepisse: quod probat Stephanus Act.7.n.38. *Hic* (inquit) *est, qui fuit in monte Sina,* &c. Et Paulus de lege Mosaica non aliter. *Qui per Angelos* (inquit) *dictus est sermo, factus est firmus,* &c. *ad Hebr.*2. *n.* 2. Ac proinde noluit sibi Moyses sapientiæ quidquam arrogare. Visum id est Anastasio Antiocheno lib.2. in Hexaëm. *Audiui* (inquit) *à Paulo, & Stephano esse Angelos, qui annuntiauerunt Moysi librum Geneseos, & ea de causa non inscripsit illum nomine suo,* &c. Ita Moyses fecit pudore ingenuo; quasi nihil ad se pertinerent ea monumenta literarum. Ab hac schola Ioannes, Domini amor, didicit, vt nullam suo nomine epistolam commendaret. Prima sic habet in aditu. *Quod fuit ab initio;* &c.2. & 3. Ioannes seniorem se vocat, non Ioannem; quasi furti se reum agnosceret, si quid nominis sibi vellet è literis Apostolicis, quæ ad Deum pertinerent auctorem opetis; quod aduertit Euseb. Cæsar. lib.3. c.7. demonstr. Euang. vbi de Matthæo agens, ad Ioannem pergit. *Ioannem* (inquit) *Matthæo similem inuenio, qui suis in Epistolis, nè meminerit quidem sua appellationis,* &c. Fugere Theologus voluit Magistri famam publicam, suúmque ex Epistolis nomen erasit.

Iacob. epist. c.3.n.17.

Act. cap. 7. n.38.

Ad Hebr. c.2. n.2.

Humilitas nihil sibi arrogat sapientiæ.

1.Ioan. cap.1. n. 5. 2. c.2. 3. c.5.

Ioannes Apostolus Magistri nomen effugit.

2. Sed & Paulus cum Ioanne conuenit. Ad Hebræos tantùm *c.*1. neque enim suum ibi nomen edit, quod in reliquis est literis. Sic igitur exorditur Apostolus, *Multifariam, multisque modis,* &c. Deinde Christum Iudæis, & Græcis Magistrum laudat, num.2. *Nouissimè locutus est nobis in filio,* &c. Nec miror Paulum nihil suo de nomine curasse, cùm sciret Christum à Patre missum humanæ salutis internuntium, ac magistrum optimum gentis Iudaicæ: eo textu Matth.15. num.24. *Non sum missus nisi ad oues,*

Ad Hebr.c.1. n.2.

Nemo apud Deum Magistrum magister est.

&c. Nam, Anselmo teste, *Pro humilitate Paulus non scribit se missum Iudæis Apostolum; vel propter honorem Domini, qui se missum dixerat ad oues domus Israelitica*, &c. *in prologo*. Ac si Paulus negare vellet magistri nomen sibi conuenire ex hisce literis, maximè vetante Christo; *Nolite vocari Rabbi*, &c. *Matth.23.n.8.* Quòd si ratio ita ferat, vt sapientiæ quidquam Magister sanctus ostendat, ita se tegat, necesse est, vt vel nomen supprimat, vel rem demutilet, vel Magistro acceptam referat.

Matth.c.23. n. 8.

3.

2. ad Cor. c.22.n.1.

Pauli vox est 2. ad Corinth.22.n.1. *Veniam ad visiones, & reuelationes Domini*, &c. Quid cœlo summo viderit, Paulus explicat, gratia doctrinæ commendandæ, non captandæ gloriolæ. Sed quid non agit vt se tegat? Premo locum manu lenta. Primum illud occurrit, Paulum de se, tanquam de viro alio teste locutum. *Scio* (inquit) *hominem*, &c. Quis nam iste homo? Paulus est, sed velo textus humili. *Ne se laudare videatur*, &c. quod expendit Ambrosius, & placet Hieronymo. Deinde noto Paulum contentum visione vnica de reliquis tacuisse. Promissum erat; *veniam ad visiones*, &c. vnicam Paulus explicat, & sistit: quid hoc est Magister Paule? Sucurrit Athanasius, *Vnam dumtaxat, & hanc quidem inuitus visionem commemorat*, &c. Verè Paulus suarum laudum condus, non promus erat. quod scitè probat tantum, ac tam diuturnum de re tanta silentium, cùm per annos quatuordecim, nihil daret in aures hominum. OEcumenius ad rem: *Non intempestiuè* (inquit) *tempus adiungitur; ad ostendendum, quòd qui per annos quatuordecim tacuerat, ne nunc quidem narrasset, nisi coactus admodum*, &c. Qua mente visiones etiam non suas appellat, sed *visiones, & reuelationes Domini*, &c. quasi notiones veritatis Domino, ac Magistro acceptas referat. Vbi id Hieronymus scitè aduertit. *Sibi infirmitates, Domino visiones*, &c. quæ quidem modestè admodum hominis virtus est.

Vir bonus suarum laudum condus, non promus, &c.

Nisi inuitus, non se laudat vir sanctus.

Deo tribuit quidquid boni habet.

4.

A Magistro Paulo hausit Lucas discipulus eam mentem, vt historici dotes velo tegeret humili, & librum integrum maiestatis Euangelicæ, diceret sermonem vnicum. *Primum* (inquit, *sermonem feci*, &c. *Act. 1. num. 1.* scilicet ventosæ sapientiæ buccas non inflabat. Laudat quidem Magister discipulum, qui tuba sonuerat Euangelica, luculenter. *Cuius* (inquit (*laus est in Euangelio*, &c. 2. *ad Corinth.8. num.* 18. Altè adeò Lucas rem perfecit, vt hoc titulo Apostolus illum ornet, teste Chrysostomo *Homil. 1. in Acta.* Sed quid Lucas, vt se premat? *Primum* (inquit) *sermonem feci*, &c. Illud suo iterans animo: si quid scriptum à me est, parum quidem est, sermo est. *Vide* (addit Chrysostomus,) *quantum hic Euangelistæ sermo absit ab omni fastu*, &c. Deinde ne sibi arrogaret, quod scripserat, Euangelium, aliis tribuit scenam operis vniuersi. *Sicut* (inquit) *tradiderunt nobis*, &c. *Luc. cap.1. num. 2.* Verè Lucas sapit, qui suam in scribendo laudem ita premit, vt pudore ingenuo fateatur quid per Magistros profecerit in libro construendo. Ea est ratio, cur Amos negat se Prophetam esse, cap. 7. num. 14. *Non sum* (inquit) *Propheta, sed armentarius ego sum*, &c. Sed video, & lego proximè, qua se voce excitatum dicat,

Act.c.1.n.1. *Modestè sapit Lucas.*

Luc.1.n.2.

Amos cap.7. n.14.15.

n. 15. *Et dixit Dominus ad me: Vade, Propheta ad populum meum*, &c. Mira quidem inter Deum, & hominem dissensio est. Homo se Prophetam negat, & Deus hominem Prophetis adscribit? Quo id sensu, bene sensit Hieronymus. *Alterum* (inquit) *humilitatis est, alterum veritatis*, &c. Agnoscit Amos dotem propheticam à Deo esse, quam sibi arrogare nefas putabat: ac proinde clamitans, *Non sum* (inquit) *Propheta*, &c. Longè à tumore mentis superbæ. *Præmittit enim humiliter, quid fuerit, & quid factus fuerit gratia, non merito.* Sic Rupertus *lib.* 3. Hac via iere semper homines modestissimi, qui nihil non egere, suam vt sapientiam occultarent. Nec Heliachimus dissidet à bonis viris; qui librum condit, nec suum libro nomen indit.

Nescit humilitas sibi arrogare quod à Deo accepit.

5.

Malè abeant homines, ad insaniam vsque præcipites: mente leuiuscula inflati vtres, & fermento Pharisæo buffones tumidi; qui de sapientiæ vel vmbra tenui magnos attollunt animos: sed quibus Bernardus vnguem figit, sermon.36. in Cant. *Sunt enim qui scire volunt, vt sciantur ipsi; & turpis vanitas est*, &c. vanitatem huiusmodi Philosophiæ supercilium vocat Nazianzenus *Orat.33.* Anselmus ventosam literaturam, 1. *ad Corinth.8. num.1.* Tertullianus, veritatem mimicam. In Apologet. *cap.46.* Clemens Alex. adulteram sapientiam, *lib.8. Strom.* Iacobus, diabolicam, *cap.3. num.15.* Hæc enim vana Philosophia, & insipiens sapientia insanos adeò facit homines, vt vel Angelos potuerit deprauare, si quod sapiũt, Deo non tribuant.

Inflat scientia leues homines.

6.

Nosti bene, quo aspectu Cherubini steterint aduersùs oraculum. *Expandentes alas versis vultibus in propitiatorium*, &c. *Exod.25.n.20.* Alis expansis ostentant Cherubini, Hebræa radice Magistri, quantacumque valent, & volant sapientia. Sed quò mittunt oculos Cherubini, ac sapientiæ Principes? textus est. *Versis vultibus in propitiatorium*, &c. eò sapientes respiciunt, vnde hauriunt sapientiam. Augustinus optimè *quæst.105.* in Exod. *Quia quibuscumque profectibus ad scientiam spes non est, nisi in Dei misericordia*, &c. Noluit Angelus de sua insolescere sapientia, ne de re aliena captaret gloriolam. Metus iste vel Deo ingens erat, ne Vates vt visionis, sic & sapientiæ plurimæ superbè efferretur, & ceruices altè erigeret; monet igitur hominem de Adami luto, & cinere. *Hæc* (inquit) *erat visio, & vidi*, &c. *Ezech. 2. num. 1.* subdit proximè, quid audierit. *Et dixit, Fili hominis*, &c. si quis legat textum propheticum, multis locis vox ea est, & adminitio de Adami sorte humili. Cur ita factum docet Magnus Gregorius in Iob. lib.21.cap.10. *Filius* (inquit) *hominis vocatur, vt ductus ad cœlestia hominem se esse meminerit. Ac si illum vox diuina admoneat: Memento, quid sis, ne de his, ad quæ raperis, extollaris*, &c. In hac sententia Rupertus est *lib.1. in Ezech. cap.* 17. Addit Hieronymus Danielem scholæ Angelicæ alumnum de Adamo parente admonitũ esse. Multa Vates viderat, de quibus ille c.8.n.1. *Visio* (inquit) *apparuit mihi*, &c. sed cùm hæreret, tecto rerũ sensu, accedit Angelus, & Danielẽ vrget, n.17. *Intellige, Fili hominis*, &c. Quò hæc interim pertinet commemoratio de natura hominis lutei apud Ezechielẽ, & Danielem Vates sapientissimos? Hieronymus optimè.

Exod. 25. n. 20.

A Deo habet sapiens quidquid sapit.

Ezech.2. n.1.

Modestè sapit qui humaniuti memor est.

Dan. cap. 8. n.1.17.

Quia

Agere cum magnis viris superbiam gignit.

Quia inter Angelos esse se vident, ne eleuentur in superbiam, admonentur fragilitatis suæ; & filij hominum nuncupantur, vt homines se esse meminerint, &c. Occurrit Deus morbo humanæ sapientiæ, tumentibusque ceruicibus lutum imponit, quo sapientes, ac videntes premat homines. Si quis adhuc vel de magna intumescat sapientia, nauiget Anticyras *necesse est; & helleboro mentem purget.* Noluit Heliachimus illò nauigare, qui suum, libro edito, nomen occultauit, illud iterans, sapientiam occultare de sacra schola esse.

Disqvisitio II.

Qua nam lingua scriptus Iudithæ Liber, & quare?

Librvm Chaldæo sermone lectum, & Latinè à se factum docet Hieronymus *epist. ad Chromat.* & Heliodor. Sed Græcè scriptum esse constat; licèt dubium, fuerit ne opus Interpretum septuaginta. Hærent in dubio Senensis *lib.* 1. Salmer. *epist. ad Tuccium*, & Sanctius *prolegom.* 3. Aliter Serar. *prolegom.* 3. & puto ego. Nec dissidere Græcum à Latino textu, cogit negare; cùm libris aliis Græcæ, ac probatæ auctoritatis ea sit nota. quod probat Serarius *in prolegom. Bibliac. cap.* 18. *q.* 24. Salmer. *tom.* 1. *prolegom.* 6. Deinde librum Syriacè datum testatur Masius *in Iosue*; Hebraïcè editum adstruit Munster. *in Tobiam.* cur enim Hebræus Pōtifex librum non daret lingua patria? Certus hac de re factus Origenes ab Hebræa schola: quod ille in epist. ad Africanum, *asseruari scilicet Iudithæ librum Hebraïcè in arcanis*, &c. Vide Salmer. *tom* 1. *prolegom.* 4. Versio igitur multiplex; vt Hebraïcè, Chaldaïcè, Syriacè, Græcè, & Latinè Iudithæ virtus pateret; viris, & fœminis sanctimoniæ exercendæ excitamentum ingens. Vnde illud colligo

Parænet. I.

Alienam virtutem libro explicatam prodesse lectorum bonis maioribus.

1. Quid profit lectio rerum sacrarum ad mores sanctè poliendos, probat miles ille, qui perlecta Magni Antonij historia, virtutis amorem hausit, & salutem. Nam libro inter manus versato: *& legebat, & mutabatur intus, vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius*, &c. Sic Augustinus ad Christum Dominum *lib.* 8. *confess. c.* 7. Magnum profectò emolumentum libro perlecto; vbi & boni exempli copiam inuenire necesse est. Nec Parens Societatis Ignatius, nisi ex libro virorum sanctissimorum viam concepit vitæ optimæ. Nouerat Apostolus quid sanctitatis posset Timotheus excipere ex sacro Instrumēto, si perlegeret. Laudat Magister quod facit discipulus. *Ab infantia* (inquit) *sacras literas nosti*, &c. 2. *ad Timoth.* 3. *n.* 14. Cur Apostolus sacras appellarit litteras auctoritatis Canonicæ, ea est ratio; vel ab Auctore Deo, vel ab effectu sacro. Auctor sententiæ Clemens Alex. Orat. 1. ad Gentes. *Sunt enim verè sacræ Veloso. in Iudith. literæ, quæ sacros faciunt homines*, &c. quos Paulus *sacros*, Ionathas *sanctos* vocat libro 1. Machab. 12. n. 9. *Habentes solatio sanctos libros*, &c. vt pote qui homines ad sanctitatem colendam vi exemplorum maxima alliciant. Nec mirum id videri debet cùm ex lectione sacra, velut ex tabula suum quisque pingat animum, & virtutum colores ducat. Fauet textus Græcè, τὰ ἱερὰ γράμματα. hoc est, *sacras picturas nosti.* Gramma enim & picturam sonat, & literam. Ac proinde multam, lecto libro, vtilitatem lector capiat, necesse est; siue ad castam mentem se attingat, siue ad patientiam nobilem.

1. lib. Mach. c. 12. n. 9.

Sacræ literæ sacræ picturæ.

2. Vt Moysès Hebræos homines reddat faciles difficultatibus perferendis, quid non agit? Totus est in Iobi pugna describenda, quam ex Arabico vertit Hebræum in sermonem. Auctores sententiæ, Origen. *lib.* 1. Magn. Gregor. *in præfat. cap.* 2. Isidor. 1. *de offic.* quos Pineda refert. Cur verò Moysès Iobi librum, & vitæ acerba quæque Hebræis mandarit literis, cùm pastorem ageret, Hebræisque hominibus communicauerit, docet Origenes ex Hebræa schola. *Vt per cogitationes, & tribus hæc legentes, se inuicem consolarentur*, &c. *lib. citato in Iob.* Malè habebant homines à Præfectis operum, dolebant, flebant: quod textus notat, Exod. 1. n. 13. *Ad amaritudinem perducebant vitam eorum*, &c. Quare vitam viri patientissimi literis Moysès explicat; vt lectione sacra suum miselli homines dolorem lenirent, suāque deuorarent ægritudinem. Ea sacris lectionibus vis ineſt, quod persequitur Magn. Gregor. *lib.* 2. *in Iob. cap.* 1. factamque docet mentionem de Iobo, virisque aliis patientiæ, ac innocentiæ plurimæ, vt à viro patientissimo, & sanctissimo pati, & agere lector quisque discat. *Vt maiorum* (inquit) *virtus spem nostram foueat*, &c. lecto scilicet libro alienæ sanctimoniæ. Videō quid latronem facilè bonum concinnauerit; adeò, vt de Christo Rege altè loquatur Luc. 23. n. 41. *Nihil mali gessit*, &c. vt de sua pœna minus doleat; *Nos quidem iustè*, &c. vt in socium dolentem regerat. *n.* 40. *Neque tu times Deum*, &c. vt de sua salute accuratè cogitet. n. 42. *Domine memēto mei*, &c. Vnde hæc in latrone cura, pietas, religio? Nónne erant argumenta plurima carnificinæ Iudaïcæ, quæ negare cogeret Christum, & Regem, & Dominum esse? Ita planè est. Sed attendit latro ad Crucis titulum, vbi scriptum: *Iesus Nazarenus*, &c. *n.* 38. oculisque perlegit, quis nam Christus homo esset, & totam de Christo doctrinam hausit: vnde sanam Dimas latro mentē recepit. In loco pulchrè Arnoldus tract. de sept. verb. *Iam tunc ad hanc scripturam latro pertinebat, & eum intra se literæ illæ colligebant*, &c. Hæc Arnold. propè innuens, latronem Christi regno adscriptum, & collectum esse; quippe quòd se collegerat ad perlegendum crucis titulum: vt constaret liquidò lectionem rerum sacrarum vtilem esse, vel etiam latronibus permouendis, instruendisque sanctissimè.

Solatium ingens è sacris literis.

Exod. c. 1. n. 13.

Luc. c. 23. n. 41.

Suam latro improbitatem exuit sacra lectione.

3. Sed non minor est vtilitas, si quis velit Præfectum regiæ pecuniæ, libro lecto, licèt non intellecto, profecisse ad Christi fidem, & scholam. Ibat homo suo vectus curru, & sacro totus in libro: *Legēnque Isaïam*, &c. quod textus habet *Act.* 8. *n.* 28. Text. erat de Christi nece impia, & homo in textum intentus adeò, vt nec

Nec præfectura à sacra lectione auocat.

Prodest sacra lectio.

2. ad Tim. c 3. num. 14.

via longa, nec loca vasta à legendo auocarent. Tunc vox cœlo missa ad Philippum num. 29. *Adiunge te* (inquit) *ad currum istum*, &c. Accedit Philippus, & quæ de textu Princeps non intelligit, Magister explicat. *Vides* (monet Chrysostom. Homil. 34. in Genes.) *quantum sit commodi attentè, & studiosè diuinas Scripturas legere?* &c. Bene est. Nam Præfectus sacris deditus literis Philippum loci prophetici Magistrum sibi parauit. Deinde textu explicato Philippus hominem ad Christi fidem, & aquam vrget, n. 38. *& baptizauit eum*, &c. Vnde tãta Præfecto Christi fides? Vnde tanta Baptismi gratia? Vnde tantus virtutis amor, vt Baptismo demutaret Æthiopem, & altè gauderet homo? *num.* 40. vbi textus, *Ibat* (inquit) *per viam suam gaudens*, &c. sed nata animi fortuna est ex sacra lectione. Ad litem benè Tertullianus, *Spado* (inquit) *non inuentus est otiosus, nec qui subitò tingi concupisceret, sed Scripturæ diuinæ impressus*, &c, Hac scilicet mente viam sibi fecit ad Christi fidem, Tertulliano teste. *Sic oportebat deprehendi, cui vltrò Deus Apostolum miserat*, &c. Magistrum intelligas disciplinæ Apostolicæ *ad lib. de Baptis. c.* 18. Legebat Præfectus sacrum textum, nec intelligebat, sed piè affectus ad lectionem, libro inter manus versato, fidem capit, & salutem parat. Tanta sacræ lectionis virtus est, ad mores sanctè poliendos: nec aliud ex Iudithæ libro Deus emolumentum curasse visus est. Bene habet. Sed cur transcriptus lingua varia liber est? Fortasse, vt Iudithæ virtus maxima latè pateret, fructúmque lectionis plures caperent nationes hominum. Vnde colligo

Magistrum parat Deum sacra lectio,

Virtus studiosum quærit hominem.

PARÆNET. II.

Deum multis se hominibus magistrum velle.

1. SCio extructum Gordiano tumulum, elogio subscripto Hebraïcè, Græcè, Latinè, Persicè. *vt ab omnibus legeretur*, &c. quod tradit Capitolinus. Ac si Gordiani virtutes laterent quodammodo, nisi lingua varia darentur in lucem publicam. Nec affectu alio inscriptum in cruce elogium Seruatoris Opt. & Max. Apertè id Ioannes habet cap. 19. n. 21. *Scriptum* (inquit) *Hebraïcè, Græcè, & Latinè*, &c. Lego quid Rupertus in loco aduerterit, Diabolum scilicet tribus linguis appellatum esse *Apoc. 9. num.* 11. vbi ille, *Hebraïcè Abaddon: Græcè autem Apollyon, Latinè nomen habens, exterminans*, &c. Vnus est significatus voce non vna; sed ne quis nesciret artes, & vires Dæmonis infestissimi. Quare opus erat, vt & virtus Seruatoris Optimi tribus item linguis explicaretur. Rupertus benè lib. 5. in Apoc. *Illum malum, istum bonum gentibus omnibus agnoscendum prædicat*, &c. Eò enim spectat facultas linguæ variæ, vt res qualescunque diffundantur latè. Quod à Deo procuratum puto, cùm Dæmon æquè, ac Seruator appellaretur Hebraicè, Græcè, & Latinè. Vnde Pilatus, vt excusaret se se de nece quam inuitus Christo intulerat, elogium inscribit lingua triplici. *Ne quis excusationem ignoraret*, &c. teste Chrysostomo *Homil.* 38. *in Ioan.* Neque enim fas erat, vt vel Pilati dolor, vel Christi amor vna tantùm lingua clauderetur. Quocumque tamen locum verto, illud colligo, rem benè gestam lingua varia patere latè, & latè prodesse. Quò pertinet loquendi facultas varia Apostolis data ad miraculum vsque, *Act. 2. num.* 9. vbi Parthi, Medi, Cretes, & Arabes, Græci, & Latini buccinantur, n. 11. *Audiuimus eos loquentes nostris linguis*, &c. scilicet multis hominibus Magistros esse Apostolos voluit Magister Dominus, Bernardo auctore, serm. 1. de Pentec. *Ad quid illis* (inquit) *necessaria linguæ Gentium, nisi ad conuersionem Gentium?* &c. Facta igitur Apostolis potestas loquendi lingua varia: *Ne si in vnam linguam solum prædicatio veritatis includeretur, inefficax, & inutilis hominibus diuersæ linguæ maneret*, &c. sic Nyssenus. Suam Christus gratiam latè excursare voluit in orbem vniuersum, cùm vel Philosophus, teste Seneca, *non vnius tantùm vrbis mœnibus se claudat, sed in totius orbis commercium emittat*, &c. *de tranquil. c.* 3.

Patere magna virtus non potest nisi lingua varia.

Apoc. cap. 9. n. 11.

Magna Diaboli improbitas, nisi multis linguis, non explicatur: cui magna Christi bonitas.

Act. c. 2. n. 9.

Multis hominibus magister esse Deus amat.

2. Iam pridem hanc Deus Opt. dedit operam, vt sacrum Instrumentum versionibus plurimis pateret, ne quid inde bonæ mentis non conciperent Gentes variæ, etsi locis infinitæ. Et quidem Clemens Alex. docet sacrarum literarum codices ex Hebræis tabulis Græcè transcriptos esse Ptolemæi cura, & studio: *vt nullum vnquam ignorantiæ prætextum afferre possint, cùm possint, quæ sunt apud nos, audire*, &c. 1. *strom. cap.* 4. Obstruere aditus omnes voluit Deus Opt. ne quis ignorans peccaret. Sed à Philone id excepit Clemens Alex. cùm Philo interpretum solemnes preces in transcribendis libris fuisse memorat. *Vt si non totum hominum genus, certè pars maxima instrueretur ad benè viuendum præceptis sanctissimis, & sapientissimis*, &c. *lib. 2. de Moyse.* Hæc Philo de versione Græca; de qua & Chrysostomus Homil. 4. in Genes. *Factum est*, inquit, *hoc diuinæ dispensationis opus, vt non solùm Hebraïcæ linguæ periti homines, sed omnes totum orbem inhabitant, vtilitatem perciperent*, &c. quæ quidem vna Deo cura est de salute humani generis. Addit Augustinus Græcum textum latinitate donatum, *vt Scriptura diuina, ab vna lingua profecta, quæ opportunè potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas, longè latéque diffusa innotesceret gentibus ad salutem*, &c. *lib. 2. de doctr. Christian. c.* 1. Eo aspectu loquitur Augustinus, quo docuerat *lib.* 9. *de Ciuit. c.* 7. Romanos Senatores, & Romanum iugum, & Romanam linguam domitis nationibus intulisse. quod à Valerio Maximo potuit exscribere *lib. 2. c.* 1. Vnde factum, vt vel Gentes barbaræ Magistros latinè locutos, & libros latinè conscriptos intelligerent studio facili. Versio igitur sacrarum literarum, siue Græcè, siue Latinè concinnata, eò tendebat, vt Gentibus vniuersis via vitæ sanctæ pateret facilè. Et verò facilis ad morum disciplinam via est, quæ suo quamque gentem sermone mulcere norit.

Volunt boni viri prodesse viris plurimis.

Qua loquendi vi docet Naso vel Getam sibi coniunctum fuisse. Musam cape ex 4. Pont. Eleg. 13.

—*Scripsi Getico sermone libellum,*
Et placui, &c.

Adeò afficiuntur homines ad linguam patriam. Parare sibi Paulus amorem voluit Gentis Iudaïcæ, vt ad Christi fidem pelliceret: quid agit? & scribit, & loquitur Hebraïcè. Quòd epistolam

lam Magister dederit Hebraicis literis, volunt Euseb. *lib.* 3. *Hist. c.* 3. Nicephor. *lib.* 2. *c.* 42. Hier. *Epist.* 129. Theodoret. Ans. & plures alij. Quòd verba fecerit Hebraicè, patet ex Actis *cap.* 21. *num.* 40. vbi textus, *Allocutus est lingua Hebræa*, &c. In locum bene Chrysostom. Hom. 49 *Vide quàm prudenter, & quod in epistola fecit, & hìc facit. Primum, vocis cognatione illos allicit*, &c. Nouerat Magister Opt. quàm gratus hominibus sonus est linguæ patriæ. Quo merito nec P. Crassus curam suscepit Asiaticæ Prouinciæ, nisi Græcam priùs linguam calleret, qua ius suum Græcis daret populis. *Quæ res*, (Valerio teste,) *maximum illi sociorum amorem conciliauit*, &c. *lib.* 8. *cap.* 7. Amicum sibi hominem, qui lingua loquitur patria, credunt homines; ac proinde obsequuntur facilè. Quid si Magister Dom. vt Paulum furore perditum sedaret, allicerétque ad sanam fidem, & sanam mentem, vrget hominem Hebræo sermone? *Audiui* (inquit) *vocem loquentem mihi Hebraica lingua*, &c. Act. 26. num. 14. Sciebat trahi quemque hominem sono dulci vocis patriæ; quare Themistocles priusquam Xerxem adiret, Regem Maiestatis Persicæ loqui Persicè didicit, (Valerio Auctore,) *vt Regis auribus familiarem adhiberet vocis sonum*, &c. lib. 18. cap. 7. Hac via Persam Græcus palpare voluit, & Regis amicitiam impetrare.

Act. c. 21. n. 40.

Via est ad captandum auditorē lingua patria.

Act. 26. n. 14.

3.

Fidem ab Hebræo hoste aduersùs Assyrium conatus est Rabsaces extorquere: quare Iudaicè loquitur, qui Syriacè loqui poterat. De Isaiæ textu est cap. 36. n. 13. *Clamauit Iudaicè*, &c. Cur Hebraicè loquitur Syrus homo? tradit id Nazianzenus Theologus: *vt lingua patria Hebræos liniret homines, suumque ad Regem traheret*, orat. 3. *Nam cum ille* (inquit) *nec vi, nec armis Hierosolymam expugnare posset, verbis lenibus, ac lingua vernacula ciues allicere, ac sibi conciliare aggressus est*, &c. Inspexerunt Senatores Rabsacis mentem, & artem in loquendo, rogant obnixè, n. 11. *Loquere Syriaca lingua*, &c. quam minus callebat populus. Cur ita precentur, docet iterum Theologus, orat. citat. *quòd scilicet periculum esset, ne orationis suauitate in seruitutem furtim inducerentur*, &c. tanta in lingua patria vis est ad captandos hominum animos. Vnde Ignatij Sanctissimi lege sancitum est, vt nostri homines Gentium, quibuscum degerent, linguam discant patriam: quod scitè Nigronus persequitur ad Reg. 10. Cùm igitur Iudithæ librum lingua varia transcriptum lego, ea via consultum, & Iudithæ laudibus, & moribus humani generis, voluit Deus Opt. Addo feciſſe Auctorem libri Heliachimum sapientissimè, vnde elicio

Isa. c. 36. n. 13.

Vrget ad predi tionem lingua patria.

Parænet. III.

Historiam condere viri sapientis, & prouidentis esse.

1.

Prodest moribus historia rerum piè gestarum.

Heliachimo id cōsilij fuisse puto in Iudithæ vita describenda, tradere scilicet publicè virtutem muliebrem, quæ Hebræam gentem vrgeret ad viam sanctè viuendi. Ita consultum Romanis moribus voluit Valerius Max. totus in laudanda probitate magnorum hominum, qui honestate vixerant. *Vt eorum* (inquit) *re-spectu aliquid præsentibus prosit moribus*, &c. *lib* 2. *c.* 1. Enim verò eò tendunt virtutum monumenta publicè data, vt amores excitent probatæ disciplinæ. Nec Iosephus mente alia suam de sacra Historia curam suscepit. Nam, commemoratis, quæ ad scribendum mouere possunt, rationibus: *Multos* (inquit) *magnitudo rerum vtilium inuitauit, vt historiam ex his ad vtilitatem communem proferrent*, &c. *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 1. A Moyse id prouisum docet Philo, cùm sciret historiam à Vate conditam Patrum sanctissimorum ab Adamo ad Iacobum vsque: neque enim Moyses tacet pios affectus, castos mores, & cogitatus sanctos humanæ Gentis. *Quorū virtutes* (Philone teste) *publicatæ sunt in sacrarum literarum tabulis, non tantùm ad illorum laudem, verùm etiam ad prouocandos lectores in æmulationem*, &c. *ad lib. de Abrah.* Tanta vis est ad virtutem promouendam in Patrum laudatis moribus, animatisque vitæ legibus, vt eo iure velit Iobus scriptorem rerum sacrarum, cap. 19. n. 23. *Quis* (inquit) *mihi tribuat, vt scribantur sermones mei?* &c. Deinde addit, *& exarentur in libro*, &c. *n.* 24. Tandem marmoream exposcit tabulam. *Vel celte sculpantur in silice*, &c. Amor est ingens patientiæ inculcandæ, & fiduciæ explicandæ. Quo id iure Iobus voluerit, bene docet Laudunensis, *vt & aliis in exemplum innotescant*, &c. Verè Iobus, & sapiens, & hominum prouidens homo est; qui librum de suis rebus editum voluit, vt aliis prodesset hominibus. Scienter igitur, ac piè viri probatissimi se agere putauerunt, si curam susciperent de historia construenda rerum optimarum. quod monet Theodoretus *lib.* 1. *cap.* 1. *Histor. Ecclesiast.* Basilius *Epist.* 1.

Prudens, ac prouidens est scriptor historiarum.

Iob cap. 19. n. 23.

Vrgent ad patientiam viri patientes.

2.

Sed & Deus Opt. lapillos magni pretij deputauit insculpendis Patrum nominibus. Exod. 28. n. 21. *Singuli* (inquit) *lapides nominibus singulorum, per duodecim tribus*, &c. Hæc ad Moysen Dominus, & Pontifex hisce lapillis, & nominibus pectus adornaret, & humeros. Sed quò hæc cura pertinet de cælandis Patrum nominibus? Arnoldus optimè. *Vt videns populus Patrum nomina conscripta in veste Pontificia, eorum imitetur iustitiam; veniántque in memoriam fides Abrahæ, & eorum, qui de illis duodecim Patribus egressi sunt, Principum, vel Sacerdotum rectè facta, vel dicta*, &c. *tract. de sept. verb.* Erat enim ea nominum positio, & expositio, lectio quodammodo, & adhortatio ad virtutem sanctè colendam. Itaque vel Deus Opt. agit Historicum, vt prosit moribus hominum. Nam, & suo calamo leges scribit, silice exaratas. *Scriptas* (inquit) *digito Dei*, &c. *Exod.* 31. *n.* 18. Ita Deus egit, certus omnino legem scripto traditam prodesse plurimùm lectione vtili. Neque enim lege scripta scriptoris captabat gloriam; quæ non est modica.

Exod. cap. 28. n. 21.

Alliciunt ad virtutem Patrum facta.

Vel Deus scriptorem agit, vt prosit.

3.

Sume tibi librum grandem, &c. Vox Christi est ad Isaiam, cap. 8. n. 1. *& scribe in eo stylo hominis*, &c. Vatem gloriosè efferre voluit Magnus Deus; vrget ad scribendam historiam de fortuna Regum tristi: vnde populis bonum grande. *Vt moniti à peccatis cauerent*, &c. Oleastrio interprete, & historico non minor esset gloria de grandi libro. *Sume tibi librum*, &c. hoc est, Ruperto Auctore, *Esto vnus de consecretalibus verbi Dei*, &c. *lib.* 1. *in Isaiam, cap.* 34.

Isa. c. 8. n. 5.

Magnus henor scriptorem agere rerum sacrarum.

Adoptatúsque in scriptorum sacrum senatum, altè gaude: quis enim librum conficiat, & famam sibi publicam non paret; quam scriptores plerique ambire solent? Iosepho teste. *Ex hoc gloriam aucupantes ad partem accedunt huius disciplinæ*, &c. *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 1. Eam Ioannes à se non reiicit, etsi non quærat, cùm ad scribendum inuitatur. *Datus est mihi calamus, similis virgæ*, &c. *Apoc.* 11. *n.* 1. In calamo potestatem scribendæ historiæ agnoscit Rupertus, in virga facultatem regni administrandi, *lib.* 6. *in Apoc.* Vnde Ioannes, *Data est mihi* (inquit) *facultas scribendi, cum principatu, & omnimoda magisterij auctoritate*, &c. Neque enim scriptor de libro condendo curat, qui sibi non paret titulos honorarios. Vnde sua Heliachimo Iudithæ Historico laus est.

Apoc. cap. 11. n. 1.

DISQVISITIO III.

Quænam huiusce libri auctoritas, & cur prematur ab Hæreticis.

1. Ac de re bene Sanctius *Proleg.* 8. Serar. *Prolegom.* 4. Bellarmin. *lib.* 1. *de Verbo Dei, cap.* 12. Grethser. *lib.* 2. *Defens. c.* 12. Quamuis latrent Hæretici: cùm vel Hieronymus *epist.* 111. sed mente mutata, dixerit librum à Nicæna Synodo probatum canonicè. Addo Rupertum Hieronymi sectatorem *lib.* 12. *de diuinis Offic. c.* 25. Patres alios citat Serarius, qui suam libro auctoritatem dedere, cùm exponerent. Adiicio ego Tertull. *de Monogam. c.* 17. vbi Pamelius addit Innocent. I. *epist. ad Exuperant.* Appono Clementem Alex. 4. *Strom. c.* 6. Deinde Cyrillum Alex. *lib.* 7. *in Ioan. cap.* 20. qui Iuditham vocat animosam Holofernis obtruncatricem. Accedunt Peluſiotes *lib.* 1. *epist.* 87. Pet. Damian. *lib.* 1. *epist.* 20. *lib.* 7. *epist.* 18. *lib.* 8. *epist.* 14. Qui quidem Patres, & sanctissimi & literatissimi citatis libri huiusce locis, librum scitè probant: quidquid latrent canes Hæretici. Sed latrant, & librum vellunt, quo vrgentur ad viuendum sanctè. Vnde illud constat

PARÆNET. I.

Abnuere homines, quæ pungunt animos salutis monita.

SCriptura sacra mentis oculis, quasi quoddam speculum opponitur, docet Magnus Gregorius lib. 2. in Iob. cap. 1. *Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus*, &c. Non ferunt Hæretici, nec malè morati homines denotari suæ vitæ sordes speculo indice: dentes acuunt, quibus sacros libros vel denegant, vel demutilant imprudenter. Scio quos è sacris literis libros Hæretici ablegauerint. Alij enim Codices Euangelicos reiiciunt; quod aduertit Augustinus *lib.* 2. *Retract. cap.* 16. Alij Pauli epistolas abscinduntiquod notat Irenæus *lib.* 1. *aduersùs Hæres. cap.* 26. & 29. Alij Pentateuchum repudiant vniuersum: quod tradit Eusebius *lib.* 5. *Histor. cap. vlt.* Vide Pamel. ea de re ad Cyprian. *de vnitat. Ecclesiæ.* Cur id fecerint Hæretici, & sacros libros malè sustulerint, monet scitè Irenæus lib. 3. cap. 2. *Cùm ex Scripturis* (inquit) *arguuntur, in accusationem vertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate*, &c. Stimulos infigunt sacræ literæ; mirum non est, si velint Hæretici stimulos vellere, abrogata auctoritate sacrarum literarum. Certè Clemens Alex. cùm sciat abrogatas Hæreticis epistolas ad Timotheum, causam addit, loco suppositio. Textus est 1. *ad Timoth. cap.* 6. *num.* 20. & 21. quo notantur Hæretici de rerum nouitate, de sciendi tumore, de loquendi licentia. *Deuitans* (inquit) *profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ*, &c. Vident in loco speculum Hæretici, & suas in speculo sordes vident, tollunt speculum, sublatis epistolis. Ad rem Clemens Alex. *Cùm ab hac voce conuincantur Hæretici, epistolas abrogant*, &c. 2. *Strom. cap.* 5.

Quos non ferunt Hæretici negant sacros libros.

1. ad Timot. c. 6. n. 20. 21.

2. Sed cùm abrogare libros non possunt, impudenter demutilant. Dolet id Cyprianus grauiter *ad lib. de vnit. Eccles.* & notat proteruitatem hæreticam in Scripturis mutilandis. Probare volunt homines perditi fidem sibi adhibendam esse, cùm bene conueniant assensu facili. Et sacrum textum subiiciunt Matthæi 18. n. 19. *Si duo ex vobis consenserint super terram*, &c. supprimunt, quod subsequitur num. 20. *Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo*, &c. sed textum malè truncant, vtpotè qui dissensionem schismaticam amolitur. Nec mirum id est, Cypriano teste, *Corruptores Euangelij, atque interpretes falsi extrema ponunt, superiora prætereunt, partis memores, & partem subdolè comprimentes; vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita huius capituli sententiam scindunt*, &c. Nihil Cyprianus in loco voluit probare aliud, quàm proteruitatem hæreticam in sacrarum literarum speculo tollendo, ne suos errores videant. Sed hausit doctrinam à Magistro Tertulliano *ad lib. de Præscript. cap.* 17. vbi Magister: *Ista* (inquit) *hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adiectionibus, & detractionibus, ad dispositionem instituti sui, interuertit*, &c. Quid inde mali, Tertulliane optime? subdit Magister: *Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptus stylus*, &c. Iam pridem id senserat Petrus, & fleuerat, *epist.* 2. *c.* 3. *n.* 16. cùm de literis Apostolicis ageret. *Quæ* (inquit) *indocti, & instabiles depranant, sicut & cæteras scripturas*, &c. Ac si vellet; malè abeant blaterones hæretici, qui sacros audent libros vitiare, detractis, vel additis particulis. Vide Lorinum *in loco.* Pergit Tertullianus vltrà, & rogat: Quid Marcion literis Apostolicis manus infert? & causam addit. Erat in textu ad Thessalonicenses 2. cap. 1. n. 7. *In reuelatione Domini, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum*, &c. sed cùm Marcion vellet probare Christum à creatore vindice alium esse, ne cogeretur dare Christo potestatem iniuriæ vlciscendæ, textum corrumpit, igne deleto. sic Tertullianus. *Flammam* (inquit) *& ignem delendo Hæreticus extinxit, ne scilicet nostratem Deum faceret*, &c. *lib.* 5. *contra Marcion. cap.* 16. Ita Hæretici manus inferunt sacris literis, quibus longè truditur hæresis, vel textu corrupto, vel stylo pseudographo. Morem tamen à Patre Diabolo cõcepere. quod probat Athanasius *de Ariana hæresi. Or.* 2.

Demutilat hæreticus sacrum librum ne refellatur.

Matth. c. 18. n. 19.

Constat mendacium additio, ac detractio rebus.

2. ad Thessalon. cap. 1. n. 7.

Solemne

3. Solemne Diabolo vitium est, sacras literas vitiare, vt suum Hæretico flagitium est sacros libros demutilare malignè. Christum Dominum malus Dæmon adit, & tentat ea voce. *Mitte te*, &c. *Matth. 4. n. 6.* sed voces addit è sacro textu *scriptum est enim*, Ps. 90. n. 11. *Quia Angelis suis mandauit de te*, &c. Bene Dæmon, & acutè: sed audi acutiùs; cur textum abscondis? cur non addis, quod in proximo est: *super aspidem, & basiliscum ambulabis*, &c. n. 13. Times fortasse, ne mutato nomine de te fabula narretur. Visum id Chrysostomo est tom. 5. Hom. aduers. Hæretic. *Cætera quæ sequũntur, obticet; sciebat enim, quòd aduersum se dicta erant*, &c. Illudque Chrysostomus infert abhorrere, vel Dæmones ab iis, quæ pungunt, literis, & sacrum textum vel supprimere, vel expungere. In hac sententia Bernardus est, eandemque Diabolo mouet litem. Nam cùm Dæmon vrgeret ad casum infelicem, textu addito, & malignè interpretato: *Angelis suis mandauit de te*, &c. malè suppressit, quod subsequitur, *vt custodiant te in omnibus viis tuis*, &c. De via tacet Dæmon, fortasse ne de præcipitio admoneretur Christus Dominus. *Videte* (sic Bernardus) *quomodo subticuit malignus, & fraudulentus, quod malignitatis suæ commenta dissolueret*, &c. *serm. 18. in Ps.* 90. Nec Arius à Diabolo alius est; Scripturam de Christo capit Hæreticus. *Pater maior me est*, &c. Ioan. 14. n. 28. & serm. de Christo, vt homo est. Sed inde probat Arius Filium, vt Deum, à Patre factum, maligna interprteatione: & merum Hæretico silentium est, de textu, quo premitur hæresis, n. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est*, &c. Vnde Chrysostomus, *O Ari* (inquit) *quid obtices? imitaris Diabolum præceptorem, sic vbi causæ tuæ seruit*, &c. *Hom. citata.* Addit Abulensis *ad Deut. 4. q 2.* truncatum ab Hæreticis textum esse. *Quia contra eorum errorem militabat*, &c. Malè igitur, ac malignè agunt Hæretici, cùm sacros libros deprauant, ne quod acerbè pungit, in oculis habeant. Verè mutes Pontici, qui non viuunt, nisi rodant. Vnde Tertulliano iocus aduersùs Marcionem lib. 1. cap. 1. *Quis tam comesor mus Ponticus, quàm qui Euangelia corrosit*, &c. Hac mente Iudithæ librum è sacris libris abigunt Hæretici, ne pungantur virtute muliebri infames homines. Vellem vt à morbo hæretico longè abessent Concionatores ineptissimi: sed textum sacrum deprauare solent, vel fictis versionibus, vel ineptis interpretationibus; vnde patet

Obticet mendax, quæ refutant mendacium.

Abradit Hæreticus malignè quæ premũt haresim.

PARÆNET. II.

Ineptè, & iniquè agere Concionatores, qui sacros textus malè proferunt ad plausus inanes.

1. GRande malum nostro æuo natum est. Scio enim quàm multos huiusce notæ homines esse, qui sacrum Instrumentum fide integra non proferunt, sed addita versione, vel sensu alieno, suam vt scenam adornent, & plausus emant inanes ab imperita plebecula: nec metus est ineptis hominibus. *Deprauare sententias, & ad suam voluntatem Scripturam trahere, repugnantem*, &c. quod Hieronymus acerbè dolet epist. 103. Hinc ille Nazianzeno dolor Orat. 38. *Literam deprædantes, ac Scripturæ sensum suffurantes, imperitũ vulgus ad suas trahũt partes*, &c. Quæris fortasse à quo nam senatu, Hæretico ne, an Iudaico eam loquendi licentiam acceperint inepti Concionatores? Credo ab vtroque senatu morbum contractum. Dictum proximè de Hæretico; sed priores sibi partes Iudæus vendicat: suo enim, & malo genio solet sacros textus adulterare, parte adempta, vt malignè tegat, quod non vult admittere. Hoc metu Dauid precatur non semel. *Ne disperdas, Dauid, in tituli inscriptionem*, &c. Ps. 56. & iterum *Ps. proximo.* Deinde *Ps.* 58. addit Lyristes, *Ne disperdas, Dauid, in tituli inscriptionem*, &c. Hæbraicè vox est, מכתם *Michtham*, & sonat canticum. Tandem *Ps.* 74. lemma est: *In finem, ne corumpas*, &c. scio cur tam multæ preces, ne dulces cantiones corrumpantur: id enim votum vno Vates verbo claudit. *Ne disperdas. Suaue, siue decens canticum*, &c. Ex Hebræa schola. Timebat Dauid suis cantionibus manum Iudaicam; & qua sacræ literæ malè distractæ: ac proinde bene pestem deprecatur à suo libro. *Ne disperdas*, (inquit) *ne corrumpas*, &c. sed volant preces inanes. Adhuc enim suam Iudæus manum infert sacris literis.

Ps. 56. & Ps. 58.

Ps. 74.

Corrumpi sacrum textum furor est prauitatis Iudaicæ.

2. Mitto loca multa, & quæ Salmer. *Prolegom. 4.* Lorinus *in Prolegom. Bibliac. c. 2. q. 2.* congessere, furore scilicet Iudaico decisa, vel corrupta; ad ea me confero quæ ex Psalmis aggerunt. Nam *Psal. 18. n. 1.* textus est. *In omnem terram exiuit sonus eorum*, &c. Sed nebulones pessimè, pro Hebræa voce, קולם *Quolam*, hoc est *sonus*, reposuere, קום *Quauam*. Quod est *filius*, siue *funiculus*. Deinde *Ps. 21. n. 18.* vbi Dauid habet: *Foderunt manus meas*, &c. textum peruerterunt, versis literalis. Quid plura? *Ps. 95. n. 10.* textus erat, *Dominus regnauit à ligno*, &c. Quod habet Tertul. aduersùs Iudæos *cap. 10. & lib. 3. contra Marcionem cap. 20.* Cyprianus *serm. de Sina & Sion.* Leo *serm. 4. de Passione*, hominesque alij. Sed & Iustinus aduersùs Thyphon, cùm Archisynagogo obiiceret corruptam multis locis Scripturam, probat versum malignè truncatum esse; nebulones enim perditi de textu ita lignum exciderunt, vt nudè, ac dolosè ponerent, *Dominus regnauit*, &c. Cùm locus textu Græco habeat ἀπὸ ξύλου. Cur lignum è loco eraserit Hebræus furor, bene obtrudit Iudæo Græcus Philosophus. Iudæos scilicet Principes obscurare voluisse, & nouitatem sui sceleris, & virtutem crucis Dominicæ: idque noto in Christum odio. *Expedire se* (inquit) *non valentes ab his angustiis, vertuntur ad conuitia*, &c. manu in sacros textus inuecta. Iam pridem à Christo nato natus Iudæis Sacerdotibus dolus iste, vt Herodem facerent sibi facilem. Senatum cogit Leuiticum vulpes Herodes. Magis id volentibus & petentibus: Senatores deinde rogat, *vbi Christus nasceretur*, &c. Matth. 2. n. 8. sed cùm scirent Senatores Herodem metu perditum, Rege terrarum alio appellitato; textum proferunt de oppidulo patrio. *Et tu Bethlehem*, &c. ex Mich. 5. n. 2. partem mutilant, quæ de Christo Deo agit. *Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis*, &c. Sic homines in adulationem compositi, dum Regem captare volunt, sacrum textum malè truncant, teste Chrysostomo, *vt ad humanæ gloriæ lucrum, diuinitatis*

Ps. 18. n. 1.

Ps. 21. n. 18.

Ps. 95. n. 10.

A Cruce Christi regnum.

Grande scelus Christum cruce premere.

Matth. c. 5. n. 2.

Mich. cap. 5. n. 6.

Mentitur & fallit adulator.

Sceleus est vitiari sacros libros ab ineptis oratore.

Ioan. cap. 14. n. 28.

nitatis damna proficerent, &c. *Hom.* 7. Neque enim sacris literis, nec Deo parcunt assentatores, modò placeant hominibus.

3. Improbè admodum faciunt homines, cùm sacrum textum mutilant, vetante Deo, Deut. 4. num. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, &c. *& cap. 12. n. 32.* tonat iterum. *Nec addas quidquam, nec minuas*, &c. propè insinuans, lege repetita, metum sibi esse, ne scioli nimium homines, acutè se agere putarent, si quid sacris literis adderent, si quid demerent; scilicet quod sanum à textu sensum truderet: ex Lyra, & D. Thoma 3. *p. q. 60. art. 8. ad 1.* Nullus tamen hisce hominibus metus de textu deprauando. Adhuc enim Hieremias dolenter queritur vim sacris literis factam esse, cap. 8. num. 8. *Verè* (inquit) *mendacium operatus est stylus mendax scribarum*, &c. Eant igitur audaces animo, & cerebro infelices homines, sacros inuertant libros, versionibus liberè additis, quæ nusquam fuerint, siue sensu malè vitiato; vt plausus sibi venentur inanes. Nec Tertullianum Magistrum accipiant, cùm moneat Scorp. cap. 7. *Verba non sono solo sapiunt, sed & sensu*, &c. Nec Pauli morsus timeant, cùm discipulum deterreat ab hisce ineptiis dicendi 1. ad Timoth. *cap.* 4. num. 7. *Ineptas, & aniles fabulas deuita*, &c. Theodoreto Magistro. *Falsam legis interpretationem*, &c. Et verò proferre sacrum textum sensu inepto, fabulam concinnare est: & Plauto, non Paulo seruire, scenámque adornare, pro affectu quo quisque flagrat.

Deut. 4. q. 4. cap. 12. n. 32.

Ierem. c. 8. n. 8. *Audax est qui textu corrupto plausus quærit.*

1. ad Tim. c. 4. n. 7.

4. Malo hoc genio vani olim Oratores, quidquid animo conciperent, vt oraculum obtrudebant in aures hominum, verumque Oraculum torquebant sensu alieno. Erat oraculum seuerè minax. *Onus, quod vidit Habacuc*, &c. *c. 1. n. 1.* & quo gens Hebræa durè petenda. Erat deinde, *Onus verbi Domini*, &c. quo Malachias tenebat Principes *cap. 1. n. 1.* sed quia vox Hebræa משא *Massah*, à verbo נשא *Nassah*, quod est *porto, & accipio, vel onus sonat, vel acceptionem*: Oratores scioli textum, quò volebant, non quò Deus vellet, malè detorquebant. Vnde Hieremiæ occasio dolendi. *Vident assumptiones falsas, & eiectiones*, &c. 2. *Thren. n. 14.* Id verò est quidquid lubet, audaces effutiunt: quod est onus, pro affectu honorem dicunt: & quod est acceptio honoraria, pro arbitrio onus obnuntiant; vtrumque pro lubentia, scitè Paschasius. *Eiectiones falsas, & lauigationes, quasi ex diuina auctoritate, faciunt peccantibus*, &c. Nam cùm affectum sequantur in dicendo, sensum Oraculi malè peruertunt. Scelus non modò Iudaicum, sed & Diabolicum, Scripturam sacram aliò trahere, quàm textus ferat. Christum Dæmon vrget ad præcipitium, & textum citat: *Scriptum est, quia Angelis suis mandauit de te*, &c. *Matth. 4. n. 6.* ex *Psal. 90. num. 11.* malignè Dæmon admodum. Nam textus auxilium quidem promittit periclitantibus, non tamen se præcipitantibus, quod malus Dæmon volebat. Ad rem scitè Chrysostomus Hom. 13. *Quæ à Domino* (inquit) *prolata sunt, satis aptè vtique prolata; quæ verò à Diabolo vsurpata, ineptè admodum, ac prorsus incongruè*, &c. Hoc flagitio insignes homines, qui sacros libros explicant temerè, metu excusso, quo Synodus Trident. *sess. 4.* vitat ausus temerarios Scripturæ interpretandæ: & quidem si decretum lentè prematur, errant grauiter Concionatores, qui multa dicunt sensu alieno; textúque sacro abutuntur ad plausus inanes. quos ego homines vellem punitos esse censura lata in falsarios literarum Apostolicarum; apud Toler. *lib. 1. cap. 22.* Suar. *de censur. disp. 21. sect. 2.* Sayr. *lib. 3. cap. 10. num. 11.* Neque enim grauiter literis Apostolicis fit iniuria, si quis punctum raserit, vel apicem addiderit, sensu vitiato: quàm fiat sacris literis, si quis textum corrumpat sensu vitiato, siue distorto. Auctores sententiæ Bellarm. *lib. 2. de effect. Sacram. cap. 32. §. 9. argument.* Azor *p. 1. lib. 8. cap. 2. q. 2. & 3. &* 4. D. Thom. 3. *part. q. 60. art. 8. ad 1.* Abulens. *ad cap. 4. Deut. q. 2.* Canisius *in Cateches. cap. 10.*

Matth. c. 4. n. 6. *Diaboli est deprauare sacros libros.*

Peccant grauiter Concionatores, qui sacro textu abutuntur ad plausus inanes.

5. Longè aliter Patres sanctissimi; quibus vel simplex apex de sacro textu, multa erat religio, multa pietas. Multus erat Nazianzenus in minutiis perscrutandis sacrarum literarum, ne quid piæ mentis fineret effluere. Orat. 1. *Ij*, (inquit) *sumus, qui spiritus synceritatem, vel vsque ad leuem apicem, & lineam trahimus*, &c. Quòd si Theologus religiosè adeò sacros textus tractabat, quo vultu raderet apicem, vitiaret literam? Nosti Hieronymum, & Græcos interpretes, quàm multis locis verba Hebraïcè reposuisse, nec exposuisse Græcè, nec Latinè. Persæpe lego, *Alleluia*, Ps. 111. Apoc. 19. num. 1. semel, *Hosanna*, Matth. 21. num. 9. non semel *Sabaoth*, Hierem. 11. num. 20. ad Rom. cap. 9. num. 29. Tandem lego: *Anathema maranatha*, 1. ad Corinth. 16. num. 13. Non vertuntur latinè dictiones huiusmodi, sed Hebræo efferuntur sono. *Ne verbis incongruis sententiam dissoluerent*, &c. Quæ Basilio mens est *lib. 2. aduers. Eunom.* egere sanctè interpretes, ne quid de sententia intima demutarent, si dictiones latinæ, vel Græcæ Hebraicis non responderent: tantus de sactis literis metus erat, ne dum verterent, textum peruerterent. Obseruat Theodoret. eos Psalmos sine titulo esse apud Græcos interpretes, quos Hebraici codices ediderant sine titulo. quales 1. 2. 32. & alij. Metu id concepto religiosè fecerunt seniores interpretes, *Non audentes à se ipsis aliquid addere verbis Spiritus sancti*, &c. Quid mutarent, quid mutilarent homines, metu contracto? sciebant Theopompum vixisse mente emota grauiter, cùm sacram Scripturam vellet Græcis literis donare profanus homo: Theodectum oculis captum miserè, cùm fabulam sacris literis vellet adornare vanus poëtes: quod monet Demetrius apud Iosephum *lib. 12. Antiquit. cap. 2.* & audent adhuc Concionatores inepti sacros textus deprauare inepta interpretatione?

Ab vna vocula sacrarum literarum trahenda pietas.

Ps. 111. Apoc. c. 19. n. 1. Matth. c. 21. n. 9. Ierem. c. 11. n. 20. Ad Rom. c. 9. n. 29. 1. ad Cor. c. 16. n. 13.

Sacra pagina religiosè tractanda.

6. Alit hoc grande malum turba Concionatorum, qui de sacro textu malè meriti, aures populi mulcere volunt, & frequens auditorium captare: ac proinde, teste Hieronymo, *Nec scire dignantur, quid Apostoli, quid Prophetæ senserint*, &c. *epistol. 103. ad Pammach.* Mordet Apostolus hosce homines argutiarum amantes; scilicet, *Prurientes auribus*, &c. 2. *ad Timoth. 4. n. 3.* quos ab auditore collectos acerbatim notat. *Coacernabunt sibi magistros*, &c.

2. ad Tim. c. 4. n. 3.

Athanasio

Rarum quod pulchrum est.

Athanasio interprete, *Temerariam, & inconsultam magistrorum turbam*, &c. Quid verò dicant, nisi temerè, homines temerè, & sine delectu collecti? Nam, auctore Seneca, *Argumentum pessimi, turba est*, &c. *de Vita Beat.* 2. Videas ineptos homines sacros libros, ne de vestibulo quidem salutare. Sed cùm malè scriptas habeant conciones alieni cerebri, ire, ac redire suffarcinatos onere papyraceo, nullo alio merito Concionatores, quàm sono magno tubæ corneæ, ceruice torosa, & pingui aqualiculo: nec, quid sacris de rostris dixerint, certò scire, sed meros Pittacos reddere suum chaire.

7. Alia Concionatoribus terenda erat via, danda scilicet opera sacris literis, ne textum malè trudant ad sensus ineptos, damno veritatis. Peccat enim grauiter, si quis putat sine magistro, ac sine libro posse se magistrum agere. Voluit Angelus Ioannē à cōcionibus esse apud Gentes, ac Reges Asiæ vniuersæ, Apoc. 10. n. 11. *Oportet te iterum prophetare*, &c. Prius tamen, quàm magistrum mittat ad conciones, monet seriò n. 9. *Accipe librum, & deuora illum*, &c. Planè docens deuorandos Concionatoribus libros esse, qui velint aptè, & ornatè ad Conciones prodire. Quid enim est librum Apostolis dare, & Prophetis deuorandum? cùm sit apud Ezechielem cap. 3. n. 1. *Comede volumen illud*, &c. Rupertus optimè. *Id est idoneos face e ad prædicandum Euangelium*, &c. *lib. 6. in Apoc.* Sed & somno indulgendum non est causa parandæ sapientiæ, quo Isaias studio flagrabat. Magistrum se populis datum Vates docet cap. 50. *vt sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo*, &c. Verùm ne quis nesciret, vnde Magister tantam loquendi vim parasset, addit n. 4. *Erigit manè, manè erigit mihi aurē*, &c. Scitè Prophetes docet auditorem se prius, quàm magistrum egisse, ne doceret, quod non diceret. Deinde subdit, somno se ad vigilias ante lucanas excussum esse, vt sacris vocibus aures daret; *Erigit manè, manè erigit mihi aurē*, &c. Quæ quidē vox laudat bene curam propheticam, & segnes somno mordet auditores, Hugone teste. *Manè dicit, propter scholares dormientes*, &c. Neque enim quis bene scire potest, qui somno deditus, nec magistros audit, nec libros legit. Exemplo sit magister ille, qui ad lucernam visus est librum explicare ac perlegere; vt lucernam olerent interpretationes. *Vidi* (sic Ioannes) *in dextera sedentis super thronum librum apertum*, &c. *Apoc. 5. n. 1.* Ecce tibi magister est de suggestu disserens. Sed quo lucernarum apparatu sedes affulget? textus iterum cap. 4. n. 5. *& septem lampades ardentes ante thronum*, &c. scilicet totus in libro explicando magister erat: & vt bene procederet interpretatio, ea noctes cura terebat, quæ & Cleanthis lucernam vinceret. Hæc magistri optimi, & Concionatoris maximi virtus est: qui enim magistros adit, & libros legit somno excusso, sacros textus non trahit ad plausus inanes.

Apoc. 10. n. 11.

Ezech. cap. 3. n. 1.

Nemo bene docet, qui non bene discat.

Isa. cap. 50. num. 4.

Oleant lucernam conciones aquè ac interpretationes.

Apoc. 4. n. 5.

DISQVISITIO IV.

Quinam Reges Arphaxadus, & Nabuchodonosor, & quare hostes?

1. DE Arphaxado multi multa dixere. Qui magis placet, Deioces est, apud Herodot. *lib.* 1. siue Diocles apud Bellarminum *de Verbo Dei, cap.* 12. siue Arbactus apud Iustin. *lib.* 1. siue Arbaces apud Diodor. *lib.* 3. *c.* 7. sono tamen pinguiori, Arphaxadus; nomen sortitus ab Arbace Sardanapali hoste, & peste. Nec id nouum, appellari Principes ab vno Regni auctore, scilicet, ab vno Pharaone, Pharaones apud Rhodigin. *lib.* 16. *cap.* 13. ab vno Cæsare, Cæsares apud Iustin. *lib.* 41. ab vno Arsace, Arsaces, apud Strabon. *lib.* 15. Conueniunt in Deiocem istum notæ omnes de Arphaxado: nam & Medus Princeps est, & vrbem extruxit, & Gentes vi subegit: de quibus Herodot. Diodor. & Iustin. *locis citatis.* Conuenit & Regni tempus, quod in Manassæ Regnum cadit. Serar. *q.* 5. nec apertè ait, nec apertè negat Deiocem Arphaxadum esse; & sub hac nebula minus placet. In hoc tamen placito est Gordon. *Period.* 5. Salian. *tom.* 4. *anno Manass.* 8. *n.* 2. Tirin. *in Chronic. cap.* 33. Bellarm. *loco citato.* Salmer. *tom.* 16. *epist. ad Hosium.* Qui quidem Arphaxadus, post Senacheribi fugam, & cladem, pro Rege se habuit, & ex Magistratu regnum constituit. Sed de Rege Medo minus est dubium.

Arphaxadus videtur Deioces.

2. De Rege Assyrio altè dubitant, & pugnant viri boni. qui Iuditham reuocant ad Manasse regnum: & rectè vident, statuunt Nabuchdonosorem in loco, Merodachum esse, ita Bellar. *loco citato*, Gordon. *Period.* 5. *cap.* 10. *n.* 33. Salian. *tom.* 4. *anno Manass.* 7. *n.* 9. Tirin. *in Chronic. cap.* 33. *&* 34. Genebr. *lib.* 2. *Chronograph.* Ans. Laudun. *ad* 4. *Reg. cap.* 20. *n.* 12. *ad Isa. cap.* 39. *num.* 1. Qui quidem Auctores Merodachum Babylonium volunt, & probant Nabuchdonosorem Assyrium esse. Opponit Serar. *quæst.* 3. Merodachum Babylonium sub Asarhaddone Assyrio regnasse: patet ex 4. *Reg.* 19. *num.* 37. ex *cap.* 20. *num.* 12. ex *Isa. cap.* 37. *num.* 38. *& cap.* 39. *num.* 1. Fateor; sed attrito Asarhaddone post necem patris, & fratrum dolos, inuolat in Niniuen Babylonius manu collecta sceptrum iam Assyrium animo deuorans. Placet responsio Genebr. Bellarm. Gordon. Salian. & Tirin. *locis citatis.* Sed vrget adhuc Serar. Nemo tradit Assyrium Regem à Duce Babylonio, & Rege vectigali detritum esse, vt Merodachus, & Babylonius, & Assyrius appelletur. Si Iosephum Serar. legeret *lib.* 10. *Antiquit. cap.* 3. ibi, *Princeps Babylonius turbatam ciuili bello Niniuen occupat, Ezechia iam sanato. Per hæc* (inquit) *ferme tempora imperium Assyrium per Medos solutum est*, &c. interpretor cum Saliano; per Babylonios à Medis adiutatos: & quadrat interpretatio ex *cap.* 6. vbi Iosephus addit venisse Ægyptium milite collecto aduersùs Medos, & Babylonios. *Qui Imperium* (inquit) *Assyrium euerterant*, &c. Addo & Theodoretum Iosepho similem, *in prologo ad Nahum.* Agit ille de Sennacheribo fugato, & necato. *At non multo pòst* (inquit) *regno Babylonem translato, hoc Regum genus deletum est*, &c. Placet id Lyrano *ad* 2. *Paralipom. cap.* 33. *n.* 11. Nec Theodoreto sermo est de Niniuæ ruina vltima per Chaldæum Regem, sed de tristi regni fortuna per Merodachum Babylonium.

Nabuchdonosor verò Merodachus est.

4 Reg. c. 20. n. 12. Isa. cap. 39. n. 1.

4. Reg. 19. n. 37. cap. 20. n. 12. Isa. c. 37. num. 38. cap. 39. n. 1.

3. Occurrit iterum Serar. Merodachum, modò Nabuchdonosorem, modò Babylonium, modò Assyrium esse non posse. Stimulus est, sed

ſed vello ſtimulum. Nabuchodonoſor, nomenclatura eſt Imperatoria : quod probant Pharaones, Cæſares, Arſaces ex Rhodig. Iuſtin. & Strabon. Babylonius, eſt à regno hæreditario, Aſsyrius, à ſceptro occupato. Neque id nouum eſt, Reges, ac Duces pleroſque ab hoſte victo cognomentum capere. Vnde Metelli Cretici, Druſi Germanici, Seruilij Iſaurici, Bruti Callaici, & Scipiones Africani : placet illud Africani reſponſum in ſenatu. *Cùm Africam* (inquit) *totam poteſtati veſtræ ſubiecerim, nihil ex ea, quod meum diceretur, præter cognomen, retuli*, &c. apud Valerium Max. *lib. 3. cap. 7.* Sed & Cæſares; alij Arabici, Parthici alij, alij denique Sarmatici : vnde natæ Naſonis blanditiæ de Cæſare Dictatore 1. Faſtor.

Capiunt victores nomen ab hoſte victo.

Si petat à victis, tot ſumet nomina Cæſar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.

Addo Reges Aſsyrios ab Hoſea vltores non ſemel appellatos eſſe. Nam *cap. 5. num. 13.* textus eſt. *Miſit ad Regem vltorem*, &c. & c.10. num. 6. *Munus* (inquit) *Regi vltori*, &c. Hebræo textu יָרֵב *Iareb.* Id verò eſt *defenſor*; Appellantúrque Reges Aſsyrij, & vltores, & defenſores, ab adiuuandis hominibus : cùm ad Aſsyrios, vt ad vindices alienæ libertatis confugerent Reges alij ; ſed & Darium ab Eſdra vocatum lego, lib. 3. cap.7. num. 4. *Regem Perſarum*, &c. & num. 15. *Regem Aſſyriorum*, &c.

Hoſ. cap. 5. n. 13.

Magni Regis eſt iueri, ac iuuare homines alios.

Eſdr. lib. 3. c.7.n.4.15.

Addo Nahum de Niniue malè mulctata, c. 3. num. 7. *Vaſtata eſt Niniue*, &c. Sed à quo Rege dira clades? à Babylonio, iam inde Aſsyrio *n.* 18. Res de Græco textu eſt Βασιλεὺς ἀσσυρίων ἐκοίμησεν. Hoc verò eſt: *Rex Aſsyrius ſopiuit duces tuos*, &c. Ab vrbe domita Babylonius Aſsyrium ſibi cognomentum parat. Manum Theodoretus mecum mouet, & addit, *Ex his planum fit, quemadmodum Scriptura Babyloniũ vocat Aſsyrium*, &c. Itaque Merodachus modò Babylonius, modò Aſsyrius nuncupatur, ſatis pro Regum ingenio.

4. Nahum c. 3. n.7.18.

Tandem Serar. *Itane* (inquit) *Merodachus, tam ſubitò hoſtis, qui modò amicus erat, legatione ad Ezechiam miſſa?* quod patet in locis proximè citatis. Sed reſpondet ſui oblitus *ad 4. Reg. cap. 22.* vt cum Saliano conueniat, anno Manaſſ. 7.n.15. Merodachum amicè egiſſe cum Iudæo Rege, poſt Sennacheribi ſortem aduerſam. Deinde victo Aſſyrio, & regno occupato, Iudæum ſibi ſceptrum voluiſſe, more Philippi Macedonis, qui, (Iuſtino teſte) *Amicitias vtilitate, non fide colebat*, &c. *lib.9.* ſolent enim Principes, *libidinem dominandi, cauſam belli habere*, &c. quod Salluſtius de Cyro, notat *in Catilin.* vnde factum eſt, vt quereretur Iugurtha apud Bocchum, *Vt quiſque opulentiſſimus videatur, ita hoſtem Romanis fore*, &c. Fugato igitur, ac necato Sennacheribo, nactus occaſionem Merodachus, Aſſyrium petit caput, & Niniuen occupat dextro Marte. Id ſuo genio Duces, ac Principes, vt rebus turbatis fortunã tentent. Quod Iuſtinus in Artabano ſcitè notat lib.3. *Artabanus* (inquit) *deficiente Regis maieſtate, in ſpem regni adductus*, &c. Nónne lite mota inter Hebræos homines (quod patet ex 2. *Reg.* 19. *n* 43.) vbi textus, *Durius* (inquit) *reſponderunt viri Iuda, viris Iſrael*, &c. Occaſionem Seba premit, vt fortunam tentet, & regnum capiat, iacta belli aleà? textus de Seba eſt, c.20.n.1. *Cecinit buccina, & ait: Non eſt nobis pars in Dauid*, &c. vt conſtaret liquidò, imminere occaſionibus ſcientes belli Duces, turbatíſque rebus frui ; vt manum cum Marte moueant. Hac via Merodachus, & Arphaxadus ad regni apices adiere, ſed quare Magni Reges, Magni hoſtes bello continuo? ſua ſe quiſque iactet in aula? Quid aliò manum intendit? ſtomachum fortaſſe mouet Deo Medus ſuperbè tumens. Patet enim *ex 1. cap. num. 4.* Arphaxadum Marte duce glorioſum Thraſonem eſſe. De textu eſt, *Gloriabatur quaſi potens*, &c. Ferre igitur non potuit Deus Max. vanam gloriolam Medi Reguli, quem vt frangat, hoſtem mouet Aſſyrium. Vnde colligo

Vana Regum amicitia.

5. 2. Reg. c.19. n. 43. c. 20. n. 1.

Suam ex aliena fortuna fortunam concinnant Reges.

PARÆNET. I.

Periclitari & regno, & vita ſuperbos homines.

1. SVperbiam Deus Max. abhorret adeò, vt ſuum, & armatum cogat militem Dominus exercituum aduersùs homines ceruicis erectæ. Iſaia vidente, & tonante cap.2. num. 12. *Dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum*, &c. Quo enim duce, niſi Domino exercituum armaretur miles Angelus ad frangendum caput humanæ ſuperbiæ? monet in loco Hieronym. *Quòd quanto magis ſuperbierint, tanto magis deprimantur*, &c. armato ſcilicet milite, ac Deo duce. Infeſtus ſuperbis hominibus Dominus eſt : nec prece vincitur, nec placatur victima ad ſcelus condonandum. Notat Auguſtinus *q. 25. ad Num. cap. 15.* poſcere Deum ab Hebræa gente hircum, & vitulum cauſa veniæ impetrandæ, ſi peccaret legis obliuione. Id enim textus habet num. 24. *Oblitaque fuerit facere*, &c. Deinde aduertit repetere capram ab anima ignoranter peccante, lege fracta, n.27. *Quòd ſi anima* (inquit) *neſciens peccauerit, offeret capram*, &c. Addit numer. 30. Magnus Deus : *Anima verò, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit*, &c. Græcè ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας. *In manu ſuperbiæ*, &c. Motu expreſſo gentis ſuperbiæ, vt manu feriat, qui ſuperbè tumet. Sed quid minatur Dominus exercituum? *Peribit de populo ſuo*, &c. hoc eſt, cruecm malam ferat ſuperbus homo. Cur non repoſuit Dominus hircum, vitulum, capram, vt placatus hoſtiis ſcelus condonet? Video, quo Deus odio ſuperbos premat homines, vt exorari ſe non patiatur. Scitè Auguſtinus. *Quod peccati genus non dixit vllo ſacrificij genere purgari oportere, tanquam inſanabile iudicans*, &c. ſæuit admodum Magnus Deus armata manu in homines mentis ſuperbæ.

Superbiam Deus odit.

Num. c. 15. n.24. 27.30.

Manu ferit, qui ſuperbè tumet.

2. Sed quos nam adhuc cogit milites, habiles premendis hominibus notæ ſuperbiæ? cogit culices, cogit homines. Quærit Auguſtinus *tractat. 1. in Ioan.* Quare nata muſca; natus culex? Deinde multis agens, tandem reſpondet, paratam hiſce animalculis medicinam eſſe ad frangendam ſuperbiam humanæ gentis. *Quid eſt, quòd te inflas humana ſuperbia? culicibus reſiſte, vt dormias, agnoſce, quid ſis*, &c. Addit Auguſtinus Pharaonem ſuperbè tumentem, vtpote qui ſe iacter Deo parem. *Neſcio* (inquit)

Muſca dum pungit, hominem ſua ſortis admonet.

Exod. cap. 5. n. 2. c. 8. n. 2. 17. 24.

(inquit) *Dominum*, &c. *Exod. 5. num. 2.* musca, rana, & culice fractum esse. De rana Exod. 8. num. 2. *Percutiam omnes terminos tuos ranis*, &c. De culice num. 17. *Omnis pulvis terræ versus est in sciniphes*, &c. De musca num. 24. *& venit musca grauissima*, &c. Cur non infert tigres & leones, qui solo aspectu metum inferant? Sed quánam acie premeret Dominus erectam ceruicem, nisi vili, & minuto animalculo? Augustinus iterum, *Superbiam* (inquit) *Pharaonis populum potuit Deus de vrsis, & leonibus domare, muscas tamen, & ranas illis immisit, vt rebus vilissimis superbia domaretur*, &c. Video muscam suo armatam aculeo, & culicem video suo tonantem susurro, canente bellicum, vt humana superbia ægreferat se ab hoste vili, ac sordido victam esse.

Superbo contemptus ingens est cruciatus.

3. Agnosco vim tormento bellici in eruca, in brucho, in locusta. Manum ab agro Hebræo amicè trahit Deus Opt. Iohel. 2. n. 25. *Reddam* (inquit) *vobis annos, quos comedit locusta, & bruchus, & eruca*, &c. Sed quo hasce animantes appellat nomine? Addit continuò. *Fortitudo mea magna, quam misi in vos*, &c. Vilésque vermiculos suæ potentiæ phalaricas, & romphæas grandes vocat. Hanc, & vilem aciem instruit Deus Max. vt superbos terat homines, qui ex fortuna agraria ceruices altè erexerant. Vnde Rupertus auctor est lib. 1. in Iohel. *Humanæ infirmitatis respectu, quoties vanitatem hominum flagellare oportet, sufficere de manu Dei locustas paruissimas, & flagella esse fortissima*, &c. Mordetur superbus homo acerbiùs, si à vili mancipio quatitur; quid si à turpi tundatur vermiculo? Ea tamen Deo cura est minutos alere vermiculos, premendis hominibus armatos milites.

Ioel c. 2. n. 25.

Dei potestas est magnos homines premere vili vermiculo.

4. Deinde homines committit hominibus mutuam in perniciem. Turrim superbi homines volunt extruere ad aucupium famæ publicæ: hæc enim vna superbiæ vox est Genes. cap. 11. num. 4. *& celebremus nomen nostrum*, &c. Addunt tamen citò se dissipandos esse: *Antequam diuidamur in vniuersas terras*, &c. seditione scilicet commota. Ad rem Philo Hebr. ad lib. de Gigant. *Non solùm præsagientes, sed etiam præuidentes sulum interitum*, &c. Præsensere animo superbi homines, quosnam sibi milites Deus cogat, vt premat ceruices hominum, homines scilicet factiosos manu armata, qui dentes possint aliis excutere: probo id ex loco turris ædificandæ num. 2. *In terra Sennaar*, &c. Nam, שן *Sen* Hebraicè *dentem* sonat; נער *Naar excutere est*, ac proinde *Sennaar*, ex Hebræa schola, dentium excussio esse potest. Scilicet, dolere solent vani, superbíque homines dentes sibi excussos esse, cùm arrogantiæ opinione accedant furores gentis vniuersæ. Sensit id Rupertus lib. 4. in Gen. cap. 41. *Plurimum* (inquit) *dentes iuuant ad loquendum, qui tunc illis quodam modo excussi sunt, quandò solitam loquendi facultatem dentati, id est, superbi perdiderunt*, &c. Puto ego homines huiusmodi in partes diuisos abiisse morbo superbiæ, & linguæ vitio, ortáque seditione excussos sibi dentes grauiter doluisse. Quid enim dentem dente iuuaret

Gen. cap. 11. n. 4 2.

Homo homini lupus.

Morsu homines sese & petunt & perdunt.

rodere? Quo aspectu videtur Magnus Gregor. *ad 4. Psalm. pœnitent.* illud asserere, *In campo Sennaar habitant, qui detractionum morsibus proximos lacerant*, &c. Sed ne scelus crescat impunitate, milites Deus parat, homines scilicet alios, qui dentes excutiant, & morsus premant arrogantiæ loquacissimæ. *Quorum dentes tunc Omnipotens excutit, cùm illorum facta, vel dicta confundit*, &c. ita se se Deus accingit ad superbiam obterendam.

5. Quare mirum non est, si vno ex fonte superbi iuxtà, ac miseri fluant homines. נפלים *Nephilim*, id est, Gigantes. Gen. 6. num. 4. *potentes à sæculo, viri famosi*, &c. ex Baruch 3. num. 26. *Statura magna scientes bellum*, &c. Interpretatione communi, superbi erant terrarum domini. Vnde Guarrico occasio declamandi aduersùs hosce homines serm. 1. de Christo nato. *Vos filij Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem, per superbiam excreuistis*, &c. Sed נפלים *Nephilim* à verbo נפל *Naphal* quod est *cadere, cadentes sunt*; & quadrat nomen in superbos homines, quibus, dum ceruices erigunt, paratus est casus; quandoquidem omnium in se manus excitant tumore arrogantiæ. Quod Rupertus notat lib. 4. in Gen. cap. 14. *Cadentes* (inquit) *rectè dicuntur; hoc est, superbi quicunque, potentes à sæculo, viri famosi; nam, hoc ipsum superbire, cadere est*, &c. Deo scilicet propellente cùm alios mouet homines ad frangendum caput notæ superbiæ. Video, quid Artabanus monet in hanc litem; dum Xerxen pungit, apud Herodotum lib. 7. *Amat Deus, quæ eminent, exscindere: neminem enim sinit magnum quidpiam de se ipso sentire*, &c. Hæc Persa, Deúmque superbis hominibus hostem agnoscit; quos facile deiicit, vel in ipsos anniso efferendi se se. Fumus, quo altiùs trahitur, & protrahitur, eo citiùs deficit, vel tenui difflatus aura. Sed & famosis imaginibus superbus homo, verè fumosus homo est: neque enim temerè Odeuus ille clarus auis, statuisque amplissimis fornacem pro insigni capit, mixto igni, & fumo, & noëmate addito; *Vbi multus ignis, ibi multus fumus*, &c. nisi vt innueret fumos superbiæ, fœtus esse auitæ claritudinis. Vnde Isaias fumos cum superbis miscet hominibus cap. 9. num. 18. *Superbia* (inquit) *fumi*, &c. Illud fortasse innuens, hominem superbè fumosum, vt fumum perire in ipso conatu erigendi se se: suos enim milites parat homines Dominus exercituum, qui vel Arphaxadum sceptro, & vita dirutum malè premant; quandoquidem sua se iactabat in aula. Homo superbè tumens, *& gloriabatur, quasi potens*, &c. Hæc à Deo illata Arphaxado clades est. Sed quo iure excitatur Assyrius, & Medum petit? Iure composito adornata scena est. Nam cùm Merodachus vi Niniuen occuparet, & Medus Assyrio stipendiarius, negaret stipendium libertatis amore, belli iniuriam protraxit Assyrius ad Medum Regem: vt constaret liquidò

Gen. 6. n. 4. Baruch c. 3. n. 26.

Superbo ruinæ proximæ.

Fumo perit, qui fumos vendit, superbus.

Isa. c. 9. n. 18.

Veloc. in Iudith.

PARÆNET. II.

Dominandi libidinem, belli cauſam eſſe.

1. *Auaritia malo hominum vere nata*, (teſte Saluſtio,) *amicitias, inimicitiáſque non ex re, ſed ex commodo æſtimare ſolita, nec copia, nec inopia minuitur*, &c. Vel Regum trahit animos ad belli aleam, iure ne, an iniuria, non curant terrarum domini, humani Iones aliis, ſed & aliis latrones peſſimi. Quis enim Lucano Alexander Macedo, qui è Græco angulo Perſicos inuaſit apparatus?

Magni Reges vtique magni latrones.

Felix (inquit) *prædo iacet*, &c. *lib.* 10. Nec Orator Scytha Alexandrum alio adornat titulo, apud Curt. *lib.* 7. Cùm enim iuris nihil haberet Alexander in Scytham, in Perſam, in Aſſyrium, latro, & prædo erat Aſiæ vniuerſæ. Quiſnam Hieremiæ Nabuchodonoſor, qui è ſede Babylonia terrarum orbem vniuerſum petiit, cap. 18. numer. 22. *Adduces* (inquit) *latronem repentè*, &c. Quid Iuſtino Seleucus Antiochus, & Reges alij? *Ea* (inquit) *tempeſtate bella in exitium Aſiæ gerebantur, quo quiſque fortior fuiſſet, Aſiam, velut prædam occupabat*, &c. *lib.* 27. Sed & Ioannes tradit Reges dolo colligendos eſſe. *In Armagedon*, &c. *Apocalypſ.* 16. in dolum ſcilicet latronum. Vox enim Hebræa ערמה *Ormay*, dolum ſonat, גדוד *Gedud* verò *& miles, & latro eſt, à radice* גדד *Gadad*, militem ſcilicet, & latronem cogere. Vide Pinedam *Iob* 19. *n.* 12. vbi ſcitè militem confert cum latrone, & loca è ſacris, profaníſque literis multa congerit in hanc litem. Et quidem Armagedon latronum dolus de Regum genio eſt, qui piceatas manus inferunt ſceptris alienis: an non malè audiant apud homines? qui, Philone teſte, *magna furta faciunt, latrocinia tegendo honeſtis nominibus Principatus, & Imperij*, &c. *ad lib. de Decalog.* Vnde Regum furor, non tam bellicus eſt, quàm belluinus graſſandi in rem alienam.

Apoc. 16. n. 16.

Militia furandi malitia.

2. Hoſce Reges leonibus, feríſque aliis, quæ rapto viuunt, pares facit Vates Dan. 7. numer. 3. & numer. 17. *Quatuor* (inquit) *beſtiæ magnæ, quatuor ſunt regna*, &c. in quibus leo, & vrſus: ſed cur bello non viuant aſpectu, & affectu immanes belluæ? ſcilicet, vt vngue feriant, & manu rapiant, quidquid occurrit oculis fortunæ alienæ. Scio enim obiectam Romanis cupiditatem rerum ſub larua iuris bellici, Romanoſque Duces cum lupino lacte genium traxiſſe pugnandi, & rapiendi, apud Iuſtin. *lib.* 38. & placet Ruperto interpretatio de ferino Regum ingenio lib. 8. de Victor. cap. 27. *Terram* (inquit) *ſuo ſanguine, quaſi copioſo imbre compluebant Reges Gentium*, &c. Et paucis pòſt verbis, cauſam addit furoris bellici. *Propter regnandi cupiditatem belluinam*, &c. Manu igitur armata rapiunt leones, ac latrones, quidquid ſuis iam oculis deuorauerant. Lego Ninum à ſede Babylonia proceſſiſſe ad Niniuen extruendam, Geneſ. 10. n. 15. *Egreſſus eſt Aſſur, & adificauit Niniuen*, &c. Itane ſua Nino ſordet Babylon? ſed cùm nec ſua, nec paterna ſorte contentus viueret, & Aſſyriam cuperet vniuerſam, bellum parat, vrbe extructa belli ſede. Ita Nauclero viſum eſt, Generat. 19. *Secunda* (inquit) *res, vtplurimùm ingerunt maiorem cupiditatem, ad reliquam Aſiam ſubiiciendam profectus in poteſtatem ſuam redegit*, &c. Tam ſacra hominibus fames eſt fortunæ alienæ; & fortaſſe Magni Reges, idcirco magnæ aquilæ, rapinis agendis faciles, apud Ezechielem cap. 17. num. 3. *Aquila grandis, plena plumis*, &c. Notus eſt Nabuchodonoſor, & num. 7. *Aquila altera grandis, multíſque plumis*, &c. Pharao eſt communi placito: ſed quàm multis plumis, tam multis vnguibus vtraque aquila, cùm Græcè textus habeat, *plena vngui-bus*. Agnoſco Reges in aquilis, quæ ſuis armantur vnguibus, vt prædas agant, teſte Hieronymo, *Propter rapacitatem*, &c. ſolent enim Principes terrarum venatores eſſe, & quod iure non poſſunt capere, rapiunt iniuria; vnde belli motus, paratæ fraudes, vires collectæ, & alterius compendium, ex alterius diſpendio eſt: nec puto Aſſyrium alia via abiiſſe.

Ezech. c. 17. n. 3. 7.

Regum opes ex aliena inopia.

3. Sed iure belli ficto adornata ſcena eſt, ne quis de iniuria queri poſſet. *Hoc erit ius Regis, qui vobis imperaturus eſt*, &c. Ita Vates ad populum de Saule 1. *Reg.* 8. *num.* 11. Bene eſt; ſed expone Vates, amabo, quæ nam huiuſce iuris forma eſt? Mitto plura; illud ingero ex n. 14. *Agros veſtros, & vineas, & olieta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis*, &c. Miror ego vim apertè factam honeſto iuris colore adumbratam eſſe. Cur tamen ita fiat, ſcitè Caietan. *Erunt* (inquit) *iuris, quia Rex ius eſſe volet*, &c. In anguſto res eſt, cùm Princeps iure compoſito velatam infert iniuriam, more ſcilicet Getico, vbi

1. Reg. cap. 8. n. 11. 14.

Rapiunt Reges iure quæſito.

——*rigido ius dicitur enſe*, &c.

& mentitur Princeps titulos, vt bello irruat in rem alienam. Ezechiam aggreditur Aſſyrius ſuo ſeptus milite, & Solymam obſidet. quo id iure faceret, notum eſſe voluit, ne iniuria videretur, quod ius erat; legato igitur Oratore 4. Reg. 16. num. 25. Iſaiæ 36. num. 10. *Dominus* (inquit) *dixit mihi: Aſcende in terram hanc*, &c. Mentitur homo licentia Regia, quod boni volunt interpretes. Illúdque ex Ordinaria, *callidè reſpondit, ſe non ſua veniſſe voluntate*, &c. ſcilicet vt, quam Iudæo faceret iniuriam, velaret mentito Dei arbitrio. Nihil à Saule diſco aliud, à quo Gabaonitam ſcio percuſſum ſtrage notabili 2. *Reg.* 21. *num.* 2. vbi textus eſt, *Voluit Saul percutere eos zelo*, &c. Dubitant boni viri, qualis nam fuerit zelus iſte? Alij alia apud Abulenſem *q.* 16. Sed à malo Rege bonum zelum proceſſiſſe negant voces Domini graſſante peſtilentia, num. 1. *Quia occidit Gabaonitas*, &c. Quiſnam igitur zelus iſte? ſtragem edit Hebræus Princeps, Lyrano teſte, *cupiens poſſeſſiones Gabaonitarum*, &c. Et ne à communi iure deerraſſe videretur mentitos olim homines mentito iuſtitiæ zelo tundit, & ſuis trudit terminis. Iraque Princeps rerum cupiens ſtragem vrget honeſta ſpecie. Vide qualem ſibi laruam induit latro, non Princeps; verè Hieremia Vate latro eſt Nabuchodonoſor cap. 4. num. 6. *& prædo Gentium*, &c. ſed & Merodachus Marte dextro latro eſt, cùm Arphaxadum petit belli iure concinnatum.

4. Reg. c. 16. n. 25. Iſa. c. 36. n. 10.

2. Reg. c. 21. n. 2.

Sauit rerum cupiens mentito iuſtitiæ titulo.

Ierem. cap 4. n. 6.

DISQVI

Dan. c. 7. n. 3. 17.

Rapiendi occaſio belli ratio inepta.

Belluinum eſt bello aliena occupare.

Gen. cap. 10. n. 15.

DISQVISITIO V.

Quo sub Rege patratum à Iuditha facinus?

1. CONSTITVO proximè Nabuchodonosorem, à quo missus Holofernes periit Iudithæ manu, & pio dolo Merodachum esse; Arphaxado hostem Marte dextro. Modò Chaldæum excludo, euersorémque regni Iudaici; quod Serar. *q.*2. euincit argumento facili. Neque enim de templo erant, nisi rudera, ex 4. *Reg.* 25. *num.*9. ex 1. *Esdr. cap.* 3. *num.* 8. Nec Pontifex aderat, nisi Saraias, ex Hierem. *c.*52. *num.* 24. quod probant Abulens. *ad* 4. *Reg.* 25. Vatabl. Hugo, Salian. anno Ioacim 12. *n.* 23. Tirin. *ad* 4. *Reg. loco citato*, & patet ex 1. *Paralip. cap.* 6. *num.* 14. vbi, *Azarias genuit Saraiam*, &c. Deinde Iosedechus à Nabuzardano captus, ductúsque in seruitutem, quod patet ex 1. *Paralip. loco citato.* Excludo & Artaxerxen Darij filium, & à Sanctio probatum, soluta captiuitate: nam licèt templum iam extructum, quod Esdras habet *lib.*1. *cap.* 6. *num.* 15. Deinde Ioacimus Pontifex aderit, *lib.*2. *cap.*12. *num.*10. vbi, *Iosue genuit Ioacim*, &c. qui quidem Pontificatum obiit inter Darium, & Artaxerxen Longimanum, Iosepho auctore *lib.*11. *Antiquit. cap.*4. reliqua non conueniunt. Vbi enim pax illa, quæ Iudæam beauit per annos plurimos, de qua ad Iudith *cap.*16. *n.*30. Cùm hostes inceptum ab Hebræo opus interciperent, *Esdr.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. & 8. Medus regno potens? vbi Assyrius terrarum dominus? de quibus *ad Iudithæ cap.* 1. *num.* 1. & 5. Quare non placet Ribera *ad Nahum cap.* 2. nec Sanctius *prolegom.* 4. nec alij, quos citant homines. Placet Bellarm. *lib.* 2. *de Verbo cap.* 12. Gretser. *ibi*, Serar. *q.* 2. Salmer. *tom.* 16. *epist. ad Hosium.* Perer. *ad* 1. *Dan.* Tursellin. *lib.* 2. *Histor.* §. *de Numa.* Gordon. *cap.* 5. & 20. *ad* 5. *period.* Salian. *tom.* 4. *anno Manassæ* 7. *num.*7. Tirin. *in Chron. cap.* 33. Fernand. *visio.* 21. *sect.* 1. *num.* 2. hominésque alij, qui rem à Iuditha gestam volunt sub Manasse Rege; ea enim tempestate saluum erat templum, Assyriúsque rerum dominus, 2. *Paralip.* 33. *num.* 11. Aderat Heliachimus Pontifex, qui inter Sobnam vixit, & Helciam. Apud Isa. cap. 22. num. 20. *Vocabo seruum meum Heliacim*, &c. in quo viro Sacerdotem Max. agnoscunt Hieronym. Cyrill. Procop. Laudun. Lyra, & Abulens. *ad* 4. *Reg. cap.* 18. *num.* 18. & *cap.* 19. *num.* 2. licèt testis varius. Constat & pax illa, quæ Iudæam recreasse visa est, à Manasse ad Iosiam vsque; nec est cur Iuditham extrudamus aliò?

4.Reg. c.25. n. 9. lib. 1. Esd. c 3. n.8. Ierem. c.52. n.24.

1. Paral. c.6. c.14.

Esdr. lib. 1. c. c. num.15. lib.2.cap.12. n.10.

Esdr. lib. 2. c.4.n.1.8.

2.Paral.c.33. n.11.

Isa. cap.22. num.20.

2. Vnum tamen, vel alterum argumentum vrget Sanctius *loco citato.* Si res (inquit) à Iuditha gesta est sub Manasse, cur toto Iudithæ libro pertinax de Rege silentium est? cur nec de bello, nec de vrbe, nec de re cætera cogitasse Manasses dicitur? certè Manasses non ita ignauus erat animi, nec ita belli nescius, vt Heliachimo suum delegaret officium. Nam regno iam paterno redditus de muris sarciendis, legendísque ducibus curasse dictus est, quod habes 2. Paralip. cap. 33. n. 14. *Post hæc ædificauit murum*, &c. Et paucis pòst verbis. *Constituitque Principes exercitus*, &c. Accipio; sed addo, voluisse Manassen connituere ad consultum Senatus Iudaici, quo se belli scientem posset negare, si res malè cederet. hæc Saliano mens est, *anno Manassæ* 8. *num.*20. Sed prior inuenit Serar. *q.*2. *ad cap.* 1. Deinde addit *q.*2. *ad cap.*4. Manassen è vinculis extractum seruitutis Assyriæ, & bonis paternis redditum, ita se piè, ac sanctè habuisse, vt curam belli gerundi mandaret Heliachimo, viro probatæ amicitiæ, ac probatæ industriæ. De textu est Manassen insignem sceleribus, captum ab Assyrio fuisse; deinde Regem regno restitutum, piè, ac sanctè se gessisse, *ad Paralip. cit. num.*15. vbi textus. *Præcepit Iudæ* (inquit) *vt seruirent Domino*, &c. quare tentatus bello Manasses, ne à pio frigeret otio, negotium belli curandi Heliachimo permisit. Vnde colligas

2.Paral.c.33. n.1.1.

PARÆNET. I.

Militem non facilè pium esse.

1. AVocant militares impetus à pio in Deum affectu. Neque enim cum ferro bene conueniunt mores faciles, nec cum tunica adamantina pij motus, si Lucano credendum est, quo teste ad lib.1.

Nulla fides, pietásque viris, qui castra sequuntur.

Sacra profanis miscent milites, & religione turpiter profligata, nec focis parcunt, nec aris. *Qui gratis ad flagitia discurrunt; ad honesta nec pretio*, &c. *apud Hildebert. epist.* 19. Fauet benè Dauid. Abit ille ad Moabitam suo septus milite, vt militet sub Rege barbaro. Quosnam secum homines Dauid eduxerit, de textu est 1. Reg. 22. num. 2. *Omnes qui erant in angustia constituti*, &c. inopes scilicet homines, & qui dolebant multis sub nominibus. Miror ego quàm citò Gadus Prophetes Hebræum Ducem monuerit, vt patriam festinatò repetat, num.5. *Noli* (inquit) *manere in præsidio*, &c. Cur ita factum, à Lyra disco. *Ne viri, qui erant cum Dauid, propter debita, & tributiones, declinarent ad idololatriam*, &c. Docet Lyra, quantum esset periculum pietatis ablegandæ, si miles cum Moabita amicè ageret: nam ex numo fidem venderet, & ægrè ad pium sensum rediret. Probo id ex Iconismo probatæ militiæ apud Ezech. *cap.*9. Erat in sacra domo Princeps, ac Dominus exercituum:

1. Reg.c.22. n.2.1.

Nocet malus socius.

Ezech.cap.9. n. 2. 4. 5. 7. 55.

Accedunt milites vultu, ferroque feroces,

n. 2. nam Græcè textus habet, ἀνὴρ ἕκαστον πέλυξ ἐξολοθρεύσεως ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. id est, *vniuscuiusque securis exterminans in manu eius.* Hosce inter homines scriba est. & *atramentarium scriptoris ad renes eius*, &c. Miror ego scribam sacra in domo esse, qui tabulis conscribendis, fouendísque dicis præstat operam. Sed quid ad scribam Dominus? *Signa* (inquit) *Thau*, &c. *numer.* 4. Quid deinde ad milites Dominus exercituum? numer. 5. *Transite* (inquit) *per ciuitatem, & percutite,*

Notarius non facilè pius.

percutite, &c. Dictum factum num. 7. *Egressi sunt, & percutiebant*, &c. Deinde re peracta; redit ad templum scriba, & suum narrat facinus. *Feci* (inquit,) &c. *num.* 11. vtpote qui signata Cruce homines beauerat. Non redeunt milites, quippe qui homines ferro perdiderant, teste Hieronymo. *Non enim lætitiæ, sed mœroris impleuere sententiam*, &c. Addo ego audax aliquantulum, non rediisse milites in sacram domum, vt constaret hosce homines à sacris aris facilè abire, non redire facilè.

A sæuiendo abhorret pius quisque.

2. Ad Hebr. c. 12. n 16.

Nosti bene Esaum Paulo profanum esse ad Hebr. 12. numer. 16. *Ne quis* (inquit) *fornicator, aut profanus, vt Esau*, &c. Nosti præterea profanum Latinis hominem procul à fano dictum: quod probat D. Thom. ex Horat.

Odi profanum vulgus, & arceo, &c. *lib. 3. Ode 1.*

Sed quo respectu Esau profanus homo est, & à fano procul abigitur, Hugone interprete. *Piger ad diuina, alienus à Deo.* Est ne miles? Miles omnino est. Nam Pater Gen. 27. n. 40. *Viues* (inquit) *in gladio*, &c. Ita Chrysostomus locum explicat Hom. 53. *Scito, quòd militarem vitam acturus sis*, &c. sic Abulens. quæst. 8. sic Vatabl. ac proinde miles procul à fano est, profanus homo est, non facilè pius est. Verè Plato in Critia. *Milites separati à diuinis viris habitant*, &c. Distrahunt enim animum à rebus sacris militares imperus. Quòd si piè in castris viuant milites, ac de animi rebus agitent, miraculo erant. Sed obtrudis. Nónne Ioannem morum Præfectum adiere milites causa vitæ sanctæ poliendæ? Id textus habet Luc. 3. n. 14. *Interrogabant eum & milites*, &c. Assentior facilè. Priores tamen conuenere alij de vulgo homines. *Interrogabant eum turbæ*, &c. *num.* 10. Deinde exactores pecuniæ publicæ, num. 12. *Venerunt & publicani*, &c. Postremò & milites accessere, n. 14. *Interrogabant eum & milites*, &c. suo scilicet genio moras nectunt milites, cùm de re pia agendum est. Ac proinde quòd vel serò aduenere. Ioannis vis, & laus est, qui vel milites, durum genus hominum, docendo pertraxerit. A Beda exscribo. *Quantum mentes concusserit audientium, hinc probatur*, &c. *lib. 1. in Luc.* & quidem si Ioannes in dicendo minus posset, non facilè milites alliceret ad pios motus.

Gen. c. 27. n. 40.

Luc. c. 3. n. 14.

Difficiles ad pietatem milites.

3. Matth. c. 8 n. 8. 10.

Vel si miles facilè pius esset, non miraretur Christus Dominus dixisse Centurionem fide nobili, *Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus*, &c. Matth. 8. num. 8. Ac ne quis negaret hominem pia fide probatum esse, iurat persancte Dominus, *Amen dico vobis*, &c. *n.* 10. quasi non facilè crederetur miles fide pius. Deinde laudes Magister aggerit. *Non inueni tantam fidem in Israel*, &c. Itáne mi Domine minor est Petri fides? qui plenis dicit buccis Matth. 16. num. 16. *Tu es Christus*, &c. Minor est Ioannis fides? qui ad Iordanem debuccinat. Ioann. cap. 1. num. 30. *Post me venit, qui ante me factus est*, &c. Minor Abrahæ fides est? de quo Moyses testatur Gen. 15. num. 6 *Credidit Abraham Deo*, &c. Sed litem Caietan. scitè soluit. *Maior erat illa fides in viro gentili, & militari*, &c. Ac si Caietanus vellet, miles in castrensi licentia non ita pius esse in Deum solet: quare piam Ducis fidem, ac religionem demiratus Dominus, grandi probat elogio; vt cognoscas distractum militem cura castrensi facilè à sacris abire. Sciebant Pontifices quàm longè à sacris aris, & rebus abducant homines curæ militares: qui bellum ad ministrandum Sacerdotibus interdixere 8. 23. multis capp. quod notat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *articul.* 2. Rupert. *ad* 1. *cap. Num. lib.* 1. *cap.* 4. Abulens. *in Num. cap.* 1. *quæst.* 25. Interpretesque in loco alij: ne scilicet rebus profanis implicati homines à sacris aris auocarentur. Quod vetat Apostolus 2. *ad Timoth.* 2. *numer.* 4. & hæc Tertulliano fuit occasio damnandæ militiæ, quasi vetitæ in Christiana schola: *ad lib. de Coron. Milit. cap.* 11. negat ille, sed falsus animi, Christianis hominibus malitiam conuenire. *Prælio* (inquit) *operabitur filius pacis, cui nec litigare conuenit?* 1. ad Corinth. 6. numero 7. *Iam & stationes, aut alij magis faciet, quàm Christo? aut Dominico die, quando nec Christo?* &c. Et post multa militum scelera, addit Magister. *Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est*, &c. Illud insinuat militem profanis castris deuotum, quasi transfugam esse à pia fide, & casta religione. Persanctè igitur Manasses curam abiicit belli admministrandi, ne malè abducatur à pia rerum cura, si miles in armis perstet.

Vetita Sacerdotibus militia.

2. ad Timoth. c. 2. n. 4.

1. ad Cor. c. 6. n. 7.

Fortasse non placeo, cùm sciam fuisse viros vitâ sanctos, qui tractarunt arma, salua fide, salua religione, salua pietate. Mitto Georgios, Mauritios, hominesque alios de Christi schola; qualis Abramo fides erat? Quanta religio? quàm larga pietas? qui hoste fuso, & fugato, Melchisedechum ex itinere adierit, & audierit ad aram minister. Genes. 14. num. 14. *Benedictus Abram Deo*, &c. Adhuc Abramus in armis erat, quod notat Apostolus ad Hebr. cap. 7. num. 1. *Regressus à cæde Regum*, &c. sed cùm Melchisedechus sacris operatur, Genes. loco citato, numer. 18. *Proferens panem, & vinum*, &c. Abramus ad aram piè ministrat; ac de præda castrensi, *Dedit illi decimas ex omnibus*, &c. Tanta Abramo pietas, & tanta Melchisedecho maiestas erat, Anselmo teste ad Hebr. loco citato, *vt prius ad illum, à quo benedictionem accepturus erat, quàm in domum suam declinaret*, &c. Neque enim ferro teritur pietas, nec religio truditur arte bellica. Quali Dauid fide? Quali pietate? cùm inter arma non sileat sacra Musa. Video sacros versus inter lituos militares, in pugna dubia pios motus. Lemma est Psalm. 56. *In finem, cùm fugeret à facie Saul in speluncam*, &c. vbi tragœdia tota est de vita castrensi. Titulus est honorarius, Psalm. 59. *In finem, cùm succendit Mesopotomiam Syriæ*, &c. vbi totum est theatrum de Syro malè mulctato. Ita pius in armis Dauid, religiosus in castris Dauid, sanctus in acie Dauid: totus in bellum ardere, totus in Deum flagrare solitus. quod Rupertus sentit lib. 5. de Victor. cap. 1. *Exercebatur præliis, glorificabatur victoriis: vnde & securius citharizabat Psaltes ille, Dei verbum sonis condecorans musicis*, &c.

Gen. cap. 14. n. 14.

Ad Hebr. c. 7. n. 1.

Potest & miles vita pius esse.

Psal. 56. Psal. 59.

Dauid in castris pius.

4.

Sed

Sed & Deus Max. inter concentus Gentis Angelicæ, quæ alternis dicebat, Isa. 6. numer. 3. *& clamabat alter ad alterum*, &c. Cognomentum capit à vi, & arte militari. *Dominus* (inquit) *exercituum*, &c. facile vt credideris conuenire germanè profanam tubam, & sacram lyram. Scio Nonnium Principem, ac parentem domus Brigantinæ ita addictum Deo Max. vt in castris aras castè coleret, & ante pugnam genuflexo, preces largè ederet; nec interciperet, vel à milite excitatus, vt belli signum daret. Natum inde puto symbolum Carolo scilicet Lotharingio, qui manum tendit vestitam stola, sed ornatam gladio: ac deinde addit epigraphem symboli animam, *Auctor ego audendi*, &c. ne quis vellet militem ab ara peregrinum esse. Nemo nescit, quo in Deum affectu pius fuerit centurio ille Cornelius Act. c. 10. n. 1. *Religiosus, ac timens Deum*, &c. Priùs de vita militari textus ait, *Centurio cohortis quæ dicitur Italica*, &c. Deinde subdit, quàm piè Deo frueretur, num. 2. *Deprecans Deum semper*, &c. Et erit adhuc, qui militè facilè pium esse negitet? Sentit aliter Chrysostomus *Hom. 22. in Acta*, & Cornelio Duce, ac Magistro adhortatur milites, *Audite omnes, qui in militia estis; pius erat, ac timens Deum*, &c. Viam obstruxit Chrysostomus, qua suam miles vitam incusat, vt castrensem excuset licentiam; & argumentum vrget, centurione laudato apud Matth. citatum. *Militiam prætexis, & dicis, Non possum esse pius: Centurio nonne miles erat? Nihil illi nocuit sua militia*, &c. *serm. aduers. Iudæos tom. 3.* ita Chrysostomus. Ac si vellet. Potest miles & Cæsarem, & Deum colere; sacra, & arma tractare; & classico, & psalterio canere; castris seruire, & astris studere. Vtrumque Officium bene obire visus est Nebridius, de quo Hieronymus Epist. 9. ad Saluin. *Nihil* (inquit) *militanti nocuit paludamentum, & baltheus: quia sub alterius habitu alteri militabat*, &c. Potuit & vtroque elogio notus esse miles ille, qui, Hildeberto auctore, missus in aulam, *sic militiam discceret, vt non dediscceret honestatem*, &c. *Epist.* 32. Vnde vis argumento est. Si Dauid, Centurio, Duces, & milites alij bello simul, ac Deo se deuouerunt, potuit & Manasses vtramque vitæ viam inire facilè. Potuit, fateor; Princeps tamen Deo addictus maximè, vel breues abrumpit moras, studio fouendæ pietatis.

Isa. c. 6. n. 3.

Cõuenit amice cum tuba profana sacra lyra.

Act. c. 10. n. 5.

Potest quisque in aula bonus esse.

6. Deinde vrget argumentum aliud. Cur Manasses tam citò premitur? Qui modò suum in regnum de seruitute rediit, & satis in Deum pius est? Sed ad fortunam aduersam ratio ab hoste altera est, à Deo altera. Facilè credo Manassen regno redditum ab Assyrio, tributo tamen imperato. Id si Manasses non soluit, quod ego coniecto ex muro extructo ad vrbem muniendam, paratisque ducibus ad hostem arcendum, 2. *Paralip.* 33. *num.* 14. satis Assyrio erat ad Manassen obsidendum. Et quidem hæc iam Assyrio fuerat occasio Manassæ vinciendi. quod notat Salian. *tom.* 4. *anno* 7. *num.* 15. Ferunt enim Reges dolenter fractam sibi fidem à Rege vectigali. Hæc Salmanasaro occasio belli mouendi aduersùs Oseen Samaritam 4. *Reg.* 17. *num.* 4. Nec Ezechias Sennacheribum excitat, nisi tributo negato *cap.* 18. *num.* 7. Quid prætexit aliud Nabuchodonosor, vt Sedeciam & bello premat, & nece? 2. *Paralipom. 36. num.* 13. *&* 17. Dolebat Iudæus grauiter tributum sibi impositum à Rege barbaro, cùm res populo selecto indigna esset. Et patet ex *Matth. 22. num.* 16. vnde impetus erat animi tributis negandis, vel cum metu fortunæ irritandæ. Bene est: sed cur Manasses impensè pius, belli patitur iniuriam Deo duce? Anne, vt se Princeps pio contineat in officio? Id ego puto, ac deinde adstruo.

2. Paralip. c. 33. n. 14.

Dolent Reges fractam sibi fidem.

4. Reg. c. 17. n. 4. c. 18. n. 7.

Velos. in Iudith.

PARÆNET. II.

Fortunam aduersam, bonis moribus aduersam non esse.

1. VItam boni viri mollem esse non patitur Deus Opt. Exercet, premit, durat aduersis, ne vitæ blandimento labatur in vitium. Censet id Seneca de nostro Deo ad lib. de Prouid. cap. 1. *Virtutum* (inquit) *non lenis exactor, sicut seueri patres; durius educat*, &c. Rectè monet. Quis enim pater suam non intendit ferulam, vt puerum ducat ad sanam mentem, & à turpi via territet? Non aliter Deus vrget homines ad piè viuendum, cùm suam vibrat scuticam, hoste euocato. Scio Dei templum multis annis extructum ab Esdra, & sociis; quod patet ex *lib. 1. cap. 6. num.* 15. Inchoatum opus sub Rege Cyro, *cap. 3. num.* 10. Interceptum ab hoste finitimo, *cap. 4. n. 4.* Ac proinde absolutum multis pòst annis opus est. De annorum censu lis est inter bonos interpretes. Alij templo extruendo assignant annos tres & viginti, Riber. *lib. 1. cap. 26. de Templo.* Alij ex Hebræa schola, annum sextum & quadragesimum templo absoluendo absumptum volunt: quod ego probo cum Maldonato apud *Ioann. 2. num.* 20. sed cur tam multi hostes bello continuo aduersùs Hebræos homines? Qui ad opus extruendum, manu altera trullam, & gladium tenebant manu altera, *lib. 2. cap. 4. n.* 18. Illud ab Euthymio responsum habeo. *Ne diuturna quiete inertiores fierent, atque ad priorem prauitatem redirent*, &c. Tenetur leo crate ferrea, ne ruat in homines, & sæuiat; tenetur homo fortuna aduersa, ne soluatur in scelera, & noceat. Sed & pios motus vrget dura Nemesis, cùm Hebræos vrget homines bello continuo. Quod Dauid canit Psalm. 149. num. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.*

Seuerus morum exactor Deus.

Esd. lib. 1. c. 6. n. 15. cap 3. n. 10. c. 4. n. 4.

Esdr. lib. 1. c. 4. n. 10.

Continet calamitas pios in officio.

Psal. 149. n. 6.

2. Et verò Deus Opt. eo consilio hostes inducit, vt viri boni piè cantus edant, & sanctè preces fundant, Paulino teste ad Carm. 8.

Vrgent mala ad pios cãtus.

——*vt formidine mortis*
Excitet ad vitæ curam, &c.

Sciebat Paulinus Ezechiam bello tentatum Assyrio, sacco se humili induisse, ac Dei opem imploraße, 4. *Reg.* 19. *n.* 14. Sciebat Iosaphatum bello petitum Ammonitico sacram domũ petiisse, & suam Deo fortunam commendasse, 2. *Paralip.* 20. *num.* 3. sciebat eam Deo curam esse, bello excitato, *vt formidine mortis excitet ad vitæ curam*, &c. Illud piæ mentis bonum collegere Hebræi homines ex vi tyrannica, scilicet, ne à fide sana amouerentur. Probant interpretes Hebræam gentem in lu-

4. Reg. c. 19. n. 14.

2. Paralip. c. 20. n. 3.

to Ægyptio, & ſub Rege Barbaro ita vixiſſe, vt ſuam Deo fidem ſeruarent: neque enim textus eſt, qui euincat aliud. licèt Ioſue moneat cap. 24. num. 14. *Auferte Deos, quibus ſeruierunt Patres veſtri in Meſopotamia, & Ægypto*, &c. Deinde, apud Ezech. *cap.* 23. *num.* 3. pungat acerbè Dominus Hebræam gentem, quæ ſub Olla, & Oliba, *Fornicata eſt in Ægypto* (inquit) *in adoleſcentia ſua*, &c. Nam textus explicantur bene de vitulo, qui prope Ægyptum conſecratus in Deum eſt, *Exod.* 32. *num.* 4. Itaque inter hoſtes, in luto, inter vibices, in fortuna miſera fidem Iudæus colit; exit ab Ægypto, hoſtes fugit, Horebum adit ſpoliis onuſtus opimis: ibi vitulus, vanus Deus, ludus malus, fides perdita. Vnde hæc inter fratres, metu excuſſo, intemperies? inter hoſtes, metu incuſſo temperantia? Nazianz. optimè Orat. 12. *Per communem* (inquit) *afflictionem collecti, & coniuncti, plebs ſancta vocabatur, & portio Domini: nonnunquam enim afflictio ipſa commodum eſt ad ſalutem pharmacum*, &c. Illud inſinuat Theologus, fortunam aduerſam vice pharmaci eſſe, quo ſuam quiſque firmat valetudinem. Vnde vis illa tyrannica Hebræos tenebat homines fide ſalua & ſana religione: deinde fecit, vt Iudæus auguſtum ſibi nomen faceret. Exod. 4. num. 22. *Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus*, &c. Ac ſi Iudæus vi preſſus patrare non auderet, quod à fide ſana, & ſacra familia alienum eſſet. In hac ſententia Chryſoſtomus eſt *ad Pſ.* 9. & Peluſiot. *lib.* 2. *epiſt.* 74.

Ioſ. cap. 24. n. 14.

Ezech. c. 23. n. 3.

Exod. c. 32. n. 4.

Flagrat aduerſis fides.

Exod. cap. 4. n. 22.

3. Quis igitur negitet excitatam hæreſim hoſte domeſtico, vt, qui aduerſis probantur, Deo ſe adſtringant religioſiùs? Suam & piam ſcholam canit multis nominibus Magiſter Dominus *Cant.* 1. cùm affectus caſtos, & pios motus explicat gentis vniuerſæ, *num.* 1. & 3. Sed calore ſubito addit ſchola num. 4. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, &c. Vbi pugnam exprimit (Bernardo teſte) hæreticam, vel ferro armatam, vel dolo inſtructam, *ſer.* 39. Quid igitur ſchola ſancta? Queriturne, an gratulatur? voces edit non triſtes, ſed faciles, vt pote de fraterno grege. *Filij* (inquit) *matris meæ*, &c. Vnde Bernardus. *Filios matris ſuæ contra ſe pugnaſſe memorat, non vt irata, ſed vt non ingrata*, &c. Et vnde tantus amor eſt de gratiis agendis? cur tam molles affectus in pugna domeſtica? Gratè fratres alloquitur, à quibus excitatur, vt magiſtrum adeat feſtinatò num. 6. *Indica mihi vbi paſcas*, &c. Bernardo hæret Gilbertus ſerm. 13. *Oportebat* (inquit) *hæreſes eſſe, oportebat & perſecutiones eſſe, vt tanto dilecto adhæreret tenaciùs*, &c. Cùm acerba pugna eſt, & fortuna aduerſa, quis piè inſtructus homo vim non facit, vt ſuum animo Deum teneat?

Cant. cap. 1. n. 1. 3. 4.

Creſcit pietas mala fortuna.

Grates pro aduerſis rependit iuſtus.

Hæret Deo fortius qui premitur grauius.

Peccat Hebræus Diis deuotus, cum regno perſtat incolumi: patet ex 3. & 4. *Regum libro.* Captus ab hoſte, & raptus in ſeruitutem; deinde rogatus, vt verſus Lyra formet. *Hymnum cantate nobis*, &c. *Pſal.* 136. *num.* 3. negat pertinaciter; nec vnquam inducit animum cantare rogatus, num. 4. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* &c. Religiosè pulſatur Iudæus inter hoſtes, qui vrbe patria inter ciues, frigebat ad ſanam fidem. In loco Chryſoſtomus. *Vides* (inquit) *quomodo reddit fortes afflictio? Quomodo facit compunctos? Quomodo mentes conterit?* &c. ſed à Magno id Baſilio eſt. quo teſte, multum piæ mentis addunt fortunæ triſtes morſus: vrgent enim, vt homo, ne modicè quidem legem terat. Quo Dauid metu quatitur, dum Saulem tangit, paludamento leuiter perſtricto? deciſa enim lacinia, textus eſt 1. *Reg.* 24. num. 6. *Percuſſit Dauid cor ſuum*, &c. Graui ſcilicet morſu animi. *Ægrè ferens* (teſte Oleaſtrio *ad* 2. *Gen.*) *quòd ſe ſe vindicare cœpiſſet*, &c. Hic tamen Dauid cùm ſua in aula otium aleret, Vriam perdit ferro Ammonitico 2. Reg. 12. num. 9. *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio*, &c. Itaque Dauid ſub hoſte Saule pius, ac iuſtus eſt, qui dum ſceptro perfruitur, & ſæuus, & iniuſtus eſt. quod notat Magnus Gregor. de Cura paſtor. 3. p. cap. 27. *Rectior* (inquit) *fuit in ſeruitio, quàm dum peruenit ad regnum; ſeruus amore iuſtitiæ deprehenſum aduerſarium ferire timuit: Rex verò perſuaſione luxuriæ deuotum extinxit militem*, &c. Vnde patet, quo Deus conſilio Manaſſen bello graui tentatum voluit, ſcilicet, vt pius admodum pium foueret ſtudium hoſte addito. *Patrium enim Deus habet animum aduersùs bonos viros, & illos fortiter amat*, &c. Auctore Seneca *ad lib. de Provid. cap.* 1.

Animum benè punzit mala fortuna.

1. Reg. c. 24. n. 6.

Fœda viro bono vindicta.

2. Reg. c. 12. n. 9.

Perdit hominem bona, ſeruat mala fortuna.

DISQVISITIO VI.

Qua ætate Iuditha Holofernem adierit?

1. PLACET vixiſſe Iuditham annis tantùm centum quinque, nec de textu etiam Latino, ſi bene prematur, aliud colligas; textus enim eſt, cap. 16. num. 28. *Manſit in domo viri ſui annos centum quinque*, &c. Id verò ſonat Vatablo, Saliano *tom.* 1. *anno Moyſis* 8. *num.* 11. Clario, Bellarm. *lib.* 1. *de verbo, cap.* 12. Serar. *q.* 1. Sanctio *Com. ad Exod.* 12. Clauſa, & expleta Iudithæ vita vniuerſa eſt anno quinto, & centeſimo. Textum explico textu ſimili. Agit Stephanus de ſeruitute Ægyptia, & fortuna miſera Hebræi populi, Act. 7. num. 6. *Malè* (inquit) *tractabunt eos annis quadringentis*, &c. Hæc Leuites, ne à Deo diſſideret, qui Abramo dixerat Geneſ. cap. 15. num. 13. & *affligent quadringentis annis*, &c. ſed cùm interpretes hiſce locis, (& *ad Exod. cap.* 12. *ad Galat.* 3. *ad Iudith cap.* 5. vbi minutior ea de re erit diſputatio,) apertè ſtatuant, ſeruitutem Hebræi populi duraſſe annis ducentis, non quadringentis; textum ita explicandum cenſent, vt non tot anni tranſacti, ſed terminati fuerint ſeruitute Ægyptia. Solet enim Scriptura annos vitæ vniuerſos denominare à vitæ parte extrema. Quod Auguſtino placet *in Exod. q.* 46. & *lib.* 16. *de Ciuit. cap.* 24. Addit locum de Thare patre Abrahæ *Gen. cap.* 11. *num.* 32. de quo textus Græcè, *Fuerunt dies Thare in Charra, anni quinque ducenti*, &c. *Non quòd omnes ibi acti ſint, ſed quòd ibi completi*, &c. ita Auguſtinus. Addit Sanctius locum de fœmella,

Act. c. 7. n. 6.

Gen. cap. 11. n. 32.

fœmella,quæ apud Samsonem fleuisse dicta est
Iudic. 14. n.17. Iudic.14. num.17. *Septem (*inquit*) diebus*, &c. Non quòd fleuerit hebdomada solida,sed quòd fletus ibi expletus fuerit; cùm textus habeat *num.* 14. tentatum Samsonem fletu muliebri, post tres dies conuiuales. quo etiam modo anni centum quinque à Iuditha non transacti, sed peracti, & terminati in Manassæ domo.

2. Bene est;sed quoto ætatis suæ anno Iuditha Holofernem adiit? Placet Iuditham quadragenariam ad Holofernem se contulisse.Probat id Serar.*ad cap.*16.*q.*2.Bellarm.*lib.citato*, Salmer. *tom.*16.*epist. ad Hosium.* Cùm enim à Manasse reditu ad Iosiæ diem vltimum excurrant anni octogeni; vnde ad summam pacis continuæ, detraho annos quindecim, supersunt anni quini sexageni: hosce verò annos ab annis centum quinque si demas, remanent anni quadrageni;quos Iuditha habuisse visa est, cùm Holofernem adiit.

3. Opponis, quindennium à Iudithæ fato satis non esse, vt habeatur pro multis annis pacis continuæ, quam textus laudat cap. 16. num. 30. *& post mortem eius, annis multis*, &c. Sed quot annis piè Hebræus vixit post Iosuen? vt dicatur de senioribus: *Qui multo vixerunt*
Iudic.2. n.7. *tempore*, &c. Iudic. 2. num. 7. Abulens. *q.* 12. docet, & probat fuisse annos viginti, vel certè quindecim, qui satis, supérque sunt, vt multi dicantur anni. *Scriptura enim interdum vocat longum tempus, annos duodecim, vel pauciores*, &c.Abulensi hæret Salian.*tom.*1.anno Othon. 4. *num.* 10. Quæ quidem interpretatio bene quadrat in annos quindecim pacis continuæ. Premis adhuc argumentum: Quî fieri potest vt mulier quadragenaria à Bagoa puella dicatur? *cap.*12. *num.* 12. vbi Latinè, *Bona*(inquit) *puella*: Græcè παιδίσκη ἡ καλὴ, *pulchra puella. Nam ipsas adolescentulas, propter ætatis vigorem, diminutiuè, puellarum nomine honorari*, &c. Auctor est Clemens Alexand. 1. *Pædagog. cap.* 5. Sed nouum non est lenones vitio insignes, qualis Bagoas, vel matronam viro adiugatam, arte lenonia puellam vocitare. Nónne Paris ad Helenam maritatam,

——— *Nec dedignare maritum*
Rure Theraphnæo nata puella Phrygem, &c.

Sic Naso, & iterum Magister *lib.* 3. *Eleg.*1. nec Posthumus aliter ad vxorem.

Quid faciat nullo munita puella timore? &c. Propert.*lib.*3.*Eleg.*11.

Sic Bagoas ad Iuditham viduam.*Pulchra*(inquit) *puella*, &c. sciebat leno perditus, quantum voces adulatrices moueant affectus muliebres: quod ego vel à Iudæo magistro disco. *Flectunt laudes ad officium.* Nam cùm vellet Salomon, vt puella rusticatum abiret, agerétque de vitibus putandis, Cantic. 2. num. 12. *Tempus* (inquit) *putationis aduenit*, &c. iis puellam inuitat blanditiis quæ formam pingunt ingenuam, num.10.*Surge, propera amica mea,columba mea,formosa mea, & veni*, &c. Et cùm sciret Salomon, qua vi molles voces puellam alliciant, voces iterat, venustate laudata, num. 13. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni*, &c. quod scitè notat Philippus Abbas lib. 3. cap. 11. *vt posset eam magis permouere, studet blanditiis, blandisque nominibus promouere*, &c. Castè sponsus sponsam vrget, licèt pro genio muliebri: perditè Bagoas aduersùs Iuditham, & lenonio artificio; quo vel casta Lucretia pereat miserè, cùm sciat vel bardus, ac rusticus homo.

PARÆNET. I.

Molles sermones castitatis hostes esse.

MOnet Hieronymus *epist.*8.*ad Demetr.* fugiendam puellis esse cantionem formæ laudatæ. *Perditæ* (inquit) *mentes hominum,vno frequenter, leuique sermone tentant claustra pudicitiæ*, &c. Qua arte iuuenem instruit Magister artis amatoriæ lib.1. 1.

Nec faciem,nec te pudeat laudare capillos,&c. Sed fugiat, necesse est molles blanditias casta Susanna. Petis fortasse cur Pastor Dominus puellam ab vrbe suum inuitat ad ruscum, Cantic. 1. num. 8. *O pulcherrima* (inquit) *inter mulieres, egredere, & abi*,&c. Itáne ab hortulo ad agellum,ab hominum grege ad ouium greges euocatur?Fortasse virgo,vel cauta, inter ciues, inter iuuenes, inter procos, molli tentata susurro, & laudum cantu facili castimoniæ subiret aleam, & periret miserè, cùm deperiret iuuenem. Sic Philipp. Abbas lib. 2. cap. 3. *Difficile* (inquit) *est virgini egregiam forma se sentire, & laudanti frequenter flexo nunquam genu consentire*, &c. Cur non cedat cantilenis adulantibus, quæ aures præbet faciles? Nazianz. teste. *Facile impostura facit, quidquid delectat*, &c. *Orat.* 4. Timeat puella in laude fascinum;scio enim fuisse homines, Plinio auctore, *quorum laudatione intereant probata, arescant arbores,emoriantur infantes*,&c. *lib.*7.*cap.*2. Cur non vincant puellam facilem, ac simplicem procaces laudes? Cant.c.1. n.8. *Periclitatur castitas, si commendatur venustas.*

2. Iubet Moyses, vt Hebræa mulier argentum, & aurum exigat à fœmina, vicina, hospita, Exod. cap. 11. num. 2. *Postulet vir ab amico suo,& mulier à vicina*,&c. Sed iam pridem c. 3. num. 22. *Postulet mulier ab hospita sua*, &c. scilicet à contubernali, & concellanea; quæ vox Augustino placuit *q.* 39. Nunc ego: cur non à viro mulier, & homo à fœmina aurum petit? Timet ne Moyses viri sermonem cum fœmina? Timet, & laudes à viro quæ fœminam mollire solent, & lactare perditè. Inde puto, metus castis fœminis est de viri sermone culto, & facili. Accipit Rebecca à viro ornamenta pulchrè laborata, Gen.24. num. 22. *Protulit vir inaures aureas*, &c. Audit sermonem facilem: *Cuius es filia?* num. 23. sed matrem citò adit, num.28. *Cucurrit puella,& nuntiauit*, &c. Quid renuntiat? fortasse quæ acceperat? minimè, sed: *Quæ audierat*, &c. Cur matrem puella conuenit pede celeri? Cur nihil de munere,sed de sermone renuntiat?sermonem cum viro habitum abrumpit virgo cauta,& matrem consulit, timens fortasse, ne qua sub voce leni pestis esset: ne sub melle venenum, sub esca hamus,sub herba serpens lateret.*Virginum enim est omnes viri affatus vereri*, &c. monet Ambros. *lib.* 2. *ad Luc.* 1. Exod. cap.11. n.2.c.3.n.22. *Nocent provaces laudes.* Gen. cap.24. n.22. 23.28. *Nominum voces timet casta & cauta virgo.*

3. Timet & mulier alia viri molles voces de infante alendo, Iudic. 13. n.3. *Concipies, & paries filium*, &c. qui quidem homo, & facie erat Angelus, & sermone facilis. *Habens vultum* Iudic.cap.13. n.3.6.

Angelicum, &c. *n.*6. Rogo enim cur marito renunciat mulier, quidquid audit à viro venustatis Angelicæ? *Quæ cùm venisset ad maritum suum, dixit*, &c. Ambrosius laudat metum vxoris optimæ, & tori fidem castam, lib. 9. epist. 70. ad Virgilium. *Nec passa* (inquit) *sine viro scire diuinitatis secretum, insinuat marito*, &c. Egit vxor cautè, & castè; ne quam tori fraudem sub forma Angelica homo tegeret. Quæ enim mulier, si casta est, non timet voces hominum faciles, & molles aditus? Longè ab hac loquendi illecebra Virgo Mater aures auocat; nam domesticis clausa tenebris latet modestè; nec nisi festinatò, cognatam adit. Luc. 1. n. 39. *Ne quo degenere deprauaretur affatu*, &c. Quod aduertit Ambrosius *loco in Lucam citato*. Multus enim dolus subesse potest blandis salutationibus. Quo metu Virgo Mater cum blandè, & officiosè saluraretur ab Angelo adolescentulo: *Aue gratia plena*, &c. num. 28. casta, & cauta. *Cogitabat, qualis esset ista salutatio*, &c. Ex Theophylacto ad lit. *Num absurda, & procatrix*, &c. solent enim lenones molliter salutare, vt puellam alliciant. quales Bagoæ voces, & laudes ad Iuditham.

Suspecta viri cuiusque vox ad mulierem.

Luc. cap. 1. n. 39. n. 28. *Cauta ad Angeli vocem virgo Mater.*

4. Sed vrges adhuc. Itane potest seruare florem venustatis mulier quadragenaria, cilicio induta, & ieiunio detrita? vt puella dicatur iure merito? De mensa tenui, & sacco cilicino textus est, cap. 8. num. 6. *Habens cilicium ieiunabat omnibus diebus*, &c. Quæ se mulier ita lancinat victu, & vestitu, nec puella, nec pulchra esse potest, cute malè contracta. Quid tamen si vel septuagenaria pulchrè valeat? Vide Iosephum *lib. 5. Antiquit. cap.* 10. Abulens. *ad* 1. *Reg. cap.* 1. Hildebert. *epist.* 42. Probat id Moyses de Sara, quæ vt pulchra à viro laudata, *Gen.* 12. *num.* 12. à Rege surrepta, *num.* 15. cùm per id tempus foret septuagenaria; quod notat Abulens. Gen. 16. Vnde Chrysostom. Hom. 32. *Cùm in senectam* (inquit) *vergeret, adhuc in facie durabat vigor pulchritudinis*, &c. Quanuis id non vi natiua, sed dono datum putat Lyra ex Hebræa schola. *Propter eius sanctitatem*, &c. Bene est, tuetur sacra, vita sanctè acta, florem venustatis? tuetur & Iuditha formæ bonum mensa tenui. Certè cibo castigato valent bene homines, & pulchrè vrgent. quod obseruat Clemens Alex. 3. Pædag. cap. 11. *Non solùm ex his sanitatem corpus obtinet, sed & facit, vt appareat pulchritudo*, &c. Vtroque bono inuitat Magister homines ad cœnam facilem. Quis igitur neget

Gen. 12. n. 12.

Venustas virtutum studio parta.

PARÆNET. II.

Parari sanitatem, & venustatem, mensa tenui.

1. DIsciplina erat Laconica iuuenes alere cibo tenui, ac parabili, quo parerent sibi & sanitatem, & venustatem, Plutarcho teste *ad lib. de Lacon. instit.* Nec à Plutarcho longè abest Hebræus Plato, qui aduersùs Caium, *Temperantiæ* (inquit) *merces, est robur, & sanitas*, &c. qui enim bene valet, morbum pellit cibo castigato. Nec monent aliter Magni Hippocrates. Eruunt interpretes è sacro textu vixisse Christum Dom. ad Crucem vsque sine morbo. Probat id Suares *in* 3. *p. q.* 14. *art.* 4. *tom.* 1. *disputat.* 32. *sect.* 2. Vasquez *tom.* 1. *in* 3. *p. in locis citatis*, addúntque temerè locutos homines, qui asserunt Dominum morbo qualicumque laborasse. Cur id acciderit, disquirunt. Athanas. *de Verbo Incarn.* illud putat, & docet non decuisse, vt morbo tentaretur, qui morbos sanabat hominum; & hæc ratio magistros pungit, qui vitio insignes vitia volunt aliena curare. Sed illud ex D. Thoma responsum esto, 3. *p. q.* 14. *art.* 4. Christum Dom. benè valuisse morbo depulso, vt qui frueretur semper mensa tenui, vel inuitatus à viro nobili. *Manducare panem*, &c. *Luc.* 14. *num.* 1. Hugone interprete, *Non fercula voluptatis, sed panem necessitatis*, &c. Quasi eo pacto Dominus inuitari se passus fuerit, vt ad panem, & salem nihil adderet. Hæc enim parata à Deo mensa est *Num. c.* 4. *num.* 7. vbi textus, *Panes* (inquit) *semper in ea erunt*, &c. Quod ad panem textus addit in Leuitico, est cap. 24. num. 7. *& pones super eos*, Græcè, λίβανον, καὶ ἅλας, *thus, & sales.* Tenuis profectò cœna, & mensa castigata. Vbi dapes Siculæ? vbi iuscula Sybaritica? vbi gulæ irritamenta reliqua? scitè Hebræus Philo de hisce panibus ad lib. de Victim. *Ij* (inquit) *nos admonent temperantiæ inter omnes virtutes vtilissimæ: panem enim contentus esse potest sectator sapientiæ, habiturus sanum corpus, & mentem sobriam*, &c. Nec salinum in cœna tenui temerè appositum: si enim sanum est, quidquid sale conditur, salino ad panem simplicem addito significatur valere prosperè homines, qui cœnant parcè. Vsus valetudine prospera Vespasianus est ad diem vsque vltimum, Suetonio auctore, *Quia per singulos menses vnius diei inediam interponebat*, &c. *cap.* 20.

Luc. c. 14. n. 1.

Constat sanctitas cibo tenui.

Num. cap. 4. n. 7.

Leuit. c. 24. n. 7.

Colenda perpetuò temperantia.

2. Nosti multos à Deo cibos interdictos esse Hebræo populo? Certè animantes aliæ in cœnam adiectæ, reiectæ à cœna aliæ, ad Leuit. cap. 11. num. 47. *vt sciatis, quid comedere, quid respuere debeatis*, &c. Quid rerum hoc est? ita manum trahit Magnus Deus, vt bolum eruat è faucibus hominum? cur tanta de cibis vitandis cura est? an ne sibi cogit in cœnam Dominus, quod negat aliis? scilicet id curat, qui ad lyram canit Ps. 49. num. 12. *Si esuriero, non dicam tibi*, &c. Curat igitur bonus Æsculapius, vt cibo castigato prosperè valeant homines, & pancraticè. Facit in sententiam Clemens Alex. 2. Pædag. cap. 1. *Iudæis* (inquit) *per legem summo consilio annuntiatur frugalitas*, &c. Nec dissidet Tertullianus *ad lib. de Ieiunio, cap.* 4. & 5. Addit tamen punitam gulam Hebræi populi, qui ad nauseam vsque vltimam coturnices voluere, petiere, collegere, *Num. cap.* 11. *num.* 31. quod ad lyram Dauid cecinit Ps. 104. num. 40. *Petierunt, & venit coturnix*, &c. Vnde occasio voluptatis premendæ nata est. *Tam ingratis* (inquit) *gratiora, & esculentiora quæque detracta sunt, puniendæ simul gulæ, & exercendæ continentiæ causa, vt illa damnaretur, ista erudiretur*, &c. Sed quid inde boni? temperantiæ merces est robur, & sanitas. Medicum agit Deus Opt. & cibo tenui firmat valetudinem hominum. *Vnde, quæso, ô homo, Deum meruisti medicum habere?* clamat in loco Oleastrius. Cùm igitur ad sanitatem faciat mensa castigata cibo tenui: inde putat Lyra vixisse homines

Leuit. c. 11. n. 47.

Sani sit moris, qui mores curat alienos.

Castigatam Hebræo cœnam esse Deus voluit.

Num. c. 11. n. 31.

Ps. 104. n. 40.

De gula pœnas sumet temperantia.

Cùm tibos vetat Medicum Deus agit.

homines multis annis benè ſanos priſco æuo. Percurre cap. 5. Geneſeos ab Adamo ad Lamechum vſque,ibi vita hominum vltra ſeptingentos annos prorogata. Ratio ea de re multiplex apud Lyram. *Secunda eſt ex modo viuendi, quia temperatè viuebant*, &c. Hæc de ſanitate: quid de venuſtate ?

Producta cibo tenui vita hominum.

3. Hæc & parſimoniæ merces altera, vt qui parcè viuit,& cœnat,florem non perdat venuſtatis. Conſtat ex Daniele,& contubernalibus, quibus nec vile oluſculum offecit, nec aqua ſimplex, vt ſaniores euaderent,ac pulchriores, *Dan.* 1. *num.* 12. *&* 15. Sed & pulchra Aſſuero Heſther eſt,quod Mardochæus tradit,cap. 5. num. 2. *Placuit oculis eius*,&c. Nec miror adoleſcentulam facie perpulchra fuiſſe, quæ roſeo eſſet colore,& patet ex *cap.* 11. *num.*8.Sed vnde Heſtheræ tam pulchra facies?tam ſuaues colores ? tenella eſt, Regina eſt, & decocta ieiunio triduano. *Ego* (inquit) *ſimiliter ieiunabo*, &c. *cap.* 4. *num.* 16. nec corrumpit faciem cute exhauſta. Benè Iuſtinianus, *Heſther* (inquit) *pulchrior ſobrietate effecta eſt* , &c. *ad lib. de ligno vitæ, cap.* 2. *de ſobriet.* Suam tamen Ambroſio debet ſententiam *ad lib. de Helia,cap.*8. Vides non marceſcere florem venuſtatis menſa tenui, & cœna terreſtri ? Id vi natiua Apollonius ſibi paraſſe viſus eſt.Erat Magus forma tam pulchra, vt quos tractaret homines, facilè ad ſe traheret,teſte Philoſtrato *lib.* 1. *cap.*9. nec formam detriuit cœna caſtigata, vili oluſculo: quod notat Philoſtratus *cap.* 5. Quid ſi quis ieiunio deuotus formam oſtendat venuſtatis Angelicæ? Id profectò Marcus inſinuat cùm Ioannem appellat Angelum ex Malachia c. 3. num. 1. *Angelum*(inquit) *meum*,&c.Nam paucis pòſt verbis,minutè docet *cap.* 1. *num.*6. qua Ioannes menſa frueretur. *Locuſtas edebat*, &c. facilè vt noueris hominem, qui ieiunat, vigere forma Angelica. *Ideo* (inquit Ambroſius,) *quia vitæ humanæ poſſibilitatem continentia ſupergreſſus fuerat, non homo, ſed Angelus æſtimatus eſt*, &c. *ad lib.cit.cap.* 3. Cur non Chriſto Angelus ? *Quem Ioannes abſtinentiæ magiſter, nouus terrarum Angelus annuntiauit*?&c.Iterum Ambr. *lib.*10. *epiſt.*82.

Non corrumpitur pariei ieiunio.

Dan.c.1.n.12. 15. Heſther c.5. n.1. cap. 10. n.8.c.4.n.16.

Malach. c.3. n.1. Marc. cap.1. n.6.

Vis in cibo tenui ad venuſtatem Angelicam.

Addo Moyſen Hebræo populo Angelum fuiſſe, non hominem, pulchra facie : neque enim Moyſen homines proſpiciunt, niſi vultu obuelato. quod lego *Exod.* 34. *num.* 29.& Paulus expendit 2. *ad Corinth cap.* 3. *num.*7. *Propter gloriam* (inquit) *vultus eius*, &c. Vnde hæc tam læta venuſtas viro ſancto fuerit, ſcitè docet Hieronymus *lib.*2. *aduerſus Iouinian.* cùm enim textus agat proximè de Horebo, quo Moyſes n.28.*Panem non comedit,& aquam non bibit*,&c. ſignanter oſtendit corruptam ieiunio viri formam non eſſe.*Vultum* (inquit) *ieiunantis Moyſi, & Dei confabulatione cornutum paſtus,& pinguior populus ſuſtinere non potuit*,&c.Quæ nam à cibo tenui pulchritudo eſt ? *Cùm nec ipſum Moyſen Deo paſtum, inediamque eius nomine ſaginatam conſtanter contemplari valeret pinguior populus*, &c.Hæc Tertullianus *de Ieiun cap.*6. Ea eſt ratio, cur Moyſes, & Helias in Thabore apud Dominum,*viſi in maieſtate*, &c. *Luc.*8. *num.*31. quod Tertulliano eſt, *viſi in conſortio claritatis*, &c 4.*lib.aduerſus Marcion.c.*22. Erat in Thabore Dominus,& facie ita venuſta,vt cum ſole contenderet. Ibi Moyſes, & Helias ſolito pulchriores. *Viſi in maieſtate, & conſortio claritatis*; ſed erant homines ieiunio decocti quadragenario. Nam de Moyſe dictum proximè:de Helia *ad* 3. *Reg.* 19. *n.*8. Hoſce igitur homines ſui continuos Chriſtus habet,vti aulicos ſanctè & caſtè nitidos. quod Tertulliano placuit. *Meritò ſe Dominus illi oſtendit collegæ ieiuniorum ſuorum, non minus & Heliæ*, &c. *ad lib. de Ieiun. cap.* 6. Erant igitur homines cute molli,& mulieres facie nitida, ieiunium abnuant metu damni, nam homines vita ſancti,& menſa parci certò ſciunt, quid valeat vel ad formam concinnandam parſimonia ; aut enim mulcet naturæ temperamentum, aut Dei parat auxilium:ne quis Iuditham ſuo maceratam ieiunio, pulchram,ac venuſtam fuiſſe neget. Huc vſque dubia prologiſtca,vt res ferebat. Quæ ſunt reliqua,& minus pungunt, ſuis ſoluam locis.

4.

Exod. c. 34. n.29. 2. ad Cor. c.3.n 7.

Pulchrior à ieiunio Moyſes euadit.

Luc.8. n.31.

Grata Deo parſimonia.

IN IVDITHÆ LIBRVM.

CAPVT I.

IDEo duce rextum verſo, & grande ſaxum voluo, ſed vis à Deo, non metus à ſaxo eſt, ſi manum cum Deo moueo. Canto, quæ ſolitus, ad Hebræam lyram Dauid Pſalm. 17. num. 2. *Dominus firmamentum meum*, &c. ſiue Hebraicè סלעי *Salhhi*, id eſt, petra mea, ſcilicet ad auxilium.

Pſal. 17. n. 2.

Num. 1. Arphaxad itaque ſubiugauerat multas gentes.

Commentarius.

1. DE Arphaxado non eſt, quod addam. Arbacem reputa, ſiue Deiocen, quod ſtatuo in dubiis prologiſticis, Ducem Medis præfectum, ſiue Regem Aſſyrio tributarium. Illud in loco diſcutio, cur Medus gentes ſubegerit manu iniecta? ſed Arphaxadus Herodoto vulpes, & Leo eſt, *lib.* 1. qui Sennacheribo interfecto, & turbata Niuiue, rapuit occaſionem deficiendi ab Aſſyrio; eóque profecit, vt dolo Medos, vi Armenios ad ſe traheret, more hominum, qui, Iuſtino teſte lib. 22. *Amicitiarum iura non fide, ſed ſucceſſu ponderantes deficiunt*, &c. & bellum cauponantur. Fidem ea de re firmat Salomon Prou. cap. 18. n. 1. *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico*, &c. Hebræo textu, *Ad appetitum quærit ſeparatus ab amico*, &c. Nam vox Hebræa תאוה *Taaua* appetitum ſonat. In loco igitur, quòd malus (inquam) homo ſoluat amicitiam, non eſt ratio; pro ratione voluntas eſt, voluptas eſt. Prætexit pro affectu cauſam, & cauſatur iniuriam; ne videatur amicitiam temere renunciare. Eo in metu Ioramus erat, cùm Benadab Naamanum à lepra ſanum vellet, miſſis ad Ioramum literis, *vt curet eum à lepra ſua*, &c. 4. *Reg. c. 5. num.* 6. Nam turbatus metu Ioramus, *Videte* (inquit) *quòd occaſiones quærat aduerſum me*, &c. ſcilicet (Abulenſi interprete) *vt per hoc habeat colorem ad nocendum mihi*, &c. q. 4. Non id tentat Benadad: ſed Ioramus timet prudens, ac ſciens, quid Syrus in Achabum molitus fuerat, 3. *Reg.* 20. *num.* 7. Abulenſ. optimè q. 5. *Hoc* (inquit) *rationabiliter poterat credere, quia iſte Benadad viuente Achabo, quærebat occaſiones contra eum*, &c. Ne quis neget

Fidem homines datam frangunt pro libito.

Prou. c. 18. n. 1.

4. Reg. c. 5. n. 6.

Vim Reges faciunt colore mentito.

PARÆNET. I.

Amicitias hominum temporarias eſſe.

COnſtat liquidò ſolui facilè amicitiam cuiuſque hominis rebus turbatis: ac proinde amicum ab amico, ſole ſcilicet occidente, diſſentire turpiter. Nam, Iuſtino Auctore lib. 5. *Quò ſe fortunas, eodem & fauor hominum inclinat*, &c. Erat Achitophelus in Senatu Dauidico facilè Princeps, quidquid cenſeret, prorſus erat oraculum, 2. Reg. 16. num. 23. *Quaſi, ſi quis Deum conſuleret*, &c. *quo merito appellatum ſcio hominem Antonomaſticè Conſiliarium Dauid*, &c. *cap.* 15. *numer.* 12. ſed cùm Dauid regno pulſus ægrè haberet, Abſalomo in patrem irritato, Achitophelus à Rege deficit ad Principem, & Solem Orientem adorat officiosè; deinde ſuam præſtat operam, vt Regem premat, cap. 17. n. 1. *Perſequar* (inquit) *Dauid hac nocte*, &c. negata iam præfatione honoraria. Verſat vtroque ingenium Achitophelus, fortuna varia conſultor varius. Inſpexit bene Procopius genium hominis, ac tandem, *Certum eſt* (inquit) *Achitophelem rebus ſe præſentibus accommodaſſe*, &c. Cùm Dauid ſua fruatur aula, homo omnium horarum Achitophelus, cum Rege totus eſt: cum Dauid malè dolet, vrbe exactus, Principem ſua iuuat manu; ſcilicet, ne corrumpat opportunitatem fortunæ conciliandæ. Sed & Razon Adarezerem vrget grauiter. *Factus latronum Princeps*, &c. 3. *Reg. cap.* 11. *n.* 29. manu contracta aduersùs Regem. Non tamen fortunam prius tentat, quàm Dauid Adarezerem tundat bello graui. quod textus habet 2. Reg. 8. n. 3. *Percuſſit Dauid Adarezer*, &c. Captabat Razon occaſionem erigendi ſeſe; ſenrit Regem malè mulctatum; ſcitè, ac citò manum cum Marte mouet. *Quia regno turbato per Dauid, habuit liberiorem ingreſſum*, &c. Ita Lyra. Vides citò fluere amicitiam cuiuſque hominis amico malè quaſſato.

2. Reg. c. 16. n. 23. c. 15. n. 12. c. 17. n. 1.

Solem occidentem contemnit adulator.

3. Reg. c. 11. n. 29. 2. Reg. c. 8. num. 3.

Rebus turbatis fortunam tentat regni cupiens.

2.

Abeant turpiter amici omnino perſonati; quibus cum Hieremias dolenter expoſtulat *cap.* 9. *num.* 4. & à quibus hominibus cauendum monet. *Omnis* (inquit) *frater ſupplantans ſupplantabit*, &c. Neque enim dolo confecto friget, ſed fraudem adhuc texit aliam. Vnde, *ſupplantans* (inquit) *ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet*, &c. Vbi vox Hebræa רכיל *Rachil*, *& negotiator, & impoſtor eſt: à radice* רכל *Rachal*, quod eſt *negotiari mercatu*: ſiue quòd negotiatores fraude agunt, Vatablo interprete: ſiue quòd amicus fricatæ amicitiæ fraudes

Ierem. cap. 9. num. 4.

Dolum de dolo malus nectit.

fraudes texit, modò ſuum agat negotium. Vel ab amico Dauide fraudem timet pater aduersùs Ionatham, quo metu Dauidem adigit ad deierandum perſanctè. 1. Reg. cap. 24. num. 22. *Iura* (inquit) *mihi, ne deleas ſemen meum*, &c. Quò metus iſte? neſcit ne Saul initum cum Ionatha pactum hac de re? id textus habet c. 22. num. 8. *Cùm filius* (inquit) *meus fœdus inierit cum filio Iſai*, &c. & videtur agere de pacto duplici, *ad cap.* 18. *num.* 3. *ad cap.* 20. *num.* 16. Quid igitur Dauidem ſacramento vrget ad fidem amicitiæ? Doctè Abulenſ. q. 28. ad cap. 24. *Quanquam iſtud fœdus fuiſſet interpoſitum, tamen Saul putauit, quòd Dauid non ſeruaret illud ad Ionatham*, &c. Malè Saul de bono cogitat Dauide; ſed prudenter agit, teſte Abulenſe, *Deſiderium enim regnandi impellit hominem ad maiora facinora*, &c. Multa cauſatur homo rerum cupiens, & minima quæque exaggerat, vt amicitiam vel diſſuat, vel diſcindat: ac proinde cauet Saul ſibi, & filio, cùm fidem amicitiæ iuramento firmat. Vel patruum timet Saul, cùm ſciat regno adminiſtrando ſe delectum eſſe, Vate Samuele 1. *Reg.* 10. *num.* 1. vbi Vates, *vnxit te Dominus in Principem*, &c. Nam rogatus à patruo Saul, vt proferret, quid à Samuele audiſſet: reſpondet facilè certum ſe de aſinis factum eſſe; additque textus num. 16. *de ſermone autem regni non indicauit*, &c. Si quis roget, cur Saul vel patruo tacuerit, quæ ſuum ad ſceptrum pertinerent? Ioſephus optimè. *Quod amico* (inquit) *& ſanguinis vicinitate coniuncto cautum, aut ſapiens credidit non indicare; dubitans, vt reor, de humana natura*, &c. *lib.* 6. *Antiquit. cap.* 4. Neque enim perſtat amicè, qui amico fortunam inuidet: ſed occaſione vel oblata, vel concinnata fidem malè frangit.

1. Reg. c. 24. n. 22.

Fraudes texit regnandi libido.

1. Reg. c. 10. n. 1.

3. Iam verò ſi qua ab amico offenſa eſt, tenera eſt amicitia, & citò diſcinditur. Eo in metu erat Abimelech, cùm Iſaacum adiret, vt ſarciret amicitiam iuramento interpoſito. *Sit iuramentum* (inquit) *inter nos*, &c. *Geneſ.* 26. *num.* 28. Sed quo id pacto? *vt non facias nobis quidquam mali*, &c. Quid timet Abimelech à viro vitæ integro? quòd ab offenſo, & expulſo: nam Princeps ad Iſaacum, *Recede* (inquit) *à nobis*, &c. *num.* 16. Ac proinde, qui malè egit, benè timet ſibi, & ſcitè cauet, Ioſepho Auctore. *Metuens, ne prior amicitia nihil prodeſſet, amicitias rurſum cum eo firmauit*, &c. *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 26. certus omnino Abimelechus erat, læſo amico vel etiam leuiter, ſolui amicitiam. Succurrit Labanus in ſententiam, à quo vox illa ad Iacobum eſt, Gen. 31. num. 44. *Veni, & ineamus fœdus*, &c. Deinde aceruo lapidum extructo, addit preces num. 49. *Intueatur, & iudicet Dominus inter nos*, &c. Cautè Labanus agit, ne Iacobus premat ſocerum. Et quare tantus Labano metus eſt de Iacobo? an ne à communi hominum genio? Vnde Poëtes queritur:

Geneſ. c. 26. n. 28.

Vindictam cogitat læſa amicitia.

Geneſ. c. 31. n. 44.

——— *Non hoſpes ab hoſpite tutus,*
Non ſocer à genero? &c.

Sentit Labanus Iacobum non leuiter queſtum eſſe num. 36. *Tuménſque Iacob ait*, &c. Inde metus, ne læſus homo vel ſocerum malè habeat amicitia renuntiata. Quid ſi hæc Arphaxado fuit occaſio, vt ab Aſſyrio deſciſceret? ſed fortaſſe illud in lingua promptum habebat, quod Cæſar frequenter: *ſi violandum ius eſt, regni cauſa violandum eſt.*

Cauet ſibi Labanus à genero offenſo.

Ædificauit ciuitatem potentiſſimam, quam appellauit Ecbatanis, &c.

Commentarius.

1. VOlunt Hæretici derogatam libro auctoritatem, hoc textu, cùm Ecbatanam ab Arphaxado ædificatam dixerit, quæ ante Babylonem ſtetiſſe viſa eſt Diodoro *lib.* 2. ſed vrbem ab Arphaxado extructam cùm lego, muris, & operibus adornatam intelligo. Neque id ſacris literis nouum eſt, vt qui vrbem muris cinxerit, nouiſque operibus adornauerit, dicatur exædificaſſe. Babylonem à ſe conditam dicit gloriosè Nabuchodonoſor Dan. 4. num. 27. *Hæc eſt* (inquit) *Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni*, &c. Sed vrbem à Memrodo extructam inſinuat Moyſes non obſcurè Gen. cap. 10. num. 10. *Principium regni eius, Babylon*, &c. Sionem vi Dauid occupat, 2. *Reg.* 5. *num.* 7. ſed ædificatam ab Hebræo arcem lego, num. 9. *Ædificauit per gyrum*, &c. cùm arcem muniret noua mole. De textu eſt Sichem Abimelecho patriam fuiſſe, *Iud. c.* 9. *num.* 1. Deinde Roboamum in Sichima regni conuentum feciſſe, 3. Reg. 12. num. 1. *Venit Roboam in Sichem*, &c. Sed lego vrbem à Ieroboamo extructam eſſe, num. 25. *Ædificauit Ieroboam Sichem*, &c. quod Sichimam pulchrè exornauerit, & nouis rebus munierit. Non moror in re trita. Vide interpretes Laudunenſ. & Hugon. apud Serar. *q.* 7. qui è Græco textu explicationem eruit. Vbi Græcus ad rem addit, ᾠκοδόμησεν ἐπ' ἐκβατάνων. *Ædificauit in Ecbatanis*, &c. id verò eſt, vrbem iam extructam Arphaxadus nouis, ac pulchris ornauit operibus.

Dan. cap. 4. n. 27.

Gen. cap. 10. n. 10.

2. Reg. c. 5. n. 7.

Iudic. 9. n. 1. 3 Reg. c. 12. n. 1. 25.

2. Ad vrbem muro firmandam ratio Arphaxado potuit duplex eſſe, altera vt vim à ſe abigeret, quod Lyra monet. Nam cùm defeciſſet ab Aſſyrio, bellum timuit de tributo repetundo: proindéque vt hoſtem à ſe arceret, vrbem muro munitam voluit: non aliter, ac Caïnus ille, qui vrbem extruxit metu concepto. Quòd vrbem condiderit, textus eſt Geneſ. 4. n. 17. *Ædificauit ciuitatem*, &c. Quòd ex metu opus conſtruxerit, ſentit Rupertus lib. 4. in Gen. cap. 10. *Quia fratrem ſuum occiderat, & ob hoc omnibus odioſus erat, vagus, & profugus, ciuitatem, qua ſe tutaretur, ædificauit*, &c. Sed Rupertus Ioſepho hæret *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 2. Non alius à Caïno malo Nemrodus eſt. Homo ſuperbè inſolens tundit, ac trudit homines alios, quo meritò, *Venator coram Domino*, &c. *Gen.* 10. *n.* 8. ſic Auguſt. *lib.* 16. *de ciuitate, cap.* 4. Rupertus *lib.* 4. *in Gen. c.* 14. Ioſeph. *lib.* 1. *Antiquit. c.* 4. Philo *de Gigant.* Deinde poſt cædes, & ſcelera, vrbem, & arcem excitat, Gen. 11. num. 4. *Venite* (inquit) *faciamus nobis ciuitatem, & turrim*, &c. Sed cur vrbem ſibi, & arcem non erigat, qui malè premit homines, & bello perdit? vrget metus (Philone teſte) ad vrbem exædificandam. *Vt bella meditando inuictus euadat*, &c. *ad lib. de confuſ.*

Timet qui malè agit.

Gen. cap. 4. n. 17.

Fœda Caino fraterna cædes.

Gen. cap. 11. n. 4.

Nuſquam bene habet, qui malè agit.

confus. linguæ, rectè Philo. Neque enim quis bello terret, qui non timeat belli offensiones. Occupat Hebræus miles vrbes, & arces gentis barbaræ, Num. 21. num. 25. *Tulit Israël omnes ciuitates eius*, &c. in quibus Hesebon, Dibon, & vrbes aliæ. Sed tumultu belli sedato, cùm transire Iordanem vellet, vrbes, & arces muris sepit, & nouis sarcit operibus. Num. cap. 32. num. 34. *Extruxerunt filij Gad Dibon*, &c. & num. 37. *Fily Ruben ædificauerunt Hesebon*, &c. Erat miles in metu fortunæ variæ, ne vellet hostis vrbes repetere; inde natus amor erat muris ædificandis. Prudenter admodum rebus domesticis consultum est, cùm miles vrbes muniret, Lyrano Auctore. Et verò Salomon cùm regnum teneret pace beatum, quod à Deo promissum nouerat, 2. Reg. cap. 7. n. 16. *& thronus erit firmus iugiter*, &c. adhuc milites cogit, Duces parat: apparatúque bellico suam tuetur auctoritatem, 3. Reg. 4. num. 4. *Banaias super exercitum*, &c. Deinde 2. Paralip. cap. 9. num. 25. *Habuit Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum equitum duodecim millia*, &c. Quare tantus bello propulsando apparatus, si pax bene conuenit? Nam Salomon ad Hiram cap. 5. num. 4. ex 3. Reg. *Non est Satan*, (inquit) *neque occursus malus*, &c. Sed prudenter agit Princeps, teste Abulensi. *Ne Gentes vicinæ videntes Salomonem esse omnino rusticum, inuaderent ipsum tanquam non potentem resistere*, &c. q. 12. Hanc sibi opem Ieroboamus paratam voluit ab vrbe munita, 3. *Reg.* 12. Conueniunt homines à Roboamo auersi ad Ieroboamum. *Et constituerunt eum Regem*, &c. *num.* 20. Non potuit Ieroboamus bellum à Roboamo non timere; hostem vt abigat, vrbem muris sepit, num. 25. *Ædificauit Ieroboam Sichem*, &c. Lyra in loco. *Vt melius posset resistere Regi Iuda*, &c. Factum bene ab Hebræo; nec malè à Medo opus est: quo facilè truderent hostes improbos.

Num. c. 21. n. 25.

Num. c. 32. n. 34.

2. Reg. c. 7. n. 16.

3. Reg. c. 4. n. 4.

2. Paral. c. 9. n. 25.

3. Reg. c. 5. n. 4.

Metus in officio Reges continet.

3. Reg. c. 12. n. 25.

Vrbes munire hoste infesto prudentia est.

Quid si ad captandam gloriolam Arphaxadus vrbem pulchrè extruxerit, & ornauerit? Vanum id omnino est, sed factum non semel. Quòd Dauid ad Lyram damnat, Psalm. 48. num. 12. *Vocauerunt nomina sua in terris suis*, &c. Carmen torquet Basilius ad Magnos homines, qui manum addunt operibus magnificè extruendis; nec inde aliud, quàm decus grande volunt, ac venantur. Vani omnino homines, teste Basilio. *Nónne vides, quo pacto eorum nomina his sint indita ædificiis? vt in longum vitæ tempus sui memoriam nominis prorogent?* &c. Tanta ædificandis operibus fames est, vt eo titulo suas Princeps opes absumat, & doceat liquidò,

Pſ. 48. n. 12. *Perstat gloria etsi vana operibus pulchrè extructis.*

PARÆNET. II.

Ædificare magnificè, magnum esse.

1. SCiebat Domitianus parari magnam gloriam monumentis pulchrè extructis, *qui opera amplissima incendio absumpta restituit, sub titulo tantùm suo, & sine vlla priſtini Auctoris memoria*, &c. quod in Tyranno carpit Suetonius *cap* 5. Vnde plerique homines magnis operum substructionibus suum inscribũt nomen. Fecit id Hebræus miles cùm vrbes caperet, & noua molitione excitaret. Num. cap. 32. num. 38. *Imponentes vocabula vrbibus, quas extruxerant*, &c. Bene Lyra. *Vt ex nomine aliquarum ciuitatum esset memoria ædificantium*, &c. Id curant vani conditores operum, vt suis in posterum monumentis viuant. Quid Nero aliud excogitauit, quàm Romam de suo nomine Neroniam nuncupare? Cur id Nero vellet, germanè Suetonius cap. 55. *Erat illi* (inquit) *æternitatis, perpetuaque famæ cupido maxima*, &c. Huiusce famæ cupiens Nobe, cùm vrbem occuparet, & subiectos vicos, Num. cap. 32. num. 42. *Apprehendit Chanath cum viculis suis*, &c. Vrbem à se captam, ornatámque denominat; de viculis curat nihil. *Vocauit eam ex nomine suo Nobe*, &c. Sed quo in loco suum Nobe nomen inscriberet, nisi in vrbe nobili? Ratio ex Abulensi est. *Quia honorabilius seruabatur nomen in vrbe, quàm in viculis*, &c. q. 9. Solicitus admodum homo erat de nomenclatura, quæ ab operibus pulchrè extructis magna est. Nec Hielus murum excitaret Ierichuntinum cura pertinaci, nisi putaret magnum inde nomen, ac decus sibi parandum esse. Nouerat diris precibus interdictum, ne quis vrbem muris cingeret, apud Iosue cap. 6. num. 26. *Maledictus vir, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem*, &c. Nouerit deinde, quid Iosue filiis minatus fuerat. *In primogenito suo fundamentum illius iaciat*, &c. Hasce tamen diras Hielus nihil moratus, vrbem excitat noua opera, nouo labore; nec filiis mulctatus omnibus deterretur, quod textus notat 3. Reg. 16. num. 34. *In Abiram primitiuo suo fundauit eam*, &c. Sacra omnino fames gloriæ, quam muris erectis architectonicè, partam sibi Hielus voluit, vel filiorum strage victima. Sic Rupertus lib. 1. in Iosue c. 20. *Vt ambiendo conditoris nomen, cum effectu perderet genitoris honorem*, &c. Non aliã Arphaxado curam fuisse puto de Ecbatanis ædificãdis. Opus magnificè extructum, ad munimentum, ac monumentum fortunæ Regiæ.

Num. c. 32. n. 38.

Auceps hominem famæ publicæ.

Num. c. 32. n. 42.

Grandius nomen à grandiori opera.

3. Reg. c. 16. n. 34.

2. Placet condi à Rege vrbem magnificè, ornari aulam opere nobili, fieri hortos apparatu Persico: sed metus est ne fierent opera amplissima damno multo plebeculæ; & verò Regem domo extructa delicatè frui; plebem corrasa pecunia malè premi; Regem deliciis abundè fluere, plebem rasa cute vbertim flere; nec Tiberio placet, licèt Iudæo placuerit, Michæa tonante, & minante c. 3. n. 10. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate*, &c. A superbiæ tumore natus rapiendi amor est, cum basilicis magnificè elaborandis, Principes sua plebeculam pecunia emungerent; ac ne latrones viderentur, lites, & dicas miscerent. *Qui ædificatis Hierusalem in iniquitate*, &c. Id verò est, *rapinis pauperum*, &c. quod Laudunensis habet. Puto ego tectam fraudem Principum colore maiestatis publicæ, vt manus iniicerent bonis plebeculæ. De Neronis genio vis hæc est. *Qui nulla in re damnosior, quàm in ædificando*, &c. apud Sueton. *cap.* 31. Ac proinde, *Exhaustus, & egens calumniis, rapinisque animam intendit*, &c. Alter intus, & alter foris Nero, Ioachimus, cùm domos extrueret luxu Regio. qui dicit apud Ieremiam cap. 22. num. 14. *Ædificabo mihi domum latam*, &c.

Mich. cap. 3. n. 10.

Morbus est Regius plebem spoliare ad ædificandum.

Ierem. c. 22. n. 14. 17.

Hebraicè,

Hebraicè, מדות *Middot*, *mensurarum scilicet maximarum*. Ita Princeps meditabatur ædium laxitatem ad vrbium speciem: & vt opus grande absolueret, animum ad calumniam, & rapinam conuertit facilè, num. 17. *Oculi* (inquit) *tui ad calumniam, & cursum mali operis*, &c. vbi vox Hebræa פשע *Assèq*, rapinam sonat, & rem dolo raptam, à verbo פשק *Assaq*, quod est, *vsurpare, & rapere*. Neque enim Ioachimus, vel ab amicis abstinebat, modò suam altè, & pulchrè domum ædificaret, dolis ad rem consutis. quod Ieremias dolet num. 13. *Væ, qui ædificat domum suam in iniustitia*, &c. Et quò inuolabit piceata manus? Prophetes iterum. *Amicum suum opprimet frustrà*, &c. *Erat enim* (teste Lyra) *Ioachimus iste cupidus, & superbus; propter quod ad faciendum sibi ædificia, rapiebat aliena bona*, &c. Tristes omnino rerum vices! vt Princeps gaudeat improbè, dolet populus emuncta pecunia, vt pulchrè extruatur Regia, suam amicus domum soluit spoliatus re domestica. Non alius à Ioachimo Herodes, qui operibus extructis magnificè, & spectaculis editis basilicè exhaustus, & egens, premendis ciuibus animum, & manum adiecit, dolis ad litem constructis. quod Iosephus tradit lib. Antiquit. 16. cap. 5. *Dum præsentibus* (inquit) *absumptis pecuniis, alias vellet parare*, &c.

Magnus Princeps magnus latro.

● 3. Eant igitur vani Reges, malo genio domos condant, turres erigant, hortos conserant, vt delicatè viuant, & basilicè. Deinde gratia tuendæ, & augendæ maiestatis plebeculam non pascant, sed premant; nihil inde nisi aduersa fortuna erit. *Væ, qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate*, &c. *Habac. 2. num. 12.* sermo est de Chaldæo Rege, qui suam adornauit Babylonem operibus magnificis, apud *Dan. 4. num. 27.* id enim sonat vox Hebræa כונן *Chonen*, vrbem scilicet parare, & ornare. Sed cùm id operis fieret ære alieno, pecunia scilicet plebis pauperculæ. *Qui ædificat in sanguinibus*, &c. Nam bene Syracides cap. 34. num. 25. *Panis egentium* (inquit) *vita pauperum: qui defraudat illum, homo sanguinis est*, &c. Inde factum, vt neque muris bene munitis hostem arceret. Quod minatur Vates, *Væ qui ædificat*, &c. *vt frustrà laborarint populi in extruendis magnificis Babyloniæ ædificiis*, &c. Ita Antist. Clarius. Nam, vt igne concepto pereant basilicæ, muro quassato ruant turres, hoste infesto soluantur vrbes; queruntur asseres de contignatione, vociferantur lapides è pariete, & pro tenui plebecula Magnum Deum interpellant. apud Habac. cit. numer. 17. *Lapis de pariete clamabit*, &c.

Habac. 2. n. 12.

Dan. cap. 4. n. 27.

Eccles. c. 34. n. 25.

Aula vapinis extructa hostem non arcet.

4. Vulgo probatur Princeps apud Tacit. lib. 1. & 6. *Qui suæ pecuniæ parcus, publicæ auarus, & priuatis ædificationibus modicus est*, &c. Qualis suo æuo Cæsar Octauius. Nam licèt vrbem vellet è lateritia marmoream, operibúsque publicis studeret. Quid ille pro aula? testatur id Suetonius cap. 27. *Habitauit ædibus modicis, neque laxitate, neque cultu conspicuis*, &c. Quid à plebecula raperet ad aulam adornandam, qui modicis contentus erat? Nec Achatus mente alia, cùm hortum excogitaret: vineam enim à Nabotho petit, non rapit. 3. Reg. 21. numer. 2. *Da mihi* (inquit) *vineam*, &c. Ratione ad rem addita. *Quia vicina est, & prope domum meam*, &c. Malus omnino vicinus tegni Princeps est: manum inferre potest, quò intendit oculum. Sed à vi Achabus temperat, & pro vinea pretium repræsentat. *Argenti* (inquit) *pretium, quanto digna est*, &c. Bene Princeps, & iustè; quod Abulensis probat q. 1. *Quia cùm Rex esset, noluit propria auctoritate vineam capere; sed petiuit à Domino, & pretium pro illa obtulit*, &c. Et quis ille Perses, qui domo extructa magnificè domunculam mulierculæ, quæ officeret, diruta noluit, sed vt cœnaculo amplissimo hæreret parietaria curauit, illud iterans, domunculam aniculæ adhuc stantem verè gemmam esse iustitiæ Persicæ. Vtinam, vtinam, qui suum Christo nomen dedere, eam iustitiæ viam tererent Principes; nec publicè domos pauperum occuparent, soluerent, diruerent negato pretio: quod Isaias damnat, vel causa muri sarciendi. *Destruxistis* (inquit) *domos ad muniendum murum*, &c. *cap. 22. num. 10.* Vel sacra Deo domus non placet, si extruatur pauperum lachrymis; quod Pelusiotes notauit, vt Eusebium Antist. deterreret à templo ædificando *lib. 1. epist. 37.* Premebat Pastor oues, cùm degluberet, non tonderet, crumenis pauperum exenteratis. Vrget Pelusiotes. *Quæ cùm ita sint, & ædificare, & iniuriam aliis inferre, desine: ne alioqui domus illa te apud Deum prodat, & conuincat*, &c. si quis tamen sacram domum erigat magnificè, vt digrediar modicè illud addo,

Malus vicinus est Principi malus.

Veloſ. in Iudith.

Bonus Princeps iure agit, non iniuria.

Isa. cap. 22. n. 10.

PARÆNET. III.

Suam Deo ædem facere, magnum, & gratum opus esse.

1. ÆGypti amans Onias falsò Pontifex, facultate Regia, sacrum ibi templum extruit, Iosepho teste *lib. 11. Antiquit. cap. 4.* Ac ne scelus putetur, eò detorquet textum propheticum Isa. 19. num. 19. *Erit altare Domini in medio Ægypti*, &c. Quod nam Onias pretium operæ sibi venaretur, illud ex Ruperto est. *Volens* (inquit) *memoriam & gloriam æternam sibi relinquere*, &c. *lib. 10. de Victor. cap. 9.* Tanta res est suam Deo ædem facere, vt hac vna re nomen, ac decus sibi partum credant homines. Suam Cyrus curam de templo ædificando mandatam voluit Annalibus Persius, quod Esdras habet lib. 1. c. 6. n. 2. *Inuentum est in Ecbatanis volumen vnum*, &c. Quid in libro rerum Persicarum? Esdras iterum n. 3. *Cyrus* (inquit) *Rex decreuit, vt domus Domini ædificaretur*, &c. Deinde addit quibus expensis opus absoluendum esset n. 4. *Sumptus de domo Regis dabuntur*, &c. Suam Cyrus operam de templo excitando scribendam curat libris Persicis adhuc commendationem perpetuam, quasi res digna libro, & cedro esset: inde tantum sibi nomen pareret, Isaia Vate, *Hæc dixit Dominus Christo meo Cyro*, &c. *cap. 45. num. 1.*

Isa. cap. 19. n. 19.

Pia Deo est templi substructio nominibus gloriosa.

Esdr. lib. 1. cap. 6. n. 2. 3. 4.

Isai. c. 45 n. 1.

Sed & gratum Deo opus erat: patet ex 2.

cura, qua Magnus Deus conditores operum vrget acriter, inſtruit ſcienter, vel typis operum explicatis. Lego Cyrum à Deo inſtructum ſcitè, cùm piè vrgetur ad templum ædificandum religiosè, ac magnificè. Iſa. c. 44. num. 28. *Qui dico Cyro: Paſtor meus*, &c. Nam Græcè lego, ὁ λέγων χύρῳ φρονεῖν, *Qui dico Cyro, ſapiens & cogitans eſto*, &c. Sed & Salomonem ſapientiâ donatum ſcio 3. *Reg.* 3. *num.* 12. vbi Dominus ad Regem priuſquam templo condendo manum adderet, *Dedi* (inquit) *tibi cor ſapiens, & intelligens*, &c. *quia diſpoſuerat eum* (Abulenſi Auctore) *ad templum ædificandum complendo omni ſapientia*, &c. *q.* 3. *ad locum citatum.* Sic Deus ad templum excitandum, vt ad tabernaculum erigendum opportunè homines erudit, quod habes Exod. 31. num. 6. *In corde* (inquit) *omnis eruditi dedi ſapientiam*, &c. Cur tanta Deo cura eſt de inſtruendis hominibus, vt templo, ac tabernaculo manum addant victimam? Bene Petrus Damian. *An parui* (inquit) *pendendo, ac negligendo ad Moyſen loquitur Dominus*, &c. *Exod. loco citato.* Eo argumento Senatorem vrget Petrus Dam. vt domum religiosè à ſe inchoatam piè abſoluat, *lib.* 8. *epiſt.* 5. gratum ſcilicet Deo opus, ac pium monumentum.

Iſa cap. 44. n. 28.

3. Reg. c. 3. n. 12.

Reges Deus inſtruit de typo ad templum excitandum.

Exod. c. 31. n. 6.

Piè facit, qui ſuam Deo ædem condit.

3. Pius impensè erat Centurio ille, qui de fide ſana, & mente ſancta commendabatur, Luc. 7. Luc. cap. 7. num. 9. *Nec in Iſraël tantam fidem inueni*, &c. Sed quánam homo cura pium oſtendit animum? Addunt Iudæi ſenes, *Synagogam ipſe ædificauit nobis*, &c. *num.* 5. Et quo id voto Centurio? Antiſtes Clar. Orat. 37. in Lucam, *Arbitratus* (inquit) *ſe rem Deo gratam facturum, Synagogam Iudæis ædificauit*, &c. Cur Deo non placeat domus piè excitata, & ſcienter facta ad pios motus animi? Sed & Iudæi Oratores, cùm pro ſeruo ſanando precantur, officiosè illud interponunt. *Synagogam ipſe ædificauit nobis*, &c. Non id obtrudit Centurio, teſte Abulenſi q. 30. in Matth. *Sed iſtæ erant Iudaicæ blanditiæ*, &c. Inde eſt, quòd Angeli vltrò citróque videntur curſitare apud Zach. cap. 2. n. 1. Zachariam cap. 2. num. 1. Videt Vates Angelum ſuo ſtatu, & habitu architectum. *& in manu eius funiculus menſorum*, &c. Rogatus à Vate Angelus, quò abeat ſuo cum funiculo; reſpondet facilè num. 2. *vt metiatur Hieruſalem*, &c. ſcilicet ad vrbem muro, & templo adornandam. Pergit vltrà Vates, & docet, quò excurrat Angelus alius num. 3. *& Angelus alius egrediebatur*, &c. Hæc ad Zachariam Angelus, qui de vrbe condenda, ac de templo collocando agebat. *Ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur*, &c. Itaque Angeli nobiles ire, ac redire, funiculum gerere miniatulum, trullam ſcitè mouere, & quæ ad vrbem Deo ſacram facerent, dirigere, num. 4. *Abſque muro habitabitur Hieruſalem*, &c. Quò tantus condendi operis apparatus? Quò Angeli ad opus accincti? Rupertus optimè lib. 7. de Victor. cap. 19. *In ædificatione terrenæ ciuitatis, & templi, iam & opifices volunt videri, ſeque certatim ingerunt Angeli*, &c. Norunt Angeli gratum Deo opus eſſe, vrbem templo condito adornare: ſuam quiſque præſtat operam, ardeliones quodammodo ad tantum opus.

Deo blanditur, qui ſacram Deo aulam extruit.

Satagit Angelus cùm agunt homines de templo condendo.

Et verò Dauid ſignanter docet altè Deum gaudere ſi quis ſacram Mágno Domino ædem erigat. Nam cùm de ſe Vates apud Deum agere inſtitueret, Pſalm. 131. num. 1. *Memento Domine Dauid*, &c. vno pòſt verſu, ſuum de templo condendo votum explicat, num. 2. *Sicut iuraui Domino*, &c. Deinde ſubdit num. 5. *Donec inueniam locum Domino*, &c. Quid agis Dauid? tibi non conſtas? De te agendum inſtituis, & vno contentus verſu mentem, ac Muſam vertis alió? ſcilicet de templo condendo cogitas. Baſilius optimè, *Cuius gratia hoc facit? quòd hac re potiſſimum delectatur Deus*, &c. Illud Dauid in lingua promptum habet, quod Magno Deo placet vnicè, templum ſcilicet exædificandum; quò Deus aduolet proximè, neceſſe eſt. Tabernaculo iam extructo, & piè conſecrato, Exod. 40. num. 15. Aduolat Magnus Deus num. 32. *Operuit nubes tabernaculum Domini, & gloria Domini impleuit illud*, &c. Non ſe continet Magnus Deus; accurrit altè gaudens, vt ſua fruatur domo. Ioſephus ad rem lib. 3. Antiquit. cap. 12. *Oſtendit ſe Deus gauiſum in operibus Hebræorum, & non fruſtrà laboraſſe eos in pulchritudine ædificij*, &c. Qui apparatu nobili tabernaculum adire viſus eſt, altum ſe gaudium gaudere docet. Quod & Ioſephus eruit ex Domini volatu ad templum Salomonicum *lib.* 8. *Antiquit. cap.* 4. Nam textus eſt 3. Reg. 8. num. 11. *Impleuerat enim gloria Domini domum Domini*, &c. *quaſi Deus deſcendiſſet in templum, & libenter in eo habitaret*, &c. vide Cyrillum Hieroſolymit. *Catech.* 12.

4. Pſ. 131. n. 1. 2. 5.

Grata Deo aula piè extructa.

Exod. c. 40. n. 15. 32.

Aduolat citò Deus ad ædem ſanctè erectam.

3. Reg. cap. 8. n. 11.

Nec re alia placari Deum putant homines, quàm templo religiosè extructo. Minatur Dominus templi ſtragem vltimam apud Matth. cap. 23. num. 38. *Relinquetur domus veſtra deſerta*, &c. Poſt minas graues diſcipuli Magiſtrum deducunt, vt videat politos lapides, artificum labores, maieſtatem operis, cap. 24. num. 1. *Acceſſerunt diſcipuli, vt oſtenderent ædificationes templi*, &c. Hoc vno rerum aſpectu placandum facilè Magiſtrum putant Apoſtoli. Caier. bene. *Monſtrare volunt templi ædificationes, prouocaturi ad miſericordiam*, &c. Video, quo in pretio apud Chriſtũ ſacra Deo domus eſt. Petis fortaſſe? Itáne Deo placent politi lapides, trabes dolatæ, pulchra toreumata, veſtes Attalicæ, gemmæ auro diſtinctæ? *ſcilicet id curant ſuperi.* Placent hæc interim, dum fouent pios ſenſus animi. Quòd ſi domus Deo erigatur magnificè, non tamen Deus piè colatur, ſubruatur hoſte improbo, & corrumpatur igne concepto neceſſe eſt. Patet ex fortuna triſti Gentis Iudaicæ, cùm Nabuchodonoſor vrbem, & templum æquauit ſolo, 4. Reg. 25. num. 9. *& ſuccendit domum Domini*, &c. Quid ſacra Deo domus perit? nulla ne Deo virtus eſt, vt ſuam ab hoſte, & igne domum defendat? *Sed erudiendus erat mundus* (Ruperto Auctore) *vt ſciret, quòd Deus excelſus non pulchris lapidibus, aureiſue parietibus templi manufacti delectatur, ſed fidei claritate, & mundis cordibus*, &c. *lib.* 6. *de Victor. cap.* 25.

5. Matth. c. 23. n. 38. c. 24. n. 1.

Seruandam vrbem propter ſacram domum credit Apoſtolus.

4. Reg. c. 25. n. 9.

Non domus Deo, ſed pius in domo cultus placet.

Quod

Quod adeò verum eſt, vt templum Martyribus ſacrum Deus ſoluat, ſi quod à viro impio erigatur. Suam viris ſanctiſſimis domum extruendam ſuſceperant communi opera Gallus, & Iulianus Principes. Quæ Gallo pars obtigerat, bene progredi, ſed quæ Iuliano obuenerat, malè concuti viſa eſt; nam quidquid die laboratum erat, nox inſequens ſoluebat miſerè, ſolo concuſſo. Pium Iuliani opus erat, ſed pietate ſimulata. Vnde Nazianzenus Orat. 3. *Quid mirum* (inquit) *ſi ne honorem quidem, quem iſte ſceleratè, ac ſcelerata mente efferebat, ſuſcepit ille, qui non more humano conſpicit; verùm occultum hominem, atque internam vitij, & virtutis officinam intuetur*, &c. opus enim à viro improbo extructum non honor Deo, ſed onus eſt. Lego ſacris literis templum à Salomone ædificatum magnificè 3. *Reg. 6. num.* 1. à Cyro piè reſtitutum, *Eſdr. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. à Machabæo adornatum religiosè lib. 1. Machab. cap. 4. num. 43. ſcio ab Herode excitatum, magníſque operibus exornatum, quod Ioſephus habet *lib.* 15. *Antiquit. cap.* 14. Non tamen lego id operis ſacro textu commendatum, nec id muneris Deo probatum eſſe: nec Aggæus verè feſtiuus canit Chriſtum Dom. templo Herodiano, ſed Zorobabelico excipiendum eſſe, cap. 2. num. 8. *Et veniet deſideratus cunctis Gentibus, & implebo domum iſtam gloria*, &c. Miror ego: ſi enim Chriſtus infans templo Herodiano exceptus eſt, quod nemo neſcit, cur tantum de Herode ſilentium eſt? Erat Herodes monſtrum impietatis plurimæ. quod ex liberorum nece planum eſt apud Ioſephum. Erat & homo vanitatis maximæ; quod ex inſanis conſtat largitionibus, *ad lib.* 16. *Antiquit. cap.* 5. Vnde Rupertus rectè colligit templum ab Herode conſtructum, Deo ingratum eſſe. *Sed hoc nunquam Dominus exercituum pro gloria reputare ſit dignatus, quod homo funeſtus, & Rex impius operatus eſt, exæquari volens, vel etiam præferri contendens Regi magnæ opinionis*, &c. *in Agg.* 2. Vt rem abſoluam, illud repeto; gratum Deo opus eſt, templum ædificare, vrbem adornare, magnum Arphaxado opus, ac decus eſt.

Deo non placet ficta pietas.

3. Reg. cap. 6. n. 1.

Eſdr. lib. 1. c. 1. n. 2.

Mach. lib. 1. c. 4. n. 43.

Aggæ. cap. 2. num. 8.

Ingratum Deo templum vanè extructum.

Num. 2. Ex lapidibus quadratis, & ſectis fecit muros eius.

Commentarius.

QVæ ad iconiſmum pertinent vrbis nobiliſſimæ, ſi quis ſcripto dare velit, infans in ſcribendo erit: abundè id textus habet. Ne quid tamen deſideres, vide Herodot. *lib.* 1. qui vrbem deſcribit ſciographicè, muris muros addit, ac diſtinguit, colore ſcilicet, argento, auro: turres è muris erigit, ac digerit, non ad vſum modò, ſed ad ſpeciem; aulam ſumma in vrbe collocat, vbi Reges delicatè viuerent, ac baſilicè. Sed & Polyb. *lib.* 10. Columnas exponit è cedro elaboratas faberrimè, auro obductas craſſo, & ornatas gemmis pulcherrimis: pauimentum argento, & auro conſtratum optimè. Denique Athenæus *lib.* 12. *cap.* 3. vrbem dicit felicem eſſe curando Regum genio, quippe qui Suſis hyemem, & æſtatem Ecbatanis tranſigerent ad voluptatem. Currunt in hanc ſententiam Strabo *lib.* 11. & 16. Curt. *lib.* 5. Xenophon *lib.* 8. *Cyrop.* Ælian. *de Animalibus, lib.* 10. *cap.* 6. Nec id nouum Regibus Aſiaticis; qui vel in regno vrbes, vel in vrbe domos ſibi prouidebant, vbi modò hybernarent, modò æſtiuarent baſilicè. Quo in loco Eglon perit? Iudic. 3. num. 20. *Sedebat in æſtiuo cœnaculo*, &c. Qua in aula Ioachimus furit? Ierem. 36. num. 22. *Sedebat in domo hyemali*, &c. quam ſibi domum extruxit Salomon, nobilique ſupellectile adornauit Genebrardo, æſtiuam domum. 3. Reg. 7. num. 2. *Ædificauit domum in ſaltu Libani*, &c. Licentiam ædificandi inſanè taxat Amos, cùm minatur cap. 3. num. 15. *Percutiam domum hyemalem cum domo æſtiua*, &c. Nec curare aliud viſus eſt Arphaxadus, cùm æſtatem Ecbatanis ageret, vbi tanta erat cæli ſalubritas, tam læta agri fertilitas, tanta aquarum copia, Oronte ad id perfoſſo, tam pulchra arborum amœnitas, tanta auræ captandæ opportunitas, ac tandem fortuna, tam certa rerum optimarum, vt locus Reges facilè inuitaret. quod patet ex Diodoro *lib.* 3. *cap.* 5. & Ælianus tradit *lib.* 13. *cap.* 18. *de Animalibus.* Deſcribit ille aulam maieſtatis Indicæ, vbi Regum Maximus vitam viueret; ac tandem, *Quibuſcum* (inquit) *nec Suſa Memnonia, nec Ecbatanorum magnificentia comparatione coniungenda eſt*, &c. Tantum diuitiarum, ac delitiarum vna in aula claudit Indus, vel Medus Princeps. Ita Reges ad oſtentationem vanitatis Regiæ: quod in aula Perſepolitana vidit Curtius *lib.* 5. In domo Neronia taxat Suetonius *cap.* 31. In Regia Ægyptia carpit Lucanus *lib.* 10. facilè vt in hoſce Principes conueniat, quod in Rhodienſibus damnat Stratonicus, in Agrigentinis Plato, in Romanis Hieronymus epiſt. 12. ad Gaudent. *Ædificamus, quaſi ſemper in hoc ſæculo victuri: auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum*, &c. Ex qua ædificandi licentia, illud mihi ſonat,

Iudic. cap. 3. n. 20.

Ierem. c. 36. n. 22.

PARÆNET. IV.

Homines in terris eiues, non peregrinos agere.

NOtum illud conſtrinis eſt, ſtudere homines rebus fluxis: humana memores admodum curare, oblitos omnino rerum diuinarum; ibi domos erigere, vbi caſas prudenter erexiſſent: ciues in terris agere, quibus iubentur exules eſſe. Vnde occaſionem rapit Diogenes, vt tonaret: *Megarenſes obſonant quaſi die craſtina morituri; ædificant verò, quaſi nunquam morituri*, &c. Apud Tertullian. *Apologet.* 39. Id tamen à Caino didicere: qui à Deo iam alienus vrbem extruxit, Henochiámque vocauit ab Menocho filio. Textus eſt Geneſ. 4. num. 17. *Ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui Henoch*, &c. Duplex in loco nota eſt: altera, quòd vrbem in terris, non caſam extruxit, vrbémque ab Henocho appellatam voluit: nam Henoch Hebraicè, dedicatio eſt, à radice חנך *Chanach*, Latinè initiari,

I.

Gen. cap. 4. n. 17.

initiari, auſpicari : ac ſi Cainus morari in terris, non peregrinari vellet ; & placet Auguſtini interpretatio. *Cuius* (inquit) *nomine terrenam condidit ciuitatem, non peregrinantem in hoc mundo, ſed in eius temporali pace, & felicitate quieſcentem*, &c. *lib.15.de Ciuit. cap.27.* Altera nota eſt, quòd eiectus à Deo Cainus vrbem exædificauit. Vnde textus n. 14. *Egreſſus* (inquit) *à facie Domini*, &c. Ac ſi Cainus ad Deum nihil pertineret, ſpe iam proiecta fortunæ beatiſſimæ. Scitè Rupertus lib.4.in Gen. cap.10. *Profectus* (inquit) *à facie Domini, nec habens ſortem in ciuitate eius cæleſti*, &c. ſed Rupertus à Magno Gregorio id excepit, qui de Caino agens, *In terra* (inquit) *fundamentum poſuit, qui à ſoliditate æternæ patriæ alienus fuit*, &c. *lib. Mor. 16.cap.5.* Par Caino Ieroboamus, qui regno ſuſcepto vrbem excitat, 3. Reg.12. n.25. *Ædificauit Ieroboam Sichem*, &c. Profeſſus opere, quod exprimit nomine : velle ſe in terris moras immortales, nec de cœlo minimum cogitare. Nam Ieroboam Hebraicè moram ſonat Hieronymo *ad Hoſ. cap.1.* Illúdque Princeps Hebræus ſua docet nomenclatura. *Quòd mundum amauerit, & in ipſo morari vitam putauerit ſempiternam, nequaquam futuris, ſed præſentibus delectatus*, &c. Ita Hieronymus. Nemo igitur negitet velle homines in terris ciues eſſe, & morari perpetuò ; nihil enim aliud agitant : nec ſe in terris peregrinos putant, niſi moneas ſeriò, & acerbè mordeas. Sciſcitatur Pharao à Iacobo ſene Gen.44.num.8. *Quot ſunt dies vitæ tuæ?* &c. Reddit ſenex illico n.9. *Dies peregrinationis meæ*, &c. & paucis pòſt verbis, addit auos ſui generis peregrinos etiam fuiſſe. *Quibus* (inquit) *peregrinati ſunt*, &c. Quid Iacobe? ſi de huiuſce vitæ peregrinatione Pharao nihil rogat, quid tuam, & auorum peregrinationem obtrudis importunè? Sed neſcit Princeps rerum dominus, vel certè non meminit ſe in terris peregrinum eſſe ; ac proinde opus eſt, vt Iacobus ſenex Regis aurem vellat. hac de re bene Rupertus lib.9. in Gen. cap.18. *Eo* (inquit) *ſenſu percunctationem Regis vera correctione ſuppleuit*, &c. Ac ſi Iacobus debuccinaret in aula, quod Seneca ſuum ad Lucilium epiſt. 102. *Quidquid, Princeps, circa te iacet rerum, tanquam loci hoſpitalis ſarcinas ſpecta ; tranſeundum eſt*, &c.

De terra agit, qui de cœlo non cogitat.

3. Reg.c.12. n.25.

Gen. cap.44. n.8.

Neſcit Princeps terris ſe peregrinum eſſe.

2. Hiſce monitis adhuc homines morari in terris amant, & ciues eſſe, vbi peregrinari iubentur. Aduersùs hoſce homines Magnus Deus, Iſaia vate, *Egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ*, &c. *cap.29. num.2.* ſed quod nam piaculum eſt, homines ſedem in terris habere, vt Deo irato doleat miſellus homo? minas intendit iudex, teſte Procopio. *Quas non in aduenas, ſed in terræ habitatores emittit ; qui præſentis tantùm ſæculi voluptate delectati, eius boni, quod futurum eſt, ſpe abiecta, Edamus, aiunt, & bibamus*, &c. Senſit Iudex minus de cœlo curare homines, qui ſedem in terris non tam habent, quàm figunt. Inde voces triſtes volantis Aquilæ, Apocal. 8. num.13. *Væ, væ, væ, habitantibus in terra*, &c. Video peccato datum, ſi quis domum in terris habeat. Placet tamen Ambroſio notari in loco terrarum amantes homines, qui de mundo tanquam ciues cogitant. *Non omnes* (inquit) *homines comprehendit ; ſunt enim in terris poſiti, quorum conuerſatio in cœlis eſt : ſed eos, quos terrenæ conuerſationis affectus, & huius ſæculi gratia vicerit*, &c. Quos ego homines, vt oblitos rerum optimarum, monitos vellem, non ſine ſtimulo.

Non placent Deo, qui terris morari volunt.

Apoc. cap. 8. n.13.

3. Aliam terunt viam, qui terram vniuerſam pro exilio triſti reputant : neque enim domum, ſed caſam excitant, qui peregrinantur. Hac via Seneca ſuum ducit Lucilium epiſt. 121. *Magnus* (inquit) *animus, & conſcius naturæ ſuæ, dat quidem operam, vt in hac ſtatione, qua poſitus eſt, honeſtè agat ; cæterùm nihil horum, quæ circa ipſum ſunt, id iudicat ſuum ; ſed commodatis vtitur peregrinus, ac properans*, &c. Bene, ſcitè, ac ſanctè. Quid Seneca diceret, ſi noſſet, quo merito Semus Noethi filius tugurium ſibi, non domum erexerit? Nam cùm pater bene Iapheto vellet, ac precaretur, illud appoſuit Geneſ. 9. num.27. *& habitet in tabernaculis Sem*, &c. Hæc ne Semo ſanctiſſimo domus erat? caſa nimirum tumultuaria, & quæ facilè ſolui poteſt? Bene, optimè, Ruperto Auctore, *In tabernaculis habitant confitentes, quia peregrini ſunt, & hoſpites*, &c. *lib. 3. de Victor. cap. 1.* Iam ab antiquo æuo hæc erat viris ſanctiſſimis cogitatio, vt terrarum ſe non ciues haberent, ſed exules. Nec mentem aliam Chriſtiano populo ineſſe voluit Deus Optimus, cùm pro domo tabernaculum curaret extrudendum Iſa. 54. num. 2. *Dilata* (inquit) *locum tentorij tui*, &c. Cur tentorium militare, non domus ampliſſima? Iure id merito, reſpondet Antiſt. Clarius, *Nam in hac vita peregrinari ſe agnoſcit*, &c. Norunt viri ſanctiſſimi, quid in patria beatiſſima paratum ſit, morari in terris nolunt, ſed peregrinationem ineunt.

Terris, vt commodatis vtitur bonus quiſque.

Geneſ.cap.3. n.27.

Mundum pro exilio iuſtius capit.

Iſa.c.54.n.2.

4. Duplex ad rem textus eſt. Noſtis Iacobum, poſt luctam cum Angelo initam, pede malè preſſo claudicaſſe, Geneſ. cap. 32. num. 31. *Ipſe* (inquit Moyſes) *claudicabat pede*, &c. Iacobus itaque altero in terram preſſo pede, altero turpiter contracto, terram non premebat. Quid hæc innuant, bene Rupertus docet, lib. 8. in Geneſ. cap. 9. *Iſte claudus ſalit, & aſcendit vt ceruus, terrámque vix tangere dignatur, nam conuerſatio eius in cœlis eſt*, &c. Cùm Iacobus amplexu teneret Angelum, certus iam de bonis ampliſſimis, pedem à terris auellit, & affectum exuit, verè ceruus ille, de quo Iſaias, cap.35. num. 7. *Tunc ſaliet, ſicut ceruus, claudus*, &c. Et fortaſſe eò reſpexit Clemens Alexand. 1. *Pædag.cap. 5.* vbi Chriſtianam laudat ſcholam de affectu extincto rerum terrenarum. *Suſpenſo* (inquit) *pede catenus terram tangentes, quatenus in mundo eſſe videamur, ſanctam perſequimur ſapientiam*, &c. Ita peregrinus homo terram premit ſuſpenſo veſtigio, quaſi globum tangat in minimo. Deinde notat Rupertus quo in loco Iacobus ſiſtit, & domum ſtruit apparatu militari Gen. 33. n. 17. *Fixis* (inquit) *tentoriis appellauit nomen loci illius Socoth, id eſt, tabernacula*, &c. cur domo parabili vitam Iacobus agendam curat.

Gen. cap.32. n.31.

Terris inuitus agit, qui cœlum amat.

Gen. cap.33. n.17.

Nec

Nec, vt Arphaxadus, vrbem, & aulam extruit? Vno tabernaculo contentus viuit, qui peregrinum in terris, non ciuem agit, sermone pastus Angelico. Nec alia Ruperto mens in loco est. *Quia recentem adhuc spirabat visionem, qua ciues illius ciuitatis viderat, cuius spe manentem hîc ciuitatem habere nolebat, locum, quo primùm post hæc venit, bene appellauit Socoth, id est, tabernacula*, &c. *lib.* 8 *in Gen. cap.* 10. Suo Iacobus facto docet, vitam vito bono agendam esse casa, non domo extructa, si de cœlesti patria spem concepit. Aliter Arphaxadus sensit, cùm suam polito lapide vrbem exædificauit. Si Medus vrbem extrueret, qua mente Pharaones pyramides extruxere. *Ne plebs esset otiosa*, &c. Ita Plin. *lib.* 36. *cap.* 11. vel qua mente Vespasianus extruebat opera amplissima, teste Suetonio: *Ad sustentandam populi inopiam*, &c. *c.* 18. benè, ac piè id Princeps ageret. Sed pergo ad vrbis ornamenta reliqua.

Laborat strenuè qui cœlum cogitat.

Pereunt otio boni mores.

Ædificauit in Ecbatanis.

Commentarius.

6. NOn tradit Historicus extructam Ecbatanis bibliothecam Regiam; de qua tamen Esdras agit lib. 1. c. 5. n. 17. *In bibliotheca* (inquit) *Regis*, &c. Et sermo est de Rege Cyro, qui libros Ecbatanis asseruandos curauerat. Patet ex cap. 6. num. 2. *Inuentum est in Ecbatanis volumen vnum*, &c. Video bibliothecam Cyri tabularium esse posse, vbi Regum sanctiones, ciuitatum immunitates, notæ Principum gentilitiæ, Annales veteres de rebus gestis: quod Græcis ἀρχεῖον est rerum maximarum, Cassiodoro scrinium publicum, inuentumque nobilissimum, ne periclitentur *dicta sapientum, & cogitata maiorum*, &c. *lib.* 11. *epist.* 38. Nec mentiar, si in hanc partem duxero Tertullianum *Apologet.* 19. vbi Magister, *Reseranda* (inquit) *antiquissimarum etiam gentium archiua*, &c. Hoc igitur Cyro scrinium, Regia erat bibliotheca: vnde annales Assuero aduecti, quibus noctem falleret, *Hesther cap. 6. num.* 1.

Esdr. lib. 1. c. 5. n. 17.

Esdr. lib. 1. c. 6. n. 2.

7. Sed nihil vetat, vt bibliothecam germanè capiam; suis distinctam forulis, suis instructam libris, suis ornatam sigillis; & fortasse bibliothecam additam scholis publicis. *Quæ enim schola Persica dicitur* (Strabone Auctore) *profecta à Medis est*, &c. *lib.* 11. Disciplina scilicet equitandi iuxta, ac philosophandi. Nec Deioces Medum sibi regnum peperit, nisi merito sapientiæ: quod tradit Herodotus *lib.* 5. & quidem sapienriæ studium vigere Oriente vniuerso, probant scholæ nobiles. Hæc illa est secta barbarica, vtpote non Græcanica, & quam à Setho Adæ stirpe ducit Lipsius ad Athenas vsque *lib.* 1. *cap.* 5. de secta Stoica; sed & Clemens *Stromat. lib.* 1. Philosophiam laudat barbaram. *Philosophia* (inquit) *res vtilis, olim floruit apud Barbaros, & per Gentes sparsim resplendens postremò ad Græcos venit*, &c. Quis nescit Chaldæam scholam? de qua Plin. *lib.* 30. *cap.* 1. hominésque alij; quibus hæret Appian. *lib.* 2. Tertul. *de Idololatr. cap.* 9. & quod magis vrget, Daniel. *cap.* 2. *num.* 2. Iampridem ab Abrami æuo suum Chaldæis Astrologis studium; quod Moyses insinuat *Gen.* 15. *num.* 7. vbi Deus ad Abramum. *Eduxi* (inquit) *te de Vr Chaldæorum*, &c. Nam licèt Esdras vrbem, pro igne capiat, *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 7. cùm dicat, *Eduxisti eum de igne Chaldæorum*, &c. genuinè ex Hebræo vrbem vertas in doctrinam: mitto *Leuit.* 8. *n.* 8. *Dent.* 33. *n.* 8. Isaiam laudo *c.* 24. *n.* 15. Vatémque tonantem, *In doctrinis glorificate Deum*, &c. Hebraicè באורים *Beurim*. Quare locum Geneseos, *de Vr Chaldæorum*, scitè explices, *de doctrina Chaldæorum*. Ac si Magister Deus Abramum extraxerit ab vrbe Academica profanæ Astrologiæ, ad castam fidem, & sanam mentem. Sed & Idumæa in Themano schola erat, de qua Ieremias cap. 49. num. 7. *Nunquid non vltrà sapientia est in Theman?* &c. Et vrbem Vates laudat ab studio Academico, Ieremiam sequitur Baruch auditor *cap.* 3. *num.* 23. vt quatiat *negotiatores Merrha, & Themam & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ*, &c. Video probatum Themanitis sapientiæ studium esse.

Esdr. lib. 2. c. 9. n. 7.

Leu. c. 8. n. 8. Deut. cap. 33. n. 8.

Isa. c 24. n. 15.

Nocet aliquando profana sapientia.

Ierem. c. 49. n. 7.

Baruch. c. 3. n. 23.

8. Non ne Iudæis sua in Abela schola erat, vbi concertationes scholasticæ? constat ex 2. *Reg.* 20. *num.* 18. ibi mulier omnino sapiens ad Ioabum, *Sermo dicebatur in veteri prouerbio: qui interrogant, interrogent in Abela*, &c. scilicet legum prudentes homines, ac disciplinarum magistros notabiles. Vnde vrbem mulier Matrem vocat. num. 19. *Et tu quæris subuertere ciuitatem, & euertere Matrem?* &c. teste Laudunensi, *Matrem consilij*, &c. A quo id Abulens. *q.* 27. Quo enim modo Conimbricenses Magistros consulunt, qui rectà abire volunt. Abelanam adibant Academiam, qui suis rebus consultum vellent. Addit mulier Abela euersa regnum euerti vniuersum, num. 29. *Quare præcipitas hæreditatem Domini?* scilicet, qui vrbem euertit Academicam, vnde iuuentus bonos cum litteris mores ducit, regnum subuertit vniuersum. Et quæ nam Palæstinis erat Academia? Iosue 15. num. 15. *Cariathsepher, id est, ciuitas literarum*, &c. vbi contentiones literariæ, Doctoréque Academici; quod Lyrano placet, & Abulensi *q.* 15. Addit Arias bibliothecam inibi publicam fuisse scholis Academicis, ad vsum, & splendorem.

2. Reg. c. 20. n. 18.

Academia auditorum mater.

Iosue c. 15. n. 15.

9. Hæc enim vel Regum, vel Sacerdotum sapientissimorum cura erat, vt bibliothecam iungerent scholis publicis. Nemo nescit extructam à Pisistrato bibliothecam, & scholis additam Athenienses. Quod monet Agellius *lib.* 6. *cap.* 7. Athenæus *lib.* 1. *c.* 1. Tertull. *Apologet. c.* 18. Nemo item negat suam Ptolomæo Philadelpho bibliothecam fuisse in Setapæo, de quo Ammianus *lib.* 22. Plin. *lib.* 35. *cap.* 2. Strabo *lib.* 13. quæ quidem bibliotheca adhuc Tertulliani æuo nota. Quæ nam inibi scholæ fuerint, docet Strabo lib. 17. *Pulcherrimum* (inquit) *est gymnasium*, &c. Nec scholis abest Gymnasiarches. Scio bibliothecam Cæsarienses excitatam, Hieronymóque probatam esse epist. 141. *Cùm martyr Pamphilus Demetrium, & Pisistratum in sacra bibliotheca studio æquare vellet*, &c. Sed quæ nam ibi Academia? Vrbem non minus litterarum, quàm vrbium, quibus dominatur, Metropolim

Laborant sapientes in bibliotheca excitanda.

Veloſ. in Iudith.

vocat Nazianzenus *Orat.*20. Nec me latet bibliothecam à Nehemia curatam esse, & additam Ierosolymis: quod patet ex 2. *Machab. cap.*2. *num.*13. vbi textus, *Construens* (inquit) *bibliothecam, congregauit de religionibus libros & Prophetarum, & Dauid, & epistolas Regum,* &c. sciens enim, prudénsque Nehemias id operis aggressus est, quòd prodesset scholis publicis, cùm in vrbem, discendi gratia, commearent iuuenes ex Asia, & Africa vniuersa; vt videre est *in Actis Apost. cap.*6. *num.*13. & Lorini *commentario.* Sed ne longè abeam, si tibi est otium, vide Lipsium *de Bibliothecis.* Claudium *suo in Museo*, Cresollium *lib.* 1. *cap.* 6. Serar. *in Harmon. Machab. lib.* 2. *cap.*1. *&* 2. *q.*20. vnde, quæ velis, abundè haurias.

2.Mach. c.2. n.13.

Act.c.6.n.13.

10. Illud addo, bibliothecam nec à Dei aula Academica alienam esse. Videt Ioannes Deum sua de sede tonantem latè, Apoc.4.num.5. *De throno procedebant fulgura, voces, & tonitrua,* &c. Neque enim Magister Deus aliter, ac Oratores Maximi, pleno theatro tonare, ac fulgurare visus est, cùm auditores adessent amantes disciplinæ. *Viginti quatuor seniores,* &c.*n* 4. Vides Academiam frequentem alumnis plurimis, & maturi cerebri? vide & bibliothecam bene cultam; vnde vitæ liber in Magistri manum cap.5. num. 1. *Vidi in dextra sedentis supra thronum librum scriptum,* &c. Vnde codices de iure sacro apud Dan.7.num.10. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt,*&c. Quodnam illud, & vnde *volumen volans*? apud Zachar. *c.5.n.*1. Credo volasse à Museo Regis Maximi. Expromptum è sacra bibliotheca librum Vates deuorant. Apoc.c.10.n.9. *Accipe librum,& deuora illum,*&c. Ezech.c.3.n.1. *Comede volumen istud,& vadens loquere,* &c. vt quidquid Vates literarum concipiunt, sermone composito regerant copiosè. Librum è sacro scrinio capit alius, vt quod libro deest, stylo persequatur, & suum ad vmbilicum adducat, apud Isaiam c.8.n.1. *Sume tibi librum grandem, & scribe stylo hominis*, &c. Suus igitur libris plurimis locus est in summa Dei cura; vbi Magister Deus, auditores, Angeli, homines. Ex cura vel Regum, vel Sacerdotum illud patet, Museum libris collectis instructum, & Regiæ opulentiæ monumentum, & sapientiæ publicæ excitamentum esse. Quod certò cùm sciret Xerxes, Athenis captis, nihil inde aliud secum auexit, quàm bibliothecam; opimum Persis spolium, vtpote Museum Atticæ Philosophiæ. Apud Agell. *lib. 6. cap.* 7. Tantum Medis, & Persis studium sapientiæ nutriendæ libris collectis, scholis extructis, bibliothecísque paratis. Reputabant secum prudentes rerum homines,

De bibliotheca Magister Deus curat.

Apoc.4. n.5.

Dan.c.7.n.10.

Zach.c.5.n.1.

Apoc.10.n.9.

Ezech. c. 3. n.1.

Isa.c.8.n.1.

PARÆNET. V.

Literis, literatisque hominibus fauendum esse.

1. LAudat Aurelius Constantinum, qui largè nutrierit bonas artes, *ac præcipuè studia literarum,*&c.*in epitom.* Probat Suetonius Vespasianum *c.*18.eo quòd *ingenia, & artes maximè fouerit,*&c. Laudat,& probat Ignatius *lib.* 3. Sigismundum, vtpote qui viros sapientes, vel fortunæ infimæ Rebusp. præfecerit ad rauim vsque gentis aulicæ. Et verò cura est Regia fauere literis, literatisque hominibus. Quod scholis extructis, paratis magistris, additisque salariis curandum Reges, & Imperatores putant, Salomones scilicet rerum prudentes regnísque amantes Principes. Nam Salomon Ierosolymis Academiã excitauit amplissimam, scholis dispositis, vbi Doctores scitè dissererent, auditores accuratè discerent. Trahit in hanc partem Pineda locum ex Prou. c.9. n. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum*, &c. Quæ enim sapientiæ domus est alia, quàm frequens magistris, alumnísque Academia, *lib.*3.*c.*28. Deinde Magistros addit Sapiens, & alit mensa apposita, numer. 2. *Miscuit vinum, & posuit mensam,*&c. Ne census magistris desit,& quæstus doctrinæ communicandæ. Sed quosnam Sapiens sapientiæ alumnos vocitat in Academiam? Textus est n.4. *Si quis est parvulus, veniat ad me,*&c. Nec alia est locis aliis inuitatio; ad c.1.n.22. *Vsquequò parvuli, diligitis infantiam,* &c.ad c.8.n.8. *Intelligite parvuli astutiam,* &c. Pulchrè Magister ætatem inuitat habilem disciplinis facilè parandis, & animis persanctè formandis. quod Hugo monet: *Bene parvulis astutia, & adolescentibus datur scientia. quia*

Prou. c.9.n.1. c.1.n.22. c.8. n.8.

Academiam Salomon erigit, & magistris addit annuos reditus.

Faciles disciplinis parandis iuuenes.

Quod noua testa capit, inueterata sapit,&c.

2. Sed quis ille Princeps est, de quo Isaias c. 33. n.17. *Regem in decore suo videbunt,*&c. Princeps omnino Regum est, qui sua in Regia extructam voluisse Academiam visus est. Textum premo. *Vbi est literatus? Vbi legis verba ponderans? Vbi Doctor parvulorum?* &c. scilicet hac in aula Doctores sunt nobiles, qui doceant de pulpitis Academicis. Et quidem tanta huiusce Regis cura est de sapientia nutrienda, vt stipendia Magistris prouiderit, ne fracti inopia scholas deserant. *Panis* (inquit) *illi datus est, & aquæ eius fideles sunt,*&c.*n.*16. Ac ne quis putaret laudandos in Academia Iuris prudentes esse, qui legum apices expenderent. *Vbi legis verba ponderans?* Deinde Theologiæ Doctores, qui de summo Deo scitè dissererent. *Vbi est literatus?* Nec pueris instruendis locum esse, Magistros textus inducit ætatis parvulæ, & Orbilios grammaticæ explicandæ. *Vbi Doctor parvulorum?* &c. Id enim officij debere se putant Reges optimi pueris rudioribus. Ac ne sileat Academia, magistros alunt stipendiis additis. quæ & Ptolemæo cura fuit apud Strabon. *lib.*17. Nam Academia basilicè excitata, *communes habet pecunias, & Sacerdotem, qui Museo præest,* &c.

Isa.c.33.n.17.

Pueris docendis consulit bonus Princeps.

Addo Gymnasium à Traiano ædificatum, Apollodoro Architecto, quod Dion tradit in Hadriano. Deinde bibliothecam basilicè extructam, de qua Dion ipse in Traiano; ac tandem pueris ingenuis alimenta prouisa, quod in Panegyrico est: & fidem facit Spartianus *in Hadrian.* Hæc Traianus, vt patriæ Pater optimus: sub quo pueri literis darent operam facilem. Nec Lucas in Actis Apost. abnuit opus id esse magni viri, cùm dicat Paulum in schola Ephesina, eáque in opera biennium detriuisse. *Quotidie* (inquit) *disputans in schola tyranni cuiusdam,*&c. cap.19. num.9. Puto cum

3.

Act. cap. 19. n.9.

Laudunensi,

Viri magni est scholam aperire, tractare.

Laudunensi, Caietan. Hugone scholam à viro nobili conditam, vel vt Princeps ipse magistrum ageret, vel vt filij auditores docerent. Gratum populis opus, quo iuuenes scitè instruerentur. Hac enim via Romanus ille perpetuitatem meruit, teste Brissonio. *Titus* (inquit) *Claud. scholas cum statuis, ornamentisque omnibus sua impensa facit*, &c. *lib.* 8. *de form.*

4. Sed nobiliorem columna erecta titulum meritus est Ioannes III. Gentis Lusitanæ Pater Opt. & Princeps Max. qui Academiam Olyssippone collocatam ab auo Dionysio Conimbricam transtulit, magistris instruxit, & censu auxit. Hac vna opera meus Princeps Ptolemæo prudentior, Traiano melior, ac felicior Magno Carolo, qui scholis publicè excitatis, iuuentutem regni vniuersam scitè ac sanctè instituendam curarunt. Inuitati à Ioanne Rege in vrbem, qui tractarent Academiam, Doctores famæ publicæ, hominésque sapientissimi salariis, honoribusque non modicis: quod tradit *lib.* 1. *cap.* 36. Doctor Monsonius. Quid habuerint alij, ab vno disce Nauarro, qui annuo stipendio aureos millenos habuit. Didicit ne Princeps Ioannes à Vespasiano? *Magna regũ virtus Academiam disciplinis explicandis prouehe.* *Qui è fisco primus Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit*, &c. apud Suet. *cap.* 18. An ab Hadriano? *qui Professores omnes, & honorauit, & locupletauit*, &c. apud Spartian. Illud certè meus Princeps voluit Academia basilicè excitata, regnum adornare, iuuentutem instruere, mores excolere, ac Religionem latè prorogare, quæ scholis erigendis vna est ratio. Vnde Ptolemæo natus amor Gymnasij Athenis ædificandi adolescentulis instruendis: apud Ciceronem 5. *Tusculan.* Abundè se fecisse arbitratus est Ptolemæus, si regni iuuenes suo poliret Athenæo.

5. Sed & viris literatis fauendum est, honoréque mandandi publicè; tum vt sua literis sit maiestas, tum vt sua Rebusp. vtilitas. Moysen videt Iethro sedentem altè, causa iuris dicendi, *Exod. cap.* 18. Re intus inspecta ad generum Iethro num. 21. *Prouide* (inquit) *viros potentes*, &c. Hebraicè אנשי חיל *Ansi Caiil*, id verò est, viros valentis industriæ. Nam Pharaon *Gen.* 47. *num.* 7. eademmet voce homines probat industrios Iosephi germanos fratres. Sed quò tantus sapientiæ apparatus, vt Iethro valentes ingenio velit homines? de textu res est num. 22. *Qui iudicent populum*, &c. Bene habet Caietano Auctore *Literatissimãdanda præfectura est.* *Viri siquidem ingenij naturaliter sunt aliorum Rectores*, &c. Tantus à natura honor est literatis, quantus Athenodoro Philosopho mandatus; quem Antonius & scholis Tharsensibus Gymnasiarchum præfecit, & Prætorem ciuibus: apud Strabon. *lib.* 14. Proximè Paulus ad hanc mentem, cùm sapientiam è cælo delapsam inducat, 1 Corinth. cap. 2. num. 6. *Sapientiam* (inquit) *non huius sæculi, neque Principum huius sæculi*, &c. Nam si ab Æcumenio repetas, quales huiusmodi Principes fuerint? non dabit Anacharsin, qui sceptro Scythico Philosophiam coluerit; nec Alexandrum apponet, qui regno Macedonico Philosophum egerit; nec Antoninum inducet, qui è Romano principatu Apollonium adierit, philosophandi amore. Apud Tertullian. *de Pallio cap.* 5. Apud Iustin. *lib.* 12. Apud Capitolin. *de Antonin. Philosopho.* Dabit tamen Philosophos, & Oratores, qui honores sibi maximos parauere, merito sapientiæ. Sic Æcumenius, *Principes vocat Philosophos, Historiographos, & Rectores, qui Reip. administratores erant*, &c. Tanta de Philosophis erat existimatio, vt cùm homines alios philosophando vincerent, ad Remp. scitè curandam euocarentur. Nisi mauis (cum D. Thoma) Philosophos ita genio, & ingenio valuisse, vt sese haberent, ac gererent, tanquam Principes Rerump. quo iure Isaias mordet Philosophos, ac de sua Philosophia tumentes homines. *Stulti* (inquit) *Principes Taneos*, &c. *cap.* 19. *num.* 11. Et sermo est de Tani, vrbe Academica: *vbi vigebat studium*, &c. quod monet Doctor Angelicus, *Emarcuerunt Principes Mempheos*, &c. *num.* 13. & locus est de senatu sapientum, qui se, & Philosophos, & Reges laudant. *Filius sapientum ego: filius Regum antiquorum*, &c. Nec immeritò id sibi nomen vsurparunt Philosophi, *qui quasi Principes sese exhibuerant in docendo*, &c. ita Doctor Angelic. *lect* 1. Tanta de literatis hominibus erat æstimatio, vt à principatu longè non abessent.

Sapientes rebus administrandis habiles.

Sapientes meritò sapientiã Principes.

6. Vates erat Daniel probatæ sapientiæ, cùm periculum subiret Academicum apud Magos, *cap.* 1 *num.* 20. & somnium, Rege territo solueret feliciter, *cap.* 2. *num.* 45. Quid inde pretij capit sapiens? textus est num. 49. *Ipse Daniel erat in foribus Regis*, &c. scilicet vel in iure dicendo Princeps, quod Vatablo placet: vel Prætorio præfectus, & Regis continuus, quod aliis visum est: quidquid tamen velis, tanta de viro literato opinio est, vt vel hostis Danielem præficiat Rebusp. Opinatus est fortasse virum sapientem Dei sapientissimi auditorem esse; quare nihil miror Danielem à Rege Balthassarum vocatum, Belíque Dei elogio notatum esse, cùm Regem Regina moneat, Dan. 5. n. 12. *Cui Rex posuit nomen Balthassar*, &c. Ille (inquit) Daniel, qui dubiis soluendis Princeps erat, suo merito Balthassar audit, à Deo scilicet Belo. Bellè ad litem Pelusiotes lib. 1. epist. 19. *Huiusmodi* (inquit) *apud illos vigebat opinio, scilicet ipsorum Deum; si vel dumtaxat eius nomen pronunciaretur, res miras perpetrare*, &c. Ac proinde cùm viderent Danielem somniis explicandis magistrum esse, viro id Beli amico tribuendum censebant. Pelusiotes iterum, *Balthassarum in honorem explicationis appellabant*, &c. Miror cur hominem sapientiæ plurimæ, quasi Deum ara extructa non coluerint? cùm Pythagoras id honoris habuerit in Metaponto, apud Iustin. lib. 20. *Cuius tanta admiratio fuit, vt ex domo eius templum fecerint, eumque pro Deo colerent*, &c. sed & hæc admiratio Chaldæum subiit de suo Daniele *cap.* 2. *n.* 46. Nec minor Lystris Pauli æstimatio, cùm textus in Actis habeat Paulum ab auditorio Mercurium vocatum esse, *cap.* 14. *num.* 11. Ratione ad rem addita, *quoniam ipse erat dux verbi*, &c. Videbant Paulum tonantem altè de fide casta: ac proinde virum literatum, non virum, sed Deum esse putabant. quod tam Chaldæus, quàm Lycaonicus fecere. *Ex admiratione diuinæ sapientiæ*, &c. Lyrano teste *in Dan.* citatum.

Dan. cap. 1. n. 20. c. 2. n. 45. 49.

Dan. cap. 5. n. 12.

Sapiens Dei auditor.

Sapiens quasi Deus.

Dan. cap. 2. n. 46.

Act. c. 14

Volat altè par aquilis sapiens, & suum astris 7.

Isa. c. 19. n. 11.

Exod. c. 18. n. 21.

Gen. cap. 47. n. 7.

1. ad Cor. cap. 2. num. 6.

astris caput inserit, cùm enim merito supereſt, & loco ſuperet, neceſſe eſt. Apud Ezech. *cap. 1. num. 10.* Pingit Vates hominem ſtatu erecto, leonem rictu latè ducto, bouem pede altè fixo, aquilam volatu celeri: Cherubinos ſcilicet ea ſpecie miniſtros Domini, cap. 10. num. 10. *& intellexi, quia Cherubim eſſent*, &c. ſed quo loco aquila eſt? *Facies* (inquit) *aquilæ deſuper*, &c. vtpote quæ Theologum exprimit, Hugone interprete. Summum Theologo locum Deus tribuit: vt noueris hominem affectu pio, leonem virtute maſcula, bouem labore humili, non tanti à Deo fieri, quanti fiat aquila volatu ſapientiæ. Prudenter homines literis, literatiſque hominibus fauendum eſſe cenſuerunt, cùm vellent vrbem, & orbem ſole ſapientiæ illuſtrari maximè. Teſtem ea de re Ioannem laudo. Videt Propheres Angelum qui ſolem vultu refert, Apoc. cap. 10. num. 1. *Facies eius, vt ſol*, &c. & qui librum manu præfert, n. 2. *Habebat in manu ſua libellum apertum*, &c. Quid hæc rerum ſpecies innuat, illud eſt, ſapientem cum ſole conuenire, vtpote qui Orbem vniuerſum illuſtrare ſoleat. Nemo neſcit Heliopolim Solis vrbem Græcè dictam eſſe, de qua Iſaias cap. 19. n. 18. *Ciuitas Solis vocabitur vna*, &c. vbi ſua Philoſophis, & Aſtronomis erat Academia: quam Herodotus adiit *lib.* 2. vbi Plato cum Eudoxo domum habuerit, cùm darent operam Aſtronomis Academicis: & quam Strabo domum vidiſſe ſe tradit *lib.* 17. ſignanter Academiam Solis vrbem dixere homines ſapientiſſimi, vt innuerent, eo penetrare lumina ſapientiæ Academicæ, vbi vel Cimmerias ſoluant tenebras. Etſi Heliopolis, Hebraicè און *Hon*, quod Hieronymo *dolor eſt*, rectè moneat laborem addere, qui ſcientiam addiderit, ex Eccleſiaſtæ 1. *n.* 18.

Ezech cap. 1. n. 10.

Sapiens reliquis hominibus præferendus.

Apoc. 10. n. 1. 2.

Sapiens Solis inſtar.

Iſa. c. 19. n. 18.

Ad ſapientiã ſudor, & alger.

Eccleſ. cap. 1. n. 18.

Sed iuuat è duro parta corona iugo.

Ac deinde, cùm Reges literis, literatiſque viris fauendum cenſent, illud teſtantur liquidò, certò Princeps firmum, & ſaluum regnum eſſe quod à ſapientia init auſpicium: & quidem ſalua eſt nauicula, vbi nauclerus ſcitè clauum tenet. Tam ſuo regno fortunam vt pararet Sabæa Heroina ab angulo terrarum vltimo Ieroſolymam perit, ſciendi auida: quod in Regina laudat meus Chriſtus Matth. 12. num. 42. *A finibus* (inquit) *terræ venit audire ſapientiam Salomonis*, &c. ſed quo id animo? an ne vt Salomonem audiret diſſerẽtem ornatè, & copiosè, ac deinde rediret in Sabæam mente ſicca, & ieiuna? Vanè id cogites: ſanè Bernardus, & ſanctè. *Vt regi diſceret, & ſic regeret*, &c. *Epiſt.* 289. ad Regin. Solymit. Reginam Bernardus mordet, & monet ſuos cuique oculos ſatis non eſſe, ad rem bene gerendam, niſi accedat politica altè ſuſcepta.

Matth. c. 12. n. 42.

Sapientes Princeps conſulat.

PARÆNET. VI.

Sapientiam Regibus conuenire.

1. FElices omnino vrbes, quibus vel dominantur Philoſophi, vel philoſophantur Domini: id lingua promptum erat Antonino Philoſopho, quod tradit Capitolinus iure merito. Nam Remp. ſcitè gerant homines, qui rectè ſapiunt, ac ſine metu licentiæ profundendæ. Quid non ſtatuant moris optimi? Quid non prouideant in poſterum? quid non conficiant ſtrenuè? qui ſciendi flagrant ſtudio. Mores colunt ſanctè, hoſtes pellunt facilè, ciues agunt iuſtè. Pollicetur id boni ſapientia alumnis Regibus, Prouerb. 8. num. 15. *Per me* (inquit) *Reges regnant*, &c. Quare tanto ſapientiæ amore ardet Salomon regni potens, vt ſapientiam vel in ſomnis cupiat, & petat, 3. *Reg.* 3. *n.* 9. Quibus precibus victus Deus tantam alumno ſapiẽtiam infundit, vt vincat Salomon *ſapientiam omnium Orientalium*, &c. quod textus habet *num.* 30. Aulam ſcitè, & regnum voluit adminiſtrare, œconomicam poſtulat, & politicam ſummis precibus. Vnde Auguſtinus benè, *ſi habuit ſapientiæ ſpiritum, regni meritò habuit*, &c. *q.* 18. *ex* 2. *p. Veter. Teſtament.* Sciebat

Sapiẽtia meres colit.

Prou. c. n. 15.

Reg. cap. 3. 9.

n. 30.

ca

anet

Reg 3. Deu

Permittenda literato virga.

Ierm. cap. 32. n. 18. 19.

Poteſtas ſapiens iuſtè agit.

2. Sed quæ nam illa virga eſt oculis ornata plurimis? apud Ierem. cap. 1. num. 11. *Virgam vigilantem ego video*, &c. Virgam pro ſceptro capio, quo Deus Regum Maximus, Reges in alios minatur grauiter; oculos tamen ſceptro addit, & vigilare ſe teſtatur oculis emiſſitiis, nequid ab æquo diſcedat, cùm pœnam decernat, teſte Hieronymo. *Vigilat virga, cuncta populi peccata conſiderans, vt percutiat, & corripiat delinquentes*, &c. Quid Princeps iuſtè videat, ſi oculos non aperit ſapientia? cùm Ægyptus ſummo in ſceptro oculum aperiat, figuratè innuens Regem ſapientiæ oculis captum, eſſe Regem non poſſe. Ferat Babylonius ſuo in ſceptro vel pomum, vel roſam: ſiue lilium, ſiue aquilam; quod tradit Herodotus *lib.* 1. & quo fluxa, ac volatica regni fortuna innuatur: ſed oculum ſuo in ſceptro gerat bonus Princeps, vt ſe & vigilare & agere ſcitè doceat. Quò ferrum Princeps moueat, ſi neſcit, quo id iure mouendum eſt? Cherubino gladium Deus tradit, quo Adamum abigat ab horto geniali. Gen. cap. 3. n. 24. *Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium*, &c. Cur Seraphino ferrum non committit? Seraphinus à flamma nomen habet, & metus eſt, ne zelo feratur nimio: ſed Cherubinus Hebraicè Magiſter eſt, rerum ſciens, ac legum prudens; qui ferrum iuſtè poteſt inferre, cùm norit culpam, & pœnam ſuo iure diſpenſare. Deum Ieremias valentem laudat, cap. 32. n. 18. *Dominus* (inquit) *exercituum nomen tibi*, &c. quo loco docet Vates Deum ducem poſſe bellum mouere, quocumque velit: addit proximè *num.* 19. Deum bonum conſiliis habendis eſſe. *Magnus* (ait) *conſilio, cuius oculi aperti ſunt*, &c. ſatis vt noueris Deum non punire, nec bellare cæco furore: quod Bernardus aduertit lib. 5. ad Eugen. *Poterat minimè timeri Deus alterutro carens; nam ſi minus videt, punire neſcit, ſi minus poteſt, punire nequit*, &c. & ſcire, & poſſe oportet, vt Princeps rem bene gerat. Occurrit Theobaldus à ſorore lectus ad regni adminiſtrationem: ſed quo merito, docet Regina apud Caſſiodor. *lib.* 10. *epiſt.* 3. cùm Romanum Senatum moneat. *Acceſſit his bonis eruditio literarum, quæ naturam reddit ornatam: ibi prudens inuenit, vnde ſapientior fiat; ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quemadmodum populos ſub æqualitate componat*, &c. Plura qui velit, Caſſiodorum adeat. Nam quid ſapientia Regibus proſit,

Fluxa Regum fortuna.

Gen. cap. 3. n. 24.

sit, bene probat D. Thom. *opusc. 20. lib. 1. cap. 2.*

Discant Reges, necesse est, ab vno Deo, qui Regum Magistrum agit optimè. Reges erant, qui Deo assidebant, seniores plusquam viceni. *Apoc. cap 4. n. 4.* Regum notæ fuerint, *in capitibus eorum coronæ aureæ*, &c. sua Deo sedes erat, & suus in manu liber. Quod Ioannes inspexit cap. 5. num. 1. *Et vidi in dextra sedentis supra thronum, librum scriptum*, &c. Bene Reges, ac basilicè, qui suam cum œconomica politicam miscere volunt: librum de Rebusp. explicat Magister Deus; explicationem suis excipiunt tabulis Reges discipuli, metuque terrentur, quod Richard. Victor. docet *lib. 2 in Apoc. cap. 1.* de hac scena sic ille. *Exprimit ipsos seniores supernum iudicium semper debere pertimescere, & ipsum semper attendentes, semetipsos districtè iudicare, & formam iudicandi alios sumere debere*, &c.

Apoc. cap. 4. n. 4. c. 1. n. 1.

A Deo Reges agendi modũ discant.

3. Discant Reges, & à libris sacris, profanis; vbi Magister Deus nobiscum loquitur, & discant mores vitæ colendæ, rationesque regni administrandi. Nam & Deus libros habuisse visus est, vnde vel belli gerendi, vel iustitiæ exercendæ motus conciperet. Nosti quisnam sit liber ille de quo Moyses Num. 21. n. 14. *In libro* (inquit) *bellorum Domini*, &c. Librum Mendoça agnoscit probatæ auctoritatis, quo in libro erant rationes belli gerundi, *tom. 1. Annot. 1 proœm. sect. 2.* Nec tibi excidat ille alius, de quo Vates 2. Reg. 1. num. 18. *sicut scriptum est in libro Iustorum*, &c. in quo libro erant leges sanctæ de officio qualicumque Rerump. quòd Sanctio placet, Vatablo addito. Illudque docet Magister Deus, iuuari non modicè Reges libris sanctè perlectis ad regnũ administrandum, quo aspectu Pontifex Regem proclamat libro in caput impositio. Nam textus est 4. Reg. 11. n. 12. *Posuit super eum diadema, & testimonium*, &c. Ac, ne quis dubitaret, de quo testimonio sermo esset, traditum est in Paralipomen. lib. 2. cap. 23. n. 11. *Dederuntque in manu eius tenendam legem*, &c. Cur libro legum caput Regis ornatum Deus voluerit, ea ratio esse potuit, vt sciret Princeps à libro sacro prudentiam rerum gerendarum venire in cerebrum hominis, scilicet ne hostes iniustè premat, ne ciues ineptè feriat, Auctore Abulensi. *Quia in libro legis continentur admonitiones contra hoc*, &c. Non est animus recensere, quot Reges, ac Principes legendis libris sacratum rerum curam intenderint. De Constantino Magno testatur id Eusebius *lib. 1. cap. 26.* De Alphonso Lusitano Osor. *lib. de Reg. instit.* De Magno Carolo Albinus *epistol. 10.* De Alphonso Aragonio Panormitan. *lib. 2.* qui quidem Princeps pro tessera librum habuit. Vide Lipsium *lib. 1. c. 8. de monit. polit.* A sacro enim libro cogit Princeps animo, quid velit Magister Deus.

Num. c. 21. n. 14.

Iuuantur bene Reges libris perlectis.

2. Reg. cap. 1. n. 18.

4. Reg. c. 11. n. 12.

2. Paralipom c. 23. n. 11.

A sacro libro haurit Princeps rationes agendi, ac regendi.

4. Sed à profano Museo nihil non boni discit Princeps quisque. Certò id sciebant Reges, qui bibliothecis extruendis summam dabant operam. Mitto, quæ à me collecta in hanc litem. Vnum illud tacendum non est de bibliotheca Regis Osymanduæ, in qua titulum voluit præscriptum esse Græcis literis Ψυχῆς ἰατρεῖον, quod est, *animæ officina medica.* Apud Diodorum *lib. 1.* verè & sanctè Osymanduas: libris enim perlectis discunt homines, quid facto opus est, & morbos animi longè pellunt. Nec alienum est à fastu Regio libros cogere, tractare, legere, cùm Princeps Æthiopum in auguratione peracta, claues sumat Regiæ bibliothecæ: quod notat Claud. *lib. 2. Musei. cap. 2. sect. 4.* quasi Princeps eo ritu adstringatur ad libros lentè perlegendos. Hæc Assuero cura, Annales rerum poscere, & versare, *Hesther cap. 6. n. 1.* Nec minus Arphaxado studium fuerat de bibliotheca extruenda, & vrbe ornanda.

Sapientia mèrii medicina.

Num. 4. Et gloriabatur quasi potens, in potentia, &c.

Commentarius.

1. VErè potens Arphaxadus; vnde Princeps glorioſus omnino est: neque enim voces, *quasi, tanquam, sicut*, Latinis, ὥςπερ Græcis, כה *che* Hebræis, minuunt semper; sed firmant aliquando veritatem rerum, de quibus agitur. Patet ex *Ps. 125. num. 1.* vbi Dauid, *Facti sumus sicut consolati*, &c. Hebraicè כחולמים *Checholemim*, id enim est Augustino. *Verè consolati.* constat ex Iob. *cap. 27. num. 7.* vbi textus, *Aduersarius meus, quasi iniquus*, &c. Græcè, ὡς πᾶς ἀκάθαρτος ἡ τῶν ἀσεβῶν. Hoc Gregorio est affirmatio, non similitudo, *lib. Moral. 28. cap. 6.* Planum est ex Aggæo cap. 2. num. 24. *Ponam te, quasi signaculum*, &c. vbi Rupertus lib. 2. *Dicendo quasi signaculum, non minuit veritatem signaculi*, &c. Postremò locus est de Christo Deo apud Ioan. 1. numer. 14. *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre*, &c. vbi vocula *quasi*, minuere non potest fide salua, quod est Patrum commune placitum. Addit Chrysostomus *hom. 11. in Ioann.* dictum compendio, cùm Princeps incedit magnificè, ire quasi Principem. Nec Arphaxadus minus potest, etsi dicatur, *quasi potens.* Si quis tamen locum torquere ad mores velit, Arphaxadus non verè, sed fucatè rerum potens est, teste Laudunensi. Neque enim certa, & constans, sed vana Regum fortuna est, & varia. Locum loco explicatum volo. *Apoc. cap. 17. num. 12.* Reges in belluis Ioannes videt, Angelo internuntio; & quinam Reges? quotãnis Reges? Paucis aduerte, docebit Angelus, *Potestatem* (inquit) *tanquam Reges, vna hora accipient*, &c. Textus est de Regibus, qui viros sanctos detriuere seruitute Ægyptiaca, feritate Babylonica, & Romana proteruitate, quos negat Reges fuisse; cùm regnum hora, non anno administrassent. Anne Reges Regum vmbræ? Ea Ruperto opinio est, lib. 10. in Apoc. *Non verè* (inquit) *Reges, sed quasi Reges, potestatem accipient, & hoc vna hora: acsi dicat, Regum extollentiam nequaquam regnum voces; Regnum enim diuturnam potestatem sonat*, &c. Quò spectat vox Pliniana lib. 7. cap. 40. *Quàm multos accepta afflixere imperia? ista nimirum bona, si cui, inter illa, hora in gaudio fuit*, &c. quod si Regum fortuna tam citò lacessit, maiestas non vera, sed fucata est. Nónne actor scenicus modò Princeps altè sedet, modò seruus pistrinum

I.

Psal. 125. n. 1.

Iob. c. 27. n. 7

Aggæ. c. 2. n. n. 24.

Ioann. c. 1. n. 14.

Apoc. c. 17. n. 12.

Non durat Regum fortuna.

ſtrinum verſat. *Quid* (Nazianzeno Auctore) *qui ſublimes in thronis ſedent, atque imperij ſcenam attollunt*? Orat. 15. ſed locus erit, quo rem lentè expendam.

12. Illud modò excutio, cur Arphaxadus ſuperbè intumeſcat gloriarum plenus homo? *Et gloriabatur, quaſi potens*, &c. Video, qua mente Græcus Euctemon dixerit apud Alexandrum Curt. lib. 5. *Calamitas querula eſt, & ſuperba felicitas*, &c. ſiquis enim ſibi videtur abundè felix, ceruices altè attollit, buccas inflat ſuperciliosè, grandi incedit gradu, & glorias quocumque loco proflat, nec audit Lyricum rectè monentem lib. 2. Ode 3.

Felices intumeſcunt facilè.

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non ſecus ac bonis,
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, &c.

Sed peius ea de re Sedechias audit; quo de Rege ſermo apud Ezechielē eſt c. 7. n. 10. *Floruit virga* (Lyra teſte,) Sedechias ſceptro floruiſſe viſus eſt. Quid inde? *Germinauit ſuperbia*, &c. Id verò eſt: regni flores ſuperbiæ fructum peperere. Hominem quodam modo Princeps exuit ſceptro potens, ac ſi tertius è cælo lato ecciderit. Quæ Hildeberto occaſio declamandi, aduersùs humanos Ioues epiſt. 31. *ſuperbia* (inquit) natione cæleſtis, ſublimes appetit mentes, &c. Mordet Angelum Hildebertus, quo duce, ac magiſtro ſuperbus homo eſt. *quod hominem pene diffitens, æqualem ſe ſuperis, & metitur, & mentitur*, &c. Hæc Hildebertus Antiſtes; vt certò ſcias

Ezech. c. 7. n. 10

Quo quis Regno ſuperior, eo & ſuperbior.

PARÆNET. VII.

Felices homines ſuperbè tumere.

1. NAtum magnis honoribus vitium, eſt ſuperbia, vt teredo è ligno, è panno tinea. Cùm ſe Principes altè erectos vident fortunæ vultu placido, efferuntur ſuperbè, & caput aſtris inſerunt arroganter. Nec Atreus minori eſt ſupercilio in Thyeſt. act. 2. *Altum ſuperbo vertice attingens polum*, &c. Fauet & vox Hebræa נשיא *Naſi*, quæ ſonat Principem, quaſi hominem eleuatum vanè, à verbo נשא *Naſa*, hoc eſt *eleuare*, & quadrat interpretatio: nam ſuperbire, ire eſt ſupra homines reliquos ceruice admodum erecta. Quod ſibi malum vt caueret Gedeon, ſceptrum abigit traditum à populo ad nepotes vſque, Iudic. 8. n. 22. *Dominare noſtri, tu, & filius tuus, & filius filij tui*, &c. Quis regnum vltrò oblatum manu, & animo non exciperet? ſed repudiat Gedeon illud iterans n. 23. *Non dominabor veſtri*, &c. Et firmus in repudiando ſceptro eſt, catus, & cautus admodum, teſte Abulenſi q. 20. *vt non ſuperbiret, principatum non accepit*, &c. Metus bono viro erat, ne honore in nepotes ſuſcepto altè intumeſceret, & licenter inſoleſceret. Quo metu Senatus Populuſque Rom. annua imperia ſibi fecere, Auctore Saluſtio, *Eóque modo minimè poſſe putabant per licentiam inſoleſcere animum humanum*, &c. *In Catilin.* Licentiam in ſceptro mouendo formidaſſe viſa eſt Virgo ſapiens, quæ à Deo vocata ad regnum, ſemel, iterum, ac tertiò, Cant. 4. n. 8. *Veni de Libano, veni de Libano, veni, & coronaberis*, &c. Adhuc cunctatur, adhuc in dubio eſt, adhuc timet. Vnde Gilberto vox eſt ſerm. 29. *Vide, ſi non morosè de Libano egreditur, quæ toties vocatur*, &c. Sed quid virgo timet, quæ ad ſedem euocatur gloriæ feliciſſimæ? Gilbertus iterum, *Optanda quidem lucra, ſed metuendus eſt lapſus*, &c. Multiplex honore ſuſcepto lapſus eſt, in ſuperbiam ſcilicet, & inſolentiam.

Animum ſuperbè erigit homo alte erectus.

Iudic. cap. 8. num. 22. 23.

Sceptrū abigat, qui ſuperbire nolit.

Cant. 4. n. 8.

Timet ſibi à ſceptro, qui rectè ſapit.

Mirum, quæ nam vel ſapientum animos è rebus ſecundis capiat inſolentia? Tantum ſibi arrogant, vt procul à ſe trudant homines reliquos. Vetitum lege lata apud Aſſuerum, ne quis Regem adiret, *Heſther* 4. *num.* 11. Addit textus. *Quòd ſi vir, ſiue mulier, non vocatus intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur*, &c. Cur tanta de Rege adeundo erat cunctatio? Rupertus optimè lib. 8. de Victor. c. 10. *Nimirum hoc venerat ex nimia ventoſitate miſeræ vanitatis, vt Rex magni imperij, pluſquam homo putaretur habere aliquid, nec vilior fieret ex vſu publicæ viſionis*, &c.

2. Heſther c. 4. n. 11.

Hominem ſe eſſe negat, qui ſceptrum capit Deum induit.

Faſtus ineſt Magnis, ventoſa ſuperbia tradit
Turbam hominum reliquam.

Ab Arphaxado in Aſſuerum tranſmiſſa vanitas eſt, cùm Medus lege cauiſſet, ne quis Regem videret; ſcilicet vt auctoritatem abſentia tueretur, atque etiam augeret. quod tradit Herodot. *lib.* 1. Credunt Reges vanitatis Aſiaticæ pollutam Regum maieſtatem eſſe congreſſu hominum facili, ac proinde ſua ſe condunt in aula humani Ioues. Et res erat maximè de tumore Perſico. *Vt perſona Regis occultaretur ſub ſpecie maieſtatis*, &c. Ita Rupertus loco citato. Inde occaſio vt Magus Oropaſten pro Rege ſubſtitueret; ceſſit benè dolus, (Iuſtino teſte,) *quòd apud Perſas perſona Regis ſub ſpecie maieſtatis occulitur*, &c. *lib.* 1. Rhodos adit ab vrbe Tiberius, & ſeceſſu Rhodienſi vitam agit; conſilium erat auctoritatis augendæ, & venerationis conciliandæ. Nam ſi Tiberio fides eſt apud Corn. lib. 1. *Maieſtatis maior ex longinquo reuerentia*, &c. Vana omnino mens hominum, qui Deo pares eſſe volunt. Scio Deum velo oppanſo tectum eſſe, ne videretur à turba Sacerdotum. Exod. 26. n. 33. ad Hebr. 9. num. 3. *Poſt velamentum* (inquit) *ſecundum tabernaculum*, &c. Cur Magnus Deus ſuo ſe tecto condat, nec ſe humanis oculis videndum præſtet, bene docet Abulenſ. ad Exod. cap. 16. q. 14. *Quæ vſu quotidiano cernuntur, etiam ſi magna ſint, tamen vili penduntur; quod hîc non decebat*, &c. Scio deinde Sacerdotem Maximum anno integro ſemel admiſſum ad familiarem cum Deo collocutionem: *Semel* (inquit) *in anno ſolus Pontifex*, &c. *ad Hebr. cap. 9. num. 7.* Care Deus, ſuam vendit familiaritatem, vt ſummo in pretio habeatur. quod notat Abulenſ. ad Leuit. cap. 26. *Ad magnam eius reuerentiam demouſtrandum*, &c. Non aliter vani homines, quos Seneca pungit acerbè, de Benef. lib. 6. cap. 33. *Eſt proprium ſuperbiæ magno æſtimare introitum, & tactum ſui liminis, pro honore dare, vt oſtio ſuo propius aſſideas, vt gradum prior intra domum ponas*, &c. Tantum ſibi pretium ex fortuna arrogant viri magni, vt ſummo cum Deo contendant ſuperbi admodum.

Contemptus è commixtione natus.

Exod. c. 26. n. 33. Ad Hebr. c. 9. n. 37.

Venerationem ſeceſſus auget.

Grande malum! Quod vt Deus premerer, Moyſen à Iethro ſocero monitum voluit, *Exod.* 18 Totus in iure dicundo Moyſes erat; accedit

3 Exod. c. 18. n. 9.

accedit Iethro, & re bene penſitata addit numer. 19. *Audi verba mea, atque conſilia*, &c. Quid hoc monſtri eſt? potuit Magiſter Deus ſuum Moyſen admonere, & magiſtrum inducit hominem, qui Moyſen de rebus agendis inſtruat? cauſa id premendæ ſuperbiæ factum putat Auguſtinus q. 68. in Exod. *Videndum eſt* (inquit) *ne fortè ibi voluerit Deus ab alienigena admoneri Moyſen, vbi & ipſum poterat tentare ſuperbia. Sedebat enim iudiciaria poteſtate ſolus ſtante populo*, &c. Tanta ſuperbiendi occaſio eſt magnus in Rep. honor, vt vitio Moyſes pateat, & Petrus. Suum Petro primatum committit Chriſtus Dom. faſces, & claues tradit Matth. 16. num. 19. *& tibi dabo claues*, &c. Magna Petri dignitas cœlo moderando, & regno adminiſtrando adeſſe; ſed paucis pòſt verbis, cùm Magiſter ageret de ſua cruce, & Petrus id negaret Magiſtro ferendum eſſe num. 22. *Abſit à te Domine*, &c. vultu contracto Magiſter, *Vade* (inquit) *poſt me Satana*, &c. Tam ſubitò Dæmon Deo Petrus eſt, qui modò Pontifex Chriſto erat? Benè & ſcitè Magiſter humilitatis conciliandæ, teſte Petro Dam. lib. 4. epiſt. 12. ad Epiſcopos. *In quo* (inquit) *nobis exemplum dedit, vt quos ad honoris culmen attollimus, ſub diſciplinæ magiſterio refrænemus*, &c. Et quo id conſilio? Petrus iterum. *Vt ne ipſi lenocinante faſtigio, ſe in ſuperbiæ tyrannidem erigant*, &c. Sciebat Magiſter Dom. periclitari homines honore ſuſcepto, & ſuperbè inſoleſcere, inde triſtes in Petrum morſus. Si quis tamen in honoribus ita agitet, vt ſubmittat ſe ſe, nec ceruices erigat, illud ſuo in tumulo carmen inſcribat, quod Archæa ſuo inſcripſit Mauſoleo,

Non mihi mens vnquam tumuit, licèt ipſa Parentem
Regem habui, & fratres, pignora chara, virum.

Apud Iſidor. Peluſiot. *lib.* 3. *epiſt.* 224. Magna omnino mulier, quæ à domo Regia tantum honoris, quantum generis habebat; nec tamen de ſe altè cogitabat, nec ab Arphaxado monita. *Gloriabatur quaſi potens*, &c. Eruerat fortaſſe ex loquendi forma

Ceruices erigit, qui virga fruitur.

Matth. c. 16. n. 19. 22.

Superbiam Deus premit.

Magna virtus non tumere honore ſuſcepto.

PARÆNET. VIII.

Regum felicitatem perire facilè.

1. QVæſitum à Plinio eſt *lib.* 7. *cap.* 40. poſſit ne quis dici felix iure merito? vel dextro Mercurio Crœſus, Craſſus; vel duce Marte Cæſar, Alexander; vel amico Ioue, Cyrus, Sylla: ſed verum de re dubia iudicium eſto. *Mortalium nemo abundè felix.* Et oraculum Plinio eſt. *Nam, vt alia non ſint, certè, ne fortuna laceſſat, metus eſt*, &c. Queruntur, nec falsò, mortales perire breui felicitatē humanæ gentis, cùm fortunæ voluitur rota. Vnde Lucilio (apud Senecam) impetus monendi epiſt. 8.

Non eſt tuum, fortuna quod fecit tuum.

Aduolant, & auolant fortunæ bona. Sed melior mihi Magiſter de rebus fluxis, meus Chriſtus eſt. Taxat ille diuitias, etſi moneat, Luc. 16. num. 9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, &c. Sed alienas, vel à Craſſo facultates eſſe docet num. 10. *Si in alieno fideles non fuiſtis*, &c. Verè ad contemptum diuitiarum, quæ ſuo ſtare loco neſciant, & à Craſſo Domino facilè abeant. Ita Hildebertus Antiſt. epiſt. 56. ad Regem Anglorum. *Hæc aliena eſſe, ipſorum fuga denuntiat. Bona vaga, bona pennata ſunt hæc*, &c. Cur tamen ſiſtant, & non auolent, quæ à fortuna alata bona aduolant? Probat id Orator Scytha apud Curt. *lib.* 7. Quis neſcit tabernaculum à Moyſe factum, auro, & gemmis adornatum eſſe? Certè Paulus *ad Hebr. cap.* 9. *num.* 4. opus affabrè extructum docet. *Aureum habens thuribulum, arcam teſtamenti circumtectam auro, in qua vrna aurea*, &c. Ne quis tamen neſciret eam auri, & gemmarum copiam perire facilè, & abire in nihilum, compendio id ſignificauit num. 1. *Prius* (inquit) *ſanctum ſæculare*, &c. Bene ad litem Anſelm. *Aurum, & argentum, pretioſique lapides, ex quibus factum eſt illud tabernaculum, res ſunt ad ſæculum pertinentes, & cum ſæculo tranſeuntes*, &c. Abeunt dies, labuntur anni, volant ſæcula; vno tantùm motu conſtant. Hæc & rebus ſæcularibus fortuna eſt: quaſi aliena à nobis, ea bona auolant. Miſeri omnino homines, qui ad fortunæ riſum facilem altè gaudent, nec vident eum fortunæ riſum à deriſu longè non eſſe, cùm facultates vel ampliſſimæ breui pereant.

Felicitas bonum ab hominibus alienum.

Ad Hebr. c. 9. n. 4.

Fortuna bona citò auolat.

2. Mulierem demiratur Iohannes Vates, Apocal. 17. *Admiratione ſcili et maxima*, &c. *n.* 6. Quid miratur Apoſtolus in muliercula? addit textus, *& mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo*, &c. Attalica eſt, nec curta ſupellex, vbi aurum, gemmæ; veſtis auro, & labore texta phrygio. Hæc Ioannes, & plura demiratur maximè. Sed cùm mulier Dracone vecta ſubitò abiret, & nuſquam ſtaret; addit Angelus, Ioannem ſeuerè increpans num. 8. *Quid miraris? Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt*, &c. Breuiter mulier ſuo læta bono eſt: felicitas omnino fucata, perſonata; ſcena eſt, quæ ſuo ſtare loco neſcit, & Rupertus monet lib. 10. *Sed quod agit, quod valet, quod poteſt, tranſitorium eſt*, &c. Putat Attalus fortunæ alumnos homines pomparum ferculis pares eſſe. Procedit pompa, nec gradum figit, res grata oculis, ſed ſpectator manu vacua. *Pompa eſt*, (clamat Philoſophus) *oſtenduntur res iſtæ, non poſſidentur; & dum placent, tranſeunt*, &c. apud Senecam *epiſt.* 110.

Apoc. cap. 17. n. 6. 8.

Fuiſſe, non eſſe videtur felicitas hominum.

3. Sed quo honores conſtant loco? ſi & arundinea Regum fortuna eſt? quod vel miles probat, qui meum Chriſtum donat ſceptro arundineo, Matth. 27. num. 29. *& arundinem in dextera eius*, &c. Neſcit miles, quid Vates cecinerit de Chriſti ſceptro Pſ. 2. num. 9. *Reges eos in virga ferrea*, &c. Nam ſuum Chriſto regnum ſemper ſaluum eſt, ſed fortaſſe nouit miles Pharaonem ſceptro arundineo adornatum; quod à Deo nomen eſt: apud Ezech. *cap.* 29. vbi Iudex num. 3. *Ego ad te Pharao*, &c. Deinde cauſam peragit num. 6. *Pro eo quod fuiſti baculus arundineus*, &c. Illud igitur docet Iudex quod ſuo miles commento ridet, Drogone teſte. *Poteſtas enim, & regnum impiorum arundo eſt vento agitata*, &c. *ad tract. de Paſſion.* Nec terret, quòd arundo in rota eſt, dum ſuam quiſque vitam viuit. Laudo Iacobum, qui linguæ

Matth. c. 27. n. 29. Pſ. 2. n. 9. Ezech. c. 29. n. 3. 6.

Nutat ſceptrum quod arundo eſt.

Luc. cap. 16. n. 9. 10.

guæ carpit vitium, & vitæ cursum innuit,
Iacob cap.3. n.6. Psal.76. num.19. *Vana & fluxa hominum vita.* *cap.3.num.6.* vbi textus, *Inflammat rotam nativitatis nostræ*,&c. Sed & Dauid *Psalm.76.n.19.* scitè monet,quo metu Deus versat rotam humanæ vitæ.*Vox*(inquit)*tonitrui tui in rota*,&c. Vnde Olympiodor. ad Eccleſiaſtæ cap. 12. *Rota,pro vita accipitur, ob ipsas revolutiones, & motus*,&c. Voluitur manu rota, & quod ſummo in loco eſt,ad ima deuoluitur; nec Regum vices meliores. nam qui regno fruitur, regno mouetur; guſtatis tantùm regni bonis. Dies eſt,non annus eſt,quo durant felices homines;
Iſa.c.5.n.1. ita cenſent Magni vates:inde alius, Iſa. cap.1. num. 1. *Viſio Iſaiæ in diebus Oziæ*, &c. ſubiicit
Ier.c.1.n.1. alius Ierem. cap. 1. num.1. *Verbum Domini in diebus Ioſiæ*,&c. Multus ero,ſi velim,quæ alij, morosè colligere. Vnus mihi Lucas placet
Luc.c.1.n.5. cap.1.n.5.*Fuit in diebus Herodis*,&c. Ita ne Dij magni? ad ſceptrum aperit vna dies aditum, claudit & vna dies:tam citò perit fortuna Regum? Occurrit Salmeron *tom. 3. tract. 38.* &
Dies,non annus eſt, quo durat Regum fortuna. Deum eo ſenſu tonantem laudat: *vt insinuet brevitatem temporis, quo Reges dominantur*,&c. Iure igitur merito Arphaxadus, quaſi potens eſt.Nam & Reges alij,Reges ſcenici, vel morbo contracto,vel hoſte infeſto.

4. Tractum hac fortunæ rota Seleucum puto, de quo Iuſtin. lib. 27. *Quasi ad fortuna tantum ludibrium natus esset;nec propter aliud regni opes suscepisset, quàm vt amitteret, victus prælio est*, &c. Quis de fortunæ riſu plura pollicitus, quàm Princeps ille,qui ad cœnam lautè inuitatur.*Pone mensam*,&c.*Iſai 21.num.5.* ſed proximè admonetur de agendis excubiis. *Contemplare in specula*,&c. Deinde tuba claſſicum perſonante, iubetur hoſtem arcere. *ſurgite Principes, arripite clypeos*, &c. Itaque à menſa ad aciem curſus eſt,teſte Procopio. *Bella* (inquit) *ludos festosque dies brevi adeò subsequuntur*, &c. Illudque in loco voluit Procopius,
Cibum Princeps non capit metu vacuus. leuem eſſe fortunæ riſum, leuem rotam:à læta cantilena ad triſtem næniam breui mora abire Principes, ab epulo baſilico ad ſeruitutem miſeram horæ momento decidere Duces, ac Reges; quod ſentit Seneca. *Horæ momentum est,inter solium,& aliena genua*,&c.*ad cap.5. de Tranquillit.* Timet Dauid fortunæ ludum, cùm victor ab Idumæa reueniret & Syria.De victo-
Pſ.59. ria duplici carmen eſt Pſalm. 59. *Cùm succendit Mesopotamiam Syriæ*, &c. vbi Dauid ferro, & flamma Syriam terit, & Idumæam premit: ſed epigraphe metum priùs ſonat, cùm fortunæ rotam videat. *In finem* (inquit) *pro his,qui immutabuntur*, &c. Et quadrat epigraphe in
Ruinam minatur magna felicitas. ducem glorioſum : carmen enim monumentum eſt,quod Dauid glorioſè victor & monetur, & monet, fortunam belli proſperam facilè auolare:Regem modò victorem gaudere, modò victum dolere, mota fortunæ rota. Vnde epigraphe nata eſt, *Pro his, qui immutabuntur*,&c. Iam conſtans ſuo motu fortuna eſt,vt non auſit homo rerum potens aliud de ſe publicè adſtruere. Altè gaudet ille, qui hoſte victo victoriam animo aliam concipit, teſte Vate,*Omnium inimicorum suorum dominabitur*,&c.
Pſ.10.n.5.6. *Pſ.10. num.5.* Sed mentem acuens ex aliena fortuna,*Dixit in corde suo: Movebor*,&c.*num.6.* Cur non propalam? cur non in aures hominum? cur ſuam tegit opinationem de firma fortunæ rota?Pudore affectus eſt, cùm opinaretur fortunæ rotam clauo trabali fixam eſſe. Hæc ille ſuo cum animo reputat, nec aſſerit publicè,teſte Baſilio, *Quod pudoris quidem gratia in apertum producere non audet*, &c. Vidit homo Aſſyrios, Chaldæos, Græcos homines fortuna belli varia, & vitrea diſtractos eſſe,de ſe aliud affirmare publicè non eſt auſus, *Dixit in corde suo,non movebor*, &c. *Errat, qui fortunam vitream esse negat.*

Inſana omnino cogitatio,cùm felicitas,etſi 5.
ad ſpeciem ſtare videatur, ſuo ſtare loco neſciat.Docet id Angelus 2.*Apoc.n.24.* vbi laudat
Apoc. cap.2. num. 24. homines, qui vel congeſtis vitæ bonis fidem ſanctè coluere. *Et qui* (inquit)*non cognouerunt altitudines Satanæ*,&c. Premo locum, & peto, cur illud Magiſter adiiciat, *Quemadmodum dicunt*,&c.Qui cœnat baſilicè,non bene epu-
Felix non est, qui non est fortuna solida. latur? qui vincit ſtrenuè, victor non eſt? Qui altè ſedet, altè non gaudet? Sed illud in loco voluit Angelus, quæ florent ſpectatiſſimè, marceſcere facilè;in Regum fortuna proſpera ſpeciem oſtentari,ſed rem deſiderari. Nec Rupertus aliter interpres eſt,lib.2.in Apoc. *Non dico*(inquit)*altitudinem Satanæ, quemadmodum est, sed quemadmodum stulti admiratores dicunt*, &c. Neque enim eſt felicitas, quæ fortunæ ludus eſt; & qua Arphaxadus non rerum potens eſt, ſed quaſi potens.

Num. 5. Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue, ciuitate magna.

Commentarius.

1. AD diſquiſitionem 4. prologiſticam ſtatuo Merodachum Babylonium, Aſarhaddone ſublato, & Nina capta, appellatum eſſe Nabuchodonoſorem, nomenclatura Imperatoria. Secundam hanc eſſe concuſſionem vrbis magnæ bene conſtat, cùm ſciam iam olim cladem Ninæ illatam fuiſſe ab Arbace Medo,vrbemque ocuparam, Sardanapalo interfecto. quod tradit Strabo *lib.* 16. Velleius *lib.*1.Diodor.*lib.3.cap.*7. Athenæus *lib.12.c.12.* & Iuſtin. *lib.* 1. Merodachus igitur, Aſarhaddone malè mulctato,vrbem occupat,& Imperium. Qua de re Nahum dixiſſe puto, *Onus* Nahum c. 1. n.1. *Ninive*,&c. *cap.1. num.1.* cùm Prophetes oraculum ediderit ſub Ezechia Rege poſt Sennacheribi fugam,aduerſamque fortunam. quod volunt Hieronym. Theodoret. Theoph. Rupert.*lib.2.* & quidem Vates in loco videtur inſinuare Aſſyrium cum domo Regia extinctum eſſe. Addit enim de Sennacheribo num. 25. *vniuersus interiit*, &c. Ac ſi de Aſſyria domo nemo ſupereſſet regno potens.In hanc partem faciunt minæ graues apud Iſaiam cap.10. n.5. Iſa.c.10.n.5. *Væ Assur*,&c. quod placet Hieronymo,& Ruperto *lib.2. de Trinit.cap.5.*

2. Vnus eſt ſtimulus ex Nahumo vate *ad c.3.* Nahum c. 3. *num.* 7. vbi Vates de Niniues euerſione vlti- n.7.8. ma, *vastata est Ninive*, &c. Quòd enim ſit locus de clade vltima Niniues,bene colligo,cùm Vates de Alexandrina fortuna dicat n.8. *Nunquid melior es Alexandria?*&c.ſed Nabuchodonoſor Alexãdriam expugnat, expugnatis priùs Ieroſolymis; quod apertè docet Ezechiel *cap.*30.

Ezech. c.30. n.13. *c.30.n.13.*vbi Prophetes,*Ceſſare*(inquit)*faciam idola de Memphis*, &c. ac deinde ſubdit n.14. *dabo ignem in Taphnis, & faciã iudicia in Samaria*, &c. Non igitur Nahum de ſecunda Ninæ peſte, nec de Merodachi pugna loquitur *ad 1. caput*, vbi tuba canit, *Onus Niniue*, &c. Nego tamen, & conſtituo, hoc in loco egiſſe Vatem de Merodacho, *ad cap.* 3. de Chaldæo Nabuchodonoſore, ac proinde interpretatio bene conuenit.

3. Sed cur Niniue non ſemel teritur, premiturque? An quia magna eſt ciuitas, & inde magnorum mater eſt ſcelerum? Nemo neſcit Niniuem, vel Deo magnam vrbem eſſe; quod Gen.10. n.12. Ion.c.3. n.3. Moyſes docet *Gen.* 10. *num.* 12. & Ionas tradit *ad cap.* 3. *num.* 3. Niniue enim *erat ciuitas magna itinere trium dierum*, &c. quam ſcilicet nemo obire poterat, niſi triduana circuitione. vide Hieronym. & Auctores reliquos, ſimul cum Ribera *ad Ionam*, & Serar. *ad Iuduth 1. q.6.* Nemo deinde neſcit vrbem magnam magnorum ſcelerum ſentinam eſſe; quod enim ſcelus non patratur in vrbe magna? Cùm ſicarij, ganeones, manticularij ibi ſedem habeant, Prætores fallant, & lateant? *Cecidit, cecidit Babylon illa magna*, &c. Apoc. 14. *num.* 8. Apoc. c. 14. n.8. Roma ſcilicet magna vitiis, & diuitiis. *quæ à vino fornicationis ſuæ potauit omnes gentes*, &c. cùm orbem vniuerſum perdiderit ſua nequitia. Rupertus optimè lib. 9. *Cum improperio magna dicitur, quæ ſemetipſam ſuperbiendo magnificabat*, &c. Sed quænam illa eſt ciuitas, quæ Heliam, & Henochum ferro adacto perditura eſt? Ioannes id tradit Apoc. 11. num. 8. *Iacebunt in plateis ciuitatis magnæ*, &c. Ieroſolyma omnino eſt. *Magna vitiis ſicut olim virtutibus*, &c. Tantùm Hugo. Ac ſi non poſſit tantum ſcelus fieri, niſi in vrbe magna. Magna igitur Niniue, & loci poſitione, & ſcelerum immanitate. Vnde voces graues apud Nahum c. 3. n.1. *Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij*, &c. vbi duplex nota eſt. Altera, quòd Niniue belli, ac cædis amans eſſet; *Cùm Ninus* (Iuſtino teſte) *primus intulerit bella finitimis*, &c. *lib.* 1. Altera, quòd Belo patre in Iouem conſecrato, primus fortaſſe idololatriam inuenerit. Vnde Niniue (Cyrillo Auctore) *vniuerſa mendacij*, &c. Quòd Belum Ninus ara extructa Iouem eſſe voluerit res de triuio eſt. id tradit Herodot. *lib.* 1. Diodor. *lib.* 2. Plin. *lib.* 6. *cap.* 26. Solin. *c.* 70. probátque Ribera *ad Hoſeam c.* 2. *n.*60. Addo Cyril. Alex. *lib.* 1. *&* 3. aduersùs Iulian. ſuam tamen ſententiam debent Auctores, Beroſus *lib.* 5. *Antiquitat.* Et quidem à Belo Ioue multi Aſia vniuerſa Dij Beliales, quod notat Hieronymus *ad Hoſeam* 2. de Nino agit, & addit, *In tantam peruenit gloriam, vt patrem ſuum Belum referret in Deum, qui Hebraicè dicitur* בל *Bel, & in multis Prophetis, ſub idolo Babylonis, hoc appellatur nomine*, &c. plura *ibi*; vide, ſi placet, quæ Hieronymus *ad Ezech. cap.* 23. Certè Babylon à Belo extructa Belon colit ſub Dracone: quod eſt apud Danielem *cap.* 14. *num.* 2. Deinde apud Iſaiam, *Confractus eſt Bel*, &c. *cap.*46. *num.* 1. *Quem Græci Belum vocant*, &c. Auctore Hieronymo, apud Ieremiam, cap. 50. num. 2. *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel*, &c. *Vbi durat adhuc Ionis Beli templum*, &c. ſi Plinio fides

Magna ciuitas magna ſcelerum mate

Apoc. cap.11. n.8.

Nahum. c.3. n.1.

Dan. cap.14. n.2.

Iſa.c.46. n.1.

Ierem. c.50. n.2.

Veloſ. in Iudith.

eſt, *lib. 6. cap.* 26. Quòd ſi Hebræam vocem attendas בעל *Baal*, hoc eſt, dominari, Belum ſcitè notat, cùm Belus dominandi cauſa bellum moueret, & à Belo nepotes reliqui; quare ſi Niuine carnificinæ amans eſt, Nino duce, cur non prematur grauiter alia, atque alia concuſſione? Illud igitur mone

PARÆNET. IX.

Sanguinarios homines irato Deo mali habere.

1. BElli ſpirans, & cædis amans homo eſt, vtpote qui ad leues morſus excandeſcat grauiter, ac dolorem velit punire. Notat Chriſtus Dominus ſæuam hanc naturam humanæ gentis, cùm ſermonem exorditur, non à fide in Deum caſta, nec à cura ſacrorum pia, nec ab amore parentum iuſto, ſed ab ſtudio crudelitatis ablegandæ. Matth. 5. num. 20. *Dictum eſt* (inquit) *antiquis: Non occides*, &c. Nam, poſt hanc theſin agit de iuramento præſtando, num. 33. *Dictum eſt antiquis: Non periurabis*, &c. Iraque de ſuo honore poſterius, quàm de curando morbo irati hominis magiſter meminit. Cur id fecerit, ſcienter Nyſſenus innuit ad ſerm. de Beatit. *Quoniam iræ morbus plerumque in prompſu, atque in procliui eſt, ab eo, quod magis obtinet, ac dominatur, curationem orditur, iræ vacuitatem in primis ſancions*, &c. Priùs meminit Dominus, quod magis dolet, & quo grauius homines laborare ſentit. *Non alia, quàm in gladiatorio ludo vita eſt, cum iiſdem viuentium, & pugnantium. Ferarum iſte conuentus eſt*, &c. Tantum Seneca *ad* 2. *de Ira*, *cap.* 8. certò ſciens homines hominibus lupos eſſe. Non abs re fecerim, ſi quos Daniel vrſos, leones, pardos vocat, *& quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari*, &c. *cap.* 7. *num.* 3. haſce ego feras terrarum dominos dixerim, cùm Vates id à magiſtro Angelo didicerit num 17. *Quatuor beſtiæ magnæ, quatuor ſunt reges*, &c. Inſinuat fortaſſe Angelus ſanguinarios eſſe homines, quibus tantum licet, quantum libet. Plenè Hieronymus. *Et hoc* (inquit) *notandum, quòd regnorum feritas, atque crudelitas beſtiarum nomine demonſtretur*, &c. Neque enim vel amicis parcunt Reges carnifices.

Matth. cap.5. n.20.

Prior animi furor vindicta amor.

Dan. cap.7. n.3.27.

Appetentes humani ſanguinis homines.

2. Dolet id Deo optimo, & ex dolore vetat, ne quis bouem edat, qui & cornu petit, & hominem occidit. *Exod.* 21. *num.* 28. Dei ſcitum eſt, *Lapidibus obruatur, & non comedantur carnes eius*, &c. Quid nam brutæ peccant animæ, vt Moyſes pœnam ſtatuat brutis animantibus? ſed pœnam boues ſubeunt, Lyrano teſte, *Propter facti horrorem*, &c. Grauiùs timeat homo carnifex, neceſſe eſt, cùm ſupplicium de boue homicida ſumptum videat. Neque enim Moyſes legem edit, iam à Noë acceptam, de bellua homicida, *Gen. cap.* 9. *num.* 5 niſi *vt vel ſic frangatur metu, qui pietatis eſt oblitus*, &c. Ambroſij cenſura eſt *ad lib. de Noe*, *cap.* 16. Sed cur eſus bubulæ vetitus de boue homicida? *& non comedantur carnes eius*, &c. Fortaſſe

Exod. c. 21. n.28.

Gen 9 n.5.

ne homo cum cibo, capiat mentem sanguinariam. *Non enim purus est cibus homini, fera, quæ interficit hominem*, &c. Ita Philo 2. *de Legib.* eóque propendet, vt velit cibos qualescumque suam animis vim apprimere, corporibus scilicet affectis. Negat igitur Moyses esum bouis homicidæ, ne homines huiusce lanienæ fiant socij, quam acerbè persequitur Deus Optim.

Interdictus esus bouis homicidæ.

3. Inde metus Caino grauior, fratre occiso, Genes. 4. num. 14. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me*, &c. Quid times Caine, si nemo est, qui te lædat? Vnus pater, vna est mater, & artubus contremiscis? Sed potuit Deus Iudex in Cainum belluam irritare: quod Ambrosio visum est ad lib. 2. de Caino, cap. 9. *Potuit quidem & morsus bestiarum timere, qui diuinæ iura legis violauerat*, &c. Non latet homo, qui in hominem sæuus est; si prætor desit, & vindex iniuriæ, vel brutæ animantes erunt carnifices in reum sceleris; nihil enim Christus patitur grauius, quàm virum à viro interfectum esse. Audit Ioannem ab Herode interemptum per summam iniuriam, Matth. 14. num. 12. & *venientes nuntiauerunt Iesu*, &c. Quid inde bonus amicus? dolore tactus loca vasta petit, num. 14. *Quod cùm audisset Iesus, secessit inde*, &c. scilicet, vt suam, quodammodo ægritudinem deuoraret: deinde, vt insinuaret, quo sæuos homines odio haberet. Loco bene hæret Peluſiotes lib. 1. epistol. 233. *Quòd Christus viros sanguinum abominetur, in Herode ostendit: etenim post nefariam Baptistæ cædem, relicta regione secessit*, &c. Herodem igitur sanguinarium hominem, vel mari fugit Magister Optim.

Gen. cap. 4. n. 14.

Homicidam odit & bellua.

Matth. c. 14. n. 12. 14.

Procul ab homicida Christus abit.

4. Cur non premat sæuos homines? Cur sceptro, & vita non exuat? sæuus admodum in homines reliquos Nabuchodonosor, vtpote qui sceptro abuteretur, apud Dan. cap. 5. numer. 19. *Quos volebat, interficiebat, & quos volebat, percutiebat*, &c. Nihil itaque Princeps non iniustè agebat, cùm id sibi putaret licere, quod liberet. *Non iusto hominum suffragio id faciens*, &c. teste Theodoreto. Necesse erat, vt Deus Iudex Tyrannum frangeret sanguinarium; sceptro hominem spoliat, & ab aula trudit ad bestias, numer. 20. *Depositus est de solio regni*, &c. Deinde addit Vates num. 21. *& cum onagris erat habitatio eius*, &c. Sano id consilio factum credit Theodoretus *Orat.* 3. ne mala Princeps malis adderet. *Furore* (inquit) *& rabie correptus plura mala perpetrasset, si modò facultas illi data esset*, &c. Occurrit igitur Deus Iudex tyranno sæuo, & miseris succurrit hominibus, cùm sceptrum aufert à monstro sanguinario. de quibus monstris Angelus ad Ioannem Apoc. c. 17. n. 12. *Potestatem* (inquit) *tanquam Reges, vna hora accipient, post bestiam*, &c. Cur non Reges, sed Regum imagines? cur non durat potestas multis horis? Scitè Rupertus lib. 10. *Quia potestas bestiæ non verè est ad regnandum, sed ad insaniendum, sed ad effundendum sanguinem*, &c. Qui regnat, vt homines ægrè habeat, vel non regnat omnino, vel regnum breui soluit Deo irato.

Dan. c. 1. n. 19. 20. 21.

Occasiones peccandi tollit Deus.

Apoc. c. 17. n. 12.

Sanguinario se se Deus opponit.

5. Et quidem, *Viri sanguinum* (clamat Dauid) *non dimidiabunt dies suos*, &c. *Psalm.* 54. *num.* 24. Notat bene Theophilus Antioch. *lib.* 2. *de Antolyc.* decisam Caini domum, vnóque Lamecho circumscriptam esse, quod lego *ad Genes.* 3. *num.* 18. *&* 24. De Setho Moyses plenè agit ad Abramum vsque, ac deinceps, cap. 5. num. 1. *Hic est liber generationis*, &c. Cainum absoluit nepote septimo, generisque seriem vno claudit Lamecho. Sapienter Moyses in odium mentis sanguinariæ (Theophilo Auctore.) *Quæ sequuntur, obliuio deleuit, quòd fratricidium commisit*, &c. Malè abeant, necesse est, & ferro pereant, qui ferro sæuiunt helluones humani sanguinis. *Væ, qui ædificant ciuitatem in sanguinibus*, &c. Minatur Habac. 2. num. 12. videtúrque Nabuchodonosores, Arphaxados, & Ninos quatere, qui hoste per iniuriam cæso, vrbes condiderunt, vel adornarunt, spoliis vndique aggestis: sed cùm malè partæ opes labantur malè, soluuntur vrbes extructæ manu sanguinaria; quod bene continent voces tristes. *Væ, qui ædificant ciuitatem in sanguinibus*, &c. *Neque enim potest, quæ multorum malo exercetur, stare potentia*, &c. Verè, & ad rem Seneca 3. *de Ira, cap.* 16. Quòd si Niniue est (Nahumo Vate) *Ciuitas sanguinum*; cur non prematur semel, & iterum, nunc Sennacheribo interempto, nunc Holoferne sublato? Frangatur aduersis, necesse est Niniue, Nahumo tonante, ac minante, *Væ, ciuitas sanguinum.*

Pſ. 54. n. 24.

Gen. cap. 4. n. 18. 24.

Non durat gens sanguinaria.

Habac. c. 2. n. 12.

Num. 6. Pugnauit contra Arphaxad, & obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphratem, & Tigrim, & Iadason, &c.

Commentarius.

1. REgum dissensiones, rationésque dissentiendi verso locis aliis, ac deinceps versabo. Vrget modò, textus dubius, maximè si cum Græco textu conferatur; qui pugnam in agro initam, vt Latino placet, confectam docet, ἐν τοῖς ὄρεσι ῥαγαῦ, *in montanis Ragau.* Sed quod in agro prope montem fit, id in monte factum dicitur, modo loquendi vsitato. Queritur Dauid *Ps.* 105. *n.* 19. idololatriam in Horebo admissam esse. *& fecerunt vitulum in Horeb*, &c. Sed constat id sceleris patratum in castris esse, prope montem. Exod. 32. n. 19. *Cùm appropinquaret ad castra Moyses, vidit vitulum, & choros*, &c. Scio Hebræum castris positis, prope montem consedisse, vetante Deo Exod. 19. num. 12. *Qui tetigerit montem, morte moriatur*, &c. Sed Moyses de Horebo meminit, vt de sede Hebræi militis. *Sufficit vobis, quòd in hoc monte mansistis*, &c. *Deuter. cap.* 1. *num.* 6. Lego quid senserit Deus Opt. de sacro piè facto, Num. cap. 28. num. 6. *Holocaustum* (inquit) *iuge est, quod obtulistis in monte*, &c. Sed patet erectam à Moyse aram, qua Sacerdos rem sacram faceret, Exod. 29. num. 4. *Ad radices montis*, &c. Nemo nescit Heliam durè comminatum esse, 3. Reg. 21. num. 23. *Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel*, &c. dictíque fidem ideo saluam esse, quòd prope agrum, licèt in vrbe, id factum sit, 4. *Reg. cap.* 9. *n.* 30. qu od

1.

Pſ. 105. n. 19.

Exod. c. 32. n. 19.

Exod. c. 19. n. 12.

Deut. cap. 1. n. 6.

Num. c. 28. n. 6.

Exod. c. 29. n. 4.

3. Reg. c. 21. n. 23.

4. Reg. 9. n. 30.

quod Lyra notat *ad 3. Reg.* & Abulenſ. *q.* 10. Pari fide Græcus pugnatum in monte docet, quod Latinus factum dicit in agro, prope montem; ſcio enim montem ab vrbe, vrbem, & agrum à monte nomen accepiſſe. Ab vrbe Ecbatana montem appellatum eſſe docet Tobias *cap. 5. num.* 8. vbi de Rhaga textus agit. *Quæ* (inquit) *poſita eſt in monte Ecbatanis*, &c. Vidit hæc Serar. *in Comment.* Samariam à Semerone monte denominatam video 3. Reg. cap. 16. num. 24. *Vocauit* (Princeps) *nomen ciuitatis, quam extruxerat, de nomine Semer Domini montis*, &c. Agrum à monte proximo vocatum docet Moyſes *Gen.* 14. *num.* 6. Fuſi enim, fugatíque hoſtes abiere, *vſque ad campum Pharan*, &c. Sed campum à monte dictum, quod Habacuc probat cap. 3. num. 3. *& ſanctus de monte Pharan*, &c.

Tob. cap. 5. n. 8.

3. Reg. c. 16. n. 24.

Gen. c. 14. n. 6.

Habac. 3. n. 3.

2. Dubium tamen eſt, quodnam monſtrum fuerit Rhagan? Rhagam Serarius Ecbatanam eſſe probat ex Tobiæ *cap. 3. num. 2.* Licèt enim Latinus habeat, *In Rages ciuitate Medorum*, &c. Græcus ex Chaldæo vertit, *In Ecbatanis Media*, &c. Nec aliter *cap. 4. num. 21. cap. 6. num. 6. cap. 9. num.* 3. Sed rem propiùs ſenſere alij, qui prouinciam, vbi Rhaga eſt, Ecbatanam ab vrbe nobili denominatam volunt: placet id Sanctio, Tirino, Iuſtiniano *ad Iob. cap. 3.* Quod verò Rhaga non ſit Ecbatana, bene probat Hebræus textus *cap. 5. num.* 8. qui bidui viam eſſe docet ad Rhagam ab vrbe Ecbatana. Et ſermo eſt de Rhaga Ecbatanis vicina, quod videtur dare Diodor. *lib. 19.* cùm ſit Rhaga alia, ſcilicet ad regni fines. Colligo id facilè ex *Tobiæ 3. n. 37.* Vnde patet Raguelem in Rhaga eſſe, & ex *cap. 9. n. 3.* vnde conſtat Raphaelem à Raguele miſſum Rhaga ad Gabelum. *In Rages* (inquit) *ciuitatem Medorum*, &c. Bene Sanctius *ad Tobiæ 3.* ex Lyra, & Bellar. *tom. 5. lib. 2. cap. 11.* Salian. *anno Ezech. 27.* Duplex igitur Rhaga eſt; ſed vnde nomen, ab Hebræo ne verbo רגז *Ragaz* quod eſt tremere, cùm terra motu quatitur, Araxe per ſcopulos deuoluto? an à Græco verbo ῥάγειν, quod ſonat *abruptum ſcopulis*; Rhaga eſt? Certè in Sicilia. *Proximum Italiæ promontorium, Rhegium dicitur* (Iuſtino teſte,) *quod Græcè abrupta hoc nomine pronuntiantur*, &c. ſic *ex lib. 4.* Nec Diodor. ſenſit aliter *lib. 19.* Strabo *lib. 6.* Rhaga hæc ad Mediæ fines propè Tigram, & Euphratem eſſe dicitur. Sed quid Iadaſon? vel Græcè Hydaſpes? Eſtne in Media, *Nyſæus Hydaſpes?* quod à Lucano nomen habet *lib. 3.* & qui ad Nyſam Baccho ſacram pertinet? ſed Marone teſte, ad Georg. lib. 4. *& Medus Hydaſpes*, verè eſt. Non enim Indo ſe miſcet, priuſquam Mediam alluat, & felicem reddat agrorum fertilitate, ac pecorum paſtione. quod Strabo docet *lib. 12.* Facit ad rem vox Hebræa, *Iadaſon*, qua Latinus vtitur, & pecoris notionem ſonat. Quandoquidem, יד *Iadah* notio eſt, צאן *Iſon* pecus valet. Vnde colligo agrum ab Hydaſpe rigatum, paſtione, & pecore maximè præſtare. Credo id facilè de fluuio, qui delicatam velit aquam, teſte Curtio *lib. 5.* & veſtit floribus, quidquid alluit: vnde Claudiano Muſa canit ad 3. de raptu,

Quidquid odoratus longè blanditur Hydaſpes.

Nihil de locis reliquis inuenio, quod placeat.

Veloſ. in Iudith.

Tob. cap. 3. n. 7. c. 4. n. 21. c. 6. n. 6. c. 9. n. 3. c. 5. n. 8.

ex Iob. c. 37. n. 2. cap. 39. n. 23.

In obſcuris lateant Gentes barbaræ: ſi quid tamen velis, Serarius Magiſter fuerit, *q.* 10.

3. Dictum, quibus in locis Nabuchodonoſor, *pugnauit contra Arphaxad*, &c. dicendum, quo id iure. Memini dixiſſe me hac de re *ad diſquiſit. 4. prologiſt.* Sed quid apponam, adhuc ſupereſt, cùm ſciam à Iuſtino, vt à Vate dictum lib. 16. *Aſſiduum inter pares malum, diſcordia*, &c. Parem ſibi hominem, vel re modica ferre homo neſcit, actus ſtimulis inuidentiæ, quæ morſu torquetur fortunæ alienæ. Suo fruebatur ſceptro Arphaxadus, hoſte victo, populíſque ſubactis. *Gloriabatur quaſi potens, n. 4.* Non tulit id arrogantiæ Nabuchodonoſor fortuna tumens: bellum parat, vt parem ſibi Regem deprimat. Non aliter, quod monet Aurelius in Epit. *Vt imperia difficile concordiam cuſtodiunt, diſſidium inter Licinium, Conſtantinumque exoritur*, &c. Offenſus fortaſſe Nabuchodonoſor eſt Arphaxadi fiducia nimia, qui ſe armis rectum putabat egregiè. Sed neſcit demens, quo Deus odio perſequatur laborantem hominem ſui fiducia, & tonantem ſuperbè. Deut. 32. num. 27. *Manus noſtra, & non Dominus fecit hæc omnia*, &c. Cùm Dauid ſcitè moneat, Pſ. 32. num. 16. *Non ſaluatur Rex per multam virtutem*, &c. Documentum ingens magnis viris, ne ſibi nimium ſuiſque rebus fidant.

Diſſident homines pares opibus.

Odium ſibi parant præſidentes homines.

Deut. c. 32. n. 27.

Pſ. 32. n. 16.

Nemo confidat nimium ſecundis,

monet Seneca *in Thyeſt. Choro 3.* Certò ſciens inuidiam bonæ fortunæ comitem eſſe, & pruritum oculis grauiſſimum; (teſte Bernardo) vt quòd nimium doleant oculi inuidentibus, ac fortunam alienam ægrè videant; vnde impetus ſæuiendi. Id Romanis vitium ineſſe docet Mithridates apud Iuſt. lib. 38 *Non delicta Regum illos, ſed vires, ac maieſtatem inſequi*, &c. Quod ſi verum eſt, rectè monet,

Parænet. X.

Inuidere homines, ac percupere fortunam alienam.

1. PRudenter admodum collegit Themiſtocles nihil à ſe boni patratum eſſe, quòd nulla adhuc inuidia laboraret, Plut. *de vitioſa verec.* Probè inſinuans magnam fortunam patere facilè inuidentibus; neque enim arietant, qui vicino in agro non paſcitant arietes. Reges, ac Principes tauris ſimiles agnoſcit Ioannes *Apoc. 12. n. 3.* vbi Draco oſtendit *Capita ſeptem, cornua decem*, &c. An Reges tauris pares, qui & cornu petant, & bello perdant Reges alios? Reges eſſe cornu armatos docet Angelus, quos thiaris adornat Aſiaticis. *Et in capitibus eius diademata ſeptem*, &c. Deinde addit c. 17. n. 9. *Septem capita, ſeptem Reges ſunt.* Cur tam multa Regum cornua? certè, vt bella Regum notata videas, Ruperto Auctore. *Quis enim neſcit, de mundi Regibus, quantis ſemper fuerint odiis inquieti?* &c. Et quidem vbi Reſp. florere viſa eſt, inuidiæ facibus patet facilè, Regúmque armis in peſſum datur. Rupertus iterum, *Nunquam hæc* (inquit) *in ſua pace florere permiſerunt, bellis omnia deuaſtantes*, &c. *lib. 10.* Vel Abramus, hoſte victo, inuidiam potentiæ comitem caueat, neceſſe eſt. Reges ille bello frangit, *ad Gen. 14. n. 15.* bello confecto, redit victor, captámque

Apoc. c. 12. n. 3. c. 17. n. 9.

Inuident Reges aliis alij, & bellum mouent.

Gen. cap. 14 n. 15.

prædam largè deponit apud Baram:ac,ne partem capiat,ſanctè iurat, num. 22. *Leuo manum meam*,&c. Ambroſius *lib.1. cap.3.* commendat Abrahæ nobilem animum,qui præda reiecta, pretium operæ noluerit. Chryſoſtomus *Hom.* 25.demiratur hominis mentem humilem, qui ſpoliis abiectis, nihil à ſe dignum pretio confectum eſſe putauerit. Sed rem aliò vertit D. Auguſt. docet enim timuiſſe Abramum, ne præda ſuſcepta pecunioſior dolum,& vim pateretur inuidentiæ. *Rex*(inquit)*& ſui ex hoc facilè inuiderent diuitiis Abrahæ,& per conſequens ad ipſarum ablationem, & ad ipſius occiſionem citius incitarentur*, &c. Itaque vim,& fraudem miſcet inuidia aduersùs fortunatos homines, cùm rem pulchram Momus inſequatur.

Vir bonus ſi quid faciat, parui facit.

Parat ſibi diues inuidiam.

2.

Quid non facit Moyſes,vt Momum caueat? Deo id iubente mittit homines, qui terrarum ſitus,& gentium mores notent minutè.Num. cap.13. num.3. *Singulos*(inquit)*de ſingulis tribubus*,&c. Dictum à Deo,factum à Moyſe eſt, & citò, & ſcitè : ne qua oriretur ex inuidentia diſſenſio,ſi ab exploratorum albo expungeretur tribus aliqua. Sentit id Abulenſis q. 16. *Cauſa*(inquit) *præcipua fuit, ad tollendam inuidiam*, &c. Video, quid maximè doleant homines, ſi quis alius præſtet bona fortuna. Quare ſi quis velit inuidiam effugere, procul abeat ab oculis videntibus, & inuidentibus. Iſaacum hæredem ex aſſe, procul ab ancillarum liberis ſe ponit Abramus pater. Nam, teſte Moyſe, *Dedit Abraham cuncta, quæ poſſederat Iſaac*,&c.*Gen.25.n.5.* deinde ancillarum liberos legatis mulcens,num. 6. *ſeparauit eos ab Iſaac*,&c.ſciens,ac rerum prudens ſenex id feciſſe viſus eſt,ne hæredem ex aſſe Iſaacum peterent fratres alij facibus inuidiæ.Auctor ſententiæ Abulenſ. q. 2. *Cùm ſeparati ſe non viderent,nec inuidendi,nec malignandi locus eſſet*,&c. Itaque vna abſentiæ ratio tantum cauere malum poterat.

Num. c. 13. n.3.

Dolent homines prælatos ſibi homines alios.

Gen. cap.25. n.5.6.

Abſentia fugatur inuidia.

3.

Cauet,ſi quis ſuam ſinu fortunam tegit:vel à patruo oraculum abſcondit Saul à Deo lectus in Regem,lib.1.Reg.cap.10. num.16. *De ſermone regni non indicauit*, &c. fortaſſe animo id humili factum eſt. Sed Ioſephus cauſam reddit aliam lib. Antiquit. 6. cap. 5. *Ne ea res credita inuidiam illi contraheret*, &c. Et verò tanta inuidiæ vis eſt, vt vel patruum armare poſſet aduersùs nepotem, imò & fratrem aduersùs fratrem malè agitare. Certus vt fieret de hoc fratrum morbo Ioſephus Prorex, fratres inuitat ad cœnam, ac Beniamino fratrum minino potiores dapibus lances tribuit, *Gen. cap.43.num.34.*Rem locus tenet,*Ita vt quinque partibus excederet*,&c. Quo id conſilio Prorex fecerit, Auctor eſt Philo ad lib. de Ioſeph. *Interim obſeruans eorum vultus, ex his indicaturus, num qua ſubeſſet inuidia*,&c. Senſerat Ioſephus adhuc puer telum inuidiæ acutiſſimum, cùm veſtem à patre accepiſſet, ſuámque fortunam ſomniaſſet;curat modò vt Beniaminus vincat epulis fratres reliquos; argumentum inde facturus de fraterna inuidia, quæ vel fraterno torquetur bono, & facilè ab animo erumpit in faciem. Quare ſi hominem promiſſis oneras, occultè facere ſanum eſt conſilium, eáque via præcidere occaſiones inuidiæ irritandæ. Abramum promiſſis afficit Deus Max.

1. Reg.c.10. n.16.

Premit inuidiam tecta felicitas.

Gen. cap.43. n.34.

Non inuidet quiſquis amat.

Gen.13. num.15. *Omnem*(inquit)*terram,quam conſpicis, tibi dabo*, &c. Verè bona fortuna, quæ Hebræos homines conſtituit terrarum dominos. Sed noto ſortem rerum maximarum Abramo promiſſam, num. 14. *Poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth*, &c. Cur non præſente nepote ſuam Abramus ſortem capit ſpe concepta ? Abramo Deus vitam, & ſortem amicè tuetur, cùm id agit, vt nepotem promiſſa lateant, Oleaſtrio Auctore. *Admonui* (monet ille) *quàm oculati eſſe debent domini in diſtribuendis, oſtendendiſque fauoribus, ne ex hoc alios ad inuidiam prouocent*, &c. Caue igitur, quicumque velis inuidiam effugere, ne te ingeras oculis hominum, tuam ſinu fortunam tege, foue : ea enim via, gaudebis quidem minus, ſed minus dolebis. quandoquidem inuidia, vel minima quæque petit,rapit.

Gen cap.13. n.15.14.

Faueat occulta Princeps, ne amico moueat inuidiam.

4.

In malis ætatis vltimæ reponit Eccleſiaſtes homines rapto victuros eſſe. Monet ille, quid facto opus ſit cap. 12. num.1. *Memento Creatoris tui*, &c. ſed addit anguſtias temporis inuitare ad id conſilij, num. 2. *Antequam tenebreſcat ſol*,&c.ac tandem apponit num.6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus*,&c.ſcilicet cùm furtum curant fures, *& conteratur hydria ſuper fontem*,&c. ſcilicet cùm malus homo cogitat de frangenda amphora. Quòd fures argentum rapiant,lucrum eſt; ſed quod nam eſt lucrum amphoram terere aquæ ſimplicis ? Illud Eccleſiaſtes voluit ex Richardo Victor. *Tantæ erunt malitiæ, vt hauſtum aquæ frigidæ vnus alteri inuideat*,&c. Vides,quò procedit inuidia ? Nam vel perdit, vel rapit aliena. Hiſce armatus facibus Nabuchodonoſor Arphaxadum petit,ſceptro,& vita exuit. *Pugnauit contra Arphaxad*, &c. vtpote qui ſua ſorte contentus non viuat. Occurrere Moyſes voluit morbo Regum frequentiſſimo;lege in Regem lata, cauet Deut.17. num.16. *Non multiplicabit equos*, &c. & cauſam explicat, *Nec reducet populum meum in Ægyptum*, &c. Sed cur Hebræus Princeps manu potens, & ſui impotens Ægyptum peteret, ducto in hoſtes populo ? Cupidus ne rerum vim pararet ? pararet, Lyrano teſte, *Præſumens acquirere terram illam*, &c. Qua id cauſa ? Inuidia, & cupiditate. Probè Moyſes nouerat, *longas Regibus eſſe manus* : inuolare Reges properè in fortunam alienam. Ac proinde vt volatum premat inuidentiæ cupidæ, cauet iterum:terrarum terminos conſtituit à Solis ortu, ad Occaſum vſque, ab Auſtro ad Aquilonem. Num.cap.34.n.3. *His*(inquit)*finibus terminabitur*, &c. Quid hoc eſt mi Domine?Niſi terminos præfixeris prouinciæ occupandæ, porrigétne manus Gens Hebræa in alienos fines, bello continuo?Metus iſte Deo erat,Abulenſi internuntio,q. 12.ad 2. Reg.8. *Vt Iſraelitæ eſſent contenti illa poſſeſſione, & non contenderent iungere illi terram alienam*,&c.Neque enim homo rerum auidus, ſitim pellit rebus paratis: ſed quo videt oculo, ſortem inuidet; & quo rem cupit animo, rapit. Hac via Nabuchodonoſor,*Pugnauit contra Arphaxad*, &c. Conflauit ſibi Medus inuidiam, cùm gloriaretur; *Quaſi potens*, &c. Deúmque grauiter commouit nimia ſui fiducia;vt dictum rectè putes,

Eccl. cap.12. n.1.2.6.

Minima quæque inuidus impetit.

Deut. cap.17. n.16.

Nemo ſuis opibus contentus viuit.

Num. c. 34. n. 3.

PARÆ

PARÆNET. XI.

Deum irritare homines sui fiducia.

1. HVmanæ maiestatis vitium est, suis opibus ita fidere, vt diuinam sibi opem non poscat. quo morbo laborasse Arphaxadum video, & inde mulctatum gloriarum plenum hominem; sed qui paratos belli neruos putabat vrbe munita, collecto pedite, & equite bene instructo. *Quasi potens* (quod textus notat) *in gloria quadrigarum suarum*, &c. miserè periisse visus est, hoste Assyrio, Deo Duce. *Et obtinuit eum*, &c. Metus ingens magnis viris esse potest; ne quis sui fiducia grauem Deo stomachum moueat. Minatur Amos cap. 6. num. 1. *Væ, qui confiditis in monte Samariæ?* &c. Quid peccati est hominem sepire manu vrbem situ munitam, vt hostem procul abigat? sed taxat Amos Duces de spe vana castri muniendi, qui diuinam opem non postulabant. Cyril. teste, *Putabant scilicet, etiam citra Dei auxilium hostibus se præualituros esse*, &c. Vana omnino opinatio hominem ita de se, ac de sua opera cogitare, vt Deum non cogat in auxilium. Quæ Samaritis minatus est Amos, sensit Dauid pestilentia triduana 2. Reg. c. 24. n. 15. *Immisitque Dominus pestilentiam*, &c. Et quodnam ob scelus tantum supplicium? vt morbo grassante perirent de plebecula mortales plurimi? locum repete *num.* 1. ibi Dauid ad Ioabū, *Vade*, (inquit) *numera Israël, & Iudam*, &c. Nouum omnino scelus est milites recensori à Præfecto militum Maximo? sed peccatum adeò acerbum est, vt dicat Dauid, ac doleat, n. 10. *Peccaui valde in hoc facto*, &c. Laborant interpretes in explicanda errati specie. Alij Regem taxant de vana gloriola, insimulant alij de lege violata; quæ ad *Exod.* 30. *num.* 13. apertè iubet, vt capite censi Deo soluant pecuniam imperatam. Placet interim Antistes Clar. quo teste, peccat Dauid, & punitur, eo quòd numero militum inito, scire voluerit, quid posset aduersùs hostem, & spem victoriæ foueret manu militari. *Iratus est* (inquit) *Dominus, quòd Dauid carnem posuerit brachium suum, & magis confisus fuerit in multitudine populi, quàm in nomine Domini*, &c. Dolet grauiter Dominus, & indignatur acerbè, si quis militem ita colligit, vt sacram negligat anchoram.

Amo. cap. 6. n. 1. — *Deum commouent qui sibi fidunt.* — 2. Reg. c. 24. n. 15. — *Deum irritant homines vana gloriola.* — *Ingrata Deo humana fiducia.*

2. Nec Ezechias errato alio sacros in se ignes excitauit, 4. *Reg.* 20. Accedit Isaias, tonat, & minatur, n. 17. *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua*, &c. Deinde ne quis nesciret qua ex culpa tanta esset pœnarum Ilias; addit Ezechias ostentasse se Merodachi Legatis, quidquid interim domi lateret, n. 15. *Omnia, quæ sunt in domo mea, viderunt*; &c. Errasse Ezechiam patet ex comminatione: sed quodnam fuerit erratum, non planè constat. Inuenit tamen Chrysostomus, vnde Ezechiam pungeret ad Ps. 117. *Eos, qui venerant, ex humanis rebus voluit perterrere, timens, ne ab ipsis inuaderetur; ideo thesauros ostendit, spem habens in thesauris; quare iratus Deus, Auferentur* (inquit) *hæc omnia*, &c. Persanctè monens, quo Hebræus animo thesauros, belli neruos ostendisset, & quo Deus flagro accipiat laborantes

4. Reg. c. 20. n. 17. — *Stomachum Deo mouet, qui suis fidit opibus.*

homines sui fiducia. Deo fidendum est, non hominibus, siue pacem colant, siue bellum gerant homines. Ægrè passus Dominus Regem ab Hebræo postulatum esse, minatur grauiter 1. Reg. cap. 8. n. 18. *Clamabitis in die illa, à facie Regis vestri, quem elegistis, & non exaudiet vos Dominus*, &c. Id verò est. Dolebitis irato Rege; sed vestrum dolorem non mulcebit Deus, iratus maximè. Non video, quid Hebræus peccauerit, in Rege petendo, aut deligendo, cùm sciam Dei scitum esse de Rege constituendo. *Sicut habent omnes per circuitum nationes*, &c. *Deut.* 17. *n.* 14 Quænam igitur culpa est, facultate ad id mandata, Regem constituere? Rupertus *lib.* 1. *cap.* 18. *in lib. Reg.* peccatum elicit ex precibus importunis. *Tempore* (inquit) *importuno dixerunt: Da nobis Regem; cùm haberent Iudicem iustè, ac regaliter iudicantem*, &c. ac si vellet iustè postulantes homines, sed incongruè, postulatis non gaudere. Alia in loco alij: sed nè multus sim, illud reputat Antistes Clarius Hebræum de Rege legendo cogitasse, vt qui Regis potius, quàm Dei fideret opibus. *Deum* (inquit) *offenderunt, cùm magis fiduciam suam in hominem collocarent, quam in Deum*, &c. Hæc Antistes Clarius ex Hebræa schola. Verè doluit Magnus Deus, & vt suum puniret dolorem, postulata fecit, apud Hoseam cap. 13. num. 10. *Dabo tibi Regem in furore meo*, &c.

1. Reg. cap. 8. n. 18. — Deut. cap. 17. n. 14. — *Præfecto malè contento irascitur Deus grauiter.* — *Deum ladit, qui fidit hominibus.*

3. Cur non doleret, se neglecto, Regem postulari? qui multis docuerat, Deo fidendum esse, non humanis opibus, turmisque equestribus? Parata acie aduersùs hostem, monetur Iosue cap. 11. n. 6. *Equos eorum subneruabis, & currus igne combures*, &c. Monetur Princeps, ne cùm fruatur victoria, suis in posterum fidat opibus: quo respectu iubetur equos, & currus dissipare. Origen. optimè, *Vt vltrà non in equis, nec in armis, sed in nomine Dei nostri inuocemus*, &c. *Hom.* 15. Quid prodest equus, si Deus non adest? *Fallax equus ad salutem*, &c. *Ps.* 32. *n.* 17. Quid virtus facit, cùm Deus manum retrahit? *Non saluatur Rex per multam virtutem*, &c. *num.* 16. Quid falcati currus valent, si Deus suam negat operam? De hac quadrigarum cura mordet Isaias Hebræos Duces c. 2. n. 7. *Repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius*, &c. Non est peccatum facere homines, quod est prudētiæ; parare scilicet equos, equites, currus, milites, ad hostem arcendum manu militari. Quod & Dauid curasse visus est 1. *Paralip. cap.* 8. *n.* 4. nec equorū vsum puto, sed abusum lege vetitum, Deut. c. 17. n. 16. *Non multiplicabis tibi equos*, &c. quod boni homines in loco probant. Sed dolenter patitur Magnus Deus Hebræum sua potius in manu, quàm suo in Deo spem collocasse. Pulchrè Basilius ad Isaiam citatum, *Volebat, vt penderent à suo præsidio, non suam spem reponerent in militari apparatu: & ob hoc vetuit id fieri*, &c. Pereant malè oportet, qui suis fidunt opibus, Deóque neglecto humanum poscunt auxilium. *In equis sperantes*, &c. quod Isaias notat *cap.* 31. *n.* 1. & quæ Arphaxado fortuna fuit. Vnde Medus malè pugnauit, captus ab Assyrio; sed Deo duce factum est, vt alter Pertinax Fortunæ vocaretur pila, apud Aurelium. Hæc pila Deus lusitasse visus est,

Iosue cap. 11. n. 6. — *Deo fidendum ad victoriam.* — Isa. c. 2. n. 7. — 1. Paral. c. 8. n. 4. — Deut. cap. 17. n. 16. — *Spes in Deo collocanda.* — Isa. c. 31. n. 1. — *Lusus Deo est, cum regna tranſmutat.*

Prou. cap. 8. n.13. *Ludens in orbe terrarum*, &c. *Prou. 8. num. 13.* Ac proinde Philo, *Diuinum* (inquit) *verbum choreas in Orbem ducit, res aliorum aliis, & omnium omnibus tribuit*, &c. *ad lib. quòd Deus immutab.* Eoque Hebræus ſpectat, vt probet, Deum commoueri grauiter, ſi mortales de ſe altè cogitent, ſuiſque opibus fidant maximè.

Num. 7. Tunc exaltatum eſt regnum Nabuchdonoſor, & cor eius eleuatum eſt.

Commentarius.

1. EX tabula ſymbolica ſerpentem Draco vorat; hoſte deuorato, Draco fit pinguior, ac robuſtior: ex tabulæ epigrapha, regni vnius diſpendium, alterius compendium eſt. Periit Arphaxadus regno adempto, vt excreſcat, & intumeſcat Nabuchodonoſor fortuna pinguiori. Nec Philippus Macedo ſuas auget opes, niſi attritis opibus Græciæ vniuerſæ; quod Iuſtinus tradit lib. 8. *Dum ciuitatum alit contentiones, victos pariter, & victores ſubire cogit ſeruitutem Regiam*, &c. Vnde Rhamnus dumis aſpera nouum ſibi regnum augeret in arbores, niſi dumis, quaſi armis raperet, quidquid tentaret? *Iudic. 9. n. 14.* Triſti Romæ fato creſcit Carthago; *Altior Italiæ ruinis*, quod malè deflet Horatius *lib. 3. Ode 5.* Aduerſa Regum fortuna Roma excreſcit; quod & Demetrius queritur, apud Iuſtin. lib. 29. *Sibi non aliam ob cauſam, quàm quòd Italiæ finitimus videretur, bellum illatum: quaſi nefas eſſet Regem aliquem intra eorum terminos eſſe*, &c. Hæc vna libido pextraxit homines à Solis ortu ad ſolum vſque Babylonicum, Gen. cap. 11. num. 2. *Cùm proficiſcerentur ab Oriente, inuenerunt campum*, &c. Terminis ſe terræ patriæ non tenent homines rerum amantes; ſed quidquid eſt terrarum, volunt ſibi ſubiicere. *Vide* (monet Chryſoſtomus) *quomodo humanum genus non poteſt ſubſiſtere intra ſuos limites, ſed ampliora concupiſcens, maiora ſupra ſe appetit*, &c. *Hom. il. 30.* Cœca libido fortunæ amplioris, motus eſt perpetuus regni terminis promouendis. Ante Ninum (Iuſtino Auctore) *Intra ſuam cuique patriam regna ſiniebantur. Primus omnium Ninus veterem, & quaſi auitum Gentium morem noua imperij cupiditate mutauit*, &c. *lib. 1.*

Compendium ex alieno diſpendio.

Rerum appetens loco ſtare neſcit homo.

Gen. c. 11. n. 2.

2. Si altiùs repetas, ab Orbe condito Reges non fuere. quod à ſacra, & profana ſchola diſco; ſuam quiſque rem, ac domum nullo ſub Rege colebat. Ratio ex Oleaſtrio, eſt Dei prouidentia. *Nouerat eos Reges ſtatim in tyrannos conuertendos eſſe*, &c. *ad Gen. 10.* ſcilicet vim inferrent populis finitimis; nec paterentur homines alios ſua frui patria, & liberè agere. Verè morbus iſte Regius morbus eſt, vicinos trudere ſuis finibus. De hac Regum ſchola Reges erant, qui Pentapolim bello tentarunt, *Gen. 14.* Scio Pentapolitanos Principes ab vno tantùm Ælamita defeciſſe: quod patet ex *n. 4.* Nihil erat diuidiæ cum Regibus cæteris. Cur bellum mouent? *Quatuor Reges aduersùs quinque*, &c. *num. 9.* Quid Reges alij cum Ælamita? *Conuenerunt in vallem ſylueſtrem*, &c. *num. 3.* ſi communis Pentapolitanis debellandis ratio non erat? Oleaſtrius illud putat conueniſſe cum Ælamita Reges cæteros, ſpe concepta regna promouendi. *Antiqua eſt* (inquit) *Regum ambitio; qui dum ſua regna dilatare cupiunt, tyrannicè Reges alios finitimos opprimere, & imperio ſuo volunt ſubiicere*, &c. Variat fortuna ſceptris demutandis pertinax: quibus Gens vna ſatis non eſt. Putabat Nabuchodonoſor Arphaxadum Medis rebus non ſufficere, inuolat in hominem. *& obtinuit eum*, &c. Credebat Aſſyrius Arphaxadum vanè ſuperbũ eſſe: bello Medum petit ſuperbus admodum, quippe qui Diis ſuperior haberi vellet, ad c. 3. n. 13. *Vt ipſe ſolus diceretur Deus*, &c. *More hominum, qui in vlciſcendis vitiis, quibus maximè indulgent, acres ſunt*, &c. Ita Aurelius de Auguſto.

Magna poteſtas magna licentia.

Iura nùm curant Principes rerum auidi.

Nemo ſui Iudex non eſt benignus.

Inſana omnino eſt Philoſophia, vt qui malè agit, bene doceat; & quæ libenter admittit, acerbè in aliis corripiat.

Vnde tibi frontem, libertatémque parentis,
Cùm facias peiora ſenex?

3. iuſta eſt querimonia, apud Iuuenalem *Satyra. 14.* Erumpit hæc flamma notandi mores alienos ex metu infamiæ, quam à ſe quiſque arcere conatur: vnde peccantes peccantibus iraſcuntur acerbè. *Quia imperij acerbitate ſua peccata obtegant*, &c. Nazianzeno teſte *ad Orat. 20.* Vel ſi mauis, malus quiſque in malos inuehitur, motu inuidiæ. quod notat Plinius lib. 8. epiſt. ad Varum. *Omnium libidinum ſerui ſic aliorum vitiis iraſcuntur, quaſi inuideant*, &c. ſcilicet homines ſibi alios præire in patrandis ſceleribus. Nolunt alij Aſſyrium vanè ſuperbum Medo ſuperbè glorioſo iratum fuiſſe vitio humanæ Gentis: ſed poſt victoriam ab hoſte ſuperbo ſuperbiam contraxiſſe. *Et cor eius eleuatum eſt*, &c. Sic enim Aſia, vt Iuſtino placet lib. 36. *facta Romanorum, cum opibus ſuis vitia quoque Romam tranſmiſit*, &c. A Iuſtino fortaſſe accepit Muſa panegyrica, vt caneret *lib. 1.* in Eutropium,

Absurda cenſura malè agere & bene iubere.

Cùm reum punit malus Prætor, punit inuidens.

——— *Arſacio poſtquam ſe Regia faſtu*
Suſtulit; & noſtros corrupit Parthia mores.

A malo ſocio mala morum peſtis.

Verè à Seneca dictum puto, *Initium morbi eſt, ægris ſana miſcere*, &c. *de Tranquillit. cap. 5.* Cur enim morum peſtes non malè noceant, cereis ad vitium hominibus.

Si mala vicini pecoris contagia lædunt?

Senſit id Sara, cùm Iſmaelem, & Iſaacum, pares ludo fratres, videret. Nam ad Abramum Sara, *Eiice* (inquit) *ancillam hanc, & filium eius*, &c. *Gen. 21. num. 10.* Quid ab Iſmaele timet Iſaaco mater Sara? vim, & fraudem timet, quam Paulus in ludo agnoſcit, ad Galat. cap. 4. n. 29. *Qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm ſpiritum*, &c. Mitor ego clauſam in ludo peſtem eſſe; non id mitatur Origenes, quo magiſtro, latet ſerpens ſub herba viridi: larua ſcelerum, pulchra ſub forma tegitur. *Singulas* (inquit) *militiæ ſpecies, etſi molles ſint, ludóque ſimiles, perſecutionem ſpiritus dicito*, &c. *Hom. 7. in Gen.* & docet liquidò, quantum noceat, vel ludus cum fratre malè morato. Nam, teſte Chryſologo, ad ſermon. 155. *Nemo cum ſerpente ſecurus ludit; nemo cum Diabolo iocatur impunè*, &c. Vnde conſtat affines ſcelerum fieri homines, quibuſcum agunt ſcelerum turpes Duces. Nunc ad caput redeo. Si Aſſyrius ſuperbè

Gen. cap. 21. n. 10.

Ad Galat. c. 4. n. 29.

Turpes ſub ludo facilè peſtes animi.

ſuperbè tumens Arphaxadum, vt ſuperbum taxat & bello petit ineptè admodum: illud rectè monueris,

PARÆNET. XII.

Careat ſcelere, qui ſcelus notat, & punit.

1. DE iure oratorio eſt, vt bene viuat, qui bene docet; ne vitæ vitio docendi auctoritatem minuat: facit ad litem bellè Tertullianus de Patient. c. 1. *Oportet conſtantiam commonendi propriæ operationis auctoritate dirigere*, &c. Ita fit, vt qui docet, iubet, notat, punit, dictis, & factis vim addat, cùm bene viuat. Senſit id Vates à Deo miſſus, vt homines carperet turpes vitiis, infaméſque ſceleribus. *Vade, & ingredere ad tranſmigrationem*, &c. *apud Ezech. cap. 3. num. 11.* Quòd viro ſanctiſſimo Deus Optim. docendi poteſtatem fecerit, in proximo eſt. *Et loqueris ad eos*, &c. Pergit Vates, conuenit homines, ſed nihil magiſter docet, n. 16. *& manſi ibi* (inquit) *ſeptem diebus mœrens*, &c. Ibi Vates Deo deditus precibus, & lachrymis hebdomadam abſoluit integram: nihil prius quàm ſuos expendit mores, cùm ſe piè exerceret. *Et cùm pertranſiſſent ſeptem dies, factum eſt* (inquit) *verbum Domini ad me*, &c. Iterum Vates inuitatur ad prouinciam gentis inſtruendæ: ne tamen docendi vim obtundat in taxandis moribus hominum, priùs à ſe rationes exigit vitæ anteactæ dolore intimo. *Qui enim ſpeculator futurus eſt, & Dei verba populo narraturus, multo tempore debet quieſcere, dolere ea, quæ videat, & nihil habere in conſcientia eorum, quæ in aliis correpturus eſt*, &c. Ita Hieronymus in loco. Maluit Vates de obtemperandi mora interpellari apud Deum, quàm notari de loquendi proteruitate apud homines, ſi monendus adhuc moneret alios. Oſtendit Apoſtolus hiſce monitis egere monitores, cùm moneret homines ſcholæ Epheſinæ cap. 6. num. 14. *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ*, &c. ſcilicet caſtè, & iuſtè vobis agendum eſſe memineritis. Cur id iuſſerit Apoſtolus, docet textus proximè n. 15. *& calceati pedes in præparatione Euangelij*, &c. Quaſi otiosè Paulus moneret de ratione docendi, ſi priùs non adhortaretur de viuendi ratione: quod Anſelmus aduertit. *Poſtquam libidinem vicerimus, & nos iuſtæ operationis loricæ induerimus, tunc & aliis bona prædicare erimus idonei*, &c. Hæc Paulo mens eſt. Vel Prætores hac viuendi formula adſtrictos eſſe voluit Caſſiodorus lib. 6. form. 21. *Eſto* (inquit) *vitæ continens, vt poſſis in alios index eſſe*, &c. Et argumentum petit à ſella curuli Iudicum lib. 12. epiſt. 2. *Tribunalia* (inquit) *aſcendimus, vt morum gradibus euehamur*, &c. Monetur itaque iudex, per gradus ſingulos, cùm ſedem ſubit Prætoriam; vt qui notat alios iure publico, ſe ipſum priùs inſpiciat, & corripiat: ſciat ſe altè ſedere, vt diſſideat ab humili vitio; norit eſſe de iure prætorio, vt notam non habeat ſceleris, qui de ſcelere notat alios.

Ezech. cap. 3. n. 11. 16.

Monendus, ne magiſter meneat.

Bene monet caſtus magiſter.

Gradus ſummus vitam petit optimã.

2. Infames vitiis homines punire decreuerat Magnus Iudex aqua inducta Gen. cap. 6. n. 16. *Adducam aquas diluuij ſuper terram, & interficiam omnem carnem*, &c. Purgari oportebat turpes ſordes hominum immani alluuione. Quare Adamo peccante video terram, non aquam maledicto affectam eſſe, Gen. 3. n. 17. *Maledicta terra in opere tuo*, &c. Bene iudex aquam maledicto eximit, quæ peccantes homines erat punitura. Ad litem Auguſtinus lib. 1. cap. 4. de Mirab. *Aquis ab Adæ maledicto Deus pepercit; quia per aquam diluere maledictionem aliam parauerat: quod in diluuio factum eſt*, &c. Abſurdum omnino putauit Deus, vt aqua ſcelerum vindex maledicto notaretur. Nec Chriſtus à Patre diſſidet, Magiſter Opt. huiuſce diſciplinæ, hominem à Dæmoniarcho abſolutum à ſua ſchola procul abigit. *Redi* (inquit) *in domum tuam*, &c. *Luc cap. 8. n. 39.* Cur hominem ſecum eſſe non patitur Magiſter Dominus? Certè id homo contendebat ſummis precibus, *vt cum eo eſſet*, &c. *num. 38.* ſcilicet vt ad officium admitteretur ſcholæ Apoſtolicæ: quod Abulenſis putat, *ad Num. c. 11. q. 38.* hominem tamen Chriſtus à ſe ablegat. *Nec ob aliud repulit eum, niſi quia propter infamiam præcedentem, aptus non erat ad prædicationem*, &c. Ita Abulenſ. Antiſtes. Si homo Diabolo captus vellet homines alios verbo caſtigare, malè audiret de vitio vitæ retro actæ: nec auditores moueret, licèt moneret. Abeat igitur, & docendi officium non ineat. Nota vel vno in Moyſe abſurda, notare in aliis, ac punire, quòd Magiſter animo vitium foueat, ſacram ea vitæ nota iram mouet. Ibat Moyſes cum virga cenſoria legum lator, ac magiſter, vt Hebræos homines admoneret de rebus piè gerendis, è quibus vna erat circuncisio: ſed filium ſecum defert, nec circuncidit, niſi mater Sephora, metu incuſſo *Exod. 4. num. 25.* occurrit Angelus, quo Moyſes diuerterat, ferroque diſtricto minatur. *Et volebat occidere eum*, &c. Quo tanta Angelo vis eſt, vt Moyſen velit internecare? Ad rem Petrus Damian. lib. 5. epiſt. 9. *Terrore, ac negligentiæ correctione purgandus erat, qui cæleſtium mandatorum hainlus accedebat*, &c. Hæc ita: ne quis auſit homines alios notare, ac punire qui ſuo in ſinu habet, vnde notetur.

Ineptè punit qui puniri meretur.

Luc cap. 8. n. 39.

Docere non poteſt vitio affectus homo.

Exod. cap. 4. n. 25.

Ingratus Deo Princeps eſt indulgens ſibi quæ pungit in aliis.

3. Non audent Angeli irarum illas effundere in orbem terrarum vniuerſum, licèt in mandatis id accepiſſent Apoc. 16. n. 1. *Ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram*, &c. eo quòd Doctores non audent minas intentare, Deumque renuntiare tonantem furore concepto puniendi, quod eſt commune placitum; niſi & viuant Angelicè, *Exierunt ſeptem Angeli*, &c. *Apoc. 15 n. 6.* & toga candida oſtendant quos mores colant. *Veſtiti lino mundo, & candido*, &c. Verè Angeli, verè candidati morum integritate; quos veſte candida venditabant petitores. Si qua Plauto fides eſt, in Aulular. Act. 4. ſcen. 4. *Qui veſtitu, & creta occultant ſe ſe, atque ſedent, quaſi ſint frugi*, &c. Nec minus Doctores, ſcelerum vindices. Quo enim vultu notabit alios homines, qui ſuum in ſinum deſpuit, morum correptor, iuxta ac corruptor? Scitè hac parte Adamus egit, qui nec dicto quidem vel reum cædis fraternæ caſtigare auſus eſt; neque enim textus habet, quid pater obiecerit filio ſanguinario, *Geneſ. 4. n. 8.* Lego Caïnum à Deo notatum, ac punitum eſſe, *num. 11.* quòd ab Adamo reus malè acceptus

Apoc. c. 16. n. 1.

Apoc. cap. 15. n. 6.

Viuant caſtè, qui aliena carpunt vitia.

Gen. cap. 4. n. 3. 11.

Ad Epheſ. c. 6. n. 14 15. *Vim à vita capit Magiſtri doctrina.*

Gen. cap. 6. n. 16. c. 3. n. 17.

Ineptè liberos peccantes carpit, & pungit pater errati reus.

fuerit, non lego. Neque enim pater mussitare ausus est, cùm sciret se peccasse lapsu turpi. Morum censuram non capit Adamus, erratis affectus plurimis; quam tamen affectant, & exercent alij vitæ solutæ homines, de quibus queritur Nazianzenus Orat. 13. *Vbi sunt, qui nostris gaudent maculis, cùm in cæno ipsi volutentur*, &c. Quos, vt reos scelerum, notat Seneca, acriores iudices, ac vindices culpæ alienæ, etsi leuiùs culpæ. *Alienas* (inquit) *obseruatis papulas obsiti vlceribus*, &c. *de Vita Beata cap.* 27. senes

Dan. cap. 13. n. 20. 38.

omnino Babylonici, apud *Dan.* 13. *n.* 20. Qui adulterium sibi concinnant, ac deinde adulterio puniendo vindices agunt, *n.* 36. Quæ Cypriano ratio fuit tonandi, & fulgurandi. *Adulterij se dicunt accusatores, voto adulteri*, &c. *ad lib. de pudicit.* Sed acerbiora iacit in Iudices lib. 2. epist. 2. ad Donat. *In publico accusatores, in occulto rei; in se ipsos censores pariter, & nocentes; damnant quod intus operantur*, &c. Quo iure Medum superbum notat superbus Assyrius;

Durus ad veniam censor, qui censurâ passus est.

nam qui Arphaxadi mores damnat, suos ad mores turpiter conniuet. *Sed nemo ad dandam veniam difficilior* (Seneca Auctore,) *quam qui veniam petere sapius meruit*, &c. *lib. 1. ad Neron. cap.* 6. Fortasse locum versas aliter, & Assyrium putas ab hoste superbo superbiam contraxisse? facilè assentior; vt credant homines reliqui,

PARÆNET. XIII.

Mores à malo socio malos trahi.

1. SAtis Assyrio fuit ad contrahendam superbiam cum Arphaxado superbo congredi, & versari modicè; facilè enim, vel ab hoste victo, morbus serpit in victoris animum, teste Seneca. *Hærebit tibi tumor, si cum superbo conuersaberis*, &c. *Epist.* 104. Bene Seneca; sed

Eccles. c. 13. n. 1. 2.

melius ad litem Syracides *cap.* 13. *num.* 1 à quo Philosophus mentem haurire potuit. *Qui superbo communicauerit, inducet superbiam*, &c. Et verò, luto, cum ferro non bene conuenit: frangantur olla necesse est. Syracides iterum, *Quid communicabit cacabus ad ollam*, &c. *n.* 2. Malum habes socium? oporteret malè viuas duce vitæ malo; qui vel malum facit facinus, vel mores

Pestilentia est vita improba.

bonos rider, facto, dicto. Pestilens omnino socius ille est, superbus, & illusor: quod patet ex

Prou. cap. 21. num. 24. c. 5. n. 12.

Prou. 21. *num.* 24. vbi, *superbus, & arrogans*, &c. Hebraicè לֵץ *Lets* est irrisor: à verbo לוּץ *Luts* irridere, Græcè vocatur λοιμὸς, id est, *pestilens*. Vtrumque enim superbus valet, teste Hieronymo. Et probatur ex *Prou. cap.* 15. *n.* 12. ex

Pſ. 1. n. 1.

Psal. 1. *num.* 1. Nec in latronem mitior est

Ezech. c. 18. n. 10.

Ezechiel cap. 18. n. 10. *Quod si genuerit filium latronem*, &c. Græco textu υἱὸν λοιμὸν, *filium pestilentem*, &c. Grassatur pestilentia; ab aliis serpit in homines alios. *sic* (teste Hieronymo) *pestilens homo vniuersa populatur*, &c. Quibuscum viuit, morbos ingerit superbiæ, ac licentiæ vniuersæ. Nam vel ab hoste victo mores, & sordes capit victor. Congreditur Hebræus miles cum Arabico. Victo hoste redit in castra Hebræus, capta præda triumphabundus. Sed,

Ab hoste victo capit victor malos mores.

Deo iubente, audit Num. 31. n. 24. *Lauabitis*

Num. cap. 31. n. 24.

vestimenta vestra, &c. Res noua; vt vestes abluant, qui hostem fuderunt, ac fugarunt. Mirum tamen id non est; hærent enim eodem in luto victus, & victor, malus, & bonus; ac proinde eget Hebræus lotione. Pulchrè Origen. Hom. 25. *Qui pugnant, eo ipso, quòd hostes contigerunt immundos, & cum illis certamen habuerunt, polluti sunt*, &c. Quis non timeat vel cum hoste congressum? vnde turpes capit motus, & trahit mores? *qui enim cum malis versantur, affricant sibi eorum vitia*, &c. Philone Auctore *ad lib. de Ioseph.*

Malum Dauid Saulem non sæuum cauet, timet; inde fuga adornata sibi consulit: nam modò aulam auersatur, 1. Reg. 19. n. 10. *Fugit, & saluatus est*, &c. modò Samuelem adit, n. 18. *& venit ad Samuelem*, &c. iam syluam petit, & antro se condit, cap. 22. num. 1. *& fugit in speluncam*, &c. iam ad Regem Achin pergit, cap. 27. n. 2. *surrexit Dauid, & abiit*, &c. Quò Dauid fugis? qui Saulem poteris vno ictu premere? non timet vires, sed mores Saulis, docet Ambrosius ad lib. de Isaac, & Anima cap. 3. *Fugiebat Dauid sanctus, non vt terras vtique reliqueret, sed vt inobseruantis, & perfidi contagium declinaret*, &c. Erat Dauid in graui metu, ne sordes scelerum contraheret, quibus hostis scatebat, abit procul à Saule, vt à malo procul abeat. Procul à peste morum abesse Iosephus voluit, qui ab hera inuitatus ad nequitiam, *Relicto in manu eius pallio, fugit*, &c. *Genes.* 39. *n.* 12. Quid Iosephe? palliolum deseris, quod manu captum mulier, testem laudet fictæ nequitiæ? Quò tua mens cessit homo sapientissime? sed quòd mulier palliolum tetigerat, maluit Iosephus à se trudere, quàm morum pestes contrahere. *Rupit fibram, ne serperet contagium*, &c. Hæc ex Corbiensi. Adeò nocet congressus cum grege improbo, vt vel tactam ab hera turpi vestem Iosephus timeat. Seuerè monet Dominus, vt puluerem de baxeis excutiant Apostoli in homines, qui abnuerint monita sanctissima. Hæc enim est vox vltima Luc. cap. 10. n. 11. *Etiam puluerem, qui adhæret nobis, de ciuitate vestra, extergimus in vos*, &c. Vna, vel altera huiusce mandati ratio est apud Tertullianum *lib. 4. contra Marc. cap.* 24. excussum igitur puluerem de crepidis Apostolicis Magister voluit. *In testificationem, & abhorrentiam terræ, ne dum communicationis reliquæ*, &c. Terret homines improbos Magister Dominus, excusso pedum puluere; ac deinde Apostolus reddit immunes à contagione scelerum, quam vel à puluere gentis improbæ posset trahere. *Quandoquidem* (Nazianzeno teste) *vitium in proclini est, etiam nullo trahente*, &c. *Orat.* 14.

2.

1. Reg. c. 19. n. 10. 18. c. 22. n. 1. c. 27. n. 2.

Fugiẽda congressio cum viro improbo.

Genes. c. 39. n. 12.

Impudicitiã trahit vestis à manu impudica.

Luc. c. 10 n. 11

Quo peccandi morbo laborat gens mala, terrã vitiat.

Quid si hominem cum malo socio ad cœnam sedisse nosset Theologus? perditum ne vita hominem putaret? Certè Dauid eo argumento culpat hominem Pſ. 49. n. 17. *Tu* (inquit) *odisti disciplinam*, &c. Rectè Dauid admones: sed vnde colligis, hominem ita deprauatum esse, vt legum scita oderit pessimè? addit Lyristes num. 18. *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*, &c. Non mentitur Cyprianus, qui meam ad rem submonet lib. 1. epist. 4. *Consortes, & participes ostendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquentibus copulati*, &c. Quis non videt bibere homines ab hominibus quibuscum cœnauerint, morum fæces? inde vox Paulo nata

3.

Pſ. 49. n. 17.

Malum grãde à malo socio.

aduer

aduersùs furem insignem, turpemque adulterum, 1. ad Corinth. cap. 5. num. 12. *Cum huiusmodi nec cibum sumere*, &c. Ita Magister Apostolus, *suspectum habens, quod illinc procedit, inquinamentum. Bonum enim est, non conuersari cum immodestis*, &c. quod interpretatur Clem. Alex. 2. *Pædag. cap.* 1. Longè à cœna, & turba gentis improbæ Cæsarius agere solitus, & turpes mores, & tristes vitabat morsus, teste Nazianzeno, *Quandoquidem non ignorabat, ad virtutem, ac vitium permagni referre, quibus cum homo consuescat*, &c. *Orat.* 10. Hac fuga consultum filio voluit mater Anna, cùm Samuelem deferret ad Sacerdotem Max. 1. Reg. 1. num. 24. *Puer erat adhuc infantulus*, &c. Ab vrbe tamen ductus ab Anna est, vt Deo Leuita seruiret. *Adduxit eum ad domum Domini*, &c. sciebat Anna ciues scelerum magistros esse, à vero, & bono turpiter aberrasse; quod textus insinuat Iudic. cap. 21. num. 24. *Vnusquisque enim, quod sibi rectum videbatur hoc faciebat*, &c. Nec legem nec Regem timebant homines ea tempestate: ac proinde Mater puerum adhuc tenerum ab vrbe abduxit in tabernaculum. *ne cum cæteris aberraret*, &c. scitè August. *quæst.* 46. ex Testam. veteri.

1. ad Cor. c. 5. n. 12.

Cauenda & cœna mali vni.

1. Reg. cap. 1. n. 24.

Iud. cap. 21. n 24.

Longè à vitio est, qui longè à malo est socio.

4. Erasse Lothus potuit, etsi modicè, postquam ab Abramo nepos discessit, & in Sodomis sedem habuit, quò illa pertinet dicendi formula Gen. 13. num. 5. *& Loth, qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium*, &c. Hæret sententia. Erat ne Lothus alter à Lotho Abrami nepote, vt necesse fuerit, notam addere? Alter quidem non reapse erat, sed vita alter, cùm Abramum nepos sequeretur, & cùm viueret in Sodomis, turpésque ciues ferret. *qui animam iustam iniquis operibus cruciabant*, &c. *Petr. 2. cap. 2. num.* 8. Laudo Ambrosium in sententiam lib. 2. de Abramo cap. 6. *quasi à se ipso mutatus velut alter accipitur, non solùm à iusto viro, sed à se ipso desciscens*, &c. Video, quid ad malos mores conferant mali comites, ac malæ vitæ duces. Vel in pugna timet virgo, non pugnæ faces, sed vitæ fraces, ab hoste, quo cum certamen continenter habet. *Nigra sum*, (inquit) *sed formosa*, &c. *Cant. 1. n.* 4. De morum colore trito leuiter virgo queritur; neque enim corrupta grandi fœditate facies est, quæ adhuc formosa vocatur. Nihil tamen venustatis non deperditum contracta morum nigritudine. Vnde mali orta labes fuerit, insinuat proximè num. 5. *Filij* (inquit) *matris meæ pugnauerunt contra me*, &c. Pugna erat domestica, hostis in castris fœdus erat, quid fœditatis nõ inureret, Nysseno teste Orat. 4. *Nigra propter prauitatis commercium reddita est*, &c. Nam vel ab hoste capit homo fœdos mores, & quanuis hostis discipliceat, comes placet: à quo si quis non capit sordes animi, certè næuos trahit. *Vel de habitatione corporea, vel de exercitationis internæ puluere migrantes*, &c. quod Paulinus interpretatur, *epist. 4. ad Seuer.* Abeat longè à grege hominum pessimo, qui mores velit concinnare. Nam vel Nabuchodonosor ab Arphaxado superbo mutuatus est superbiam ex congressu; cùm bene Seneca Lucilium moneat epist. 7. *Conuictor delicatus paulatim emollit, & eneruat*, &c.

Gen. c. 13. n. 5.

Qui bonum fugit virum, bonam viuẽdi fugit viã.

Cant. c. 1. n. 4.

Inurit morũ notas vna cũ grege improbo congressio.

Num. 8. Et misit ad Gentes, quæ sunt in Carmelo, & Cedar.

Commentarius.

NOn placent, qui volunt hasce gentes ab Assyrio ad Medum, licèt fortuna finistra, defecisse; hysterologiamque rhetoricam in loco esse. Neque enim quis dicat Hebræos è Iudæa homines, Iessæosque ex Ægypto populos sub Arphaxado militasse, quos tamen Arphaxado iam victo per Feciales, ac Legatos tentat Nabuchodonosor, vt si negitent, occasionem rapiat belli gerundi, quod Serario visum est *quæst.* 12. 1.

Sed quos nam Cedarenos homines vocari licet? Puto Cedarenos à Cedare denominatos esse, *Gen. 25. num.* 13. & Arabes omnino fuisse, quod volunt Patres *ad Ps.* 119. *Isai. 22. Ierem. 2.* Res de triuio est. Addo Scenitas videri, qui ad Petræam pertinent Arabiam, vagos homines, incertisque errantes sedibus, ac Scythis pares, 2.

Gen. cap 25. n. 13. Ps. 119. Isa c. 22. Ierem. 2.

Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos, &c. apud Horat. *lib.* 3. *Ode* 24. De Scenitis Plinius lib. 6. cap. 28. *Nomades* (inquit) *Scenitæ claudunt, & ipsi vagi; sed à tabernaculis cognominati: quæ ciliciis metantur, vt libuit*, &c. Nam σκηνὴ Græcè tabernaculum est. Plinio hæret Solin. *cap.* 46. Diodor. *lib.* 3. *cap.* 12. Mentem Dauid mihi firmat Ps. cit. n. 5. *Habitaui cum habitantibus Cedar*, &c. Hebraicè אהלי קדר *Achole Chedar. In tabernaculis Cedar.* quod Græcè non dissonat, μετὰ τῶν σκηνιμάπων κηδάρ. Didicere scenitæ pelles in scenam cogere, ab auo Ismaele, de quo Moyses Genes. 16. n. 12. *Figet tabernacula*, &c. Arabes itaque Petræos germanè Scenitas dixeris. Terram agro sterili, & aqua tenui infelicem, gregibus tamen alendis vtilem commendat Plin. *lib. cit.* Diodor. *lib.* 2. *cap.* 12. Strabo *lib.* 6. Philõ *ad* 1. *lib. de Moyse.* Bene Ierem. hac de re, *ad caput* 49. *n.* 28. *Isa. cap.* 60. *n.* 7. qui *ad caput* 42. *n.* 12. Magistros pecorum Arabes Petræos vocat. *In domibus habitabit Cedar, laudate habitatores Petræ*, &c. Scenitas igitur, pastores ouium, casas humiles, copiam inopem tentat Nabuchodonosor. Sed quò non porrigit manum homo cupidus? vel minima quæque rapit. Ea Scythis aduersùs Alexandrum querendi ratio, apud Curt. lib. 7. *Syriam occupasti, Persidem tenes, Sogdianos habes in potestate, iam etiam ad nostra pecora auaras manus porrigis. Quid diuitiis opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate famem parasti*, &c. Verè Orator docet,

Ps. 119. n. 5.

Ierem. c. 49. n. 28. Isa. c. 60. n. 7. c. 42. n. 12.

4.

PARÆNET. XIV.

Cupidos homines vel minima quæque rapere.

NOn aberrat ab scopo veritatis, qui vitam hominis appellauerit scholam prædandi, quò Iobus spectare videtur *cap.* 7. *n.* 1. Nam Græcè textus habet, πειρατήριόν ἐστιν ὁ βίος ἀνθρώπου, *Piratica est vita hominis*, &c. Quod prædones mari, & latrones terra, id plerique faciunt homines; rapto viuunt. Vel Princeps manticularius est, rebus modicis vnguem iniicit. Neque 1.

Iob. c. 7. n. 1.

Totus in furando homo est.

que enim ad aceruos tantùm grandes rerum fames ista prædandi est; cùm notatus fuerit Lampon Flacci Notarius, apud Philonem. *E syllabis, atque apicibus quæstum faciens*, &c. quòd lucellis modicis occasiones captaret, *ad lib. de Legat.* Ab Adamo id vitij, qui à pomo vetito non temperauit. Inter arborum fœtus reliquos res erat minima ab eo pomo abstinere, quod sui tantum iuris esse Deus voluit. *Ne comedas*, &c. *Gen. 2. n. 17.* Sed inde totus Adamus in vetitũ nisus est, serpente furti auctore, quod Rupertus dolet. *Serpens* (inquit) *non dabat de suo, sed suadebat rapere de alieno*, &c. *lib. 4. in Cant.* Quid agis Adame? in horto felicissimo? inter ingentes opes adhuc tibi fames de pomo, ac de re modica est? Certè diues opum homo, adhuc manticularius esse videtur, sed res adeò fœda est, vt victus pudore Adamus, Domini se oculis abripuerit. Quod de textu est Gen. 3. num. 8. *Abscondit se Adam*, &c. Nec miror, Theodoreto Auctore, *Latere conatus est, quasi cognoscens furari, malum esse*, &c. *q. 57.* sed qui fame laborat, vel ad minima quæque animum, & manum aduertit. Auaritiam in tabula pingit Amos, vncum scilicet pomis trahendis vtilem. Nihil enim aliud vidit Prophetes, quàm *vncinum pomorum*, &c. *cap. 8. n. 2.* Quæ deinde subsequitur comminatio, *venit finis super populum meum*, &c. probat vim scelerum multam esse, quasi helluones rerum alienarum à furto leui ad latrocinia deuenerint magnarum rerum. Vnde Rupertus lib. 4. *Paruam* (inquit) *rem, sed magni vides mali signum*, &c. Et quidem Vates respexisse visus est ad Adami furtum de vili pomo. Rupertus iterum. *Vt perpendas bona, quæ sibi auaritiæ vncus sitienter attrahit, rectè pomorum nomine denotari ob vilitatem; sciendum est, quòd primus homo cupiditatis crimen, per quod periit, non per aurum, neque per argentum, sed per exiguum pomum admisit*, &c. Ac si Rupertus veller, auaritiam vel de minimis agere, cupere, rapere.

Gen. c. 2. n. 17. *A Diabolo furãdi amor.*

Gen. c. 3. n. 8.

Turpe est furari.

Amos cap. 8. n. 2. *A paruis ad magna furta cursus est facilis.*

2.

Sordes hasce auaritiæ à suo Eugenio longè abesse Bernardus voluit, cùm moneret lib. 3. *Quid tam indignum tibi, vt totum tenens, non sis contentus toto; nisi minutias quasdam, atque exiguas portiones ipsius tibi credita vniuersitatis, sagatas adhuc tuas facere*, &c. Sed cùm nemo non credat vicini pecus, & grandius, & pinguius esse, nemo item est, qui manum abstineat. Occurrit cupidis hominibus Deus Maximus lege lata, ne quis de cibo Angelico, plusquam opus est, capiat. Exod. cap. 16. num. 16. *Gomor* (inquit) *per singula capita*, &c. Hæc senatoribus, populoque Hebræo mensura erat. Cur æqualem Deus portionem tribuerit omnibus hominibus, Auctor est Iosephus lib. 3. Antiquitat. cap. 1. *Hæc fiebant, ne debilioribus difficultas colligendi esset, virtute valentium; & ex hoc ad neces accederent*, &c. Cautum prudenter à Deo est, cùm potentiores plebeculam malè accipiant, nec pareant tabernis pauperioribus gentis miseræ. Princeps, ac rerum Dominus Achabus erat, vtpote qui regno fruebatur: sed vineam vel tenuem adhuc cupit, imò rapit, cæde facta 3. Reg. cap. 21. n. 16. *Descendebat in vineam Naboth*, &c. Ne quis non videat, quò præcipitat auarus Princeps. Bernardo teste ad Eugen. lib. 3. *Qui rerum summam tenebat, & vnam vineam affectabat*, &c. Imò dolebat maximè, quòd non frueretur prædiolo tenui, cùm Nabuthes negaret pertinax, num. 4. *Proiiciens se in lectum suum, non comedit panem*, &c. Multa vno in facto dolendi facies est, quod notat Ambrosius *ad lib. de Nabuthe.* Negat Nabuthes Achabo vineam; suo Princeps lecto decumbit, & cibo abstinet. *Volens se morte mulctare, quod illi aliquid negaretur*, &c. *cap. 4.* Magna prædandi libido est, quæ frustrata Regem premit ad lectulum, sed cur *Auertit faciem suam ad parietem*, &c. quod textus habet inibi, id capè è Græco textu, συνεκάλυψεν τὸ πρόσωπον αὐτῆς, *Operuit faciem suam*, &c. Ira ne Achabo displicent aulæ Principes, iuuenes lepidi, ac nitidi? sed lugere Achabus liberè voluit, vultu ad parietem obuelato: & ratio ex Ambrosio est c. 3. *Lugent diuites, si non potuerunt aliena diripere, si suis pauper non cesserit facultatibus, vim mœroris tegere non possunt*, &c. Iniuriamque sibi factam reputant, si quis iuxta habeat prædiolum; quod Ambrosius dolet, & taxat grauiter cap. 1. *Quis* (inquit) *opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem auiti ruris eliminare finibus*, &c. Ne Germanus Princeps raperetur hoc furore, cogebatur lege patria, murare sedes quotannis, & populum secum ducere. Inuenit Cæsar, cur id fieret lib. 6. *Ne latos fines parare studeat; potentioresque humiliores possessionibus pellant*, &c. scitè admodum terretur Princeps manticularius, ne manum iniiciat vel rebus modicis.

Absurdũ est, vt qui magnis fruitur, cupiat, vt capiat minuta quaque.

Exod. cap. 16. n. 16.

Curant Principes, ne quid habeat plebecula.

3. Reg. c. 21. n. 4. 16.

Mors Achabo est, quòd non rapiat aliena.

Dolent, ac lugent Principes si quod appetunt, non rapiunt.

Quod fecit Moyses lege per Deum edita, vt suum quisque locum in castris haberet. Num. cap. 2. num. 3 *Ad Orientem Iudas*, &c. Non sinit Moyses populum suo arbitratu loca occupare, ne cupiditate loci ad cædes proruerent. Auctor sententiæ Abulensis q. 7. *Quælibet* (inquit) *tribus vellet capere maiorem locum, ideo Deus distinxit loca pro numero*, &c. Id verò est pro hominum censu, quantum loci, & quo loco visum Deo est, tribuit, ne de castrorum situ foret dissidium. Enim verò, quod quisque posset, manu occuparet: sed & pro numo pugnaret acerbè, vt deuoraret, quod in pisce notatum video, apud *Matth. 17. n. 26.* Petrum Christus adigit, vt hamo piscem capiat. *Et aperto* (inquit) *ore eius, inuenies staterem*, &c. quatuor scilicet argenteos. Scio ego piscem in mari, hominem in aqua lustrali esse. Et quare ab homine bene lustrato numos aufert Petrus à Christo iussus? Optimè Clemens Alexand. 2. Pædag. cap. 1. *Monet auferre luxuriam, & auaritiam, tanquam piscis numum, vt separet vanam gloriam*, &c. Duplex in loco nota est, & quòd rerum luxus auro, argentoque paratus ad inanem gloriolam taxatur à Christo grauiter, & quòd vel numum, vile pretium ore semper ferat, & animo, quicumque cupit, magnas inter opes, inops. Qua habendi cupiditate rapitur Nabuchodonosor, vel ad Scenitarum casas humiles, opes inopes.

3. Num. cap. 2. n. 3.

Vicinus vicino inuidens.

Matth. c. 17. n. 26.

Semper inops, quicumque cupit.

Num 8. *&* 9. In campo magno Esdrelon, & ad omnes, qui erant in Samaria, & trans Iordanem.

Commentarius.

1. INter Esdrelonem, & Mageddon planities adeò lata est, vt acies cum acie congredi possit facilè, probat id Iosias, manum cum Nechao conserens; qui in agro Esdrelonio propè Mageddon malè pugnauit, 4. Reg 23. num. 29. *Occisus est in Mageddo*, &c. vbi multæ lachrymæ de Iosiæ nece: de quibus Zacharias meminit, ad cap. 12. n. 11. *sicut fletus Adrademmon in campo Mageddon*, &c. Describit Iosephus campum à monte ferreo egregiè *lib. 5. de Bello, c. 4.* De vrbe, & agro textus est *ad cap. 4. num. 5. ad cap. 7. num. 3.* vbi Sanctius rectè sentit: vide Tirini tabulam Geopraphicam.

4 Reg. c. 23. n. 29. Zachar. c. 12. n. 11.

2. Pertinet campus iste, quod quidem hoc ex loco pater, ad Galilæam: dubitatur, vtra in Galilæa situs fuerit, distinguunt enim Auctores Galilæam duplicem, & superiorem, & inferiorem, vt quæque ad Iordanis caput accedit, vel ab eo recedit. Quemadmodum & Germania, pari ad Rhenum situ, duplex est. Auctores de Galilæa duplici, *ad Isai. cap. 9. num. 1. ad Matth. cap. 4. num. 15.* ex Iosepho *lib. 3. cap. 2.* de Bello Iudaico Hegesipp. *lib. 4. cap. 6.* constátque ex *Tobiæ cap. 1. num 1.* vbi textus de Nephthali Tobiæ vrbe patria, *quæ est in superioribus Galilææ*, &c. quo recepto, puto cãpum Esdrelonium ad inferiorem Galilæam spectare. Namque Tyro vicina, & à Gentibus cognominata apud Isaiam, Matthæumque *citatis locis*, ea omnino superior est, & ad Iordanis caput redit, licèt à Nephthali ad Tyrum vsque porrigatur. Quæ verò inferior est Galilæa à mari Tiberiaco ad Zabulonem vsque protenditur, & ad mare Phænicium. Quo faciunt Iacobi voces, Gen. cap. 49. num. 13. *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium, pertingens vsque ad Sidonem*, &c. Accedit Iosephus *lib. 3. de Bello cap. 2.* Hegesipp. *lib. 3. cap. 6.* Serar. *q. 12. ad hoc caput.* sed intra hosce terminos Esdrelon est, & Mageddon: non igitur negabis campum inibi magnum esse.

Isa. c. 9. n. 1. Matth. c. 4. n. 15. Tob. c. 1. n. 1. Gen. c. 49. n. 13.

3. Pungit tamen stimulus cùm textus Esdrelonem collocet *trans Iordanem*, &c. quæ citra amnem esse videtur, prope Mageddon. sed res eadem aspectu vario, nunc citra, nunc vltra amnem sita esse putatur: quod notat Maldonat. *ad Matth. 4.* Abulens. *ibi q. 77.* si quis enim ab Ægypto ad Zabulonem veniret, Esdrelon erat *trans Iordanem*; si quis tamen à Zabulone ad Ægyptum abiret, Esdrelon erat citra Iordanem. Facilis interpretatio. Nónne ex Num. cap. 22. n. 1. *trans Iordanem Iericho sita est*, &c. iis scilicet, qui veniunt ab agro Moabitico? sed pars Rubenitis data, Iosue 1. num. 16. est *trans Iordanem*, &c. iis tamen, qui à Iericho Ægyptum petunt, amnemque traiiciunt, nónne transamnenses vocãtur homines, qui ab Ægypto venere, sortemque acceperunt, priusquam Iordanem transmitterent? Iud. 10. n. 8. *Omnes, qui habitabant trans Iordanem*, &c. Rubenitæ scilicet, & Gaditæ? sed ex *Num. cap. 33. n. 19.* patet liquidò tribus cæteras, Iordane transmisso, transiordanenses dici. Eo igitur aspectu vtramque Galilæam rectè dixeris fuisse trans Iordanem, *Matth. 4. Isa. cap. 9.* Nec Latinis loquendi forma est alia. Nam Gallia, quæ Alpinis Pyrenæisque iugis clauditur, Strabone Auctore, transalpina est, *lib. 4.* Et frumentum mediis è Galliis exportatum, Claudiano trãsalpinum est. *Iam transalpina contenti messe Quirites*, &c. *ad lib. 1. in Eutrop.* Sed Bernard. sanctissimus transalpinare dicit homines, qui media è Gallia Romam adirent. Solent homines mutare calculos numeris ineundis, & à postremo incipere, in primum desinere numerum. Sic Maro de Saturno Latini Auo primigenio; *Tu sanguinis vltimus Auctor*, &c. *lib. 7.* Sic & Claudiamus de Lunæ globo primario 2. lib. de Raptu. *Qui septimus auras ambit*, &c. Quo item pacto mutat Hebræus calculos in appellanda Galilæa: vt quæ citra amnem est, trans Iordanem sita dicatur, & campus inibi Esdrelonius. Hosce homines suo tenere imperio voluit Nabuchodonosor, nequid terrarum esset, quod non animo cuperet, & manu caperet.

Num. c. 22. n. 1. Iosue, cap. 1. n. 16. Iud. c. 10. n. 8.

Num. 10. Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor.

Commentarius.

1. BEllo confecto, & victo Arphaxado, Nabuchodonosor imperium sibi destinat terrarum omnium. Quò enim homo fortuna insolens manum armatam non porrigeret, vt sedaret famam dominandi. *Aspice, quemadmodum infinitæ hominum cupiditates semper hant, & poscunt*, &c. Iustè queritur Seneca *ad lib. 6. de Benefic. c. 26.* sed noto scitè à Tyranno actum esse, vt officiosa prius Legatione tentaret homines ad sui deditionem, quàm seuera cogeret comminatione. Vbi tamen, Legatis malè acceptis, suum Gentes stomachum detexere, *Tunc indignatus est Nabuchodonosor*, &c. *num. 12.* & bono id Regum modo actum est; qui lenitate prius, quàm seueritate ducunt populos in obsequium, *Virgam vigilantem ego video*, &c. sic Ieremias *cap. 1. n. 11.* sceptrum scilicet ocellis flosculorum pulchrum viderat. Deinde ollam pice oppletam, & correptam igne videt. *Ollam* (inquit) *succensam ego video*, &c. *n. 13.* Neque hæc rerum facies innuit aliud, quàm regnum amore priùs, ac deinde rigore administrandum. Bene Seneca ad Neronem lib. 1. cap. 24. *Nemo* (inquit) *ad supplicia exigenda peruenit, nisi qui remedia consumpsit*, &c. Id à Magno Domino discendum est, qui ab scholæ sanctæ alumno amorem prius, quàm timorem exigit. Malach. 1. *n. 6. Si Pater* (inquit) *ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* &c. In loco Hieronymus, *Vult itaque primò Deus, vt filij simus, & bonum voluntate faciamus*, &c. sed & lege lata iubet, vt Hebræus Princeps, cùm vrbem obsideat, iusto bello, priusquam muros quatiat, conditiones obsessis offerat pacis ineundæ, Deut. 20. num. 10. Petit Philo, cur tantum Deo studium fuerit de pace offerenda, vt id vel ab armato Duce exigat? *Si quando accesseris ad expugnandam vrbem, offeres primum*

Auaritia nec copia minuitur.

Ierem. cap. 1. n. 11. 13.

Prior in mandatis lenitas, quàm seueritas.

Malach. c. 1. n. 6.

Amore priusquàm timore obtemperandum.

Deut c. 20 ℣ 10.

Perdit ira modum iustitia.

primum pacem, &c. Ratio ex Philone est. *Ne quid per iracundiam aggrediatur temerè*, &c. *de creãdo Princ.* Illudque Philo insinuat, nihil, ira duce, agendum esse; nam vis omnino cæca opportunitatem corrumpit, vel iustæ vindictæ, vel artis bellicæ. Eoque iure apud Senecam, *Monebat Pyrrhus, quos gymnico exercebat ludo, ne irascerentur; ira enim perturbat artem*, &c. 2. *lib. de Ira c.* 14. Quid non agat temerè, qui festinatò rapitur ad puniendum? Non ita Nabuchodonosor agendum sibi putauit; sed blandè priùs monet, ac deinde cogit seuerè, vt discas,

PARÆNET. XV.

Homines priùs ducendos esse lenitate, quàm trahendos seueritate.

1.

Iupiter optimus, deinde maximus.

NEmo nescit Iouem Regum Dominum, dici prius Optimum, quàm Maximum; argumento vt pateat, auspicium administrationis politicæ à lenitate Parentis Optimi prius, ac potius, quàm à seueritate Regis Maximi captandum esse. Quod probat Samarites schema notabili, cùm hominem à latrone affectum malè, curarit bene, *Infundens oleum, & vinum*, &c. *Luc.* 10. *num.* 34. Lene fomentum, oleum; forte medicamentum, vinum est. Prior tamen ab oleo medicina fluit in hominem. *Infundens scilicet, oleum, & vinum*, &c. vt inde Hildebertus argumentum capiat monendi prius ceruicosum hominem charitate patria, quàm vrendi literis mordacioribus. *Vt vino* (inquit) *censoriæ correctionis curaretur inobedientiæ vulnus, quod oleo paternæ admonitionis curari non poterat*, &c. *epist.* 74. Scias seuerè tecum agendum esse, id tamen, post lenimentum charitatis patriæ. Princeps erat, ac regno potens, qui virginem Deo sacram vino curandam, & seueritate agendam susceperat; quod virgo sibi gratulans, Cant. 1. num. 3. *Introduxit me* (inquit) *in cellaria sua*, &c. vtique vinaria; quod patet ex *c.* 2. *num.* 4. sed priùs ab oleo medicamentum est, cùm priùs admoueat remedium, qui ab oleo nomen habet, Christus Dominus, *Oleum effusum nomen tuum*, &c. Cur oleum Princeps infundit prius, quàm vinum in remedium virginis optimæ? scilicet vt insinuet regnum boni Regis auspicari oportere à lenitate patria. Hæc vbi non profit, ad seueritatem Regiam progredi, ab vtroque Regem probari à lenitate priùs.

Luc. cap. 10. n. 34.

Prius quàm vrat Pater mollit.

Cant. c. 2. n. 3. c. 2 n. 4.

A mitioribus sceptrũ Princeps moueat.

2.

Fomento prius quàm ferro agendum.

Inde Patrem Patriæ appellarunt Principem mortales prisci. Procede mi Seneca, & mone, *vt sciret datam sibi potestatem patriam, quæ est temperatissima, liberis consulens*, &c. *lib.* 1. *ad Neron. cap.* 14. Rectè monet Philosophus; quis enim scalpello radit carcinomata, priusquam fomento molliat? Scio Deum, vt Parentem hominum, ac Regum Dominum à blandimento processisse ad seueritatem. Leges condit Exod. cap. 20. num. 2. *Ego sum Dominus*, &c. probata auctoritate, addit num. 3. *Non habebis Deos alienos*, &c. sed nihil mihi pœnarum est aduersùs peccantes homines. Leges inducit iterum Leuit. 20. n. 8. *Custodite præcepta mea*, &c. sed quanto Dominus ore tonat, fulgurat: quid minatur? à num. 2. *Morte* (inquit) *moriatur*, &c. Miror, quantum veneni sæuiat in præcordiis,

Exod. 6. 20. n. 2. 3.

Leuit. c. 20. n. 8.

vbi nihil irarum, ac minarum priùs fuerat. Cyril. Alex. rationem eruit è iure œconomico, *Priùs* (inquit) *prouocaris vt filius; quòd si vt filius obediens esse non vis, contemptor plecteris, vt seruus*, &c. Optimè Cyril. & ad Magni Patris mentem, qui, teste Chrysologo, *amari magis voluit, quàm timeri*, &c. *serm.* 9. De iure politico est, vt regno inito, seueritatis famam à se Princeps abigat, ne auertat longè animos hominum. Peccat Adonias læsa maiestate, & inde metuens grauiter, sacram prensat, ac tenet arã, 3. *Reg.* 1. *num.* 51. illud iterans. *Iuret mihi Rex Salomon, quòd non interficiat seruum suum gladio*, &c. Certus de re Salomon condonat iniuriam, & sacramento id firmat, num. 52. *Si fuerit vir bonus, non cadet*, &c. Cur non interficit hominem, iure publico, reum capitis? Abulensis optimè q. 45. *Si propter primum delictum occidisset Adoniam, crederetur nimis seuerus; & ideo non expediuit, quòd eum nunc occideret*, &c. Auspicari Salomon regnum voluit, non à seueritate, sed à lenitate. Abulensis iterum, *vt iustificaret actus suos maximè in principio regni*, &c. illud insinuans, mitissimam esse oportere regni sortem in principiis regnandi.

Amari Deus quàm timeri maluit.

3. Reg. cap. 1. n. 51.

Firmat Princeps regnum, si facilis est ad veniam.

3.

Abeant à Regum, ac parentum albo, qui prius minas proflant, quàm laudes ingerant. Aliter Apostolus, qui à laudum blanditiis mulcet scholam Corinthiacam epist. 1. *cap.* 10. laudes cape, num. 5. *In omnibus diuites facti estis*, &c. Post laudum blanditias, vrget stimulis n. 11. *Contentiones sunt inter vos*, &c. Cunctatur Apostolus, nec citò erumpit in minas; sed à rebus laudatis sermonem texit, facilè vt moueat, quos blandè monet. Bene id, & ex arte medica actum est: quæ blanda priùs manu palpat, ac deinde ferrum adigit. Anselmus de Paulo optimè. *Priùs* (inquit) *blandam laudis manum posuit, & postmodum ferrum increpationis fixit*, &c. sed à Magno Gregorio accepit *Hom.* 11. *in Ezech.* sciebat Apostolus eam blando imperio vim inesse, vt quò velit, facile ducat homines. Quid aceti non effundit Christus in Samaritanam mulierem? cùm dicit, *Quinque viros habuisti*, &c. *Ioan.* 4. *num.* 18. Ita meruit, quæ turpiter agebat mulier. Sed priùs in Samaritanæ laudes Magister soluitur. *Bene dixisti*, &c. *n.* 17. & post acetum increpatorium, laudat iterum. *Hoc verè dixisti*, &c. Plenè insinuans seueritatem non paucis leniendam esse; quod Rupertus notat lib. 2. in Apoc. *Magnum* (inquit) *hoc, & dignè imitandum est magisterium, corripere quidem ea, quæ emendatione indigent; sed inter corripiendum, & prius, & posterius collaudare*, &c. Quo id animo præstandum est, aduertit Rupertus. *Quatenus teneatur benevolus, & non refugiat confusus, aut exterritus, audire non sustinens peccatoris animus*, &c. Vtrumque Princeps consequitur suo blandimento, & animos flectit hominum in obsequium, & parat aures faciles increpationibus admittendis. Scio, quid moneat Seneca 1. ad Neron. c. 17. *Seruis imperare moderatè laus est*, &c.

1. ad Cor. c. 19. n. 5. 11.

Consulò magister laudat, vt carpat vtiliter.

Io. c. 4. n. 18. 17.

Prodest seueritas temperata lenitate.

4.

Sed procurrunt homines, imò prouolant ad fasces, ad secures; quod occurrit animo priùs, ac potiùs, acerbitas est, pœna est, mors est aduersùs homines alios. Probo thesin loco duplici. Priùs in primis Dauid est, sed cùm Moabitam iusto bello premeret. 2. Reg. 8. n. 2.

2. Reg. c. 8. n. 2.

Mensus

Mensa est duos funiculos, vnum ad occidendum, & alterum ad viuificandum, &c. Si locum benè inspicis, videas Hebræum suo, & primario motu procurrere ad necem inferendam, cùm homines primò denotaret ad id pœnarum, *vnum scilicet ad occidendum*,&c.Sed quid ego miror! *Ad nocendum potentes sumus*, &c.queritur Seneca 1.*de ira,cap.* 3. Nec Pilatus aliud prius venditat,quàm fasces, & secures ad internecandos homines.*Nescis,quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te*?&c.sic ille ad meum Christum. *Ioan.cap.*19.*num.*10. Iudex omnino sæuus, qui nocendi potestatem priùs iactat. *Sed ad nocendum potentes sumus*, &c. Id Pilatus iactat priùs, quod animo priùs tenet, ac potiùs: vt innuat se libenter festinare ad sæuiendum.Addo Hebræum suopte genio propendere ad acerbitatem.Vices bene,ac malè precandi tribuit Moyses Hebræo populo, Deuter.*cap.*27. num.12. *Hi stabunt ad benedicendum*, &c. *& isti stabunt ad maledicendum*,&c. *num.*13 Procedit tribus Leuitica ad benedicendum *c.* 28. *n.*13.Nihil omnino Hebræus addit,tacet, obmutescit. Procedit & Leuites ad maledicendum *cap.* 27. *n.* 15. Commune populi responsum est: *Amen*, &c. Id verò est, fiat suo iure. Vnde ego habeo,quod habet Seneca, *Ad nocendum potentes sumus*,&c.ad malè precandum faciles: quò inclinat animus, proximè voces abeunt. Inclinat facilè Nabuchodonosor ad lenitatem; prior de populis officiosè leniendis legatio est.

Proclinant homines ad nocendum.

Deut. c. 27. num. 12. 13. cap.28. n.13.

Homines ad maledicendum faciles.

Num. 11. **Qui omnes vno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abiecerunt.**

Commentarius.

28. COnstat liquidò,quid fecerint Gentes vniuersæ,tributo imperato, & seruitute intentata. Rident legationem, Legatis malè acceptis, libertatémque tuentur, furore concepto. Vtramque fortunæ aleam eruas à Græco verbo φαυλίζω. quod est vilipendere, & succensere.Nec id nouum liberis hominibus. *Citò enim indignatur libertas, si opprimitur*, &c. teste Hieronymo *tom.*2. *epist.*62.*ad Theoph.* In litem argumentatur Memmius.*Serui ære parati iniusta dominorum imperia non perfecerunt*, &c. apud Salust.*in Iugurth.* Quid ferant gentes liberæ,cùm vrgentur ad seruitutem Regiam? à iumentis iam perdomitis disco,iactari,& trahi onera, si stimulis pungantur nimium. Nam, teste Seneca, *Nimia sæuitia coguntur iugum detrectare*,&c.1.*ad Neron.cap.*15.Periere non semel artes, ac vires Assyriæ, cùm tentarent libertatem hominum.Legatos Darius ad Athenienses mittit, cum mandatis, vt terram, & aquam dedant in seruitutis tesseram,apud *Herodot. lib.*7. Quid Athenienses?Legatos detrudunt in puteum,vt inde terram, & aquam acceptam referant ad Regem. Valenter admodum Athenienses. *Nemo enim plura impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit*,&c. quod loco citato monet Hieronymus. Nec Merodacho Assyrio melior fortuna, missis enim Legatis ad gentes immunes, vno animo contradixerunt,&c.vilique penderunt.

Furit, & sæuit oppressa libertas.

Ingrata viro ingenuo seruitus.

Græcè ὡς ἀνὴρ ἕν, *quasi vir vnus*, &c. Schema id parœmiali dictum scio:nec paucis probat Delrio *Adagio* 153. notatum hac dicendi forma consensum hominum, ad hostem pellendum, asserendámque libertatem. Mitto, quæ adducit; illud addo ex Actis Apost. c.18. num.12.*Insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum*, &c. Vnde patet facilè, malos homines conuenire in necem magni viri. Nam, teste Bernardo, *Sunt etiam in vitiis pares animi*, &c. *sermon. 6. de Epiphan.* Frequens id Terentio dicendi genus est. In Hecyra act 2. scena 1. *Vno* (inquit) *animo omnes socrus oderunt nurus*, &c. Ab hoc vno animo vox vna est multis hominibus, qui in studium legis obseruandæ coniurarunt. Exod. 24. num. 3. *Respondítque omnis populus vna voce*, quo loquendi modo Epigrammatistes probat assensum Gentium barbararum in Domitiani laudes, *lib.*1.*Epigr.* 3.

29.

Act. cap. 18. n.12.

Mens vna vnum è multis hominibus facit hominem.

Exod. c. 24. n.3.

Vox diuersa sonat, populorum est vox tamen vna,&c.

Vnde multi viri, vnus aliquando vir appellatur,à communi scilicet in rem placito. Id textus offert Iudic.20 n.1.*Pariter congregati,quasi vir vnus*,1.Reg.c.11.n.7. *Egressi sunt,quasi vir vnus*,&c. Nam,communi assensu,multi homines,vnus homo.Cur hostem non trudant à se facilè homines voto pares, etsi lingua varia? Valent plurimum concordes viri ad rem bene gerendam.

Iudic. 20. n. 1. 1. Reg. c. 11. n. 7.

30. Nec minor populis animus aduersùs Assyrium meru sublato. De Græco id textui est, reiectos scilicet Legatos voce libera,ὅτι οὐκ ἐφοβήθησαν αὐτὸν, *quia non timuerunt illum*, &c. Scio malam rerum dominis crucem esse, cùm non timentur:quandoquidem, *Metus est emendator acerrimus* &c.teste Plinio *ad lib.*7.*epist.*17. Mutire non audent homines, metu concepto; si quid rectè monet Seneca in Thyest. act. 2. *Tacere multis discitur vita malis*,&c.Quis enim caput erigat, vocémque soluat, vbi metus ingens est à Magno Domino?*Sileat omnis caro à facie Domini*,&c.Ita Zacharias iubet *c.* 2. *n.*13. Græcè habes, σὺ εὐλαβείσθω. id verò est, *timeat*, &c. Nam metus germanè imperat silentium. Laudo Ruperti ludum in voce Græca δέος, quæ Latinè *metum* valet; & modicè deflectit à voce θεὸς, quæ *Deum* sonat;vt scias à timore Dei cultum nasci proximè. Accedit Rupertus, *Græcè* (inquit) δέος, *quod nomen parcè detortum, latinè dicitur Deus, eo quòd iure timeatur*, &c. *lib.* 1. *in Genes. cap.* 21. Tanta in metu vis est,vt homines,vel iussa faciant, vel sileant ad obsequium:ac proinde,metu exuto Gentes,licèt barbaræ,Oratores Assyrios abegere. *Et sine honore abiecerunt*,&c. Græcè ἐν ἀτιμίᾳ, *in ignominia*,&c. Plenior in loco Græcus est, Latinè moderatus est textus rem acerbam λιτότητι solita;quæ plura semper innuit, quàm dicat.Iuuenem laudat Maro de virtute masculà, *Qui non virtutis egentem* dicit,&c. *lib.*11.Ducem canit Statius, qui de se tonat, *Nec stirpis egenus*, &c.2.*Theb.*Sed frequens & sacro textu λιτότης est,Ribera Magistro *ad Malach.* 2. Satis mihi facit Ioannes *Apoc. c.* 7. *n.*16. vbi de Christi mensa adipali, *Non esurient,neque sitient*, &c.

Vrget metus ad bene agendum.

Silentium metus imperat.

Deus à timore denominatur.

Zachar. c. 2. n.13.

Apoc cap. 7. n. 16.

Quid Paulus de Tharso patria? *Ego* (inquit) *Iudæus, non ignotæ ciuitatis municeps*, &c. *Act.* 21. *n.* 89. Plura textus vterque signat, quàm dicat: vt planum fiat, cur hoc in loco textus addat, *& sine honore abiecerunt*, &c. hoc est, sine dono, sine tributo, quod Oratores exegerant, & Lyra explicat. Nec à vero abest, cùm honor pro dono, & censu reponatur apud Salomonem, Prouerb. 3. n. 9. *Honora Deum de tua substantia*, &c. Ad Timoth. 1. c. 5. n. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore honorandi sunt*, &c. cultu scilicet, & censu, quod volunt interpretes. Abeunt igitur Legati sine honore, id est, sine dono honorario, sine tributo, quod imperabant liberis hominibus. qui quidem in hanc sententiam vno animo cósensere, cùm scirent

Act. cap. 21. n. 89.

Prou. c. 8. n. 9. 1. ad Tim. c. 5. n. 17.

PARÆNET. XVI.

Discordiâ vel rem magnam labi pessimè.

1. ASsyrium à se iugum excutiunt homines vno pares animo, libertatémque tuentur assensu communi, & virtute mascula. Iuuant enim se maximè, inter quos bene conuenit. Id Ottobertus Comes innuit tessera symbolica; habet enim manu armata citharam, adscripta epigrapha, *Hæc mihi tuba*, &c. Monstrum in tessera, & monstrum ingens. Nónne Lyra concordiæ nota est? docet Pierius *lib.* 47. Nam licèt alij concordiam à corde bene deflectãt, vnde concordes, & vecordes audiũt, patétque ex versu ad concordiæ ædem subscripto, post Gracchi necem, *Opus vecordiæ, templum concordiæ fecit*, &c. tamen alij concordiam à chorda malunt deriuatam esse, quòd scilicet, vt congruentes chordæ sonum dulcem efficiunt, ita & concordes homines bene consonant. Quid igitur chordis musicis cum armis est, vt pro tuba Ottobertus lyram velit? sed bene, pulchrè, scitè res habet. Nam concordes milites, ac Duces bellum feliciter conficiunt, & qui animis conueniunt, armis præstant. Victor Dauid de Syro, & Idumæo hoste domum repetit, vt triumphum agat. Quod in titulo carmen habet Ps. 59. *Cùm succendit Mesopotamiam*, &c. Sed quosnam Dauid milites educit aduersùs hostes pertinaces? *Meus* (inquit) *est Galaad, meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei*, &c. *num.* 9. *Iuda Rex meus, Moab olla spei meæ*, &c. *n.* 10. Magna inter hosce homines concordiæ virtus est, ex vi cognationis proximæ. Nam Dauid Iudæ sanguis 1. *Paralip. cap.* 2. à Rutha Moabitica genus trahit, *c.* 4. *n.* 19. Galaadus Manassæ nepos est, ex *Num. cap.* 26. *num.* 29. Manasses, & Ephraimus germani fratres, *Gen.* 48. *n.* 5. Hac vna Dauid cognatáque septus acie, quid non ausit? *In Idumæam* (inquit) *extendam calceamentum meum*, &c. *n.* 11. Idumæum scilicet tundam hostem pede presso. Firma igitur militum consensio, iure propinquitatis victoriam peperit. *Nam concordia simul iuncta vinci non potest*, &c. quæ Cypriano mens est ad Martyres vnicordes, *lib.* 1. *epist.* 1.

Psal. 59. n. 9. 10.

Ad victoriam faciunt concordes milites.

1. Paralip. c. 2. c. 4 n. 19.

Num. c. 26. n. 29.

Gen. 48. n. 5.

2. Quid hæc non valeat ad rationem politicam? Scio è datis manibus spicas bene pulchras pullulare, quas Vespasianus suo in nummo cudendas mandauit, vt noris manus amicè

Firmant regnum concordes Principes.

datas, manus auxiliares esse ad vtramque fortunæ paginam. Quare vt res Hebræa pulchrè haberet, illud concessit legum lator; miscerent tribus matrimonia, modò paternæ hæreditates non traducerentur à tribu in tribum alienam; quod scitè euincit Maldonatus *ad Matth.* 1. *cap. num.* 16. Mitto reliqua; satis patet tribum Leuiticam non semel cum tribu Regia copulatam esse, ex 2. *Paralip. cap.* 22. *num.* 12. vbi Iosabetha, *Erat filia Regis Ioram, vxor Ioiadæ Pontificis*, &c. constat ex *Luc.* 1. *num.* 5. vbi Elisabetha, *De filiabus Aaron*, &c. erat cognata Virginis Sanctissimæ *n.* 36. quæ à Iuda suum trahebat genus; & notat Paulus *ad Hebr. c.* 7. *num.* 14. Disquiris fortasse, cur tribus Regia, & Leuitica mutuo vxores caperent? Lyra optimè. *Vt & Rex, qui præesset in temporalibus, & Pontifex, qui præesset in spiritualibus, essent magis concordes; quod ad bonum populi regimen faciebat*, &c. Consultò id curatum est; nam è dissensionibus multa oriri incommoda sentit Cæsar *lib.* 7. *de Gallic.* Non proficeret schola Christiana, si Apostoli rem non gererent assensu vnanimi. Quid igitur Magister Dominus? Delegit fratrum paria Matth. 4. n. 18. *Vidit duos fratres*, &c. Petrum scilicet, & Andream. Addit textus proximè n. 21. *Vidit alios duos fratres*, &c. Iacobum quidem, & Ioannem. Nec tardus in legẽdo Iuda, & Iacobo altero Magister est. Nam de iure sanguinis, *Iudas* (inquit) *seruus Christi, frater autem Iacobi*, &c. *n.* 1. Sciebat Dominus homines amore coniũctos iuuari maximè, ad rem bene gerendam; sed & vocatos voluit homines ab eadem vrbe, ab eadem opera. Quod textus notat. *Erant enim piscatores*, &c. Ac si veller, teste Chrysostomo ad Hom. 7. *Erant habitatione cines, dilectione concordes, officio pares, fraternitate coniuncti; ideo sic vocauit & istos; ne bonis rebus coniunctos, dissimilis vocatio separaret*, &c. Facilè soluerentur in partes, si amicè non conuenirent homines, ciuili, ac fraterno amore; perirétque inde res Christiana, bello intestino.

2. Reg. c. 2. n. 12.

Luc. c. 1. n. 5. 36.

Ad Hebr. c. 7. n. 14.

Princeps, ac Pontifex bene conueniant.

Matth. c. 4. n. 18. 21.

Assensus communi fidos proficit, ac religio.

3. Quod iustè dolet Quincius apud Liuium, vrbe in partes dissecta, decad. 1. lib. 3. *Discordia* (inquit) *ordinum, venenum est vrbis huius; Patrum, & plebis certamina, dum nec nobis imperij, nec vobis libertatis modus*, &c. Quo discordiæ veneno infectum orbem terrarum vniuersum occupabit facilè Antichristus. Grassabitur ille sæuo Marte, vrbes, & homines vrgebit malè, cum tristi fato Regum omnium. Matth. c. 24. num. 15. *& tunc erit consummatio*, &c. Sed opportunitatem captabit Tyrannus insolens, ex hominum dissensionibus, *num.* 7. vbi flagrabit *Gens in gentem, & regnum in regnum*, &c. Itaque distracti in partes populi Antichristo locum dabunt, ad terrarum cladem vltimam. *Nec enim* (opinor) *sanos adorietur, nec charitate septos, ac munitos*, &c. Scitè Nazianzenus *Orat.* 14. probat discordiam in castris pestem esse. Quid mundum, id est, κόσμον, verè ornamentum, suo tenet loco, ne soluatur? Discors rerum concordia. Iuuant sese mutuo terra, & aqua, cœlum, & ignis; nam si qua parte dissident, parte alia conueniunt musicè: id verò curauit Magnus Opifex. *Numerosè, & concinnè exornauit, vt totus mundus illi fieret harmonia*, &c. Sic Clemens Alex. *Orat.*

Perit Resp. dissensionibus.

Matth. c. 22. n. 15.

Clades terrarum vltima à discordia.

Musica Dei est concors rerum discordia.

Orat. 1. Concors omnino concentus est moderatione vocum dissimillimarum; nec minor in mundo concentus ex moderata rerum omnium ratione. Quid inde boni? dum partes ex æquo respondent sibi, & conueniunt amicè, constat mundus, & perstat κόσμος, ornatúsque pulcherrimus. Nazianzeno Auctore Orat. 12. *Dum* (inquit) *secum pacatus, & tranquillus est, séque naturæ suæ finibus continet, verè mundus est, & appellatur*, &c. Vbi aquam, ignémque, vbi terram, cœlúmque miscent pestes variæ, perit mundi species, nec mundus, nec κόσμος est. In pessum eant vrbes, vbi ciues malè dissident: vnde euocantur extra muros. Lego iudices in vrbis aditu collocatos esse, lege lata Deut. cap. 16. num. 18. *Iudices, & Magistros constitues in omnibus portis eius*, &c. de quibus Amos agit cap. 5. n. 10. Sed iam ab Abrahami æuo hæc iudicibus sedes erat, *ad Gen. 23. n. 10.* Quare iudex ad vrbis aditum de iure ageret, ac lites solueret, pulchrè inuenit Magnus Gregorius lib. 19. Moral. cap 13. *vt tanto esset pacificus vrbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non liceret*, &c. Certus omnino Deus pestem vrbis discordiam esse; vrbem quodammodo interdixit litigantibus, quousque tandem lite composita amicè conuenirent.

Censersio verum ornatus mundi est.

Deut. cap. 16. n. 18.

Amos cap 5. n. 10.

Gen. cap. 23. n. 10.

Miscent vrbem discordes ciues.

4. Vel Deus eam in rem documento esse potest. Stetit ille, stabítque æternum, quòd hypostases habet colligatas natura vnica, vnáque volendi, & intelligendi facultate. Sentit hæc Nazianzenus Theologus Orat. 36. *In Deo nullum est dissidium, ne solutio consequatur*, &c. Scite, vt Theologus; nam idem velle, ac sentire, ea demum vera, & firma est amicitia. Metus Nazianzeno erat, ne Deum malè solueret, si dissidentes omnino daret hypostases. *Dissidij enim filia solutio est*, &c. *Orat.* 12. ac proinde hypostases vna in natura concordes laudat.

Constat Deus assensu mutuo inter hypostases.

5. Audiant, & habeant malè, necesse est, qui inter homines quærunt dissidium: maximè qui sacram miscent scholam distractis in aduersum animis; quos vt premat Apostolus, afficit turpi nota. Queritur Magister Optim. 1. ad Corinth. cap. 1. num. 11. *Contentiones sunt inter vos*, &c. Malè (inquit) habetis, schola in partes dissecta. Ille enim cantat numer. 12. *Ego sum Pauli*, &c. iactat ille: *Ego autem Apollo*, &c. tandem ille ebuccinat, *Ego verò Cephæ*, &c. Blaterat vnusquisque se augustiori sub magistro fidem concepisse: causa diuidiæ absurda est. Deinde *ad cap. 3. num. 2.* Apostolus carpit iterum dissidentes homines turpi admodum nota. *Nónne homines estis?* &c. *num. 4.* Premit Apostolus homines affines dissensionum, quibus tam fœdam inurit notam, vt à Diis in homines doleat defeciisse. Augustinus optimè tractat. 1. in Ioan. *Quid eos volebat facere, quibus exprobrabat, quòd homines essent? Vultis nosse? audite: Ego dixi, Dij estis*, &c. *Psal.* 81. *num.* 1. *ad hoc enim vocat nos Deus, ne simus homines*, &c. Sic Augustinus: eóque spectat, vt scias homines concordia Deos fieri; sed discordia homunciones, ac de vulgo viles esse. Alienus à fratre frater erat, qui partiri bona paterna volebat sub Christo arbitro. *Magister* (inquit) *dic, vt diuidat mecum hæreditatem*, &c. *Luc.* 12.

1. ad Cor. c. 1. n. 11. 12.

1. ad Cor. c. 3. n. 2.

Humanum est, nedum profanum, dissidere inter fratres.

Ps. 81. n. 1.

Luc. cap. 12. n. 13.

n. 13. Sed quisnam mi Luca homo ille est? *Quidam* (inquit) *de turba*, &c. Non ex domo nobili, non ex senatu graui, non ex aula Regia. Homo erat de numero, homo de plebecula, homo sine titulo honorario, *Quidam scilicet de turba*, &c. In locum Petrus Dam. lib. 1. epist. 18. ad Alex. 2. *Notandum, quid Lucas præmisit. Quidam de turba*, &c. & id cur notandum est? addit Petrus, & monet. *Tu itaque, non vt Leuita, vel clericus, sed vt de turba vulgaris, & laicus roga Iesum*, &c. Ac si vellet, abito homuncio vilissime, vtpote qui diuisus à fratre pacem abnuas, & concordiam, amore pecuniæ.

Abiecta sortis homo est, qui dissidium alit.

6. Peiora à Deo ferunt discordes homines, quibuscum non patitur Dominus agere, ac cœnare hominem vitæ integrum. Deficiunt à Roboamo Rege homines queruli, regno in partes deciso, 3. Reg. 12. n. 20. *Nec secutus est quisquam domum Dauid*, &c. Sed & Ieroboamus à Roboamo alienus iubet, n. 28. *Nolite vltrà ascendere in Ierusalem*, &c. Discordes loco homines, animo, & fide video. Missus ad Ieroboamum Vates, minatur acerbè. *Altare, altare*, &c. *c. 13. n. 2.* Sed inuitatus à Rege, nec bolum capit, nec bucceam, Deo id vetante. *Non comedes panem*, &c. *n. 9.* An ne discordes homines Deus odit, cane peius, & angue? placet id Cypriano. *Tantum indignatus fuit Dominus aduersùs eos, qui schisma fecerant*, &c. *lib. 1. epist. 6.* Adeò irascitur, & tumet Deus in homines dissensionum fomites, vt commercium cum turpi grege interdixerit. Adeò pacis amans, & concordiæ, vt eo in loco se se ostendat facilè, quo pactum amicitiæ initum est. Ægyptum Iacobus petit, ex itinere. *Venit ad puteum iuramenti*, &c. *Gen. 46. n. 1.* Quisnam iste locus fuerit, habet textus *Gen. 20. n. 32.* Vbi de Abrahamo, & Abimelecho sermo est. *& inierunt fœdus pro puteo iuramenti*, &c. ad hoc loci Iacobus pergit; in hoc loci Deus se se Iacobo tutelarem præstat, n. 3. *Ego* (inquit) *sum fortissimus Deus patris tui*, &c. Cur in hoc potiùs loco Deus? Laudunensis in sententiam. *Meritò in pacis, & concordiæ loco videtur Deus, quia illic mandauit Deus benedictionem*, &c. Multa è concordiæ nexu bona fluunt. Hæc sibi homines parare cùm vellent, *vno animo contradixerunt*, &c. Nec miror, cùm sciam hosce homines metu exutos, & ab Assyrio longè positos, blateràsse liberè, libertatémque proclamasse, idque agitasse, vt rectè moneas,

Gen. cap. 46. n. 1. cap. 20. n. 32.

Eo loci Deus laudatur, vbi concordia mutua.

PARÆNET. XVII.

Negat obsequium, qui non timet: non timet, qui longè abest.

QVi fasces non timet, fræno caret: ac proinde non obsequitur. Legem non seruat, Regem non colit, nec suum facit officium, metu sublato. Censura hæc est de Tertulliani schola ad lib. de Pœnitent. cap. 1. *Vbi nullus est metus, emendatio proinde nulla*, &c. Cur præceps non ruat in scelera qui metum, vitæ magistrum à suo abigit animo? iugum exuat necesse est legum sanctissimarum, quas metus condit. Nec Dauid magistrum laudat alium, ad premendam improbitatem hominum. Psalm. 9. num. 21. *Constitue* (inquit) *legislatorem*

1.

Ps. 9. n. 21. *Morum Pædagogus, legum metus.*

legiſlatorem ſuper eos,&c. Hebraicè, *Pone timorem*, &c. Nam vox Hebræa מורה *Morah*, vtrumque ſonat, timorem ſcilicet, & legiſlatorem. Vnde elicias, timorem legum cuſtodem eſſe; hominem metu abſolutum,à magiſtro morum optimo longè abeſſe. *Non enim facilè arcetur cupiditas,quæ metu caret*, &c. docet Clemens Alex. *Orat.* 1. Quo aſpectu, minæ à Deo graues Adamum vrgent. *Morte morieris*,&c. *Gen.*2. *num.*27. Itane! tam citò metum incutit Deus Optimus, qui ſe Adamo Patrem oſtenderat, largitate præſtita rerum omnium?ſed legem Dominus impoſuerat.*Ne comedas*,&c. Et ſerpens iam ſerpebat ad perniciem hominis,*Gen.*3. *num.*1. Metu igitur magiſtro egebat homo,vt ſuum Domino præſtaret obſequium. Nam, Tertulliano teſte, *Quis illud appeteret, quod impunè contemneret? Quis illud cuſtodiret, quod ſine periculo amitteret?* &c. 2. *contra Marcion. cap.* 13. Inſinuat Tertullianus homines metu exutos, negare facilè Domino obſequium. Id ne Adamus Deo negaret, mortem intendit Magnus Dominus; & cùm hominem vrgeret, horto condito, *vt operaretur, & cuſtodiret illum*, &c. *Gen.*2. *n.*15. grande ſibi nomen adiecit à num. 4. *In die, qua fecit Dominus Deus*, &c. ad numerum vſque 22. *Ædificauit Dominus Deus*, &c. Lego 1. libri caput; nuſquam Dominus, ſed Deus eſt. Ab Adamo condito Deus iam Dominus appellatur. Chryſoſtomus in loco *Vt ſciat, quod ſit ſub Domino, cui obedire debet, ſi quid ille imperauit*, &c. *Hom.* 14 Sed à Tertulliano res eſt. quo Auctore Deus, *Vbi vniuerſa perfecit, ipsúmque vel maximè hominem, qui propriè Domi um intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur*, &c. *aduerſ. Hermogen. cap.* 3. Ita facto opus erat,vt ab Adamo Dominus obſequium extorqueret. *Quis enim boni auctor, niſi qui & exactor*, &c. Sic Tertullianus 2. *contra Marcionem ait.*

Gen. cap. 2. n.27.

Deum non colit, qui non timet.

Gen. cap. 2. n.15.n.4.

Modeſtè agit, qui in Deo agnoſcit Dominum.

2. Nec Chriſtus Dominus ſuam ſcholam metu abſoluit. Minatur grauiter, faſces iactat, ferrum acuit in homines,reos ſcelerum. Quales virgæ in ſeruum malè peruicacem?Luc.12. num.47.*Vapulabit multis*,&c. Quales minæ de igne vltore apud Matth. *cap.* 23. *à num.* 13. *ad* 29. vbi Væ,væ, væ, octoties iudex vibrat. Quale ferrum in homines vitæ improbæ, apud Ioan.Apoc.1.num.16.*Vbi gladius vtraque parte acutus*,&c.Multus in ſcholam vniuerſam terror eſt.Quo id conſilio,iam Auguſtinus explicat.*Deſtruxiſſet planè legem,ſi impunè peccare docuiſſet*,&c. *q.*22. *ad* 1. *p.* ex nouo Teſtam. Fecit igitur ſciens, ac prudens Chriſtus Dominus, cùm metum incuſſit, ne homines, metu ſublato, faciliùs ſoluerentur in ſcelera. Tanta enim in metu vis ineſt, ad morum diſciplinam exigendam, vt qui peccare impunè volunt, faſces, & ignes à ſacro textu eraſerint. Minas intentat Apoſtolus 2. ad Theſſalonicen. cap. 1. num.8. *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum*, &c. vbi de igne vltore ſcelerum locus eſt. Sed Marcion de textu ignem eraſit,quod Tertullianus aduertit *lib.* 5. *cap.*26. vbi Magiſter, *Lucet tamen lituræ vanitas*, &c. & inde ridet hæreticum. Nam ſi Chriſtus, vel hæretico teſte, Iudex eſt, vt vindictam ſumat de reo capitis, flamma id, & ferro agendum eſſe conſtat. Sed ignem ſacro in textu extinxit hæreticus, vt hoc ſolutus metu, peccaret licentiùs.

Luc. cap. 12. n.47.

Apoc. cap. 1. n.16.

Impunitas ſcelerum mater.

2. ad Theſſ. c.1. n.8.

Metum abigit improbus ad peccandi licentiam.

3. Nec ignem volunt, nec Dominum adeſſe inſignes vitiis homines. Lego Hebræum Solis, ac Lunæ ſacris addictum fuiſſe, cùm ſceptrum Manaſſes gereret, 4. Reg. cap. 23. num. 5. *Adolebant incenſum Soli, & Lunæ*, &c. Alij tamen Deum alium, alij alium coluere, vt opportunitatem captarent peccandi liberè, metu Domini ablegato. quod notat Cyril. Ieroſolymit.Catech.4. *Alij* (inquit) *Solem ponebant, vt nocte ſine Deo eſſent, alij verò Lunam ponebant, vt in die Deum non haberent*,&c. ſcilicet, vt patrarent ſcelera licentiùs; noctu,Solis cultores;die,Lunæ amantes. Nam facilè metum excutit, qui ſe à Domino procul abeſſe putat,ac proinde ſcelus admittit animo facili. Probat aſſertum Hebræus vitulo in Deum conflato.Nam cùm Moyſes adeſt,& leges condit pleno auditorio, nihil Hebræus non pollicetur bonæ mentis,Exod.29.num.8. *Cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus*,&c. Cùm Moyſes abeſt, & in Horebo moratur, Deum ſibi,& populo concilians, *Videns populus quòd moram faceret*,&c.*Exod.*32. *n.*1. vitulum cupit,vitulum petit, vitulum condit. *Et fecerunt vitulum in Horeb*,&c.*Pſ.*105 *n.*24.Itáne alumni deficiunt à Magiſtro morum longè poſito, verumque Deum abiurant? Rupertus optimè,vt Hebræum pungat, lib. 4. in Exod. c.24. *Quoties*(inquit)*ab eo ceſſauit pædagogi virga, ſtultus puer ad eadem, vel ſimilia ſe conuertit idololatriæ flagitia*,&c.Cenſet Rupertus hominem à Præfecto morum longè repoſitum, nec timere,nec parere. Sed Rupertum duxit Nyſſenus ſuas in partes,qui ad lib.de Moyſe, taxat Hebræum de vitulo,illúdque addit.*Quaſi pueri, cùm pædagogus non adeſt; ſic populus aduersùs Aaronem concitatus*, &c.

Exod. c. 29. n.8.c.32. n.1. Pſ.105. n.24.

Franat homines Dei oculus.

Alumnos continet Magiſtri aſpectus.

4. Et verò,qui à Magiſtro,vel Domino procul non eſt,& timet grauiter,& facilè obſequitur. Laudo ego Oraculum profanæ ſapientiæ, quod Philo exponit *ad lib. de Somniis.* Deos ſcilicet, humana ſpecie non ſemel è cœlo delapſos obiiſſe vrbes, & obſeruaſſe. Quid ex iure, quid aliter fieret; addit Philo. *Quòd etſi verum non ſit, tamen vulgatum fuit vtiliter*, &c. Cùm ſint homines, qui procul à Domino metum, & iugum excutiunt. Vrget metum præſens Dominus. Hallucinor ego, ſi Moyſes probat aliud, cùm Dominum obtrudit ſeries in aures gentis vniuerſæ, Leuitic. cap. 18. à num. 2. *Ego* (inquit) *Dominus Deus veſter*, &c. Sermo inibi eſt de turpi copula, quod ſcelus vt premeret, auctoritate grandi opus erat, vnde toties Dominus ſuum ſibi nomen capit. Ego Dominus, Ego Dominus; ſcilicet, vt ſciret Hebræus, ſe præſente, ac videnteDomino agere, ac proinde timeret. *Quaſi diceret*, (Philone Auctore,) *Ego Princeps, ac Dominus: nec ſubditis in Principum conſpectu, nec ſeruis, coram hero, tutum eſt iniquè agere*,&c. *ad lib.de Gigant.* Quis vel magno viro metus eſt in Regum oculis, ne Maieſtatem lædat Principum? non timet, vel in angulo, quò Rex poſſit adire. Quare Magiſter Dominus cùm alumnos mitteret

Verſatur cum hominibus Deus, vt cenſorem timeant.

Leuit. c. 18. n.2.

Abſtinent à nequâ homines, qui Deũ habent in oculis.

mitteret ad fidem explicandam, illud in monitis dedit: festinatò adirent, Luc. cap. 10. n. 1. *quò erat ipse venturus*, &c. Sed quò hæc spectat adhortatio? an ne discipuli, Christo absente, languerent in officio? vt proinde oporteret meminisse de Magistri itu? Id Caietanus rectè putat. *Scientes enim discipuli, quòd subsequeretur magister, cogebantur omni cura iniuncta exequi*, &c. Certè excuterent discipuli somnolentiam, cùm scirent, magistrum eo loci aditurum esse, quò priùs adirent discipuli. Nam cùm Magister adest, timent discipuli, & obtemperant; cùm Princeps adest, timent ciues, & obsequuntur; ac proinde Gentes variæ cùm ab Assyrio procul agerent, ὅπ ὐκ ἐφοβήθησαν αὐτὸν, seruitutem subire noluerunt, vnóque animo contradixerunt.

Luc. cap. 10. n. 1.

Languet discipulus, si magister abest.

Num. 12. Tunc indignatus est Nabuchodonosor, & iurauit per thronum, & regnum suum, quod defenderet se.

Commentarius.

31. DOlet grauiter Nabuchodonosor Legatos malè reiectos esse, & inde viam parat bello mouendo. Triplex ad litem color est, ius legationis, iusta defensio, iuramentum conceptum. Legatos, iure Gentium, sanctos esse constat; nam cùm Tydeus legationem abnueret, 1. Thebaid. *Iussa patris, tutique regressus legato iustæque preces vicere*, &c. Venetos, & Vnellos Cæsar malè mulctat, Senatu internecato ad lib. 3. *Quo in tempus reliquum, diligentiùs à barbaris ius Legatorum conseruaretur*, &c. Quanto in Ammonitam ardore Dauid inuehitur? *Ita vt dissecarentur*, &c. 1. *Paralip. c. 20. num. 3.* sed punitio in Ammonitam decreta est. Vbi Hannon Princeps, *Pueros Dauid decaluauit, & rasit*, &c. iure Gentium violato. Quæ & Persis occasio fuit Græcis premendis, cùm responderet Xerxes apud Herodot. lib. 7. *Illos interimendis Legatis ius omnium hominum confudisse*, &c. Eam & Nabuchodonosor occasionem arripuit, Legatis malè acceptis, vt bellum inferret, quod iam pridem animo conceperat.

Fœda in Legatos iniuria.

1. Paralip. c. 20. n. 3.

32. Et cùm Princeps iustè depellat iniuriam, id sibi nomen capit Assyrius, iuramento concepto, *quòd defenderet se*, &c. Molli verbo rem acerbam tegit, & titulo concinnato iniustam adornat vltionem. quod notant interpretes. Et vtrumque sonat vox Græca ἐκδικεῖν, & defensionem, & vltionem. Patet ex Psal. 93. num. 1. *Deus vltionum Dominus*, &c. Græco textu: Θεὸς ἐκδικήσεων κύριος, *Deus defensionum Dominus*, &c. Sed & Paulus hoc significatu monet Romanam scholam, *Non vosmetipsos defendentes*, &c, *ad Rom. cap. 12. num. 19.* Græcè ἐκδικοῦντες, id est, *vindicantes*: quod placet Cassiano *Collat. 16. cap. 27.* & verò Paulus quid Romanis interdixerit, in proximo docet ex Deut. 32. num. 35. *Mihi vindicta*, &c. Nam Tertulliano id est, *Mihi defensa*, &c. 2. *lib. contra Marcion. cap. 18.* quo iure Syracides cap. 48. num. 7. *In Horeb* (inquit) *iudicia defensionis*, &c. Græcè κρίματα ἐκδικήσεως, *Iudicia vltionis*. Cùm igitur ius omnino sit, vt vis illata defendatur, eo iustitiæ colore bellum parat Nabuchodonosor.

Honestius vindictæ color, ab honore tuendo.

Ps. 93. n. 1.

Ad Rom. c. 12. n. 19.

Facilè in iniuriam defecit iusta defensio.

Deut. c. 32. n. 35.

Eccl. cap. 48. n. 7.

Deinde addit iuramentum, quo mentem firmet. *& iurauit per thronum*, &c. Regum, id est, iuramentum sacratissimum, per sceptrum scilicet, ac per thronum; quod probat Serar. *q.* 12. De sceptro meminit Homerus *Iliad.* 1. vbi Achilles iurat, ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, *certè per hoc sceptrum.* Meminit & Aristoteles 3. *Politic. cap.* 14. vbi de Regum iuramento sermo est: ὅρκος τῆ σκήπτρου ἐπανάτασις, *Iusiurandum porro sceptri eleuatio.* De throno ad iurandum prensato agit Herodotus lib. 4. *Est mos Scythis plerumque iurandi per solium Regium*, &c. Trahit in hanc iurandi formulam Pineda oraculum illud Exod. 17. num. 16. *Manus solij Domini; & bellum Domini erit contra Amalec*, &c. Hebraicè ex Caietano, & Oleastrio. *Manus super solium Domini*, &c. Id enim iuramentum concepit Dominus tacta regni sella; sic Pineda *lib. 5. cap. 4.* de Salomone. Nec abest longè ab hoc Sacramento iuramentum Hebræo solemne, quod notat Christus Dominus apud Matth. 23. num. 20. *Qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei*, &c. Vnde via fortasse Assyrio fuerit, vt iuraret per thronum suum, *quòd defenderet se*, &c. scilicet, vt vindictæ sordes tegeret honestis nominibus.

33.

Exod. c. 17. n. 16.

Dij videri Reges volunt.

Matth. c. 23. n. 20.

34. Humanæ id gentis vitium est dare vitiis virtutum nomina, quod taxat Plutarchus grauiter, ad lib. de Adulat. *Cùm vitia virtutum nominibus laudantur, vt iam pecces, non modò non dolens, sed gaudens etiam; detrahitur peccatis pudor*, &c. Non potuit longè à Plutarcho abire Seneca Lucilium admonens epistol. 45. *Vitia nobis sub virtutum nominibus obrepunt*, &c. Mentitur liberalitatem prodigus, iratus iustitiam. Iterum Seneca epistol. 120. *Mala interdum honesti speciem offerunt*, &c. Grassatur Iehu in Achabi domum sæuus adeò, vt sacros in se ignes moueat, apud Hoseam cap. 1. num. 4. *Visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu*, &c. Sed honesta iustitiæ forma, suum, & fœdum Princeps occultat affectum. *Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino*, &c. *lib. Reg. 4. cap. 10. num. 16. Nulli enim irascenti ira sua videtur iniusta*, &c. Augustino teste *epist.* 148. Hac arte tegit Assyrius vindictæ flammam: iurátque tecto morbo, vt se ad bellum iustè mouendum, Sacramento adstrictum esse obtrudat: sed qui temerè deierat, & furore concepto, planè docet,

Vitia pulchris nominibus tegunt homines.

Hos. c. 1. n. 4.

4. Reg. c. 10. n. 16.

PARÆNET. XVIII.

Iurandi vsum verè abusum esse.

1. NEgat Christus Dominus iurandum omnino esse, apud Matth. 5. n. 33. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino*, &c. Oportet intelligas iuramentum Christiano vetitum, cùm non vrget necessitas, quidquid latrent hæretici: nam meam in partem veniunt Patres, & interpretes communi placito. Hieronymus *lib. 1. in Matth. 5.* Cyr. Alex. *lib. 9 in Ioan. c. 6.* Rupert. *lib. 5. in Matth.* Argumentum eruunt ex n. 37. vbi Magister Dominus, *Sit* (inquit) *sermo vester,*

Matth. c. 5. n. 33. 37.

est, *est* ; *non*, *non*, &c. si quid affirmandum, aut negandum est, fiat simpliciter, sine iureiurando. Addit proximè. Quod his abundantius est, ἐκ τοῦ πονηροῦ, *à malo est*. Nam iuramentum à vitiata radice est, siue à malo homine, qui malè fidens iuramentum ab alio extorquet ; & placet interpretatio Augustino *de Serm. Domini*, *c.* 17. Innocentio *ad c. & si Christus, Extrauag. de iureiurando*. siue à malo Dæmone est, qui impellit homines ad iurandum facilè, vt peierent temerè. Sic habent Theophylact. *in Matth. citat.* & Chrysost. *hom. 9. ad Popul.* Interpretes *ad Matth.* Vnde patet iurandi vsum verè abusum esse.

Iurare temerè à Diabolo est.

2. Post Adæ scelus, dictis fidem amisere miseri homines : probat id Abulensis ex *cap. & si Christus*, *q.* 8. *ad Exod. c.* 20. Quod malum ita ingrauescit, vt vel bonis viris non credant mali homines, sine iureiurando. Iurat Abramus apud Baram, se nihil de spoliis recepturum esse, firmátque iuramentum manu ad Deum leuata, Gen. 14. n. 22. *Leuo* (inquit) *manum meam*, &c. & quæ Abramo necessitas iurandi persanctè apud Regem ? *Ne putet eum ita simulare, quod probabile est sæpe contingere*, &c. Chrysostomi responsum est *Hom.* 35. *in Gen.* Fingunt mali homines parsimoniam rerum, quam præstant boni viri : quare Abramus, ne credatur simulare, quod verè præstat, suam iureiurando fidem munit. *Præstant enim viri boni iuramenta, vt persuadendi remedia*, &c. Basilio teste *ad Ps.* 14. Miror ego Abimelechum cautè adhuc egisse, & ab Abrahamo iuramentum extorsisse; nam dubius de Abrahæ amicitia, *Iura* (inquit) *per Deum, ne noceas mihi*, &c. *Gen.* 21. *n.* 28. Si Abrahamus pactum ineat simpliciter, cautum non est satis ? Abimelecho satis id non est, nisi Abrahamus pactum iurauerit. *Iura per Deum*, &c. Malus omnino Princeps, qui Abrahamum Sacramento adigit. *Quod enim iurauit Abrahamus, à malo eius fuit, qui dixit : Iura per Deum*, &c. Sic Rupertus *lib.* 5. *in Matth. cap.* 5. Sed cur Abrahamus, si bonus homo est, iuramentum non abnuit ? Rupertus iterum Abimelechum taxans. *Rex erat, & nisi rogatus ab eo iurasset Abrahamus, magis illi suspectus esse poterat*, &c. Fidem non habent mali homines bonis hominibus ; proindéque Abimelechus malè dubius de Abrahamo, iuramentum à viro bono exigit improbè.

Gen. cap. 14. c. 22

Vana hominum plerumque fides.

Iurat vir bonus vt sibi caueat.

3. Non iuraret Apostolus, si Romanis alumnis fidem faceret de suis ad aram, multísque precibus. Sed iurat sanctè, Deo in testem laudato. *Testis est mihi Deus*, &c. *ad Rom. cap.* 1. *num.* 9. & quid à Deo magister postulat ? *Si quo modo prosperum iter habeam veniendi ad vos*, &c. *num.* 10. Cùm sciret Apostolus Romanos fore dubios de tanta magistri charitate, ac de tanta cupiditate Romæ adeundæ : vnde motum capit iurandi religiosè, Oecumenio Auctore. *Meritò Deum in testem adducit, cùm persuadere vellet hominibus, quibus persuadere difficile est*, &c. Ad hasce angustias deierandi redigunt alumni magistrum, cùm boni viri dictis minus fidunt. Quid si vel Deum homines ad iurandum adigant ? Neget id Suar. *lib.* 1. *de Iuramento*, *cap.* 14. tum, quia iuramentum religionis actus est, quem Deus non edit ; tum quia est dicti firmatio, quam veritas summa non postulat. Si opponas locum ex Genes. 22. numer. 16. *Per memetipsum iurauí*, &c. ex Psalm. 109. num. 4. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, &c. ex Amos 6. num. 8. *Iurauit Dominus Deus in anima sua*, &c. Quibus locis Deus iurasse probatur. Occurrit Suarez, & docet iurasse Deum non genuinè, sed tropicè. Quod quidem responsum est à Chrysostomo *Homil.* 11. *ad Hebr.* ab Athanasio *ad tractat. de Cruce*, à Ruperto *ad Habac.* 3. Sed à Suario dissidet Salmeron *tom.* 5. *tract.* 40. Nam si ex sacro textu habemus Deum iurasse, quod patet liquidò, tradítque Apostolus iuramentum à Deo interpositum esse, *ad Hebr. cap.* 6. *num.* 13. Nec est quod euincat, Deum iurasse tropicè, cur genuinè iurasse negites ? Neque enim iuramentum in Deo actus religionis est, nec dicti firmatio, sed hominum solatium. *Quo subleuatur nostra infirmitas*, &c. sic Philo *ad lib. de Abele*. In hanc partem abit Abulensis *q.* 9. *ad Exod. cap*, 20. sed eligas quidquid velis, vel genuinè, vel tropicè Deum iurare, factum id scias ad fidem hominum excitandam, qui vel Deo, nisi iurato, non credunt facilè. Obseruat id Chrysostomus *Hom.* 51. *in Genes. cap.* 26. *num.* 3. vbi Deus Abrahamo iurat sanctè, *Iusto plenam fidem faciens*, &c. sic & Ambrosius de Caino, *cap.* 10. Cyril. Alexand. *lib.* 5. *aduersus Iulian.* Basilius *Hom.* 29. Tertullianus *de Pœnitent. cap.* 4. vbi de nostro Deo Magister ad Ezechiel. cap. 33. num. 11. *Viuo ego dicens, cupit sibi credi. O nos beatos ! quorum causa Deus iurat*, &c. Et locus est de scelerum venia, quam se daturum iurat Deus Optim. Videó iurasse Deum, sed iuramentum à Deo impetrat malus homo, quo mentem firmet.

Ad Rom. c. 1. n. 9. 10.

Superat fides gentis malæ, magna viri boni charitas.

Dei iuramentum hominis solatium.

Gen. cap. 21. n. 28.

Gen. cap. 26. n. 3.

Magna Dei pietas iuramento probatur.

Ezech. c. 33. n. 11.

4. Quid, si probo iuramentum à malo Dæmone esse ? Vrget ille homines ad iurandum, & inde ad peierandum, vt subiiciat diris modis. Quare vt peierandi viam claudat, negat Christus Dominus iurandum esse, cùm id nec poscit ratio, nec vrget necessitas. Sic locum explicant August. *epistol.* 89. Chrysostomus *Psalm.* 5. Basil. *Psalm.* 14. Ambros. *Psalm.* 118. *serm.* 14. Hieronym. *ad Zachar.* 3. Clemens Alexand. *Stromat. lib.* 7. Qui quidem Patres docent vetitum à Christo iurandi vsum, vt resecaret hominibus occasionem peierandi : addo ego, vt frangeret ansam puniendi. Nam Syracides, *Vir* (inquit) *multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga*, &c. *cap.* 23. *num.* 12. Dura profectò Nemesis imminet peierantibus. Minatur Zacharias *cap.* 5. *num.* 2. Sed quid minatur ? *Ego video volumen volans*, &c. sententiam scilicet capitalem vidisse visus est Vates ; nam Græco textu habes, δρέπανον πετόμενον, *falcem volantem*, &c. Cur ferrum volat ? ne vim effugiat reus sceleris, teste Chrysostomo, *Cùm adsint alæ, quæ salutis spes vlterius est ?* &c. *Homil.* 15. *ad Popul.* Sed quò volant fasces, & secures Iudicis Optimi ? *& veniam* (inquit) *in domum furis, & in domum iurantis mendaciter*, &c. *numer.* 4. ea hominibus malè iurantibus

Iurantibus temerè Deus irascitur, & ferrum impingit.

Eccles. c. 23. n. 12.

Zachar. c. 1. n. 2. 4.

Volat Nemesis aduersus deierantes.

iurantibus clades est, vt vitam breui absoluant. *Non sic occidit gladius, vt iuramenti plaga*, &c. Iterum Chrysostomus *citatus*. Pereunt malè, & citò pereunt, qui deierant frequenter, vt peierent. Hæc enim apud Malachiam est comminatio cap. 3. n. 5. *Ero testis velox adulteris, & periuris*, &c. Video quos nam iungat homines, vno pares voto, & fato. *Quia talium vita Dei iudicio communiter breuiatur*, &c. sic Lyra. Graui igitur vrgentur malo, qui malè iurant.

Malach. c. 3. n. 5.

Periclitatur vita qui iurat frequenter.

5. Sed non leue à malo Dæmone malum est, vt minus credatur hominibus, qui iurant frequentiùs. Huiusce mali metu absterret Athanasius homines iurandi faciles. *Quid* (inquit) *Deum iurant, quibus, ne in paruis quidem rebus fides habetur?* &c. *ad tract. de cruce*; suam enim fidem lædunt iurandi facilitate. Negat Petrus se Christo notum esse, & iuramento id concepto firmat, apud Matth. 26. num. 72. *Et iterum negauit cum iuramento*, &c. Non tamen fidem ab hominibus impetrauit: nam paucis pòst verbis, accurrunt satellites, Petrum vrgent, & Christi amicum esse probant, num 73. *Verè & tu ex illis es*, &c. Quid Petro iurasse profuerit, inde patet, quòd nullam iuramento fidem fecit, sed iusta hæc iurandi pœna est, teste Basilio. *Turpe enim est, sese vt fide indignum accusare, & ad iuramentum confugere*, &c. *Psalm.* 14. Mentiar verè, nisi Hoseas Hebræo iusiurandum interdicit. *Neque iurauerit is, viuit Dominus*, &c. *cap. 4. num. 15.* Sed quid hoc monstri est? nónne Moyses Hebræo iurare permittit? Deut. 6. num. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen illius iurabis*, &c. Id planè est. cùm tamen Hebræus fidem perdidisset assiduitate iurandi, quod patet ex increpatione creberrima, *ad Ps. 101. num. 9. ad Eccles. 33 num. 9. ad Isa. c. 48. num. 1. ad Ierem. cap. 5. num. 2. ad Zachar. 5. num. 3.* Negat Hoseas iurandum esse omnino: *Neque iurauerit is*, &c. vetatque iuramentum, vt inutile, quod Hebræus iurando assiduè fidem iam non faceret. Inde fit, vt bonus quisque, vel non iuret, vel cunctetur iurare.

Malach. c. 3. n. 5. Ps. 101. n. 9. Eccl. cap. 33. n. 9. Isa. cap. 47. n. 1. Ierem. cap. 5. n. 2. Zach. cap. 5. n. 3. Deut. cap. 6. n. 13. Hos. cap. 4. n. 15.

6. Peto, cur Flamen Dialis non vrgeretur à Romanis ad iurandum? an quia iuramentum viro libero tormenti genus est? Plutarcho id placet, *Probl. 43.* Id tormenti subiisse videtur Isaacus, vbi à Rege Abimelecho adigitur ad iurandum. Gen. cap. 26. num. 28. *sit iuramentum inter nos*, &c. Lego enim Isaacum cœna, & lecto Regem excepisse, noctemque solidam transegisse, nec iurasse, nec de iuramento agitasse, nisi manè summo. Res de textu est, n. 30. *surgentes manè iurauerunt sibi mutuo*, &c. Cur non à proxima vespera? cur non à cœna proxima, iuramentum edit Isaacus? Inuitus (credo) ad iurandum trahitur; ac proinde cunctatur, suo obsequens animo. Putat Abulensis *quæst. 4.* post cibos decoctos, à prima luce iurasse Isaacum, & pactum amicitiæ fecisse. *Vt iurarent ex maturo consilio, & non ex impetu hilaritatis*, &c. Bene Abulensis habet. Iuratur enim plerumque inter patinas, quod præstare non licet. Malum vt bene caueret Isaacus, noctem precibus egit integram. Nec minori cura Dauid iurasse probatur, vt sacramentum persanctè fieret. Psalm. 118. num. 106. *Iurauí, & statui*,

Iuramentum viro ingenuo tormentum.

Gen. cap. 26. n. 38. 30.

Tardus ad iurandum iustus.

Ps. 118. n. 106.

&c. De lege seruanda iuramentum est; vide, quid præmittat, num. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, &c. additum egregiè id est, Auctore Ambrosio. *Lux tibi præeat si iurare disponis*, &c. *sermon. 14.* Temperandum enim lege sacra iuramentum est.

Considerate iurandum.

Iam verò, quis non dicat à malo Dæmoniaco esse, vt homo iuramento se obligatum probet ad iniuriam irrogandam? Mordet hosce homines Salnianus ad lib. 5. de Prouid. *Ad hoc* (inquit) *res cecidit, vt cùm per Christi nomen iurauerint, putent se etiam scelera religiosè facturos*, &c. Pulchrum sanè caput hominis, qui dolo iurat, vt se dicat iureiurando adstrictum esse ad malè agendum. Hic ille erat, qui Saluiano piè legato miselli hominis proteruè negat se rem alienam posse reddere, vtpote quam sibi retinendam iurauerat. Meræ omnino intemperiæ. Saluianus iterum. *Armant se ad latrocinandum per Christi nomen, & auctorem quodammodo sui sceleris Deum faciunt*, &c scitè Saluianus, ac theologicè; nam qui Deo iurato, scelus admittit, Deum pro scelere fautorem laudat. Eo se iuramento adstrictum Herodes voluit, cùm scenam adornaret Ioannis decollandi, *Matth. 14.* quod censent magni Patres, Hilar. Hieronym. Chrysost. & alij: quòd si Herodes visus est doluisse. *Propter iuramentum*, &c *num. 9.* simulatè vulpes doluit. Nam dolo in Ioannem consuto, iurat Herodes, vt iuramento staret improbè: ac tandem, *sub pietatis occasione impius fuit, dum iuramento scelus excusat*, &c. Laudunensi Auctore. Vnde patet iurandi vsum verè abusum esse. Iurant malè mali homines; iurat & Nabuchodonosor *per thronum, & regnum suum, quòd defenderet se*, &c. Quia tamen iurat malè aduersùs homines, iratum sentit numen Holoferne interempto, etsi iuramento dolum tegat, & iure defensionis; vt scias

Absurda iurandi ratio est sceleris occasio.

Matth. c. 14. n. 9.

Nulla iuramento vis ad peccandum.

7.

PARÆNET. XIX.

Homines tegere vitia honestis nominibus.

TRuncat virtutes mucrone virtutum virtus personata, apud Chrysologum *serm. 7.* cùm enim pacem mentitur, tunc vel maximè pacem damnat; cùm iustitiam laudat, tunc vel maximè lædit iustitiam; cùm amicitiam venditat, tunc vel maximè trudit amicitiam. Hoc illud est malum hominis, de quo Dauid Ps. 49. num. 19. *Lingua* (inquit) *tua concinnabat dolos*, &c. Nam dolos ita nectebat malus homo, vt aliud clausum animo, aliud promptum in lingua haberet: tectè ageret, quod se velle negabat: vafrè abigeret, quod se nolle negabat: boni fuco mali faciem concinnaret & occultaret. *Colorabat falsa*, &c. Lyra teste. Et verò apud hosce homines (quod Bernardus notat) *non est virtutes colere, sed vitia colorare, quasi quodam virtutum minio*, &c. *serm. 66. in Cant.* quæ Assyrio virtus est; nam orbe summam ad iniuriam destinato, iniuriam tegit honesto iure defensionis. *Iurauit, quòd defenderet se*, &c. hominem vultu præfert, animo Diabolum agit virtute personata, quam à Magistro malo hausit.

1.

Ps. 49. n. 19.

Boni faciem malus sumit, vt malè agat.

Quis enim ille est, qui tritico iniecit infelix lolium, vt sementem perderet Patris Opti-

2.

Matth.c.13. n.39.28. mi? apud Matth.13. num.39. *Inimicus*, Magistro Domino, *est Diabolus*, &c. & qua nam est facie? *Inimicus homo hoc fecit*, &c. num.28. Cur humanam faciem Dæmon induerit, scitè inuenit Salmeron tom.7. tract.6. *Dum tentat, in affectus humanos se transformat, vt melius possit decipere*, &c. Bene Salmeron insinuat, venenum auro bibi facilè, & malum regi bono colore. Ab hac schola prodiere Iudices, qui è iure iniuriam fecere: & qui apud Danielem cap.23 num.5. *videbantur regere populum*, &c. Quid hoc dicti est? Rem summam non agunt senes, sed videntur agere, alij facie, mente alij? Iudices apparatu, non affectu iustitiæ? Prætores fuco, non facto nobiles? Id planè est, teste Laudunensi. *Non regebant, sed videbantur regere, quia malè præerant*, &c. ij profectò erant senes, in iure dicundo, vt vindictæ morsus tegerent fuco iustitiæ, verè histriones administrationis politicæ.

Dolo potius, quàm vi vrget Diabolus.

Dan. cap.23. n.5.

Iustitiam affectu perimunt iurpes iudices.

3. Quis facultatum amans, amorem non tegit improbum fuco prouidentiæ? Legè capit Hebræus Princeps de Amaleco perdendo, *Interfice à viro vsque ad mulierem, bouem, & ouem*, &c. 1. *Reg.* 15. *num.* 3. Sed legem malè soluit: nam hoste victo, & capta præda, quidquid pulchrũ est, cogit, & retinet Hebræus Princeps. Deinde erratum purgat apud Samuelem, & sacro prætexit nomine culpam. *Pepercit populus melioribus*, &c. *num.* 15. & qua de causa? *vt immolarentur Deo tuo*, &c. Personata virtus est, quæ sordidam obtegit auaritiam honesto velo prouidentiæ publicæ: quod Abulensis aduertit q. 24. *Colorat factum dupliciter*, &c. nam vel culpam non agnoscit in grege seruato; vel si culpa est, in populum reiicit. Malus omnino histrio, qui rem cupit, & capit, id enim de textu est num.9. *Pepercit Saul, & populus Agag & optimis gregibus*, &c. sed colorem inducit prouidentiæ. Hac arte Assyrius tumet, dolerque Legatos à populis malè acceptos esse, qui libertatem hominum tentarent iniquè; sed iram tegit honesto iure defensionis. *Quòd defenderet se*, &c. Verè Diabolus Zeli, ad templi fores. *Vbi statutum idolum Zeli*, &c. apud *Ezech. cap.8. num.3.* illud significans, Principes, ac iudices aliquando furorem effundere sub colore iustitiæ, priuatásque iniurias persequi sub Zeli idolo.

1. Reg. c.15. 3.

Sordes auaritiæ tegit Princeps fuco prouidentiæ.

Ezech.cap.8. n 3.

Zelus aliquando est Diabolus.

4. Quo se fuco occultat Iezabela, vt Nabuthem perdat? Honorem viro prospicit, & ieiunium populo imperat 3. Reg. 21. num. 9. *Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi*, &c. Quantus in Nabuthen honor? Quanta in Deum pietas? sed quantus iustitiæ fucus est? Nam Regina monet Iudices, *num.* 10. vt testes faciant; *Falsum* (inquit) *testimonium dicant*, &c. ac tandem iubet, vt Nabuthen falso premant scelere. *Lapiditate, & sic moriatur*, &c. Multus iustitiæ apparatus est, honore interposito viri maximi: cur ita? si falsò accusandus, & iniustè occidendus est? Bene Lyra. *Vt non videretur quærere eius mortem, sed honorem*, &c. Timet Princeps ne malè audiat, si dolorem suum manu punire videatur; vindictam honestat colore iustitiæ, & fuco pietatis. Occultat se Amasias, & amore simulato vtilitatis publicæ, furorem explet suum. Dicit Amos cap.7. num.9. *Demolientur excelsa Idoli*, &c. quo loco, Amasiam quatit Amos administrum idololatriæ. Deinde addit Vates, *& consurgam super domum Ieroboam*, &c. quo textu Regem mordet affinem sceleris. Auditor est Amasias, tumet, ardet, furit, missóque internuntio, Regem monet, *Rebellauit contra te Amos*, &c. *num.*10. Nihil de suo malo Pontifex meminit, sciens admodum; meminit tamen de læsa maiestate, & suam animo coquit ægritudinem; quod expendit Hieronymus. *Ille* (inquit) *de sua non mandat iniuria, vt de Regis tantùm contumelia dolere videatur*, &c. Histrionem iustitiæ Amasiam rectè dixeris, qui suam, & priuatam iniuriam vlcisci voluit; sed dolore simulato fortunæ Regiæ, ne quam notam incurreret mentis affectæ.

Amos cap.7. n.9.10.

Vindicta, dolore tecto, grauior, ac certior.

5. Rectiùs Pontifex ageret, si iram premerer, ne sacros in se fasces commoueret, quos Assyrius commouisse visus est. Vnde voces à Deo tristes vrgent. *Væ Assur, virga furoris mei*, &c. *Isai* 10. *n.* 5. sermo est de Assyrio, qui Deo duce, Hebræum malè mulctauerat, quasi Dei Mastigophorus; sed cur Deus suum in Mastigophorum acerbè inuehitur, vt cùm Regem dicat ferulam iustitiæ, ferulam frangat quodammodo? *Væ Assur.* Pulchrè aduertit Hieronymus queri Deum morum Magistrum, de Mastigophoro immodesto; cùm Hebræum pulsaret iusto grauiùs, *Ipse* (inquit) *modum iracundiæ meæ egressus est*, &c. itaque ex sæuiendi immodestia, Dei fasces in se mouet Assyrius, quippe qui, suo obsequens animo, Hebræum malè affecerat, more id Dæmonis, addit Rupertus. *Nec enim ita seruit, vt Deo conferre velit*, &c. *lib.2. in Isai. cap.* 5. Vel in Helia taxat Deus affectum iustitiæ nimium. Erat Helias iustitiæ custos rigidus, & seuerus morum censor. Famem imprecatus hominibus *ad* 3. *Reg.* 17. *num.* 1. Sacerdotes internecat administros scelerum, *cap.* 18. *n.*40. Re bene gesta, Heliam Deus rapit curru igneo, *ad* 4. *Reg.* 2. *num.*11. Cur hominem vitæ integrum ab hominibus longè abstrahit? Scitè Chrysostomus, *Videns* (inquit) *pertinacem Heliæ animum, adhuc à misericordia abhorrentem, & à peccatoribus ipsum segregat*, &c. *serm.*1. *de Helia.* Vides notatum Heliæ affectum de iustitia nimia? sed constat summam iustitiam, aliquando summam iniuriam esse. Licentior quidem Nabuchodonosor aduersùs homines; qui non modò excedit modum, sed furorem exerit suum, sub iure simulato defensionis, *& iurauit, quòd defenderet se*, &c.

Isa.c.10.n.5.

Irritat Deum Iudex iusto seuerior.

3. Reg. c.17. n. 1. cap.18. n 40.

Ne quid nimis.

CAPVT II.

Num. 1. Anno igitur tertiodecimo Nabuchodonosor Regis, vigesima secunda die mensis primi.

Commentarius.

1. SVGNA est de anno, inter Græcum, Latinumque textum; sed mitto erratum commune. De mense agendum. Quis nam primus fuerit, dubium est, cùm boni viri duplex anni initium esse

esse velint: sacrum scilicet à Martio, quod ad rem sacram spectabat; & profanum à Septembri, quod ad rem ciuilem pertinet; stat ab hac parte Riber. *ad Hagg. cap.* 2. Pineda *lib.* 5. *c.* 5. *de Salom.* Pradus *ad Ezech. c.* 1. Perer. *in Exod. cap.* 12. *disp.* 1. Addo Lyram, & Lippom. *ad Exod. cit.* Abulens. *quæst.* 2. & 3. sed à Iosepho id excepere. quo Auctore, *Moyses Nisan mensem, qui est Xanticus, primum in festiuitatibus definuit. In venditionibus, & emptionibus, prioris sæculi decreta seruauit*, &c. *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 5. Id verò est, Septembrem rebus profanis assignauit, vt anni initium, quod patet ex *Leuit.* 25. *num.* 9.

Leuit. c. 25. n. 9.

2. Occurrunt alij, & Septembrem simpliciter anni initium esse volunt: quod probat commune placitum Magnæ Asiæ, & notat Hieronymus *ad Ezech. cap.* 1. In hanc partem conueniunt viri non pauci, nec mali, qui mundum Septembri conditum esse probant apud Salian. *tom.* 1. *in apparatu ad Annales cap.* 4. *num.* 5. Ab eo enim mense annus, vnde mundus, traheret initium, oportebat. Addo Oleastrium id sensisse multis locis, *Gen. cap.* 7. *Exod. cap.* 12. Quibus, & opponas Martium Dei iussu anni exordium esse, cùm id Deus in mandatis dederit, Exod. 12. num. 1. *Mensis iste, vobis principium mensium*, &c. Respondent, Martium sacris operandis primarium mensem esse, cùm ab exitu seruitutis Ægyptiæ auspicato fluxerat bene factum primarium, non quòd inde fuerit simpliciter anni initium.

Exod. c. 12. n. 1.

3. Sed constat Septembrem sacro textu septimum simpliciter mensem esse. Nam Moyses ita menses numerat, Leuit. 23. num. 24. *Mense* (inquit) *septimo*, &c. Num. 29. num. 1. *Mensis etiam septimi prima dies*, &c. qui quidem mensis communi placito September est, & anni exitus, quod Moyses docet *Exod.* 23. *n.* 16. cùm scenopegiam monet Septembri celebrandam esse. *In exitu anni*, &c. Id si recipis, vires argumento colligo: September sacro textu mensis est septimus? nemo igitur neget primum anni mensem, ducto calculo, Martium esse. Volunt quod volo, Hieronym. *ad Ezech. cap.* 29. Maldonat. *inibi.* Addo mũdum Martio procreatum fuisse. Pugnat in hanc partem valenter Salianus *in apparatu citato num.* 6. vbi Auctores huiusce partis edit, plusquam vicenos. deinde in scholiis addit August. *lib.* 12. *Confession. cap.* 20. & 30. D. Thom. 1. *p. q.* 46. *art.* 3. Appono ego & Caiet. *Exod.* 12. & Suar. *de opere sex dierum, lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 17. Quare ius erat, vt à mense annus inciperet, vnde mundus sumpsit initium. Deinde mandatum illud Exod. 12. n. 1. *Mensis iste vobis erit principium mensium*, &c. quo Martius anni initium constituitur, mensem rebus sacris primarium destinat, qui anno ciuili erat primarius ab orbe condito. Constat igitur mensem præsenti loco primum simpliciter Martium esse.

Leuit. c. 23. n. 24.
Num. c. 29. n. 1.
Exod. c. 23. n. 16.

4. Facit ad rem, quod sacra historia mensium numerum init à Martio, vt ab anni exorsu. Constat ex *lib. Hesther cap.* 3. *num.* 12. vbi textus habet. *In mense primo Nisan*, &c. qui quidem mensis est nouarum frugum: vnde Moyses Deut. 16. num. 1. *Obserua* (inquit) *mensem nouarum frugum, & veni primum temporis, vt facias Phase*, &c. Addit mandato vim ex bene facto, *Quoniam in isto mense eduxit te Dominus*, &c. Quare à Nisan menses reliqui. *Zio, ipse est mensis secundus*, &c. Reg. 3. cap. 6. num. 1. *Siuan*, de quo Baruch 1. n. 8. *Erat enim tempus mensis tertij, qui appellabatur Siuan*, &c. *Hesther* 8. *num.* 9. *Elul*, qui & sextus vocatur, ad Esdram lib. 2. cap. 6. num. 15. *Ethanim, ipse est mensis septimus*, 3. Reg. 8. n. 2. *Bul, ipse est enim mensis octauus*, &c. 3. *Reg. 6. num.* 38. Sed & Zacharias quid non audit? *In quarta mensis noni, qui est Casleu*, &c. *cap.* 7. *num.* 1. de quo legas *Machab.* 1. *cap.* 4. *n.* 52. succedit & Tebeth, de quo Hesther c. 2. num. 16. *Mense* (inquit) *decimo, qui vocatur Tebeth*, &c. A Thebeto proximè Sabath. Zachariam enim vrget Dominus. *In die vigesima, & quarta mensis vndecimi Sabath*, &c. *cap.* 1. *num.* 7. Cogit calculos Adar, malis Iudaicis insignis: apud Hesther c. 13. num. 6. *Quarta decima die mensis duodecimi Adar*, &c. Neque enim est (vt obiter soluam scrupulum) cur Zio, & Bul Hebræo iam pridem noti menses, ad Esdram vsque non perdurauerint, etsi Chaldæo aliter appellentur. Quid ex calculis mensium initis colligendum? Illud omnino, Nisan à bono libertatis Iudaicæ primarium mensem esse, æstimatione publica, & communi agni cœna: siue mutaretur anni initium, siue commendaretur vetus exordium, nouo ritu. Scio quid Augusto Itali detulerint, cùm ad homines primò diuertisset. *Quædam enim ciuitates, diem, quo primum ad eos venisset, anni initium fecere*, &c. Ita Sueton. *c.* 59. quasi id beneficij vellent animo tenere. Quid si & Magnus Deus id exegerit ab Hebræo, cùm mensem vindicem libertatis Iudaicæ felix, faustumque anni initium esse voluit? scilicet vt Hebræus moneret sanctè,

3. Reg. cap. 6. n. 1.
Hesther c. 8. n. 9.
Esdr. lib. 2. cap. 6. n. 15.
3. Reg. cap. 8. n. 2. c. 6. n. 8.
Zach. cap. 7. n. 1.
1. Machab. c. 4. n. 52.
Hesther c. 2. n. 16.
Zach. c. 1. n. 7.
Hesther cap. 13. n. 6.

A magna fortuna anni initium.

Parænet. I.

Oportet beneficiarium memorem esse.

1. HEbræum Dei beneficiarium esse attestatur exitus ab Ægypto ad agros Cananæos: felix omnino auspicium, & bono libertatis Iudaicæ, & ostẽtatione maiestatis sacrosanctæ. Quod si Hebræus animo retineret, gratè faceret, & bene solueret. *Qui enim gratè beneficium accipit* (teste Seneca) *primam eius pensionem soluit*, &c. *ad 2. de Benefic. cap.* 23. sed obliuiosus omnino Hebræus est, vel cùm magna sibi parat bona: vnde vox illa est locis plurimis, *Memento, quòd & ipse seruieris*, &c *Deut.* 10. *n.* 15. vbi seruitutem Hebræo Deus obtrudit ne abiiciat animo vindicem libertatis. Apud Isaiam 44. n. 21. *Memento horum Iacob*, &c. Et apponit quid oportet meminisse. *Firmauit* (inquit) *te*, &c. scilicet, qua manu hominem condiderit. Mitto cætera; pergo ad Malachiæ c. 4. n. 4. *Mementote legis Moysi*, &c. Ad Horebum Dominus digitum intendit, vt quas Hebræus inibi leges acceperat, sanctè meminisset. Miror, cur toties in aures tonat verbum illud *memento*, sed non miratur Procopius ad Isaiam cit. *Optimè enim in obliuiosum Israelem vsurpauit illud verbum*, memento, &c. sciebat Deus Hebræum suopte genio obliuiosum esse cuiusque benefacti: inde voces iteratæ de beneficij memoria, *memento, mementote. Nam, qui meminit, sine impendio gratus est* (teste Seneca) *ingra-*

Deut. c. 10. n. 15.
Isa. cap. 44. n. 21.
Malach. c. 4. n. 4.

Ingratus non meminit benefacti.

ingratissimus omnium qui oblitus est,&c. *lib.3. de Benefic.cap.1.*

2. Ab hoc morbo non aberant gulones, qui post epulum,die intermisso,aliud volunt epulum.Apud Ioan. cap.6.num.11. *Distribuit discumbentibus*,&c.Christus scilicet.Vbi nihil desideratum est ad famem sedandam; sed die proximo, cùm Magister apud eosdem homines ageret de fide, ac religione *Hoc est opus Dei,vt credatis*,&c. *num.29.* nihil non mouent gulones, vt cœnam sibi genialem parent. Sic enim homines, *Quod tu signum facis,vt videamus, & credamus? quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna*,&c. *num* 30. Tectè, sed vafrè Christum monent, vt panem apponat Angelicum, ac si Magister nihil huiusce notæ fecisset pridie. Mali omnino, malignique ganeones! modò panes capiunt, & modò panes captant: mensam demirantur pridiè. *Cùm vidissent,quòd Iesus fecerat signum*,&c. *num.14.* & die interposito, mensam gulones poscunt iterum, *Quid operaris?* &c. acsi nihil accepissent. *O obliuiosi, & ingrati!* clamat Euthymius. Ea ingratis animis obrepit obliuio bene facti, vt dies vna, omnem de cœna peracta memoriam aboleat.In aqua scilicet beneficia scribunt homines;fluit aqua,deletur syngrapha. Quare vt Hebræo Deus renouaret memoriam bene facti, primum anni mensem addixit agno mactando, & sacris operandis, *ad Exod. cap.* 12. quod inibi volunt interpretes assensu communi. Abulens. *quæst.* 2.Theodoret.*q.*24. Nec Chrysostomo vox, nec mens alia ad Hom. de Iuda. *Quia contumaces erant, festiuitatis celebratione, beneficiorum memoriam roborauit.*

Ioan. cap 6. n. 11. 29. 30. 14.

Ingratissimus hominũ obliuiscitur.

Exod. c. 12. n. 2.

Dies festus ad beneficia Dei recolẽda.

3. Quid Hebræo tam notum, quàm panes è cœlo missos esse ad famem subleuandam?Cœna erat confecto labore Angelico lauta, & læta : adhuc tamen Deus timet obliuionem tantæ largitatis.Vrnam eo pane impleri curat, & asseruari in arca iubet, *Exod. 16. num.* 33. De arca Paulus, *In qua vrna aurea habens Manna*, &c. *ad Hebr. 9. num.* 4. Factúmque id est eo consilio, ne Hebræus auerruncaret ab animo beneficium. *Mira est* (teste Oleastrio) *hominum ingratitudo,vt opus Deo sit,testes suorum beneficiorum adhibere*, &c. scitè Oleastrius, cùm malus, & ingratus homo benefactum vel neget,vel obliuiscatur facilè,ne gratus bene merentibus esse cogatur.Multis locis,ac rebus inesse Deus voluit monumenta suæ aduersùs Hebræam gentem beneficentiæ; in mense, in arca,in vrna,in saxo,quo Deuteronomium inscribi iussit,Deut.27.num.2. *Eriges ingentes lapides, & calce lenigabis, vt possis in eis scribere omnia verba legis huius*,&c. sic ad Moysen Dominus. Quæ tamen expleuit Iosue *cap.8.n.*32. Cur tanta Deo cura est de suis in homines benefactis commemorandis, vt tot locis, & tot rebus monumenta, quasi trophæa erigat suæ beneficentiæ?Abulens.ad rem q. 7. in Iosue *Hoc ad collati beneficij memoriam pertinet, ideo posuit signa diuersa*, &c. Tanta hominum animos inuadit obliuio de bonis in se collatis.

Exod. c. 16. n. 33.

Ad Hebr. c.9.n.4.

Negat si qua potest, ingratus beneficiũ.

Deut.cap.27. n.2.

Iosue cap. 8. n.32.

Vrget Deus ad perpetuam beneficiorum memoriam.

4. Hæc vna est viris bonis occasio ad excitanda monumenta, quibus memoriam refricent Dei bene merentis. Audit Abramus Deum largè pollicentem,Gen.12.n.7.*Semini tuo dabo terram hanc*;&c. Abramus Deo addictus,*Ædificauit ibi altare Domino*,&c.Pergit inde homo qua via ducit ad montem,*n.*8.nec suam de ara extruenda curam abiicit *Ædificauit ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius*, &c. Gratum Deo animum ostendit homo bonus affectus plurimis : quod Rupertus notat lib. 5. cap. 6. *Non ingratus tantæ gratiæ beneficiis iuris sui possessionem iam futuram sacris Dei sui præoccupat, atque dedicat titulis*, &c. Facit Abramus,quod amicus solet, cùm vrbem extruit titulo amicitiæ bene testatæ. vide Chrysost. *in Gen. Hom.* 32. A Patre didicit Isaacus monumentum erigere,quo sacrum se Deo,gratumque probaret. Indulget Isaaco fortuna in Geraris, *& locupletatus est homo*,&c.*Gen.26.n.*13.Regressus è loco diues Deum audit promissis diuitẽ,n.24. *Noli timere, quia ego tecum sum*, &c. quare lactatus promissis homo num.25.*Ædificauit ibi altare Domino*, &c. puteumque defossum aquæ bene delicatæ, *appellauit abundantiam*,&c. *num.*33. Quantus agendis gratiis Isaacus est? *vide iusti gratitudinem*, &c. sic Chrysostomus *Hom.* 51. sed illud his locis noto, parari à viris bonis monumenta,quibus monerentur de bonis acceptis;ac si timerent, ne obliuio facilè obrepereret diuinæ beneficientiæ.

Gratus homo, qua à Deo accipit Deo reddit.

Gen. cap.26. n.13.24.

Vitulos alìè iustus excitat, ne obliuiscatur beneficij.

5. Nosti cur Heua mater primogenitum sibi Caïnum appellauerit,possessionem scilicet, à verbo קנה *Kanah* quod est, possidere. Nam cùm tantum boni sibi collatum fatereretur ingenuè, *dicens,Possedi hominem per Deum*, &c. *Gen.4.n.*5.Id Caino suo nomen imposit,quod foret ad memoriam tantæ gratiæ : nec Anna minori studio suum appellauit Samuelem 1. Reg.1.num.20.*Concepit Anna,& peperit filium, vocauitque eum Samuelem*, &c. Qui quidem à verbo שאל *Saal* postulare, & à nomine אל *El*, id est,Deus,postulatum à Deo infantem sonat. Sed quid sibi matres volunt, cùm pueros à Deo dante cognominatos esse volunt? an ne, vt pueri nominibus admoniti suam Deo vitam gratulèntur ? Placet id Chrysostomo Hom.21.in Gen. *Vides, quomodo statim in principio erudiebant pueros, admonentes appellationibus, vt virtutem exercerent*, &c. Puto ego tribuendum id esse parentum gratis animis, vt quoties filium appellarent, beneficium ex nomenclatura, tanquam ex tessera memoriali, recognescerent, grateque Deo soluerent.

Gen.c.4.n.5.

1.Reg. cap.1. n.20.

Nominibus infantes admonet bona mater.

6. Iusta omnino est Dei benemerentis recordatio,quæ ab anni exorsu,ad exitum vsque debetur,

Felix officio totus vt annus eat.

Vnde illud est Deiscitum de agno mactando, & Phase celebrando, cùm primum annus appeteret.*Mense primo Phase Domini est*,&c. *Leuit.cap.*23.*num.*5. vt Hebræus Deo gratificans annum bearet. Quo item iure scio Neomeniam celebratam esse, cuiusque scilicet mensis initium. Nam Græcè νέος μὴν,*nouus mensis* est, de quo Dauid Psalm. 80. num. 4. *Buccinate in Neomenia,tuba*,&c.sed Lyristes Moysen habet in oculis,ad Num. 28. num.11. *In calendis offertis holocaustum Domino*,&c. Illud malè pungit. An ne colenda nouo sacro noua Luna est? scilicet id curat Moyses, & non potiùs,*vt Deo precibus placato, felix,faustumque esset mensis initium*,

Leuit. c. 23. n. 5.

Psal.80.n.4.

Num. c. 28. n.11.

Auxilium à Deo postulandum mense inito.

tium,& quæ in eo fierent,&c. Ita Ribera de Festis diebus *lib. 5. cap.* 2. Addit,& piè, causam aliam. *Vt enim rerum è terra nascentium primitias sibi Deus offerri voluit*, Exod. 23. num. 19. *ita & voluit temporis primitias*,&c. Ac si vellet; ius omnino erat,vt qui Solem , & Lunam fecit. *In tempora,& dies,& annos*,&c. *Gen. 1. n.* 14. tanti in nos meriti gratiam à nobis impetraret nouilunio. Quod & Oleastrio visum est. *Grati enim est,non solum beneficia referre,cùm primum dantur,sed cùm eadem repetuntur*, &c. Rectiùs cum Augustino diceret apud Deum Oleastrius. *Sicut nulla est hora', qua tuo non vtar beneficio , sic nulla debet hora esse , qua te non habeam ante oculos*, &c. *lib. soliloq. cap.* 18.

Gen. cap. 5. n. 14.

Tempus quodcumque Deo consecrandum.

7.

Moueat homines chorus Angelicus ad gratulandum Magno Deo. Cur enim conueniunt amicè Angeli, ac Deo frequentes adsunt? Iob. cap. 1. num. 6. *Cùm venissent filij Dei,vt assisterent coram Domino*, &c. Origenes *lib.* 1. docet conuenisse Angelos in odium , vt Deo gratularentur , quidquid boni præstaret hominibus. *Sic* (inquit) *Angeli misericordias eius confitentur,& gratias agunt pro beneficiis,quæ ille incessanter impertit filiis hominum* , &c. Timent Angeli, ne homines deponant memoriam diuinæ beneficentiæ ; vnde excitantur, vt, quas Deo gratias debent homines, soluant assidentes Archangeli: vel credunt satis non esse homines,vt sua Deo beneficia gratulentur, quos proinde adiutare volunt. Non ne gratiis agendis virgo sapiens opem & operam exposcit alienam? Nouit se à Christo commendatam amicè, Cant. cap. 5. n. 2. *Aperi mihi soror mea,columba mea,immaculata mea*, &c. sed cùm panegyricum de Christo adornaret, num. 10. *Dilectus meus candidus*,&c. & se panegyrico dicendo parem negaret , virgines sibi comites admonet num. 8. *Adiuro vos filiæ Ierusalem*, &c. Cur hoc loco virgo sapiens manum exposcit aliam, expendit Gilbertus serm. 4. *Gloriata de nouæ,ac insolitæ dulcedinis gustu, filias Ierusalem ad gratias agendas inuitat*,&c. Credit virgo sibi vim non esse, vt gratiam Deo acceptam referat; delegatum habere chorum voluit,qui Deo applauderet.

Iob. c. 5. n. 6.

Grates pro hominibus soluunt Deo Angeli.

Can. c. 5. n. 2. 8.

Nemo satis Deo gratificatur.

8.

Moueant & auiculæ ingratos homines , vt Deo concinant , concinnata gratiarum actione. Totus in hac re Antistes Maximus est Hom. 2. *Nónne* (inquit) *vidimus aues, cùm illucescentem diem aurora producit , varia dulcedine personare? & hoc studiosè agere,priusquam procedant*,&c. Deum mulcere conantur, scilicet pro communi bono. *Ita vt videatur sibi deuotius gratias agere,quæ dulciùs personuerit*,&c. Deinde addit Maximus , Lusciniam suis cantionibus dies, noctesque sacrare. *Quoniam ad dicendas laudes sola dies non sufficit, nocturna spatia pernigili decurrit cantilena*,&c. Sciat igitur Hebræus adstrictum se esse ex bono libertatis publicæ, vt Deo gratias habeat à primo cuiusque anni mense.

Cantant auiculæ concinnata gratiarum actione

Factum est verbum in domo Nabuchodonosor,vt defenderet se.

Commentarius.

5. PVto ego significatum in loco esse,non quid frequenter ingereret Nabuchodonosor; sed quid sermone trito versarent aulæ Principes,idque mera adulatione ; quod probo. Tumens Nabuchodonosor, dolenterque ferens repulsam legationis,furorem concipit,conceptumque furorem tegit , colore iustæ defensionis, quod è proximo textu est. *Iurauit,quod defenderet se*,&c. Quid inde Regum simiæ? aulæ sorices? curiæ Chamæleontes , adulatores pessimi, turpesque Sosiæ? suum è Regis vultu vultum fingunt ; sermonem è sermone formant: & quod Nabuchodonosor effuderat,furore concepto,effundunt adulatores,adulatione composita. *Factum est verbum, vt defenderet se*,&c. quod Nabuchodonosor minatus semel fuerat, id erat in ore gentis aulicæ frequentissimè , idque adulandi studio. Quò auditores curabant Aristotelem balbutientem referre, Duces Alexandrum ceruice inflexa repræsentare; quandoquidem ea adulantibus lex est,se ad Regis non modò sensum,& voluntatem, sed ad vultum,& nutum conuertere.

Adulatores, & Chamæleontes,& simiæ

Vel turpes motus imitatur assentator.

6.

Malum grande magnis rerum Dominis, quod grauiter dolet Seneca lib. 6. de Benefic. cap. 30. *Vides , quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas , & fides in obsequium seruile submissa? dum nemo ex animi sui sententia suadet , dissuadetque ; sed adulandi certamen est , & vnum amicorum officium , vna contentio, quis blandissimè fallat*,&c. Argumento sint aulici apud Pharaonem. Sciunt Regem Veneris alumnum esse, quod patet è Saræ turpi raptu Gen. 12. num. 25. *Sublata est mulier in domum Pharaonis*,&c. Sed vbi Parao Saram viderat,vt flagraret amore mulieris rapiendæ? *Nuntiauerunt Principes Pharaoni , & laudauerunt eam*, &c. numer. 15. Credit Abulensis *q.* 32. laudatam adulatoriè Saram fuisse apud Regem. *Principes* (inquit) *vt acquirerent gratiam Regis , dixerunt de pulchritudine mulieris* , &c. Vnde Chrysostomus hosce adulatores suo iure lenones vocat Hom. 32. *Vidisti eos lenonis agere officium in Regis gratiam* , &c. Ita sese morbo Regio attemperant assentatores,vt colorem ex Regis colore exprimant Chamæleontes aulici.

Fallit assentatio magnos viros.

Gen. cap. 12. n. 15. 15.

Ad peccatum vsque mentitur adulator.

Non facto solùm,sed & dicto suam concinnant adulationem aulæ sorices. Erat Dauid in Saulis ore filius Isai. id est, homo sortis abiectæ 1. Reg. 22. n. 7. *Nunquid dabit vobis filius Isai agros*,&c. Quid Doëgus adulandi artifex? Voce pari Regem mulcet num. 9. *Vide* (inquit) *filium Isai*,&c. homo captandæ gratiæ probè sciens, quod notat Abulensis quæst. 17. *In hoc erat Doeg adulator: nam cùm vidisset,quòd Saul dedignabatur vocare eum proprio nomine,ipse quoque, vt Regi faueret,non nominauit Dauid , sed filium Isai*,&c. Verè Doegus (si Diogenem consulas) canis est Regius; sic enim Diogenes vocitabat Aristippum, vtpote qui Dionysio adularetur. Cur tamen Doegus non assentaretur,si homo erat mulio,Syro,& seruili genere? Constat ex 1. *Reg.* 21. *n.* 7. vbi textus,*Doeg Idumæus,Potentissimus pastorum* , &c. Quibus præesset gregibus tradit Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. 13. *Doech verò Syrus, Pastor mularum* , &c. Triste, ac turpe ministerium,sed adulando non ineptum: monet Philo,*Re enim vera seruilis est adulatio*,&c. *ad lib. Quòd probus*,&c. Quare Aristoteles adulatorem à seruo deflectit venustè.

7.

1. Reg. c. 22. n. 7. cap. 21. 7.

Loquendi modos æmulatur facilè adulator.

Seruile vitium assentatio.

Adulator

Adulator (inquit) δῦλος *vocatur, quasi seruus, id enim seruile est, & indignum libero ingenio*, &c. *in Ethic. lib. 4. cap. 3.* Quid seruilius esse potest, quàm hominem alterius gratiam parare, quoquo modo, alteriusque referre mores more simiæ? Scio à Cicerone dictum, Græcos diuturna seruitute ad nimiam assentationem eruditos esse. Quod nam tamen aulæ venenum est assentatio? melleus omnino laqueus est; adulator coruo acerbior, à quo se longè abesse volebat Diogenes, cùm dictaret: Melius est in κόρακας incidere, quàm in κόλακας. Et verò Sigismundus Imperator adulatorem pulsans colapho, *Quid me* (inquit) *mordes adulator*, &c. apud Ænean. *lib. 2. de Alphon.* Non ita Nabuchodonosor, qui sua in aula hasce tineas fouebat, adulatores scilicet, qui Regem non facem iniuriæ alienæ, sed iuris sui defensorem vocabant, assentatione adornata, *vt defenderet se*, &c. satis vt noris

Mordet vt canis virum probum assentator.

PARÆNET. II.

Adulatores blandiri alienis affectibus.

1. IMitatur simia gestus hominum, & adulator, personata quidem simia ad Regis gestus nutum se se attemperat. Quidquid Princeps negat, negat adulator: quidquid ille sentit, sentit iste; è risu risum, è fletu fletum componit; quod mordet Satyra Iuuen. 5.

—— *si dixeris, æstuo, sudat*, &c.

Prou. c. 30. n. 28. Facit ad Satyram Parœmiastes Prou. 30. num 28. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*, &c. Quæ nam hæc bestiola fuerit aulicis addicta, petendum ex Hebræa schola est; vbi שממית *Schemamith* pro stellione, simia est: adulator scilicet, qui, vt stellio, veneno perdit homines alios; & vt simia, aliis sese hominibus accommodat. Idque probatur facilè. Insanit Herodes, Christo laudato, sed timet; apud Matth. 2. num. 3. *Audiens Herodes turbatus est*, &c. Quid Senatus, Hebræusque populus? metum quisque mentitur, animique tumultum. *& omnis Ierosolyma cum illo*, &c. Metum vultu Senatus simulat; neque enim timere Christum poterat, quem volebat, spe iam pridem concepta. *Ipse erit expectatio Gentium*, &c. *Genes. 49. num.* 10. Timet & populus ficto vultu. *Volens illi fauere, quem timebat*, &c. Anselmo Auctore. Erat metus populo, ne reus ageretur læsæ maiestatis, si vultum ex Herodis vultu non fingeret, nec timere videretur, cùm timeret Herodes.

Adulator, & dolo nocet, & veneno.

Matth. c. 2. n. 3.

Gen cap. 49. n. 10.

Adulatio ex metu nata.

2. Sed quid non mentitur adulator? *semper enim auget assentatio*, &c. Cicerone teste ad Lælium. scilicet, quod voluptatis est; & semper minuit, quod est acerbitatis. Sciebant Sacerdotes Herodem metu perditum esse, cùm laudes caperet de Christo infante, apud Matth. cit. Rogati ab Herode, locum proferunt ex Michæa, cap. 5. num. 2. *& tu Bethleem*, &c. *Ex te enim exiet Dux*, &c. sed partem mutilant, quæ de Christo Deo agit; illud enim supprimunt. *Egressus eius ab initio*, &c. vafrè id Sacerdotes reticent, ne Herodem premant grauiùs, Christi diuinitate asserta. Laudo testem Chrysostomum Hom. 7. in Matth. *Nequaquam* (inquit) *id, quod sequitur, addiderunt, vt ad humanæ gratiæ lucrum, veritatis damna proficerent.* Malè abeant adulantes homines, quibus lex vna est assentari, ac Regem fallere, veritate suppressa. Morbus tamen aulicus est, de quo Seneca lib. 6. de Benefic. cap. 30. *Monstrabo tibi, quid omnia possidentibus desit. scilicet, qui verum dicat*, &c. Fallit perpetuò adulator, qui alienis lenocinatur affectibus. Ardet Achabus furore vrbis repetundæ, quam Syrus occupauerat; idque exponit apud aulæ Principes 3. Reg. 22. n. 3. *An ignoratis, quòd nostra sit Ramoth?* &c. Ne tamen sine consilio res tentaretur, euocantur ab Achabo in aulam Beli Sacerdotes, suo cum Sedecia *n. 6.* à quibus responsum illud, *Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis*, &c. Constat Sacerdotes si non malo dolo, certè animo dubio, mentitos fuisse; nam Senatu collecto, cùm Deus rogaret n. 20. *Quis decipiet Achab?* &c. suam Dæmon operam largè pollicitus, *Ero* (inquit) *spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*, &c. *num. 22.* Sed nihil miror Sacerdotes falsò locutos esse, qui sibi met imperauerant Achabo assentari. Sic boni viri apud Abulens. quæst. 8. *Quòd mali prophetæ erant adulatores, ideo cùm scirent, quòd Rex desideraret ire in Bamoth, prænuntiauerunt, quòd bonum erat ire*, &c. Non audent assentatores quidquam proferre, quod ad Achabi sensum non faciat: ac proinde bona animo cantant dubio; neque enim habebant, vnde id certò scirent.

3. Reg. 22. n. 3. 6. 20.

Regum votis sese accõmodant adulatores.

3. Non minus fallit adulator, cùm mores laudat, quos si morderet, iustè faceret. Pastor erat notæ stultitiæ apud Zachariam *cap. 11. num. 15.* vbi textus *Sume* (inquit) *tibi vasa pastoris stulti*, &c. scilicet, qui nec piè, nec scitè rem summam gereret; sed misceret sacra profanis, ac plerumque laboraret morbo sapientiæ. Nemo tamen non erat, qui mentiretur in laudem hominis, & quasi Deum scientem rerum coleret, imò caneret. Vnde voces: *O Pastor, & Idolum*, &c. *num. 17.* Non commendat locus hominem, sed ostendit, quis apud homines fuerit æstimatus; nimirum Apollo Delphicus, & oraculum celebratæ sapientiæ: quod Lyra aduertit, taxans Pastores ineptos, ad Ezech. 8. *Sunt adulatorum idola, quos tanquam Deos colunt, vt per eos valeant promoueri*, &c. præceps adeò est adulator ad fallendum blandè. Quid si mentem venetur hominis, vt facto aduletur scelere? Id profectò explorauit seruus, vt pugno audax Christum feriret. Nam interrogatus à Sacerdote Christus de sua schola, cùm testes laudaret homines, qui aderant, Ioann. 18. num. 21. *Ecce isti sciunt*, &c. Responso motus *Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu*, &c. *num. 22.* Si quis scire velit, cur seruus iste pudorem adeò profligauerit, vt Christum Dominum colapho percusserit, illud iterans, *sic respondes*, &c. Rupertum adeat *lib. 13. in Ioann.* vbi Rupertus, *Iste fortis percussor, & mollis adulator*, &c. scilicet dicto palpat, & facto, cùm exploratum haberet, quid vellet Pontifex, Christo in ius rapto. Sed insanit altè seruus, vbi Christum malè habet: nam Rupertus, *Verè* (inquit) *& pro Domino suo, vt suam illi custodiam cõmendaret, non fortiter, sed stultè zelatus*, &c. Simia igitur adulator est, quippe qui vel scelus admittit cum Domino, vel scelus commendat apud Dominum;

Zach. cap. 11. n. 15. 17.

Adulatio quasi Idolomania est.

Ioann. c. 18. n. 21 22.

Adulatur seruus pudore detrito.

num; & inde blandus hostis, si quidquam credis Hieronymo *epist.21.ad Eustoch.*

Hostem sentit Dauid,quem à se deprecatur, Ps.140.n.5. Ps.140.n.5.*Oleum*(inquit)*peccatoris non impinguet caput meũ*,&c. De adulatore queritur Dauid,cõmuni placito,qui oleo mollior,& blãdè loquitur,& blandè fallit, adulatione scelerum adiutrice. Video tamẽ quantũ inde mali fluat, cùm addiderit Hebræa schola,*Oleũ veneni non frangat caput meũ*,&c.vbi vox Hebræa ראש *Rosch* venenum sonat,& verbũ נוא *Naua*,frangere est. *Itaque adulatio veri affectus venenum*,&c. *Perdit homines adulatio amonomastícè peccatum.* Quod monet Tacitus 1.*lib. Hist.* & adulari caput hominis quassare est, vnde adulator extra aleam peccator,quod notat Petrus Dam.lib.2. epist.3.*Patenter ostenditur, quòd quisquis adulatur,peccatoris nomen per auxesim,specialiter promeretur*, &c. Quod scelus non auget adulator, qui scelerum adiutor est? argumento sit aula Assyria: vbi Principes seruili adulatione iniustum omnino bellum, vt iustam defensionem commendarunt. *Factum est verbum,vt defenderet se*, &c. Abigeret procul, si rectè saperet, Nabuchodonosor mendaces adulatores, adulatricésque auiculas,ne fallerent, cùm mulcerent; ne cùm bene canerent, malè perderent, quidquid haberet Princeps bonæ mentis.Perdidere sementis bonam partem dulces auicu- Matth. c.13. n.4. læ apud Matth.13.n.4.*Volucres cœli comederunt illud*,&c.apud *Luc.*8.*num.*5. Luc.c.8. n.5. Cantant auiculæ, cantant adulatores;rapiunt auiculæ, quod terris mandatum semen est,suffurantur adulatores, quidquid sanæ mentis homo serit. Vnde Hildebertus monet viduam, ne adulantibus *Mores corrumpit assentator.* aures aperiat,epist.41.*Si volucres te demulcent, frustrà seminas:aduersùs tam pestilentes cantus, si sapis, obsurdesces*,&c. Felix ille animi est, qui nec voces adulatrices,nec molles Syrenũ cantus admittit facilè, & hæc quidem boni viri virtus est, nec adulari, nec adulatores pati.

5. Quis non videt Marcũ de Petro loqui parcè, Magistríque laudes mutilare?Rogatus à Christo Petrus de fide,profitetur voce exerta, *Tu es* Matth.c.16. n.15. *Christus filius Dei viui*,& apud Matth.*c.*16.*n.*15. Marc. cap.8. n.29. sed Marcus Petri discipulus textum mutilat, docétque dixisse Petrum,*Tu es Christus*,&c.*c.*8. *n.*29.Addit Matthæus laudatum à Christo Petrum hisce verbis,num.17.*Beatus es Simon*,&c. Deinde promissam Petro potestatem,clauibus traditis,n.19.*& tibi dabo claues*,&c.Sed Marco metum est silentium de laudibus, & clauibus. *Non adulantur viri boni.* Cur id Marcus fecerit, bene Victor Antioch. *Marcus* (inquit) *ne quid in Petri Magistri gratiam dicere videatur, compendio contentus*, &c. Marc. 14. n.68. Longè ab adulando Marcus abest,qui salua historiæ veritate,boni Magistri laudes tacet,cùm non taceat,quid Petrus semel,& iterum pernegauerit,*c.*14.*n.*68.Meminit fortassè discipulus, quo genio Seneca Neronem monuerit lib. 2. *Prensus Magister non palpat.* cap.2.*Maluerim veris offendere,quàm adulando placere*,&c.Hæc Christo laus in docendo erat, vt cùm loqueretur, obstupescerent auditores, Marc. cap.1. n.22. apud Marcum 1.n.22.*& stupebant super doctrina eius*,&c. Quid mirantur?quid stupent?nónne Hebræa ex schola multi, magníque homines probatæ sapientiæ,& eloquentiæ celebratæ?Quis neget?vnum pro cunctis Gamalielem Act. cap. 5. n.34. appono,de quo Lucas in Act.*ad c.*5.*n.*34.Cur non obstupescũt auditores Gamaliele scienter disputante,sed Christo vel modicè docente?Il-

lud Marcus addit, *erat enim docens, tanquam potestatem habens*, &c. quod Victor Antiochenus bene interpretatur. *Non loquebatur ad gratiam,nec auditorum laudes captabat*,&c. Sciebãt auditores Christum adulatoribus durum esse, quibus & piè, & blandè appellantibus, apud Matth.22.n.16.*Magister scimus*,&c. durè Ma- Matth. c.22. n.16.18. gister addit n.18.*Quid me tẽtatis hypocritæ?*&c. Sciebant Dæmonẽ malè adulantem,cùm proclamaret Marc.1.num.24. *Iesu Nazarene*,&c.à Mar. cap. 1. n.24. Christo reiectũ esse,silentio imperato. *Obmutesce*,&c.Inde hominũ admiratio perpetua. *& stupebãt super doctrina eius*,&c.Et iustà omnino *Non blanditur Christus adulatoribus.* commendatio, *quia non ad gratiam loquebatur.*

6.

Sed & cùm laudaretur,laudes vultu contracto,respuebat, imò laudantes increpabat, si quid seuerè increpandum erat.Laudatur à Petro Magister de sua doctrina, & congressu familiari apud Ioan.*c.*6.*n.*68.vbi Petrus,*Domine* Ioan. cap. 6. n.68.71. *ad quem ibimus*, &c. Expendo, quid Magister discipulo retulerit. n.71. *Nónne ego vos duodecim elegi,& vnus ex vobis Diabolus est?*&c.Itane mi Domine alumnum tui reuerẽtem,& amantem pungis? Dulces laudum cantiones duro sermone auersatus est. *Quasi dicat*(teste Chrysostomo)*nolite putare me laudum vestrarum gratia vobis adulaturum*,&c. *Hom.*46. Adeò Chri- *Non cedit Christus laudibus, vt verum taceat.* stus adulatores oderat, vt abigeret, vel aceti morsu. Hanc tamen laudem sibi Traianus peperit,si qua Plinio fides est, qui in Panegyrico tonat, *Ad tuas aures,cum cæteris omnibus, tum vel maximè auaris adulationibus obstructus est aditus. Silent, quiescunt,& postquam non est, cui suadeatur,qui suadeant,non sunt*,&c.Procede Samuel, & Traiano melior; quid de adulatore sensseris, admone. Laudatur à Saule Samuel: dulces, ac molles sermones Princeps edit. 1. Reg.15.n.13.*Benedictus tu Domino*,&c.Deinde 1. Reg.c.15. n.13.15.16. addit, seruatos credo greges, *vt immolarentur Deo tuo*,&c.*n.*15. Et blandiendi forma est,qua Samuelem Deo intimũ Princeps insinuat. Sed quid Samuel ad Saulem n.16. *Sine me*(inquit) *& indicabo tibi*,&c.Dic,amabo,Samuel,quis tibi manum iniecit,vt petas:*sine me*.Premit adulator, quem vir bonus ferre non potest. Vnde queritur,*sine me*,&c.*Ac si laudatorem suum electus Præsul honesta grauitate derideat*, &c. sic Magnus Greg.*in lib.Reg.lib.*6.*c.*2.Addo Samue- *Adulatorem non patitur vir bonus.* lem grauiter minatum esse,n.23.*Abiecit te Dominus,ne sis Rex*, &c. quo ostendat se laudum blanditiis mollitum non fuisse,vt mentiretur. Si cum Samuele sentiret Nabuchodonosor, adulatores abigeret:si clausa adulatoribus aula esset, nec Principes monerent, adulatione composita, *vt defenderet se*, &c.

Num. 2. Vocauítque omnes maiores natu, omnésque Duces, & bellatores suos, & habuit cum illis mysterium consilij sui.

Commentarius.

8.

PRius*quam incipias, consulto, & vbi consulueris, maturè facto opus esse*, &c. monet Sallustius *in Catilin.* certò sciens,quid boni profluat ex consultatione sacra.Ab Herodoto exscripsit *lib.* 7. vbi Artabanus docet, *Bene consultare maximum lucrum esse*, &c. Sed potior Eccl. cap.32. n.21. mihi Syracides est, *c.*32.*n.*22. à quo oraculum

illud, *Vir consilij non perdet intelligentiam*, &c. Periculum fortasse prudens fuerat, fortunam bonam iis adesse, qui nihil agunt temerè. Astrum est, animi consilium, quod si quis sequitur, non aberrat ab scopo veri, & petendum, captandúmque vel ab olitore consilium putat Salomon, cùm moneat Prou. 19. n. 20. *Audi consilium, & suscipe disciplinam*, &c. Nec discernat classes hominum, sed à quocumque sanum detur consilium, doceat admittendum, patrandúmque esse. Nónne sapiens erat Salomon? Quis nescit Regem à Deo sapientissimè instructum esse? constat ex 3. *Reg. cap.* 4. *n.* 30. Sed & senes sibi consiliarios esse voluit, quod textus habet *cap.* 12. *n.* 6. vbi Roboamus. *Iniit consilium cum senioribus, qui assistebant coram Salomone*, &c. quibus Senatoribus Præfectum Azariam docet Pineda *ad c.* 4. *n.* 5. vbi textus, *Azarias* (inquit) *super eos, qui assistebant Regi*, &c. sic Pineda *lib.* 5. *c.* 13. *de Salom.* Satis consilij habebat alumnus sacræ scholæ Salomon, adhuc tamen alienos postulat oculos. Nónne Magnus Deus, collecto Seraphinorum Senatu, apud Isaiam, disquirit? *Quis ibit nobis?* &c. *c.* 6. *n.* 8. consultandi forma est, teste Hieronymo. Non tamen consultat Deus, quasi ignoret: sed, quod Lyra docet, *Ad iniungendum negotium conuenientius*, &c. quo pacto & Christus petit à Philippo, *Vnde ememus panes?* Ioan. c. 5. n. 6 *illius fidem consulens de futuro miraculo*, &c. Quod Laudunensi visum est. *Ipse enim sciebat, quid esset facturus*, &c. Ioanne teste *num.* 6. Prudens igitur, ac sciens Nabuchodonosor, cùm bellum cogitaret, & spiraret, *Habuit mysterium consilij sui*, &c. Illud insinuans,

Captandum ab olitore consilium.

Prou cap. 19. n. 20.

3. Reg. cap. 4. n. 30. c. 12. n. 6.

Et sapiens capit consilium.

Isa. c. 6. n. 8.

Et Deus consilium non abnuit.

Ioan. c. 5. n. 6.

Discipulos Magister consulens.

PARÆNET. III.

Consilio vel sapientes indigere.

1. NVlla sine consilio Respublica stare potest, siue bellum parare, siue pacem firmare, siue mores formare velit. Iuuenum manum, & Patrum Senatum sibi adfuisse cantat Roma, vt creseceret fortuna prospera, apud Claudian. de bello Gildon. *Armatis quondam populis, Patrúmque vigebam consiliis*, &c. Scio Mantes Senatoribus Athenienses additos esse consilij gratiâ, apud Alex. *lib.* 4. *cap.* 2. Spartanis Magistratibus assedisse Augures, ne quid temerè agerent: apud Rhodigin. *lib.* 18. *cap.* 25. Persis rerum Dominus Magos continuos esse, quos Regum aures, & oculos appellat Xenophon. *lib.* 8. *de Cyrop.* Deinde addit, cur Persa tot sibi aures, & oculos inesse veller. *Vnus enim, & pauca videat, & audiat*, &c. Sapiat Princeps, vel Academicè: adhuc oculos poscit alios, vt videat, quid facto opus est. Placet Deo legendos esse Iudices, qui ius dicant Hebræo populo. Deut. cap. 16. num. 18. *Iudices* (inquit) *& magistros constitues*, &c. Græcè, pro magistro est γραμματευσαγωγὸς, hoc est, *literatus*, & qui Caietano Senator est, & cur Magistros, ac Senatores literatos iudicibus adiectos esse Deus voluit? exerrarent ne Iudices à vero, si Magistros non haberent, quos de iure consulerent? Caietanus bene. *Ad literam significare videtur Patres conscriptos, cum quibus causas tractare, ac definire debent*, &c. Metus Deo erat, ne Iudex, suo præsidens cerebro, ageret temerè. Mutato Senatu, mutatur omnino res Hebræa; quæ vt ad fortunam pristinam rediret facilè, amanter Deus pollicetur, apud Isaiam cap. 1. num. 26. *Restituam Iudices tuos, vt fuerunt priùs, & magistros tuos, sicut antiquitus*, &c. Consultò magistros iudicibus addit, ne iudex sine magistro, & consiliario, rem malè gereret; putat id in loco Basilius. *Neque enim sufficiat per se vnusquisque assequi, ac deprehendere, quid ex officio sit, ac deceat, quapropter Deus consiliarios præstituit*, &c. Natus imperio administrando Augustus erat: sed, teste Suetonio, *Instituit consilia semestria, quibuscum antè tractaret de negotiis ad Senatum referendis*, &c. *cap.* 35.

Virtute, & consilio constat Resp.

Deut. cap. 16. n. 18.

Errant Iudices adempris consultoribus.

Isa. c. 1. n. 26.

Vnus homo, nullus homo ad prouidendum.

2. Et quis non iudex ille est, qui *ad Apocal.* 4. sella curuli altè sedet, num. 4. *& super sedem sedens*, &c. Deinde librum manu tenet, cap. 5. num. 1. *& librum scriptum*, &c. quo scilicet libello causam hominis cuiusque peragendam puto. Non tamen id negotij agendum est sine Senatusconsulto; habet enim Iudex, qui assideant, nec paucos, nec malos Senatores, cap. 4. num. 4. *Viginti quatuor seniores sedentes*, &c. Quò tam multa seniorum manus est? anne iudex sapiens dubitat de iure dicundo? id si quis putat, malè cæcutit. Formam iuris administrandi bonam edit iudex, cùm se ex Senatorum consilio egere insinuat. Quid si & Deus, qua Deus est, ex Senatusconsulto Adami conditor videri voluit? *Faciamus* (inquit) *hominem*, &c. *Genes.* 1. *num.* 26. Consultos à Deo Angelos ad opus voluit Iudæus, voluit & hæreticus. Damnat hæresim Basilius *Hom.* 10. Theodoret. *q.* 19. Cyril. Alexand. *lib.* 1. *contra Iulian.* Chrysostom. *Hom.* 8. Patres alij, qui filium sapientiæ ocellum à patre consultum esse docent. Vnde Cyril. cit. *Honorata est quodammodo natura hominis præuiis consiliis*, &c. Vide Theoph. Antioch. *lib.* 2. *ad Autolyc.* Honor Adamo erat cogitari à Deo, priusquam fieret. quod notat Seneca 6. de Benefic. cap. 23. *Cogitauit nos ante natura, quàm fecit. Nec tam leue opus sumus, vt illi exciderimus*, &c. Vnde Tertullianus adiecit, *Recogita illi Deum occupatum esse, ac deditum manu, sensu, opere, consilio: & ipsa* (in primis affectione) *quæ lineamenta dictabat*, &c. *de Resurrect. cap.* 6. Magnum de re magna consilium à Trinitate sanctissima initum est, cùm fortuna Adami vniuersa excuteretur, antequam fieret. Occurrebant inibi Adami scelera, scelerum medicamenta, Medicíque labores. Sed re lentè excussa, decretum est, vt Adamus conderetur, & adornaretur bonis plurimis. Rupertus ad rem. *Ibi nostra in medio causa posita est, & inde consilium habitum, vt vnaquæque persona sui operis partem susciperet*, &c. *lib.* 2. *in Gen. c.* 1.

Apoc. cap. 4. n. 4. c. 5. n. 1.

Et Deus ad agendum consultores cegit.

Genes. cap. 1. n. 26.

Nec Adamum sine concilio Dei condit.

Totus in hominem Deus fertur.

Consulit Deus Adami causam agit.

3. Quid si Deus omnino sapiens ad mundum benè tractandum, adstare sibi Angelos voluit? de quibus Raphaël ad Tobiam cap. 12. n. 16. *Ego sum vnus ex septem, qui adstamus ante Deum*, &c. Hosce Angelos Ioannes inspexit, *Apoc.* 1. *num.* 13. quos & oculos vocitat cap. 5. num. 6. *Et oculos* (inquit) *septem, qui sunt septem spiritus*

Tob. cap. 12. n. 16.

Apoc. 1. n. 13. c. 5. n. 6.

ſpiritus Dei miſſi in omnem terram, &c. An ne more Perſico Angelos Deus conſultores habet? Certè Hilarius non explicat aliter, quo pacto Dauid aures Deo, & oculos attribuerit.

Pſ.129.n.2. Pſ 33.n.6. *Angelos, quaſi conſultores ſibi Deus adhibet.*

Pſal. 129. n. 2. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*, &c. & Pſ. 33. n. 6. *Oculi Domini ſuper iuſtos*, &c. Sed prior in ſententia Philo eſt ad lib. de ſomniis. *Sunt quædam puriſſimæ, & optimæ omnium miniſtræ Omnipotentis, tanquam Magni Regis aures, & oculi, audientes, videntéſque omnia; quos Genios Philoſophi, Angelos vocant ſacræ literæ*, &c. Nec alios credo adſtantes Angelos, quàm Dei filios apud

Iob c. 2. n. 1. Iobum cap. 2. n. 1. *Cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino*, &c. Magni Senatus forma eſt, vnde Senatuſconſulta plurimæ de ſalute hominum. Cur enim conueniunt Angeli? Cur Deo adſtant Principes? Inuenit id Chry-

Deo Angeli de humana ſalute rationem reddit.

ſoſtomus. *Vt intelligamus rebus noſtris conſuli, atque ab iis rerum quæ aguntur, rationem referri*, &c. Tanta Deo cura eſt de noſtra ſalute, vt vel Angelos de noſtra ſalute conſulat quodammodo, vel ab Angelis rationes exigat mandatæ prouinciæ. Hallucinor, an Iupiter Deos ſibi conſultores cogit, vbi mittendum fulmen eſt, quo feriat homines? Agit Seneca de fulminum facibus, ac tandem, *Secundam* (inquit) *mittit Iupiter ex conſilij ſententia, duodecim enim Deos aduocat*, &c. *lib. 2. quæſt. c. 41.* Id verò eſt ad Regum diſciplinam optimam, vnde monet Se-

● *Obturbat ira iuſtitiam.*

neca. *Hoc ſibi proponant, vbi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem ſuum ſatis conſilium eſſe*, &c. *cap. 33.*

4. Eant igitur ſuo cerebro præſidentes homines, quibus aliena capita malè ſapiunt; abnuant conſultores, vel benè conſulentibus malè fidant. *Ne ab auctoritate ſua modicum deprimi videantur, ſi aliis benedicentibus aſſentiantur*, &c. quod Abulenſis notat *q. 8. ad Exod. cap. 18.* Sed quò non exerrent nimium ſcioli. Secum agit auarus homo de horreis ſoluendis, cùm abundaret frugibus, egeret granariis. Vnde nota eſt conſultatio. *Cogitabat intra ſe*

Luc. cap. 12. n. 17. 18. *Cum Diabolo agit, qui ſecum ſolus agit.*

dicens: Quid faciam? &c. *Luc. 12. n. 17.* Eſt, qui dicat hominem cum Dæmoniarcho egiſſe, cùm non adeſſet conſultor alius: certè id Chryſologo placuit ſerm. 104. *Erat in illo alius, quia ad eius penetralia diabolus iam poſſeſſor inſederat*, &c. Sed placet, hominem ſecum agitaſſe, & conſultaſſe. *& cogitabat intra ſe dicens*, &c. Quid boni ex hoc conſilio? malum grande, num. 18. *Hoc faciam: deſtruam horrea mea*, &c. Fructus eſt cerebri malè ſani; ſed nihil miror, docet Baſilius Homil. 6. *Ex te ipſo captas conſilium? planè imprudenti veteris conſiliario*, &c. Scitè admodum Baſilius: nam læua mente conſultaſſe viſus eſt, qui de horreis malè ſoluendis agit. Aliter ſentiret, aliter ageret, ſi lautum morderet aliam, & magiſtrum conſuleret alium. *Ne ſis* (inquit Salomon) *ſapiens*

Nemo ſuo conſilio ſatis proſpicit.

Prou. c. 3. n. 7. *apud temetipſum*, &c. Deinde remedium morbo affricat. *Sed Deum time*, &c. Et Dei ſcitum eſt, quo mordetur homo, ſuo fidens cerebro, cùm facilè erratis pateat.

5. Eſt ne Paulo metus, ne à vero aberret, ſi Petrum non conſulat, magiſtróſque reliquos? Fieri non poteſt, vt exerret grauiter Paulus Gentium Doctor. *Non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum*, &c. *ad Galat.*

Ad Galat. c. 1. n. 1. cap. 2. n. 2.

cap. 1. n. 1. Adit tamen Petrum, Iacobum adit, ac ſuum de fide explicanda modum explicat. *Ne fortè in vacuum cucurriſſem*, &c. *c. 2. num. 2.* Prudens admodum Paulus eſt, qui ne à docendi modo communi diſcedat, magiſtros conſulit alios. *Adeò probari ab illis deſiderauerat*, &c. Quod Tertulliani reſponſum eſt *contra Marcion. lib. 5. cap. 3.* ſcilicet probatus à Magiſtris optimis Apoſtolus auctoritatem ſibi pararet veritatis ingerendæ. Aliter Hieronymus; docet enim Petrum, & Iacobum à Paulo conſultos eſſe. *Quo & Pauli humilitas oſtenderetur*, &c. Cauet fortaſſe Apoſtolus, ne ſuo tumens ingenio, vel etiam leuiter abeat à forma Patrum communiori. Quare alienam exquirit mentem. Facilè homo fallitur, benignus ſui iudex, ſuíſque adulatur intemperiis, nimium ſibi ſapiens; eat igitur, & diſcat vel à brutis animantibus, quid fieri, quid caueri neceſſe eſt. Ab herinacio hoſtem cauere; quod Dauid canit Pſ. 103. n. 18. *Petra refugium herinaciis*, &c. A Leone vires exerere; quod Amos docet 3. n. 8. *Leo rugit, quis non timebit*, &c. A formica prouidentiam; quod aduertit Salomon Prouerb. 6. n. 6. *Vade ad formicam ô piger*, &c. Ab apicula induſtriam, num. 8. *Vade ad apem, & diſce, quomodo operaria eſt*, &c. Putat enim Petrus Damianus laudari ſacro textu haſce animantes, vt morum duces, & monitores; *vt in ipſis pecoribus homines addiſcant, quid imitari debent, quid cauere.* Quòd ſi à bruto animalculo captandum eſt conſilium rectè agendi, cur à Senatu Principum conſilium non caperet Nabuchodonoſor? Scitè Aſſyrius: *Habuit cum illis myſterium conſilij ſui*, &c. Sed quoſnam in aulam homines euocat?

Nec ſibi Paulus fidit, niſi Petrum conſulat.

Modeſtus in docendo Paulus.

Pſ. 105. n. 18. Amos cap. 3. n. 8. Prou. cap. 6. n. 6. 8.

Vel à brutis animantibus diſcendum.

Vocauítque omnes maiores natu, omnéſque duces, & bellatores ſuos.

Commentarius.

9. PRima conſiliario virtus eſt, vt annis eruditus benè conſulat Rebuſp. Vrbe condita, vide, quid Saluſtius conſtitutum à Romulo eſſe doceat in Catilin. *Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, Reip. conſultabant. hi vel ab ætate, vel à curæ ſimilitudine, Patres appellabantur*, &c. Prudenter admodum Romulus, ne quid Princeps temerè aggrederetur, ſeniores ſibi conſiliarios delegit. Nam rebus dubiis acutè videt ſenior, annis tritus. quod monet Hieronymus *epiſt. 2.* Nec à Romulo Alaricus diffidet, vbi ſeniores cogit in aulam, dicturus de bello Getico,

Nata conſiliis explicandis ſenectus.

Crinigeri ſedere Patres: pellita Getarum
Curia, &c.

Quínam verò Patres, niſi grandiores natu homines? ſic Poëtes,

Et tremulos regit haſta gradus, &c.

Valent ingenio, qui manu iam non valent ſeniores Duces. Nam, teſte Liuio ad lib. 3. decad. 1. *Conſilium ætate creſcit*, &c. Cur ſeniores maturè doceant, ratio ex Nazianzeno eſt ad Nicobulum,

Pluraque canities nouit, quàm lata iuuentus, &c.

Vnde Sidonius vim concepit, vt commenda-

ret Senatum Geticum: in panegyrico ad Auitum, sic ille.

—*Stat prisca annis, virisque senectus*
Consiliis, &c.

In præceps abeat Resp. necesse est, vnde senes abeant vitâ functi: quod nostrates homines pulchro Lusitanismo expressére, *Mal vay à Corte, onde boyvelho nao tosse.* Hinc illæ Ioasi lacrymæ, cùm Helisæus decumberet fato proximus, *Flebat coram eo, dicebátque, Pater mi, Pater mi*, &c. 4. *Reg.* 13. *num.* 14. Dolebat Ioasus grauiter, sublatum sibi auxilium æquè, ac consilium esse, Helisæo sublato, ad hostem pellendum. Id Abulensis docet *q.* 7. cur enim Helisæum Ioasus Patrem vocitat? *Pater mi, Pater mi? Tu* (inquit) *nobis Pater eras, prouidendo, & consulendo; sicut pater filiorum curam habet*, &c. Sciebat Ioasus, quo Helisæus consilio valeret, qui Regem monuerat, de Syro dolo, cap. 6. n. 9. *Caue, ne transeas in locum illum*, &c. Quid seniores, cùm Helisæi domum frequentarent? lib. Reg. cap. 6. n. 32. *& senes sedebant cum eo*, &c. Ex Abulensi responsum esto q. 36. *Vt honorarent eum, vel ad petendum consilium*, &c. scilicet, & seniorem senes, & sanctiorem virum cõsulebant; quid è Rep. esset, prudentes admodum, & prouidẽtes homines; Iobo enim magistro ad c. 12. n. 12. *In antiquis est sapientia*, &c.

4. Reg. c. 13. n. 14. cap. 6. n. 32.

Doleat Principes consultores sibi ademptos esse.

Et senes senem consulant.

Iob. cap. 12. n. 12.

10. *Consultores rerum scientes.*

Non tamen est satis, si quis seniores cogat in Senatum: oportet cogat homines rerum scientes, de quibus consultandum est; sutor dicat de crepida, Protogenes de linea, Tiphys de mari, de cœlo Chaldæus Aruspex, de aula Princeps, de bello miles. Troiana est sententia vsu probata apud Maron. lib. 9.

Ductores Teucrûm primi, & delecta iuuentus
Consilium summis regni de rebus agebant, &c.

Vide quid senserit Lipsius *ad* 4. *Dialog. de Romana milit.* Addo Xerxen ita fecisse, priusquam Græciam inuaderet; quod ab Herodoto discas lib. 7. *Persarum* (inquit) *præstantissimos in Concilium vocauit*, &c. scilicet, qui de re bellica altè scirent. Nihil Cyrus aliud, cùm bellum cogitaret, apud Xenophon. *lib.* 3. Sed Romanæ prudentiæ vis est apud Cæsarem *lib.* 1. cùm bellum vrgeret Gallicum. *Omnium ordinum ad Concilium adhibitis centurionibus*, &c. Laudo igitur Assyrium, qui suam in aulam euocauit *omnes Duces, & bellatores suos*, &c. Non quoscumque milites de vili caliga, sed veteranos probatæ militiæ, qui de re dubia censere possent. Hosce enim homines cogebat in Senatum Athalaricus, ac deinde monebat lib. 8. epist. 12. *Decet tractatores habere doctissimos, quibus potestas summa cõmittitur*, &c. Quid Princeps videat, si non habeat Senatores, ac rerum, de quibus agitur, prudentes homines? Ne aberraret ab scopo veri, ac bono Seuerus, *Fuit illi consuetudo, vt si de iure, aut de negotiis tractaret, solos doctos adhiberet; si de re militari, milites veteres, & senes bene meritos*, &c. Hæc ex Lampridio. Multum Alaricus hominibus rerum scientibus deferre solitus, accersitos bellicum in Concilium volebat homines: apud Claudian. cit.

Consilium à potiori Magistro petendum.

Magister cuiusque artis consulendus.

—*Quos plagis decorat numerosa cicatrix,*
Et tremulos regit hasta gradus, &c.

Inepti omnino cerebri est à viro inepto consilium petere, scilicet, qui rem non bene callet, de re malè disserit. Hoc aspectu suum pater Iobiam monet: *Consilium à sapiente perquire*, &c. *cap.* 4. *n.* 19. De arte qualicumque artis peritum senem consulito. Vnde colligo

PARÆNET. IV.

Senes, ac rerum scientes consulendos esse.

1. SEniores consilio saniores esse nemo, nisi bardus homo, neget. quos proinde Nabuchodonosor suam collegit in aulam, siue vt sua consilio staret auctoritas, siue vt à senibus fierent senatusconsulta probatiora. Nam (*Corona senum*) quod monet Syracides c. 25. n. 8. *multa peritia*, &c. Græco textu πολυπειρία, *multarum scilicet rerum vsus.* Quid homo non sapiat, qui multam duxit ætatem, per casus rerum varios? Senectutem igitur matrem consilij rectè appellaueris, vtpote quæ Romanis rebus scitè consuluerit: apud Nasonem in Fastis lib. 5.

Senectus consilij artifex. Eccl. cap. 25. n. 8.

Viribus illa minor, nec habendis vtilis armis:
Consilio patriæ sæpe ferebat opem, &c.

Mitto quæ de Spartano Senatu docet Plutarchus *in Lycurgo.* Ad seniores detulit belli offensiones Hebræus miles: nam cùm malè pugnans in castra se reciperet 1. Reg. 4. n. 3. *Dixerunt maiores natu: Cur percussit nos Dominus hodie?* &c. Non consultant iuuenes de belli fortuna, sed consultant senes graues senio, idque iure merito, docet Abulensis q. 4. *Isti enim sunt prudentiores iuuenibus, & ideo inceperunt inquirere*, &c. Consultò senes, & amantes patriæ, & rerum scientes agunt de belli alea; sed & mentem intendunt, cùm fortuna est de bono pacis conseruandæ. Aberrant turpiter Sacerdotum Principes, vbi Christum putant facem patriæ euertendæ: sed non aberrant, cùm de remedio cogitant, adhibitis in Concilium senioribus: quod Matthæus habet c. 27. n. 1. *Concilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & seniores populi*, &c. Hallucinantur egregiè, cùm Apostolos premunt, tanquam hostes pacis publicæ: sed non hallucinãtur, imò agunt scienter, cùm seniores cogunt in Senatum consultandi gratia: quod Lucas habet in Actis c. 4. n. 5. *Factum est in crastinum, vt congregarentur Principes, & seniores populi*, &c. Itaque nullum est consilium sine senibus, qui vsu triti plura norunt, quàm iuuenes; si quid Naso docet,

1. Reg. cap. 4. n. 3.

Seniores maximè curant de Patria.

Matth. c. 27. n. 1.

Act. c. 4 n. 5.

Nullum sine senibus sanum consilium.

Adde quod est senibus rerum prudentia maior:
Solus & artifices qui facit, vsus adest, &c.
lib. 2. *de Arte.*

Quod si placet, cur Moyses, cùm legum codices vellet perlegere, seniores vitæ Doctores non appellaret? Deut. 31. n. 28. *Congregate maiores natu, atque Doctores, vt loquar audientibus*, &c. Doctores à senioribus alios esse, negat benè Caietanus, planè insinuans, senem ab ætate doctorem esse, & dubiis explicandis plurimum valere; ac proinde vna hæc est ratio cur Moyses honore senem affectum voluerit, imò iusserit: Leuit. 19. num. 32. *Coram cano capite consurge*, &c. Ius omnino erat, vt iuuenes honore senem afficerent, morum magistrum & natura duce, consiliarium Rerump. Sic Hesychius in Leuit. *Bonum est* (inquit) *honorare senem: habet enim tempus aliquid proculdubio ad prudentiam*, &c. Ac si vellet, senem rebus agendis

Deut. cap. 31. n. 28.

Senex à natura Magister.

Leuit. c. 19. n. 32.

Colenda senectus, vt rerum magistra.

dis magistrum communem esse. Quidquid agunt, quidquid monent, quidquid iubent senes, societatem habet Oraculi. Rufinum Megæra, vt accenderet in amorem belli gerundi, quo se ostendit vultu? *Longæuum mentita senem*, &c. Sic poëtes *lib.* 1. Nouerat multam senio vim inesse ad trahendos homines, in vtramque partem, abundè auctoritatis habere, qui abundè senectutis habeat.

2. Altè sedet Christus Iudex Apoc. 4. num. 3. *& supra sedem sedens*, &c. ad iudicem enim pertinet romphæa fulminans. *Ex ore eius gladius*, &c. *cap.* 1. *num.* 16. quæ, Paulo teste, nota est, vel Iudicis Prætoriani, *ad Rom.* 13. *num.* 4. Sed Christus subitò senex est, num. 14. *& capilli erant candidi*, &c. Estne pugna cum Salomone, qui nigellos Christo capillos tribuit? Cant. 5. num. 22. *Comæ eius nigræ*, &c. Non credit id Doctor Blasius *sect.* 9. Nam cùm Iudicem Christus hoc loco agat, habitum Iudicis induit, canum scilicet caput, & ornamentum probatæ sapientiæ. *Meritò hic canus apparet, qui Iudicem refert, in quo necessaria est rerum cognitio, quæ per canitiem ostenditur*, &c. Sed & consiliarios video Christo assidere. *Seniores vtique sedentes*, &c. *num.* 4. quibuscum iudex agere visus est, ne quid in homines decernat, sine Senatusconsulto, vnde sua dictis crescit auctoritas. Sedet & Pater verè Iudex apud Daniel. cap. 7. num. 10. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt*, &c. Libellos versat Iudex, causam inspicit, reum agit, & peragit. Sed quo id capite exercet? n. 9. *& antiquus dierum sedit*, &c. Metum incutit Iudex senior. Timet Vates, & timet Chrysologus serm. 131. *Patrem* (inquit) *niueo crine, senectute veneranda, & antiquitate ter ibilem residere ad iudicandum inspicit*, &c. Quis tamen iudicem non timeat, qui & annis, & canis probat iuris prudentiam maximam? Bene Hieronymus. *Senex describitur, vt maturitas comprobetur sententiæ*, &c. quam scilicet, rationibus ductis ferat iudex senex ex iuris scientia. Ac ne quid sine consilio aggrediatur, seniores Iudex cogit in Concilium, quod Isaias iam dudum edixerat cap. 3. num. 14. *Dominus ad iudicandum veniet, cum senibus populi sui*, &c. Video senes sacro in Senatu, quos ab ætate Patres consilij rectè dixeris. Sapit igitur Nabuchdonosor, cùm vocat maiores natu; nec minus sapit, cùm Duces, & bellatores euocat, vt de re militari milites consulat.

Apoc. 4. n. 3. Apoc. 1. n. 4. n. 16.

Bonus Iudex est senex rerum sciens, vt bonus in Senatu consiliarius.

Dan. cap. 7. n. 9. 10.

Non flectitur affectu senex Iudex, nec fallitur facilè.

Isa. c. 3. n. 14.

3. De rerum monstris Philosophos, de lite bene testanda Iurisprudentes, de rebus sacris Sacerdotes, de bello mouendo milites magistros esse docent, qui sapiunt. Aliter notabit Apelles Alexandrum, qui ineptè differat de pictura, & ridebunt, qui terunt colores. Sic Plin. *lib.* 35. *cap.* 10. Nam de arte qualicumque solus artifex dicat appositè. Somnio terretur Princeps Pharao, *Gen.* 41. *num.* 1. Res erat, quæ multam poscebat artem addiuinandi. Quare non Duces belli scientes Pharao, sed Magos oraculorum interpretes euocat, *num.* 7. *Facto manè misit ad omnes coniectores Ægypti, cunctósque sapientes*, &c. Prudens admodum Pharao Magos consulit de re Magica; habet enim sapiens auctoritatem ab arte. quam quidem suis dictis vt conciliaret, hæc pro se quisque apud Regem, *Filius sapientum ego*, &c. apud Veloſ. in Iudith.

De arte qualicumque solus artifex bene disputat.

Gen. cap. 41. n. 7.

Sanum à sapientia consilium commendatur.

Isaiam *cap.* 19. *num.* 11. Quid superbè tumet sapiens? Quid tumens iactat? suum ab arte consilium probare, & commendare quisque voluit. *Vt eius consilio crederetur*, &c. Quod aduertit D. Thom. admonens interim consilium à bono magistro captandum esse. Dubitat de re sacra Philisthæus, Sacerdotes adit, & interrogat. Premit hostes Arca Domini; pereunt homines morbo grassante. *Et facta est confusio mortis magnæ in ciuitate*, &c. 1. *Reg. cap.* 5. *num.* 6. Decernit Philisthæus Arcam Hebræo restituendam esse; obscurum est, quo id modo fiat. Quid igitur? cap. 6. num. 1. *Vocauerunt Philisthiim Sacerdotes*, &c. Benè est; notat Abulensis q. 6. *Remitti Arcam pertinebat ad cæremonias Deorum: de his autem poterant melius iudicare Sacerdotes*, &c. Vel idololatras, natura duce, nouit Sacerdotes de re diuina interrogandos esse; vtpote qui eam rem callerent meliùs ex officio. Certè Deus, cùm Ducem agat, vt Achabum premat ferro Syro, consultat de modo Regis opprimendi, 3. Reg. 22. num. 20. *Quis decipiet Achab, vt ascendat, & cadat in Ramoth*, &c. Non ignorat, quid ad rem faciat: sed Ducem refert dubium, notat Abulens. q. 12. *Inducitur Deus, quasi petens consilium*, &c. Sed à quibusnam Consiliarijs Dominus operam exposcit consilij? Ab acie militari. Nam textus est. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem*, &c. Illud insinuat Magnus Deus, de bello belli scientes milites consultandos esse. Abulensis iterum q. 11. *Iste* (inquit) *est actus militaris; ideo vocatur exercitus*, &c. Quid mirum, si Angeli, velut milites euocantur in Concilium de bello mouendo? Rectè scena à Deo adornata est. Rectè & Nabuchodonosor milites in aulam cogit, qui de re militari dicant; & quibuscum Princeps

Isa. cap. 19. 11.

1. Reg. cap. 6. n. 1.

Sacerdotes de re sacra potiores iudices.

3. Reg. c. 22. n. 20.

A Senatu militari consilium de bello gerundo.

Habuit mysterium consilij sui.

Commentarius.

II. DEflecto μυστήριον, à verbo μύω, quod est, *occulto*; siue à verbo μυέω, quod est, sacris initio. Multi id homines volunt, versantque multis locis, apud Iustinian. *ad Rom. c.* 11. *num.* 25. vnde Cereris mysteria. Vnus, & alter mihi homo placet è profana schola. *Vetabo* (inquit Horatius) *qui Cereris sacrum vulgarit arcana*, &c. *lib.* 3. *Ode* 2. Ea enim erant sacra Cereris, vt silentio premerentur; quod Alcibiades cùm negligeret, Iustino teste, *Absens Athenis insimulatur, mysteria Cereris, nullo magis, quàm silentio, solemnia enuntiauisse*, &c. *lib.* 5. Eò pertinet, quòd noctu mysteria agerentur, licèt accensis facibus. Vnde nata occasio est, vt luderet Clemens Alex. Orat. 1.

Silentio absurda quaque honorantur.

Digna quidem noctu mysteria, & igne, &c. Damnantur enim tenebris mysteria Cereris, vtpotè sacra absurda; & damnantur facibus, vtpote fœda scelera. Nec ab Alexandrino abest Tertullianus Apologet. cap. 6. *Cùm omnibus mysteriis silentij fides debeatur*, &c. Adeò sacram scholam, vbi mysterium frequenter est res bene tecta. Facit in locum Paulus ad Colossens. 1. num. 26. *Mysterium, quod absconditum est à sæculis*, &c. Facit & Syracides cap. 27. n. 24.

Ad ignem vltorem pertinent scelera.

Ad Coloss. c. 1. n. 26. Eccl. cap. 27. n. 24.

num.24.*Denudare amici mysteria,desperatio est*, &c.Facit tandem mulier,quæ media in fronte inscriptum habet, *Mysterium*, &c. *Apoc.*17. *num.* 5. quod Ruperto est malum, sub auro latens. Hoc mysterio consilium tectum esse voluit Nabuchdonosor. quod probat Iustinianus *loco citato*, illúdque Assyrius insinuat, silentium,consilij animam esse. Iam verò belli negotia, quis non tegat mysterio pertinaci?ne vel arte detecta,vel hoste instructo,malè cedant. Scio Gallum non semel de bello consultasse; loco tamen syluestri,& nocte intempesta. Quod notat Cæsar. lib.5. *Nocturna* (inquit) *in locis desertis consilia habebant*, &c. Idque Gallus hostis agebat, ne consilia deferrentur ad Cæsarem, cum iactura fortunæ bellicæ. Puto hoc respectu Saulem consultasse de genero perdendo. *Cùm esset in nemore hastam manu tenens*,&c. 1. *Reg.* 22.*num.*6. Cur ab vrbe abit ad syluam, vt consilium ineat Dauidis perdendi? sed accommodatus est locus ad occultandam consultationem, more Gallico. Diem Hebræus deligit consiliis habendis,noctem Moabites;apud Isaiam cap.16.num.3.*Ini consilium, coge consilium;pone quasi noctem,umbram tuam in meridie*,&c. Nam quod Lyra sonat,illud est, *Congrega in loco secreto ad videndum*, &c. Probè Vates sentit noctem consiliis occultandis natam esse. quod laudat Valerius lib.6.

Apoc. c. 17. n 5.

2 Reg. c. 22. n.6.

Consilium tenebris, & latebris ineundum.

Isa.c.16. n.3.

Consiliis dum nox vocat alta mouendis, &c. Vide Lipsium *in notis ad Polit.lib.*3.*cap.*6.Laudo morem Persis Consiliariis seruatum religiosè. *Apud quos silenty Numen colitur*, &c. Ammiano Auctore *ad lib.*21. Probo & legem Ægyptiam, quæ linguam intersecat detegentibus Regum consilia, apud Diodor. *lib.* 2. *cap.* 3. Probo, & laudo Assyrium, vtpote qui *habuit mysterium consilij sui*, &c. liquidò admonens,

Consultoribus Numen, silentium.

PARÆNET. V.

Consilium consulto occultandum esse.

1.

MVltis probatum reputo Reges, ac Duces, vel sapientes consilio egere; quod Dauid monet 2. Reg.23. num.8. *Sedens in cathedra sapientissimus*,&c.Ac deinde virili opera.*Sicut tenerrimus ligni vermiculus*, &c. vtpote qui,Vatablo Auctore,*consilio valebat,& virtute bellica*,&c.Sed laudo consilium, quod occultè fiat. Nam סוד *Sod* Hebraicè consilium sonat, & mysterium:apud Iobum cap.15. n.8. *Nunquid Dei consilium audisti*, &c. apud Amos 3. num.7. *Nisi reuelauerit secretum suum*, &c. Vt scias consilium secretò ineundum, & silentio premendum esse. Periculum enim est, ne consilio detecto Senatusconsultum malè pereat.Placet bonis viris,quod Metello,detrahendam sibi tunicam, flammísque tradendam, ne quod sciret consilium, proderet hostibus. Id sentit Valerius lib.11.cap.11.*Taciturnitas optimum, atque tutissimum rerum administrandarum vinculum*, &c. Et quidem Iosue hanc de consilio tegendo mentem alit. *Misit igitur duos viros*, &c. *cap.*2. *num.*1. qui Ierichuntam explorarent, agros, hostes, vires, artes recognoscerent. Non vnum misit hominem, qui

8.Reg. c.23. n.8.

Consilium manu iuuandum.

Iob. cap. 15. n 8.

Amos cap.3. n.7.

Consilium clanculò ineundum.

Iosue c 2.n.1.

Vnus homo, nullus homo ad peruidendum.

negotium perageret.*Nam vnus perfectè non iudicat, neque deliberat*, &c. teste Abulensi *q.* 7. Addit tamen textus missos esse exploratores, *in abscondito*, &c. licèt vox Hebræa חרש *Heresch*, surdum valeat, vt meminerint homines rem sibi commissam ita occultandam esse, ac si nihil audirent. Sed quare Iosue misit exploratores *in abscondito*?&c Ratio est artis politicæ,ne contubernales in castris scirent,quod leui tererent colloquio, & facilè ad hostes peruenirent,cum iactura rerum bellicarum.

Taceat, qui negetiũ suscipit.

2.

Quàm prudens hac parte Moabites est? timet Princeps Hebræum militem; cogit Senatum,vt sibi, & regno consulat:nam textus est, Num.22.num.4.*Dixit ad maiores natu*,&c.Statuunt Senatores, vt euocetur Magus in auxilium; sed quosnam ad Balaamum Princeps legat homines?*Perrexerunt seniores Moab*, &c. *num.* 7. Oratores nisi ætatis prouectæ, rerum scientes, ac secretorum tenaces,non legantur. quod Abulensis aduertit q.5. *Vt secretiùs, & prudentiùs ageretur,isti missi sunt*,&c.Quæ enim ad Remp.spectant negotia, oportet, vt consilio fiant,& premantur silentio pertinaci. Addo occultandam omnino esse vel curam iuris dicundi. Peto enim quo in loco sederent Moyses, Pontifex, & Iudices reliqui? Vbi sorores litem mouent de hæreditate retinenda?nónne textus docet, *Ad ostium tabernaculi fœderis*,&c. *Num.cap.*27.*num.*2.scilicet intra domum,iuxta velum; inibi enim Moyses exercebat iudicia: quod Abulensis probat *q.* 1. & rationem addit.*Vt secretiùs ageret*,&c. Daretur enim locus intercessionibus, vbi sententia Iudicum palàm esset,nec procederent negotia administrationis publicæ.Addo Christum, nisi discipulis, non communicasse mysterium Crucis tolerandæ. Ibat Magister in vrbem multa septus turba hominum:cùm esset adhuc in via, *assumpsit duodecim discipulos suos secretò*, &c. *Matth.*20.*num.*17. Id Græco textu est παρέλαβε κατ' ἰδίαν, *separauit priuatim*, scilicet à turba hominum reliqua. Id verò cur ita?vt discipulos admoneret de Cruce, & nece perferenda. *Et filius* (inquit) *hominis tradetur*, &c. vbi Theophylactus ad rem. *Secretum erat mysterium, quod solis familiaribus reuelandum erat*, &c. Facto Christus docet consultationes rerum grauissimarum vulgo occultandas esse. Nónne tutelare Numen consiliis habendis Consus aram sub terra habebat? Ibi Sacerdos, ibi sacra,ibi Deus ille Consus:quod Tertulliano placet ad lib. de spectac. cap. 5. *Ara Conso defossa est in circo ad primas metas sub terra, cum inscriptione huiusmodi:Consus consilio*, &c. Sed Plutarchus inuenit, summo id consilio decretum esse. *Placet aliis, quoniam consilium arcanum esse oportet, subterraneam, & opertam Dei aram fuisse*, &c. Hæc Græcus in Romulo.

Num. c. 22. n.4.7.

Senex silentiarius, ad Remp.

Num. c. 27. n.2.

Iudicium occultò exercendum.

Matth. c.20. n.17.

Magna paucis detegenda.

Consilium sub terra condendum.

3.

Consistit negotium, quod remotis in locis tractatur.Neque enim hostis illò facilè pedem inferat, vt sermones excipiat dolo malo. Sic Dauid, & Ionathas amicè conueniunt. 1. Reg. 20. num. 11. *Egrediamur foras in agrum*, &c. Ibi sine arbitris pactum ineunt amicitiæ perpetuæ,num. 16. *Pepigit Ionathas fœdus cum domo Dauid*,&c. Miror,cur Ionathas in agrum abierit sine apparatu domestico,sine comitatu aulico?

1.Reg. c.20. n.11.16.

aulico? sed Abulensis id sano cerebro excogitatum esse docet q. 18. *Voluit enim Ionathas, quòd essent in agro, vt ibi liberiùs loquerentur,* &c. In aulam si conueniret Dauid cum Ionatha, vel Princeps in agrum seruis stipatus abiret; quot seruos Princeps, tot haberet testes pacti ineundi; secretum igitur ab arbitris locum petit, ne quod tractaret negotium, deferrent ad Regem adulatores aulici. Adhuc Christus agit secretiùs. Nam vt de Cruce ageret cum Moyse,& Helia apud Luc. 9. n. 31. *& dicebant excessum eius,*&c. Et vt ostentaret opes Sacræ maiestatis num. 32. *Viderunt maiestatem eius*, &c. Quò se Magister confert? *Assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem,*&c. *num.* 28. Cur tanta rerum maiestas longè ab vrbe, longè à turba, longè à discipulis aliis? *Vt secretares esset*, &c. monet Salmeron *tom. 6. tract.* 33. Deinde tribus contentus discipulis reliquos à se amouet, ne mysterium peruulgaretur, quod interim occultari oportebat. Sic Abulensis q. 11. *Tres* (inquit) *pauci erunt, vt possent facilè secretum seruare*, &c.

Fœdus amicitiæ firmum sine arbitris.

Luc. cap. 9. n. 28. 31. 32.

Quæ velis tecta, paucis aperias.

4. Quid si & Deus quotannis Sacerdotem Maximum admitteret adytis penitioribus, vbi quid vellet secretò ageret? constat ex *cap. 9. ad Hebræos, num.* 7. & quidem Moyses explicat *Exod.* 30. *num.* 10. quid inibi Pontifex ageret. *Et deprecabitur semel per annum*, &c. Agebátque Pontifex de re domestica, de re patria, rationes excipiens administrationis optimæ. Sed cur Deum audit Sacerdos velo inter Sacerdotes reliquos oppanso? Ne quod suo cum Deo tractaret, facilè ab aliis exciperetur. *Quidquid enim effertur sermone, in tuto non est*,&c. sic Philo *de Gigant.* Illúdque Hebræus voluit, quidquid negotij agimus, quod ad rem, siue priuatam, siue publicam pertinet, velo obtegendum esse, ne vulgo notum malè consistat. Sed & suo cum Moyse Deus ita se gerit. Moysen è castris in Horebum euocat, Exod. 19. num. 20. *Vocauit Moysen in cacumen eius*, &c. Ibi nubes obducta, & caligo interfusa, ex *cap.* 20. *n.* 18. Mediam tamen in nebulam sese Moyses infert, num. 21. *Moyses* (textus est) *accessit ad caliginem*, &c. Quid verò Deus? Moysen instruit de legum officio, ac de forma gentis instituendæ. Cùm tamen rationes interserat scientiæ mysticæ, id secretò agit, & nebula interposita. Consilium igitur sanum est, negotium qualecumque tegere: quo mysterio tegendum putat Nabuchodonosor consilium rerum bellicarum.

Ad Hebr. c. 9. n. 7.
Exod. c. 30. n. 10.

Quæ sunt magna, occultè Deus agit negotia.

Exod. c. 19. n. 20. c. 20. n. 21.

Administrum occultò Princeps instruat.

Vnum illud manu lenta excutiendum est. Cur textus Latinè tradiderit vocatos ab Assyrio, esse *omnes maiores natu*, &c. Cùm Græcè euocatos fuisse dixerit, τὺς θεράποντας, καὶ τὺς μεγιστάνας. hoc est, *ministros, & magistratus*, &c. Vnde colligo seniores, vtpote sapientiores, Rebusp. præfectos esse. Vtrumque iure politico. Nam Præfectus natu grandior inde habet, & vnde piè colatur, & vnde scienter agat; si quid bene credis Homero ad Iliad. 23. *vel Dij venerantur seniores.*

Seniores, ne sapientiores?

Αθάνατοι τιμῶσι παλαιοτέρους ἀνθρώπους.

Si quid Nasò rectè monet lib. Metam. 6.

——seris venit vsus ab annis, &c.

Et vt mea me schola expediam, *Dignitas senum canities*, Prou. *cap.* 20. *n.* 29. Res tamen in dubio adhuc est,

PARÆNET. VI.

Quisnam muneribus obeundis præstat, iunior, an senior?

1. PRo sene, aduersùs iuuenem, argumentum esto. Honorem meretur senior ex Periandro, qui monet, *Senem venerare*, &c. Eóque merito apud Gades aram, & Sacerdotem sibi dicatum senectus habebat. Auctore Philostrato *ad lib. 5. c.* 1. cur ita? & cur seniores à iuuentute Romana colerentur, placuit Valerio; quòd scilicet, *Tanquam maiores natu adolescentium communes Patres essent*, &c. *lib.* 2. *cap* 1. Et quidem senectus Græcè ab honore dicitur. Nam γῆρας *senectus*, γέρας *honor* est. Ac si iustè senior ad honores publicos erigatur. Quod Plato docet *ad lib.* 3. *de Repub.* id statuti scribit Strabo placuisse maximè Sabæis hominibus, *Natu scilicet grandiorem esse Dominum*, &c. *lib.* 16. quod vel à brutis animantibus ediscо. Nam, teste Plinio, *Elephanti gregatim semper ingrediuntur: ducit agmen natu maximus, cogit ætate proximus*, &c. *lib.* 8. *cap.* 5. Sic & formicæ, cùm ad pabulandum proficiscuntur; quod notat Ælian. *lib.* 6. *de animalib. cap.* 36. Inde colligas à mera natura ortum, vt senes imperent, iuuenes obtemperent. Fauet textus ex *cap. his igitur, dist.* 23. qui Petro hæret, cùm iubeat epist. 1. cap. 5. num. 5. *Adolescentes subditi estote senioribus*, &c. Quasi Petrus absurdum putaret, iuniores senioribus præpositos esse. Quis enim ferret iuuenem viris grandioribus prælatum, vt moneret, vt iuberet, vt pro arbitrio rem summam gereret? Certè Christus Dominus, cùm Ioannem haberet in oculis, non affecit honore summo, sed Petrum seniorem, mandato Pontificatu: quod obseruat Hieronymus lib. 2. contra Iouinian. *Ætati* (inquit) *delatum est; quia Petrus senior erat. Ne adolescens, ac penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur*, &c. Ac si vellet Hieronymus abesse à bono, & æquo, vt qui annis minor est, imperet senioribus. Nam, Cicerone teste, *Temeritas est florescentis ætatis, prudentia senectutis*, &c. Sic ille *ad lib. de senect.* Nec Tyrus prudentes agnoscit vrbis dirigendæ, nec textus ostendit alios, quàm seniores, schema nautica, apud Ezech. cap. 27. n. 9. *Senes Giblij, & prudentes eius habuerunt nautas ad ministerium*, &c. sapiunt seniores, sano cerebro, ad rem bene gerendam, non sapiunt iuniores, hominum communi placito. Nam cùm Samuel Regem à Iesse peteret, 1. *Reg.* 16. *n.* 7. exhausto filiorum numero, quos Deus amouerat, vnus tantùm Dauid erat, de quo tamen pater silebat: nec meminisset, nisi Prophetes peteret num. 11. *Nunquid completi sunt filij?* &c. Tunc enim Iesse reddit, *Adhuc reliquus est paruulus*, &c. Cùm de Rege legendo agitur, cur pater silet de adolescentulo? *Ob hoc reputabat eum ineptum, qui ad regnandum eligitur*, &c. sic Abulensis *q.* 27. Bene patet ex schola politica. Vnde carmen à Musa panegyrica:

Senectus quasi Dea.

Senex, vt Pater, sanctè colendus.

Senectutem veneranitur & bruta animantes.

1. Petr. c. 5. n. 5.

Iunioribus seniores imperent.

Ezech. c. 27. n. 9.

Magistratum senes bene gerunt.

1. Reg. c. 16. n. 7. 11.

Ineptus sceptro mouendo puer.

——Tenero tractari pectore nescit
Publica maiestas, &c.

2.

Probat Tiraquellus *ad præfat. de iure Primogen. num.* 165. Honores administrationis publicæ mandandos senioribus esse, non iunioribus, cùm iuuentus vsu minus trita labatur facilè, imò amentiæ vicina sit: si quid rectè docet Ecclesiastes *cap.* 11. *num.* 10. Nam vbi latinè habes, *Adolescentia, & voluptas vana sunt*, &c. Græcè legas, νεότης καὶ ἡ ἄνοια ματαιότης, *Iuuentus, & amentia vanitas*, &c. Proximo se gradu contingunt adolescens, & amens. *Quia iuuentus insipientiæ copulata est*, &c. sic Hieronymus. Quis igitur sanæ mentis homo iuuenem fascibus gerendis præficiat? Abeat in pessum Resp. necesse est. Malam Ieroſolymis fortunam minatur Deus apud Isaïam cap. 3. n. 4. *Dabo pueros Principes eorum*, &c. qui scilicet amantes sui, & inde amentes, de iure summo summam faciant iniuriam. Sensit cum Deo Nicomachus apud Vopiscum suo in Tacito, *Dij auertant Principes pueros*, &c. Vnde nata Senatorum acclamatio, Tacito iam delecto, *Quis melius, quàm senex imperat*, &c. Prudenter acclamatum puto: nam delectus in Principem, *Tumultuabitur puer contra senem*, &c. *ad Isaiam cit. num.* 5. Cùm permissa puero potestas fuerit, quid senex valebit? Quid sancti, pensique habebit Princeps iuuenis in senem? *cum fastu insurget*, &c. quod Vatablo placet. Superiorem se dotibus esse putat, qui fascibus gerendis legitur iunior: vnde occasio est, vt superbè tumeat. Grande malum! quod Paulus vt auertat longè, quærit Episcopum 1. ad Timoth. 3. n. 6. *Non neophytum*, &c. scilicet, nec fide, nec ætate iuuenem; vtrumque enim valet νεόφυτος. & exponit D. Thomas *lect.* 2. Ratio ex Paulo est. *Ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli*, &c. quare, ne iunior honore prælatus intumescat, & inde insolescat in seniores, obtemperet potius, quàm imperet. Absurdum Iacobus putabat Iosephum adhuc adolescentulum de principatu somniasse, *Gen.* 37. *num.* 9. Nam textus est, *Increpauit eum pater suus*, &c. Philone teste. *timens, ne quid ille peccaret*, &c. *ad lib. de Iosepho.* Sed quid peccati in puero agnoscit patet? subdit Philo. *Nam expectare principatum inter domesticos, res, me iudice, abominanda est*, &c. Pleniùs Philo diceret, captare principatum in fratres natu grandiores, absurdam omnino rem videri. Hæc pro senibus.

Ecclesiastes cap. 11. n. 10.

Iuuentus mera insania.

Isa. c. 3. n. 4. 5.

Nemo, quàm senex, melior imperat.

Odit senem puer quasi mastigiophorum.

1. ad Tim. c. 3. n. 6.

Ineptus ad Episcopatum iunior.

Gen. cap. 37. n. 9.

Velle domesticis præesse grande malũ.

3.

Sed in senes insurgunt iuuenes, & probant se non semel à Deo selectos esse ad rem bene gerendam. Maior natu Eliabus, quàm Dauid, erat; quod patet ex 1. *Reg. cap.* 17. *num.* 13. Nec tamen à Deo ad sceptrum deligitur: sic enim Deus ad Samuelem cap. 16. num. 7. *Ne respicias vultum eius*, &c. Vnus Dauid legitur à Deo, inungitur à Samuele. Dauid autem erat minimus, &c. *num.* 14. Apud Danielem cap. 13. n. 5. *Constituti sunt de populo senes iudices*, &c. sed qui senes Iudices iudex vrget, & punit, Daniel est. *Suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris*, &c. *num.* 45. Quis nescit Iosephum annis minorem à Deo probatum, Rubenoque prælatum esse, vt secundus à Rege Ægyptum administraret? Id enim Pharao ad Proregem, *vno tantùm regni solio te præcedam*, &c. *Gen.* 41. *n.* 40. Quod satis ostendit iuniores Magistratibus administrandis potiores esse. Nisi velint seniores se à Deo reiectos aliquando fuisse, non vt ineptos rebus gerendis, sed, *quo se submissiores agant*, &c. Et Tiraquelli est interpretatio *ad præfat. citatam num.* 78. Deinde addit Nazianzenus Orat. 40. *Pro lege nequaquam censendum est, quod rarò accidit*, &c.

1. Reg. c. 16. num. 7. c. 17. a. 13. 14.

Ineptus Regno senior.

Dan. c. 13. n. 5. 45.

Seniores punit iunior, Deo duce.

Gen. cap. 41. n. 40.

Prodest senibus ad modestiam quod iuuenes Rem agant publicam.

Vrgent tamen iuuenes, Ieremiam captasse quidem patrocinium ab ætate, ne senioribus præferretur ad regni curam, & munus propheticum; patet enim ex *cap.* 1. *num.* 6. clamasse Vatem, *A, a, a, Domine Deus; quia puer ego sum*, &c. sed vires inde cogit Deus, vt puerum bene moratum vaticinio expromendo, & regno admonendo seligat. Neque enim, vt Moyses, corripitur, *Exod.* 4. *num.* 6. sed, quod notat Hieronymus, *Pueritiæ datur venia; quæ verecundia, & pudore decoratur*, &c. Ac proinde Vates à Deo lectus audit. *Noli dicere, Puer sum*, &c *num.* 7. *Ecce constituo te hodie super gentes, & regna*, &c. *num.* 10. Ac si ad regni administrandi negotium deligatur puer, non æuo senex, sed animo. Nisi credant seniores Ieremiam dispensatoriè promotum esse; quod & D. Thomas docet, 1. *ad Timoth.* 2. *lect.* 2. Quid verò, si præstant iuuenes, quod non præstant senes, ætatis vitio? Textus est Exod. 24. num. 5. *Misitque iuuenes, & obtulerunt holocausta*, &c. Vbi senes? cur aras non tangunt? cur non mactant pecudes? cur non incendunt odores? aberant ne longè à castris? sed lego proximè n. 9. *Ascenderunt Moyses, & Aaron, & septuaginta de senioribus*, &c. Præstant igitur Deo iuuenes, faciendo melius, quàm senes. Sic Laudunensis ad textum: *Misitque iuuenes*, &c. *Non pueros, non senes, quorum alios quidem leuitas, alios debilitas prapedit*, &c. quòd si malè senes deficiunt ad aram curandam, cur non deficiant ad vrbem instruendam.

4.

Ierem. c. 1. n. 6.

Placet in puero pudor.

Exod. cap. 4. n. 6.

Ierem. c. 1. n. 7. 10.

Puer animo senex.

Exod. c. 24. n. 5. 9.

Ineptus sacris senior.

5.

Languent æuo senes, languent & cerebro: verè pueri, quos Isaias notat, centenarij, *c.* 65. *num.* 20. imò, Δὶς παῖδες οἱ γέροντες, id est, *senes bis pueri*; quos mordet parœmia, senes scilicet, de quibus versus ab Hostiensi appositus *ad cap. cùm in iuuentute, de purg. canon.*

Isa. 2. n. 65. n. 20.

Senex animo puer.

Stultitia est, quæ te non sinit esse senem, &c. Quos tandem Ecclesiastes vrget *cap.* 4. *num.* 13. illud iterans, *Melior est puer pauper, & sapiens, Rege sene, & stulto, qui nescit præuidere in posterum*, &c. Video quid inibi velit Sapiens, esse aliquando senes, qui ætatis culpa nihil omnino sentiant, nihil sapiant; sed repueraſcant, cerebróque deficiant ad ineptias pueriles. Auctor enim est in politicis Aristoteles, post annos quinquagenos ingenij aciem obtundi; cur igitur ætatem non habeant longè à Rep. senes sexagenarij, quos parœmia de ponte deiicit, apud Macrobium *lib.* 1. *Saturn. cap.* 5. Id verò est senem ab officio administrationis publicæ relegare, quòd senectus calculis rerum mouendis inepta sit. Addo Hebræum Sacerdotem ab anno quinquagesimo vacationem officij impetrare. Lex quidem est Leuitica Num. c. 8. n. 24. *Cùm quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt*, &c. Stata sacris operandis ætas est, ne faciendo senex deficiat. *Propter corporis infirmitatem*, &c. sic Theodoretus obseruat *quæst.* 13. *in Num.* Quòd si Deus instruendo populo senes parat, senes quidem prouidet, non qui ab ætate nomen habeant, sed à probitate vitæ, & sapientiæ commendatione.

Ecclesi. c. 4 n. 13.

Sexagenarius à Rep. ablegandus.

Leuit. cap. 8. n. 24.

Num.c.11.n. 16. *Senes sapientia quærit Deus.*

tione. *Quos tu nosti, quòd senes sint populi, ac magistri,* &c. *Num.c.*11.*n.* 16. Altè Deus monet; quod nam enim sapientiæ opus est senem ex facie dignoscere? Alia igitur senectus est, quæ sano constat cerebro, & iuuenem beare potest. *Nam re vera Deus non senectutem annorum, sed senectutem requirit animorum,* &c. quod Rupertus aduertit *lib.*1.*in Exod.cap.*32. Vnde colligo malè audire senes, quibus non fauet ætas annis trita, cùm egeant helleboro ad purgandum cerebrum.

6.

Abigo à Rep. senes capulares.

Accipio. Neque enim ego senes laudo capulares, Acherontios, muneribus publicis ineptissimos; siue id proueniat ætatis, siue naturæ vitio: senes laudo, quibus sensus est integer, vita integra, cerebrum integrum; quos non ludant iuuenes, & quos iudiciis exercendis allegit Magnus Deus *ad cap.* 21. *Deut. num.*19. vbi textus de adolescentulo peruicaci, *Apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij*, &c. Nam cùm senex vsu rerum sciens habeatur,

Deut. c. 20. n. 19.

——*Mansura verendus*
Scribit iura senex, &c.

quod notat Panegyristes. Premunt tandem iuuenes, manu contracta. Nemo neget iuniores æquè, ac seniores, muneribus obeundis præstare: quos æquali pensat trutina Spiritus optimus, apud Iohel cap.2.n.28. *Senes* (inquit) *vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt*, &c. vbi Cyr. Alex. pares gratiæ vires in vtrisque hominibus agnoscit. Sic enim haber, *Gratia plenitudinem, & in eo æqualitatem subindicans*, &c. Sed nulla argumento vis est, cùm Deus à senibus ad iuuenes decurrat; senectutemque præferat ad officium ineundum muneris prophetici, quam vel iure Cæsaræo præferendam probat Tiraquellus *ad præfat. de iure primog. num.* 165. Vide *l. & qui originem*, §. *Præses.* Et quidem lege Romana, & annali, ætas erat stata ad petendum consulatum, annus scilicet tertius & quadragesimus; quod patet ex 5. *Philipp.* & Naso canit 5. Fast. libro,

Iohel. cap.2. n.28. *An iuuenes senibus pares ad rem sacram, & profanam.*

Seniores sanamentis laudo vtiliores rebus gerendis.

Iura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas; vnde petatur honor.

Quare, vt litem absoluam, senes præficio magistratibus obeundis, vbi pares sunt dotes, cùm senes præeant, & æuo, & vsu. In hanc partem abierat Nabuchodonosor, qui suam in aulam, *vocauit omnes maiores natu*, & Græco textu τὺς πρεσβύτερους, ἢ τὺς μεγιστάνας, *Ministros scilicet, & Magistratus*, &c. Senes annis graues.

Num. 3. Dixítque cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo iugaret imperio.

Commentarius.

12. VIdeo quid Assyrius suo tegeret mysterio, famem scilicet de orbe terrarum deuorando. Id ille secum agitare, id cum senibus, ac ducibus consultare, licèt publicè iura defensionis induceret; sed larua iustitiæ deposita, libidinem dominandi prodit, & facit, quod Xerxes; nam cùm Græciam vniuersam bello peteret, vt rem augeret Persicam, velo id obducto appellauit τῶν Ἀθηναίων πμωρίαν, *Athenienſium punitionem.* Suum Xerxes tegit scelus honesta facie. quod ab Hebræo didicit 1.*Reg.*18.*num.*13. Textus est de Saule aduersùs Dauidem. *Fecit eum tribunum super mille viros*, &c. Deinde addit, vt cum Philisthino continenter bellum gerat, num.17. *Vir esto fortis, & præliare bella Domini*, &c. Honesta profectò rerum facies est, cùm Saul misso in tribunum iaculo, stomachum priùs detexisset, num. 11. *Putans, quòd configere posset Dauid*, &c. sed quia propudium erat, premi à sano Rege innocentem militem, tribunatu donat, suum vt scelus eleuet, imò tegat. quod Abulensis expendit quæst.22. *Dicendum est, quòd iste principatus fuit datus ad colorandum factum præteritum*, &c. scilicet ne quis putaret Saulem ex consulto militem ferro petiisse. Deinde tribunum ab aula delegat ad regni fines, vt cum hoste continuò manum conferat, eáque via pereat facilè. quæ quidem Saulis cogitatio de textu est num. 17. *sit super eum manus Philisthinorum*, &c. Quòd militem Princeps affecerit mandato tribunatu, vt suum tegeret stomachum, docet Abulensis. *Voluit hoc colorare, promouens ad maiorem dignitatem*, &c. Sed actum non ago; nec verso, quod recurret iterum, petitam scilicet ab Assyrio fortunam rerum omnium, *vt omnem terram suo subiugaret imperio*, &c.

1. Reg. c. 18. n.13. 17. n.11.

Honesta facit tegit malus grande malũ.

Pudet Regem consultò malum esse.

13. O sacram famem! O ventrem rerum maximarum helluonem! Quis neget à Tacito, vt à Vate dictum lib.4. Histor. *Aurum, & opes bellorum causæ præcipuæ*, &c. sed priùs à Iacobo oraculum est cap. 4. n.5. *Vnde bella, & lites in vobis? nónne hinc*, &c. suum vox habet aculeum: & quidem, si Cassiodoro fides est *lib.* 1. *epist.* 30. Bellum à Belo dictum; qui noua imperij cupiditate bellum finitimis intulit. In dubio Tibullus est,

Iacob.cap.4. n.5.

Vrget ad belli aleam auri fames.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?

Sed non dubitat de belli causa, quam addit proximè lib.1.Eleg.10.

Diuitiis hoc auri vitium est, &c.

Certè viri diuitiarum, ex *Psalm.*75. *num.* 6. hoc est, homines auri, argentique amantes. Hebræo textu אנשי חיל, *Anscechail, viri exercitus*; & fortasse notat Dauid Reges, qui auri sacra fame cogunt milites, arma corripiunt. Quæ fames Alexandro erat? Apud Curt.lib.9. *Haud procul à fine mundi absum: quem egressus, aliam naturam, alium Orbem aperire mihi statui*, &c. Affectum Alexandri eruo, ex Hebræa schola. Nam ריב *Rib*, id est, lis, & contentio nata est à verbo רוב *Rub*, quod est dominari. Ac si nemo rerum dominus esse velit, qui litem non ferat, & manu contracta non contendat. Non alia de Spartanis tradit Iustinus lib. 6. *More* (inquit) *humani ingenij, quo plura habent, eo ampliora cupientes, non contenti accessione Athenienſium opum, vires sibi duplicatas esse, totius Asiæ imperium affectare cœperunt*, &c. Helluones rerum impudentes, qualis Nero, qui nunquam delegauit officium, vt nõ adiiceret, teste Suetonio, *Hoc agamus, ne quis quidquam habeat*, &c. *cap.* 32. Quasi pudor esset habere ciuem, quod Nero non raperet. Nec Assyrio minor libido. *Vt omnem terram suo subiugaret Imperio*,

Ps.75.n.6.

Lites monet rerum cupiẽs.

Quo plura habent homines plura cupiunt.

imperio, &c. iam enim animo deuorauerat, quidquid vbique terrarum erat.

14. Illud in Assyrio vnum laudo, quòd morbum texerit animi, pudore fortasse contracto. Neque enim aulicis palàm, sed consiliariis clanculum aperit. *Mysterium consilij sui*, &c. Id verò est, quid percuperet, quid destinaret, Regum scilicet vires premere, terrarum opes rapere, Deorum aras vertere. *Vt ipse solus diceretur Deus*, &c. quod patet ex *cap.* 3. *num.* 13. cùm tamen propudium reputaret, ita peccare in homines, & in Deos; aliud tegit mysterio, aliud sermone explicat, scilicet, *vt defenderet se*, &c. Tegunt hæretici, quod fouent, erratum; & auditores instituunt silentio Pythagorico; sed, *Quod tacent, pudor est*, &c. Tertulliano teste aduersùs Valentin. *cap.* 1. Ea enim docent, velo obducto, quæ turpe est aliis enuntiare: vnde merum turpi schola silentium est, ne quis vel auditor quidquam obiiciat, differendi gratia. Malum grande! quod silentio latet Cereali. Nam, teste iterum Tertulliano, *custodiæ officium conscientiæ officium est*, &c. Nec tegerent solicitè nisi puderet retegere. Quod Augustinus obiicit scholis grammaticis: vbi velo ad ianuam oppanso, docet Orbilius monstra, horrida monstra, idololatriæ turpissimæ. *Vela pendent in liminibus grammaticarum scholarum, sed non illa magis honorem secreti, quàm tegmentum erroris significant*, &c. *lib.* 1. *Confession. cap.* 12. Cur igitur Nabuchodonosor suum non tegeret consilium de absurdo ambitu, de turpi latrocinio, de fœda Theomachia?

Silet ex pudore malus quisque.

Quod absurdum est, tegit Hæreticus, eòlatran: e conscientia.

15. Absurdum est captare sedem alienam, quod fratres patrarunt notati de ambitu: & patet ex Magistri dicto aculeato, *Nescitis, quid petatis*, &c. apud *Matth.* 20. *num.* 22. Cùm enim Magister Petro iam claues permisisset, mandato Pontificatu cap. 16. num. 19. *& tibi dabo claues*, &c. Res erat absurda velle homines de primatu Petrum deiicere. Ac proinde matrem inducunt, vt Magistrum conueniat, & negotium aggrediatur. Accedit igitur mater num. 20. *Adorans, & petens*, &c. Cur fratres se tegunt velo materno? Cur suum per se non explicant negotium? Cur scenam adornant materna cura? Bene Chrysostomus, *Pudore* (inquit) *victi matris patrocinium assumpserunt*, &c. *Hom.* 66. Marcus tamen docet fratres per se ambiisse primatum, & petisse, cap. 10. num. 35. *Accesserunt Iacobus, & Ioannes*, &c. sed Magistrum ab aliis sepositum adiere; nam de textu est n. 32. *& præcedebat illos*, &c. Deinde reliquos malè commotos vt leniret, *vocauit ad se*, &c. Matth. 25. Cur ita? Victor in loco, *Rubore suffusi, ne res à cæteris deprehendatur, extra discipulorum consortium, Christum adeunt*, &c. Non alio Assyrius pudore suffunditur.

Matth. c. 20. n. 20. 21.

Absurdum Apostolo est, vt præsse velit.

Mar. c. 10. n. 31. 35.

Alienum à viro bono ambiendi studium.

16. Turpe est rem alienam rapere: quod in Adamo videre est. Rapit homo pomum à Deo vetitum, *Gen.* 3. *num.* 6. Quis inde timor? Quis inde pudor? Audit clamantem Deum, & fugit ad arbores n. 8. *Abscondit se Adam*, &c. Cur fugerit homo furti reus, latebrasque petierit, à Theodoreto habeo. *Latere conatus est, quasi cognoscens, furari, malum esse*, &c. *quæst.* 57. Qui rapto viuit, noctem amat; sic pudorem lenit è rapto contractum. *Omne enim malum, aut timore, aut pudore natura perfudit*, &c. Quod Tertullianus exponit *Apologet. cap.* 1. Et ratio est, quare prodigus fame potius mori, quàm furari voluit. Reiectus in agrum iuuenis, fortuna tristi subulcus, sues ducit, & pascit, *Luc.* 15. *num.* 15. sed fame periclitatur, num. 16. *& cupiebat implere ventrem suum de siliquis*, &c. *& nemo illi dabat*, &c. Res mira? Glandes subulcus suibus in cibum excutit, & cibum inde tenuem sibi non parat? si glandes sua in manu habet, cur ad alienam spectat manum? *& nemo illi dabat*, &c. Cur non capit? cur non rapit, ope extrema indigens? Sed id furari esset quodammodo; quod adolescentulo nobili pudor erat, teste Abulensi. Nec minor Assyrio pudor erat, terrarum opes rapere.

Indignè furandi vitiũ.

Luc. cap. 15. n. 15.

Turpe est viro nobili furari.

17. Fœdum est hominem Deo hostem esse; id enim est Theomachiam exercere. Quod scelus, cùm insanus homo excogitaret, non euulgauit siue metu victus, siue pudore. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*, &c. *Psalm.* 13. *num.* 1. Deo aram negare non audet homo in propatulo, ne res fœda pudorem ingerat. Sic & homines alij, quod aduertit Hieronymus. *In corde* (inquit) *dixerunt, non ore; quia non ausi sunt*, &c. Quis enim ausit Deum negare propalam? quis sacram maiestatem lædere ore improbo? vel Dæmoniarchus id non ausit, nisi Dracone tectus. *Dixit serpens ad mulierem*, &c. *Gen. cap.* 3. *num.* 4. Quod serpens Deum vellet rodere, palàm est ex *num.* 5. vbi Dæmon ad Heuam: *scit enim Deus*, &c. Deo turpiter detrahens; quem & auaritiæ insimulat, & inuidiæ, negato scilicet pomi esu: pensat id Moyses Antistes, 1. part. cap. 28. *Verè Diabolus Græcè calumniator; Deum enim per calumniam culpabat*, &c. sed Draconis faciem Dæmon induit, vt sub larua dicat licentiùs. quod Irenæo placet lib. 5. cap. 26. *Per serpentem seduxit hominem, quasi Deum latens*, &c. Fœdum adeò scelus est Deo dentem figere, vt vel Dæmon id non admittat, nisi vultu obuelato. Irenæus iterum, *Nam ipse nudè per semetipsum non audebat Dominum blasphemare*, &c. Cùm igitur Nabuchodonosor Theomachiam cogitet, Diis malè multatis, scelus immane tegit, pudore contracto; nec aliis, quàm senibus, & sui continuis explicat, *Mysterium consilij sui*, &c.

Gen. c. 3. n. 4. 5.

Diaboli est Deum carpere.

Pudor est Diabolo Deũ mordere.

Num. 4. Quod dictum cùm placuisset omnibus.

Commentarius.

18. MEra, & mira consultorum adulatio, cùm sciant Regem temere agere, qui bello homines, Deosque tentare velit, non esse hominem in Senatu, qui Regem dehortetur à conatu insano. Placet omnibus, & senibus, & Ducibus, quidquid à Rege propositum est; siue iure, siue iniuria patrandum sit consilium. Vbi Cato, qui bellũ Rhodiense abnuat? apud Gellium 6. *cap.* 3. vbi Artabanus, qui Xerxen à Græco bello auertat? apud Herodot. *lib.* 7. vbi Charidemus, qui Darium de Alexandro moneat? apud Curtium *lib.* 3. vbi Michæas, qui Achabum auocet ab hoste Syro? *ad* 3. *Reg.* 22. *num.* 17. Displicent Catones, qui rectè monent; placent Mardonij, qui blandè fallunt in Senatu

Senatu Regio. Vnde Seneca aulam appellat miseram, *in qua nemo fuit, qui Regi verum dixerit*, &c. *lib. 6. de Benefic. cap.* 32. Hæc tamen Regum fortuna est, vt adulantibus aditum, & latus aperiant: ac proinde Charidemus ægrè vnus est, qui apud Darium ausit veriora, quàm gratiora respondere; *Purpuratis solita vanitate spem eius inflantibus*, &c. sic Curt. *lib.* 3. Nec felicior hac parte est Nabuchodonosor. Indignatur Assyrius, Legatis malè acceptis; quod patet ex *cap.* 1. *num.* 12. Timent senes, ac Duces, ne Regem accendant, si aliter senserint. Deinde bellum probant iniquissimum; vt honores sibi patent ampliores, si cum Rege senserint. quæ & Carthusianus docet.

Aula adulatrix.

19.

Nihil veri dicunt in consilio, quibus spes, & metus est. Id verò monet Cæsar in Catilin. *Haud facilè enim animus verum pernidet, vbi illa officiunt*, &c. quod si veri scopum attingit, vbi dominatur libido, malè consulit. Oraculum est ex adyto Liuiano decad. 5. lib. 22. *Priuatæ res semper offecere, officientque publicis consiliis*, &c. Nec sine aculeo dictum puto de consiliario percupido, bouem in lingua portare, lucri scilicet spe tacere quod verum est. Hosce homines velis, remisque fugiendos esse docet Ambrosius lib. 2. Officior. cap. 17. *Fugimus ea, quæ nocere possunt*, &c. Deinde addit pro argumento consiliarium auri amantem. *Vt si, qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ cupidus, vt possit pretio mutari*, &c. Iam verò si metus vrget consultores, quidquid Princeps velit, facilè abnuant. Improbi omnino homines, *qui* (teste Cornelio) *veri copiam non faciunt; sed suspensa, & quò ducantur, inclinatura respondent*, &c. *lib.* 11. *Annal.* Aliter agendum monet Cæsar in Catilin. *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, spe, & metu vacuos esse decet*, &c. quod in Iosepho laudat Ambrosius. In neruo Iosephus adhuc erat, *Gen.* 40. *num.* 12. cùm ministros Regis, de sua fortuna consultus moneret. Sed cur non alium homines consiliarium sibi deligunt, quàm neruo illigatum iuuenem? Optimum veri interpretem reputabant, qui metu vacuus adiret carcerem; scitè ad rem Ambrosius *lib. citato cap.* 11. cùm Iosephi castimoniam, iustitiamque laudaret, *Altera* (inquit) *illecebras heriles respuit, altera mortem contempsit: quis hunc priuatæ causæ ad consulendum idoneum non iudicaret*, &c. qui metum exuit, non mentitur Consiliarius, nec quæ placent, monet, sed quæ prosunt. Sed miseri omnino Reges, quos monere tutò nemo potest. Defuturi enim sunt, qui suadeant, si bene suasisse, periculum est: ac proinde licebit clamare plenis buccis. Malè abeant

Cæci iũt Senatores spe, ac metu.

Malus omnino consultor, qui aurum cupit.

Gen. c 40. n. 12.

Optimus in dubiis consultor qui non timet.

PARÆNET. VII.

Spe, & metu adulatores pessimi.

1.

Mentem ob turbat affectus.

ERrat oculus, *vbi errat affectus*, &c. si credis Ambrosio *ad lib. de Bono mortis, cap.* 9. cùm facile homines abeant, quò voluntas affecta ducit. Nemo enim verum aut dicit, aut videt, vbi spes lactat, metus vrget. Dixisse se docet Apostolus apud Thessalonicenses de fide sana, & vita sancta; ac deinde quo id animo fecerit, 1. epist. c. 2. num. 5. *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis*, &c. Adulatorem se Paulus negat, vt dictis auctoritatem concilier. Deinde subdit in argumentum sententiæ, *Neque in occasione auaritiæ*, &c. Vtrumque Paulus miscet optimè. Nam qui opes trudit, adulari nescit. Docet id Clemens Alex. 1. stromat cap. 1. *Consequens est, vt consideret, num loquendi ad gratiam, acceptorumque munerum criminationem effugerit, qui per literarum monumenta loquitur. Numquam enim in sermone adulationis fuimus*, (inquit Apostolus) *neque in prætextu auaritiæ*, &c. Hoc laborant morbo auri amantes homines, vt premant aculeos, exerant adulationes. Velit homo suum Deo honorem negare, consultores adhibeat, & spe lucri foueat, aram sibi parabit, & flamines. Multa inter homines (quod videtur) discrepatio fuerat, colerent ne bestiam variam honore sacro? *Apocal. cap.* 13. Dar se hominum oculis ea bestia, aurum ostentat coronarium, vires, & opes Regum, quibus imperat. *Et super cornua eius diademata multa*, &c. *num.* 1. Ea rerum pompa lactati homines suffragantur, num. 4. *Adorauerunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ?* &c. Apparet consultatum inter homines, de colenda bestia, suffragiumque auri colore temperatum esse. Vnde lucri spes affulgere visa est. Sic Rupertus. *Qui Mammonæ iam dudum serui fuerant, quid miraris, quòd bestiam adorauerunt habentem diuitias, & valentem dare aurum, & argentum*, &c. *lib.* 8. *in Apoc.* Nec colore alio consultores Assyrium colendum esse statuunt. *Vt ipse solus diceretur Deus*, &c. Sed vbi spes est de opibus congerendis, vel bestiam in Deum consecrant.

Assentatur auri cupiens.

Apoc. cap. 13. n. 1. 4.

Bellua colat adulator, si opes cupiat.

Nihil veri dicunt adulatores, si consulantur vel de re diuina. Taxat Apostolus hosce homines ad Rom. cap. 16. num. 18. *Qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium*, &c. quippe qui nihil omnino veri dicant in Senatu graui, in schola nobili, sed aures, animosque mulcent adulatione composita, quod notat Hieronymus. Addit Anselmus *Possunt dulces sermones dici peccatorum alleuationes*, &c. Quidquid enim peccant alij, vel peccatum negant consultores, vel certè adulatores eleuant. Sed vnde tanta blandiendi, adulandique licentia? vide, quod in proximo est. *Huiusmodi* (inquit) *Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri*, &c. Illudque Paulus insinuat, à lucri amore nasci adulationes, cùm spes de lucello concepta menses euertat hominum in obsequium, & consultationes peruertat. Sic Athanasius in loco. *Ex hac ventris ingluuie omnes erumpunt hæreses*, &c. scilicet qui deuorant oculis cœnam alienam, facile supparasitantur ad hæresim vsque. Et quæ turpior esse potest hæresis, quàm hominem aris colere? Id tamen scelus admittunt senes, ac Duces, spe concepta fortunæ maximæ. *Per dulces sermones, & benedictiones*, &c. Collectus enim Senatus; Benè (inquit) benè; Deus fiat Nabuchodonosor.

2.

Ad Rom. c. 16. n. 18.

Peccatũ eleuat asſẽtator.

Nata ab auaritia adulatio.

Aliter agitant boni homines, ac differunt de re sana; cùm enim vacuos gerant animos spe temporaria, quod rectè cogitant, fide sana referunt. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio*, &c. apud *Matth. cap.* 5. *num.* 15. Id verò est; veri lucem non occultant *sub commodo præsentis vitæ*, &c. quod Anselmus eruit

3.

Matth. c. 5. n. 15.

Non adulantur, qui lucra non captant.

1. ad Thessal. c. 2. n. 5.

è modio : sed quidquid certò sciunt, plenè, ac planè docent, spe etiam abiecta fortunæ prosperæ. Miror quo in pretio Ioannem Herodes habuerit apud *Marc 6. n. 20.* textus est. *Herodes metuebat Ioannem*, &c. Bene est; quid inde? *& audito eo multa faciebat*, &c. Honorem muneribus adornabat Herodes, ac tandem, *& libenter eum audiebat*, &c. Nihil dici potuit quo Ioannes fortiùs adstringeretur. Nam Concionatorem à Rege commendari, magnum est. *Sed ille nihil ob hoc parcens*, ait, *Non licet tibi*, &c. sic Bernard. *serm. de Ioann.* Itaque nec victus honore Ioannes tacet, sed hæret Christo, qui à Petro laudatus adhuc hominem pungit cum schola reliqua. Laudes audit Magister, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, &c. *Ioann. 6. num. 69.* Quid putas retulisse Magistrum domi, an quod taxandum est, tacet? imò tonat. *Vnus ex vobis Diabolus est*, &c. *num. 71.* Ostendit se nec laudis amore victum esse, quo minus verum diceret. Sic in loco Chrysostom. *Nolite* (inquit) *putare me laudum vestrarum gratia adulaturum*, &c. *Hom. 46.* A Christo id Ioannes didicit, ac deinde, vt nec in vinculis taceret adulator; adhuc monet, adhuc clamat, *Non licet tibi*, &c. Bernardus iterum. *Minus hoc videretur, si vel blanditiis eius, vel toto mortis terrore moueretur*, &c. Ea erat vis altera ad adulationem adornandam; metus scilicet, quo affectus homo nihil veri dicit, imò vertitur in Harpocratem.

Mar. cap. 6. n. 20.

Non flectitur vir bonus adulatione.

Ioann. cap. 6. n. 69. 71.

Nec laude victus Magister verum tacet.

Nec metu pressus blanditur.

4.

Hoc metu Chaldæus Duces, ac Prætores vrget alios ad statuæ dedicationem, bello in Deum excitato. Nam textus est apud Daniel. cap. 3. num. 2. *Misit ad congregandos satrapas*, &c. De Præfectis nobilissimis locus est, quos in primis vocatos esse voluit Nabuchodonosor, vt prærirent populis ad idololatriam inaugurandam. Sed cur à Præfectis amplissimis suum Chaldæus negotium auspicatur, metu iniecto? num. 6. *Eadem hora mittetur in fornacem*, &c. Priores in Regis adulationem abeunt Principes, vtpote qui peiora timeant, nisi adulentur, vel Deo læso. Bene Hieronymus. *Quò enim diuites sunt, ac potentes, dum timent carere diuitiis, ac potentia, facilius supplantantur*, &c. Quis enim timet, & liberè loquitur quod sentit.

Dan. c. 3. n. 2. 6.

Potiores magistratu, priores adulatione.

5.

Hac via Dæmon abit, tractus metu in adulationem. Ab adulatione dulces voces prodiere, apud Christum Dominum, *Iesu fili Dei Altissimi*, &c. *Marc. 5. num. 7.* Quò enim tam multæ laudes pertinent? profectò, vt quod non amat, amare se Dæmon simulet: sed adulatio à metu graui nata est, cùm Dæmon precetur, *Ne me torqueas*, &c. Metus igitur Dæmonem concinnauit adulatorem, quod habet Chrysologus serm. 17. *Nam modò, vt adulator, non vt deuotus, & obsequens hic adorat, euadere pœnam cupiens*, &c. Puto cum Suario, Dæmonem de Christo, vt Deo dubitasse, licèt arte parasitica aliter adstruat. Quid si vel Iacobus metu frangitur in assentationem? Erat quidem frater aspectu fœdus, pilis obsitus, colore subnigro; quod patet ex *Gen. 25. num. 25.* Sed cùm Iacobus à Labano digressus reueniret in patriam, & fratrem suspiceret venerabundus, *Vidi* (inquit) *faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*, &c. *Gen. 33. num. 10.* Quid monstri in loco est? Agnoscit ne Iacobus Angelum in vultu fœdo? bonumque Deum in absurdo ingenio? Quærit id Augustinus q. 105. *Vtrùm pauentis, & perturbati animi verba vsque in hanc adulationem prorumperunt?* &c. Id tamen quærens censet liquidò, Iacobum scilicet metu affectum eò adulationis deuenisse. Tantus enim Iacobo metus erat de manu fraterna, vt vim à se deprecaretur, cap. 32. num. 11. *Erue me de manu fratris mei*, &c. Vbi verò metus est ingens, ibi multa vel à viro sancto adulatio, ne dum mentiendi occasio præsentissima.

Mar. c. 5. n. 7.

Adulatur metu Diabolus.

Genes. 25. n. 25. c. 33. n. 10. c. 32. n. 11.

Virum etiam bonum vrget metus in adulationem.

6.

Cùm premuntur homines modis miseris, non audent, quæ censent, vulgo dare. Sciebat Hebræus se Regis scito vexatum esse, ad Exod. cap. 5. num 9. *Opprimantur operibus*, &c. Nam Præfectus operum edictum explicat, num. 10. *Sic dicit Pharao*, &c. Conuenit Hebræus in aulam, queritur de labore, ac dolore nimio. num. 16. *Famuli* (inquit) *tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum*, &c. & cùm iniustum ex factu latericio laborem, tristesque flagris vibices Hebræus doleat, acerbitatem rerum à Rege detorquet in alios, metu scilicet in meram adulationem tractus. quod Lyrano visum est. *Non dixerunt, iniustè agis, ne Regem offenderent*, &c. Metus Hebræum eò adegit, vt Regem non culparet, licèt auctorem acerbitatis; sed verum tacens adularetur, de quo silentio merè adulatorio, vel bonos viros notant mali homines. Cùm enim Ieroboamus scire vellet moriturus ne esset Abia Princeps? 3. *Reg.* 14. Reginam instruit, vt veste mutata Achiam vatem adeat, & consulat, n. 2. *Surge* (inquit) *& commuta habitum, & vade in Silo, vbi est Achias*, &c. Cur Ieroboamus vellet, vt Regina suum, mutato habitu, mimum ageret, ea potuit esse ratio, ne Regina probè nota Vatem deterreret à vaticinando. *Timebat, ne Propheta, si eam agnosceret, negaret responsum*, &c. Sic Lyra. Ita ne metuens periculi Prophetes verum tegeret silentio adulatorio? Id putat Ieroboamus, id timet; sed Ahiam non frangit metus, quo fracti senes, ac Duces fallunt Assyrium, & confecrant adulatores pessimi. Pergo vltrà, & locum verso.

Exod. c. 5. n. 9. 10. 16.

Offendit veritas.

3. Reg. c. 14. n. 2.

Credit malus in viro bono adulandi studium.

Quod dictum cùm placuisset omnibus.

Commentarius.

20.

FAcilè res agitur, vbi homines in rem conueniunt pari animo. Inde Nabuchodonosor, & senes, & Duces cogit in aulam, vt quæ de communi placito res fieret, prosperè, & supra votum flueret, quod à Lyra disco, & à Græco textu elicio. ὡς συνετέλεσε τὴν βουλὴν αὐτῦ, *Vt consummauit consilium suum*, &c. sic Græcus respondet Latino. *Quod dictum cùm placuisset omnibus*, &c. Quasi res summa, communi hominum assensu, eat feliciter. Torpet omnino manus, vbi quis laborem subit inuito animo; & Hieronymi vox est ad Hoseam c. 7. *Nam quidquid fit necessitate, citò soluitur; quod voluntate arripitur, perseuerat*, &c. Inde Christus volentes parat homines suum in obsequium. *Si quis vult venire post me*, &c. apud Matth.

Fit citò, quod multis placet.

Matth. c.16. n.24. cap.19. n.17. Ioan. cap. 7. n.17. Matth. 16. num. 24. *Si vis ad vitam ingredi,* cap. 19 num. 17. *Si quis voluerit voluntatem eius facere,* &c. Ioan. 7. num. 17. quod Victor interpretatur ad Marc. cap. 8. *Nec quenquam huc compello, sed amicè tantùm inuito,* &c. Ratio ex D. Hieronymo ea est. *Non tibi imponitur necessitas, vt voluntas præmium consequatur,* &c. *epist. 25. ad Pammachium.* Et verò, qui volentes euocat homines in obsequium, pertinaces in laborando parat socios. Id boni canit Dauid de Christo Regum Domino, *Tecum principium,* &c. *Ps.* 109. *num.* 3. Græcè habes, *ἡ ἀρχὴ, Principatus.* Et inde tanta Christo virtus, vt pararet imperium. *In die virtutis suæ?* &c. An à voluntate exprompta militum? Credit id Hebræus, cùm habeat עמך נדבת *Hhammechâ Nedaboth. Populus tecum voluntatum,* &c. Quid enim Princeps non aggrediatur, quid non conficiat, si milites vno constant animo? *Nam quod vi, & necessitate exprimitur, præterquam quòd tyrannicum est, ne firmum quidem, ac stabile est: quod verò à libera voluntate proficiscitur, æquissimum simul, & firmum esse solet, vtpote beneuolentiæ vinculis adstrictum,* &c. Sic Nazianz. *Orat.* 1. Inde est, quod Nabuchodonosor, & senes, & Duces communi consilio esse voluit, vt bellum bellè constaret, & regnum fortuna staret incolumi.

Pf. 109. n. 3.

Magna conficit vna militum voluntas.

Non durat, quod vi exprimitur.

21.

Addo Assyrium parasse volentes homines, ad rem gerendam, vt insinuaret datam ab inuito operam sibi gratam non esse. Et verò Tertullianus illud adstruit, *Nemo ab inuito coli vellet, ne homo quidem,* &c. *Apologet.* 24. Quid tuum mihi obsequium, si tuus à me amor longè abest? Illud Nero velit, & poscat, *Oderint, dum metuant,* &c. Metúmque ab hominibus extorquebit, etsi communi hominum odio. Sed refragatur Magister Seneca ad 1. de Ira, cap. 16. *Nescio vtrùm sibi peius optauerit,* &c. metum scilicet, an odium. Amari enim Principem mallem, quàm timeri: ciues obsequi vellem amore potius, quàm timore. Nec Paulo vox est alia 1. ad Corinth. cap. 9. n. 16. *Si volens* (inquit) *hoc ago, mercedem habeo,* &c. Natum ab amore obsequium, vt multum pretij, ita & multum habet præmij. Nam, teste Ambrosio, *Quod voluntate fit, melius fit,* &c. Addo Senecam Ambrosio addidisse epist. 67. *Honestum non est, quod ab inuito fit; admisce illi pigritiam, tergiuersationem, metum: quod habet in se optimum, perdit,* &c. Vtramque Rebusp. gratiam inesse voluit Nabuchodonosor, cùm volentes sibi Duces parauit. Doce igitur

●

Ingratum, quod ab inuito est obsequium.

Stat Princeps amore felicior, quàm timore.

PARÆNET. VIII.

Volentes homines, & valere ad negotium, & placere ad obsequium.

1.

NEmo negat multum in volonibus momentum esse, ad rem bene gerendam. Constat miles in officio, qui bono paret animo. Vnde Paulus ad obsequium exposcit animum potius, quàm manum. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* &c. *ad Roman. c.* 13. *n.* 1. de ciue agit, & milite: quos tamen officij amantes, quàm flagri timentes mauult, Anselmo Auctore. *Non* (inquit) *solùm corpore, sed voluntate seruiatis,* &c. A potiori

Ad Rom. c. 13. n. 1.

Potior in obsequio pars animo.

parte hominis quærit Paulus obsequium, certò sciens, *quod voluntarium est, tum diuturnum, tum certum esse,* &c. Verè Nazianz. *Orat.* 37. Nam, quod nolis, nec possis. A voluntate manus vim habet suam, si credis Chrysostomo. *In te est, vt possis; quia in te est, vt velis,* &c. *serm. de Zachæo.* Parat Moyses Hebræum militem aduersùs Madianitam, hostem, & victorem non manu virili, sed dolo muliebri, quod patet ex Num. cap. 25. num. 2. *Fornicatus est populus,* &c. Sed quisnam à Moyse lectus Princeps ad bellum administrandum? nunquid Iosue? nunquid Nahassón? minimè; sed Phinees ille, qui Zambri occiso, Pontificatum sibi peperit, num. 13. Milites Moyses cogit, *quos misit cum Phinees,* &c. *Num. cap.* 32. *num.* 6. Vt quo affectu scelus, eo & hostes, sceleríque Duces Phinees premeret. Auctor sententiæ Abulensis est q. 4. *Conuenienter iste ad bellum missus fuit, quia ipse est, qui maximè zelauit pro peccato,* &c. Congruens omnino erat, vt Ducem Moyses legeret, qui bellum suaptè voluntate susceptum conficeret felicissimè; aliter cederet, si manu id inuita fieret. Vnde Moyses cauet, ne quis ad bellum miles abeat, qui domum proximè extruxisset, vineam plantasset, vxorem sibi despondisset, *Deut. 20. n. 5.* Sic enim textus habet. *Quis est homo, qui ædificauit domum,* &c. Alia in loco alij congessere. Vnus mihi Philo placet *ad lib. de Fortitud.* Longè à castris militem esse iubet Moyses, qui affectu in domum, in vineam, in vxorem abiisse visus esset. Adeò enim frigent milites huiusce notæ, *vt quamuis inter socios versentur, meliori tamen sui parte, animo absint, quo solo res fortiter, aut secus geritur,* &c. Tantum Philo. Qua enim manu ferrum distringat, qui ab acie procul abest, si non corpore, certè voluntate? Cautum igitur ea lege est, ne quis ad bellum miles pergat, nisi volenti animo, si rem benè gestam velit.

Nihil non potest magna voluntas.

Num. c. 25. n. 2. 13.

Num. cap. 31. n. 6.

Dura quæque aggreditur affectus ingens.

Languet miles vi collectus.

2.

Vel ab Isaia legato voluntariam Deus exposcit operam, cùm requirit c. 6. num. 8. *Quem mittam? & quis ibit nobis?* &c. Ad hæc Vates. *Ecce* (inquit) *ego,* &c. Nihil Deus volebat aliud, quàm affectum alacrem, vt legaret hominem ad homines. Sed cur monet, & non iubet? Cur exposcit obsequium, non extorquet? animum prius tentat hominis, quàm eliciat operam, vt voluntate ductus, non tractus necessitate Vates obsequatur faciliùs, & feliciùs. *Propterea quòd nos homines sic naturâ comparati sumus, vt quæ semel volentes exequenda proposito elegerimus, quamuis molesta fuerint, tamen eam operosam molestiam deuoramus,* &c. Bene in locum Magn. Basilius, *Non frangitur labore, qui suapte sponte laborem suscipit.* Quid non agit Magnus Deus, vt Noë arcam extruat, animantes cogat, aues ducat ad fœturam noui sæculi, negotiúmque libenter suscipiat? Genes. cap. 6. num. 14. *Fac tibi arcam,* &c. At ne graui sub mole Noë ingemiscat, sua cum viro studia communicat Deus Opt. numer. 13. *Finis* (inquit) *vniuersæ carnis,* &c. Deinde quid pacti vellet cum domo Noëtica ferire, paucis explicat num. 15. *Ponam fœdus meum tecum,* &c. Ac tandem suam addit manum, vt Noëthum bene tegat; numer. 17. *Incluſit eum deforis,* &c. Cur

Isa. c. 6. n. 8.

Animum, non manum in obsequium Deus quærit.

Gen. cap. 6. n. 14. 13. 15. 17.

tanto Deus amore hominem prosequitur? sermones miscet ? laudes canit ? promissis onerat ? Benè Chrysologus serm. 147. *Vt* *Solatium ingens è laborum socio.* *societatis amor timorem seruitutis auferret, & seruaretur amore communi, quod fuerat communi labore saluatum*, &c. Suam itaque operam à Noëtho Deus impetrat, non extorquet, amicus admodum. Neque enim Deo placet, hominem vti seruum seruire, sed vti filium obtemperare.

3. Gratum omnino opus, quod voluntate fit melius. *Parum enim sapit, qui officium externa tantùm facie expendit*, &c. Ita Seneca 1. *Benefic. cap. 6.* Eò spectandum, vnde sua officio virtus est, & sua venustas. Iterum Seneca: *Sed refert, quò officia rector animus impellat; à quo forma rebus datur*, &c. Nouit Apostolus vnde suum sacris hostiis pretium esset, Abelo commendato, qui, fide amante, agnos mactauit, Cainum superans. *Fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit*, &c. *ad Hebr. cap. 11. num. 4.* Quid Paule? Plura Abelus, quàm frater, immolasse visus est? si Genesim repeto cap. 4. num. 3. *Obtulit Cain de fructibus terræ, munera Domino*, &c. Et cùm agrum coleret, quod ager tulerat, Deo detulit. Pastor Abelus erat. *Obtulítque de primogenitis gregis sui*, &c. *n.4.* Ac proinde non est, vnde colligas, plura ab Abelo, quàm à Caino oblata esse. Sed Paulo Rupertus succurrit *lib. 4. in Gen. cap. 2.* & à fide amante colligit pretium hostiæ. *Ille* (inquit) *cor suum retinuit sibi, & terræ fructus Deo obtulit; porrò Abel primò cor suum, deinde rem suam offerendo plurimam hostiam per fidem obtulit*, &c. Quare nec Apostolos Christus nisi volones secum esse voluit. Abiere à Magistro discipuli sermone Eucharistico territi, apud Ioan. *cap. 6. num. 67.* Persistunt Apostoli, nec scholam deserunt. Vnde nata Christo occasio est, vt rogaret, *Nunquid & vos abire vultis?* &c. *num. 68.* Quid mi Domine? Itane pungis Apostolos amicè coniunctos, vt te sequantur? Chrysostomus ad rem Homil. 46. *Interrogauit, non vt eos contemneret, sed ne vi teneri viderentur*, &c. Et quid absurdi est, homines Deo seruire vi adactos? Chrysostomus iterum. *Si inuiti remanerent, haud secus foret, ac si abiissent*, &c. Anima rectè facti, voluntas est. Quid igitur prodest Christum sequi necessitate, non voluntate, vnde sua bene factis gratia est?

Ab animo integra officij venustas est.

Ad Heb. c. 11. n. 4.

Magnum munusculi pretium ab affectu.

Ioan. cap. 6. n. 67 68.

Volentes sibi discipulos Christus parat.

4. Eam docendi formam Apostolis traditam lego, vt sine virga vrbes obirent, hominésque instruerent; apud Luc. 9. numer. 3. *Nihil tuleritis in via, neque virgam*, &c. Certè bonus foret baculus ad laborem leuandum; sed virgam Christus Magistris aufert, ne metum inferant. Sic Ambrosius lib. 7. in Luc. *Eos* (inquit) *emisit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent*, &c. Ac si ingratum Christo esset obsequium, quod virga exprimeretur impacta. Vrgebis, permissam Apostolis virgam esse, apud *Marc. 6. num.* 8. Præscriptum enim à Christo est, *Ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*, &c. Anne pugna in loco est? sed pugnam Rupertus sedat, ad Ambrosij mentem. *Virgam* (inquit) *Regum negat, virgam Pastorum concedit*, &c. *lib. 8. ad Matth. cap. 10.* Cùm permittit virgam Apostolis, baculum permittit, quo Pontifex ducat, & pascat oues: cùm virgam negat Pastoribus, monet, imò iubet, ne vi exigant morum disciplinam, sciántque certò non placere Deo obsequium, auersa voluntate.

Luc. cap. 9. n. 3.

Voluntate, non necessitate auditores colligit Apostol.

Mar. c. 6. n. 8.

Vide, an id Christus docuerit, cùm laudes reiecerit à Diabolo cantatas improbè. Ebuccinat ille apud Marc. cap. 1. num. 24. *Scio, qui sis, sanctus Dei*, &c. Minatur Christus n. 25. *Obmutesce, & exi ab homine*, &c. Cur silentium Diabolo Christus imperat, si laudes, nec vulgares cantat? sed laudes metus expressit, non voluntas concinnauit. Sic enim Diabolus: *Quid nobis, & tibi?* &c. vbi Rupertus *lib. 7. in Matth. cap. 8.* Diabolum à Christo refutatum docet. *Quia non est speciosa fides, vel confessio in ore, si dilectio non sit in corde*, &c. Non placent, quæ ab affectu pio non fluunt obsequia: imò nec fieri sacra putantur, quæ necessitate fiunt, non voluntate. Queritur Dominus de Hebræo, quippe qui sacra non sit operatus, cùm per solitudinem duceretur? *Nunquid hostias, & sacrificium obtulistis mihi in deserto?* &c. *Amos cap. 5. n. 25.* Sed occurrit Hebræus. Anne iustè Deus queritur? Certè Moyses in Horebo aram extruxit. Exod. 24. num. 5. *Misitque iuuenes, & obtulerunt holocausta*, &c. Mitto plura ex *Num. cap. 7. num. 2.* Ad hæc Hieronymus; *Bene est. Sed quod post quædam eos legimus Deo obtulisse, non voluntate, sed metu fecerunt*, &c. Viderunt homines fumare montem, micare ignes, mugire tonitrua, *cap. 20. num. 18.* Hac rerum facie metum concepere, & sacra fecere. Sed quæ necessitate potius, quàm voluntate fiunt, perinde est apud Deum, ac si non fiant. Ingratum omnino id est opus, vtpote quod in Dei cedat iniuriam.

5.

Mar. cap. 1. n. 24. 25.

Non placent Deo laudes à metu.

Amos cap. 5. n. 25.

Exod. c. 24. n. 5.

Num. cap. 7. n. 2.

Quæ metu fiunt obsequia, verè non fiunt.

Argumentum est, quod premit Tertullianus aduersùs Gentes, cùm traherent pios homines vi, ac metu ad aras, & sacra Dæmonum. *Videte* (inquit) *ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem diuinitatis*, &c. *Apologet. 24.* Ioues, ac Iunones colere, manu ad focos tracta, iniuria est, vel diuinitatis personatæ, quæ ab inuito coli nolit: si quid monet Seneca ad 1. de Benefic. cap. *6. Nec in victimis, licèt opimæ sint, auroque fulgeant, Deorum est honor; sed pia, ac recta voluntate venerantium*, &c. Aliter Antichristus velit. Nam Ioannes Draconem videt, Antichristum scilicet, qui miraculorum societate Christum mentitur. Apocalyps. 13. num. 13. *& fecit signa magna*, &c. Sed quàm magna? *Vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*, &c. Sic Christus monet apud Matth. *cap. 24. num. 24.* Vnde igitur discernendus à Christo Antichristus est? à Leone Iessæo Draco rufus? Ioannes iterum n. 25. *& datum est illi, vt quicumque non adorauerit imaginem bestiæ, occidatur*, &c. Hæc illa est hominum fortuna misera, de qua meus agit Christus ad Matth. [illegible] n. 21. *& erit tribulatio magna*, &c. Video quæsitos à Christo, laudatos ab Angelo homines bonæ voluntatis: inuitos populos Antichristo seruituros esse, vtpote vi sæua tractos in seruitutem, *In hoc palã faciet, quòd verè sit Antichristus, quòd*

6.

Tyranni est trahere, non ducere homines ad obsequium.

Apoc. c. 13. n. 13.

Matth. c. 24. n. 24.

Apoc. c. 13. n. 25.

Amari Christus, timeri Antichristus volunt.

quòd verè non Christus, &c. sic Rupertus *lib.* 8. & addit. *Verus enim Deus, non coacta, sed spontanea vult seruitia*, &c. Id cùm sciant viri boni, ad piam curam amore duci malunt, quàm trahi timore. Votum Iacobus nuncupat, si patriam repetat, victu, & vestitu diues. *Erit mihi Dominus in Deum*, &c. *Gen.* 28. *num.* 21. Quid hoc est? Nónne Dominus Iacobo Deus erat ab ætate incunte? Nemo nescit: quid tamen Iacobus velit, altè rimatus est Philo ad lib. de somniis. *Volebat Deum non amplius timere, vt Principem; sed amanter honorare, vt bene meritum*, &c. Certus omnino Iacobus erat, gratum Deo, & hominibus obsequium esse, quod voluntate quis præstat, non necessitate. Idque obsequium sibi ominatus est Nabuchodonosor, vbi quidquid apud senes, & Duces mysterio dixerat, *placuisset omnibus*, &c.

Gen. cap. 28. n. 21.

Amare, non timere obsequuntur viri boni.

Vocauit Nabuchodonosor Rex Holofernem Principem militiæ suæ.

Commentarius.

22. HOlofernes, quod videtur, nomen siue Persicum, siue Cappadox, siue Ponticũ, ac proinde externum Assyrio est; vti Ataphernes apud Herodot. *lib.* 6. Appian. *in Mithridat.* Intaphernes apud Herodot. *lib.* 3. Moaphernes apud Strabon. *lib.* 10. Holofernes apud Appian. *in Syro*. Homines quidem famæ celebratæ. Quid si Holofernes ex Græco, & barbaro nomen sit compositum? Negant id in vsu esse, Eucher. *lib.* 2. *in Gen. c.* 17. Hieronymus epist. 126. *quod absurdum esse linguæ peregrinæ mixtura demõstrat*, &c. Sed probat Philo Commodus apud Herodian. *lib.* 3. Charus Commodo puer. Deinde Philomusus apud Martial. *lib.* 2. *Epigr.* 8. Probant Constantinopolis, & Persepolis concinnata è Græco Latinóque nomina. Vnde cùm φέρνις Græcè, dotem sonet; si Holofernes è Græco, barbaróque nomen sit compositum, sonat hominem dotis præstantissimæ. Quem proinde *vocauit Nabuchodosor Principem militiæ suæ*, &c. Græcè ἀρχιστράτηγον Principem optimatum. Quales, Amanus apud Assuerum, *Hesther cap.* 13. *num.* 3. & Amano sublato Mardochæus *cap.* 10. *num.* 4. Qualis Elcana, apud Achazum 2. *Paralip.* 28. *num.* 7. Mardonius apud Xerxen, Herodot. *lib.* 7. Ephæstion apud Alexandrum, Iustin. *lib.* 12. Quos ego homines Regum amicos, titulo honorario appellatos scio 3. *Reg.* 4. *n.* 25. 2. *Paralip.* 27. *n.* 33. Quibus regni curam mandare solent Principes, vt negotia facilè expediant. Laudo morem; si tamen Princeps non alienis tantùm oculis peruideat; nec alieno tantùm arbitrio prouideat, & solo Princeps stet nomine, cætera caudex. Regni curam habeat, administro addito; nihil tamen sua non agat manu. Senatum cogat, sed præsit frequenter Senatoribus; somnum excutiat, non ludat, sed vt rebus adsit publicis. quæ Persis lex vna erat, scilicet, vt cubicularius manè summo Regem excitaret, illud iterans: *Surge Princeps, & negotia cura*, &c. *ad Plutarch. de Principum doctrina.* Quis enim ferat Principem dormire effusè, ac nescire, quà regnum hostis inuadat, tundat, premat? Quis non indignetur, ludis Regem adesse, & regno administrando abesse? Aliter Vespasianus apud Suetonium cap. 21. *In principatu maturiùs semper, ac de nocte vigilabat; deinde perlectis epistolis, officiorúmque omnium breuiariis, amicos admittebat*, &c. Quid terrarum Sol non obit, nunc aliis, nunc hominibus aliis benignum sydus? sic oportet Regem adesse, teste Plinio, *& velocissimi syderis more, omnia inuisere, omnia audire, & vndecumque inuocatum, velut Numen adesse, adsistere*, &c. *in Panegyr.* quibus in locum additis, mone seriò,

Hesth. c. 13. n. 3. cap. 10. n. 4. 2. Paralip. c. 28. n. 7. 3. Reg. c. 4. n. 25. 2. Paralip. c. 27. n. 33.

Bonus Princeps noctem non dormit solidam.

Velas. in Judith.

Solem Princeps refert.

PARÆNET. IX.

Bonus Princeps rebus interfit publicis.

PRobo Assyrium consiliis interfuisse, consultorum mentes explorasse, rationum momenta expendisse, ac seriò pertractasse de iure tuendo legationis Regiæ, mouendaque belli alea. quæ Regis optimi virtus est. Oportet igitur, vt Princeps & otium, & somnum excutiat, pro communi salute: nam si rectè monet Seneca, *Magna seruitus est, magna fortuna*, &c. *ad Polyb. cap.* 26. Pro Regis labore schema est oliua, quæ ad arborum principatum delecta, eo versu, *Impera nobis*, &c. *Iudic.* 9. *num.* 8. negat se regno administrando parem esse, illud iterans *num.* 9. *Non possum deserere pinguedinem meam*, &c. Non video cur oliua, si regnum ineat, à sua, pinguíque fortuna excidat? cùm Princeps regno crescat, non macrescat. Videt tamen Abulensis q. 29. *Quia Reges si benè regunt, non debent intendere suis, sed aliorum vtilitatibus*, &c. Probat liquidò Abulensis laborandum esse, vbi Princeps officio deesse nolit: nam, teste Seneca, *Ex quo se orbi terrarum Cæsar dicauit, sibi eripuit*, &c. *ad Polyb.* citatum. Quid nisi laborem sonat Ieremias, cùm sceptrum sonat? cap. 1. num. 10. *Constitui te* (inquit) *hodie super gentes, & super regna*, &c. Regem quodammodo Vatem creat Dominus: sed quibus id legibus? *Vt euellas, & destruas, & dissperdas, & ædifices, & plantes*, &c. Quantus in regno administrando labor est? Quale negotium? Opus est, vt Ieremias cum Minerua manum moueat. Vnde Bernardus vires cogit aduersùs Eugenium lib. 2. *Exemplo disce prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quàm ad facilitandum, quod tempus requirit*, &c. Credit Bernardus absurdum esse, vt honorem quis exigat ab hominibus, qui laborem pro hominibus non suscipit, imò suum à se laborem auertit in alios.

1.

Laboret Princeps pro communi salute.

Iudic. cap. 9. n. 8. 9.

Non suo, sed Regni bono studet bonus Princeps.

Ierem. cap. 1. n. 10.

Qui honorem ab hominibus excipit, laborem pro hominibus suscipiat.

Laboremus, &c. Erat belli tessera à Seuero data, qua laborem æquè sibi, ac tribuno imperabat; neque enim honorem captabat Imperatorium, sine labore militari. Taxat Ogerium Bernardus, vtpote qui pastoratu abdicato, præferri se reliquis adhuc affectaret: addit Bernardus rem absurdam esse, epist. 87. *Nec enim dignum est, vt inde exigas honorem, inde laborem refugis*, &c. Sceptrum abiiciat, qui administro mandat regni curam, vt suam

2.

ipſe cutem curet labore damnato. Sic enim Christus eſt *Speculum maieſtatis*, &c. *Sapient. cap.7. num.26.* Græco etiam textu eſt, ἔσοπτρον ἐνεργείας, *Speculum operationis.* Ac ſi velit Sapiens, quod Philo docet, *mortem in Deum cadere, ſi cadit otium*, &c. 1. *Allegor.* ſcitè Philo. Nam, ſi Deus ad intra (quod vocant) nihil operatur, Deus non eſt: nec hominum Pater eſt, ſi ad extra non agit rerum curam, cùm Patrem, niſi laborantem, Christus non dicat, Ioan. 5. num. 17. *Pater meus vſque modò operatur*, &c. ſic cum Philoſopho ſentiendum eſt, Pater Opifex rerum curam non mandat aliis, vt otium ſibi paret, ſed cum Angelis, & hominibus manum mouet. Regnorum custodes Angelos agnoſcit Daniel *cap.10. num.13.* Sed & Deus ipſe cuſtos eſt, apud Iſaiam *cap. 21. num. 11.* Adamo laborem imperat ad hortum colendum Geneſ. 2. numer. 15. *Vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Sed & Deus ipſe laborat in condendo hortulo geniali numer. 8. *Plantauerat Dominus Deus paradiſum voluptatis*, &c. Nec terra, cœlúmque mouetur ad laborem, vt Deus ipſe non laboret, ac ſuam cum cœlo, & terra manum moueat. Iuſto id iure; quod Philo docet lib. citato. *Nunquam Deus operari deſinit, illúdque multo magis, quòd ipſe aliis etiam rebus operandi auctor eſt*, &c. Eat igitur, & regnum Princeps curet labore communicato: ac ne adminiſter pati quietem poſſit, otium ipſe, & ſomnum excutiat.

Sapient. c. 7. n.26.

Regis eſt laborare in Remp.

Ioan. cap. 5. n.17.

Dan. cap.10. n.13.

Iſa. cap. 21. n.11.

Gen. cap. 2. n.15.8.

Non decet otiantem Regem aliis negotium imperare.

3. Laudo Ioannem II. Regem noſtratem, qui Senatum adire ſolitus erat, vt ſuis ipſe oculis peruideret, quid prouidendum eſſet, nec alienis tantùm fidebat oculis; apud Reſend. *cap.* 97. Morem Ioannes à Tiberio fortaſſe duxit. *Qui Magiſtratibus pro tribunali cognoſcentibus plerumque ſe offerebat conſiliarium*, &c. apud Sueton. *cap.* 33. Probantur enim Principes, qui rem tractant publicam, nec alieno tantùm cerebro curant negotia; idque agunt, vel ſomno excuſſo. Laudat Seneca artem hanc Regiam in Rege probatiſſimo. *Omnium* (inquit) *ſomnos illius vigilantia defendit*, &c. ad Polyb. *cap.26.* Cur tamen Princeps non laboret, cur non vigilet, qui Pater eſt Patriæ? Scio Iobum lecto excuſſum fuiſſe perſæpe, cauſa vrbis obeundæ. *Quando procedebam ad portam ciuitatis*, &c. *cap. 29. num.* 7. Quota id hora Iobus faceret, de Græco textu eſt; quo additur, ὄρθρι@. id verò eſt, *antelucanus.* Sed cur ab aula Princeps ad vrbis portam adibat? Locus ibi erat iuris dicundi. Quod Moyſes docet Deuter. cap. 16. num. 18. *Iudices, & Magiſtros conſtitues in omnibus portis eius*, &c. Quamuis igitur iudices ibi Iobus haberet, qui lites ſoluerent, eo loci contendebat antelucana vigilia. *Quando* (inquit) *procedebam antelucanus*, &c. Et Prætoribus ſubitus aderat; ſcilicet, ne quis reus, vel gratia elaberetur, vel innocens odio premeretur.

Vigilat bonus Princeps, vt ſomnos capiant alij.

Iob cap. 29. n.7.

Senatoribus adſit Princeps.

4. Vates habebat prouidentes Deus Max. qui proinde Videntes appellabantur titulo honorario. *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns*, &c. 1. *Reg. cap.9. num.9.* Sed licèt Vates vigilaret, & Deus Max. vigilabat, pro communi bono hominum. Id Ieremias probat cap. 25. num. 4. *Miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos Prophetas, conſurgens diluculo*, &c. Id & Deus abiicit cap. 26. n. 4. *Quos ego miſi ad vos de nocte conſurgens*, &c. Non alit otium Magnus Princeps, qui pro communi ſalute vigilat; ad rem Hieronymus. *Per omnes populum ſuum Deus ſemper admonuit; & quaſi ipſe in vigiliis, & in excubiis conſtitutus, ſurrexit diluculo, vt ſuum populum commoneret*, &c. quaſi non fideret hominibus acutè videntibus, ſuos ſomno furatur oculos, vt peruideat, & prouideat. Pater eſt Patriæ, quam ſuſcepit inſtruendam cura prophetica ad 2. Paralip. 36. num. 15. *De nocte conſurgens, & quotidie commonens*, &c. Dulcéſque ſomnos abrumpens (Caietano teſte) *inſtar ſoliciti Patris deſcribitur Deus, ſurgens diluculo*, &c. Quis enim Pater, etſi curam domeſticam ſeruis mandet, non euigilat, vt ſeruos excitet? Quis deinde Princeps noctem dormit ſolidam, qui ſuum faciat officium? Hic ille Princeps eſt, qui pro cubante Iacobo excubat. Erat puer in monte vaſto; cogit nox, vt ſaxum informe pro molli puluino capiat. Geneſ. cap. 28. n. 11. *Tulit de lapidibus, qui iacebant*, &c. Quid inde puer? cuſtodes Angelos nocturna videt in ſpecula. *Vidit in ſomnis ſcalam, & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes*, &c. *numer.* 12. Stare loco neſcit ſtatio Angelica. Sed, Philone teſte, *Angelos, tanquam Magni Regis aures, & oculos vocant ſacras literas*, &c. *ad lib. de ſomniis.* Adeſt & Princeps, nec ſomnum capit nocte ſumma. *Vidit in ſomnis ſcalam, & Dominum innixum ſcalæ*, &c. quæ Regis optimi nota eſt, adminiſtris, etſi bene videntibus, ac benè audientibus, intereſſe; quaſi minus fidat, vt ſuam de ſalute hominum curam probet. Rupertus optimè lib. 7. cap. 21. *Quàm veraciter dictum ſit; iuxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde, ex hoc claret*, &c. Quî enim fieri poterat, vt Iacobo adeſſent vigiles Angeli, abeſſet Deus ſomno indulgens, & id negotij minus curans? ſcilicet Princeps ille, & dominantium Dominus apud Ioannem *Apocal. 19. num.* 16. qui nihil non videt lynceis oculis, *& oculi eius tanquam flamma ignis*, &c. num. 12. & (Ruperto Auctore) *falli non poteſt, vt iniuſtè iudicet*, &c. qui licèt Duces habeat ad rem bene gerendam, hoſte victo n. 14. *& exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum*, &c. Adeſt tamen caſtris, equo ſedet, non deſidet; militem videt, & ducit, num. 11. *& cum iuſtitia iudicat, & pugnat*, &c. Pulchrè obarmatus recognoſcit, quid miles agat, & manu peragit; nec incruenta fruitur victoria. *Et veſtitus erat veſte aſpera ſanguine*, &c. *num.* 13. Nec mirum mihi id eſt. Nam Princeps ad Angelos, *Ego ſum, qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum*, &c. apud Iſaiam *cap.* 63. *num.* 1. Fecit, quod ſolet Princeps optimus, vt rebus interſit publicis; nec adminiſtris ita fidit, vt non adſit, imò præſit; peruideat, ac prouideat, quid facto opus eſt: quod in Aſſyrio laudo. Vnde &, *Vocauit Holofernem Principem militiæ ſuæ*, &c. ἀρχιστρατηγὸν, ſcilicet hominem virtutis bellicæ, & caput aulæ Aſſyriæ: ac ſi vellet Nabuchodonoſor

Somnum Deus excutit, vt hominibus conſulat.

2. Paralip. c.36.n.15. *Vigilat Pater pro domeſticis.*

Gen. cap.28. n.11.12.

Adeſt adminiſtris vigilantibus Deus vigilans.

Apoc. c. 19. n.16. 14. 12. 11.13.

Nec domi, nec militia deſidet bonus Princeps.

Iſa.c.63.n.1.

PARÆ

1. Reg. c. 9. n.9.
Ierem. c.25. n.4 c.26.n.4.

PARÆNET. X.

Rebus publicis deligendos homines esse.

1. DEfectu hominum opus est, ne quis ad Remp. ineptus obrepat, siue affectu, siue gratiâ. quod Theodorico placet lib. 5. epist. 40. *Diu trutinandus est, cui traduntur examina; talisque debet à Principe deligi, qualis ab ipsa lege dictari potest*, &c. Illud igitur adstruo, prouidendum omnino esse, quosnam homines, quibus rebus Princeps præficiat. Neque enim Augustus vnquam, teste Suetonio, *filios populo commendauit, vt non adiiceret: si merebuntur*, &c. c. 56. Certus erat Princeps promoueri ad honores publicos aliquando homines ineptissimos, si affectus ducat, non cogat ratio. Homo erat sceptro ineptissimus, qui se regno administrando habilem esse negabat pertinaciter apud Isaiam cap. 3. n. 7. *Nolite me constituere Principem populi*, &c. Nam cur sceptrum abnuat, liquidò explicat. *Non sum medicus*, &c. Id verò est: dotes non habeo, vt Princeps malis publicis mederi possim? Quæ Hieronymi explicatio est. *Indignum se delato honore testatur*, &c. Sed quò affectus non progreditur? *Apprehendit vir fratrem suum, & domesticum patris sui*, &c. *num.* 6. Adeunt hominem cognati homines, & quem optimè numatum putant, sceptro donatum volunt. *Vestimentum tibi est, Princeps esto noster*, &c. Eò intemperiarum homines deuenerant (quod Basilius notat,) *vt non eum deligerent, qui dignus esset, sed domesticum, & familiarem; nec qui salutaris esse posset, sed qui sua in familia præpolleret vi facultatum*, &c. Iraque vbi dominatur affectus, nemo, quod sanum est, sentit, nemo probat.

Isa. cap. 3. n. 7. 6.

Errat affectus in deligendo.

Diues ad magistratum male electus.

2. Vnde nata Domino querimonia est apud Hoseam cap. 8. n. 4. *Regnauerunt, & non ex me*, &c. Quo id pacto, mi Domine? Potest ne quis regnum adire Deo inuito, si (Paulo teste) *non est potestas nisi à Deo?* &c. *ad Rom. cap.* 13. *num.* 1. Potest quidem ex permissu: & inde magnus Deo est dolor, quod exponit Magnus Gregor. 1. p. Pastor. cap. 1. *Ex se enim, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati, sed sua accensi cupiditate, regiminis culmen rapiunt, non assequuntur*, &c. Quasi furti reos damnat Pontifex ineptos homines, qui honores venantur publicos, nec virtute nituntur, sed fautore; hominum gratiâ, non morum pretio. Aliter viri boni, qui fasces, & secures non tribuunt affectibus, sed meritis. Iosephum Pater Iacobus amat vnicè (teste Moyse) ad Genes. 37. n. 3. *Israël diligebat Ioseph super omnes filios suos*, &c. Non tamen eo affectu rapitur, vt sceptrum Iosepho defe-

Hoseæ c. 8. n. 4.

Ad Rom. c. 13. n. 1.

Malè respondet Magistratus gratiæ paratus.

Gen. cap. 37. n. 3.

Gen. 49. n. 10. rat, totus in Iuda honorando n. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. Iudam regno administrando Iacobus præfert; quippe quem dotes potiores adornarent ad id officij. *Quia in dandis benedictionibus, non suam, sed Dei voluntatem debuit facere; non carnis affectum, sed Spiritus sancti instinctum sequi dignum fuit*, &c. sic Rupertus *lib. 7. de Operibus Spirit. Sanct. cap.* 10. Ab auo Moyses didicit alienum præficere, non domesticum honoribus publicis. Neque enim Gersamum, etsi filium, *Exod. cap.* 18. *num.* 3. sed Iosuam promouet. Laudat consilium Philo egregiè, ad lib. de Charitate. *Quamuis Pater esset duorum filiorum, neutrum sibi optauit successorem, victor affectuum aduersùs cognatos, & domesticos*, &c. Non is erat Moyses, qui Remp. mallet perire, quàm filium ineptum principatu spoliare.

In sceptro offerendo vincat affectum vir bonus.

Exod. c. 18. n. 3.

3. Altiùs multo Gedeon, qui sceptrum à se, ne dum à filiis, procul abigit. Nam hoste fuso, & fugato, cùm Gedeonem seniores Regem sibi adoptarent, illud obtruse-

Iudic. cap. 8. n. 22. 28. re Iud. cap. 8. num. 22. *Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui*, &c. Fortuna erat, quam Gedeon optare poterat, hominésque alij per ferrum, & ignes captare solent. Sed fortunam abnuit modestus homo num. 28. *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus*, &c. Quare Gedeon sceptrum abnuerit, disquirit Abulensis q. 20. & constituit timuisse hominem grauiter, ne peccaret, si regnum admitteret. Sed vnde metus peccandi est? Abulensis egregiè. *Quia si fortè ipse dignus esset, filius, & posteri indigni essent, & sic turbarent populum; ideo visum est, quòd peccaret*, &c. Video qua trutina Gedeon penderet hominem, vt principatum iniret: hominem enim deligit alienum, affectu sopito fortunæ domesticæ. Addo Moysen de Iosue promouendo non leuiter dubitasse, negotiúmque Deo commisisse, ne administro, & amico deserte videretur. *Prouideat* (inquit) *Dominus Deus*, &c. *Num. cap.* 27. *num.* 15. Quid Moyses? nónne Iosue spectatæ virtutis homo est? cur tuum de tanto viro iudicium non interponis? sed rem integram Deo committis? Philo iterum, *Nec sic quidem ausus est committere principatum, ne fortè falleretur opinione, non satis humano fidens iudicio*, &c. In loco adhortatur Origenes Homil. 22. *Discant Principes Ecclesiastici, successores sibi non eos, qui genere sunt coniuncti, testamento signare, sed referre ad Dei iudicium*, &c. Hæc tamen alibi. Illud premo. Cur *Vocauit Nabuchodonosor Holofernem*, &c. viróque strenuo bello mandauit? Laudo hominem, qui se non insinuat ad principatum, sed vocatus, imò rogatus, mauult inire, quàm ambire. Bonum enim est vti potestate; sed, Ambrosio Auctore, *Bonum, si deferatur, non eripiatur*, &c. *lib. 4. ad Luc. 4. de 3. tentat.*

Regnum obturbat ineptus sceptro Princeps.

Num. c. 27. n. 15.

Non sibi fidit Moyses in Duce deligendo.

4. Cunctantem video, etsi vocatam, à Deo Virginem ad sceptrum, ad tiaram; quæ tertiò audit. *Veni de Libano, veni de Libano, veni; & coronaberis*, &c. *Cantic.* 4. *numer.* 8. Moras nectit quæ ad regnum inuitatur? Quis ad regnum vocatus non festinat, præcipitátque moras omnes? sed inde Gilbertus doctrinam cogit sermon. 29. *Sponsæ mora nostram festinationem fugillat, & arguit; qui nimium prompti, ac parum prouidi festinamus ad labores prælationis, nec expectamus, vel semel vocari; vltro nobis honorem sumimus, vocationem, vel præuenientes, vel arte procurantes*, &c. Indigni omnino homines, si quando se se insinuant indigniores,

Cant. cap. 4. n. 8.

Merus Deo sacra vi trahitur ad principatum.

Veloſ. in Iudith.

si rogant, pudore detrito. Quo se pudore occultat Saul à Deo lectus, à Samuele vocatus? 1. *Reg.* 10. *num.* 22. Nam celebratis ritè Comitiis adhuc latet. *Respondítque Dominus: Ecce abscónditus est domi*, &c. Non vltrò se homo ingerit, imò nec quæsitus adest. Quo id animo fecerit, planum Iosepho est lib Antiquit. 6. cap. 4. *Se ipsum abscondit, nolens videri* (vt arbitror) *sponte suscipere principatum*, &c. Sanum omnino cerebrum est, quò vocatus ad sceptrum moratur homo, & latet. Quantum morarum Dauid addit, priusquam sceptrum capiat, etsi lectus à Deo ad sceptrum est? Nam Saule interfecto dolet, plorat, longè à patria; non tamen euolat ad principatum, nisi Deo priùs consulto. 2. Reg. 2. num. 1. *Post hæc consúluit Dauid Deum*, &c. Atque vt scires, qua de re esset consultatio, adiecit. *Num ascéndam in vnam de ciuitátibus Iuda?* &c. Cur Dauid patriam, metu depositò, non repetit? Vocatus ad sceptrum Hebræus videri voluit. Sic Rupertus lib. 4. in Reg. cap. 22. *Hactenus exul plorauit, multa inebriatus amaritúdine, repatriare nunc, & regnare obedienter paratus*, &c. Alienus à regni ambitu Dauid erat, qui nisi vocatus, imò iussus, patriam adit, principatum init. Hoc fortasse affectu cunctatur Holofernes, quem proinde *vocauit Nabuchodonosor vti Principem militiæ suæ*, &c. Probo mandatum bellum viro strenuo; sed mandatam belli curam viro peregrino cur probem? Excussum Commentario est Holofernem Assyrio externum esse, quales sunt apud Curtium *lib.* 8. Dataphernes apud Xenophon. Tissaphernes *lib.* 5. *de Cyro Minor*. Sed quænam peregrino virtus est, vt Imperator deligatur? Id modò excutio.

1. Reg. c. 20. n. 22.

Præstat regnare rogatum homínem.

2. Reg. cap. 2. n. 1.

Alienus à regni ambitu Dauid cunctátur.

PARÆNET. II.

Præstet ne externo miles domésticus?

1. REs est, de qua dubitant scientes rerum homines apud Rhodigin. *lib.* 29. *cap.* 2. Vrget dubium Lipsius *de Politica, lib.* 5. *c.* 9. Et quidem Vegetio placet militem domesticum externo præferendum esse, *lib.* 1. *c.* 28. Vtilitas inde multiplex. Nemo enim externo potius, quàm domestico suum credit animum, suam fortunam, suum negotium, cùm miles peregrinus suspectæ semper fuerit perfidiæ. Hoc metu Alexander vires sibi auxiliares parauerat ab externo Duce, lib. 9. apud Curt. *Dahæ, Sogdianíque inter nos militant; nec tamen illi turbæ confído*, &c. Leuiori quidem fide miles est, quem emeris pretio, non delectu paraueris. Quare Hebræo minus fidunt Gethæi Duces. Aderat Hebræa cum manu Dauid, vt Gethæum iuuaret aduersùs Hebræum hostem, 1. *Reg. cap.* 29. *num.* 4. Negant Gethæi Principes fidem Hebræo temerè habendam esse. *Non descéndat nobíscum in prælium*, &c. Et ratio Gethæis est. *Ne fiat nobis aduérsarius*, &c. Græcè ἐναίβολος *insidiator*, Hebraicè שטן *Lesatan*, *in Satan*. Quasi velit proditorem fide violata, Diabolum esse, non hominem: sed vnde Gethæis occasio malè suspicandi? Externus erat Dauid; quid fraudum non moliatur externus miles?

Suspecta externi militis fides.

1. Reg. c. 29. n. 4.

Faciles dolos nectit externus miles.

Exemplo sit Lucius transfuga, qui Mithridate prodito, ac perdito, delicti veniam redemit. Appian. *in Mithridat.* Nec Ariæus ad Cyrum perfuga, aliud Græca fide machinatus est. quod Xenophon. *lib.* 3. *de Cyro Minor.*

2. Addo externum militem signo pugnæ dato, facilè torpere, abire, fugere, sine flagitij pudore. quod notat benè Tacitus 1. *lib. Annal.* Laborant hac nota Syri Duces *lib.* 2. *Reg. cap.* 10. *num.* 6. qui suam Ammonitis militarémque operam locauerant numerata pecunia. Id enim textus habet, *Mercede conduxerunt Syrum*, &c. Sed cùm Ioabus Syros vrgeret, signis illatis, num. 13. *Statim fugerunt à facie eius*, &c. Nec id miratur Abulensis *q.* 7. cùm Syrus & externus esset miles, & mercenarius. *Quia mercenárius videt lupum venientem, & fugit*, &c. & ex *Ioan. cap.* 10. *num.* 10. Venit facilè in suspicionem perfidiæ externus miles, siue pugnam ineat, siue abnuat. Id verò maximè, si vt patria, ita & religione dissideat. Militat hæc ratio apud Comicum, ne militet cum Duce Ægyptiaco. *Non vobíscum vnà possum pugnare; neque enim mores consentiunt, neque leges*, &c. Ea fortasse occasio esse potuit, cur Vates ab Amasia abstraxerit extraneum militem, 2. Paralip. c. 25. n. 7. *O Rex! ne egrediátur tecum exercitus Israël*, &c. Ibat Amasias Iudæo septus milite, aduersùs Idumæum hostem. Erat in castris Samarites, collectus pretio miles *num.* 6. quod textus docet, *Mercede conduxit centum millia*, &c. Sed Vate ad id negotij misso, iubet Dominus, vt Amasias abigat à castris peregrinum militem, num. 8. *Non est Dominus cum Israël*, &c. Ad rem scitè Dei scitum est. Quis enim Deo inuito, bellum conficiat prosperè? Ac proinde sanè, & sanctè; *Separauit Amasias exercitum, qui venerat*, &c. In loco Lyra. *Erant Idololatræ, & ideo eorum societas nocuísset potius, quàm iuuísset*, &c. Vel enim Samarites à fide sancta alienus Iudæum corrumperet, vel dolo malo pugnam iniret, si quid lucelli affulgeret ab hoste Idumæo. Nam (Lucano teste) externus loco, ac fide miles. *Venaléque manus: ibi fas, vbi maxima merces*, lib. 10. Quid si peregrinus miles facilè in partes abeat, ac discindat milites reliquos? Tumultuantur in castris, & castra miscent, qui nec fide tenentur, nec affectu. Nec Tacito mens est alia de Agricola Duce.

2. Reg. c. 10. n. 6. 13.

Fugit causa leui conductus miles.

Ioan. cap. 10. n. 12.

1. Paralip. c. 25. num. 7 & 8.

Pugnant malè qui pares fide non sunt milites.

3. Sed videre id est *in Num. lib. cap.* 11. *num.* 4. Seditionem Hebræus mouet aduersùs Moysen, profusísque lachrymis cucumeres percupit, nedum coturnices. *Quis dabit nobis ad vescéndum carnes?* &c. sic Hebræus. Sed vnde seditio ignem concepit? à vulgo Ægyptiaco. *Vulgus promíscuum, sedens, & flens, iunctis pariter fíliis Israël*, &c. Sic in loco volunt interpretes. Sed ex loco satis patet seditionem ab externo vulgo moram, è domestico promotam esse; ex quo illud mentis sanæ eruit Oleastrius. *Aduerte quàm periculósum sit, malos tecum habere*, &c. Addo ego facilè conterraneos à vulgo extraneo in partes distrahi. Hæc miles domesticus aduersùs externum militem.

Num. cap. 11 num. 11.

Tumultuatur facilè externus miles.

4. Sed insurgit miles extraneus aduersùs domesticum, & opponit Alexandri existimationem de

de virtute,ac fide peregrini militis;hoſce enim milites appellat homines pietatis inuictæ aduersùs Regem apud Curt.lib.9.*Cùm fortes viri ſitis, non fortitudinem magis,quàm fidem colitis,* &c. Nec Samaritis nota abſurdior, quàm ſuſpicio perfidiæ viſa eſt. Abigit à caſtris milites Amaſias,vt pote extraneos.quod proximè excuſſum eſt ex 2. *Paralip.* 25. *num.* 13. Quid exercitus?id textus habet.*Diffuſus eſt in ciuitatibus Iuda,& interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam,* &c. Credens factam ſibi iniuriam,&c. ſic Abulenſis putat *q.* 7. *ad* 4. *Reg.* 14. Dolenter accepit Samarites damnatum ſe eſſe perfidiæ, eo quòd externus miles eſſet, cùm domeſticus ea laboret nota. Et probat Achitophelus, vtpote qui belli ſe ducem præſtat aduersùs Regem,2.*Reg.*17.*num.* 1.vbi,*conſurgens perſequar Dauid hac nocte*, &c. Non committit negotium Ducibus aliis,licèt familiaribus, vt quibus minus fidat,ratus fortaſſe multis curam,omnibus artem,fidemque abeſſe tantam ad rem. Abulenſis Auctor eſt q. 5. *Voluit ipſe ire,vt belli Dux; quia non confidebat alteri,*&c. Quis Alexandrum oppreſſit? Perſes ne barbarus,an Græcus inſidiator? Bene Curtius lib.6.*Externa vi, non tutus modò Rex, ſed inuictus,inteſtino facinore petitur,*&c. Quis dolo malo Xerxen excepit? nónne Artabanus aulæ Princeps? Id Iuſtinus tradit *lib.* 3. Quis Elam interfecit regno erepto? nónne Zambri. *Dux mediæ partis equitum,*&c.3.*Reg.* 16.*num.*9.Quis Ioramum interemit ſceptro adempto? nónne Iehu Princeps militum,4. Reg.cap.9. num.14. *Coniurauit Iehu contra Ioram,* &c. Quis Manahem de regno,vitáque deiecit miſerè? nónne, *coniurauit aduersùs eum Phacee Dux eius*, &c. *cap.* 15.*num.*25. Et quæ nam. *Tranſire fecit Regem ſuum,quaſi ſpumam,ſuper faciem aquæ?* &c. apud Hoſeam *cap.*10.*num.*7. Nónne Samaria? quo enim pacto olla,igne ſubiecto,bullas bullis miſcet, aliis ſubſultantibus, aliiſque ſubſidentibus. *Ita decem tribus iugi feruentes igne diſcordiæ Reges alios, ſuper alios creauerunt,* &c. ſic Rupertus *lib.* 4. *in Hoſeam.* Ex quo patet militem domeſticum fide violata infamem eſſe. Stimulus eſt, ſed vello ſtimulum. Nam Magnus Alexander, quos negotio obeundo parat milites,mulcet ſtudio:Samarites, vtpote extraneus, ac pretio collectus miles, dum cædes agit,prædam quærit; Achitophelus,Rege oppreſſo, conceptum de nepte violata dolorem, punire voluit: quod Abulenſis habet *q.* 18 *ad* 2. *Reg.*15. Samaritæ ſuos ſi Reges premunt, quid non admittant ſceleris Duces extranei, quibus nulla de rebus alienis cura eſt?

2. Paralip. c. 25. n.13.

Ægrè ferit externus miles notã perfidiæ.

2.Reg. c. 17. n. 1.

Abſoluit negotium qui ſua id manu aggreditur.

3. Reg. c.16. n.9.4.Reg c. 9. n.14.c.15. n. 25.

Hoſeas c.10. n. 7.

Perit malè regnum Samariticum malo domeſtico.

5.

Sed vrget adhuc extraneus,ciuem,tuba iam canente, æquè ac peregrinum metu perditum languere,abire, fugere. Sciebat Gedeon fugiturum ab acie militem, qui monebat ex Dei ſcito, Iudic.7.num.3.*Qui formidoloſus,& timidus eſt, reuertatur,* &c. Et verò licèt miles eſſet domeſticus,fugam rapuit.*Reuerſi ſunt de populo viginti millia virorum*, &c. Non ita Græcus à Perſa conductus aduersùs Alexandrum, *In quo Darius multum ſpei habebat*, &c. Hæc Curtius *lib.* 3. Miles enim erat, licèt peregrinus,qui nec mortem fugeret, nec de fuga cogitaret. Timeat, & fugiat Hebræus miles ad Goliathi occurſum & aſpectum. quod textus notat 1.*Reg.*27. *num.* 10. Nam cùm Philiſtæus adeſſet, & prouocaret hoſtem ad pugnam ſingularem,non erat qui auderet. Aduolat Philiſthæus proximè,& iacit approbria: timet Hebræus,& fugit,licèt miles domeſticus *num.* 24. De textu eſt, *Omnes Iſraelitæ,cùm vidiſſent virum,fugerunt à facie eius,*&c. Non ego negauerim vtrumque militem,& domeſticum,& peregrinum occaſione data,ſtrenuũ, & ignauum eſſe poſſe.Minus tamen timet,& fugit,qui Patriæ amore tenetur. Sed inſiſtit externus miles.Fatere ingenuè ciuem,manu armata, facile audere aduersùs maieſtatem ſummam regni, cùm gratiam popularem ineat facilè domeſticus, nec niſi dolenter ferat ſe à Rege ſecundum eſſe.Quis Dario turpes conſtruxit dolos? nónne Beſſus aulæ Princeps, Bactriſque Præfectus?apud Curt. lib.4. *Haud ſanè æquo animo in ſecundo ſe continens gradu*, &c. Quis Nadabum 3. *Reg.*15. *num.*27. Quis Sellum interne-cauit,fide polluta? 4. *Reg.cap.*15. *n.*14. Nónne ciues animo tumentes? Id ſigno prophetico datum eſt, cùm Ahias Ieroboamo pallium conſciſſum daret, regnúmque ſignificaret ſectione decumana.*Tolle tibi decem ſciſſuras*,&c. 3. *Reg. cap.*11. *num.* 31.*Decies enim regnum illud decem tribuum per diſcordiam ſciſſum fuit,* &c.ſic Rupertus *lib.*4.*in Hoſeam.*Sed,qui Deo læſo regnum adminiſtrabant,ius erat,vt perirent miſerè. *Errat enim* (teſte Seneca) *ſiquis exiſtimat ibi Regem tutum eſſe, vbi nihil à Rege tutum eſt*, &c. 1. *ad Neron.cap.* 19. ſi modeſtè imperat.*Nec terret Cæſar, nec pauet*, &c. quod ſuo in Traiano laudat Plinius. Armis ciues Princeps induit, qui hoſtem agit;armis exuit, qui patrem gerit. Procede Seneca, & ſermonem claude. *Qui potentiam ſuam placidè,& ſalutariter exercet, felix abundè ſibi viſus, ſi fortunam ſuam publicauerit, à tota ciuitate amatur, colitur*,&c. 1.*ad Neron.cap.*13.

1 Reg. c.27. n.10. 24.

3.Reg c. 25. n. 27.

4. Reg. c.15. n.14.

3.Reg. c.11. n.31.

In peſſum abiit res Samaritica ciuili diſſidio.

Durat feliciter, qui modeſtè regnat.

6.

Poſtremò opponit extraneus. Quis neſcit, quanti Romanus fecerit externum militem? quem parabat ad belli aleam, teſte Liuio *ad lib.* 36. quem ſociis imperabat; ſi Lipſio fides eſt *Dial.*7. *de Romana milit.* quem honeſtabat honore grandiori:quod tradit Plinius lib. 33. cap.2.*Auxiliares quippe, & extraneos torquibus aureis donauere,ciues,non niſi argenteis*, &c. An obſcurum eſt, qua mente Carthaginenſes externum in caſtris militem habuerint?Docet id Polyb.lib.1.Hiſtor.*Si quidem nec conſpirare inter ſe facilè diuerſa adeò gens poterat*, &c. Sed & Perſes à Carthaginenſi peregrinum poſcit militem,apud Iuſtin.*lib.*19.& Iudæus à Syro contrahit præſenti pecunia, *ad* 3. *Reg. cap.* 15. *n.*18. Nouerat, quod à Tacito diſco. *Nihil validum in exercitibus, niſi quod externum eſt*, &c. Ad hæc tamen reſpondet bene domeſticus, extraneum ſcilicet militem neceſſitate, non voluntate paratum eſſe, quod aduertit Lipſius *loco citato.*

Externum militem Romanus honorabat.

Iudic. cap.7. n. 3.

Num. 5. Et dixit: Egredere ad omne regnum Occidentis; & contra eos præcipuè, qui contempserunt imperium meum.

Commentarius.

23. TExtus Græcè est, ὁ βασιλεὺς ὁ μέγας, ὁ κύριος πάσης τῆς γῆς. *Hæc dicit Rex Magnus, & Dominus vniuersæ terræ*, &c. superbè Nabuchodonosor, qui Assyrio tantùm regno potens, terram sibi vendicat vniuersam. A Dæmoniarcho fortassè motus iste est, qui alienis tumens nominibus, turpiter mentitur, vt Christum pelliciat, apud Luc. 4. n. 3. *Tibi dabo potestatem hanc magnam; quia mihi tradita sunt*, &c. Verè mentitur Dæmon, cùm superbè tumet: sic Theophilactus. *Mundum, quasi suus esset, proponit præ superbia*, &c. schola Dæmonis, officina est superbiæ, quæ nihil rerum non vsurpat sibi; quasi id repetat suo iure. Si quis obsistat, & sua sibi tueri bona velit, hostis omnino est, & furores excitat Regis Magni. Quod in Achabo notat Ambrosius de Nabuthe *cap.* 3. Suam Nabuthes vineam Achabo negat: stomachatur Hebræus Princeps. *Venit in domum suam indignans, & frendens*, &c. 3. *Reg.* 21. *num.* 4. Quid plura? in lectum cadit. *Auertit faciem suam ad parietem*, &c. Græco textu, σωσκάλιψε τὸ πρόσωπον αὐτῆ, *Operuit faciem suam*, &c. Tanto commotus furore Achabus erat, vt caput obuelaret, ne fœdum ira vultum quis videret. Sed aliò rem torquet Ambrosius, & amorem rerum insanum taxat. *Faciem suam velant diuites, ne quidquam in orbe terrarum alienum videant; ne quid in hoc mundo non esse suum nouerint*, &c. Eo rerum affectu Princeps flagrat, vt quidquid terrarum est, sui iuris esse velit, & putet; illud animo versans,

Hæc mea sunt: veteres migrate coloni.

Vide, quæ *ad* 1. *cap. Paræn.* 15. non repeto. Nec quæ de Rege Magno dicam *ad cap.* 3.

Luc. cap. 4. n. 3.

Nihil rerum est, quod sibi non arroget superbus homo.

3. Reg. cap. 21. n. 4.

Dolet cupidus si quid rerum alienarum videat.

24. Illud verso commotum grauiter Assyrium imperasse. Perge Holofernes, & quoscumque hostes bello persequere. Homines maximè, *Qui contempserunt imperium meum*, &c. Vnde colligo dictum à Seneca, vt à Vate, *superbo fastidiri acerbius est, quàm non timeri*, &c. *lib.* 3. *de Benefic. cap.* 6. Quænam facies à Tyranno contempto, & irato? Indignatur, debacchatur, grassatur more fœdo: nec modum capit, sed irritat se ipsa sæuitia voluptate sæuiendi. Qualis Herodes, in Senatores sicarius, in plebem depopulator: qui fato proximus ciues turri clausos occidi iusserit, humani sanguinis lupus auidus. Ne superstites, Rege sublato, altè gauderent; sed dolerent, ac flerent, vel inuiti homines. quod notat Iosephus *lib.* 17. *Antiquit. cap.* 4. sic punit, qui vindictam meditatur furore amens. Video, quare Nabuchdonosor de suo contemptu meminerit, vt bellum moueat, satis insinuans, quid tyranno doluerit. Hisce hominibus Alexander Græcum militem obarmat in Persam lib. 3. *Admonebat ab iis gentibus illata Græciæ bella*, &c. Quàm memor iniuriarum homo est? sic Apollo Pheneates mulctauit, terrarum hiatu immani, idque anno millesimo iam exacto. Quoniam Hercules

Contemptus superbo cruciatus ingēs.

Auidus humani sanguinis lupus homo.

subreptum Delphis tripodem apud Pheneates depositissem. sera omnino, & absurda vindicta; quod Plutarchus notat, & quam iniustitiæ coætaneam vocat Hesiodus. Sed laborant homines affectu vario,

PARÆNET. XII.

Aliis iniuriarum tenax memoria, aliis obliuio est.

1. SAxo inscripsit Nabuchdonosor, quam putabat iniuriam, ne obliuiscereturi; sed ritu id hominum, qui (teste Seneca) *diutius irascimur, quàm lædimur*, &c. *lib.* 3. *de Ira, cap.* 27. Verbum est, quo petimur, & volat facilè; sed hæret animo, eraditúrque difficilè. Vnde nata apud Zachariam lex est, ne quis ferientem hominem referiat, cap. 7. num. 10. *Malum vir fratri suo non cogitet*, &c. atque vt Vates moneat, vnde vindictæ motus esse soleat. Græco id textu explicat, κακίαν ἕκας ὁ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ μὴ μνησικακείτω, *Malitiam quisque fratris sui ne meminerit*, &c. Docet in loco Vates hominem iniuriæ memorem facilè de vindicta cogitare. Quod ex Tertulliani interpretamento Deus vetat. *Multo magis patientiam indixit iniuriæ, qui indixit obliuionem*, &c. *lib.* 4. *contra Marcion. cap.* 16. Non tamen iratus homo facilè obliuiscitur. Coquit animo iniuriam, vindictámque meditatur, nisi furor sæuiendi annis cedat: quo respectu data lex est, vt homicida perfugeret ad vrbes Gentis Leuiticæ, *Num.* 35. *numer.* 25. Textus est. *Manebit ibi donec Sacerdos Magnus moriatur*, &c. Nec patitur Deus, vt qui fortuitò hominem occiderit, citò suos ad ciues reueniat: sed post obitum Sacerdotis Maximi. Ratio ex Abulensi est. *Interim tepescebat furor, & odium aduersary*, &c. q. 14. Quo legisceito benè Deus insinuat odio pertinaces homines esse, nec facilè deponi simultates.

Zachar. c. 7. n. 10.

Suam homo iniuriam animo reponit.

Num. c. 35. n. 25.

Iram absoluit mora temporum.

2. Quid si vel Isaaco sanctissimo non excidat iniuria Geraris accepta? Puteum sibi parat Isaacus, solo altè effosso, *Gen.* 26. *n.* 20. Irruunt Geraritæ, & puteum occupant; quare locum Isaacus à turpi facto hominum *vocauit calumniam*, &c. Alium deinde puteum sibi parat: inuolant dolo malo Geraritæ: cedit Isaacus; locum tamen, *appellauit inimicitias*, &c. *num.* 21. Quas animo faces voluit Isaacus, ostendit quodammodo, cùm puteum nuncupat à testatis inimicitiis. Vide Chrysostomum Hom. 52. *Non oblectatus est; sed in sola fontium appellatione malitiæ alienæ indelebilem reliquit memoriam*, &c. vt quotannis aqua flueret, iniuriæ monumentum staret. Eo in metu Abimelechus erat, postquam Isaacum ab vrbe exegit, absurda voce, *Recede à nobis*, &c. *Gen.* 26. *num.* 16. Nam, paucis pòst diebus, ad Isaacum Princeps venit, vt bono cum viro conueniat, num. 28. *Ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquam mali*, &c. Peris fortassè: Quid à bono viro timet Abimelechus; nónne à Rege Isaacus honestè exceptus est? nónne Geraris homo bene donatus? Constat ex *num.* 11. & 12. Quòd si loco abire iussus est, itane Isaacus iniuriæ memor erit, vt vindictam meditetur? Sed bonum virum suo metitur ingenio malus Princeps; ac proinde

Gen. c. 26. n. 20. 21.

An viro bono iniuriarū est memoria.

Gen. c. 26. n. 16. 28.

Durat animo accepta iniuria.

Iniuria leuiuſcula inducit obliuionem beneficentiæ pluriмæ.

proinde malum à ſe deprecatur. *Metuens* (Ioſepho teſte) *ne prior amicitia nihil prodeſſet*, &c. *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 26. Sciebat Abimelechus amicitias hominum temporarias eſſe : acerbius enim vrget morſus iniuriæ vel modicæ, quàm adſtringat nexus amicitiæ iam dudum teſtatæ.

3. Quid ſi vitium Apoſtolis ita hæret, vt Magiſter iniuriæ memoriam, loco mutato, extinctam eſſe velit? ſua diſcipulis bilis erat in Samaritas, quippe qui Magiſtrum abſurdè à ſe reiecerant. Ab ira Apoſtolica voces, & faces volant. *Vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos*, &c. *Luc. cap.* 9. *num.* 54. ſed Magiſter voces, faceſque premit, cùm locum mutat n. 56. *& abierunt in aliud caſtellum*, &c. Bene Petrus Dam. lib. 4. epiſt. 9. ad Olderic. Epiſcop. *Ac ſi non lingua, ſed opere loqueretur : date locum iræ*, &c. *ad Rom. cap.* 12. *num.* 19. Id verò eſt, Vatablo teſte, *Ne iram apud vos retineatis*, &c ſciebat meus Chriſtus iram Apoſtolis diuturnam fore, niſi leniretur, loco mutato, & via obſtructa diſſidendi. Quales igitur irarum ignes fouebat animo Nabuchodonoſor, qui de ſua iniuria cogitabat? Inde ad Holofernem : *Perge, bellum moue, contra eos præcipuè, qui contempſerunt imperium meum*, &c.

Luc. c. 9. n. 54. 56.

Ira ſedatur abſentia.

Ad Rom. c. 12. n. 19.

4. Sed qui ſanctè viuunt boni homines, vel ſimultates deponunt facilè, vel de ſua iniuria non cogitant. Sciunt legem à Thraſybulo Athenienſi rogatam eſſe, quæ ἀμνηςίαν, id eſt, iniuriarum obliuionem inuexit, Tyrannis exactis: apud Valer. *lib.* 4. *cap.* 1. Hanc ſibi legem viſus eſt Dauid propoſuiſſe, cùm ſe à tergo pulſatum dicit, Pſalm. 128. num. 3. *ſupra dorſum meum fabricauerunt peccatores*, &c. ſi noſti manticam duplicem cuique viro eſſe, alteram à collo anticam, à tergo alteram & poſticam; vnde Catullus Suffeno obiicit,

Lex perſancta eſt ἀμνηςία: iniuriarumque obliuio.

Pſ. 128. n. 3.

Non videmus manticæ quid in tergo eſt, &c.

Qua bonus quiſque patitur in tergum reiicit, ne meminerit.

Hac igitur mantica reponebat Dauid quidquid iniuriarum perferret, ne videret, ac ne meminiſſe videretur. Sed & Cato Græcam amniſtiam colit, cùm pulſatus colapho per imprudentiam, viro ſatisfacienti: *Non memini* (inquit) *percuſſum me*, &c. Addit Seneca. *Maiori animo non agnouit iniuriam, quàm ignouiſſet*, &c. *ad lib. de Conſtant. cap.* 14. Et quidem longè honeſtius eſt opus neſcire quid in te quis peccauerit, quàm peccatum ſcienter condonare. Nec opponas Iſaacum de ſua iniuria meminiſſe, quam locis publicis inſcriptam voluerit: id enim fecit, mente longè alia; ſcilicet, vt quid ignouiſſet, liquidò cognoſceres, ad morum diſciplinam. quod expendit Chryſoſtomus *Hom.* 52. Vis noſſe an oblitus iniuriæ Iſaacus fuerit? aures aduerte, docebo. Pacem Abimelechus petit: rationes addit pacis ineũdæ, *vt non facias nobis quidquam mali*, &c. *Gen.* 26. *n.* 19. Deinde ſermonem claudit, *ſicut & nos nihil tuorum attigimus*, &c. Mentitur ne Princeps, an obliuiſcitur? Poterat Iſaacus obſtructos humo aggeſta puteos obiicere: quod patet ex *num.* 15. potuit & fontes vi ablatos obtrudere, quod textus habet *num.* 20. Sed nihil opponit; vt pote qui nihil harum rerum iam meminerit. Bene Philo biblic. *Nulla detentus ſana memoria ſuperare dignatur aduerſarios, ſed per beneficia*, &c. cœna ſcilicet appoſita.

Gen. c. 26. n. 19. 10.

Iſaacus iniuriarum haud quaquam memor.

Quid Iſaacus aliud ageret, qui ſciret certò Chriſtum de amniſtia magiſtrum fore. Vrgetur Dominus maledictis, ſcinditur opprobriis, flagris tunditur, clauis figitur: ſed cùm viæ comites hac de re agitarent, quaſi neſcirent, quid pertuliſſet, petit, quæ nam fuerit rerum ſumma. *quibus ille dixit: Quæ*, &c. *Luc.* 24. *num.* 29. Itáne mi Domine ab animo ablegaſti, quæ ab inſano lictore pertuleras, vt monitore egeas, qui tuam tibi aurem vellat? Nemo negabit Dominum ſuæ iniuriæ oblitum eſſe. Hac via potius datum prouerbio locum puto. *Inimicitiam in aqua oportet ſcribere, vt quàm primum obliteretur*, &c. quod Peluſiotes celebrat *lib.* 1. *epiſt.* 215. Sed iam pridem hæc à Deo ſchola eſt. Nam cùm iuſta Nemeſis reo Amaleco pœnam decernat, libello memoriali mandatam eſſe voluit Magnus Deus. Refractarius Deo Amalecus eſt, vbi Dei plebem lædit. Idque Amaleco Deus obiicit Deut. 25. num. 18. *Non timuerunt Deum*, &c. Statuit iudex, populique vindex, vt prematur hoſtis; ac tandem ad Moyſem, *Scribe hoc* (inquit) *in libello ad monumentum*, &c. *Exod. cap.* 17. *num.* 14. Iniuriam ſibi factam, & bellum Amaleco mouendum libello diario inſcribi voluit Deus, timens quodammodo, ne obliuiſceretur: ſic in loco Oleaſtrius. *Expende qualiter pius Pater ſe oſtendit in noſtra punitione obliuioſum, vt libro ſit opus ad memorandum*, &c. Nihil de vindicta cogitat, qui de ſua non meminit iniuria, niſi rem literis mandauerit.

5.

Luc. c. 24. n. 29.

Neſcit Chriſtus, quæ pertulerit, libenter ferens.

Deut. c. 25. n. 18.

Exod. c. 17. n. 14.

Sua Deo obliuio eſt de accepta iniuria.

Ab hoc Magiſtro diſciplina Chriſtiana eſt, lædi ſcilicet, nec vlciſci; pati, ſed obliuiſci, quid paſſus quiſque fuerit. Nec Petrum Magiſter aliter inſtituit. Rogat Petrus, quoties indulgenda eſt venia. *Vſque ſepties?* &c. *Matth. c.* 18. *num.* 22. Curta, quod patet, manu Petrus agit, cùm Magiſter largè addiderit, *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*, &c. vbi Nazianzenus Petrum notat. *An ne præparcus, ac nimium reſtrictus tibi videtur?* &c. *epiſtol.* 82. ſed Magiſter de ſua amniſtia Petrum monet, cùm finem condonandæ iniuriæ non poſuerit. Ad rem Clemens Alex. lib. 7. ſtromat. cap. 8. *Qui Deo aſſimilari contendit per maximam iniuriæ accepta obliuionem, remittens ſeptuagies ſepties, vtpote per totam vitam eſt benignus, & clemens in quemlibet*, &c. Abundè Magiſter docet viris optimis iniuriarum obliuionem eſſe, malos homines de vindicta cogitare, & agitare. Vnde voces triſtes ad Holofernem.

6.

Marth. c. 18. n. 22.

Par Deo eſt, qui remittit iniuriam.

Num. 6. Non parcet oculus tuus, &c.

Commentarius.

VEtat ſeuerè Nabuchodonoſor, ne quo Holofernes flectatur aſpectu gentis miſeræ. Aut iugum, aut gladium recipiant gentes vniuerſæ : nec mœſta facie, nec fortuna triſti hominum affectum concipias indulgendæ veniæ; pereant, ſi non pareant. *Non parcet oculus tuus*, &c. Frequens ſacro textu loquendi modus eſt ad ſignandam ſeueritatem ſententiæ. Apud Ezech. cap. 5. num. 11. *Non parcet oculus meus*,

14.

Ez. c. 5. n. 11.

Isa.c.13.n.18. *meus,& non miserebor?*&c. Apud Isaiam cap.13. num.18. *Lactentibus vteri non miserebuntur, & super filios non parcet oculus*, &c. Apud Moysen Deut.13.num.8. *Nec parcat oculus tuus,vt miserearis*,&c. Versant locum interpretes,versat & Delrio *ad Thren.2.num.* 11. non repeto. Illud noto in locis omnibus oculos artifices miserendi esse,siue quod in oculis animus habitat,vti notat Plin.*lib.*11.*cap.*38. vnde motus rebus gerendis est. Siue quod Hebraicè חוס *Chus* est conniuere ex miseratione. Quis fortuna tristi hominum, aspectuque misero non frangatur ? Quare sæuus Nabuchodonosor Holofernem vrget. *Non parcet oculus tuus*,&c. Homo iste de sæuo hominum grege est. *Qui oculos suos statuerunt declinare in terram*, &c. Psalm. 16. num. 11. *Quorum viscera misereri nolunt, & parcere nesciunt*, &c.sic Rupertus *in Ioann. lib. 6.* Nam qui animum à miserando auersum habet, oculos auertit à fortuna misera cuiusque hominis : si tamen homo non exuit hominem,videre non potest siccis oculis calamitatem alienam.Vnde Alexander ille Pheræus malè audit,vtpote qui tragœdum lamentantem tragicè occidi iusserit. *Eo quòd eius animum emolliret*, &c. Sic Plutarch. *lib. 2. de Alex. Magno.* Quid miseriarum piè videret, qui audire noluit? Potior multò Nero, principatu inito, qui latrones rescripto capitali confecturus addit: *Vellem nescire literas*, &c.apud Senecam *lib.2.cap.1.*Felix abundè esset Nero si perdurasset affectus;sed à Caligula sæuam hausit mentem,qui noto,perpetuoque præcepto lictorem monebat, *Ita feri,vt se mori sentiat*,&c.apud Sueton.*cap.*20. Infestus ita Romano populo, vt aliquando exclamaret. *Vtinam Pop. Rom. vnam ceruicem haberet*, &c. quam scilicet vno ictu desecaret, si votis indulgendum esset.

Deut.cap.13. n.8.

Thren. c. 2. num.11.

Oculus miserendi artifex.

Pf.71.n.13.

Pf.16. n.11.

Seruus homo claudit oculos,ne piè moueatur.

Laminam exercet malus Princeps.

25. Quò non progreditur sese irritans sæuitia in cædes hominum ? Iubeat, necesse est. *Non parcet oculus tuus*, &c. Neque enim exorari se patitur à Legato humili,à tristi populo,à Rege supplici : adhuc iubet, *Omnemque vrbem munitam subiugabis mihi*, &c. Malum grande, & quod Seneca persequitur styli naso 1. ad Neron. cap.25. *Hoc est, quare maximè abominanda sit sæuitia;quod excedit fines,primùm solitos,deinde humanos*, &c. sed cur malo alieno sitim pellat, qui delectatur malis hominum? Iterum Seneca. *Tunc dirus ille morbus animi ad insaniam peruenit vltimam, cùm versa est crudelitas in voluptatem,& cùm occidere hominem iuuat*,&c.Eóque spectat Cyprianus de belli carnificina,& amphitheatri laniena,lib.2.epist.1. ad Donat. *Disciplina est, vt perimere quis possit, & gloria, quod peremit*; &c. Artem non callet aliam Nabuchodonosor, nec gloriam sibi parat aliam, cùm Reges, ciues, & quoscumque populos ferro tentandos esse statuit,ac deinde iubet, *Non parcet oculus tuus*, &c. Fortasse indignatus,quòd in dolore puniendo moras pateretur ; non alius ab Herode, quem putat Chrysologus iratum grauiter prorogata, non corrupta occasione sæuiendi. sic Matthæus, *Iratus est valde*,&c. *cap.2.num.*16. Vnde tantus Idumæo furor ? A tumore animi, & ab amore lanienæ. *Videns quòd illusus esset à Magis*, &c. Magos Herodes præmiserat, vti rerum explo-

Seruus Princeps ex voluptate punit.

Matth.c.2.n. 16.

ratores,à quibus disceret, vbi, qua via Christum caperet,ac perderet. Abiere Magi,nec rediere,Herode eluso; indignatur Idumæus,quòd cædem non maturaret, teste Chrysologo. *Dilatam se crudelitas furit*,&c. *serm.* 112. quid Assyrius aliud meditatur cùm Holofernem vrget ? *Non parcet oculus tuus*, &c. Rectè igitur doceas,

Voluptas seruiendi ad cædes prouolat.

PARÆNET. XIII.

Qui non frangitur aspectu gentis miseræ, durus homo est.

1. DOlent oculi, quibus est commiseratio alienæ miseriæ; nec homo,nisi feram inducit,miserum videat hominem oculis pumiceis. Eam enim vim habet aduersa fortuna cuiusque hominis, vt vel hostem piè commoueat. Testatur id Alexander Macedo, qui Regem, licèt hostem, miserè confectum lachrymis prosequitur, & suo tegit sagulo, apud Curt. lib. 5. *Genituram fortunæ Regiæ occulens philosophicè*, &c. Plutarcho teste, ne videret sortem infelicem Regis Magni, nimiumque doleret,*lib.*2.*de Alex. cap.*9. vel Noetho præcidit bonus Deus occasiones dolendi, cùm homines malè affectos auertit à viri oculis. Terram vniuersam obruit grandi alluuione Deus Iudex : vnus tantùm Noë suam tuetur domum, naui clàusus; nec suam Deus negat manum, quod è textu est, Gen. 7. num. 16.*Inclusit eum deforis*, &c. Et nauim sic obstruxit Dominus, vt quid aquis ageretur, Noë non videret;quo id consilio ? Putat Chrysostomus pice Babylonica obturatas asserum commissuras esse,occlusamque fenestram.*Vt ne posset Iustus videre communem hominum interitum vnde maiori dolore conficeretur*, &c. *Hom.* 25. Ferit oculos fortuna misera humani generis, & lachrymas vel ab improbo hoste excutit, nedum à pio,probóque viro. Rogo enim quid à meo Christo lachrymas expresserit ? Id enim Ioannes habet cap.11.num.35. *& lachrymatus est Iesus*,&c. Quid plorat Dominus, cùm Lazarum velit è tumulo excitare ? sed in loco est ploraſſe Magdalenam, Iudæosque homines comploraſſe,ad aspectum Domini: ac proinde Magister optimus, *vt vidit eam plorantem, & Iudæos plorantes,infremuit spiritu*, &c. *num.* 33. Ad litem Euthym. *Solent, qui humani sunt, alios videndo lachrymantes,excitari ad misericordiam*, &c. Video, quo iure appellat Rupertus Christi oculos. *Salutis fenestras,& patentes misericordiæ ianuas*,&c.*lib.6.in Ioan.* Neque enim Christus *Ioann.* 6. inspexit turbam hominum pauperem, nisi vt miseris victum prospiceret.

Fortuna aliena hostem piè mouet.

Gen. c. 7. n. 16.

Dolet bonus quisque humanam vicem.

Io.c.11.n.35. 33.

Alienis lachrymis mouetur ad lachrymas pius quisque.

2. Durus admodum homo est, qui lanienam hominis siccis videt oculis,cùm vel Nero speculo Smaragdino, pugnas spectaret gladiatorum, vt viridi lenitate mulceret aspectum rerum fœdissimarum, quod notat Plin. *lib.* 37. *cap.*5.Nosti interfectos Ægypti primogenitos nocte summa;quod à Moyse habes Exod. 12. n.29.*in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum*, &c. Potuit quidem mero id meridie patrare, & stragem edere luce clara, & candida, sed spectare oculis alienam calamitatem

Exod. c. 12. n.29.

Aliena torquetur pœna iudex optimus.

tem nescit, qui tenebris obscuris tegit, ne videat, etsi pœnam decernat iusta Nemesis. Quid mirum si Pater Optimus Christum crucifixum videre noluit? sentit id filius, qui dolenter ad Patrem, *Deus* (inquit) *meus respice in me*, &c.

Psal. 21. n. 1. *Psalm. 21. num. 1.* Paternos ad se oculos Christus reuocat, vtpote quos Pater piè commotus à Christi nece, ac Cruce auerterat. Hæc Euthymius. *Solent enim, qui tortoribus quempiam tradunt, oculos auertere*, &c. Vel Solem hoc sensu commotum dixeris, vbi laborantem senseris malo hominum extremo. Constat id ex Iohele cap. 3. n. 15. *Sol, & Luna obtenebrati sunt*, &c. Imò & Christi vox est apud Matth. 24. n. 29. *Sol obscurabitur, & Luna*, &c. Cur dies abeat, sole obscurato, obscurum Hieronymo non est ad Iohelem citatum, de extremo die. *Cuius mœrorem, & tormenta pereuntium, nec Sol quidem, nec Luna, astráque cætera intueri poterunt; sed retrahent fulgorem suum, & seueritatem iudicantis non audebunt aspicere*, &c. Sic vel astra commouentur, vt lumina magna auertant oculos à fortuna tristi humanæ gentis. Quid si & Pharisæam rabiem leniat aspectus humanæ miseriæ? Ea, puto, ratio est, cur Magister Dom. paralyticum Pharisæis exponat oculis. *Surge in medium*, &c. ait Christus Mar. c. 3. n. 3. *Marc. cap. 3. num. 3.* Erant inibi homines, qui negabant curandum sacro die hominem esse. *Obseruabant eum, si sabbatis curasset*, &c. Ne tamen abiret à Christo tristis homo, ac sine ope, vocatus in theatrum subiicit oculis hominum, quidquid miseriarum patitur. *Surge in medium*, &c. Christi vox est. Non in angulo, sed in oculis hominum curat hominem: *vt quos non tantæ salutis opera inclinant, vel tantæ debilitatis commiseratio constringat, & mitiget*, &c. Sic Chrysologus *serm. 32.* Sciebat Christus vel malos homines moueri aspectu alienæ miseriæ; hominem miserum hominum exponit oculis. Quàm durus est Nabuchodonosor, qui iubet, *Non parcet oculus tuus*, &c. Sed quàm sæuus homo est, qui modum non ponit in dolore puniendo? Nam virga impacta, adhuc non parcit; ferro adacto, adhuc non parcit; nece illata, adhuc non parcit. Ac proinde mone liberè,

A Christo malè multato auertit oculos pius Pater.

Obscurantur astra piè cõmota, ne videant homines miserè affectos.

Vel iratum lenit hominum aliena calamitas.

PARÆNET. XIV.

Qui pœnas auget, sæuus homo est.

1. VRbem qualemcumque, & quodcumque regnum bello aggreditur Nabuchodonosor, Holoferne admonito, vt nulla frangatur commiseratione, & nulla flectatur satisfactione: imò ingenium aduocet, instrumenta excogitet, quibus varietur dolor, & extendatur. *Non parcet oculus tuus*, &c. Puto enim plura imperari, quàm locus sonat, litoti optima. Et sæuitia est hominis, qui voluptatem capit ex carnificina hominum, ablegauítque ab animo Philosophicum illud, *Nequid nimis*, &c. cùm verè sit, μετρίως ἢ ἀρίστη, apud Hieronymum *epist.* 27. Sed modum imponit Christus vel sceleribus vlciscendis, cùm permittit, vt læsus homo excludat oculum pro oculo, & excutiat dentem pro dente, Exod. 21. num. 24. Vrges tamen;

Exod. cap. 21. n. 24.

ita ne bonus Deus? & vbi illa clementiæ cura pertinax? de qua Moyses Exod. 34. num. 6. *Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis*, &c. Viam ne hominibus aperit, vt suam vlciscantur iniuriam? non id putat Chrysologus *serm. 38.* Sed ostendit homines eo vindictæ studio ferri præcipites, vt necesse fuerit iniuriis vindicandis modum præscribi. *Vt qui sapere non valebant culpæ veniam, vel modum saperent vltionis*, &c. Furorem non sedat iratus homo, nisi stragem edat hominum; modum igitur præfixit Christus, cùm sciret eam Iudæis sæuitiam esse, teste Ruperto lib. 5. in Math. *vt pro oculo caput, & pro dente animam postularent*, &c. scilicet apud Iudicem, quæ tantùm lex est; velint, nolint hæretici.

Modum non habet seruus homo in vlciscenda iniuria.

2. Damnat humanam sæuitiem Magnus Deus, cùm homines tradit Angelis puniendos pestilentia triduana, 1. *Paralip. cap. 21. num. 15.* Textus est. *Misit Angelum in Ierusalem, vt percuteret eam*, &c. Cur Deus non hominibus, sed Angelis committit censuram hominum, & vltionem scelerum? Hieronymus optimè in tradit. Hebraic. *Quod terribiliter positum est de gladio Domini, temperatur, dum dicitur, & Angelus Domini*, &c si enim gladium vibraret homo in homines, metus erat, ne sine modo feriret: quæ humanæ iustitiæ vis est, docet Iacobus cap. 1. num. 20. *Ira viri iustitiam Dei non operatur*, &c. Et signanter addit Apostolus viam hominis à Dei iustitia longè abesse, quòd homo ægrè modum teneat in puniendo, & persæpe affectu ducatur ad vindictam scelerum. Bene D. Thom. *Intelligendum* (inquit) *est, quando procedit ex libidine vindictæ, non ex amore iustitiæ*, &c. Deinde intelligendum puto. *Quando ira viri est, non pueri, quæ citò transit*, &c. quò non grassatur ira pertinax hominis improbi? nullo se modo continet, quæ modum non habet. Hac via puto minas grauiores esse aduersùs Helim. Minatur Iudex Max. rem à se patrandam esse, quam si quis norit, ægrè sibi constet. *Timuerunt aures eius*, &c. 1. *Reg. 3. num. 11.* Quò pergant tristes voces, habes cap. 2. num. 33. *Pars magna domus tuæ morietur*, &c. Addit textus Græcè, ἐν ῥομφαίᾳ ἀνδρῶν. Non mea, nec manu Angelica vindictam peragam, sed ferro hominum; qui actiores multo, & pertinaciores figunt morsus. Metus iste Achitophelo erat, cùm videret suam ab Absalomo sententiam reiectam esse, & peruideret patrem ea via longè victorem fore; è vestigio ad restim confugit, & suam sibi gulam frangit. 2. Reg. 15. n. 23. *Suspendio interiit*, &c. si quis enim petat, cur se perdat consultor optimus, cùm locus adhuc precibus esse posset, vt Dauid mitigetur: occurrit Iosephus *lib. 7. Antiquit. c. 9.* & docet Rege læso spes omnes Achitophelo periisse, veniæ parandæ, ac proinde restim sibi volens nectit. *Dicebat enim melius sibi fore, vt liberè vitam abrumperet, quàm se Dauid reseruaret ad pœnas*, &c. Expende quid Achitophelus reformidaret, cruciatus scilicet grauiores à Rege læso, quos, optato laqueo, se putat vitare posse. Neque enim punit modestè, qui læsus est Princeps; nec iniuriam donat facilè, cùm seuerè iubeat, *Non parcet oculus tuus*, &c. adeò Medus furor sæuit. Vnde poëtes lib. 2. in Eutropium,

Modestus in scelerum censura iudex Angelus.

Iac. c. 1. n. 20.

Sanus vindicta amore iudex homo.

1. Reg. c. 3. num. 11. c. 2. n. 33.

Homines Deus aduocat, vt grauiorem de hominibus pœnam sumat.

2. Reg. c. 15. n. 23.

Acerbitatem humanæ vindictæ resti effugit infelix homo.

Rarus

Rarus apud Medos Regum cruor, vnaque cuncto
Pœna manet generi, &c.

Sed quò non grassetur, qui ferro accinctus rem gerit publicam? *O Pastor* (clamat Zacharias) *& idolum derelinquens gregem*, &c. *cap.* 11. *num.* 17. Gregem à Pastore malo reiectum dicit, cùm laceratum malè pecus doceat, litoti vsitatissima. Idque à signo probatur. *Gladius* (inquit) *super brachium eius, & super oculum dextrum eius*, &c. quid Nilus in loco? taxat Vates homines. *Qui ad punienda aliorum scelera sunt promptiores*, &c. *lib. Ascetico.* Ita enim delectantur malis hominum Pastores mali, vt ferrum manu semper vibrent, quod in oculis habent, & in deliciis, ne parcant vel miseris hominibus.

Zach. c. 11. n. 17.

Acerbè punit homo aliena scelera.

3. Miror ego, Regem sæuire turpi, ac seruili animo. quod Nazianzenus obseruat *Orat.* 17. seruus omnino erat, qui hominem, manu in gulam iniecta, premebat, cùm soluendo non esset debitor, apud *Matth.* 18. *num.* 28. Eaque nota Princeps ferit hominem: *Serue nequam*, &c. *num.* 32. Hic ille est, qui *tenens suffocabat*, &c. miserumque vrgebat hominem loco, & genio vilis homo. *Nam animi etiam inductione seruus erat*, &c. sic Theologus. Idque animi vitium turpi seruo Princeps obiicit, cùm addit, *Serue nequam*, &c. Parcit Magnus Princeps, eo nomine, parcit & Magnus Deus, non pœnam auget; video quo loco Dauid Princeps appelletur sceptro potens, *& ait Rex*, &c. 2. *Reg. cap.* 16. *n.* 10. cùm scilicet regno expulsum persequeretur Absalomus, Semeius maledictis scinderet, & miles promptus calumniatorem ferro vellet petere. *Vadam* (inquit) *& amputabo caput eius*, &c. Sed quasi ictum auertens, *Ait Rex*, num. 10. *Quid mihi, & vobis filij Saruiæ?* &c. Ad rem Augustinum de Patient. cap. 9. *Potestatem Regiam magis, ac magis adhibuit, prohibendo, quàm exercendo vindictam*, &c. Ac si tunc Dauid Regem verè ageret, cùm à vindicta suæ iniuriæ iuberet abstinendum esse. Quòd si vtendum ira iusta, modicè vtendum est, ne scelus admittat iudex, seuerè scelus puniens. *Culpa enim est* (Hildeberto Auctore) *totam persequi culpam*, &c. *epist.* 25. Magister huiusce moderationis verè Christus est: neque enim Iudam, sed ficum maledicto ferit, nec cum suo pomus fructu gaudet. *Non enim erat tempus ficorum*, &c. apud *Marc.* 11. *num.* 13. Maledictum igitur impingit Christus. *Et arefacta est ficulnea*, &c. *Matth.* 21. *num.* 19. Sic Deus pœnam moderatur, *figuram maledictionis vsque ad folia tantùm faciens*, &c. Illudque Cyrillus voluit, *Catech.* 13. percussam ficum esse, cùm leuiùs ferret damnum. Sed, *Glorioſa in Domino virtus est, citra punire, quàm liceat*, &c. sic Hildebertus *loco citato.* Non sic Nabuchodonosor. Stomachatur grauiter, sæuit grauiùs, Holoferne interim admonito, *Non parcet oculus tuus*, &c. Et tantæ erat sæuitiæ Nabuchodonosor, vt nec lachrymis flecti, nec malis alienis frangi Holofernem sineret.

Mar. c. 11. n. 13.

Matth. c. 21. n 19.

Rex est, qui iram ponit, ne suam vlciscatur iniuriam.

Modestè puniendum.

Seuitia de seruili genio est

Num. 7. Tunc Holofernes vocauit Duces, & Magistratus, &c. sicut præcepit illi Rex.

Commentarius.

FAcit Holofernes quidquid iubet Nabuchodonosor. Equites cogit, & pedites, lectis ad negotiũ Ducibus, militúmque tribunis promptissimis; id quidem ex officio Ducis optimi. Sed expendo vocem *tunc*, vt notam obedientiæ, quæ moræ nihil addit, ac de iussis nihil demit. Nam textus est, *Tunc Holofernes vocauit Duces*, &c. Ac si vellet. Vbi seuerè iubet Nabuchodonosor, mora nulla est; iussa facit Holofernes citò, & dicto obediens, quod Lyra notat, & constat ex vocula, *tunc*, quæ moras abrumpit omnes: apud Isaiam cap. 58. num. 8. *Tunc erumpet, quasi manè lumen tuum*, &c. vbi postules, auxilium præstò est, & antelucanum. Quod monet Procop. *Matutinum appellauit, tanquam Deo tempus anteuertente*, &c. Apud Lyristen Hebr. Ps. 39. num. 8. *Tunc dixi: Ecce venio*, &c. & Christi vox est, qua legem excepit à Patre impositam, num. 9. *In capite libri scriptum est de me*, &c. Neque enim pes Christo ad obsequium tardus erat. In Num. cap. 9. num. 17. *Cùm ablata fuisset nubes, tunc proficiscebantur*, &c. Nube discussa, nulla Hebræo mora erat ad viam instituendam. Sic Moyses; nec Daniel abest ab hoc dicendi modò, cùm Ariochi laudat expromptum obsequium. c. 2. num. 25. *Tunc Arioch festinus*, &c. Mitto, quæ sacro textu plura sunt loca. Hanc in obtemperando alacritatem præstat Holofernes. Deinde nihil de mandatis detrahit, vel queritur, cùm ad Regis imperiũ sese accingat studiosè. *sicut præcepit illi Rex*, &c. Et vtrumque exequitur in re difficili, scilicet iacta belli alea. Sed & Cyri nutum explorat miles obsequens, apud Xenophontem lib. 5. *Ego Cyre* (inquit) *& qui mihi sunt homines, manebimus apud te, & tuum nutum obseruabimus*, &c. Quid non faciat Christianus miles in re vtili? Putabant, sed malè, viri non mali scholam Christianam ab imperio communi Regum exemptam esse. Occurrit Petrus 1. *cap.* 2. *num.* 13. errorem abigens. *Subditi estote propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus*, &c. Vide quæ Lorin. in loco aggerit. Petro hæret Paulus ad Rom. 13. num. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c. Lege nostrũ Iustinianum. Agunt ea de re viri Magni. Tertullianus ad Scapulam c. 2. *Colimus* (inquit) *Imperatorem, quo modo & nobis licet, vt hominem à Deo secundum, & quidquid est, à Deo consecutum, & solo Deo minorem. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor*, &c. Illud Magister voluit, quod *in Apologet. cap.* 2. colendum scilicet Regem esse, vbi Deum ille colit; Regum iussis obtemperandum, si rectè, ac sanctè habeant. Versat argumentum & Iustinus *Apolog.* 2. *ad Antonin.* vbi Christi legem esse probat, vt schola Christiana Reges vno Deo minores colat obseruantissimè. *Sic fit, vt Deum solum adoremus, in rebus cæteris libenter vobis subseruiamus*, &c. quod si laudas, rectè moneas,

26.

Isa. c. 58. n. 8.

Adulat Deus in auxilium. Ps. 39. n. 8. 9

Num. c. 9. n. 17.

Dan. cap. 2. n. 25.

Ad nutum obtemperat, qui Regem colit.

1. Pet. c. 2. n. 13.

Ad Rom. c. n. 1.

Maior apud homines est, qui se Deo minorem gerit.

PARÆ

PARÆNET. XV.

Promptè vel in re difficili obediendum esse.

1.

NEc cunctatur ad imperium, nec queritur de negotio Holofernes, sed imperata facit studiosè; idque, *sicut præcepit illi Rex*, &c. Vnde Iustinianus Venetus capit vires, vt scholam Deo sacram moneat, dum laudat, ad lib. de Conuersat. Monast. cap. 7. *Obsequitur velociter, ne imperantis nutum procrastinet, sed repentè iussa perficiat, détque illi semper ex sua festinatione ansum imperandi*, &c. Quid si mandatum sit de re difficili? Obsequitur velociter, quisquis sciens, volénsque exequitur. Festinatò pergit Moyses ad vltionem scelerum, iussus à Deo vt Madianitam bello petat, & perdat, *Num. cap. 31. n. 3.* vbi textus, *statim Moyses: Armate* (inquit) *ex vobis viros ad pugnam*, &c. Mandatum exequitur celerrimè, cùm sciret, vltione peracta, se à viuis abiturum esse. Hæc enim ad Moysen Dei vox est, num. 2. *& sic colligeris ad populum tuum*, &c. Mira in obediendo celeritas, quam nec retardat mortis aspectus: sed qui de obtemperando sanctè cogitat, vel in re dubia soluit moras, ne mores soluat. Id Lyra expendit, cùm Moysen de suo fato certum dicat. *Et tamen, nec propter hoc distulit pugnam, sed magis accelerauit*, &c.

Num. cap. 31. n. 3 2.

Festinatò obedit Moyses in re difficili.

2.

Hoc affectu viri obedientes sibi currus, & equos parant, ne quid moræ intercedat, cùm iubentur Orbem vniuersum perlustrare, percurrere, peruolare. Currum video equis tractum, alis celerem, suóque auriga ductum bene. De curru locus est apud Ezech. cap. 1. num. 15. *Apparuit rota in rota*, &c. Equos exponit Vates num. 14. *Animalia ibant, & reuertebantur*, &c. Alas explicat num. 28. *Vnumquodque duabus alis velabat corpus suum*, &c. Quantus vno in curru ad obediendum apparatus? Vbi tamen equi pernices, alæ celeres, vnus tantùm auriga, homo est. n. 26. *Similitudo quasi aspectus hominis desuper*, &c. Deinde vna tantùm vox, quæ vel currum vrget, vel rotas sistit. *Nam cùm vox fieret, stabant*, &c. *num. 25.* cùm sonus simplex esset. *Illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur*, &c. *num. 20.* suo in curru auriga Regum Princeps est; equos vrget non loro, sed verbo; eunt, & redeunt animantes cursu facili, volatu celeri, ne in obediendo mora, & inde culpa sit. Benè Hieronymus epistol. 25. ad Pammach. *Discolores* (inquit) *equi, sed voluntate concordes, vnum auriga trahunt iugum, non expectantes flagelli verbera, sed ad vocis hortamenta feruentes*, &c. Multus in orbe percurrendo labor erat; sed qui ad obtemperandum promptus homo est, non retardatur labore, nec duro trahitur loro, sed molli ducitur sono. Quidquid iubetur, facilè exequitur, imò & iussa factis præuenit.

Ezech. cap. 1. n. 14. 15. 28. 26. 25. 20.

Amore, non timore obedit bonus homo.

3.

Sic Hebræus apud Moysen Exod. 24. num. 6. *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus, & erimus obedientes*, &c. Textus Græcè habet, *καὶ ἀκουσόμεθα, & audiemus*, &c. Rectiùs multo dixisse videretur, si diceret, *Audiemus, & faciemus*, &c. Sed, Philone Auctore, *ad facta magis, quàm ad verba properant*, &c. *ad lib. de Confus. Veloc. in Iudith.*

Exod. c. 24. n. 6.

Mandata obsequendo præuenit, qui promptè obedit.

linguar. Perinde enim est, ac si Philo vellet. Cùm iubet Dominus, hoc age: ago, reddit seruus; sed Hebræus, vt moras bene redimat, suum facto dictum præuenit. Philo iterum, *vt non propter admonitionem, sed vltrò viderentur ad bona opera occurrere*, &c. Quasi non iussu obedirent, sed nutu; satísque Hebræis esset hominibus ad obediendum, vt, quid vellet Deus, innueret: nec vox, nec laus est alia obedientiæ promptissimæ. Sic D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. Nam, *Tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo præuenit, voluntate superioris intellecta*, &c. Et quidem Hieronymus à Pacatula non aliam exigit disciplinam epist. 12. ad Gaudent. *Matris nutum pro verbis, & monitis habeat*, &c. Prælucent Angeli hac, & nobili disciplina: quibus oculi, & plurimi, & emissitij, ad obediendum celerrimè. Oculos video in curru Angelico apud Ezech. cap. 1. num. 13. *Totum corpus oculis plenum erat*, &c. Videt & Ioannes quàm multos sacris animalibus oculos inesse. Apoc. cap. 4. num. 6. *Plena oculis antè, & retro*, &c. Nec Cherubini alis tegunt arcam, vt oculos non conuertant ad Oraculum. *Versis vultibus in propitiatorium*, &c. *Exod. 25. num. 20.* Quò tanta oculorum vis est? cur in arcam se se intendit? Oculos quamplurimos habent Angeli, vt oculati volatum edant, vel ad salutem hominum, vel ad vltionem scelerum. *Ostendentes hac re se vigilare*, &c. Hæc Seuerus Antioch. ad id loci. Deinde oculis in Deum emissis vim intendunt Angeli, vt ad nutum obediant. *Ad Dei enim voluntatem respicit sancta cœlestium spirituum multitudo*, &c. Benè Cyrillus Alex. *de Incarnat. c. 13* Eò igitur Angelus tendit oculos, vt quò Deus annuat, volatu vocem anteuertat. Laudat Bernardus templi milites hac de re. *Iter, & reditur ad nutum eius, qui præest*, &c. *cap. 4.* Hac vna via notus Holofernes est, cùm iussa fecerit celeritate maxima. *Sicut præcepit Rex*, &c.

Ezech. cap. 1. n. 13.

Apoc. cap. 4. n. 6.

Exod. c. 25. n. 20.

Vigilat Angelus ad obediendum, facto dictum præueniens.

4.

Sed quæ laus est, nihil de re imperata queri, licèt periculosæ plenum esset opus aleæ? Qui ad obediendum promptus est, nec obloquitur, nec obstrepit ad imperata; iussa facit lubens, nec de iussis queritur, nec disputat. *Ne præceptore prudentior esse videatur*, &c. quod monet Iustinian. Venetus, de Conuersat. Monast. c. 7. *Attende*, (monet Moyses) *& audi Israel*, &c. *Deuteronom. cap. 27. num. 9.* Græcè habes, σιώπα καὶ ἄκουε, *Tace, & audi*, &c. quo textu Monachum instruit Hieronymus de obediendi forma, & studio aduersùs Præfectum morum. *Credas salutare, quidquid ille præceperit; nec de maiorum sententia iudices, cuius officium est obedire, & implere ea, quæ iussa sunt, dicente Moyse: Tace Israël, & audi*, &c. *epist. 4. ad Rustic.* Sanctè, vt video, agit, qui silens obedit, satiúsque putat obtemperare, quàm obstrepere. Nam, teste Ambrosio, Moyses ad Deuteron. 6. num. 3. & 4. *Non dicit loquere, sed audi*, &c. *ad lib. 1. offic. cap. 2.* Laudo ego, quod in bono viro Dauid laudat silentium, cùm se se ad obediendum accingit, Psal. 61. num. 2. *Nónne Deo subiecto erit anima mea?* &c. Hebraicè vertas, *Deo silentium animæ meæ*, &c. à verbo דום *Dum*, *quod est tacere, & subiacere.* Nec Isaias hortatur colore dicendi alio,

Imperatis non obloquitur bonus alumnus.

Deut. c. 27. n. 9.

Ps 61. n. 2.

Isa. cap. 47. n. 5. *Silentium obedientiæ ornamẽtum.*

Sede tacens, &c. *cap.* 47. *num.* 5. Hebræo textu, *Sede subiacens*, &c. Id verò est; ad Præfecti vocem, ne mutire quidem ausis: taciturnitatem credas obedientiæ dotem esse, qua homo nihil de mandatis differit, nihil omnino queritur.

5.

Qualis hac dote Samuel est? Tertiò vocatum à Deo Samuelem scio, ídque summa nocte; & tertiò reiectum ab Heli puerum lego. Res absurda puero videri poterat, vocari se toties, & toties reiectum esse, nocte intempesta. Nihil tamen puer queritur, nec de re disputat apud Magistrum: sed toties ad senem procurrit quoties vocatur. Quod textus habet 1. Reg. cap. 3. num. 5. *Concurrit ad Heli*, &c. scitè in locum Magnus Gregor. lib. 2. in libros Reg. *Nescit iudicare, quis quis perfectè didicit obedire; hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat*, &c. Petis fortasse: Id ne silentium obedientibus erit ad rem difficilem? aio ex Chrysostomo. Nam, si de mandato difficili, & curiosè cogites, & liberè disputes, facilè mandatum abnuas. Vrget homo hominem 3. Reg. 20. num. 35. *In sermone Domini percute me*, &c. Ferro me ferias, iubet Dominus. Quid ad litem curiosus homo? Rem absurdam reputat; Vatem vt insanum abigit; mandatum vt vanum abnuit. Sed quas ille, misso leone, pœnas dedit? num. 36. *Percutiet te leo*, &c. Pœna est hominis qui de mandato difficili, vel secum disputat. Ad litem Chrysostom. Hom. 2. ad Rom. *Quòd res absurda videretur, curiosè de ea perscrutatus esset, & simpliciter non paruit, extremas dedit pœnas*, &c. Quid tuam de re imperata sententiam interponis? quæ iubentur, age citò; nihil omnino pensites, nihil disputes. Mandati iure dubio, cogitandum benè de Rege, ac de Pastore, censent Theologi *ad* 12. *quæst.* 96. *artic.* 6. Cur malè de iure plano, ac præscripto cogitandum est? Dubitant interpretes, cur Ionathas, licèt innocens, fregerit patris mandatum de fame toleranda, 1. *Reg.* 14. *num.* 27. tamen capite damnatus fuerit, *num.* 44. sic enim pater: *Morte morieris Ionatha*, &c. De textu est Ionatham ignoranter peccasse. *Porrò Ionathas non audierat*, &c. Sed fauo degustato, cùm Ionatham moneret miles, addit Princeps, num. 29. *Turbauit pater meus terram*, &c. Ac proinde, cùm de imperatis malè sentiret, vita Ionathas periclitatur. Ad litem Caietanus. *Sed peccauit; audito mandato Regis, arguens Patrem, qui præceperat*, &c. Caue igitur disputes, cùm Princeps iubet.

1. Reg. cap. 3. n. 5. *Non quæritur, nec disputat de mandato, qui didicit obedire.*

3. Reg. c. 20. n. 35. 36. *Ingratus Deo homo est, qui mandatum expendit curiosè.*

1. Reg. c. 14. n. 27. 29. *Periclitatur vita, qui paternam legem carpit.*

6.

Iam verò, si quis non modò languet ad imperata, sed queritur, ac luget, fœda omnino res est. quo merito Iephthe suam perdit filiam, Iudic. cap. 11. num. 39. *Reuersa est ad patrem suum, & fecit illi, sicut nouerat*, &c. Sed Isaacum à morte vendicat, patre admonito. *Ne extendas manum tuam super puerum*, &c. *Gen.* 22. *num.* 12. Cur Deus vtrumque voluerit, facilè inuenire est apud Anastas. Nicæn. *q.* 36. Nam Isaaco ad aram obligato, nec pater luget, nec puer lessum facit. quod patet ex *num.* 9. Sed puella in necem consecrata, dolet Iephthe num. 35. *Heu me filia mea*, &c. Et virgo petit lachrymis bimestres inducias, n. 37. *vt plangam* (inquit) *virginitatem meam*, &c. Quare Deo silente, mulctatur pater, mactatur filia. Vbi Anastasius: *Neque pater Abraha beneficio dignus erat, post illam pœnitentiam, neque filia Isaaci vita digna erat, post luctũ, & eiulatum*, &c. Languet virgo ad imperata, cùm mensis lachrymis exigit, moras vt pater nectat in mactanda victima. Pereat igitur adolescentula, patre malè mulctato; quippe quæ de voto sinistrè cogitet, cùm fleat; non aliter Ambrosius *ad* 3. *de Virginibus*. Siccis oculis parat Abrahamus, quæ ad Isaacum ritè mactandum pertinent; id verò monet Zeno Martyr serm. 3. de Abrahamo. *Ne pater dubitasse videretur, si flesset*, &c. Et absurdum putabat senex, si dubium probaret animum, vel vna lachrymula. Sed & puerum funè ligabat, vt motus premeret, qui à natura fiunt. Fugam natura mouet, certè motum imperat, cùm mors imminet, affectu aliter imperante. Hosce motus ab Isaaco premi Abrahamus voluit; ac proinde funè innexo puerum obligauit. Sic Augustinus serm. 73. de Tempore. *Vincitur innocens, ne offerentis deuotio putaret se minus aliquid exhibere, si doloris impatientia victima calcitraret*, &c. Video Abrahamum nec leui fletu dubium, nec Isaacum motu leui refractarium esse. *Pedem enim ligatura distrinxit, ne incitata victima displiceret*, &c. Hæc Zeno Martyr *serm.* 2. *de Abrahamo*. Laudes igitur Holofernem, qui ad Regis imperata, licèt difficillima, nec obloquitur, nec disputat; sed obaudit, & silet, imò facilè exequitur. *Sicut præcepit illi Rex*, &c.

Lato vultu obediendum.

Qui tristi vultu iussa facit, non obedit fide integra.

Qui promptè obedit, natura motum, etsi leuem cohibet.

Num. 8. & 9. Omnémque expeditionem suam fecit præire in multitudine Camelorum, &c.

Commentarius.

CAmelos vectandis tantùm sarcinis paratos dixerit, qui nescit hosce animantes in pugna seruire optimè ad teli iactum. Notat Plinius *lib.* 8. *cap.* 28. Arabes Camelis præliari solitos. Addo Veget. *lib.* 3. *cap.* 23. Vnde Camelus Bactriana, quòd sit equo celerior, prouerbio locum fecit, apud Rhodigin. *lib.* 7. *cap.* 18. Sed & suo, tristique odore Camelus equum fugat longè. Nec Cyrus Crœsum ludit, & fugat arte alia, apud Herodot. lib. 1. *Equi olfactis, conspectísque Camelis retrò se auerterunt*, &c. Cum Herodoto sentit Xenophon *lib.* 7. Ab vtroque Ælianus didicit, quidquid habet *lib.* 11. *cap.* 36. Quòd verò ad belli vsum Camelus faueat, disco è sacro textu, *ad Iud.* 8. *n.* 22. vbi Gedeon prædam ex Madianita cogit. *Ornamenta scilicet, & bullas, quibus colla Regalium Camelorum decorari solent*, &c. Sed & Dauid *ad* 1. *Reg. cap.* 30. *num.* 17. liquidò insinuat Amalecitam de Camelo pugnare, cùm dicat pro fugisse quadringentos adolescentes, *qui ascenderant Camelos*, &c. & Abulensis placitum est *q.* 17. *ad Iudic.* 8. quò ego trahendum puto Isaiam *cap.* 21. *n.* 7. vbi Ducem curru falcato vectum laudat. *Vidi currum duorum equitum: ascensorem asini, & ascensorem Cameli*, &c. Sentit fortasse hosce homines Camelis, vt equis, vsos esse aduersùs hostem.

27.

Camelus ad belli vsum varium.

Iudic. cap. 8. n. 22. 1. Reg. c. 30. n. 17.

Isa. cap. 21. n. 7.

Illud

28. Illud tamen Auctores plerique docent, Camelos præstare lacte ad sitim pellendam, seruire carne ad famem sedandam militum. Vnde sua Iobo fortuna erat inter boues Camelos alere, *cap.* 1. *num.* 3. Vide Pinedam in loco. Hanc à socero dotem impetrauit Tobias iunior, *In Camelis scilicet, & vaccis,* &c. *ad cap.* 10. *num.* 10. vide interpretes. Hanc sibi prædam contraxit Hebræus miles de hoste Agarêo *ad* 1. *Paralip. cap.* 5. *num.* 21. Quare Holofernes bene Camelos cum bobus ducit ad cibos castrenses. Deinde frumenti vim cogit, è Syria vniuersa: quod patet ex *num.* 9. Romano id solenne, vt bubulam cum frumento daret militibus; postquam sumptu, & ære publico meruere. quod persequitur Lipsius *de Milit. Dial.* 16. Vide quid aggerat *in Polit. lib.* 5. *cap.* 6. Metiri frumentum militibus solebat quæstor apud Cæsarem 1. *de Gallico.* Vnde Crispus censet inter probra militum, *frumentum publicè datum vendere,* &c. *in Iugurth.* datúmque in mensem, appellari dimensum lego. Scitè factum puto, vt Princeps meminerit de annona militari: consiliumque à Vegetio datum bene est lib. 3. cap. 26. *Qui enim frumentum, & necessarium commeatum non parat, vincitur sine ferro,* &c. Addit Theodericus belli sciens, fame vrgeri militem ad sordes scelerum, lib. 4. epistol. 13. ad Senarium. *Disciplinam seruare non potest ieiunus exercitus, dum, quod deest, semper armatus præsumit,* &c. Militem igitur furti reum citò noueris, si fame laborat. Nota in vtramque partem Ionathæ vox est 1. *Reg.* 14. *num.* 29. cùm resciscceret ieiunium à patre imperatum, ducta in hostem acie. *Turbauit Pater meus terram,* &c. Satis admonens

Tob c. 1. n. 3. Tob cap. 10. n. 10.

1. Paral. c. 5. n. 21.

Commeatus militares ad belli fortunam faciunt.

Parænet. XVI.

Annonam laborantibus prouidendam esse.

1. LAborat seruus rebus agendis, seruit, & sudat miles armis tractandis: curam de annona habeat Dominus, & Princeps habeat necesse est; neque enim seruus fame satagit integra, nec miles ventre pugnat vacuo. Cibos vterque poscit, vt vires firmet, & iussa faciat. Quo ore Princeps iubeat, & quo iure Dominus iubeat, si non pascit homines? Paræmia est: *Vbi paueris, impera,* &c. scilicet, ille ius habet laboris imperandi, qui habet curam gentis alendæ. Hac & paterna cura somniat Pharao *Gen.* 41. *num.* 1. Videt boues, & pingues, ac tenues; videt segetes, lætas, ac tristes; ibi rerum imagines, quæ Regem monent de bona, maláque Ægypti fortuna: vti Iosephus interpretatur *num.* 25. Monetúrque Pharao per nocturnam quietem de Rep. vt fame grassante peruideat, quid facto opus est. Auctore Oleastrio. *Quoniam Regum est, prouidere, quæ suis sunt populis necessaria,* &c. Vis hæc paterni in ciues animi est, noctu somniare, & interdiu vigilare, quid ad leuandam annonam faciat. Bonus hac cura Princeps est, de quo Pater Psal. 2. num. 9. *Reges eos in virga ferrea,* &c. Licèt enim Princeps Latinè susceperit homines moderandos. *Inflexibili iustitia, Veloso. in Iudith.*

Gen. cap. 41. n. 1. 25.

Regum est prouidere de annona publica.

Psal. 2. n. 9.

&c. quod Rupertus eruit è virga ferrea *ad lib.* 11. *in Apoc.* videámque Regem nullo mollitum affectu in gratiam hominum: textus Græcè est, ποιμανεῖς αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, *Pasces eos in baculo ferrato,* &c. Vnde Princeps communi cura Pater est aduersùs homines benè merentes, siue seruus, siue miles suo labore mereatur. Hosce enim homines foueat bonus Princeps, necesse est, Nazianzeno teste, *Depositáque grauis, & ferrea virga, pastorali virga pascet,* &c. *Orat.* 4. Et quidem æquum est, vt qui pœnam infert, panem offerat. Duplex è Policitis ratio est. Nam annona publicè data, & reficit homines ad laborandum strenuè, & retrahit à peccando sordidè.

De cibanda plebecula curandum.

2. Rectè Paulus monet ad Colossens. cap. 4. num. 1. *Domini, quod iustum, & æquum est, seruis præstate,* &c. Nam D. Thomas locum explicat de iure annonæ constituendæ, vbi seruus laborat rebus administrandis; sed Adamum, & Heuam præfecit Dominus rebus rusticis, vt terram exercerent, & villam colerent. Gen. cap. 1. num. 28. *Replete terram, & subiicite eam,* &c. Vt tamen id negotij exequantur manu leui, animóque facili, annonam villicis præstat Dominus, herbis, pomísque in cœnam donatis, num. 29. *vt sint vobis* (inquit) *in escam,* &c. Ne si victu egeret homo, laborem fugeret lassus ministerio. *Admonet* (teste Oleastrio) *locus iste eos, qui ministros habent, victum illis præbere,* &c. Iure id merito repetunt, non minus villæ cultor, quàm mensæ structor. Ministrant Apostoli mensis hominum, vbi Magister panes, ac pisces abundè tribuit; sic enim Marcus habet cap. 6. num. 41. *Dedit discipulis suis, vt ponerent ante eos,* &c. Labor erat ad sudorem vsque, tot hominum millibus cibos apponere: laborant tamen, & sudant Apostoli. Quid inde Apostolis ministrantibus mercedis est? Magistro id iubente, *sustulerunt reliquias fragmentorum, duodecim cophinos,* &c. *num.* 42. Sic Dominus recreat homines, qui laborant, anno namque seruis præstat, vnde laborem solentur. Quod expendit Cyrillus Alex. lib. 3. in Ioan. c. 18. *Nec sine mercede laborem istum Apostoli sufferunt,* &c. Id verò egit Christus ex præscripto boni Domini, vt qui cibos ministrat seruus, cibo non egeat, ac fame deficiat.

Ad Coloss. cap. 4. n. 1.

Gen. cap. 1. n. 28. 29.

Annona seruis præstanda.

Mar. cap. 6. n. 41. 42.

Laborantes cibo Christus reficit.

3. Quid miles? ductus in hostem cibo indigebit? scilicet, vt sine annona militari deficiat, & fugiat. quod probant voces tristes apud Isaiam *cap.* 2. *num.* 1. Vires militares cùm vellet Ierosolymis subtrahere Magnus Iudex, minatur acerbè, *Auferam à Ierusalem, & Iuda validum, & fortem,* &c. Addit proximè, quid vires imminuat. *Omne robur panis,* &c. At si vellet militem sine cibo facilè torpere ad laborem militarem. quod Augustino placet lib. 4. in Num. q. 62. *An fortè cibus, quo sustentantur, virtus appellata est? quo submínistrato vires suppetunt, & quo subtracto deficiunt?* &c. Assentior. Nihil igitur miror, si Moyses, (Deo Duce) operam ab Hebræo militarem non exigat, nisi post cibos largè datos: sic ad Iosuam Moyses, *Elige viros, & egressus pugna contra Amalec,* &c. Sed priusquam miles pugnam ineat, panes è cœlo datos capit, & coturnices in castris aucupatur, de quibus ad cap. 16.

Isa. c. 2. n. 1.

Frangit militem qui cibum subtrahit.

Exod. c. 17. n. 9. c. 16. n. 12.

numer. 12. *Vesperè comedetis carnes, & manè saturabimini panibus*,&c. Egit Moyses ex officio Ducis optimi. Si enim Annibales, ac Scipiones militem, nisi pastum, non ducunt è castris in aciem? Nysseno teste, *Eodem modo milites mysticum accipiunt commeatum, & sic aduersùs hostes exeunt*, &c. *ad lib. de Moyse.* Qualis Princeps, qualis Dominus, sub quo nec seruus, nec miles famescit, ac proinde nec fame deficit? Optimus ille homo est, ac certò sciens, annona vires parari, augeri animos commeatu. Cibos igitur apponat Princeps, apponat & Dominus, ne seruus, ac miles fame grassante laborem deserant.

Miles bene pastus bene pugnat.

4. Discat à Deo, qui sacros administros, vel vt seruos pascit annona, vel vt milites fouet commeatu. Scio Leuitas, vti seruos laborare. *Seruientes in ministerio eius*, &c. *ad Num. 3. num.* 8. Scio & Sacerdotes ministrare seruili opera ad Hebr. 13. numer. 10. *Qui tabernaculo deseruiunt*, &c. Lego hosce homines, vt milites excubare. De Leuitis Moyses ad Num. cap. cit. num. 6. *vt ministrent, & excubent*, &c. De Sacerdotibus textus est apud Ezech. cap. 40. num. 45. *Sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium Altaris*,&c. Verbum vtroque loco militare est. quod notant interpretes. Sed qui seruit in domo seruus, & qui sudat in castris miles, cibo egent. Panes igitur sacra in mensa apponendos curat Magnus Princeps, ac bonus Dominus Exod. 25. num. 31. *Pones super mensam panes in conspectu meo semper*, &c. Quantum Deo studium est de Leuita, vt milite alendo, ac de Sacerdote, vt tribuno militum sustentando? Id expendit Oleastrius. *Considera, qualiter ministros suos cibat Deus*, &c. Panes in oculis Domini, monitiones sunt apud Dominum de labore Leuitico, de seruili obsequio, de opera militari. Oleastrius iterum. *Voluit enim semper coram se panes habere, vt continuò nostræ indigentiæ memor esset*, &c. Hoc studio Holofernes commeatum parat, ne miles deficiat tritus labore, ne furtum admittat pressus fame.

Num. cap. 3. n. 7.
Ad Hebr. cap. 13. n. 10.
Ezech. c. 40. n. 45.
Exod. c. 25. n. 31.
Non vrgetur fame, qui Deo seruit ac militat.
Paratam Deus mensam habet, vt eiùs succurrat.

5. Quis enim mensa fruitur publica, & scelus perpetrat manu facili? Cura Deo est, vt seruum à furto distineat: ac proinde iubet, vt Sacerdos sacris hostiis seruos pascat. Lex est Leuitic. 22. num. 10. *Quem Sacerdos emerit, & qui vernaculus fuerit, vescantur ex iis*, &c. Cur id iusserit Dominus, inuenit Philo ad 2. lib. de Monarch. *Ne quod omnino futurum est, hoc inuiti faciamus*, &c. Cùm seruus domi viuat, si quid negatur à domino sordidè, ab inuito rapit facilè: nam leges non audit venter vacuus; si continere militem à furto velis, cibos para, & hominem recrea. Arborem Deus vnicam sui iuris esse voluit, cùm Adamum hortulo geniali villicum præficeret, lege imposita. *Ne comedas*,&c. *Gen. 2. num. 16.* quare serpens Adamum vrgens ad esum pomi vetiti, Ruperto interprete, *suadebat rapere de alieno*, &c. Quid igitur Magnus Dominus, vt hominem à furto retraheret? Adamo fecit potestatem edendi, quæcumque vellet, num. 16. *Ex omni ligno comede*, &c. Vnde Bernardus. *Leuissimum mandatum, & larga omnino mensura*, &c. *ad serm. 2. de circumcis.* Puto (inquit) factam Adamo copiam tantarum rerum, vt à pomo vetita facilè abstineret. Quis enim iussa non faciat, vbi victum abundè præstat Dominus? Sano igitur cerebro Holofernes cibos castrenses curat, vt militem contineat in officio.

Gen. cap. 2. n. 16.
A furto abstinet pastus benè seruus.
Annona ministro parata furandi occasiones præscindit.

Num. 10. Aurum, & argentum de domo Regis assumpsit multum nimis.

Commentarius.

29. SCio ductum parœmasticè de Rege, vel Duce malè numato: *Ventrem non habet*,&c. apud Rhodigin. *lib. 25. cap. 2.* Quo enim modo extabescit, qui ventriculo dolet vacuo; sic bello Princeps deficit, qui auri vires, bellíque neruos non habet; scilicet ad mulcendos milites stipendio, ac donatiuo. Nemo est, qui non laudet militem amantem disciplinæ. Eam tamen (teste Lampridio) *miles non timet, nisi vestitus, & habens aliquid in zonula*, &c. Quis enim pugnam ineat strenuè, si de stipendio nihil sibi cogit? Quis à furto abstineat, si denariolos in diem non capit? Benè Theodericus id monet cit. loco ad Senarium. *Habeat, quo emat, ne cogatur cogitare, quod auferat*, &c. Soluat pecuniolam Tribunus militum, qui milites in acie leones velit: quis donatiuo miles torpet ad belli aleam? vel ad hostem deficit? Martem spirat, & fidem seruat, qui pecuniolæ spe lactatur. Quod Romanus cùm perurideret, collata stipe, æra militibus constituit publicè. Auctor est Liuius *lib. 4. decad. 1.* vide Lips. *Dialog. 16.* Non supprimo, cur Augustus, quidquid vbique militum esset, ad certam stipendiorum, præmiorúmque formulam adstrinxerit, apud Sueton. *cap. 49.* Id enim Augusto consilium placuit. *Ne aut ætate, aut inopia post missionem solicitari ad res nouas possent*, &c. Satis Cæsar insinuat, stipendio subtracto moueri militem, rapíque in partes. Addo ægrè dolere, minui sibi stipendium labore quæsitum. Vnde tumultus graues post Augusti excessum, apud Tacit. *lib. 1.* Tradit Polyb. *lib. 1. Historiar.* tumultuatos ea causa milites, apud Carthaginem.

Non obaudit miles famescens.
Tumultum faciunt, qui fame premuntur.

30. Vnde tamen stipendium subrogandum est à tributo ne, an ab ærario? Holofernes aurum, & argentum excepit *de domo Regis*, &c. Nihil textus meminit de tributo imposito, ne ciues Princeps malè premeret pecunia imperata. Sed & Romanus ab ærario militari stipendium erogat, & donatiuum. Vnde miles ærarius ab hoc ærario appellatur. quod Varro notat *ad lib. 9. de Lingua Lat.* Nec ærario Præfectus derat, de quo Tacit. *lib. 5.* ibi Lipsius. Ac ne ærarium deficeret sumptibus militaribus; id Cæsar fouebat pecunia mulctatitia, apud Sueton. cap. 49. *Ærarium militare vectigalibus nouis instituit*, &c. Tributum, sed leue Tiberius imposuit, vbi centesimam rerum venalium constituit. Deprecatur populus id oneris, sed addit Tiberius, *eo subsidio niti ærarium militare*, &c. Ab hoc ærario donatiuum

Curandum minutè de ærario militari.

donatiuum, quo miles allicitur ad labores castrenses. Non aggero, quæ apud Auctores inuenio, vnus mihi placet Tertullianus ad lib. de Coron. militis, cap. 1. *Proximè facta est liberalitas præstantissimorum Imperatorum*, &c. Nec excussum numo aliud est. Ab vno enim latere, *Liberalitas Augusti S.C.* &c. Quòd verò locus donatiuum sonet, bene ex loquendi filo ductum patet. Vide, quid Cerda cogat in locum. Vnde constat, quare Holofernes auri opes, ac belli vires collegerit non à populo, sed ab aula. Colligo ego,

PARÆNET. XVII.

Stipendium merentibus soluendum esse.

1. NEmo negat milites mulcendos esse ære militari, ne langueſcant in acie, nec à castris defugiant. *Quis enim* (Paulo teste) *militat suis stipendiis vnquam?* &c. 1. *ad Corinth. cap. 9. num. 7.* Militauit aliquando Romanus suo sumptu; sed priusquam Gallus vrbem caperet, post tristem sortem, ære publico meruit: quod tradit Liu. *lib. 4. & 5. decad. 1.* Id ego scitè statutum puto, vt miles ære publico adstringeretur fortiùs ad ferendum laborem, ad fidem seruandam. Laudo Holofernem, qui auro collecto militem fouerit. Laudo & Antiochum, amantem militum, qui suum salariis militaribus ærarium dicauerit, *Machab. 1. cap. 3. num. 28.* vbi textus, *Aperuit ærarium suum, & dedit stipendia*, &c. Bene est; sed qua id lege? *& mandauit, vt essent parati ad omnia*, &c. An ne ad ferrum? ad niues? ad hostem? ad ignes? ad difficillima quæque? Quò non eant strenuè auro lecti, stipendióque parati homines? Neque enim Antiochus opes cogebat suum in ærarium, nisi ad sumptus castrenses, vsusque militares. quod in Dario laudat Curtius *lib. 3.* Vnde constat congestas Damasci ingentes opes. *Pecunia* (inquit) *stipendio ingenti militum præparata*, &c. Duces hac parte scientes admodum. Nam facultates Latino, facilitates sunt ad cogendum militem stipendiis constitutis.

1. ad Cor. c. 9. n. 7.

1 Mach. c. 3. n. 28.

Dura quæque aggreditur stipendio recreatus miles.

Facultates verè facilitates.

2. Vel Abramum belli Ducem Deus suo solatur stipendio. Vocat hominem *Genes. cap. 15. num. 1.* pulsóque metu facit rerum dominum. *Ego protector tuus sum, & merces tua*, &c. Sed qua id occasione? Postquam Abramus hoste victo, domum reuenit. quod patet ex oratione ad Abramum habita. *Hostes in manibus tuis sunt*, &c. *cap. 14. num. 20.* Bello igitur confecto, ad Abramum Deus, *Ego* (inquit) *merces tua magna nimis*, &c. Pulchrè in locum Ambrosius lib. 2. de Abramo, cap. 8. *Spondendæ mercedis locus nunc erat*, &c. scilicet, vbi Deus Abramo stipendium solueret post belli aleam. Nam Latino militare est, stipendia facere, iure merito. Hebræum Moyses vrget, Deo Duce, ad iter durum, ad hostem pertinacem bello sacro. *Egressus est omnis exercitus Domini*, &c. *Exod. cap. 12. num. 41.* Deinde *cap. 13. num. 18.* addit textus. *Armati ascenderunt*, &c. *scilicet in nostri exemplum*, (Ruperto Auctore) *qui non ad otia, de Ægypto huius sæculi, sed ad bella vocati sumus*, &c. *lib. 2. cap. 27.* Prius tamen quàm Hebræus viam iniret, Domino id iubente, num. 35. *Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestémque plurimam*, &c. Iussit id fortasse Deus, vt quos ducebat milites, stipendio solaretur. Qui ergo *armati ascenderunt*, &c. ære publico recreantur. *Non velut dominorum direptores, sed vt verè hostium victores*, &c. quod Rupertus addit *lib. 1. cap. 15.*

Stipendio militem Deus fouet.

Exod. c. 12. n. 41. cap. 13. n. 18.

Non feriatur bonus miles.

Spoliis militem Deus recreat.

3. Alij, nec pauci homines, Ægypto expilata, mercedem Hebræo solutam esse volunt operæ lateritiæ. Nemo negat iniustè negari mercedem operis laborantibus; quod probat schola *ad 2. 2. q. 114. art. 1. ad 3. & art. 4.* Mitto, quæ interpretes ad Christi vocem Matth. 20. n. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem*, &c. Deinde, nemo nescit Hebræum coquendis laterculis, ciuitatibúsque ædificandis laborasse, pulsatum dura manu. quod Moyses dolet *Exod. 1. n. 11. & 14.* vbi Hebræum malè tritum esse docet, *Operibus duris, luti, ac lateris, omníque famulatu*, &c. Petis, quidnam inde mercedis Hebræo datum est? Nihil omnino. Quare Deo rerum Domino, scelerúmque censore, abstulit Hebræus ab Ægypto aurum, argentum, & supellectilem reliquam: ne quis homines furti reos censeat. Id Augustin. *Exod. q. 39. & 45.* Rupertus *lib. 1. cap. 15.* D. Thom. *2. 2. q. 66. artic. 5. & q. 104. artic. 4.* Sed prior in loco Philo est *ad lib. 1. de Moyse*, vt Hebræum à furti labe vendicet. *Nec id* (inquit) *præ auaritia fecere, sed vt diuturni laboris mercedem reciperent*, &c. A Philone stat Clemens Alexand. 1. *Stromat. cap. 8.* nec sentit aliud Tertullianus lib. 2. aduersùs Marcion. cap. 2. & lib. 4. cap. 29. *Si Christus dignos pronuntiabat mercede operarios*, ad Luc. cap. 10. num. 7. *Excusauit præceptum illud creatoris de vasis Ægyptiorum auferendis*, &c. Addit Magister, id Hebræo operæ pretium fuisse. *Qui enim villas, & vrbes operati fuerant Ægyptiis, digni vtique mercede operarij; non ad fraudem sunt instincti, sed ad mercedis compensationem, quam aliàs à dominatoribus non poterant exigere*, &c. Verè Tertullianus, ac theologicè, licere scilicet operum compensationem, apposita difficultate mercedis impetrandæ. Ferre Deus non potuit fraudes turpes hominum, qui malè haberent laborantes opifices, nec soluerent manu pretium. Nam mercenarium defraudare, scelus immane est. Quid fraudare militem suo stipendio?

Matth. c. 20. n. 8.

Exod. cap. 1. n. 11. 14.

Pretium operæ soluendum laborantibus.

4. Vel moram in soluendo agere scelus est. Notatus ea de mora est, Beniaminus lupus rapax, de quo Pater Genes. 49. num. 27. *Manè comedet prædam*, &c. Hoste (inquit) victo, quidquid rerum est, occupabit. Sic Caietano placet. Tardus tamen erit in metiendo stipendio. *& vesperè diuidet spolia*, &c. More id malo fecerit Princeps militum; hac via lupus rapax; si miles serò annonam capit, qui festinatò suam locauit operam. Nihil Moyses damnat aliud *Deut. 24. num. 14.* Nam licèt textus Latinè iubeat, *Non negabit mercedem*, &c. Quid velit ea lege, explicat num. 15. *Eadem die reddes pretium laboris sui*, &c. sic reddo: perinde est cunctari in soluendo, ac mercedem negare. Quid Magnus Deus? vt Hebræo mercedem soluat sine mora, suam à syngrapha adstringit fidem.

Gen. c. 49. n. 27.

Annona militum citò præstanda.

Deut. c. 24. n. 14. 15.

Qui soluendo cunctatur, quasi negat.

fidem. Illud ſummo cum Deo pactum eſt,
Exod. c. 23. n 25. cap. 28. n. 36. Exod. cap. 23. num. 25. *Seruietis Domino Deo veſtro*, &c. Hæc ab Hebræo præſtanda. Quæ à Deo? *Vt benedicam panibus tuis, & aquis*, &c. Nihil enim Hebræus cogitat, niſi mercedem temporariam. Sed cùm Aaronem ſuo veſtit ornatu Deus, laminam ex auro factam donat, quæ ſacrum Dei nomen referat. cap. 28. num. 36. *In qua ſculpes ſanctum Domino*, &c.

Mercedem è ſyngrapha Deus ſoluit. Bractea illa, ſyngrapha eſt à Deo ſubſcripta, & ſigillata ad fidem mercedis ſoluendæ. quod obſeruat Clemens Alexand. Stromat. lib. 5. cap. 3. *Inſcriptum eſt, & propter præcepta literis mandata, & propter ſenſibilem præſentiam*, &c. Illúdque voluit, Deum tabula obſignata adſtrictum eſſe ad mercedem reddendam; quandoquidem Hebræus tabulis benè ſignatis ſe obſtrinxiſſet ad officium. qui de mercede ſoluenda ita cogitat, rectè monet Leuitic.
Leuit. cap. 19. n. 13. cap. 25. n. 3. cap. 19. num. 13. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque manè*, &c. Nam & agros, qui benè reſpondent, recreat mercede reddita, cùm iubet vacare anno integro, ad Leuit. 25. num. 3. *Sex annis ſeres agrum tuum: ſeptimo autem anno, ſabbatum erit terræ*, &c. Ceſſare agros voluit Deus anno integro.

Largus in ſoluendo Deus. *In gratiam laborum exantlatorum, per ſexennium continuum*, &c. Sic Philo de Charitate. Cùm igitur Deus agros ſuis recreat vicibus, docet liquidò operarios ſua mercede fouendos eſſe.

5. Vel ſuo bono vrgetur homo ad ſoluendam mercedem. quod in mercenario docet Clemens Alexand. 2. Stromat. cap. 8.

Sibi nocet, qui non ſoluit. *Remittitur enim ad id, quod ſequitur faciendum, pauperis alacritas, ſi deſit alimentum*, &c. Sed à Philone didicit *ad lib. cit. de Charitate*, qui in agro vacante id propè docet. Iubet enim Deus vacare agros à frugibus reddendis.

Alternis laborandum. *Vt quies hæc reficiat*, &c. ſic Philo *ad lib. de Creat. Princip.* Nónne præſcriptum eſt Georgicum, alternis ſerendum eſſe, ne terra vi exhauſta fructus malè reddat? certè id Naſo dolet ad 1. lib. de Ponto Eleg. 5.

Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare nouali:
Fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus.

Suis igitur rebus homo conſulit, ſi mercedem ſoluit operario, qui accepto manu pretio laborat fortiùs: ſed & Princeps cùm metitur ſtipendium, egregiè militem firmat ad operam militarem. Id ego in Holoferne laudo, qui, vt militem ſolaretur ſtipendio perſoluto, *Aurum, & argentum aſſumpſit multum nimis*, &c. Sed vnde tanta vis auri, & argenti eſt? *De domo* (inquit) *Regis*, &c. Suum Nabuchodonoſor ærarium aperit, ne ciues premat grauiter, pecunia imperata: illud inſinuans,

PARÆNET. XVIII.

Modum tributis imponendum eſſe.

1. IVs eſt, vt Princeps conſulat opibus congerendis, ſiue ad aulæ ornatum, ſiue ad belli vſum. Rem expendunt ſcientes viri. D. Thom. *de Regim. Princip. lib. 4. cap. 6.* Abulenſ. *ad c. 7. Deuter. q. 9.* Salmer. *tom. 4. part. 1. tract. 6.*

Ad raptum vrget inopia. Fauétque ratio ex Theoderico. *Indigentiam iuſtè fugimus, quæ ſuadet exceſſus*, &c. *lib. 1. epiſt. 19.* Eò fortaſſe ſpectat, quod vulgo iactatur: *Magnus latro eſt Princeps indigens.* Turpem notam vt fugeret Magnus Dauid, prouidebat agris colendis, curandis gregibus, condendíſque theſauris. de quibus textus eſt ad Paralipom. lib. 1. cap. 27. n. 25. *Theſauris, qui erant in vrbibus, & in vicis, & in turribus, præſidebat Ionathan*, &c. Multus in parandis theſauris Dauid erat, ſed de agro, & grege curam habebat. quod patet ex *num. 26.* ſano id conſilio, *Vt Rex haberet ex propriis prouentibus alimenta, & minus grauaret populum vectigalibus*, &c. Sic Caietano viſum eſt. Laudo ego noſtrates Reges, qui aurum, argentúmque ſignatum locis non paucis aſſeruari curabant, ne cogerentur, neceſſitate ſubitaria, plebeculam diuexare. Id in Petro, aliíſque Regibus noſtræ gentis laudat Senator Nonius. A parente non abeſt Salomon, imò nec à Saule, quos æmulatur in agris curandis, fouendíſque gregibus; ad Eccleſiaſtæ cap. 2. n. 7. *Habebam armenta, & multos ouium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me*, &c. Verè de Saule eſt ſermo, qui ſuos greges viro ſcientiſſimo commendauit 1. *Reg. 21. num. 7.* vbi *Doëgus* appellatur *Potentiſſimus paſtorum*, &c. Cur tanta Regibus cura eſſet rerum ruſticarum, docet bene D. Thom. lib. 2. cap. 6. ad tract. cit. *Ad Regiam maieſtatem pertinet his vti, & abundare*, &c. Agricolam noſtri homines ſuum appellarunt Dionyſium, & meruit Princeps, agricolis parens optimus, ea enim via nec ciues fameſcunt, nec Reges egent, ac proinde nec plebem tributis onerant. Quòd ſi adhuc opes deſint, ſiue ad ſumptus aulicos, ſiue ad vſus caſtrenſes, poteſt naturæ iure Princeps tributum imperare: quod probat D. Thom. *lib. 3. cap. 5.* Probat & Pauli vox ad Rom. 13. n. 6. *Ideo tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt*, &c. Cur enim addiderit, Reges Dei adminiſtros eſſe, docet Hieronymus. *Vt vel ſic illis reddant, quod debent, ne videretur Chriſtus ſuperbiam docuiſſe*, &c. Addit tamen D. Thom. modum tributis addendum eſſe; quod & Theoderico placitum. Agit Princeps de agro vectigali, *lib. 4. epiſt. 28. ad Fauſtum*, ac re diſcuſſa ſtatuit. *Ibi poteſt cenſus addi, vbi cultura profecerit: inde & tributa varia, quia non vna eſt agrorum fœcunditas*, &c. Rectè docet Princeps, tributis imperandis moderationem adhibendam eſſe, ne pluſquam iuſtum eſt, Princeps exigat, nec pluſquam poſſint homines pendant.

1. Paral. c. 27. n. 25. 26. *Agros ſcitè colendos Princeps curet, ne rapto viuat.* Ecclc. 2. n. 7. 1. Reg. c. 21. n. 7. *Maieſtatem iuuant regales reditus.* Ad Rom. c. 13. n. 6. *Deo ſoluit, qui Regem tributo ſolatur.* *Tributa moderatè imperanda.*

Modum tributis cogendis Iacobus affigit, *ad Gen. 49. num. 14.* vbi docet. *Iſſachar vidit terram, quòd optima*, &c. Quid inde homo? *Factúſque eſt tributis ſeruiens*, &c. Premo locum. Iſſachar Hebræo, *merces eſt*, quam fortaſſe reddit ruſticus, vt à bello ſe, & baltheo redimat; ſed quantum ruſticus tributi penſitabit? pro agri modo, & tributi modus erit. *Iſſachar vidit terram, quòd eſſet optima*, &c. Vnde non tributo, ſed *factus eſt tributis ſeruiens*, &c. Caietanus bene. *Morale hoc eſt Principibus, vt cultores feracis religionis, plus fructuum concipientes, plus grauent*, &c. Vel hoſtem, ſi Hebræo vrbem tradiderit, tributis onerandum negat Moyſes, Deut. 20. num. 11. *Cunctus populus, qui in ea eſt, ſaluabitur, & ſeruiet tibi ſub tributo*, &c. Expendo vocem extremam, *ſub tributo*, &c. Cur non ſub tributis

2. Gen. cap. 49. n. 14. *Tributum pro rerum fortuna imponendum.* Deut. cap. 20. n. 11.

tributis iubet Moyſes, vt hoſtis ſeruitutem ſubeat? Philo in loco docet bonos eſſe Principes, *qui ſuis parcunt prouincialibus, vno contenti tributo, ne ſubditos redigant citò ad extremam inopiam*, &c. *ad lib. de Creat. Princ.* Et verò ſi deſit modus tributis exigendis, breui non erit, vnde cogantur. Huiuſce damni metu admonitus cohibet Theodericus exactores pecuniæ tributariæ lib. 4. epiſt. 38. *Ne augmento ſuo tumens, ſumma deficiat, incipiátque magis deeſſe; quia immaniter viſa eſt accreuiſſe*, &c. Et conſtat liquidò fieri tributa deteriora, ſi plura iuſto exigantur; vti conſtat agrum, qui parumper non vacat, vi exhauſta deficere. Argumento eſt vocula Hebræa מס *Mas*, quæ tributum ſonat, & liquefactionem, à verbo מסס *Maſas*. id eſt, *liquefacere*. Nec malè quadrant interpretationes; quo enim plura ab hominibus Princeps exigit, eo homines minus reſpondent; ac proinde tributis grauare homines, premere eſt, vt liquefiant, ne ſoluendo ſint tributo.

Deteriora fiunt tributa immodeſtè impoſita.

3. Queritur Saluianus Remp. tributis tam multis exhauſtam eſſe, vt animam omnino agat, lib. 4. *Tributorum* (inquit) *vinculis, quaſi prædonum manibus ſtrangulata moritur*, &c. Pietas igitur eſt, modum tributis addere. Deinde ſanum eſt cerebrum, ne ciues ſuo malo audaces pudorem ſoluant, & præfectum tributis hominem lacerent. Monet id rectè Adura, qui ſub Rege Roboamo *erat ſuper tributa*, &c. 3. *Reg. cap.* 12. *num.* 18. Nam cùm orator eſſet ad populum, homo tributis cogendis præpoſitus, omnem in ſe lapidem commouit. *& lapidauit eum omnis Iſraël*, &c. Vnde Abulenſ. q. 12. *Si lapidauerunt eum, qui tributa petebat, videntur habere motiuum conuenientius*, &c. Probat itaque Abulenſis homines tributis oneratos, iuſto dolore in Aduræ necem conſpiraſſe, cùm Roboamus hominibus tributum deprecantibus reſpondiſſet abſurdè, *Ego addam iugo veſtro*, &c. *num.* 14. Quo dolore ſcio Rom. Pop. à Patribus defeciſſe non ſemel, cùm noua tributis ſoluendis fieret acceſſio. Notat id Liuius *lib.* 1. *dec.* 1. Nec Hebræus, niſi tributis grauatus à Roboamo ſecedit.

● 3. Reg. c. 12. n. 18. *Malè audit, & perit, qui tributis cogendis inflat.*

4. Sed non timet Princeps: adhuc furor tributis cogendis multus eſt; occaſio verò multiplex. Vrget auri ſacra fames; vnde nata de Rege lex eſt Deuter. 17. num. 17. *Non habeat auri, argentíque immenſa pondera*, &c. quod patet, non vetat Deus curam de pecunia modeſtè paranda, ad vſus vtiles; ſed de opibus Attalicis à theſauris Arabum ad ludos ineptos, & ſumptus inſaniæ barbaræ. Ratio ex Abulenſi eſt q. 10. *Quia ſi Rex intendit ſuam theſauris animam replere, nullam quantumcumque improbam extorſionem putabit iniuſtam; & ſic miſeros ſubditos bonis omnibus ſpoliabit*, &c. Oſtendit Abulenſis, vbi Princeps velit, & cupiat nullam iniuriam eſſe, quæ iure quæſito non foueatur; fauent leges Senatoribus conniuentibus, & vt ſua cuique bona auferantur, ius eſt. Iam verò ſi Princeps de communi Patria non eſt, leuiter afficitur ad ciues extraneos, tributíque nihil non corradit. Hoc in metu Deus erat, cùm vetaret, ne Hebræus Regem deligeret externi generis, Deut. cap. 17. num. 15. *Qui auarè cupit, tributis cogendis modum neſcit.*

cap. cit. n. 16. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere*, &c. ſcilicet, Philone teſte, *Ne magnam auri, argentique vim ſibi colligat, ſpoliatis iniuſtè ſubditis*, &c. *ad lib. de Creat. Princip.* Nullus in Rege extraneo amor eſt aduersùs gentem alienam; ſic nullus tributis modus eſt. Vrgent & conſultores peſſimi, qui dum ciues tributo grauant, Reges graui premunt ſcelere. Queritur Plinius hac de re apud Traianum. *Nunquam Principibus defuere, qui fronte graui, & triſti ſupercilio, Fiſci vtilitatibus contumaciter adeſſent*, &c. Cenſura eſt, quæ noſtrum in ævum quadrat intimè. Addit Plinius Reges ſuopte genio rapaces ab conſultoribus peſſimis irritatos eſſe. *Plura à nobis ſemper contra nos didicerunt*, &c. Inde eſt, quòd bolum è faucibus hominum exigant, imò eruant, in tributum. Inſinuat id meus Chriſtus, cùm Petrum vrget, vt hamo piſcem capiat, numúmque tributo ſoluendo eruat. Apud Matth. 17. num. 26. *Aperto* (inquit) *ore eius, inuenies ſtaterem*, &c. Illud noto, numum de piſcis ore extractum eſſe in tributum; ſcilicet eò cogit auri fames, eò vrget Regis continuus, vt tributi ſpecie, vel cibum à plebecula Princeps exigat, emungat, eruat centimanus. Hiſce tributis (credo) fruitur Dæmoniarchus apud Regem Odoardum. Videt Princeps Dæmonem in aula ſaltitare, ac luſitare, vbi ſumma erat pecuniæ tributariæ. quo monſtro Odoardus malè territus pecuniam abigit, populíſque reſtituit. Vide Polydor. *lib.* 8. *Hiſtor. Anglic.*

Deut. c. 17. n. 16. *Externi Regis eſt tributis acerbè grauare.*

Sæuit Princeps conſultoribus peſſimis.

Matth. c. 17. n. 26.

Ex pauperum fame tributum cogit malus Princeps.

5. Caueant Reges, ac Principes, ne Deum lædant, læſo hominum iure, nec de ſumma iniuria ius ſummum condant. Id profectò monent Imperatores, ac Reges Magni, qui de Fiſco detraxere, ne ciues malè grauarent. Honorio cantat Panegyriſtes de 4. Conſulatu, *Nec tua priuatis creſcunt æraria damnis*, &c. Bene apud Ambroſium audit Valentinianus, qui non eſt paſſus valere Fiſcum ægro ciue, ac dolente. Monent aliter Conſultores, modis excogitatis pecuniæ congerendæ. Sed reddit Imperator, *Præterita ſoluere non queunt, noua poterunt ſuſtinere?* &c. de Obitu Valentin. Quid gratiæ Gratianus, tributo remiſſo, non fecit? laudat Auſonius panegyrico. Tandem, quid Traianus pecuniæ mulctatitiæ non condonauit? ſcitè Plinius. *Vetuiſti exigi, quod tuo ſæculo deberi non cœperat*, &c. Nihil Dario prius fuit, quàm tributorum acerbitatem mitigare: nam admonitus à Senatoribus modeſtè ſe habere, quæ imponeret, iuſſit illico, vt dimidium quiſque ſolueret. Sic Plutarch. *in Regum apophth.* Darium hoc affectu ſuperat Nabuchodonoſor, cùm Holophernes, *Aurum, & argentum de domo Regis aſſumpſit multum nimis*, &c. ſcilicet, ne tributis ciues oneraret.

Tributis non ſtudent Reges boni.

Num. 11. Et profectus eſt ipſe, & omnis exercitus, &c. qui cooperuerunt faciem terræ ſicut locuſtæ.

Commentarius.

NOn eſt cur tempus teram in explicando vſu quadrigarum, & modo ſagittandi, 31.

Parthis id,& Persis notum : videat, qui velit, Serarium *ad 1.cap.Iudic.* videat ex Pined.*lib.7. cap.14. de Salomone.* Verso Adagium, quod in locusta agnoscit Delrio.Et modus est dicendi frequens sacro textu, ad explicandam copiam rerum, *in Iudic.6.n.5.* vbi textus de Madianita, *instar locustarum vniuersa complebant*, &c. *in Ieremia 46. num. 23.* hyperbole est de hoste Chaldæo. *Multiplicati sunt super locustas*, &c. Eò spectat & *Nahum.13. num.15.* vbi de Sennacheribo sermo,& risus est. *Multiplicare sicut locusta*,&c. nihil scilicet efficies. Et quidem locusta Latinè,est Hebraicè ארבה *arbeh*, à verbo רבה *rabah*, quod est *multiplicare*.sic *in Prouerb.30.n.27.* & quadrat bene in aciem multo confertam milite. Nec ab schema abest Salomon.*Regem* (inquit) *locusta non habet;& egreditur vniuersa per turmas suas*, &c. Hoc elogio paratos putat equites Ioannes,ad Apoc.9.n.7. *Similitudines locustarum,similes equis paratis ad prælium*,&c.Scio locustas turmatim volantes, non modò agris,& arbustis,sed & hominibus infestas esse : oppidum in Africa deletum, quod narrat Plinius *lib.8. cap.29.* Vnde & Syria bellum cum locusta, vt cum hoste gerit. Pestem vltimam in locusta noscas oportet, & timeas 2.Paralip.6. num.28. *Fames si orta fuerit,& locusta*,&c.Nam vox Hebræa חסיל *Chasil*, quæ inibi locustam valet, nata est à verbo חסל *Chasal*,quod est *absumere, deuastare.* Notiones verè in hostes cadunt, qui ferro petunt, & ferro perdunt, quidquid adeunt. *sicut locustæ*, &c.Vide quæ Delrio *Adagio 284.*

Iudic. cap. 6. n.5.Ier.c.46. n.23.

Nahum. c. 13.n.15.

Apoc. c.9.n. 7.

2.Paral. c.6. n.28.

Num. 12. Cúmque pertransisset fines Assyriorum,venit ad magnos montes Ange,qui sunt à sinistro Ciliciæ, &c.

Commentarius.

32. VIa longè trita Holofernes Ciliciam tandem aggreditur,&ad mõtem castra locat. Id enim constat è Græco textu. vbi Holofernes est πλησίον τοῦ ὄρους, *prope montem*, &c. ne Serarius montes omnino esse velit. Sed qui nam montes Ange? Trita quæstiuncula magnis viris, sed scrupulosa adhuc, & scopulosa; scrupulum,dum silent, abstergunt alij; scopulum, dum nauseant, fugiunt alij. Ribera *ad Ionæ 1. num. 10.* Montem Ange Argæum esse putat. A Ribera accepit Maluenda *lib. 5. de Antichrist.cap.14.* Nam licèt Argæus ad Cappadociam maximè pertineat, adhuc est in Cilicia amplè considerata; quod à Solino disco *ad cap.47.* Non placent hæc Serario,ac proinde aliam terit viam; putat enim Taurum à sinistro Ciliciæ presse nuncupatæ situm,Ange montem esse. Probat ex situ montis, vtpote qui Ciliciam claudit : ex Hebræa vocula הי *Hai*, quæ Græcè Ange est; Hebræa schola, acerbus præceps scopulis:

Montes Ange aliis alij.

Gen.cap.13. n.4.

Et cadit in Taurum numerosis collibus amplum.

quod notat Plinius *lib. 5. cap.27.* Hæc magni homines,quibus ego assurgo.

33. Prius tamen,quàm dicam de re quid senserim,statuo stare, & flare Aquilonem à sinistro mundi latere,scilicet iis, qui ritè captant Auguria,verso ad Orientem vultu.Nam,teste Plinio, *sinistras esse Septentrionales mundi partes, Augurum disciplina consentit*,&c.*lib.2. cap.54.* Multus in hoc argumento Cerda est *ad lib.9. carm. 630. nota 16.* Quidquid apponant Augures ab Hetruria, & Ægypto apud Buleng. *lib.3. de Augur.& Haruspic. cap.2.* Eruo hanc chorographiam è sacro textu. Nam Abrahamus Austrum à dextra,Boream à sinistra collocat.Ad Lothum ille Genes.13. n.9. *Si ad sinistram ieris,ego dextram tenebo*,&c.vbi Chaldæus pro sinistra,Aquilonem ponit.Nec Dauid canit aliud Psalm.88.num.23. *Aquilonem, & mare tu creasti*,&c. Opponit Vates Aquilonem australi, dextroque mari, cùm vox Hebræa ימין *Iamin*, quæ pro mari est inibi, dextram sonet. Inuenit id etiam Bulengerus *loco citato.* Addo Austrum, non semel Theman ab Hebræo vocatum esse. Isaiæ cap. 21. num.14. *Qui habitatis terram Austri*, &c. Hebraicè, תימן *Theman.* idque locis aliis. Theman verò dextrum sonat, apud Hieronymum. Vrges sacro textu, Aquilonem scilicet flare à mundi tractu dextro:quod probat Salomon *Prouerb. 27. num. 16.* vbi textus Græcè habet, *Aquilo durus vētus,nomine Dexter vocatur*,&c. Meminit de Græco textu Chrysolog.*serm.20.* meminit & Hieronymus *ad Ierem.1.ad Sophon.2.ad Fabiolam epist. 127.* Itane sinister Aquilo in dextrum subitò ventum mutatus est? sed iis dexter est, qui ad Solis occasum spectant. Deinde,qui verè Dæmon est, à læua reflat durus admodum; à dextra flatum mentitur vaferrimus. quod exponit Hieronymus ad Fabiolam.*Nomine* (inquit) *Dexter vocatur,falsum sibi assumens dextræ vocabulum,cùm totus sit in sinistro*,&c.Nec aliter *ad Sophon.cap.2.* Ac proinde spirat Boreas à sinistra.

Aquilo ad sinistrum mũdi latus.

Gen. cap.13. n.9.

Psal.88.n.23.

Prou.c.27. n.16.

Mentitur Diabolus cùm promittit.

Ducta fortasse chorographia est à positura tabernaculi, templique Iudaici, quæ solem Orientem foribus maximis excepisse dicuntur. De tabernaculo textus est Num. cap. 3. num.38. *Castra metabuntur ante tabernaculum, id est,ad Orientalem plagam Moyses,& Aaron*, &c. quod Theodoretus meam in rem interpretatur q 60.in Exod. *A parte Orientis ostium construi iussit,vt sol Oriens, modo quodam adorãs vestibulum tabernaculi,radios suos illuc confestim emittat*,&c.De templi situ locus est apud Ezechielem *cap.47.n.1.* vbi textus,*Facies enim domus respiciebat ad Orientem*,&c.scilicet,ne quis Deum orans, Solem orientem videretur adorare,si domus ad occasum spectaret; id ne fieret, templum Salomon construxit, foribus ad Orientem spectantibus; quod Theodoretus obseruat q. 21. in 3. Reg. *Vt qui precabantur, non adorarent Solem, sed Dominum Solis*, &c. Vide quid habeat D.Thomas 1. 2. *q.* 3. *art.* 3. Anastasius Nicen. *q.* 18. Nec Christiano alia, quàm Hebræo, erat forma templis erigendis. Hæc apud Clementem constitutio est *lib. 2. constit.61.* de Ecclesia ædificanda. *Primùm, sit longa, & ad Orientem conuersa*, &c. quod ex Tertulliano eruas, *aduersùs Valentinian.cap.3.* ex Paulino *ad Severum epist.12.* & probat scitè Baronius *tom.1.anno Christi 57.* Probat & Bellarminus *tom. 2. lib. 3. cap.3. de Forma templorum.* Colligas ex Leone Magno,qui *serm.7. de*

Salutandus manè summo Deus est.

Ezech. c.47. n.1.

Tollenda scandali occasio.

34.

Num. cap.3. n.38.

Natiui

Natiuitate notat,queritur, fuisse homines qui ad D. Petri, priusquam templum ingrederentur, *conuerso ad nascentem solem corpore se deflecterent*, &c. naturæ scilicet, vel ignorantiæ vitio; licèt hac in re variatum fuisse doceat Pineda *ad Iobum 36.num.26.* Puto aulam Deo erectam esse,vt Orientem solem prospectaret, ne Hebræus,ne Christianus laborare viderentur, vana religione Dæmonum, qui solem Occidentem foribus maximis prospicerent, quidquid negent alij;id enim probat Cerda *ad lib.8. carm.68.nota* 4. vbi testem laudat Vitruuium *lib.4.cap.5.* Addo ego Clementem Alex. *lib.7.strom.c.4.* quo Auctore, *quæ erant ex templis antiquissima,respiciebant ad Occidentem; vt qui stant vultu conuerso ad imagines, dicantur verti ad Orientem*, &c. vana scilicet religione. Cùm igitur verus Deus Solem Orientem exciperet foribus maximis, & haberet in oculis, erat Aquilo à siniſtro latere.

35. Nunc ad calculos redeo,& montes premo. Probo montem Ange à latere Boreali verè montem Amanum esse, qui Aggis,siue Angis imminet.Eò enim loci veniendum erat,vt pylis Amanicis iter fieret. Prælucet mihi vnus hac via Strabo lib.14. *Post Mallum sunt Ægæ, oppidum, quod stationem habet, & in quod mons Amanus desinit*, &c. Nihil dici clariùs potuit, vt Amanum dixerim Ange montem. Sed Lucano *lib.3.* Ægæ sunt,non Ange.

Ange mons verè Amanus est.

Mallos,& extrema resonãt Naualibus Ægæ,
Itque Cilix,&c.

Id ego fateor, sed parum distant nomina. Deinde sacro textu, Aggæ sunt,& Angæ, obseruatione grammatica. Nam *Gen.12. n.8.* Græcè ἐγγὺς κῶ ἀναπλὰς. Latinè habet Chrysostomus Hom.32. *Angæ ad Orientem*,&c.Isaiæ 10. num.28. *Veniet Assyrius*,&c. Græcè εἰς τὴν πόλιν ἄγγαι, *in vrbem Angæ*, &c. quod notat Cyrillus Alex. *lib. 1. in Isaiam.* Puto montes Hai, quibus respondent montes Angæ, vasto situ conuenisse: quod aduertit Serarius. Opponis, Amanum è Tauro natum esse: probat id Strabo *citato libro*, & Plin. *lib.5.c.27.* Assentior. Sed Taurus, quem Serarius, Salianus,& Tirinus volunt, procul ab Angis abest; Amanus propè est. Si placeo, faue:si fallor, tuum tibi Taurum,vel Argæum cole.

Gen.cap.12. n.8.
Isa. cap. 10. n.28.

Num. 13. **Effregit autem ciuitatem opinatissimam Melothi, prædauítque omnes filios Tharsis.**

Commentarius.

36. QVò non sæuit furor bellicus, tempestas ferrea? Vrbes,vicos, arces, montes vno quatit impetu,& prosternit latè.Sed quia,

Subruere est arces, & stantia mœnia virtus,
&c.

Vnde præda locuples,ac decus ingens, Mallum Holofernes capit,vrbem nobilem,de qua multa apud homines, & præclara erat opinatio. Tradunt id Strabo *lib.14.* Plin. *lib.5. c.27.* Solin.*cap.51.* vrbem esse notæ celebritatis insinuat Machabæus *lib.2. cap. 4. num.* 30. Qui Mallum Tharso parem facit in tumultu excitando.*Contigit Tharsenses,& Mallotas seditionem mouere*, &c. quòd si Hebræam scholam consulas, Mallus venit à מלא *Malè*, quod est *implere*; & vrbem signat plenam rerum nobilissimarum. Nec Mallus à Melothi multum dissonat. Fortasse Holophernem irritauit in sui pestem vrbis opulentia. Neque enim Antiocho vis alia,vt rueret in vrbem Persis nobilem 1.*lib. Machab. cap.6. num.3.* vbi textus, *Quærebat capere ciuitatem, & deprædari eam*, &c. Et quis nam alius apud Danielem cap.11. num.24. *Abundantes, & vberes vrbes ingredietur*,&c.manu scilicet armata.Eò manum iniicit homo cupiens,nihil est,quod non subruat, si qua lucelli spes suboleat. Nec Crassus Parthis bellum inferret: *nisi totum Parthorum esuriisset aurum*,&c. Hæc Plinius *lib.33.cap.10.* Hoc metu affecta malè Tharsos est,apud Arrian. lib. 2. *Ne Alexander prædæ cupiditate vrbem diriperet*,&c. Sed Alexander belli, non lucri amans est.Amat prædam Holofernes, *Predauitque omnes filios Tharsis.*

1.Mach. c.6. n.3.

Bellum mouet auri sacra fames.

37. De Tharsi longam Neotericus texit disputationem: eò te loci mitto. Interim abigo Tarteſſum Hispalensem; neque enim Iudithæa Tharsis ad hanc partem spectat; quidquid Pineda velit *ad lib. 4. de Salom. cap.15.* qui sentit aculeum, nec auellit, sed altè figit, dum versat. Nihil mihi æquè placet, ac Ciliciam Tharsi, vti mari Tharsico, notam esse. Id ego eruo ex Isaia *ad cap. 23. num.* 10. vbi Vates ad Tyrum, *Transi* (inquit) *terram tuam, filia maris*, &c. Hebraicè, *filia Tharsis.* vtpote quæ ad mare Tharsicum pertineret. Id Iosepho visum est lib. 1. Antiq. cap. 11. *Tharsis Tharsos vocauit, sic enim antiquitus Cilicia vocabatur*, &c. Auctores sententiæ, qui Tharson à Iona petitam sua fuga docent,Rupert. *lib.1. in Ionam.* Cyril. Alex. Tertullian. *de Fuga c.10.* Placet deinde Ciliciam vniuersam Tharso nobilitatam esse: nam Tharsis, Noethi nepos, Tharsum & matrem vrbium, quod Solinus habet *cap.* 47. & vrbem notæ celebritatis esse voluit; quod à Paulo disco ad cap. 21. Act. n. 39. *A Tharso* (inquit) *Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps*, &c. Quòd si Tharsus à Tharsi nomẽ habet, de more id antiquo est. Constat enim homines terrarum dominos regionibus à se occupatis nomen dedisse.Probant id interpretes *ad Gen. cap.10.* probat Iosephus *lib. Antiq. 1. cap.11.* quod & victores fecere belli iure;& Iuno Latinis timuit, si Troianus vinceret; ac proinde Iouem precata est *lib. 12.*

Isa. cap.23. n.10.

Tharsis viris bonis Tharsus est.

Act.c.21.n. 39.

Neu Troas fieri iubeas, Teucrosque vocari.

Addit Cerda ex Iugurthino, Gentes à Numidis victos in nomen imperantium concessisse. Addo ego ex Ammiano *ad lib.* 18. Armeniam ab Atropatena occupatam, & iugum, & cognomen accepisse. *Plurimos pagos in Atropatenæ vocabulum permutatos belli iure possedit*, &c.

Victæ gentes in victorum nomen concedunt.

38. Sed quare Cilices Tharsi filios textus vocitat? Placito id communi hominum, qui vrbem sibi patriam, vti parentem venerantur. Inde sacris litteris appellantur *filiæ Tyri*, Ps.44. num.13. *Filij Mempheos*, Ierem.cap.2.num.16. apud Hoseam cap.11. num.10. *filij maris*, &c. homines scilicet insulares. Imò & mulier sapiens Abelam vocat matrem Gentis Abelanæ, 2.Reg.20.n.19. *Quaris subuertere ciuitatem, &*

Ps.44. n.13. Ier.c.2.n.16. Hos. c.11.n. 10.2.Reg.c. 20.n.19.

2.Mach.c.4. n.30.

Vrbes ciuium parentes.

& euertere matrem in Israel, &c. Matrem mulier vrbem vocitat, Lyrano teste. *Quia quælibet ciuitas est mater populi*, &c. Nec dissident profanæ literæ. Sic Horatio Romæ soboles est, pro iuuentute Romana, *lib.*4. *Ode* 3. sic Virgilio miles vrbis patriæ filius est, lib.7.

Quem mater Aritia misit, &c.

Bona hominum parens terra.

Nec miror, cùm & terram vniuersam hominum matrem dicat Plinius lib. 2. cap. 5. *Cui propter merita eximia cognomen indidimus maternæ veneration is, quæ nos, & nascentes excipit, & natos alit: nouissimè complexa gremio, iam à natura reliqua abdicatos, tum maximè, vt mater operiens*, &c. Hoc aspectu viri magni amant, & colunt vbem patriam: sed & largè acceptum Patriis referunt, quidquid habent. Iterum Plinius *lib.*7. *cap.*26. vbi de Pompeio tradit: *Ad Solis ortum missus hos retulit Patriæ titulos, more vincentium sacris certaminibus: neque enim ipsi coronantur, sed Patrias suas coronant*, &c. scilicet ad ornamentum, ac decus Patriæ, vel miles pugnat in acie, vel Olympionices in stadio. *Decet enim cunctos homines Patriæ suæ augmenta cogitare, maximè eos, quos sibi Resp. summis honoribus obligauit*, &c. Theoderici vox est ad Albin. *lib.*4. *epist.* 3. Hæc & Nazianzenus docuit epist. 108. ad Sophron. *Matrem honore afficere, pium, ac sanctum est: communis verò omnium mater Patria*, &c. Quis igitur neget

Patriæ honorem curant magni viri.

PARÆNET. XIX.

Patriam, vti Parentem amandam esse?

I. STatuo proximè Ciliciæ alumnos Tharsi filios esse, & suo merito, quippe qui Patriam, vt Parentem, amare videntur, & colere. Non obtrudo, quæ de affectu communi aduersùs Patriam loca aggerit Biscioła *ad lib.* 17. *cap.* 1. satis mihi facit Theodericus *lib.* 1. *epist.* 22. commendat Princeps affectum Patriæ. *Vnicuique enim sua Patria clarior est*, &c. Iustus omnino affectus, nec à viro sancto eradendus. Nónne suam amat Patriam meus Christus? apud Matth. cap. 6. n. 1. *Abiit in Patriam suam*, &c. Nec id Lucas tacet, cap. 4. n. 6. *Venit in Nazareth, vbi erat nutritus*, &c. Itáne, *qui de cælo est, ac de cælo venit*, &c. *Ioann. cap.* 3. *num.* 31. vrbem sibi patriam, & legit, & vocat? Optimè Chrysologus serm. 49. *vt quos potestate fecerat, pietate saluaret*, &c. Affectum sibi terræ patriæ inesse voluit Deus Maximus, vt ex officio amaret, ac bearet homines conterraneos. Ea est ratio, cur terram non meam, sed nostram vocitet semel, & iterum, Cantic. 2. num. 12. *Flores apparuerunt in terra nostra*, &c. Fortasse Nazaretham spectat, vestitam flosculis, vbi conceptus, vbi nutritus puer est. Cantat iterum meus IESVS, *Vox turturis audita est in terra nostra*, &c. Affectum probant iteratæ de terra cantiones: nec miror; homo est, in terris natus est, in terris visus est. *Baruch* 3. *num.* 38. terram sibi patriam vendicat. *Si vna caro* (sic Bernardus argumentatur,) *cur non & patria vna?* &c. *serm.* 58. *in Cant.* Ita Deus homo terram amat Patriam, vt frequenter in ore gerat, Vrges: & quis nam Patriæ amor est, nihil miri in Nazaretha patrare; nihil boni conterraneis communicare? sic

Matth. 6. n. 1.
Luc. c. 4. n. 6.

Et Christum ducit amor patriæ.

Cant. c. 2. n. 12.

Patriam Deus suam in ore gerit.

enim ciues cum Magistro expostulant ad Luc. 4. num. 23. *Fac & hìc in Patria tua*, &c. Ac de Patria meminerunt, vt ciuem vrgerent ad curam virtutis exercendæ. Sed negat Christus, & addit, *Nemo Propheta acceptus est in Patria sua*, &c. num. 24. *Docet, quòd inter ciues suos posse, morsus est, adustio est*, &c. sic Chrysologus *serm.* 48. Eaque via ostendit, cur Patriam non affecerit bonis plurimis, satis insinuans, quid doluerit. Scitè Ambrosius lib. 4. in Luc. *Ne quis viliorem Patriæ nobis esse debere putaret affectum*, &c. Addictus adeò Christus erat conterraneis, vt cùm nihil boni faceret hominibus, factum purgaret ratione addita.

Luc. cap. 4 n. 23.

Inuidia inter ciues est.

Satis hominibus Deus facit, cùm Patriam non afficit bonis.

2. Ab hoc affectu studium est seruandæ Patriæ, quo studio nobiles admodum Niniuitæ. Sciunt certò Niniuen breui perdendam esse, Iona in vrbem tonante, *& Niniue subuertetur*, &c. *cap.* 3. *n.* 4. Quid ciues? vrbem ne fugiunt, vt fuga salutem redimant? Non id patitur magnus amor Patriæ. De textu est, *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium*, &c. *num.* 5. Saluos se esse putant ciues, salua Patria; quam vt seruent, ieiunio se, ac cilicio macerant. Ad litem meam Ambrosius serm. 85. *Sapientes*, (inquit) *vt quæ ciuium peccatis vexabatur, ciuium orationibus saluaretur: iustum enim erat, vt quos fuerat passa peccatores, eosdem haberet defensores*, &c. Quò fugerent spe iniecta, qui nec metu incusso fugiunt vrbem patriam? An spe ducitur, licèt inuitetur, virgo rusticella, vt Patriam deserat? semel & iterum vocatur ad sceptrum, ac tiaram. Cant. 4. num. 8. *Veni de Libano, veni de Libano, veni, coronaberis*, &c. Sed cunctatur adhuc, nec viam capit. Miror magis. Vocatur adolescentula à monte vasto ad vrbem Regiam, à vili casa, ad aulam nobilem, à ligone, ac centone ad sceptrum, & purpuram. *Veni, coronaberis*, &c. & moras adhuc nectit? sed à solo patrio, etsi rusticano, exire iubetur; inde cunctatur: quod inuenit Bruno Carthusian. *Neque enim facile illi erat Patriam, parentesque relinquere*, &c. Vim sibi factam dolet Virgo, vt dulces fugiat lares Patriæ, licèt nihil inibi, nisi mensa tripes, & curta supellex.

Patriæ salutem cilicio redimunt ciues optimi.

Can. c. 4. n. 8

Nemo Patriam, nisi inuitus, fugit.

3. Sed ab Adamo Parente didicit, quod affectu amaret Patriam, nec ab aspectu discederet, conditus homo est, quod Moyses insinuat, extra hortulum genialem, *Gen.* 2. *n.* 15. Textus est, *Tulit Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis*, &c. Textu Græco verbum est λαμβάνω, quod est *apprehendere*, & manu tenere fugientem hominem. Itáne fugam captat homo, quem Deus conatur ducere in hortum fortunatissimum? Aio. Et cur Adamus fugerit, ait Ambrosius lib. de Paradiso, cap. 4. *Vides, quia, qui erat, apprehenditur? erat autem in terra plasmationis suæ*, &c. Illud Ambrosius voluit, Adamum in agro factum, exulare ab agro noluisse; ideo fugitasse, ne cogeretur à Deo agrum patrium mutare, ac permutare, vel cum hortulo geniali. Sciebat Pharao exitum à Patria acerbum esse magnis etiam viris: mandat Iosepho, vt fratres moneat Gen. cap. 45. n. 18. *Tollite inde Patrem vestrum, & cognationem vestram, & venite ad me*, &c. Hoc vnum Regis edictum erat: addit proximè, *& ego dabo vobis omnia bona Ægypti*, &c. Deinde carrucas prouidet,

Gen. cap. 2. n. 15.

Nemo agrum patrium cum horto nobili commutat libens.

Gen. c. 45. n. 18. 19.

uidet, n. 19. *Præcipe, vt tollant plaustra de terra Ægypti*, &c. Quò tantus honor? quò tanta cura? quò tantum studium? currus mittit Pharao ad commeandum molliter, & carrucas ad conuectandam supellectilem? scilicet ex Cyr. Alex. *Vt demulceret eos, opinor, quibus descendere graue erat*, &c. *lib. 6. aduersùs Iulianum.* Acerba enim fortuna erat à Patria ad alienos abire lares.

Promissis maximis opus est, vt Patriam quis fugiat.

Vel Dauid hac fortuna pressus dolet, ac plangit vultu mœsto. Cogitur Dauid abire longè ab amico Ionatha, *ad 1. Reg. c. 20. n. 42.* In digressu, & amplexu, *fleuerunt pariter; Dauid autem amplius*, &c. Dolet Ionathas, sed in aulam regreditur; dolet Dauid, sed ab vrbe abit peregrè: cur non altiùs multo doleat? *Dauid autem amplius*, &c. Sic textus habet, Lyrano teste. *Quia Dauid non solùm deserebat Ionatham, sed & terram, & cognationem suam*, &c. Grauior bono viro visa est occasio dolendi, quæ hominem à Patria abire cogeret. Non est igitur cur Iethro notetur, si inuitatus à Moyse nolit ire ad terram fluentem lacte, & melle, negétque pertinax, Num. cap. 10. num. 30. *Non vadam tecum; sed reuertar in terram meam, in qua natus sum*, &c. Socerum Moyses promissis onerat, vt alliciat. *Veni* (inquit) *nobiscum, vt benefaciamus tibi*, &c. Adhuc tamen Iethro negitat. *Non vadam tecum*, &c. Ac ne Patriam deserat, montes contemnit aureos; quod Abulensi placuit q. 36. *Nolebat aliquatenus ire, detentus affectione patriæ: est enim amor natalis terræ tenerrimus, & tenacissimus*, &c.

4. 1. Reg. c. 21. n. 42.

Lachrymas excutit fuga à Patria.

Num. c. 10. n. 30.

Vrget ciues amor patriæ, ne fugiant.

5. Laudo ego valentes admodum, ac Dei amantes homines, qui pro salute Gentis etiam barbaræ, & à Fide alienæ:

Et Patriam, patriósque lares, & amata relinquunt
Arua; nec Oceani breuia, infamésque Liburnis
Horrescunt scopulos; sed menstra natantia rident,
Ventorumque Patrem, & Iouis atros nubibus ignes.

Quot, ego, & quos viros noui nostræ Societatis, qui naues compleuerint, Societate inita, vt Olyssippone Sinas peterent, ac Iapones, terrarum extremos homines, causa veritatis explicandæ, qui sanctè canerent Virgilianum illud,

Nos Patriæ fines, & dulcia linquimus arua, &c.

Id verò non auri, gemmarúmque amore, sed ne Iesum nesciret terrarum angulus vltimus. Huiusce notæ homines terram vniuersam sibi Patriam esse reputant, vt cum Seneca dicant, *Magno animo nos, non vnius vrbis mœnibus clusimus, sed in totius orbis commercium emisimus. Patriam nobis mundum professi sumus, vt liceret latiorem virtutibus campum dare*, &c. *de Tranquillit. cap. 2.* Quæ vna Deo ratio, vt Abramum traheret à paterna domo. Hominem allicit non tam mercede temporaria, quàm perpetua: si quid Stephanus rectè sentit, *Act. cap. 7. num. 2.* quo textu, *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ*, &c. Non enim temerè Deum in loco, gloriæ Deum Leuita vocat; sed vt ostendat, Caietano Auctore, Deum Abramo se ostentasse gloriosè, scilicet, vt mandaret, Genes. 12. num. 1. *Egredere de terra tua*, &c. & quo id consilio? Bellè addit Chrysostomus

Terrarum omnium ciues sunt concionatores veritatis Christianæ.

Act. cap. 7. n. 2.

Gen. cap. 12. n. 1.

Homil. 32. *Quasi luminare quoddam, hominem, qui in Chaldæa latuerat, illinc euocauit, vt eos, qui in errorum tenebris sedebant, ad virtutis viam introduceret*, &c. Vna hæc, & iusta Abramo causa, vt Patriam fugeret: hæc & nostris hominibus occasio Patriæ, vti nouercæ, fugiendæ, Indiæque petendæ equo ligneo. Sed quò non abirent homines Christo Duce, & auspice Christo? qui terram lustrabat semel, iterum, ac millies, vt illustraret Veritate explicata: deinde mare nauicula transmeabat, vt homines reliquos admoneret de Fide, ac religione. Sic Marcus habet cap. 9. num. 1. *Ascendens in nauiculam transfretauit*, &c. Stare loco nescit Magister hominum: terram percurrit; sed nouum mari tentato tentat iter. Quo id animo, docet Chrysologus serm. 16. *Christus, quòd loca circuit, quòd maria transfretat, non est res humani desiderij, causa est humanæ salutis*, &c. Non cursitat meus Christus per mare, per terram affectu gentis peruidendæ; sed studio salutis prouidendæ, ac communicandæ. quo studio nostri homines abrumpunt nexus amicitiæ, abigunt Parentum solatia, & fugiunt amœnitates Patriæ, naues conscendunt, ac sibi destinant terrarum extremos angulos. Illud enim mutuatus à Seneca vnusquisque iactat, *Patria mea, totus mundus est*, &c. *epist. 28.* non quòd ciues vrbem patriam oderint; amant enim matrem, & colunt: quo affectu Ciliciam amare video *filios Tharsis.*

Peregrinantur viri magni, vt gentes ducant ad fidem, ac salutem.

Ma 9. n. 1

Terra, marique Deus salutem quærit hominum.

Num. 14. & 15. Transiuit Euphratem, & venit in Mesopotamiam, &c. & occupauit terminos eius à Cilicia vsque ad fines Iapheth.

Commentarius.

39. MEsopotamiam inuasit Holofernes, priusquam Ciliciam peteret, cùm è Nina cursum faceret. Quid Mesopotamiam repetit è Cilicia; sed è Græco textu vertit Serarius, *Transierat Mesopotamiam*, &c. Nec insolens sacris literis enallage est: quod notant interpretes *ad Ioan. 18. n. 24.* Nam si textus Latinè habet, *Misit eum Annas*, &c. Græcè est, *Miserat*, &c. Vide Tolet. *annotat. 17. ad Ioan. cit.*

40. Sed quid in loco Iapheth est? Aio ex *Ionæ 1. cap. num. 3.* ex *Act. cap. 10. num. 5.* Ioppen esse. Æuo quidem Pliniano. *Vicus erat Ioppe Phœnicum, antiquior aquarum inundatione*, &c. *lib. 5. cap. 3.* sed Machabæo portus nobilissimus statione militari. quod patet ex *lib. 1. cap. 14. n. 34.* vbi Iudas, *Ioppen muniuit, quæ erat ad mare*, &c. vnde multum esse militem docet Strabo *lib. 16.* Sed Mambre si fluuius est, quò, & vnde fluit? Non id occurrit Serario, Saliano, viríque aliis, quibuscum nescire me non pudet; nec quo terrarum tractu Cellon fuerit.

Ion. c. 1. n. 3. Act. cap. 10. n. 5.

41. Illud tamen in promptu est, scilicet, quo furore sæuit Holofernes. Gentes, & vrbes premit, à Cilicia ad Ioppen vsque. Prædandi amore bellum mouet Nabuchodonosor; id gerit Holofernes, quod textus explicat n. 13. *Prædauitque omnes filios Tharsis*, &c. & iterum, n. 16. *Prædauit omnem locupletationem eorum*, &c. Vno vterque laborat affectu, rapiendi scilicet, quidquid

Cupit malus Princeps, quidquid videt inuidens.

quid rerum, ac terrarum habent alij. Aurifodinam Xeriffius tectâ esse voluit edicto capitali, ne si rescisceret hostis, famè inde traheret belli mouendi. Famem hanc auri cogendi notatam puto Zachariæ amphora, de qua textus ad cap. 5. num. 6. *Hæc est amphora egrediens*, &c. Sed quo amphoram nomine appellat Angelus? *Hæc* (inquit) *est oculus eorum in vniuersa terra*, &c. Monstrum ingens! Vna tantùm amphora oculum iacit in terrarum orbem vniuersum? aio liberè. Sua enim amphora captat auaritia, quidquid vbique lucri est: quod in locum obseruat Pelusiotes lib. 4. epist. 146. *Ita comparata est, vt omnes expilet, numquam expleatur*, &c. Fortasse hæc auaritiæ amphora, dolium est pertusum: multa infundas licèt, nunquam impleueris, sed, vt impleas, bellum mouebis.

Zachar. c. 5. n. 6.

Nulla cupiens satiatur copia.

42. Quid Nabuchodonosor? quid Holofernes egit aliud? Numis cogendis intendunt animum; inde belli furor in Ciliciam, à Cilicia ad Ioppen vsque. Scelus grande cupiditatis sordidæ, quod ne Hebræus patraret, terrarum fines signat Moyses, quos vltrà abire non liceret. Num. 34. num. 2. *His finibus terminabitur*, &c. Cur Moyses Hebræo figit terminos prouinciæ occupandæ, notat Abulensis q. 12. ad 2. Reg. cap. 8. *Vt Israelita essent contenti illa possessione, & non contenderent iungere illi terram aliam*, &c. Ius in armis, ius barbarum est: eò manum tendit auaritia, non iustitia, quò habendi libido vrget. Hac censura continet Gundibadum Theodericus lib. 3. epist. 2. *Qui sine lege vult agere, cunctorum disponit regna quassare*, &c. hoc iure Holofernes, *Prædauit omnes filios Tharsis.*

Num. c. 34. n. 2.

Occurrit Deus auaris cogitationibus.

Num. 16. Abduxitque omnes filios Madian, &c.

Commentarius.

43. NOn dubito Madianitas esse Arabes, ex cura pecuaria Nomades; quod textus Græcè insinuat, & Serario visum est. Id tamen hausit à Hieronymo *ad* 2. *Ezech.* probántque interpretes ad *Exod. cap.* 2. *num.* 15. Sed cur textus hosce homines vocitat filios Madian? scio Mandianum Abrahamo filium ex Cethura esse, *ad Gen.* 25. *num.* 2. A quo suum Madianites nomen sortitus est, ac proinde colit Principem cognomento paternæ veneration nis. An quia Madianus est caput Gentis, inde pater est? Id ego aio. Nam, Tertulliano teste, *appellatio ista pietatis est, & potestatis*, &c. *ad lib. de Orat. cap.* 2. Amanum sui continuum Artaxerxes Patrem vocitat, Hesther 16. num. 11. *Tantam in se humanitatem expertus, vt Pater noster vocaretur*, &c. Sed & Naamanum dicit Patrem aula Syria 4. Reg. 5. num. 13. *Pater etsi rem grandem dixisset tibi Propheta*, &c. Patrem Honorij cantant Eutropium adulatores, lib. 2.

——— *Genitorque vocatur*
Principis, & famulum dignatur Regia Patrem, &c.

Officium, credo, erat aulicum à cura paterna maiestatis Augustæ. Sed & potestatis nomen erat Pater, & Regum acclamatio frequentissima. Sic Dauid ad Saulem 1. Reg. 24. num. 12. *Pater mi, vide*, &c. quem Dauid proximè Regem salutauerat, n. 9. *Domine mi Rex*, &c. modò Patrem resalutat; ac si vellet, quod Chrysantas apud Xenoph. lib. 3. de Cyrop. *Nihil interesse inter bonum Principem, ac bonum Patrem*, &c. Nec Imperator Horatio alius, quàm Romæ Pater est, lib. 1. Ode 2.

1. Reg. c. 24 n. 12. 9.

Bonus Princeps æquè bonus est parēs.

Hic ames dici Pater, atque Princeps, &c.

Pater scilicet Patriæ. An ne alij Philisthæis Reges, quàm Parentes erant? *Gen.* 20. *n.* 2. certè Abimelech, Hebraicè Patrem Regem sonat. Vnde Philo, *Principes publici Parentes ciuitatum sunt, quotquot boni sunt*, &c. *ad lib. de Creat. Princip.* Quòd si Princeps abeat à paterna cura, minatur Vates 1. Reg. cap. 12. num. 15. *Erit manus Domini super Patres vestros*, &c. Græcè vertas, ἐπὶ τὸν βασιλέα ὑμῶν, *super Regem vestrum*, &c. Caietanus in locum benè. *Qui vestri Patres esse debent*, &c. Addo ego vnum Græcè Regem, sceptro obligatum esse, vt multos vincat Patres, effusa in ciues pietate. Cùm igitur Madianus pietate Pater Madianitis esset, ita & Madiano ciues erant filij veneratione.

Gen. 20. n. 2.

1. Reg. c. 12 n. 15.

Vnus Princeps multos affectu parentes vendat.

An quia Madianus Gentis, & vrbis conditor, inde Pater erat? credo facilè? Quis nescit Abrahamum, vt Auctorem generis à Deo audiisse, *Patrem multarum gentium constitute*, &c. *Genes.* 17. *num.* 5. Hominem Deus appellitat, non Auctorem gentis, sed Patrem, elogio paternæ venerationis. Quis negat Moabum sacro textu Patrem Moabitarum vocatum esse? *Genes.* 18. *num.* 38. Camuelem Syrorum parentem dici *cap.* 22. *num.* 21. Addo conditorem vrbis Patrem appellari solitum. quod habes in Paralipom. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 12. vbi textus vocat *Tehinna Patrem vrbis Naas*, &c. & paucis pòst verbis, *Genuit Ioab Patrem vallis artificum*, &c. *num.* 14. Quid hoc rerum est? Aio à Tehinna, vt à parente, vrbem conditam; deinde à Ioabo, vt à patre, vallem oppidulis extructis, tabernísque adornatis occupatam esse. Vnde adirent artifices ædem sacram. Sic Hieronymus *in Tradition.* Fauent & profanæ literæ. Nónne Tullio Vrbis Parens, Romulus? Sic ille *ad* 1. *de Diuinat.* Nónne Ianus Virgilio, Ianiculi conditor, lib. 8. *Hanc Ianus Pater*, &c. Eo igitur loquendi colore Madianum Madianites Patrem dicit, vtpote gentis Auctorem. Quid si Patrem veneratur, à quo hausit artem Arabiæ administrandæ? Non id abnuerim. Nam Princeps artis poëticæ Horatio est lib. 1. epist. 19. *Ennius ipse Pater*, &c. Deinde locus est *Genes.* 8. *num.* 2. vbi Iabelus, *fuit Pater habitantium in tentoriis*, &c. artémque inuenit architectonicam. Et Tubalus num. 20. *Ipse fuit Pater canentium in cithara*, &c. modósque inuenit musicos. Patres igitur non Auctores Moyses vocat, sed Patres artis celebratæ. Quo aspectu Hira Princeps Huram appellat Patrem, vtpote aurarium dexterrimum. 2. Paralipom. cap. 2. num. 13. *Misi scientissimum Huram, patrem meum*, &c. vbi Hieronymus, *Patrem, dignitatis gratia, eum vocat*, &c. *in Tradition.* Tantus viris rerum scientibus honor haberi solitus. Quare multis nominibus Madianum

Gen. cap. 17. n. 5.

Gen. cap. 18. n. 38.

Gen. cap. 22. n. 21.

1. Paral. c. 4. n. 12. 14.

Princeps cuiusque gentis Pater est.

Princeps cuiusque artis Pater vocatur.

2. Paralip. c. 2 n. 18.

Pater, nomenclatura honoraria.

Madianum Arabes Patrem nuncupant, & venerantur, vt filij: suóque affectu docent,

PARÆNET. XX.

Rerum Auctores magno æstimandos esse.

I. LAudem meretur ampliorem, qui rerum inuentor, ac Princeps est, cùm primatum inuentis obtineat. Facilè homines inuentis addunt; non tamen facilè rebus exortum dabunt: ac proinde boni cuiusque Auctor in pretio est, si Tertulliano credis. *Auctores cuiusque artis Deos existimarunt prisci mortales.* *Plerosque enim Auctores etiam Deos existimauit antiquitas*, &c. *ad lib. de Anima, cap.* 2. Nónne Mercurium Trismegistum, ter scilicet Maximum, Ægyptus ara coluit? cur id? Suggerat Tertullianus ad lib. de Coron. Milit. cap. 8. *Primus enim Mercurius literas enarrauit*, &c. Nónne Silenum Phryges, vti Deum habuere? sed homo rerum sciens, ac Silenus Alcibiadis, Tertulliano teste, *penes aures ingentes Mida blatit, aptas fabulis grandioribus*, &c. *ad lib. de Pallio, cap.* 2. Quis nescit Pythagoram templo Metapontino donatum esse? tradit id Iustin. lib. 20. *Cuius tanta fuit admiratio, vt ex domo eius templum facerent, eúmque pro Deo colerent*, &c. Mitto Auctores rerum alios Diis adscriptos, de quibus Tertullianus meminit *ad lib. de Corona, cap.* 8. & quos grata antiquitas consecratos voluit. Sed & Moyses laudat sacro textu Auctores artis vel sordidæ. Nam de Iabelo carmen est Genes. 4. num. 20. *Qui fuit Pater habitantium in tentoriis*, &c. vtpote scientissimus artis pastoritiæ. *Et inuentores artis sordida suo gaudent honore.* De Iubale textus est num. 21. *Ipse fuit Pater canentium cithara, & organo*, &c. homo scilicet dexterrimus artis musicæ; qui Lyra carmen formaret egregiè. De Tubalcaino locus est num. 22. *Qui fuit Malleator, & Faber in cuncta opera æris, & ferri*, &c. Magister vtique artis ferrariæ. Meminit Moyses de inuentoribus vel mechanicis, vt suo semper fruerentur elogio. Sed laus augustior Enoso est, quippe qui num. 26. *cœpit inuocare nomen Domini*, &c. Id verò est, modos ex cogitauit diuinitatis colendæ.

Genes. cap. 4. n. 20. 21. 22.

Apoc. cap. 3. n. 7.

2. Certè Dauid, eo nomine, inter Christi Auos, Atauósque prior censetur, ac licèt annis minor, Abrahamo tamen profertur, apud Matth. 1. num. 1. *Filij Dauid, filij Abraham*, &c. Cur tanto Dauid honore fruitur, vt hominum censu inito, locum primatem habeat? Rupertus optimè *lib.* 1. *in Matth.* Auctor est Dauid canendi tormentis musicis. *Sacramenta Incarnationis, Passionis, & Ascensionis, cunctis post se venturis sæculis legenda, vel canenda conscripsit*, &c. Quid mirum, si Abrahamo Dauid præponitur, cùm Princeps inuenerit modos faciles Diuinitatis laudandæ? Quo in pretio Deus id habeat, colligas iterum ex *Apoc.* 3. *num.* 7. vbi Sanctus, ac verax est, *qui habet clauem Dauid*, &c. Et Christus sub claui facultatem propheticam habere dictus est. Sic Dauid in Prophetis Princeps est. Res mira! Nónne Abrahamus Deo Propheta est?

Matth. c. 1. n. 1.

Princeps diuinitatis canendæ magno est in pretio.

Veloss. in Iudith.

ad Genes. 20. *num.* 7. Nónne Moyses commendatur de facultate prophetica? ad *Num. cap.* 12. *numer.* 2. Sed clauem Dauid habet sanctus, ac verax Deus; vt tecum reputes, quid apud Deum Musa erat Dauidica. Sic Rupertus lib. 2. in Apocal. *Sed voluit vnum præ omnibus ponere, qui Filij Dei mysteria gestis præsignauit, calamo scripsit, & psalterio cecinit*, &c. Itaque Princeps modis, ac tormentis musicis Dauid locum sibi primatem à Deo peperit. Nihil sibi aliud arrogat Romanæ fidicen Lyræ, *lib.* 3. *Ode* 30. --*potens* scilicet,

Gen. 20. n. 7. Num. c. 12. n. 2.

Magna à cantata in Deum laude laus est.

Princeps Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos: sume superbiam, &c.

Et verò, qui boni cuiusque Princeps est, inde laudatur, quòd vires difficultatum vincit robustiores in principiis agendi. Quadrant laudes in Ioannem; de quo apud *Matth. cap.* 11. *num.* 12. tradit Christus, *A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cœlorum vim patitur*, &c. Homo scilicet est Ioannes, qui Deo, ac cœlo vim inferre videtur, adhortatione pulcherrima. Quid hoc est? nec Petrus, nec Iacobus, nec Thomas vim cœlo, ac Deo faciunt, cùm homines adhortantur de Fide ac religione? Verè faciunt; sed potior hac parte Ioannes est, qui in adhortando prior est, viamque parauit reliquis Oratoribus. Caietan. optimè. *Ex hoc Ioannes commendatur, quòd primus fuit prædicator inducens homines ad regnum cœlorum*, &c. Qui ante Ioannem Vates dehortabantur homines à peccando, fortunam temporariam promissis obtrudebant, terramque fluentem lacte, & melle. Ioannes à vili mercede ad merces ducit immortales. Sic enim Orator Matth. cap. 3. num. 1. *Appropinquauit regnum cœlorum*, &c. Quapropter benè Auctor, Princépsque Ioannes præferatur cæteris oratoribus, necesse est.

Matth. c. 11. n. 12.

Potiorem laudem prior, qui fidem prior explicat.

Vitam quis prodigat pro veritate explicanda? Res est suo digna pretio. Sed qui Ducem præstat aliis ad mortem deuorandam, altiùs multo caput attollit. Scio Iesum à Deo commendatum semel, iterum, ac tertiò. Nam cùm legatur à Deo ad Regem, sic textus habet 3. Reg. 16. num. 1. *Factus est sermo Domini ad Iehu*, &c. Deinde Prophetes nuncupatur, vt nomenclatura fruatur nobili, num. 7. *Cùm in manu Iehu Prophetæ verbum Domini factum esset*, &c. Tandem Prophetes à Rege interfectus dicitur. *Ob hanc* (inquit) *causam occidit eum, hoc est, Iehu Prophetam*, &c. Sic textus sermonem claudit. Petis fortasse, cur tantus de Iehu sermo est, vt Legatus dicatur, Prophetes audiat, & mortis victor commendetur? Rationem Rupertus reddit lib. 5. de Victor. cap. 5. *Vbi sermo, vel opus est de victoria verbi Dei, latere non debet is, qui sanguinem fudisse primus legitur in prælio verbi Dei*, &c. Imò necesse est, vt laudem sibi paret augustiorem, qui dum verba facit de sacro Dei verbo importunè, opportunè Orator optimus vitam effundit. Rupertus iterum. *Splendidè illum scriptura sacra nominans, ita loco tertio replicat. Occidit eum, hoc est, Iehu*, &c.

3.

3. Reg. c. 16. n. 1. 7.

Qui Deum vita reddita prior colit, maiorem sibi honorem parit.

An ne hac via ſuam ſibi fortunam Abrahamus parat? Video, quot ſibi Patriarcha laudes colligat, Gen. 22. num. 12. *Nunc cognoui, quòd times Deum*, &c. uot promiſſis afficiatur num. 17. *Benedicam tibi*, &c. Nec miror; nam Abrahamus à Deo iuſſus, montem petit, aram ſtruit, filium ſtringit, ferrum vibrat, vt, puero mactato, faciat. Vrges litem. Fecit id vanis Diis Moabites Hebræa obſeſſus manu, ad 4. Reg. 3. num. 27. Fecit & Iephthe ſummo Deo, poſt victos hoſtes, Iudic. 11. num. 31. Sed Abrahamo laus eſt potior; nam prior hoc ſacro Sacerdos eſt. Inde Philo pulchrum laudat facinus, ad lib. de Abramo, *Ipſe* (inquit) *primus Auctor futurus erat noui exempli*, &c. Tanto in pretio eſt boni cuiuſque Auctor. Quare nihil miror, ſi Madianus Gentis, & vrbis Princeps pararet ſibi nomenclaturam paternæ venerationis; qua gaudent apud Maronem lib. 7.

——*Italúſque, Patérque Sabinus.*

Gen. cap. 22. num. 12. 12.

4. Reg. c. 3. n. 27.

Iudic. c. 11. num. 31.

Qui prait ex emplo, prait & gloria.

Num. 17. *&* 18. Et poſt hæc deſcendit in campos Damaſci in diebus meſſis, & ſuccendit omnia ſata, omnéſque arbores, &c. & cecidit timor illius ſuper omnes.

Commentarius.

45. FVrore amens graſſatur latè Holofernes: vrbes, agros, homines, arbores abſumit ferro, & flamma. Agrum Damaſco ſubiectum petit. *In diebus meſſis*, &c. Triticeam Græcus exprimit: ἐν ἡμέραις θερισμοῦ πυρῶν. vbi hoſtis lætas exurit ſegetes vrbis nobiliſſimæ, quam Iuſtinus vocat *lib.* 36. vbi Regum ingentes opes venatur, ſi Curtio fides eſt lib. 3. Sed foris quæro, quod domi naſcitur. Ab Iſaia illud eſt c. 7. num. 8. *Syriæ caput Damaſcus*, &c. ſignátque Vates vrbem fortunæ celebratæ. Vbi militares vires, quibus ſeſe opponit Dominus exercituum, Amos cap. 1. num. 5. *Conteram veſtem Damaſci*, &c. quod Hieronymo viſum eſt. eo enim belli apparatu Damaſcus erat, vt Damaſcenem Dauid non contineret, niſi ſtatione militari, ad 2. Reg. 8. num. 6. *Poſuit Dauid præſidium in Syria Damaſci*, &c. Quid in agro pecudum, ac ſegetum non erat? Vnde mercator merces exportabat in Tyrum? apud *Ezech. cap. 26. num.* 18. vbi Vates, *Damaſcenus* (inquit) *negotiator tuus*, &c. Quales in hortis arbores? de quibus Plinius lib. 15. cap. 13. *In peregrinis arboribus ſunt Damaſcena, à Damaſco Syria cognominata*, &c. Quàm lætum in pratis gramen? vbi Naamanus commendat amnes aquis nobiles, 4. Reg. cap. 5. num. 12. *Nunquid non meliores ſunt Abana, & Pharphar fluuij Damaſci?* &c. Verè in Damaſcum illud quadrat Iſaiæ elogium cap. 60. num. 13. *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul*, &c. cùm ſcilicet Libano adiaceat Damaſcene vniuerſa: etſi Lucano fuerit,

——*Ventoſa Damaſcus*, &c. *lib.* 3.

Iſa. cap. 7. n. 8.

Amos cap. 1. num. 5.

2. Reg. c. 8. num. 6.

Ezech. cap. 26. num. 18.

4. Reg. cap. 5. num. 12.

Iſa. cap. 60. n. 13.

46. In hanc igitur fortunam Gentis Syriæ ſæuit Holofernes. *In diebus meſſis*, &c. quo Syri dolerent grauiùs ſegetes igni corruptas eſſe. Acerbior hæc dolendi ratio: quod in Noëtica aquarum inundatione obſeruant interpretes. Si enim petas, quo hæc menſe terrarum alluuio? Maio dimidiato rem geſtam putat Rupertus *lib.* 4. *cap.* 25. Ambroſius *de Noë cap.* 24. & ſenſum trahunt ex *Geneſ. cap.* 7. *num.* 11. vbi textus, *Menſe ſecundo rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*, &c. Cur verna amœnitate fruges perdiderit Magnus Iudex, bene docet Ambroſius. *Tunc fecit diluuium, cùm maior eorum dolor foret, qui in ſua abundantia puniebantur*, &c. Quaſi vellet. Mœror eſt grauior perire ſegetes, arbores, pecudes, cùm agrorum, ac gregum ſeſe fœtura effudit largè. Nemo enim eſt, qui non doleat grauiùs, ſi amittat fortunam manu preſſam. Ad rem Nazianz. Orat. 15. *Acerba res eſt terræ labes, & fructuum pernicies, iamſpe oblectantium*, &c. Deploratum à Iohele id mali eſt cap. 1. num. 10. *Depopulata eſt regio, luxit humus*, &c. Lamentatio omnino tragica, vtpote quæ brutis agris ſenſum tribuat. Sed vnde ea lugendi vis eſt? addit textus, *Quoniam deuaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum*, &c. Illud Vates, Nazianzeno teſte, *Acerba res, præmatura meſſis, & agricolæ ſuos labores luctu perſequentes; quibus non implet manum ſuam qui metit*, &c. De fructu iam decocto Vates meminit, vt ſignificaret damnum grauius eſſe, vbi ſpem mentita ſeges fuerit. Meſſem igitur Syriam Holofernes perdit ferro, & igni, quo Syrios feriat acerbiùs.

Gen. cap. 7. num. 11.

Tunc dolet grauius, cùm fortunam manu preſſam amittit.

Iohel. cap. 1. n. 10.

Acerbè pungit hoſtis, cùm meſſem abripit.

Deinde, vt fame hoſtes premat, quos ferro non poteſt. Res omnino dura eſt, fames, & inopia. Haſce diras Iobus hominibus dixit improbis, ad cap. 20. num. 10. *Filij eius* (inquit) *atterantur egeſtate*, &c. Maius tormentum Nero inuenire non potuit, quàm ſit, teſte Seneca, *turpis egeſtas, & ſæua cum luctu fames*, &c. *in Octau. act.* 5. & quidem Baſilio Magno Homil. 8. *Humanarum calamitatum caput eſt fames*, &c. Inde monebat Cæſar Dictator, illud ſibi conſilium eſſe aduersùs hoſtes, quod Medicis placitum eſt aduersùs morbos, *fame potius, quàm ferro ſuperare*, &c. Hac Holofernes via abiit. Sed monſtrum eſt ira impotens, vel brutis rebus manum infert. Id tamen damnat Seneca 2. lib. de Ira, cap. 26. *quideſt dementius, quàm bilè in homines collectam in res effundere?* &c. Vel in libellum inuehitur ira amens homo. *Quem* (inquit Seneca) *minutioribus literis ſcriptum proiicimus*, &c. Et quod multo peius eſt, ira pertinax eò adigit amentiæ vel bonum virum; ſic enim Caſſianus ſuas taxat ineptias lib. 8. cap. 18. *Meminimus nobis contra calamum, contra ſcalpellum, contra ſilicem, ita indignationis irrepſiſſe motum, vt non aliàs indignationem mentis, quàm contra inſenſibiles materias, vel certè contra diabolum, maledictione prolata digerere poſſemus*, &c. Quid igitur miret Holofernem iratum agris, & gregibus infeſtum eſſe. Hoc amens furore Xerxes, *etiam mari notas, & plagas incuſſit*, &c. quod Plutarchus notat *ad lib. de Iracund.* Sed & ventos ſcutica verberatos ſcio, cùm malè in naues conſpiraſſent. Pulchra Satyris mordendi occaſio,

Iob cap. 20. n. 10.

Sæuit ira in res inanes.

47.

In

In Corum, atque Eurum ſolitus ſæuire flagellis Barbarus, &c.

Iuuen. *Satyr.* 10. Quid ſi vel Gynden traiectu difficilem tenues in riuos diuidat ira amens Cyrus? apud Herodot. *lib.* 1. apud Senec. *lib.* 3. *de Ira, cap.* 21. apud Auguſt. *de Mirab. lib.* 2. *cap.* 1. Video iratos homines inſanis Corybantibus pares eſſe. Vnde colligas facilè,

PARÆNET. XXI.

Iram eſſe furorem breuem.

1. NOn exputat iratus homo, quò vim intendat ſuam, modò furorem largè euomat: & nihil omnino eſt (Plutarcho teſte,) in quod ira non faciat impetum, ad *lib. de Iracund.* In agros, in arbores, in montes, in lapides, à quibus nihil tulit iniuriæ, ſæuit iratus homo. *Nulla eſt iniuria, niſi à conſilio.* *Imò iraſcimur iis, à quibus iniuriam non poſſumus capere; quia nulla eſt iniuria, niſi à conſilio profecta*, &c. monet Seneca *lib.* 2. *cap.* 26. *de Ira.* Arcum exurit Pandarus: malè collimauerat, ex Plutarcho. Mare Xerxes damnat vinculis: claſſem turbauerat, ex Nazianz. *Orat.* 20. Gynden Cyrus malè mulctat: equum abripuerat, ex Herodot. *lib.* 1. Calices Nero frangit: amiſſarum rerum nuntium acceperat. *Et hæc fuit ratio ſuum ſæculum punientis, ne quis alius ex his biberet*, &c. Abſurdè Nero, facetè Plin. *lib.* 37. *cap.* 2. Quid Holofernes? *Succendit omnia ſata, omneſque arbores, & vineas*, &c. Nihil nocuerant res inanes; ſed iratus homo, & mentis emotæ homo eſt. In ligna, & ſaxa minas intendit, manus intentat. Sciebat id Magnus Dominus; cauet, ne Hebræus, vrbem Deut. c. 20. n. 19. obſidens, mites exſcindat arbores. Deut. 20. num. 19. *Quando obſederis ciuitatem, non ſuccidas arbores, de quibus veſci poteras*, &c. eáque lege premit furorem mentis barbaræ. *Quòd iniquum eſſet bellum ſuſceptum aduersùs homines, ſæuire in res inſontes*, &c. ſic Philo *de Creat. Princip.* Sed Holofernes præ ira ſui impotens, non abſtinet ab agris lædendis, pomíſque ſuccidendis. *Nulla, niſi dementis ira.* *Inſani eſt cerebri graſſari in res inanes.*

2. Vel in lapides furit quodammodo iratus Moyſes. Noſti bene, quid Deus iuſſerit, vt ſuam populo ſitim leuaret. Num. Num. c. 20. n. 8 11. cap. 20. num. 8. *Tu, & Aaron frater tuus, loquimini ad petram, & illa dabit aquas*, &c. Virgam Moyſes capit, ad ſaxum pergit, ſaxum virga batuit ſemel, & iterum. quod ex *num.* 11. patet, *Percutiens bis ſilicem*, &c. Quid Moyſes optime, quis te induxit genius, vt ſaxum virga batueres, vno, & altero ictu? Id quidem mandati à Deo non acceperas? ſed Moyſes humani aliquid paſſus videtur; nam ira ardens arduersùs homines, *Audite rebelles*, &c. *num.* 10. & voces, quod patet, ſunt commoti animi: ac proinde ſui præ ira impotens, vel ſaxum pulſat Moyſes. Nam, Caietano *Saxum pulſat ira motus.* teſte, *Tam percutere, quàm iterum percutere rupem illam ex peccato fuit*, &c. Illud ad litem facit, Moyſen ſcilicet ira, etſi iuſta, commotum in ſaxum effudiſſe quidquid irarum in homines collegerat. *Tam cæca res eſt,*

Veloſ. in Iudith.

mentis iratæ calor, &c. ſic Nazianz. *ad Carmen de Ira.* Quid ſi in montes ſæuit iratus homo, vbi Hebræus malè pugnat? ſic Dauid 2. Reg. cap. 1. num. 20. *Montes Gelboë,* 2. Reg. cap. 1. n. 20. *nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos*, &c. Certè nec rupes, nec ſentes contulere ad cladem Hebræam. Sed Dauid ira commotus vel brutos montes diris petit. Sic Theodoreto viſum eſt q. 6. *Qui parte corporis aliqua ſunt affecti, lecto manus allidunt, propter ſtimulos doloris: ita vir ſanctus, nimia ardens animi ægritudine, malè precatur montibus*, &c. *In montes ſæuit iratus homo.* Vide, quid Abulenſis diſputet *q.* 16. Conſtat igitur iram rebus geſtis furorem breuem eſſe.

Vrges tamen; & Deus Iudex montes minis terret, flagríſque cædit. Minatur id Iſaias 3. Iſa. cap. 41. n. 15. cap. 41. num. 15. *Triturabis montes, & comminues*, &c. Deinde Michæas Deum excitat, vt montes feriat, cap. 6. num. 1. *Surge, &* Mich. cap. 6. n. 1. *contende iudicio aduersùs montes*, &c. Nihil ſcelerum admiſerant turpes ſilices, infelices arbores, ac terra bruta, ſed patrarunt homines quidquid eſt ſcelerum: *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo*, &c. quod Ieremias dolet *cap.* 2. *num.* 20. Vnde ea Deo ira Ierem. cap. 2. n. 20. eſt, vt montes premat, ſiue adiutores, ſiue teſtes ſcelerum. Hæc Cyril. Alexand. ad Mich. *Punit Iudex adiutores ſcelerum.* *Iſraelitæ montes, & colles petentes, vbi Dæmonibus ſacra offerebant, ſub quercu, & picea; idcirco iudicia contra montes, & colles fiunt*, &c. Sic & Chriſtus ficum diris affecit, apud Matth. 21. numer. 19. *& arefacta eſt continuò ficulnea*, &c. Miraris arboribus necem Matth. c. 21. n. 19. à Chriſto dari? ſed è multis illud Athanaſio viſum eſt, q. 58. *Arefecit peccati operculum, id eſt, folia ficus*, &c. Affines ſceleris Adamus, & vxor, Geneſ. 3. num. 7. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*, &c. quæ quidem cura tegendi ſeſe, peccatum quodammodo tegere erat. Id Chriſtus damnat, cùm ficum perſequitur ſeuera poteſtate. *Non in hominem ea vtens, ſed in arborem, vtpote miſericors*, &c. ſic Theophylactus. Nocet igitur Chriſtus arboribus, vt parcat hominibus. Sed homo truncat arbores, cùm homines truncare non poteſt; eò enim trahit furor breuis. *Punitur acerbè, qui peccatum Deo tegit.* Gen. c. 3. n. 7. *Pius in puniendo Iudæus.*

Quid ſi vel in ſe furit, ac ſæuit iratus homo? Barbam ſibi vellit Rumecanes, ab hoſte victus. Vide Andrad. 1. *part. cap.* 68. de Ioan. Rege. Nónne Auguſtus clade Variana affectus ita eſt, vt caput foris allideret? Vide Sueton. *cap.* 23. Hoc ſe argumento purgat Amyntas apud Alexandrum. *Cùm quid accidit triſtius, omnes rei ſumus: corporibus noſtris, quæ vtique non odimus, infeſtas admouemus manus*, &c. Vide Curt. *lib.* 7. Mentitur Caiphas dolorem iuſtum de læſa Dei maieſtate, Chriſtíque reſponſo irritatus: *Scidit veſtimenta ſua*, &c. apud Matth. *c.* 26. *n.* 65. Sed Matth. c. 26. furor eſt irati hominis aduersùs Chriſtum reum amoris. Nam cùm teſtes ad litem non facerent, ſella amota, *Exurgens ſummus Sacerdos*, &c. apud *Marc.* 14. *n.* 60. vtroque ſigno furorem exprimit: quod notat Hieronymus. *Quem furor de ſolio excuſſerat, eadem rabies ad veſtes ſcindendas prouocat*, &c. Vnde conſtat ira- 4. *In ſe furit iratus homo.* n. 65. Mar. cap. 14. n. 60. *In veſtes iratus vngues iniicit.*

tos homines ſuam in veſtem furere, cùm non eſt poteſtas furendi alios in homines. Quis furor eſt hominem ſibi manus inferre? ſed lego Moabitam quaſſatis manibus commotum grauiter eſſe àduersùs Magum. Sic Moyſes Num. cap. 24. num. 10. *Iratus eſt Balac contra Balaam complosis manibus*, &c. Manus diſtorquet Moabites, imò quaſſat in ſeſe, iratus admodum: ſed ira modum neſcit, vti Nazianzeno viſum eſt ad carmen de Ira. Pingit Theologus ſcenam irati hominis. *Gigas videri, ſimus cùm ſit, ſtudet. Manum ipſe torquet*, &c.

Num. c. 24. n. 10. 11. *Nec ſibi parcit ira tumens homo.*

5. Quibus parcat iratus homo, non video; cùm malus ſibi noceat, vt furorem digerat. Hoc metu Balacus Magum à ſe abigit, num. 11. *Reuertere in locum tuum*, &c. Cur Balaamum à ſe Princeps abigat, ſcitè inuenit Abulenſis q. 3. *Quia iratus erat, moleſtum illi nimis erat videre Balaam*, &c. Affectus eſt hominis, vt longè à ſe amotos velit homines, quibus iraſcitur, ne ferat moleſtam ſarcinam: ac deinde, ne cogatur ſuum punire dolorem, quod in loco Philo docet Regem cogitaſſe. *Fuge quantocyus, ne quid indignatione furens, ſæuius in te conſulam*, &c. *ad 1. lib. de Moyſe.* Adhuc Balacus iram premit; ſed pater iratus vel infantem inſontem diris petit. Res de Marci textu eſt *ad cap. 9.* vbi pater filium Diabolo obſeſſum eſſe dolet, opémque à Chriſto poſcit, *num. 19.* Nam rogatus à Chriſto pater, qua ex ætate puer Diaboli præda eſſet, dolenter addit homo, num. 21. *Ab infantia*, &c. Itané puer innocens à Diabolo obſidetur? cur ita? Chryſologus ſerm. 51. *Sed replentur Dæmonibus paruuli, quando à parentibus Diabolo offeruntur, Dæmonum ducuntur ad curam*, &c. Amentes ira patres vagientes adhuc infantes donant Diabolo; ſic parentibus malè precantibus, vis Diabolo in infantes creſcit: & negamus adhuc iram eſſe furorem breuem? Ira tumens, ac furens Holofernes ſæuit in homines. *Omnes occidit in ore gladij*, &c. *num. 16.* ſæuit in arbores. *Omnéſque arbores, & vineas iuſſit incidi*, &c. *num. 17.* Sed ira Regum ſæua eſt, vel in res inanes debacchatur. *Spiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras*, &c. 3. *Reg. 19. num. 11.* Vidit Ioannes Apocalyp. cap. 7. num. 1. *Quatuor Angelos, tenentes quatuor ventos, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque ſuper arborem*, &c. Reges ventis expreſſos ab Angelis, vtpote bonis, temperatos eſſe credo: patet enim Reges ventis pares eſſe, apud Daniel. *cap. 7. numer. 2.* Sed mandata Angelis cura eſt de ventis comprimendis, ne Reges, quod ſolent, ira amentes, vel in terra fruges, vel in mari merces, vel in horto fructus perdant ferro, & flamma: quod Holofernes patraſſe dictus eſt. *Succendit omnia ſata, omnéſque arbores*, &c. Id verò, ſiue vt furorem exoneraret, ſiue vt fame vinceret, quos ferro non poſſet. Sciebat enim Holofernes,

Abſentia lenitur iratus.

Mar. cap. 9. n. 21.

Diabolo infantem deuouet iratus Pater.

3. Reg. c. 19. n. 11. Apoc. cap. 7. n. 1. Dan. c. 7. n. 2. *Regum ira eſt debacchari in res inanes.*

PARÆNET. XXII.

Fame preſſos homines redire ad officium.

1. TEmpeſtas ſæua omnino, fames eſt: quò Ieremias intendit oculos, cùm agit de ſeruitute Chaldæa, ad Thren. cap. 5. num. 10. *Pellis noſtra exuſta eſt, à facie tempeſtatum famis*, &c. Expendo famem à tempeſtate cognominatam; imò tempeſtates vna fame excitatas eſſe. quod Paſchaſius inſinuat lib. 5. *Fame dum mens affligitur, diuerſis plagarum verberibus cruciatur, & tempeſtatum procellis iactatur*, &c. Quid ſi nec à peſte fames diſtat? Vox Græca eſt λιμὸς, quæ famem ſonat: literuláque adiecta, λοιμὸς peſtem valet. Vox igitur aſpectu alia, ſono eſt eadem; ac proinde fames, & peſtis ſono, & damno conueniunt. quo morbo ne Ægyptus malè exta-beſceret, ſomno duplici trahitur Pharao ad curam inopiæ ſubleuandæ, teſte Philone ad lib. de Ioſepho, *Vrbium enim, Regionúmque morbus grauiſſimus fames eſt*, &c. Acerbum adeò malum, vt noluerit meus Chriſtus ab Apoſtolo, ſed ab Agabo Vate promulgari famem, in orbem vniuerſum. Sic Lucas in Actis ad cap. 11. num. 28. *Vnus nomine Agabus ſignificabat famem futuram*, &c. Eaque fames eſt, quæ ſub Claudio malè deformauit terram vniuerſam. Cur famem Apoſtoli non denuntiant? Timent fortaſſe, ne malè audiant, qui mala renuntiant, ac deinde laboret odio ſchola Chriſtiana? Id Chryſoſtomo viſum eſt Homil. 25. in Acta. *Bene de fame non illi, ſed Propheta dicunt, ne oneroſi videantur*, &c. Quale malum fames eſt? quod ſi Apoſtolus ſignificaret, inuidiam contraheret. Grande omnino malum fames, quæ in homines carnificinam exercet.

Ierem. cap. 5. n. 10. Thren.

Tempeſtas hominum imò peſtis eſt vna fames.

Agat Princeps de fame leuanda ciuium.

Act. cap. 11. n. 28.

Res dura, fames.

2. Vnde belli ſcitum eſt, fame domare, quos ferro hoſtes nequeas. Nam Lucan. ad lib. 3. *Aſſerit vrbes vna fames*, &c. Accedit Xenophon. lib. 6. de Cyrop. *Nemo eſt tam robuſtus, vt contra famem pugnando bellum gerat*, &c. cùm fames & ciues frangat, & vrbes prodat. Vrbem Maſiniſſa fame capit, ex Appiani Libyo. Vrbem Cæſar fame expugnat, ex Appian. *lib. 5.* Vnde Præfectus vrbis: *Victi* (inquit) *ſumus, non ab hoſte, ſed à fame*, &c. Vrbem fame quatit Nabuchodonoſor, ex 4. *Reg. 25. num. 3.* Vide quid Lorinus aggerat *ad Deuter. cap. 32. num. 24.* Vnde conſtat fame preſſos homines ad officium reuenire. Hac arte prouidentiæ celebratæ Magnus Dominus trahit homines ad ſanam mentem, quod notat Saluianus lib. 1. *& ob hoc miſeri eſſe debent, vt mali eſſe deſiſtant*, &c.

Vincuntur milites non ferro, ſed fame.

Deut. c. 32. n. 24.

Pauperem Deus reddit hominem, vt ſanctè viuat.

3. Non ego negito, quod putant viri Magni, fame tactos homines eſſe, vt ſatis Deo faciant pro erratis animi. Et quidem Chryſoſtomus famem (de qua Agabus) grauem fuiſſe credit, vt refractarios Apoſtolis auditores malè torqueret. *Propter mala*, (inquit ille) *quæ in Apoſtolos facta*, &c. *Homil. 25.* Sed Iuſtinianus, cùm recenſeret orbem terrarum fame oppreſſum millies, ab Abramo ad Sedeciam vſque, vti

Fames peccati cenſura.

Gen. cap. 12. n. 10. 9. Reg. c. 25. n. 3. *Adæ furtum punit fames hominum.*

vti constat ex *Genes. 12. num. 10. ex 4. Reg. 25. num. 3.* sentit malum ab Adæ furto veniſſe. *Aſpexit Heua arborem vetitam, fructum concupiuit, comedit, & peryt,* &c. Paucis pòſt verbis, *Hinc fames, ſitis,* &c. *ad lib. de grad. perfect. cap. 4.* ſed fames & furti pœna, & peccati medicina eſt.

4.

Quis neſcit aberrare homines ab æquo iure, qui Regem, ac Deum lædunt? hoc in luto Iudæus erat. quod tradit Iſaias *cap. 8. num. 21.* Cùm enim Deus famem inferret duram adeò, vt ciues in furorem ſoluerentur, Rege læſo, ac læſo Deo: quod Vates præuiderat, *Cum eſurierint, iraſcentur,* &c. fame graſſante, ac in dies ingraueſcente reuocantur ad ſanum conſilium. Id verò in proximo verſu eſt, *& ſuſpicient ſurſum,* &c. ſic bonus quiſque (teſte Baſilio,) *quærens à Deo auxilium compulſus neceſſitate,* &c. Nihil tamen aliud curabat Dominus exercituum, quàm hominem retrahere à luto ſcelerum ad caſtos mores, fame imperata. Baſilius iterum. *Qui enim cuncta diſpenſat, ac moderatur Deus ad procurandam ſalutem hominum, famem nonnunquam inducit,* &c. Vnde minatur Helias 3. Reg. cap. 17. num. 1. *Viuit Dominus,* &c. Quid Vates iurat? *ſi erit his annis ros, aut pluuia,* &c. Minatur Iohel cap. 1. num. 4. *Reſiduum eruca comedit bruchus,* &c. Sed prior in minando Moyſes eſt ad Leuitic. 26. num. 16. *Viſitabo vos egeſtate, & ardore,* &c. Ad Deuteron. 32. num. 24. *Conſumentur fame,* &c. Triſtes ſunt voces de fame inducenda; ſed quæ faciunt ad poliendos mores hominum (teſte Abulenſi) q. 5. in Deuter. citat. *Quia cum ſaturitate Deum non coluerant,* &c. Adeſt Abulenſi Nazianzenus *Orat. 17.* qui argumentum vrget, hominéſque monet, vt famem vitæ magiſtram bene ferant. *Quandoquidem penuria ipſa efficit, vt ad Deum noſmetipſos conferamus, qui fortaſſe ob effuſam liberalitatem contemnitur,* &c.

Trahit ad Deum fames. 3. Reg. c. 17. n. 1. Iohel cap. 1. n. 4. Leuit. c. 26. n. 16. Deut. cap. 32. n. 24. *Trahit à Deo homines bona fortuna.* *Fames vitæ magiſtra.*

5.

Quid ſi & viros optimos fames ducat ad apices vitæ ſanctiſſimæ? Potuit quidem Magiſter Dominus Paulum ſuſtentare cura facili, qui Danielem in lacu pauit, & Heliam in via aluit. Cur patitur laborare Apoſtolum *in fame, & ſiti?* &c. 2. *ad Corinth. cap. 11. num. 27.* Cur & homines alij, (Deo conniuente) *circuierunt in melotis, egentes, anguſtiati, afflicti?* &c. *ad Hebr. cap. 11. num. 37.* Vbi Athanaſius, & Chryſoſtom. *Hom. 28.* locum explicant de Helia, & Heliſæo, quos proinde aluerint mulieres. Sed quo id conſilio fecerit Deus Optim. oſtendit Auguſtinus ad 2. lib. de ſermon. Dom. cap. 17. *Quandoquidem iſta, ſicut adiutoria, nouit ille medicus, quando apponat, quando detrahat; ſicut nobis iudicat expedire,* &c. Scitè Auguſtinus, ex arte medica argumentum capit; ſi enim bonus Hippocrates inediam imperat, & vt morbum pellat, & vt caueat; ſic Deus famem inuehit, vt ab hominibus abigat turpes mores, & ſalutem foueat bonæ mentis. Et miraris adhuc cur Deus Lazarum cœlo notum hominem, apud Luc. 16. num. 22. *vt portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ,* &c. fame cruciari paſſus fuerit? Viuit ille menſa tenui. *Cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis,* &c. *num. 21.* Solatium tamen ex analectis quadræ alienæ denegatur improbè. Cur non ſolatur Deus virum optimum, fame ſedata? Sed exercetur Lazarus. *Imò pauperem prouexit ad philoſophiam paupertas, ad virtutem dolor,* &c. ſic Chryſolog. *ſermon. 124.* Ex menſa tenui ductus homo eſt ad apices ſanctitatis Angelicæ, cùm ad Deum fames vrgeret. Video, quo Holophernes cerebro ſegetes ſuccendit, & ſuccidit arbores; ſcilicet vt hoſtes fame cogat in obſequium.

2. ad Cor. c. 11. n. 27. Ad Hebr. c. 11. n. 37. *Et bonos viros piè vrget fames.* Luc. cap. 16. n. 22. *Viuit piè Lazarus paupertate magiſtra.*

CAPVT III.

Num. 1. Tunc miſerunt Legatos ſuos, vniuerſarum vrbium, ac Prouinciarum Reges, & Principes: Syriæ, ſcilicet, Meſopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Libyæ.

Commentarius.

1.

DEDERAT textus proximè Gentes, nec ignobiles, metu fractas eſſe, cùm reſciſcerent Holophernem graſſari in homines, & in ſegetes. cap. 2. num. 18. *& cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram,* &c. Metus iſte Oratores ad Holofernem extorſit ab iis, qui Legatos Aſſyrios malè acceperant, *cap. 1. num. 11.* Sed metus (Nazianzeno teſte) *Magiſter longè optimus,* &c. *ad 1. Carmen.* Quid non docet magiſter metus? Docet, quo Patrem loco habeas, quo Ducem modo cures, quo Regem honore colas. Id Theoderico viſum eſt, cùm leges capitales daret, lib. 2. epiſt. 23. *Dum metus imponitur, peccandi licentia non præbetur,* &c. Imò peccandi facultas arcetur longè, cùm Prætor gladium exerat, Paulo teſte ad Rom. 13. num. 4. *Dei enim miniſter eſt vindex in iram,* &c. Quò non vrget metus homines, vt ſibi conſulant? Græcis εὐλαβέομαι, *timere* eſt, & *cauere*; ac ſi metus adigat hominem, vt ſibi caueat. Hoc ſe metu coli Deus voluit, cùm nomen à metu caperet. Nam Δεὸς Græcè, *metus eſt.* vnde θεὸς, Latinè *Deus*, ſibi nomen feciſſe videtur. quod Rupertus putat lib. 5. de Oper. Spirit. ſancti. cap. 17. *Tali nomine creator nuncupatur, quia timendus eſt; & hoc ab omni creatura exigitur, vt timeatur,* &c. Sed bonus Deus! *Amari magis voluit, quàm timeri,* &c. teſte Chryſologo *ad ſermon. 90.* Alius, & longè alius ab Holoferne, qui vt carnifex humani generis tonare viſus eſt, *Oderint, dum metuant,* &c. metúque homines trahebat in obſequium.

Metus eſt morum præfectus. *Metus cauet.* *Metu Deus piè colitur.*

2.

Petis fortaſſe, quò terrarum peruaſit metus iſte? Id in textu eſt. *In Syriam ſcilicet Meſopotamiæ, & Syriam Sobal, & Libyam,* &c. De Syria Meſopotamiæ, ſiue Medamni dubium non eſt: conſtat ex *Pſalm. 59.* ex 2. *Reg. cap. 8. num. 3.* De Syria Sobale dubitant adhuc interpretes *ad 2. Reg. cap. 10. num. 6.* ad 1. *Paralipom. cap. 18. num. 5.* An ne Soba Sophene eſt? Putant Serar. Salian. Tirin.

Pſ. 49. n. 1. 2. Reg. c. 8. n. 3.

Veloſ. in Iudith.

Certè Ioſephus in Soba non agnoſcit aliam, quàm Sophenem, *lib.7.Antiquit.cap.5*. Deinde Pompeius Sophenos Iudæis vicinos eſſe inſinuat, apud Lucan. *lib.2.*

——*& dedita ſacris*
Incerti Iudæa Dei, molléſque Sophenæ, &c.

Si quis velit Sobam eſſe regionem, quæ Plinio Sophene eſt *lib. 5. cap. 12.* non probo: longè enim à Soba Sophene eſt, quæ Taurum tangit, imò tranſit. Si quis verò Sobam, ſiue Hobam, *quæ eſt ad lauam Damaſci*, &c. ex *Gen. 14. num. 15.* Cœleſyriam eſſe putet Libano clauſam, & Antilibano? aſſentior facilè: nam, Strabone Auctore ad lib. 16. *Cœleſyria appellatur propriè, quæ Libano terminatur, & Antilibano*, &c. Facit ad litem Emath regio ab vrbe cognominata, quæ ad Sobam, ſiue Hobam pertinet. Scio enim Salomonem curaſſe de vrbe obtinenda, quæ à terminis Iudaicis non longè abe-rat, *ad 2. Paralipom. cap. 8. num. 3.* vbi textus, *Abiit in Emath Suba*, &c. ſcilicet in vrbem Cœleſyriæ, vnde Boreales ſunt aditus in Terram ſanctam. de quibus Ezechiel agit ad cap. 47. numer. 17. *Terminus Emath plaga Septentrionalis*, &c. Vide *Num. cap. 34. numer.* 8. Et verò Emath, ſacro textu, appellatur introitus, ſcilicet in Terram ſanctam, *Iudic. 3. numer. 3.* Textus eſt, *Vſque ad introitum Emath*, &c. Adeſt Amos cap. 6. num. 15. *Conteret vos ab introitu Emath*, &c. mitto loca reliqua. Sed Emath prope Hobam eſt Libano clauſa, & Antilibano; igitur Soba, ſiue Suba, Cœleſyria eſt. Addo Adarezerum ab Hebræo victum eſſe, 1. *Paralipom. cap. 18. num. 3.* Sed quem nam Dauid Adarezerum malè mulctauit? *Regem Soba regionis Emath*, &c. vbi Emath regio ab vrbe dicta ad Sobam, ſiue Hobam pertinet. Nec officit Regem Emath Adarezero hoſtem fuiſſe; quod patet ex 2. *Reg.8. n.9.* potuit enim Præfectus ab Adarezero deficiens, vrbem ſibi, & nomen vſurpare.

Gen. cap.14. n.15. *Soba Cœleſyria.* 2.Paral. c.8. n.3. Ezech. c.47. n.17. Iudic. cap.3. n.3. Amos cap.6. n.15. 1.Paral. c.18. n.3.

3. Hæc ita, vt qui Sobam cum Damaſcena miſcet, prauè cæcutiat. Res de textu eſt *ad 2. Reg. cap. 8. num. 5.* vnde conſtat Damaſcenum Adarezero auxiliatem fuiſſe, licèt auxilium fruſtrà fuerit: in proximo tamen Damaſcenus erat, qui Cœleſyro opem tulerit. Deinde Emath tangit fines Damaſcenos; quod probat Ezechiel *ad cap.47.num.16.* vbi ponit Sabarim, *quæ eſt inter terminum Damaſci, & confinium Emath*, &c. Patet igitur non diſtare Sobam à Damaſcena. Sed & Zacharias *cap. 9. num. 2.* agens de Syria Damaſcena, *Emath* (inquit) *terminus eius*, &c. Ac ſi bene ſorores conuenirent; quod Strabo de Antiochia, & Apamea docet lib. 16. *quæ propter concordiam ſorores dicebantur*, &c. Vnum illud ſupereſt, agat ne Amos de noſtra Emath *ad cap. 6. num. 2.* vbi Prophetes, *Ite in Emath magnam*, &c. Hæc tamen Hieronymo, viríſque aliis Antiochia eſt ad Orontem ſita. Noſtra verò Emath (teſte Hieronymo ad Zachariam cit.) *Syriæ Cœles eſt ciuitas*, &c. Sic Vatabl. & Remig. Hæc ego: ſi quis tamen propiùs inſpexerit, quid velint Amos, & Zacharias, *citatis locis*, lubens accipiam. Mihi placet interim Syriam Sobalem, Strabone arbitro, Cœleſyriam eſſe, quam Libanus cogit, & Antilibanus.

Zach. cap.9 n.2. *Vrbis à conſenſu bono ſorores.* Amos c. 6. n.2.

Sed quid Libya? an ne illa eſt, quæ Africanos agros colit, germana Libya? Quis vetat? & credo facilè partem longè diſſitam ab Holoferne terrefactam eſſe; quo metu fractum ſcio orbem terrarum, cùm ſcirent Perſam ab Alexandro victum eſſe, apud Curt. lib. 10. *Adeò totum orbem nominis eius terror inuaſerat*, &c. Laudem hanc Anthemio canit Sidonius carm. 2. 4.

Princeps victor metu quatit orbem vniuerſum.

Ad Boream pugnas, & formidaris ad Auſtrum, &c.

Nec minus Attila Gentes concuſſit locis infinitas. qui Iordano eſt, *Terrarum omnium metu vulgatus homo*, &c. qualis apud Naſonem Minos ille lib. 9. Met.

——*Qui dum fuit integer æui:*
Terruerat multas ipſo quoque nomine gentes, &c.

Nec miror metu Ducis, ac Regis improbi quaſſari terram vniuerſam. Nam quod monet Sapiens Prouerb. cap. 16. n. 14. *Indignatio Regis*, Græcè *Angelus mortis*, &c. vertas bene. Dæmon eſt domeſticus. Ac proinde metu affectæ gentes ſuos ad Holofernem Oratores ſubmiſere. Ne quis neget

Prou.cap.16. n.14.

PARÆNET. I.

Eruditi homines clade aliena.

TRahit metus, quos amor non ducit ad officium, machináſque admouet, quas amor ne digito quidem mouet. Hoc aſpectu Clemens Alexand. 2. Strom. cap. 4. *Quos amor non expugnat, metus manſuefacit*, &c. Quid Gentes immunes cogit, vt per Oratores ſe dedant in poteſtatem Holofernis? *Tunc miſerunt Legatos ſuos*, &c. Metus ingens de fortuna acerba. *Cecidit timor illius ſuper omnes*, &c. Ex fortuna aliena didicerunt, quid ſibi ex vſu eſſet. Prudens hac via Emathæus Princeps 2. *Reg.* 8. cùm acciperet fractum ab Hebræo Adarezerum *num.* 3. Deinde fuſum fugatúmque Damaſcenum, qui nec magno effecerat auxilio, vt Dauid malè pugnaret *num.* 5. Bello igitur confecto Emathæus filium delegat ad Hebræum num. 10. *vt ſalutaret eum, congratulans, & gratias agens*, &c. Officioſa quidem legatio apud Regem, quo cum nihil Emathæus haberet amicitiæ, 1. tamen *lib. Paralipom. cap. 18. num. 10.* lego, quò ſpectaret legatio, ſcilicet, *vt poſtularet ab eo pacem*, &c. An timet Emathæus, ne Dauid Regum victor, proxima quæque ferro metat, & manu cogat? id Abulenſis putat q. 13. *Timebat, ne, cùm Dauid expugnaſſet Regem potentiſſimum, facilius eum expugnaret; ideo voluit cum illo pacem habere*, &c. Emathæus itaque alieno ex malo metum concepit, vt ſibi conſuleret. Æquè Berodachus, ac Emathæus rerum ſciens eſt. Sennacheribum ab Ieroſolymis trudit Ezechias, cælo fauente *ad 4. Reg. cap. 19. numer. 35.* Deinde morbum à ſe abigit, Deo Duce, ac ſole ad miraculum vſque regreſſo, *ad cap.20.num.12.* Res nota, vel exteris nationibus, quibus cum nulla Hebræo erat amicitia. Ad Iſaiam cap. 39. num. 1. *In illo tempore*

1.

In officio metus continet hominem.

2. Reg. c. 8. n.10. 2.Paral.c.18. n.10. *Princeps metu officioſus.* 4.Reg.c.19. n. 35. Iſa.c.39.n.1.

tempore misit Berodach Rex Babylonis libros, & munera ad Ezechiam,&c. Quid tibi cum Iudæo Rege est Magne Berodache? vt per Legatos, & literas amicè dicas salutem plurimam? Legatio, specie quidem, gratulatoria est: reapse periculi metuens, ne Hebræus, pulso Assyrio, Babylonium petat, dextro Marte. Bene ad rem Procop. *Quibus auditis ad Legatorum missionem inductus est*, &c. eò Berodachum traxit contractus aliena clade metus.

Metus ex clade aliena.

2. Leo est Princeps Regum victor, qui solo se terrore tuetur. Sic Dauid absterret Syros bello in Ammonitam bene gesto. Syrum ab Ammonita conductum frangit victor Dauid 2. Reg. 10. n. 8. *Fugerúntque Syri*, &c. Quid Reges alij Ammonitis auxiliares? ante belli tubam, fuga sibi consulunt; imò fœdus cum Hebræo feriunt. *Fecerúntque pacem cum Israel*, &c. *n.* 19. Dubitat Abulensis *q.* 9. Vtrùm Reges, fide integra, fœdus inierint? Sed responsum è textu est, *Expauerunt, & fugerunt*, &c. quantus ex malo alieno metus, & quàm prouidens, vt pacto inito caueant sibi Reges? *Quoniam dato, quòd pactum præuaricari vellent, numquam possent resistere, sicut experti fuerant*, &c. sic Abulensis. Itaque Reges dum Hebræum timent, ab iniuria temperant, tanta in metu vis est. Vnde illud ex 2. *Pædag. cap.* 10. Clemens Alex. *Qui sunt curatu difficiles, igne, malleo, & incude, tanquam ferrum aguntur*, &c. Fingitur benè ferrum flamma, & ferro, trahiturque in quodcumque velis opus: non aliter homines curantur metu, & vrgentur in obsequium. *Vlula abies* (monet Zacharias,) *quia cecidit cedrus*, &c. *cap.* 11. *n.* 1. Illud pensò, ex cedri malo proximo, quati iussam abietem: sed Delphicum est Oraculum.

2. Reg. c. 10. n. 8. 19.

Reges metu fœdus ineunt.

Zach. c. 11. n. 1.

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet, &c.

Quæ enim Cœlesyria non timeat, non obsequatur? cùm rescisat segetes, & arbores agri Damasceni ab Holoferne succisas, & succensas esse, vicinóque malo admoneatur, *Vlula abies, quia cecidit cedrus*, &c. vbi Pelusiotes lib. 1. epist. 75. ad Alliopium. *Fortibus cadentibus, imbecilliora erudiantur*, &c. Id à Nazianzeno fortasse hausit, qui Synodum admonet Orat. 30. *Ex aliorum calamitatibus documentum sibi capiant*, &c. Cur enim suam Philisthæo arcam Deus prodit? Cur suum Chaldæo templum dedit? Cur Iudæum sibi sacrum malè mulctat, hoste addito? scilicet, vt timeant gentes aliæ, ac sibi consulant. Vnde Lyra, *ideo alij existentes in locis aliis, debent diffidere de se ipsis*, &c.

Quid ex vsu sit docet fortuna aliena.

3. Quid aliud Deus Magnus voluit, cùm orbem scribit obrutum aquarum inundatione? *ad Gen. cap.* 7. *num.* 21. cùm Sodomam igne correptam, & corruptam docet? *cap.* 19. *n.* 24. cùm Samariam ab Assyrio raptam, & malè mulctatam dicit? 4. *Reg.* 17. *num.* 23. cùm Iudam cecidisse tradit in Chaldæam seruitutem? 2. *Paralipom.* 36. *num.* 16. Eo puto consilio scelerum vltrices clades exponit Dominus, vt viuentes adhuc, ac peccantes absterreat, calamitate scilicet aliena: sic Magnus Basilius Hom. 9. *Ipsi nihilo meliores euaserunt, exemplo tamen reliquos prudentiores, cautioresque reddiderunt*, &c. Cum Basilio stat Clemens Alex. 3. Pædag. cap. 8. *Hoc scilicet consilio, vt nos à vitio auerteret, ea quæ passi sunt, ostendit*, &c. Inde est, quòd modò punit hominem, modò pungit Angelũ, fortuna vtriusque partis explicata. Pharaonem suo cum exercitu describit Moyses Exod. 14. num. 6. *iunxit currum, & omnem populum suum assumpsit secum*, &c. Deinde tradit, quid mali Princeps tulerit, clade vltima, num. 28. *Ne vnus quidem superfuit*, &c. sed Reges Deus facit rerum dominos, vt si prauè egerint, malè premat, bono publico humanæ gentis. Scitè Rupertus lib. 1. in Habac. *Oportebat notum esse, qui adhuc corripitur, vt eius exemplo cæteri corrigantur, siue emendentur*, &c. Vnus de cælo tactus homo terret, frangítque alios, & plurimos homines, quod Naso docet lib. 3. epist. 2. ad Cottam.

Exod. c. 14. n. 6. 28.

Gentes erudit clades Iudaica.

Admonetur populus clade Regum.

Vnum cùm feriunt, non vnum fulmina terrent, &c.

Addit Seneca, *sic animaduersiones magnarum potestatum terrent latius, quàm nocent*, &c. 1. *ad Neron. cap.* 8. Hoc aspectu premit Angelum Magnus iudex apud Ezechielem *cap.* 28. *n.* 16. Sed quas priùs laudes canit? *Et tu Cherub*, &c. *num.* 14. Hæc inter, monetur Vates, vt doleat vices hominis. *Leua planctum super Regem Tyri*, &c. Cur Angelum grauiter punitum dicit, & iussus luget tristes morsus hominis? Sed vrgetur homo, vt sapiat malo Angelico. *Ille plangit vtiliter, qui spiritu humili perscrutatur, & perpendit, quid sibi faciendum sit, cùm summus ille Angelus, tam sapiens, terribiliter proiectus sit*, &c. Hæc Rupertus *lib.* 2. *cap.* 3. *de Victor.* Quis post cladem Angelicam, sibi non timeat vilis homo? quis sacro metu salutem non concipiat? qui timet, scitè cauet; qui non timet, nec sapit vicino malo.

Ezech. c. 28. n. 146.

Sapiunt homines malo angelico.

4. Hac via metum Iudæo grauiorem incussit Magnus Dominus apud Ezechielem *cap.* 16. Sodomam inibi, & Samariam Solymæ sorores vocat, *num.* 52. vbi iudex, *Vicisti sorores tuas peccatis tuis*, &c. Miror ego Solymam Deo sacram peccasse grauius, quàm Samaria, Sodomáque peccarunt. Nónne sorores à fide semper aberrarunt? quod à Iudæa temperatè dicendum est. Cur igitur Iudex aduersùs Iudæam, *Vicisti* (inquit) *sorores tuas peccatis tuis*, &c. Sed à sororum calamitatibus sanam Solyma non hausit mentem. Sic Theodoret. sect. 5. *Cùm noris, quæ illi acciderint, & illatas ipsis calamitates, nihilominus delinquere perseueras*, &c. Aliena calamitas vel extraneis disciplina est: qui non discit metu magistro, morumque Præfecto, grauiùs pereat necesse est. Hoc in luto Lamechus erat, cùm puerum interfeciset, *Gen.* 4. *num.* 23. Nam ad vxores ille, *Septuplum vltio dabitur de Caïn; de Lamech autem septuagies septies*, &c. *num.* 24. Id viris bonis est. Grauior Lamecho pœna erit, quàm malo Caïno est. Sic Hieronymus 1. *lib. aduersùs Iouin.* Chrysostom. *Hom.* 20. Nazianzenus *Orat.* 44. Quid igitur Lamechus non dolet? quid non luget? quid non timet? Sed iustus est metus, Nazianzeno Auctore. *Quia post legem, & condemnationem, eadem perpetrauit*, &c. Punito Caïno metum Lamechus abigit, pudorémque peccandi; vnde pœnam timet acerbiorem. *Septuagies* (inquit) *septies*, &c. Seuerior enim Deus est in homines, qui punito scelerum socio, non sapiunt ad salutem. Didi-

Ezech. c. 16. n. 52.

Peccat grauius, qui non eruditur malo alieno.

Gen. cap. 4. n. 23. 24.

Punitur acerbè qui non sapit aliena calamitate.

cere vel gentes barbaræ è malo alieno, *ac tunc miſerunt Legatos ſuos.*

Num. 2. Deſinat indignatio tua circa nos. Melius eſt enim vt viuentes ſeruiamus Nabuchodonoſor Regi Magno.

Commentarius.

5. MVltus Regum metus eſt, qui vitam redimunt iactura libertatis nobiliſſimæ. Credunt tamen frui ſe aliena inſania, cùm è vicino malo ſapiunt, quæ Hebræo laus eſt. Nam Pharaone ſubmerſo, exercitúque detrito, ad Exod. *cap.* 14. *num.* 28. Hebræus non, vt ius erat, altè gaudet, ſed timet altè, num. 31. *Timuitque populus Dominum*, &c. Dicant fortaſſe alij Hebræum ineptè in loco timuiſſe, cùm ſentiret Deum ſibi auxiliarem eſſe. Sed magiſtra hominum eſt clades aliena, teſte Oleaſtrio. *Nam, qui propter nos deſtruit inimicos, & nos ſuffocabit, ſi de amicis fiamus inimici*, &c. Id ego accipio. Sed monſtrum puto, vt Reges libertatem pro vita prodigant. Sic enim ad Holofernem. *Melius eſt, vt viuentes ſeruiamus*, &c. Eò miſeriarum trahit vitæ amor, queritur Seneca in Agamm. Ch. 3. *Hen quàm durum malum mortalibus?* &c. Deinde Valerius caput texit integrum de amore vitæ prorogandæ, *ad lib.* 9. tradit inibi, quid alij, aliíque fecerint vel Magni Duces, vt vitæ moras traherent exiguas, ac tandem: *ſed hos tu furores immoderata retinendæ vitæ dulcedo ſubiicis*, &c. Sub ferro, vitæ moram amat Brutus: nam iuſſus dare ceruices, ferro caput ſubtrahit, ac ſanctè iurat: *Ita viuam, dabo*, &c. Iurandi forma vana, & inepta eſt, ſed à viuendi amore nata, cùm Brutus ſub ferri ictu mortem adhuc fallendam curaret. Hæc & Chriſto mens vrgendi hominis ad cœnam Euchariſticam, vitæ pretio, ad Ioann. cap. 6 num. 48. *Ego ſum panis vitæ*, &c. Decies (quod puto) vitam Chriſtus vocitat panem Euchariſticum, vt gratus de ſacra Cœna ſermo fluat. Sic Chryſoſt. Hom. 46. *Vita vbique meminit: nam eius trahimur cupiditate*, &c. Sed iam pridem hac Adamum ſpe Deus lactauerat, vt homo legem ſeruaret. *Ne comedas*, &c. Gen. 2. num. 17. *Erat enim lignum vitæ in medio Paradiſi*, &c. *num.* 9. de quo veſci licebat. Hebræo textu: *Lignum vitarum*, &c. hoc eſt, vitæ longiſſimæ. Cur de vita Deus meminerit priuſquam Adamo legem daret, bene inuenit Moyſes Antiſtes 1. p. cap. 2. *Pro cohortando igitur Adamo ad obſequium, vocatur arbor illa, vitæ arbor*, &c. Sciebat Dominus, quo viuendi amore ducatur homo. Scio & ego, quò proceſſerint voces plebeculæ adulatrices, cùm Imperatorem vita ſua clariorem ebuccinarent.

De noſtris annis tibi Iuppiter impleat annos, &c.

Aliter ſui amantes Reges, qui pro vita libertatem prodigunt, ac per Legatos ad Holofernem homines adiiciunt. *Melius eſt enim, vt viuentes ſeruiamus*, &c. Vnde quærendi occaſio,

Magiſtra omnium eſt clades aliena. — Exod. c. 14. n. 28. 31. — *Ingens vitæ amor.* — Ioann. cap. 6. n. 48. — *Dura quæque deuorat vitæ amor.* — Gen. 2. n. 17. — *Ad legem ſeruandam vrget vitæ amor.*

PARÆNET. II.

An libertas, quàm vita potior eſt?

1. SEruire malunt Reges, quàm perire, vitæ amantes vel cum turpi næuo. Quis enim vel bardus homo ſeruitutem, & miſeram, & fœdam rem eſſe neſcit? Capite minutos homines rectè dixeris, qui præ libertate vitam amant, & curant. Sciens rerum Philo, *Nemo ſanus non malit vitæ, quàm libertatis adire periculum*, &c. *ad lib.* 1. *de Moyſe.* Sciebat ſeruitutem & extremis hominibus fœdam eſſe, qui Hebræum fame preſſum graui ſeruire non eſt paſſus, ad ſeptennium vſque, Exod. 21. num. 2. *Si emeris ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi*, &c. Nec aliam de ancilla putes legem eſſe *Deut. cap.* 15. *n.* 12. Tempus igitur ſeruitutis vtcumque tolerandæ, ſignat Moyſes, ne ad ſeptennium vſque proferatur, notam gentis magnæ delere cupiens. quod notat Origenes Homil. 8. in Ioſue. *Tanta apud eos libertatis cura erat*, &c. Illud Moyſes præ oculis haberi voluit, ſeruitutem, via qualicumque, ſordidam eſſe. Quòd ſi Hebræus manumiſſus libertatem abnueret, magno Domini deceptus amore textus hac de re eſt Exod. 21. n. 6. *Applicabitur ad oſtium, perforabitque aurem eius ſubula, & erit ſeruus in ſæculum*, &c. Multæ ſunt notæ, quibus Moyſes premit ſordidum hominem, vtpote qui ſeruire malit, quàm vita frui libera. Cur enim ad poſtes exponitur ſeruus iſte? Bene Theodoret. quæſt. 46. *vt intelligat, ne limen quidem egredi licere, inuito Domino*, &c. Graue omnino malum ſeruitus eſt, qua ſeruus domo abire non poteſt, nec redire, niſi ad nutum Domini. Deinde notatur ſeruus ferro ſutorio, fixa ad poſtes auricula, in pœnam ſcilicet mentis viliſſimæ: quod Auctores plerique norant; in quibus vnus eſt Theodoret. q. 45. *In dedecus eius, qui libertate poſtpoſita, ſeruitutem amplectitur, ſignum hoc iubetur accipere*, &c. Neque enim volens, ac lubens ſeruit, niſi homo de vili ſutrina. Addit Caietanus inſcriptam ſeruo notam, auctoritate publica. Nam, iubet Moyſes: *Offeret eum Dominus Diis*, &c. hoc eſt, Iudicibus, *vt ſi non horreret ſeruitutem, ſaltem horreret ignominiam publicam*, &c. ſic Caietan. Vnde colligas, hominem mentis adeò proiectæ, vt ſeruire lubens velit, turpi nota ſignandum eſſe. Viuat ſtigmatias perpetuò. *videlicet, vt ſemel dictæ profeſſionis ſuæ delere, vel abſcondere non poſſit monumentum*, &c. quod Rupertus cenſet *lib.* 3. *in Exod. cap.* 35. Nota enim, auricula inciſa, monumentum eſt; quaſi monens mentem de officio. Addo moneri ſeruum, aure perforata; meminerit ſe vel auribus trahendum eſſe in quaſcumque Dominus partes velit.

Libertatem homines tuëtur validè. — Exod. c. 21. n. 2. — Deut. c. 15. n. 12. — *Multa Deo cura de tuenda libertate.* — Exod. c. 21. n. 6. — *Seruitus ex compacto ſordida.* — *A ſeruiendo auertit Deus.*

2. Res adeò fœda eſt ſeruitus, vt terra quidem ſeruiles manus admittat facilè, nec ſeruili culta manu bene fructus edat. Notat Plinius *lib.* 18. *cap.* 13. agros à ſeruis ſubactos minus reſpondere, quàm à magnis viris cultos: quales Serranos, Cincinnatos, Curios, Roma laudat. ſcilicet, Plinio Auctore: *Honeſtis manibus omnia lætiùs proueniunt, quia curioſiùs fiunt*, &c. Lucem Plinio Cainus addit. Peto enim, cur terra Caino culta malè paret? Id Iudex minatur,

Odit ſeruitutem & bruta tellus.

Gen. c. 4. n. 11. 15. tur, Gen. 4. num. 12. *Cùm operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos*, &c. Sed à Caino iam seruo subactus ager est. Signum illud, de quo textus num. 15. *Posuitque Dominus in Caïn signum*, &c. nota erat seruitutis sordidæ; ac proinde Caïnus vultu inscripto seruus erat; quod sentit Ambrosius ad Ps. 104. *Quasi seruus signum accepit*, &c. Neque Plinium latuit *citato loco*, vinctos seruis pedes, & inscriptos vultus esse. Quale malum seruitus est, quam vel tellus bruta longè à se trudit.

Caïnus ex peccato seruus.

3. Nec seruire, turpe modò, sed & graue est, cùm nullum seruo sit otium, ex verbo veteri. *Nam seruus* (ex Chrysippo) *mercenarius est perpetuus*, &c. Apud Senec. *de Benefic. lib. 3. cap. 22.* Nónne laborare, circuire, vigilare, algere, sudare ad gustum, & nutum Domini, lex est seruis perpetua? Id censent qui sensere seruitutis morsus tristes. Hac de re vt fidem Moyses faceret, seruitutem appellat fornacem ferream,

Deut. cap. 4. n. 20. Exod. c. 20. n. 2. Deut. 4. n. 20. *Vos tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti*, &c. Nam ex 20. *Exod. num. 2.* exponit Moyses, quæ nam hæc coquendis hominibus officina fuerit. *De domo scilicet seruitutis*, &c. Doluisse Hebræum sub ferro, &

Flamma vrens dira seruitus. flamma docet Moyses, cùm seruiret. *Quia seruitus illa erat durissima*, &c. sic Lyranus. Fœda simul, ac dura seruitus est; & libertatem Reges pro vita abnuunt? illudque per Legatos renuntiant? *Melius est, vt viuentes seruiamus*, &c. Reges, non Reges dixerim, sed homunciones vilissimos.

4. Inde est, quòd viri nobiles seruitutem morte grauiorem putant, libertatem vita clariorem habent. In hac sententia Rubenus erat, Premuntur à Iosepho Prorege fratres *Gen. 42. num.* 22. Vnde ad illos Rubenus, de Iosepho

Gen. cap. 42. n. 22. diuendito, *En sanguis eius exquiritur*, &c. Ineptè Rubenus agit, si Iosephum velit ferro exceptum esse: sed qui fratrem malè venundatum sciret, scitè docuit, cogi ad necem, qui seruire cogitur. sic Chrysost. *Hom. 64.* Non mentitur in loco Rubenus: *Licèt enim gladium per gulam non transmisistis, barbaris tamen hominibus eum vendidistis, ac difficiliorem illi seruitutem excogitastis*, &c. Dolet id bonus Dauid Psal. 104.

Ad necem cogit qui seruire cogit hominem.

Ps. 104. n. 17. 18. n. 17. *In seruum venundatus est Ioseph*, &c. Nec seruus pretio distractus, sed & loris vinctus, vti malus seruus. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius*, &c. *num.* 18. Graue omnino malum puero nobilissimo, quod Iosephus morte quæsita pelleret, si per Deum liceret. Captus ab hoste puer clamat, *Non seruiam*, &c. Addit Seneca epist. 77. *& verbis fidem imposuit*, &c. nam manus sibi intulit. Quid Iosephus non faceret? cùm doleret grauiter. Nam ex Psalm. citato, *Ferrum pertransiit animam eius*, &c. Sed quodnam hoc monstrum est? Itáne ferri vis peruadit animum hominis? Potest ne catena animum ferire? Tantus seruitutis infimæ dolor est puero nobilissimo, vt ferrum animo excecepisse visus sit: quod notat Ambrosius in Ps.

Dolor est ingens seruitutis contractæ. 118. serm. 12. *Quæ potuit nobilis prosapiæ puero grauior esse tentatio, quàm vt tanto familiæ splendore dejectus, cogeretur seruire*, &c.

5. Lego Saulem, malè pugnantem, suo se ferro peremisse, ne captus ab hoste viueret, 1.

1. Reg. c. 31. n. 5. *Reg. cap. 31. num. 5.* Et putat Drogon Saulem de se perimendo cogitasse, ne precariò viueret, seruatus ad lusus, & iocos militares. *Nescit enim humiliari arrogantis obstinatio, vt possit viuere*, &c. *ad lib. de Sacram. Passion.* Itaque nece quæsita, iniurias à se auertit, quas ab hoste captus timet. Aliò trahit locum Ambrosius, Princeps enim, *arripuit gladium suum, & irruit super eum*, &c. scilicet, Ambrosio Auctore, *Ne captiuus senex viueret, filiis, & regno superstes*, &c. Proiecit vitam, vt libertatem ferro tueretur. Quid Samson? *Iudic. 16. n. 25.* captus ab hoste Iudex, effossis oculis in ædem Idolo sacram ducitur; iussus lusitare ad ludibrium, mori maulit Samson, quàm seruitutem pati: columnis igitur arreptis, emotisque, soluit domum, & hostes secum perdit, ac sepelit, *n.* 30. Abulensis optimè quæst. 52. *Cùm in seruitute amara moriturus foret, melius erat aliquid magnificum agere, quàm in seruitute ingloriam sustinere mortem*, &c. Honestè Samson, & premit homines, qui Dagonem colunt; & suum punit dolorem, quæsita libertate. *In bellica enim virtute, non mediocris honesti, ac decori forma est, quòd mortem seruituti quis præferat, & turpitudini*, &c. sic Ambrosius *ad 1. lib. Officior. cap. 42.* Pro tuenda libertate vel gallus gallinaceus ad necem vsque pugnat. Vnde poëta apud Philonem,

Perimit se Princeps amore tuendæ maiestatis, & metu contrahendæ seruitutis.

Iud. cap. 16. n. 25. 30.

Vitam prodigit, qui libertatem amat.

——*& viuus seruire recusat*, &c.

si tamen viuit. Quid inde? Plinius ad litem lib. 20. cap. 21. *Victus occultatur silens, & agrè seruitium patitur*, &c. Eant igitur Principes, ac per Oratores dicant ineptè, ac sordidè ad Holofernem:

Et gallus seruitutem inuitus patitur.

Melius est, vt viuentes seruiamus Nabuchodonosor Regi Magno.

Commentarius.

6. REges multarum gentium, & Magni, & Regum Reges olim appellati: Parthus Artabanus, teste Herodiano, *Primus Rex Magnus appellatus est*, &c. lib. 6. *Megistanus Suetonio Rex Regum est*, &c. *in Calig. cap. 5.* Mithridates Iustino Magnus lib. 42. *Cui res gestæ Magnum cognomen dedere*, &c. Quis Armeniis Tigranes? Regum Rex: quod Plutarchus docet *in Lucullo.* Quid Phrygibus Reges plerique? Regum Maximi, apud Strabonem *lib. 12.* Quid Ægypto Simandius in Mausoleo, Sesostris in columna? Inscripti Regum Reges, apud Diodor. *lib. 2. cap. 1.* Quis Persa ad Constantium? *Rex Regum sapor*, &c. apud Marcellin. *lib. 17.* Satis de reliquis Plinius *lib. 30. cap. 1.* vbi docet Magiam Regum Regibus imperasse. Meum me ad penum reuoco. Nam sacro textu vtrumque lego Regum cognomentum. Assyrius ad Hebræum 4. Reg. 18. num. 9. *Hæc dicit Rex Magnus*, &c. Apud Danielem audit Chaldæus cap. 2. n. 37. *Tu Rex Regum*, &c. qui & à Summo Deo id nomen habet apud Ezech. cap. 27. num. 7. *Adducam Regem Regum*, &c. quo aspectu: *Rex Maximus Artaxerxes*, &c. *Esther cap. 13. n. 1.*

Magnum à rebus gestis cognomentũ.

4. Reg. c. 18. n. 9. Dan. cap. 2. n. 37. Ezech. c. 27. n. 7. Hest. cap. 13. n. 1.

7. Natum Regum cognomentum à rebus præclarè gestis, & vrget Plutarchus argumentum *ad lib. 2. de Alexandro*; vrget item Naso de Pompeio,

Magne

Magne tuum nomen rerum est mensura tuarum, &c. 1. *lib. Fast.*

Quod putat Cassiodorus illud est, Pompeio Magno cognomentum prouenisse ab annona, quam fame grassante curauit, *lib. 6. form.* 28. Nec Alexander magnum in nomen laborasse Nazianzeno visus est, nisi virtute, & liberalitate. *Qua vna, cùm Alexander esset, turpius existimauit, quàm armis vinci*, &c. *Orat.* 3. Quare absurdum puto, Reges solo nomine Magnos esse: quod Plutarchus notat. Non erat in hoc albo Quæstor ille Felix, ad quem Athalaricus lib. 8. Cassiod. epist 18. *Sumpsisti nomen ex meritis; custodi, vt lateris veritate vocabuli*, &c. Et ille Horatio sapiens, morum scilicet studio sapiens, vno tantùm Ioue minor est. *Rex denique Regum*, &c. *lib. 1. epist.* 1. Sed puto Regum nomina iam dudum vana esse; nec à rebus magnis venire, nec ad res magnas vrgere: quæ nominibus imponendis ratio est. Inde fit, vt ille Theodosius, ille Iustinianus audierint, quod Cyprianus obseruat ad lib. de Christi virtut. *Vt in ipsis primordialibus initiis, quædam præfigerentur commonitoria*, &c. Et quid inde ad aurem vellendam? *Ne nomen illis esset ad ignominiam*, &c. A Cypriano hausit Athalaricus, vt Felix audiret *loco citato*. *Nimis absurdum est, portare nomen alienum; & aliud dici, quàm possit moribus inueniri*, &c. Magnum igitur salutant Regem Reges alij; quasi moneant

Magnus ob liberalitatem Alexander.

Nomenclaturam factis exæquat magnus Princeps.

Vrget nomen ad benè agendum.

Parænet. III.

Nomen à rebus gestis petendum esse.

1. VIdeo, quo merito Reges Magni cognomentum sibi parauerint: & quod rectè Cassiodorus monet lib. 6. form. 7. *Grata esse nomina, quæ designant protinus actiones*, &c. Imò iusta meritis cognomenta esse puto. Ne quis sibi capiat titulos honorarios, virtutum indigens. Nemo id Abrahamo obiecerit; neque enim sibi nomen peperit, addita sacrosancti nominis literula. *Sed appellaberis Abraham*, &c. *Genes. cap.* 17. *num.* 5. Nisi postquam penitiores de vno Deo notiones concepit. Abramum Deus adit, quo cum agit. *Dixit Dominus ad Abram*, &c. *Genes.* 12. *num.* 1. Imò Deus se Abramo ostentat gloriosè: quod proximè dictum ex Act. 7. num. 2. *Deus gloriæ apparuit Abrahæ*, &c. Paucis pòst diebus Abramum Deus iterum conuenit, *cap.* 13. *num.* 14. Tandem Abramus Deum & videt, & audit colloquio familiari, ad cap. 15. num. 1. *Factus est sermo Domini ad Abram per visionem*, &c. Hæc ita, priusquam Abrahamus de Abramo fieret, & sacrum de nomine sacrosancto nomen sibi pararet Homo sciens rerum theologicarum; vt nomenclatura conueniret cum literatura: sic Clemens Alexand. 5. lib. Stromat. cap. 1. *Cùm in cœlum suspexisset, siue viso Angelo, siue etiam cognito Deo, assumit alpha, & dicitur Abraham; vt qui pro naturæ indagatore sapiens, piusque in Deum, & amicus eius factus sit*, &c. Abramus igitur Chaldæus Astrologus, notione concepta summi Dei, nomen è re bene gesta mutuatus est, literamque accepit, quæ bene congrueret cum facultate literaria. Et Iacobo inditum à lucta nomen scio.

Gen. cap. 17. n. 5.

cap. 12. n. 1.

cap. 13. n. 14.

cap. 15. n. 1.

Gratum est nomen, quod laudem sonat.

Nomenclatura ex literatura placet.

2. Luctam cum Angelo Iacobus init; vrgetur amplexu, tunditur manibus, trahitque lucta noctem solidam. *Et vir luctabatur cum eo vsque manè*, &c. *Genes.* 32. *num.* 24. Quid inde? nomen capit vti luctator egregius: num. 28. *Nequaquam vltrà Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël*, &c. Quod ab arte, & vi luctandi nomen esse constat ex loco. Non tamen Iacobus in Israelem mutatur, nisi pòst luctam, pòst sudores, pòst morsus graues. *vt pro pietatis præmio nominis commutationem acceperit*, &c. sic Nazianzen. *Orat.* 35. Nomen profectò nobilissimum est luctator bone? *Quia iustè, & Dei sententia obtinebis*, &c. sic Lyran. *ad Genes.* 35. *num.* 9. Ac si vellet: pòst luctam, & pugnam Agonothetes Iacobum effecit iusto titulo virtutis masculæ. Nec Paulus è Saulo factus, nisi ducto ad sanam mentem Paulo Proconsule. Res est de Actis Apostol. *ad cap.* 13. *num.* 9. vbi Lucas, *Saulus, qui & Paulus*, &c. Id verò Lucas addit, postquam Proconsul fidem suscepit, Saulo Magistro. Sentit Augustin. lib. 8. Confession. cap. 4. *Ipse ex priori Saulo Paulus vocari annuit, ob tam magnæ insigne victoriæ*, &c. Laudo ego Romanos, ac Græcos Duces, quos à rebus præclaris denominatos scio. *Nam aut à virtute, aut à fortuna, quemadmodum & apud Græcos, huiusmodi indi solebant cognomenta*, &c. sic Plutarchus *in Coriolano*.

Gen. cap. 32. n. 24. 28.

A lucta nomen Iacobo magnum.

Quod meritis paratur, magnum est nomen.

Act. cap. 13. n. 9.

3. Quid si & Angelis cognomenta non obtigerint, nisi factis præclarissimis? Lego Seraphinos Deo adstare apud Isaiam *cap. 6. num.* 2. Cherubinos *Psalm.* 98. *num.* 1. sedes curules esse, Dominationes, Principatus, & Potestates (Paulo teste) interesse, *ad Colossens.* 1. *num.* 16. Ac tandem Angelos reliquos humanæ salutis administros agere, *Zachar.* 1. *n.* 12. *Thessalonicens.* 1. *cap.* 4. *num.* 16. Vnde hæc Angelis cognomenta fuerint, Auctor est Origenes Homil. 23. in Iosue. *Certum est, quòd vnusquisque Angelorum, vel hominum ex iis, quæ illis iniunguntur, officiis, & actibus nomina sortiuntur*, &c. Sed & à gemmis pulcherrimis Angeli cognominantur, apud Ezechielem *cap.* 28. *num.* 13. Ille enim Adamas vocatur, iste Sapphirus, Carbunculus est alius, alius verò Chrysolitus; reliqui è lapillis aliis appellati, quod textus notat; ac tandem addit num. 14. *Tu Cherub in medio lapidum ignitorum ambulabas*, &c. Non tamen Ruperto placuit tam pulchra Angelis nomina obtigisse, nisi victo, eiectoque Lucifero. *Beati* (inquit) *spiritus, qui in Creatoris sui dilectione manserunt, & in veritate steterunt, venerabilibus ordinibus distincti meritò, & splendidis nominibus fuere decorati*, &c. *ad* 1. *de Victoria, cap.* 17. Illud Rupertus credit, Angelos, priusquam sæuo cum Dracone pugnarent, Angelos simpliciter appellatos esse; quod Ioannes insinuat *Apocalyp. cap.* 12. *numer.* 7. vbi, *Michael, & Angeli eius*, &c. Sed pòst victoriam, pulchrè appellatos à pulchris lapillis, quasi militiæ stipendio soluto.

Isa. c. 6. n. 2. Ps. 98. n. 1.

Ad Colos. c. 1. n. 16. Zachar. c. 1. n. 12. 1. ad Thessalon. cap. 4. n. 16.

Parat sibi nomen Angelus rebus piè gestis.

Ezech. c. 28 n. 13. 14.

Lucifero latè victo nomen sortitur acies Angelica.

Vel Magnus Deus nomen abnuit, priusquam

4.

quam rebus id gestis conueniat. Condit Opifex, quidquid cœlo, ac terra clauditur; ac deinde nomen sibi capit, *Gen.* 1. vbi Moyses librum exorditur, *Creauit Deus*, &c. Molitionem rerum priùs apponit Moyses, vno verbo *creauit*, ac deinde, qui hæc fecerit, molitorem Deum supponit. *Creauit Deus*, &c. Quod expendit Theophilus Antioch. lib. 2. ad Autolyc. *Non enim fas est Deum temere, & otiosè, nullo subiecto opere, nominare*, &c. Sciebat Moyses vnde Magnus Deus nomen sibi vellet, scilicet ex labore, & opere: qui nec cognomentum capit, vti dicatur Dominus, nisi labore iam exhausto, & opere iam exacto, ad cap. 2. num. 4. *In die, quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram*, &c. Domo igitur extructa, rebúsque ad delicias vsque hominum absolutis, nouum Deus cognomentum sumit, & cognominatur Dominus è re bene gesta. Hæc Cyr. Ieroſolymit. Catech. 10. *Primum* (inquit) *factor, deinde Dominus*, &c. Venit in locum Tertullianus *lib. aduersùs Hermogen. cap.* 3. quippe qui obseruat Deum, Adamo iam condito, Dominum semel, & iterum vocitatum esse. *Vbi vniuersa perfecit, ipsúmque maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam cognominatur. Nam Deus sibi erat; rebus autem tum, & Deus, cùm & Dominus*, &c. Quasi Deus, cùm laborasset, & opus grande peregisset, Domini cognomentum meritis caperet. quo merito apud Ioannem *Apoc.* 19. *num.* 16. salutatur, *Rex Regum, & Dominus dominantium*, &c. Id tamen *habebat in vestimento suo scriptum*, &c. Sed quod nam hoc vestimentum est? num. 13. *Vestitus erat veste aspersa sanguine*, &c. Hæc Ioannes de Christo Duce præscripsit, ne quis negaret iustum Christo nomen esse, quod sibi pareret, bello confecto. Scio id Christo consilium fuisse ab ineunte infantia, vt non sine puluere, & sanguine pararet sibi nomen, Iesus appellatur apud *Lucam* 2. *num.* 21. Sed priùs cultro circunciditur, quod Bernardus obseruat Serm. 5. *Neque enim meus Iesus nomen vanum, aut inane portat; non est in eo magni nominis vmbra, sed veritas*, &c. Iam pridem id Isaias viderat, *cap.* 62. *num.* 2. cùm nomen Christo imponendum caneret, *quod os Domini nominauit*, &c. H ebraïcè, *per forauit*; est enim inibi verbum נכב *Nachab*, scilicet *perforare*. Sciebat (credo) Vates, quo meus Puer cultro cædendus, & quo homo clauo occidendus esset, vt inde appellaretur, *Iesus Nazarenus*. Hac mente Seuerus ille Alexander, Magni cognomentum deponit apud Senatores, illud ingerens, *Quid ego Magni feci*, &c. sic Lampridius.

Genes. 1. n. 1. — *Feriari Deus nescit.* — Genes. 2. c. 4. — *Deus ab Orbe iã condito Dominus.*

5. Argumentum est ingens aduersùs homines, qui è re leuiuscula grande sibi nomen volunt, humani omnino Chamæleontes vento pasti, vno tantùm nomine Leones. Audis nomen, times: offendas ad vineam, ferme sub pampino totum animalculum. Tertullianus optimè ad lib. de Pallio, cap. 3. *Ridebis illico audaciam Græcam nominis*, &c. scilicet nomen longè abs re est. Ridet Philo Caium, qui parato habitu, nunc Mercurium, nunc Iouem referebat: mirabatur populus, & ridebat, *quòd honores sibi eorum vsurparet, quorum virtutes aspernaretur, solis contentus insigniis*, &c. *ad lib. de legat. ad Caium.* Vanus omnino Caius, qui nomen sibi grande è re mentita venaretur. Nihil in Dæmoniarcho aliud ridet Salomon, *Prou. cap.* 27. *num.* 16. vbi Græcè, *Aquilo durus ventus, nomine dexter vocatur*, &c. Sed in loco Diabolum notat Sapiens, teste Hieronymo ad Sophoniam 2. *Qui tantùm nomine dexter est, cæterùm re, & opere potiùs in sinistra est*, &c. siue vt facilè decipiat, siue vt vanè glorietur, ementito cognomento.

Apoc. c. 19. n. 16. 13. — *Iustum bello confecto nomen.* — Luc. c. 2. n. 21. — *Nec Christus sibi nomen parat incruẽta victoria.* Isa. c. 62. n. 2. — *Vanum aliquando nomen vani hominis.* — Prou. cap. 27. n. 16. — *Quod non est mentitur Diabolus cognomento.*

6. Ridet Plutarchus vanum, & inde insanum Clitum, qui tribus hostium pressis nauibus, Neptunum se vocari passus est. Ridet & Dionysium, qui & videri Apollo, & dici voluit; cùm tenuem Musis daret operam, *ad 2. lib. de Alex.* Ridet & Rupertus vxorem ab Adamo Heuam, id est, vitam appellatam esse, *Gen.* 3. *n.* 20. Cùm mortem Iudex obnuntiaret, n. 19. *& in puluerem reuerteris*, &c. Ea tamen Adamo cura est de magni nominis vmbra, vt vitam appellauerit, quæ reapse mors erat. Scitè Rupertus lib. 3. cap. 26. *Nomen hoc, quod Heua est, præsumptor homo superba æstimatione adinuenit*, &c. Sic mentitur homo in nominibus imponendis, vt mortem obducat vitæ colore; vel Deo hanc notam inurit Sabellius, qui tres vno in Deo hypostases, tres tantùm voces esse voluit, reapse nihil inter se discretum dari. Sed Bernardus id Deo probrum esse probat lib. 5. ad Eugen. *Neque enim vacua nomina sunt, nec sine significantia cassæ voces: Sabellianum hoc*, &c. Nescit igitur Deus vanum sibi nomen assuere. Optimus, & Maximus est, vtpote qui optima quæque tribuat, & maxima quæque faciat: ac proinde in Deum germanè quadrat illud, *Maxime, qui tanti mensuram nominis imples*, &c. Abeant igitur humani Chamæleontes, quibus placent cognomenta, specie quidem pulchra, sed reapse vana. Fortasse hoc morbo peccat Nabuchodonosor, quem Reges alij Magnum Regem vocant. Quid tamen, si dicant alij magnum vocari hominem, vt meminerit Nabuchodonosor,

Gen. cap. 3. n. 19. 20. — *Nomen iniustè capit vanus homo.* — *Nomen à rebus iustum Deus capit.*

PARÆNET. IV.

Vrgeri nominibus homines ad rem gerendam.

1. NEmo nescit præclara nomina, præclara esse onera: quod Diadumenus inspexit, cùm Antonius salutaretur. Quare illud ad milites: *Elaborabo, ne desim nomini Antoninorum; scio enim me suscepisse nomen, cui satisfacere perdifficile est*, &c. apud Lampridium. Præcesserant Antonins cognomento Pius, deinde Philosophus, tandem Commodus: quibus Resp. deberet plurimùm. Vnde nomen sibi Antonino impositum rerum maximarum incitamentum esse putabat, ne factis nomen pollueret, ac de se audiret Satyram, *Indignus genere, & præclaro nomine tantùm Insignis*, &c. Iuuen. 8. Laudo scripsisse Chrysostomum *Hom.* 31. *ad Roman.* pulchris nominibus multam disciplinam morum inesse. *Multarum siquidem rerum monumenta sunt nomina*, &c. quasi mentem moneant, quid bono viro agendum sit. Multus ero, si velim percurrere, quid significarent nomina imposita mortalibus

Satis nominibus susceptis faciendum.

bus antiquitatis vltimæ. Ab Heua Matre Caïnum mysticè,& Abelem appellatos scio, Gen. 4. num. 1. & 2. Caïnum à radice קנה *Qana*, quæ possessionem valet, Abelem à verbo הבל *Habel*, quod vanitatem sonat; scilicet, vt filios nominibus mater admoneret, Cainum de vitæ bono, Abelem de rerum vsu. Vnde Procopius, *Dum igitur petit nomenclaturam à Dei munere, perpetuum doctrinæ argumentum filio parat*, &c. Cur Sethus Pater Enoso nomen indit à dolore? Nam אנש *Anasc, dolere est.* Gen. cap. 5. n. 29. Cur Lamechus Noethum à quiete denominat? n. 29. *siquidem* נוח *Noach quiescere est.* Mitto nomina reliqua. Pergo ad 1. Reg. cap. 1. n. 10. Cur Anna Mater Samuelem à Deo postulatum dicit? Nam שאל *Saal* postulare est: cur mater alia infantem, capta arca, Iehabodum appellat? hoc est, inglorium, cap. 4. n. 21. Nam littera *I*, א *Non*: כבוד *Chabod, gloria est.* Sed Parentes nominibus mysticis infantes adornabant pariter, & admonebant, quod notat Chrysostomus Hom. 21. in Gen. *Non solùm parentum monstratur pietas, sed & magna in pueros diligentia; & quo modo erudirent pueros, admonentes appellationibus, vt virtutem exercerent*, &c.

Gen. c. 4. n. 22. *Admonentur homines pulchris nominibus.*

Gen. cap. 5. n. 29.

1. Reg. c. 1. n. 10. c. 4. n. 21.

Parentum est infantes piè admonere.

2. Hebræos ab Hebero auo, quod habet Hieronymus *in tradit. ad Gen.* 10. August. *lib. 2. Retract. cap. 14. & lib. 16. de ciuit. cap.* 3. Lyran. aliique homines: siue ab Abramo patre transitores vocari docet Eusebius *ad lib.* 11. *de præparat. cap.* 4. Nam עבר *Ghabar, transire est.* Vnde Hebræus venit. Et patet significatus ex *Gen.* 14. num. 13. vbi textus est, *Nuntiauit Abram Hebræo*, &c. Græcè ἀπήγγειλε τῷ περάτῃ, *Nuntiauit transitori*, &c. quod probant Origen. *Hom. 19. in Num.* Chrysostom. *Hom. 85. in Gen.* Theodoret. *q. 60.* Cur verò Hebræos ab Abramo transitore appellatos velit Eusebius, patet ex loco citato: vbi Antistes, *Ipsa* (inquit) *gentis appellatione, transire à terrenis ad cælestia, & ad Creatoris cognitionem migrare admonentur*, &c. Quòd si Moyses ab aqua sumptus dicitur; vnde Princeps Thermuta infantem excepit, & Philo docet *lib.* 1. Inde Moyses admonetur, vt in aqua rem bene gerat, hostemque premat. Augustinus id putat serm. 89. de Temp. *A fluctibus nomen accepit, & Pharaonis necem quam in nomine præparauerat, in fluctibus maris inuenit*, &c. Itaque inuitatur Moyses ex nomine, ad rem in aqua bene patrandam. Quid si ad colendam iustitiam vertit Nabuchodonosor Mathaniam in Sedeciam? 4. *Reg.* 24. *num.* 17. nam regni facta potestate, *imposuit nomen illi Sedeciam*, &c. quod Hebræo sono est, Dei iustitia. Id verò, *vt proprium nomen reuocaret illi in memoriam, seruare fidem, quam iureiurando per nomen Summi Dei promittebat*, &c. Sic Cajetan. Hoc argumento Hieronymus vrget Pammachium, vt bellum cum Diabolo continenter gerat: Πάμμαχος enim *Pancratiastes* est. Modò Hieronymus ad Amos 1. *Ex interpretatione tui nominis, quodam vaticinio futurorum, omni arte pugnandi aduersùs Diabolum te bellare de[monstras]*, &c. Tanta nominibus vis est, vt homines adigat ad facta pulcherrima.

Terris peregrinatur bonus quisque.

Gen. 14. n. 13.

Abimis summa contemplatur Iustus.

Ex nomenclatura vrgetur Moyses ad rem gerendam.

4 Reg. c. 24. n. 17.

Inuitatur ad officium Princeps ex etymo nominis.

3. Vel Deus hoc stimulo excitari voluit, qui ex cognomento accenditur ad Officium Prætoris. Abimelechum Deus terret, iure in Regem dicto, ad Gen. 20. num. 3. *Morieris tu propter mulierem*, &c. Sed quo id Deus nomine? Hebraïcè, *Venit Iudex ad Abimilech*, &c. Quasi Iudex meminerit sui nominis, vt Iudicem rectè ageret: quod Caietano placet. *Aptè Iudex nominatur Deus, apparens ad iustitiam exercendam*, &c. Iudicem igitur implere cogitur, qui ex nomine vrgetur ad officium. Fortiùs credo excitatur meus Christus ex nominibus ad agendum benignè. Orbe condito, & Adamo procreato, nomen Deus aliud sibi capit, & appellatur Dominus Deus, *Gen. 2. num.* 4. Deinde manum addit vltimam adornando hortulo, *produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue*, &c. *num.* 9. quod interpretatur Sinaites de florum ornatu, & frugum penu, *lib.* 7. *Hexaëm.* & subscribit ex nomenclatura duplici moueri Deum ad benignitatem duplicandam. *Postquam nomen duplicauit opificis, conduplicauit & facta opera, non pauca in illis faciens additamenta*, &c. quasi Deus, iam cognomento Dominus otiosè nomen caperet, si quid operis non adiiceret.

Gen. cap. 20. n. 3.

& Deus, cum nomen sumit, ad iustitiam exercendam excitatur.

Gen. c. 2. n. 4. 9.

& Dominus ex nomenclatura duplici ad beneficentiam inuitatur.

4. Titulo honorario Martyres inuitant Dominum, vt rem iustè peragat. Apoc. 6. num. 10. *Vsquequò Domine, sanctus, & verus non iudicas?* &c. sic interpretor. Qui nomen tibi assuis è sanctimonia, ac iustitia, cur nomen facto ludis? Vrbana, quod patet, querimonia est, Ruperto Auctore ad lib. 4. *Pulchrè nimis compellatur nominibus istis, vt per ipsa commoueatur*, &c. quis enim sanæ mentis homo est, qui faciat contra fidem sui nominis? Vnus quidem Vigilantius execratur vigilias Christianis precibus vtiles; sed vt de hæretico ludat Hieronymus *epist.* 53. scribit ad Riparium. *Facit & hoc contra vocabulum suum, vt velit dormire Vigilantius*, &c. Non ita meus Christus. Nam Rex vocatur, apud Matth. cap. 22. num. 7. *Rex autem cùm audisset, iratus est*, &c. quasi prouocatus ex nomenclatura ad officium Prætorium: sic Hieronymus lib. 2. *Quando ad vltionem venit, homo filetur, Rex tantùm dicitur*, &c. Priùs tamen homo Rex appellatur n. 2. *Simile est homini Regi*, &c. Vbi cœna parata, inuitat homines ad epulum nuptiale num. 4. *Ecce prandium meum paraui*, &c. Hieronym. in loco scitè. *Quando inuitabat homines ad nuptias, & agebat opera clementiæ, nomen hominis appositum est*, &c. siquidem præclara nomina, præclara sunt onera.

Apoc. cap. 6. n. 10.

Deum vrgent Martyres ad vindictam ex nominibus.

Nominibus admonetur Deus in vtramque partem.

5. Nosti, cur meus Iesus hoc sibi nomen inditum voluerit? scilicet, ne frigeret ad salutem humani generis, inuitatus nomenclatura nobili; & fortasse Bartimæus captus oculis, cùm sanitatem exposceret, Iesum vrgebat ex nomine, apud Marc. cap. 10. num. 47. *Iesu fili Dauid, miserere mei*, &c. Priùs in aures Domini Iesus sonat, quàm Dauid filius, vt Iesus beneficium conferat ex officio: quam enim salutem Iesus non reddat, ad quam inuitatur nomine interposito. Lego Osuam, in Iosuam, rectè mutatum esse, Num. 13. num. 17. *Vocauitque Osee, Iosue*, &c. scilicet Præfectus aliis erat Iosue, ad terram hostilem; quod textus notat num. 18. *Misit eos Moyses ad considerandam terram*, &c. Saluator igitur nuncupatur, à radice ישׁע *Iasah*, quod est *saluare*: vnde Abulensis q. 37.

Iesum appellant miseri, vt salutem conferat.

Marc. c. 10. n. 47.

Num. c. 13. n. 17. 18.

Ideo

Ideo vocauit eum Saluatorem, quòd curam haberet de salute aliorum, &c. Id erat nominis onus, cura scilicet gentis subditæ. Non aliter Antiochus ille Soter vexillũ adornat ea voce, ὑγεία, id est, *salus*. quod habet Pier. *lib.* 47. illud insinuans, vrgeri se nomenclatura ad curam salutis alienæ. Sic & Christianus Christum vita referat, necesse est, Saluiano Auctore. *Nomen enim sine actu, & officio suo, nihil est,* &c. *ad lib.* 4. Saluiano adest Cyprianus *ad lib. de habitu Virgin.* & Christianum à Christo denominatum hæc vrget via. *Æmula ingressione nitendum est: tunc respondet ad fidem nominis sectator veritatis,* &c. Vrgent & Assyrium ad magna quæque Reges alij, vbi Magnum Regem vocant.

Nomen facti adornat bonus quisque.

Num. 3. & 4. Omnis ciuitas nostra, &c. in conspectu tuo sunt: sint omnia nostra sub lege tua.

Commentarius.

8. FOrmula hæc est, qua se Gentes dedunt in potestatem alienam more Latino, Græco, & Persico: asserunt enim se montes, agros, oues, boues, terram, aquam, diuina, humanáque omnia dedere. De Latino ritu Liuius *lib.* 1. *decad.* 1. De Græco Plautus *in Amphitr. Act.* 1. *scen.* 1. De Persico Herodot. *lib.* 4. & 5. Curt. *lib.* 3. Polyb. *lib.* 9. Auctoréque alij. Aquam enim, & terram Persa sibi poscit, cùm vrget homines ad sui deditionem: quod patet ex *c.* 2. *num.* 5. vbi Nabuchodonosor ad Holofernem Græco textu, iubeo, moneo, ἑτοίμαζειν μοὶ γῆν καὶ ὕδωρ, *parare mihi terram, & aquam,* &c. Id verò est, dedant sese mihi, & suæ fortunæ bona quæque. Sic Elephantus, Auctore Plinio, *victus vocem fugit victoris, terram, & verbenas porrigit,* &c. *lib.* 8. *cap.* 5. Non aliter gentes metu victæ dictitant.

Terram, & aquam tradunt, qui se dedunt.

Vniuersæ facultates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt.

HEbraismus est, quo se quisque tradit in ditionem, & arbitratum alienum; vt in conspectu alterius, tanquam seruus, esse dicatur: ex 1. lib. Machab. cap. 1. n. 3. *Siluit terra in conspectu eius,* &c. Ne mutire quidem ausa, Alexandro victore. fauet Isaias c. 44. n. 2. *Dabit in conspectu eius gentes,* &c. vbi Christus Patre Duce victor est. Sed Iosephum monet Pharao, vt Ægyptum subdat iure Proregio. *Terra in conspectu tuo est,* &c. *Gen.* 47. *num.* 6. Quid si & Vates Deo se adstrictos esse probant Hebraismo celebri? sic Helias 3. Reg. c. 18. n. 15. *Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto,* &c. Nec Helisæus aliter 4. *Reg.* 4. *cap.* 3. *n.* 14. Docéntque Vates, eo Hebraismo se Deo seruos esse, ac proinde explorare, quid ille iubeat; imò, quid innuat. Scitè ad rem Guarricus *serm.* 1. *de Pet. & Paulo.* Monet ille, quo affectu apud Deum, & quo aspectu simus, oportet. *Ita oculi ad Dominum Deum intentissimè, & indeclinabiliter obseruemus nutus eius, quid velit, quid iubeat, vt quàm celerrimè deuotio nostra obediat.* Sic Guarricus, & argumentum vrget more Prophetico. *Sic Helias, & Prophetæ alij, qui dicebant: Viuit Dominus, in cuius conspectu sto; inde Veloſ. in Iudith.*

1. Mach. c. 1. n. 3. Isa. c. 44. n. 1. Gen. cap. 47. n. 6. 3. Reg. c. 18. n. 15. 4. Reg. cap. 3. n. 14.

Vigilant in Dei obsequium viri boni.

nimirum, & gratiam, & nomen assecuti sunt Videntium, &c. Addit Guarricus Vates olim Videntes suo iure appellatos esse, quod patet ex 2. Reg. c. 9. n. 9. *Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns,* &c. vtpote quibus studium erat peruidere, quid significaret Dominus, faciles in obsequium. Hæret Guarrico proximè Caietanus *ad* 4. *Reg. cit.* vbi Helisæus sanctè iurat. *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto,* &c. Addit enim Caietanus, *A Magistro, & Patre Helia didicerat iurandi modum, quo se cultorem Dei intima contemplatione profitetur,* &c.

1. Reg. cap. 9. n. 9.

Sunt in Dei oculis viri boni, vt Dei virtutes inspiciant.

9. Sed obsequium est Angelicum Deo adstare, vt, quidquid annuat, oculis excipiant, & exequantur. Colligas id ex Tobiæ *c.* 12. *num.* 15. vbi Raphael, *Ego sum vnus è septem, qui adstamus ante Deum,* &c. Addit Laudunensis. *Seruire parati, quocumque missi sumus,* &c. ne desidere viderentur, si fortè sederent. Nihil interpres discernit inter assistentes, ac ministrantes Angelos, cùm assistentes aliquando ministrent; quod notat Suarez *lib.* 6. *c.* 9. & 10. Eo enim affectu adstant Angeli, vt venentur proximè Dei nutus ad obsequendum. Nec aliò spectant *septem oculi super lapidem vnum,* &c. id est, Christum, communi placito apud Zachar. *cap.* 3. *n.* 9. Angelos enim oculos esse volunt boni homines, quos & vigiles appellat Daniel *cap.* 4. *n.* 14. vtpote qui, oculis in Christum emissis, excipiant quid ille iubeat, imò adnitantur diuinare, quid innuat. Sic Lyra, *Qui semper sunt intenti ad exequendum eius mandatum,* &c. Laus est militum, qui templo colendo militabant, vt nutus obseruarent imperantis, vt obsequerentur, Bernardo Magistro ad serm. de hac re cap. 4. *Itur, & reditur ad nutum eius, qui præest,* &c. id pollicentur gentes, ac Reges, & modo loquendi vsitatissimo. *Omnes facultates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt,* &c. Addo submittere sese Assyrio, vt seruitutem pati velint tributis soluendis, quod seruiendi genus est. sic locum explico *num.* 5.

Tob. c. 12. n. 15.

Deo adstant Angeli, vt quid ille innuat, exequantur.

Zach. cap. 3. n. 9. Dan. cap. 4. n. 14.

Dei nutum venatur Angelus ad obsequium.

Nos, & filij nostri, serui tui sumus.

COnstat seruitus tributi pensitandi ex 2. Reg. 8. num. 2. *Factus est Moab Dauid seruiens sub tributo,* &c. Deinde addit textus numer. 6. *Facta est Syria Dauid seruiens sub tributo,* &c. Imò seruire simpliciter dicitur, qui tributum soluit. Rem eruit Abulensis ex *cap.* 10. *num.* 29. vbi Reges bello subacti, *Fecerunt pacem cum Israël, & serui erunt illis,* &c. Ad rem Abulens. q. 9. *Seruierunt illis in tributo,* &c. Melior Hebræo fortuna sub Rege Salomone, ad 3. Reg. cap. 9. num. 22. *De filiis Israël non constituit Salomon seruire quemquam,* &c. tributis scilicet persoluendis. quod probat Abulensis *q.* 11. satis insinuans tributarios homines, & seruos, & viles seruos esse. Opponit tamen sibi. Nónne Salomon tributis populum oneraſſe dictus est? Hæc vna erat populi querimonia apud Roboanum c. 12. n. 4. *Pater tuus durissimum iugũ imposuit nobis,* &c. Sed occurrit Abulensis. *Dicendum est, quòd Salomon in regni principio non imposuerit tam grauia tributa, sicut in senectute: nam tunc depranatũ est cor eius, contra*

10. 2. Reg. c. 8. n. 2. 6. c. 10. n. 29.

Seruit, qui tributum soluit.

3. Reg. cap. 9. n. 22. cap. 22. n. 4.

Depranati Regis est tributis grauare.

Deum,& contra populum,&c.vnde colligas neceſſe eſt,Regem Dei amantem de tributis augendis non cogitare. Addo ſubmiſiſſe ſe ſe Aſſyrio gentes,ac Reges, vtpote qui putarent

PARÆNET. V.

Placari alienos animos ſubmiſsione humili.

I. SVbmittunt caput Reges Magni: ſe, ac domeſticos Aſſyrio ſeruos eſſe fatentur. *Nos, & filij noſtri ſerui tui ſumus*, &c. Res eſt, quæ vel immanes lenit homines, flectitque ad humanitatem,ne dum animos Cæſarum nobiles,

——— *Imperiúmque Phraates*
Cæſaris accepit genibus minor,&c.

ſic Horat.lib.1.epiſt.12.Iratum enim Imperatorem flexit Parthus, cùm accideret ad Cæſaris genua. Placet in litem Tertullianus. quo magiſtro, *promerendi artificium, obſequium eſt*, &c.*ad lib.de Patient. c.*4. Iam verò, ſi Princeps modeſtè ſupplex eſt?Regem vel furore amentem lenit: & laus eſt,qua Theodoricus Traſimundum affecit largè,lib.5.epiſt.44.*Cùm enim Rex ſatisfacit,quælibet dura diſſoluit; quia ſic eſt in Principibus humilitas glorioſa,quemadmodum in mediocribus odioſa poteſt eſſe iactantia*,&c.Duco lineam hac de re.Declinauerat Iacobus fraternam iram,cùm à patre abiret ad patruum, *Gen.*28.*n.*5. ſed cùm reueniret à ſocero ad parentem,iratum adhuc fratrem malè formidat, quod Moyſes notat Gen. 32. n.11. *Valdè eum timeo*,&c.Quid igitur Iacobus,vt fratrem malè animatum flectat?c.33.n.3. *Progrediens adorauit pronus in terram ſepties*,&c.ſemel adoraſſe abundè erat: qui tamen timet infeſtum ſibi fratrem,ſubmittit ceruices, inclinatione plurima, vt vincat facilè; nec fruſtrà eſt conſilium. Nam de textu eſt fratrem in Iacobi amplexum occurriſſe, n.4. *Stringenſque collum eius,& oſculans fleuit*, &c. Victorem Iacobum laudat Abulenſis;videtur enim frater omnem ab animo offenſionem abieciſſe, qui amorem teſtatur amplexu,& oſculo.Nec miratur Abulenſis. *Maximè,quia generoſi cordis eſt, parcere humiliùs,eóſque diligere.*

Obſequio flectuntur homines.

Magna Regum laus ex ſubmiſſione.

Gen. cap.28. n.5. cap. 32. n.11.cap.33. n.3.

Magni viri eſt parcere ſubiectis.

2. A patre liberi didicere, vt Ioſephum adorarent humiles, Gen. 43.n.26. *& adorauerunt pront in terram*,&c.Nec ſemel id obſequij præſtitere;ſed iterum n. 28. *& incuruati adorauerunt eum*, &c. teſte Ruperto, *Nimis ambitiosè ſupplicantes*,&c. *lib.9.cap.*6.Cur Ioſepho caput ſubmittunt? Præſcribit Moyſes quo in metu erant homines, num. 18. *Exterriti dixerunt mutuò*, &c. Inde tanta flexis genibus modeſtia eſt, teſte Abulenſi, *Ad promerendam eius miſericordiam*, &c. Iam verò Iudas voces edit ſupplices, Beniamino capto; & cùm Proregem adit,ſermonem exorditur c.44.n.18. *Oro Domine mi,loquatur ſeruus tuus*, &c. ſubdit ſe ſe Iudas modeſtiſſimè, cùm Ioſephum alloquitur,titulo honorario;nam in metu erat,Ioſepho minante,n.15.*Cur ſic agere voluiſtis?*&c. Quare opus erat,vt placaret iratum hominem. *Captat igitur Ioſephi benevolentiam,dicens: Oro Domine mi*,&c. Hæc Lyranus,probans liquidò placari homines,ſubmiſſione hominum.

Gen. cap.43. n.26.28. cap.43.n.18. *Supplicant ambitiosè,qui ſuum aliis caput ſubmittunt.*

Submiſſio caput benignitatem irati hominis.

3. Cur non flectatur & Helias,virtutis ſeueræ cuſtos,rigidúſque ſatelles?Iuſſus Helias ſuperbè ad Ochoziam venire, negat ſemel, & iterum 4.*Reg.*1.*n.*9.Accedit Princeps militum,& ſuperbè tumens.*Homo Dei:Rex præcepit, vt deſcendas*, &c. Sed perit iſte de cœlo tactus *n.*10. Accedit Princeps alius *n.* 12.& ceruice erecta, *Homo Dei,hæc dicit Rex:Feſtina, deſcende*, &c. Sed Helias,igne euocato,Ducem perdit. Malo alieno admonitus adeſt Princeps alius, n. 13. *Qui cùm veniſſet,curuauit genua contra Heliam, & precatus eſt eum*,&c. Peractis precibus,monet Heliam Angelus.*Deſcende cum eo*,&c.*n.*15. Itaque dicto, & facto modeſtus homo ignes auertit longè.ſic Drogon.de Paſſion.*Humilitatis,ac deuotionis merito ſeruatus eſt*,&c. Prior in ſententia Theodor.*q.*4.Illud ab vtroque diſco. Modeſtè affectus homo affectum grauiter hominem lenire ſolet, imò Leonem:quod tradit Plinius *lib.*3.*c.*16.vbi ille. *Credit Libya intellectum peruenire ad eos,precum*,&c.& rem firmat exemplo: cur non ita? ſi Naſo canit,

4. Reg. c. 1. n.9.13.

Malo alieno admonetur prudens quiſque.

Pugna ſuum finem,cùm iacet hoſtis,habet,&c.

Hac via Saulem ſibi iratum Dauid aggreditur, 1.*Reg.*24.*n.*9.cùm & Dominum ſalutat.*Domine mi Rex*,&c. Et Patrem vocat ſacra nomenclatura n.12.*Pater mi, vide*,&c. Ad hæc addas, quo pacto Dauid *inclinans ſe ſe pronus in terram adorauit*?&c. Itaque & Saulem Dauid extollit, & ſe demittit. *Volebat tamen Dauid obſequiis vincere Saulis improbitatem*, &c. ſic Abulenſis *q.*17. Immane, quantum mulcent iratum hominem preces humiles,humiléſque ſubmiſſiones? Neſcit Theodericus negare Bergantino quidquid ille petat,fractus obſequio Comitis modeſtiſſimi lib. 8. epiſt.23. *Quid viro negare poſſumus qui meliora ſuis obtinere poſſet obſequiis*,&c. Certabant Princeps, & Comes; iſte officio,ille beneficio.

Audit preces Leo, & placatur. 1.Reg. c.24. n.9.12.

Vincitur officiis,& malus Princeps.

4. Cur Dauid ira motus non cedat dictis Abigaillæ,factíſque modeſtiſſimis?Ibat Dauid aduersùs Nabalem ſeptus manu militari 1. *Reg.* 25.*n.*13. ſic enim Princeps ad milites, *Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo*,&c.Sciens periculi Abigailla,domo abit,& Ducem iratum conuenit.n.24. *Adorauit ſuper terram, & cecidit ad pedes eius*,&c.Pergit vlterà mulier, & voces addit ſupplices num.25. *Ne ponat Dominus meus Rex cor ſuum*,&c. Quod ego priùs verſo, illud eſt. Cur Dauid, Saule adhuc Rege, Dominus, ac Rex appelletur?Deinde, cur ſe mulier ſubmittat ad Dauidis genua precibus infimis? *& cecidit ad pedes eius*,&c. Proculdubio,vt iratum flectat hominem:nec fruſtrà ceſſit conſilium, nam Dauid ad Abigaillam n. 35. *Vade pacificè in domum tuam*, &c. Sic Dauid mulierem & admiratur,& veneratur,vt iram deponat. Lyra in loco, *Deprecatio oſtenditur acceptabilis ex ſui humilitate*, &c. Conſtat igitur vinci homines vel iratos, obſequio humili.

1. Reg.c.25. n.13. 24.35.

Adulatur facilè qui ſibimet.

Molleſcunt humili pectora dura prece.

5. Valere hanc artem promerendi apud Deum Tertullianus Magiſter eſt *de Pœnit.c.*9.quo loco docet blãditias Deo eſſe voces humiles,humiléſque inclinationes capitis. *Exomologeſis diſciplina eſt conuerſationẽ iniungens miſericordiæ illicem*,&c. Metus ille,Deo offenſo, natus trahit hominem ad preces infimas, ad flexiones capitis,ad Chriſti genua.Ac tandem vna vincit exomologeſis.*Cùm de periculi timore Deum honoret,& in peccatorem ipſa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur*, &c. Sic Tertullianus citatus.

Deo blanditur qui ſe ſe piè ſubmittit.

Iuuat Dei iuſtitiam pœnitentia hominis. Habac. 1. n. 2. 4. 11.

tatus. Hac arte Deum ſibi placatum voluit, qui nimium ſibi fidens, apud Dominum declamitauerat, Habac. 1. num. 2. *Vſquequò Domine clamabo, & non exaudies?* &c. Queritur Vates preces à ſe factas minus valere. Deinde ſcelerum acerbitatem ab impunitate ſcelerum, & à bonitate Dei perpetua natam eſſe quodammodo, num. 4. *Propter hoc lacerata eſt lex*, &c. Voces erant, quibus ſe Vates Deum læſiſſe putauit, ac proinde tactus metu Deum aggreditur blanditiis plurimis, numer. 11. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, & ſancte meus?* &c. Quò hæc blandimenta Orationis? ſcilicet, vt Deum, quod timet, ſibi infeſtum ſupplex molliat: ſic Hieronymus, *Hæc loquitur blandientis, & pœnitentis affectu*, &c. Agnoſcit Vates in ſatisfactione humili multum ineſſe blanditiarum, vel apud Deum læſum grauiter. Agnoſcit & Pharao ſuperbè tumens aduersùs Deum. Nam fractus aduerſis, cùm mugirent tonitrua, micarent ignes. *Exod. cap. 9. num. 27.* Moyſe in aulam reuocato, *Peccaui* (inquit) *etiam nunc: Dominus iuſtus*, &c. Voces omnino humiles; ſed aqua è ſaxo eſt. Pulſatur iterum aduerſis Pharao, & locuſtis petitur, *cap. 10. num. 13.* Clamat iterum profeſſione humili num. 16. *Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos*, &c. Mentitur ne Pharao affectus humiles? Aio: ſed Lyrano teſte, *Simulat pœnitentiam, vt euadat pœnam*, &c. Tantum Pharao cogitabat de ſatisfactione humili, vt Deum grauiter læſum, ac tonantem grauiter expugnari poſſe crederet, ſubmiſſione ſimulata. Hac mente Reges Holofernem adeunt; quem vt flectant ab immanitate ad humanitatem, obſequio ſe ſe humili deiiciunt, *Nos, & filij noſtri, ſerui tui ſumus*, &c.

Deo blandimenta ſunt lamenta hominis.

Exod. cap. 9. n. 27. cap. 10. n. 16.

An placatur Deus ficta pœnitentia.

Num. 6. **Veni nobis pacificus Dominus, & vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit tibi.**

Commentarius.

XI. ADmittunt gentes, quod vis minatur; ſed oſtendunt, loquendi modo, Reges plerumque agere voluntate duce, non ratione magiſtra. *Vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit tibi*, &c. Licet in aula, quodlibet Regum voluntas, imò voluptas, pro lege eſt.

Hoc volo, ſic iubeo; ſit pro ratione voluntas. Clamat Nero, & carpit Iuuenalis *Satyra 6.* Carpit & Hebræus Princeps Reges alios, quos appellat voluntarios, Pſ. 145. n. 2. *Nolite confidere in Principibus*, &c. Hebraicè נדיבים *Nedibim*, hoc eſt, *voluntarij*, à verbo נדב *Nadab.* quod eſt offerre ex voluntate. Sic Reges à voluntate cognominantur, vt quidquid libet, licere ſibi credant, teſte Genebrardo, *Quòd ſuo viuant arbitrio*, &c. Cur non & bella gerant libito? etſi non liceant iure æquo. Dolet id Dauid, malúmque deprecatur Pſal. 67. n. 31. *Diſſipa gentes, quæ bella volunt*, &c. Itane pro belli iure voluntas Regum eſt? Quos *n.* 33. Dauid vrget. *Regna terræ cantate Deo*, &c. id ego puto. Nec immeritò irritatur Dauid aduersùs Reges, qui non curant, vtrùm iure bellum fiat, an iniuria. *Bella enim Principes gerere debent ex neceſſitate, non ex voluntate*, &c. Quod notat Salmeron *tom. 10. tract. 47.* Hoſce Reges malè voluntarios dixiſſe putes, Sapient. 2. *n.* 11. *Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ*, &c. Ac ſi velint, quod volumus, & quod poſſumus, id iuſtum eſto: tam poteſtas, quàm voluntas, pro legibus valeant. Quod à regni iure condito natum eſſe tradit Iuſtinus lib. 1. *Arbitria Principum pro legibus erant*, &c. Inde clamant gentes vitæ apud Holofernem. Tuus nobis nutus verè numen erit. *Vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit tibi*, &c. Græcè verbum eſt ἀρέσκω. Vnde ἀρεστὸν, *ſenatuſconſultum*: quaſi Reges voluntatis ſuæ placitum iuris formam haberi velint; ſed adſtruunt alij,

Pſ. 145. n. 2. Reges voluntarij, quod ſuo viuant arbitrio.

Pſ. 67. n. 31. 33.

Veloſ. in Iudith.

Neceſſitas, non voluntas bellum moueat.

Sapient. c. 2. n. 11.

Voluntas, nedum voluptas regum leges condit.

PARÆNET. VI.

Regis voluntatem abſurdam regno legem eſſe.

I. ERratum commune Regum eſt, regnum libito adminiſtrare; quod libet, non quod licet, pro lege velle, & obtrudere, in mandandis honoribus, ac detrahendis. Decernunt id Senatores Senatu Perſico, inueniſſe ſe legem, qua liceret Cambyſen facere, quidquid lubet: apud Herodot. *lib. 2.* Itane boni Senatores, pro lege voluptas erit ſororis ducēdæ in vxorem? Sed Cambyſæ voluptas lex noua eſt, communi Regum licentia. Nouit Regem intus, & in cute qui monebat, Daniel. c. 5. n. 19. *Quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat*, &c. ſic Nabuchodoſor, *Non iuſto id hominum iudicio faciens*, &c. Quod Theodoretus obſeruat *Orat. 5.* Quid enim iuſtè faciat, qui facit libito, in vtramque fortunæ paginam, vbi vna pro Senatuſconſulto voluntas eſt, & pro delectu affectus? vel cùm Princeps ex bono, & æquo honorat hominem, vna tantùm voluntas egiſſe dicitur. Amano mandat Aſſuerus vti Mardochæum equo vectum præeat, illud clamitans, *Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare*, &c. *Eſther 6. n. 9.* Æquum erat, vt Aſſuerus Mardochæum laudibus afficeret, & honoribus, quippe qui Regem ab nece ferenda extraxerat; & conſtat ex *n.* 2. Aſſuerus tamen, cùm Princeps eſſet, mera ſe voluntate ductum eſſe docet ad Mardochæum honorandum: quaſi maior eſſet Regis dignitas ex libito, quàm ex æquo agere.

Lex populi eſt regum lubentia.

Dan. cap. 5. n. 19.

Non iuſtè facit, qui, quod libet, facit.

Eſther c. 6. n. 9.

Maieſtatem Princeps ex libito potius, quàm ex licito metitur.

2. Quæris, cur Pharao Pincernam, & Piſtorem aulæ Principes in neruũ truſerit? Gen. 40. n. 1. De textu eſt, *Accidit, vt peccarent*, &c. Sed quid peccauerint, non conſtat: nihilominus ferunt ſordes carceris. Iratúſque Pharao miſit eos in carcerem, &c. Illud expendo, nullam iuriſdicundi formam ſeruatam eſſe. Vbi teſtes? vbi iudices? vbi legum ſcita? vbi probationes ſcelerum? Sed Regis voluntas, iuris poteſtas eſt. Vnde Ambroſius vires cogit, vt aulicos moneat de ſua, leuíque fortuna, ad lib. de Ioſepho, cap. 6. *Exemplo cæteris eſſe debent, quòd in Regia voluntate ſpes omnis ſit, quibus leuis offenſa ſummum ſit periculum*, &c. Deinde noto abſolui Pincernam *c. 41. num. 21.* damnari Piſtorem à Pharaone. *Reſtituítque alterum in locum ſuum, alterum ſuſpendit in patibulo*, &c. Nec de iure

Gen. cap. 40. n. 1.

Regis ira nullam ſeruat iuris formam.

Gen. 41. n. 13.

fermo est, nec de iudicum placitis, vt reus vterque aliam, aliámque sortem pertulerint. Sed Oleastrius, *Varia* (inquit) *& iniusta res est animus Principis, vt pro re minima hominem summè euehat, & pro nihilo deprimat*, &c. Sic Regum voluntas, legum potestas est. Quid pro iure inducit Princeps Herodias, vt Herodes Ioannem decollari iubeat, inter adipales epulas? Marc. cap. 6. num. 25. *Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis*, &c. Hæc iuris vis est? Hæc legum potestas? Hæc vna est ratio ferendæ sententiæ: Volo. Cur nullam petitionis causam afferat, benè docet Chrysostomus, *Quippe nulla afferri poterat*, &c. *Hom.* 49. Vbi Regum voluntas dominatur, hæc interim lex est: vbi voluptas obtinet, hoc omnino ius est.

Regum voluntas legum potestas.

Mar. 6. n. 25.

Ad voluntatem Princeps prouocat, vbi nulla est iustitia.

3.

Quàm pertinax suæ voluntatis custos est Dauid? Ille vita sanctus homo? Ille sacris Musis deditus? Ille Deo laudatus egregiè? Ioabo mandat, & Tribunis militum aliis 2. Reg. cap. 24. num. 2. *Numerate populum*, &c. Peccasse Regem mandato, constat ex loco, & planum fit ex 1. *Paralipom. cap. 21. num. 1.* vbi textus addit, Regem à Satana deceptum, & commotum esse. Quid tamen Dauid peccauerit, sub lite adhuc est. Restitat Ioabus, ne imperata fiant, num. 3. *Quid sibi Dominus Rex vult in re huiusce modi?* &c. Bonus omnino aulicus, teste Abulensi q. 10. Qui, ne Princeps labatur, magistra voluntate, strenuè restitat. *Vidit Ioabus voluntatem Regis esse inclinatam ad aliquid agendum, quod erat penitus sine ratione, ideo timuit quòd incitasset eum Diabolus*, &c. Nihil mali est, quòd regno Ioabus non timeat ab importuna Regis voluntate. Sed nihil mouetur Dauid, etsi Ioabus pendat momenta rationum. Perstat Dauid sua in hæresi, nec se vinci passus est. Sic textus num. 4. *Obtinuit sermo Regis*, &c. Cur non cedit Princeps Dauid monitis optimis? Sed Caietano Auctore, *Renuit consilium deliberatus animus*, &c. Videó, quò Regem trahit cæca voluntas, ac sui impotens: non cedit Princeps bonis viris, non cedit consiliis optimis; non cedit sacris sanctionibus, vtpote voluntarius homo. quò Reges volunt eò leges abeunt.

2. Reg. c. 24. n. 2. 4.

1. Paralip. c. 21. n. 1.

Regem admonet bonus aulicus.

Regum voluntas Dæmonum voluptas, si mala.

Non admittit consultorem malè affectus Princeps.

Suspecta Deo hæc Regum voluntas erat, cùm mandaret, vt Regibus initiatis Deuteronomium in manus traderetur. Seruatus Ioaso inaugurato ritus est 2. Paralip. cap. 23. n. 11. *Imposuerunt illi diadema, & testimonium, & dederunt in manu eius tenendam legem*, &c. Putat Lyranus ritum solennem fuisse, vt Hebræus Princeps vno, eodémque die, & sceptrum caperet, & breuiarium legis Mosaicæ, *vt illius nunquam obliuiscetur*, &c. quod habet Antistes Clarius. Metus enim Deo erat, ne Princeps regno administrando occupatus, frigeret ad studium legum sanctissimarum: sed quid prodest meminisse? ad meam litem Laudunensis. *Ne ad voluntatem suam faciat*, &c. Facilè erat abuti Regem potestate Regia, si libito potius, quàm iure ageret; legem igitur manu Princeps capit, vt frænum voluntas excipiat. Sciebat enim Deus, quod Seneca 1. de Ira, cap. 9. *Affectus, tam malos rerum ministros, quàm Duces esse*, &c. Quid si vel Sacerdotum Princeps hoc fræno egeat? Aaronem

2. Paralip. c. 23. n. 11.

Legum Rex obliuiscitur facilè.

Suspecta Deo Regum voluntas.

adornat Moyses sacra supellectile: inter vestes palliolum est, *Rationale scilicet iudicij*, &c. pectúsque tegit, *Exod.* 28. *num.* 30. In palliolo, & rationali iudicij, inscriptam gemmis ostentat Pontifex *Doctrinam, & Veritatem*, &c. Non vtique voluntatem, ne rationes rerum turbarentur. Mira omnino consensio Doctrinæ, ac Veritatis, cum rationali iudicij est. scilicet, ne Pontifex, vbi iudex est, voluntate præceps abeat, sed ratione ducatur. *Quæ* (Arnoldo Auctore) *ad diuini iudicij regulam quadrare debet, quæcumque vel doceat, vel agat, vel statuat, vel corrigat*, &c. *ad tract. de septem verbis.* In metu Deus erat, ne Pontifex, vtpote Sacerdotum Princeps, libito ageret, in Leuitis erigendis, ac deprimendis; pectus obarmat Principis rationali iudicio, vt, quod vrget ratio, lex sit, & quod monet veritas, doctrina sit; non, quod voluntas suggerit, vel ira aggerit. *Significans ea nota, iracundiæ motus rationis iudicio cohibendos esse*, &c. Hæc Nilus *in Ascetico.* Quantum à voluntate Principis, vel augusti periculum est?

Exod. c. 28. n. 30.

Perit iustitia, vbi voluntas obtinet.

Teneri affectus iudicio oportet.

Inde est, quòd mensuram Christus cum virga tradit, vbi sacrum inungit Principem. Sed, *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens?* &c. apud *Luc.* 12. *num.* 42. Vnus omnino homo, & quidem lucerna quærendus, nec plurimis ea virtus; vnde hæc Magistro disquisitio: *Quis putas est?* &c. quasi dubitantis querimonia est. *Vt quod rarius est, pluris esse ostendat*, &c. sic Chrysostomus *Homil.* 78. &c. Et quodnam Pontifex gerit officium? *Vt det illis tritici mensuram*, &c. Quid si virgam Christus innuat, cùm mensuram explicat? Nihil aberres à vero, si id cogites. Sed virga, iure merito, mensura est, Caietano teste. *Debent enim Præpositi doctrinam, correctionem, curámque adhibere iuxta proportionem subditorum*, &c. scilicet, vt ex vi rationis rem gerat, non ex placito voluntatis, cùm docet, cùm damnat, cùm donat. Notus hac via Chaldæus est, vel ira amens: nam reos conuenit, vt iustè peragat. Accusantur boni iuuenes apud Regem de læsa maiestate, Dan. 3. n. 13. *Viri isti contempserunt imperium tuum*, &c. Sed Nabuchodonosor, ira tumens, non punit lictore misso. Reos accersit n. 14. *Pronuntiánsque Nabuchodonosor ait: Veréne Sidrach, Misach, & Abdenago*, &c. Forma est iuris dicundi, (Lyrano teste,) neque enim faciles delatoribus aures dedit, nec potestate abuti voluit; sed ex lege agere Nabuchodonosor. Prior hac de re Augustinus *ad 2. lib. de mirab. c. 3.* Bene, si perstaret in affectu.

4.

Luc. cap. 11. n. 42.

Rara auis in terris bonus Pontifex.

Mensura, quidquid agit agat bonus Pontifex ac Princeps.

Dan. cap. 3. n. 13. 14.

Felices omnino Reges forent, si à Dario discerent quo iure mandatent honores. Regnum Medus constituit, Principes sufficit rebus administrandis, apud Dan. 6. n. 2. *è quibus Daniel vnus erat*, &c. Magna Hebræo, & extraneo fortuna, vt Medis præfectus Satrapis regnũ administraret. Sed addit textus, n. 3. *Igitur Daniel superabat omnes Principes, & Satrapas*, &c. Quò hæc pertinet Danielis commẽdatio? quod patet ex *c. 5. n. 11.* Puto ego, vt fidem faceret liquidò Regẽ non effectu, sed iure honores extraneo detulisse. Nec censet aliter Pelusiotes *lib. 3. epist. 156.* Laudãt vel aulici Danielem, vti

5.

Dan. cap. 6. n. 2. 3.

Honores mãdari oportet, non affectu, ſed iuſto delectu.

vti rerum ſcientem hominem, cùm honoratur à Medo. *Quo videlicet non ab Imperatoris ſententia, quæ plerumque à vero, & recto aberret; ſed à rerum veritate, coronam ipſi nectant*, &c. Non labitur affectu Medus, cùm Danielem collocat Summo in loco; ſed honores mandat Princeps meritis penſatis. Nec Deus Maximus punit hominem iuris forma neglecta. Conſultus de reo mulctando, teſtes laudari iubet, ſcelus probari, cauſam verſari, ac tandem puniri hominem reum ſceleris. Habes formulam iuris dicundi *ad Leuit. 24. num. 14.* vbi ad Moyſem Deus, *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus*, &c. Blaſphemia, quod patet, iniuria in Deum priuata eſt: ac proinde cauſam Deus committit hominibus, qui teſtes ducant, & ſcelus probent. Id verò Saluianus optimè lib. 1. *vt damnare videretur reum iuſtitia, non poteſtas*, &c. Monitos hoc facto Reges Deus voluit, ne trahi ſe affectu paterentur ad vltionem priuatæ iniuriæ; ſinerent rationem valere, non voluntatem; agerent ex lege, non ex arbitrio. quæ Theodoſio, ac Valentiniano laus eſt, in l. digna vox. C. de legib. *Digna vox maieſtate regnantis eſt, legibus obligatum ſe Principem profiteri: adeò de auctoritate iuris pendet noſtra auctoritas; & re vera maius imperio eſt ſubmittere legibus Principatum*, &c. Hæc ſi Holofernes ſectaretur, non dicerent gentes, ac Reges: *Vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit tibi*, &c. Abiecit animo Barbarus, quidquid rectè monet Theodericus apud Caſſiodor. *lib. 9. edict. 18.* vbi Princeps: *Summis* (inquit) *Principibus iuris communione viuendum eſt*, &c.

Leuit. c. 24. n. 14.

Iuſtè damnat Princeps, qui poteſtate non abutitur.

Magnus eſt Princeps, qui legem à ſe latam ſeruat.

Num. 7. Tunc deſcendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitantem terram.

Commentarius.

12. NOn prius Holofernes in agros exſcendit, quàm duratos, imò efferatos ſolo, & cælo milites cogat in aciem. De iugis montium Fabius ille cunctator aliquando in Annibalem detonuit, quod hoſtis ſentit, & dolet. *Eam ſcilicet nubem, quæ ſederat in iugis montium, ſolicitatam procella imbrem dediſſe*, &c. apud Liu. *lib. 2. decad. 3.* Non alius à Fabio Holofernes, vi collecta montes deſerit, vt tempeſtas in vrbes graſſata, peruadat terram vniuerſam, ad mare vſque. *Et obtinuit omnem ciuitatem*, &c. Græcè vox eſt φυλάσσω, quod eſt *cuſtodire, excubare.* Vnde eruas ſtationes ibi militares eſſe, ne vrbes iugum excutiant, Holoferne longè amoto: deinde perſtare in loco præſidionarios milites tributis colligendis. Faciunt id Magni Duces ex diſciplina militari, & res nota profanis literis: illud è ſacro textu eſt 3. Reg. 8. num. 1. *Poſuit Dauid præſidium in Syria*, &c quo id conſilio Dauid ſtatuerit, facilè textus oſtendit. *Factaque eſt Syria Dauid ſeruiens ſub tributo*, &c. quod Abulenſis aduertit *q. 11.* Premo argumentum ex num. 14. *Poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuítque præſidium*, &c. He- *Veloſ. in Iudith.*

Cœlo, & ſolo durantur homines.

Vrbem premit tributo miles præſidiarius.

3. Reg. c. 8. n. 1. 14.

braicè, *Poſuit œconomos*, &c. addit Abulenſis: *Ad colligenda tributa*, &c. *q. 16.* Video milites frænandis hoſtibus impoſitos eſſe, additóſque exactores tributis cogendis, vtrumque dicas frænum gentis domitæ. quod Philiſthæus Hebræo iniectum voluit. Hæc illa eſt ſtatio Philiſthæo munita; quam tamen confecit Ionathas ſtrage magna, ad 1. Reg. cap. 14. num. 1. Nec ingenio alio arces Barbaris conditæ; ſed, teſte Curtio, *veluti fræni domitarum gentium*, &c. *lib. 7.* Quid verò tributum? Hoc illud frænum eſt, de quo textus 2. Reg. cap. 8. num. 1. *Tulit Dauid frænum tributi de manu Philiſthiim*, &c. Et ſcitè Dauid tributum vocat frænum, Lyrano Auctore, *Nam frænum eſt, quo tenetur equus; eodémque modo tributum eſt, quo tenetur populus*, &c. Sed quò progreſſus Holofernes eſt? Ex Græco textu id habeo. καταβὰς ἐπὶ τὴν παραλίαν, *deſcendit in regionem maritimam*, &c. Itaque progreſſum vlteriorem inhibuit ora maritima.

Durum populis domitis frænum eſt tributum.

1. Reg. c. 14. n. 1.

2. Reg. c. 8. n. 1.

Longè, ac latè progreditur auaritia.

Num. 8. De vniuerſis autem vrbibus aſſumpſit ſibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum.

Commentarius.

13. LOcus eſt de militari delectu; eſt enim Ducis optimi milites deligere curioſè, cùm non faciant ad bellum qualeſcumque homines. Præit Romanus hac de re Magiſter, quod tradit Seneca epiſt. 44. *Caſtra, quos ad laborem, & periculum recipiunt, faſtidioſè legunt*, &c. Dotes verò militares ab ætate ſunt, & genere. Vide Lipſium *lib. 1. Dial. 2. de Rom. milit.* Miror, quo faſtidio ſeruos à militia ablegauerint Duces Magni. Lege Plutarchum *in Mario*, Liuium *lib. 22. & 23. dec. 3.* Florum *lib. 2. c. 6.* vbi ille, *Iuuentus deerat: in Sacramentum militiæ liberata ſeruitia*, &c. Suetonium addo *in Auguſto cap. 25.* Putat Cerda *ad lib. 9.* Romanum à Græcis didiciſſe, ne ſeruus militaret. Aliter Parthus, ſi quid Iuſtino credis, lib. 41. *Exercitum, non vt aliæ gentes liberorum, ſed maiorem partem ſeruorum habent: hos pari cura, ac liberos habent; & equitare, & ſagittare magna induſtria docent*, &c. ſed Mæonius ingenuos tantùm cogit milites. Vnus eſt Helenor à ſerua natus, ac deinde miles; ſed corrupto more, ad lib. 9.

Pugnãt malè ſeruitia.

——— *Quem ſerua Lycinnia furtim*
Suſtulerat, vetitiſque ad Troiam miſerat armis, &c.

Ac ſi cautum foret lege Aſiatica, ne ſeruus ſtipendia faceret. De Chaldæo illud textus habet, Nahum 2. num. 3. *Clypeus fortium ignitus: viri exercitus in coccinis*, &c. Pulchrè obarmatos milites laudat Vates, & inde probat nobiles, quod è Græco textu eruas. Vbi Vates, *Arma* (inquit) *principatus eius*, &c. ὅπλα δυνατείας αὐτῦ: quaſi delectus bello miles non eſſet, niſi è domo nobili. Hoſce homines puto delectos ab Holoferne in ſupplementum militum: quos ex data opera vocat auxiliarios, ex vi maſcula, viros fortes; ex arte militari, aptos ad bellum. Hoc delectu Hebræus pugnat ſtrenuè. de quo textus 1. Reg. 14. num. 52. *Quemcumque viderat Saul aptum ad prælium*,

Nah. c. 2. n. 3.

Pugnas bene iuuentus nobilior.

1. Reg. c. 14. n. 52.

sociabat eum sibi, &c. Hebraismo solenni, בן חיל *Ben Chaiil. Filium militiæ*,&c. hoc est,aptum, natúmque bello vrgendo iuuenem. Cur non ita? si bellum Hebræus continenter cum Philisthæo gerebat. Opus scilicet erat, vt milites seligeret,non seruos,sed iuuenes pudoris ingenui;qui è domo nobili excitarentur ad fidem seruandam, ad virtutem exercendam. id enim Holofernes suo probat delectu, scilicet, am à paterna domo commendatum esse, cùm Leones,siue Duces interfecisset, de quibus *ad 2.Reg.c.23.n.20.& 22.* ibi textus. *Banaias* (inquit)*filius Ioiadæ,viri fortissimi*, &c. quod & re bene gesta, textus repetit n.23. *Hæc fecit Banaias filius Ioiadæ*,&c.Putat igitur Abulẽsis Banaiam à patre strenuo strenuũ euasisse,q.26.& placet,cùm doceat Romana Lyra lib.4.Ode 4. *Est in iuuencis,est in equis patrum vigor*,&c. Sed è Græco textu elicio, Ioiadæ virtutem facere ad pacis potius,quàm ad belli præfecturam. Nam, pro viro fortissimo, ἀνὴρ est; Dynastes verò ad ciuiles spectat honores; quare insinuat Græcus textus Banaiam patre nobili genitum strenuè egisse. Quàm magna Christo virtus in Cruce ferenda,ac perferenda,adextremum vsque vitæ halitum?Sed audit titulo apposito,apud Luc.23.num.38. *Hic est Rex Iudæorum*, &c. Quare, licèt tentatus promissis ămplissimis, vt Crucem deseret, *Si Rex Israël est, descendat de Cruce, & credimus*, &c. apud *Matth.27.n.42.* perstat adhuc,ne dissideat à titulo honorario.Quæ enim argumenti vis hæc,*Si Rex Israël est,descendat nunc de cruce:imò quia Rex Israël est,regni titulum non deserat,imperij virgam nõ deponat*,&c.sic Bernard. *serm.1. de Pascha.* Nec cùm id Iudæus vellet, passus est Christus regni titulum à Cruce tolli;quod enim Pilatus scripsit,scripsit:vt titulo honorario vrgeretur quodammodo ad rem peragendam.Quo,puto, consilio Holofernes milites sibi cogit. *Electos ad bellum*, &c. non homines seruitutis infimæ, ne ad ignauiam miserè deficiant.

2. Reg.c.23. n.20.22.

Patrem strenuum refert strenuus bello filius.

Luc. cap.23. n.38.

Matth.c.27. n.42.

& Christus nomenclatura nobili vrgetur quodammodo ad virtutem.

PARÆNET. VII.

Milites nobiles, & manu,& fide præstare.

1. EX delectu militum insinuat Holofernes, militem haud ignobilem rebus strenuè gerendis natum esse, quem scilicet pudet in loco etiam dubio turpiter agere,fuga capta, fide fracta. Ab auo nobili, & auunculo strenuo hausit Ascanius vires militares,apud Maron.lib.3.

Ecquid in antiquam virtutẽ,animósque viriles,
Et pater Anchises,& auunculus excitet Hector,&c.

Sic & milites reliqui. Laudo ego militem à virtute,& fide: quales dotes à parente haurit. Quid virtutis masculæ à parente nobili miles non habeat? Parat Moyses homines, qui Palæstinam adeant,causa prouinciæ explorandæ. Est de textu missos fuisse *viros ex Principibus*, &c. *Num.cap.13. num.3.* Cur id à Deo iussum, docet Abulensis quæst. 14. *Quia isti exploratores aggrediebantur aliquid dubium, non auderet quilibet; ideo mitti debuerunt tales, qui auderent: & hoc magis credebatur de Principibus, quàm de aliis*,&c. Illud Moyses insinuat,viros nobiles,natura duce, vrgeri ad magnos ausus. Multa Iosepho Arimathæo virtus est, qui à Pilato Christi corpus repetit, cùm Iudæus fureret, ac sæuiret in Dominum. Sed Iosephus Marc. 15. num.43. *Audacter introiuit ad Pilatum*, &c. Nullus Iosepho metus est; nec à Magistro deficit in tanta rerum iniuria: Pilatum conuenit,fide in Christum probata.*Venit Ioseph nobilis Decurio*, &c. Græcè βουλευτὴς,*Senator,consiliarius*,&c.Vel,si mauis, Decurio,ex Deut.1.num.15. Decanis est, Græcè δεκάρχης, satisque patet δεκαρχίαν,præfecturam esse decemuiralem: quod notat Lorin.in loco.Tantus igitur Senator non potuit non animo promptus esse. Id Victor Antioch.docet.*Præclarum facinus ausus est:neque enim ignotus, aut obscurus erat,sed vnus è Senatoribus*,&c.Ab honore igitur domestico putat Victor generositatem Iosepho innatam esse, vt audacter introiret ad Pilatum.

Num.cap.13. n.3. *Virtutem acuit nobilitas.*

Mar. cap.15. 43.

Difficillima quæque aggreditur nobilitas.

2. Quod & Hieronymus docet de Ionathano Duce, *ad 2. Reg. cap. 21. num. 21.* Laudat inibi textus strenuum Gigantæa proteruitate hominem; sed & Ionathanum laudat. *Percussit eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid*, &c. Genus à patre,& Rege patruo laudat militis,à quo hostem docet interfectum esse: vt sciret, vnde tanta Ionathano virtus esset. Sic Hieronym.in tradition.ad 1.Paralip. cap.20. *Idcirco his nomen patris ponitur, quia inter prælatores numeratur*,&c. Ac si textus vellet vrgeri militem à genere nobili ad facinus militare. Firmo rem ex Banaia. Notat Abulensis Banai-

2.Reg. c.21. n.21. *Virtutem à patre, patruoque nobili miles haurit.*

3. Frangitur animo seruus miles, si fames vrget,dolet,ac luget, etsi barba promissa. Quoties Hebræus Ægypto natus soluitur in lachrymas?Num.11.n.4. *Flagrauit desiderio carnium sedens,ac flens*,&c. Deinde sciens hostes Philisthæos esse barbaræ feritatis, c.14. n.10. *Vociferans omnis turba fleuit*,&c.Cur gens Hebræa lessum facit difficultate rerum obiecta? Seruus Ægypto Hebræus erat, nihil grande, ac virile cogitabat.Sic Abulensis q.1.ad c. 14. *Nec diffiteri possumus, Iudæos illos valdè seruilis cordis esse, & nimiæ pusillanimitatis: nunquam enim in virilem animositatem eruperunt; adeò ad quæcumque ostentata mala solo timore concussi muliebriter lachrymas fundebant*,&c. tantã Hebræus animo ignauiam concepit à labore seruili. Addo Hebræos penè omnes,qui Ægypto excesserant, vastis Arabiæ locis periisse, Deo minante ad Num.c.14.n.29. *Omnes,qui numerati estis,à viginti annis,& suprà, & murmurastis contra me,non intrabitis terram*,&c.*Deut.1.n.35. Ps.94.n.10.* quod & Paulus notat *ad Hebr.4. n.3.*Non adduco Chrys. *in Ps.43.*qui rem bellè tangit,sed longè à meo scopo.Satis mihi facit Abul.*quæst.citata*,qui exclusos à terra promissa Hebræos putat,vtpote inepto bello gerendo,cùm serui seruis adhuc parentibus nati, & educati essent,ac proinde parum haberent virilis animi. *Quia omnes in seruitute Ægyptiaca enutriti fuerant:serui autem nunquam audent*, &c.Vel scutica Hebræus fugaretur, si Chananæus id tentaret; qua Scithæ seruos fugarunt, apud Iustin.*lib.2.* & armatos benè seruos. Vnde Claudianus lib.1.in Eutrop.

Num. cap.11. n.4. cap.14.n.10.

Luget seruus difficultate oppositã.

Num. c. 14. n.29. Deut. cap. 1. n.35. Ps.94. n.10.

Animum deprimit seruitus.

Armatam ostensis aciem fudere flagellis, &c.

Nascun

Naſcuntur igitur Hebræo nepotes libertatis ingenuæ, quos liberè educatos ducit Ioſue, ad rem bene gerendam, ac ſtrenuè. *In quo animoſitatem receperunt, ſicut gentes cæteræ, quæ in libertate naſcuntur*, &c. ſic Abulenſis *loco citato*, Seruos igitur ab ingenuis ſecludit Holofernes, militéſque nobiles, vti *electos ad bellum*, &c. ducit Princeps, qui nec ab acie turpiter fugiant, nec à fide malè deficiant.

Generoſitas ab animo ingenuo.

4. Quis à ſeruo, aut vili ingenio pacti fidem impetrat facilè? Hominem Dauid in agro offendit, quo duce Amalecitam aggreditur, hoſtémque modis confecit miſeris, ad 1. Reg. cap. 30. num. 17. *Non remanſit ex eis quiſquam*, &c. Sed quis nam iſte homo eſt, qui, Domino prodito, cladem parat? Ille de ſe, & ſua fortuna, num. 13. *Puer Ægyptius ego ſum, & ſeruus viri Amalecitæ*, &c. A ſeruo igitur cladem accepit dominus: ſed quid à ſeruo feras aliud, quàm perfidiam? Id ſeruo eſt vitium à natura. Noto ego Ieroboamum ſemel, & iterum appellari ſeruum, cùm deficeret à Salomone ſemel, ad 3. Reg. cap. 11. num. 26. *Ieroboam ſeruus Salomonis, leuauit manum ſuam contra Regem*, &c. Et iterum 2. Paralip. cap. 13. num. 6. *Surrexit Ieroboam ſeruus Salomonis, & rebellauit contra dominum ſuum*, &c. Quò pertinet commemoratio pertinax ſeruitutis ingeſtæ? niſi, vt ſcias à ſeruili ingenio defectionem prodire; ideo Ieroboamum vocari ſeruum, ne mireris fidem à ſeruo fractam eſſe.

1. Reg. c. 30. n. 17 13.

Fidem ſeruus non ſeruat.

3. Reg. c. 11. c. 26.

2. Paral. c. 13. n. 6.

● 5. Vilis omnino homo eſt, qui à Chriſto ad hoſtes deficit, Iudas proditor, fide violata. Proditionem Chriſtus explicat, ſed proditorem tegit, apud Marc. 14. num. 18. *Vnus ex vobis tradet me*, &c. Demirantur Apoſtoli, indignantur, digladiantur de honore primario: quod Lucas notat c. 22. num. 24. *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior*, &c. Inepta, quod patet, diſputatio de honore, cùm Magiſter de ſua Cruce agat. Eò tamen deuenere Apoſtoli, cùm ſcelus prodendi Magiſtri à ſe truderent. Quaſi ſuum quiſque genus, fide in Chriſtum probata, vellet probare. Sic Theophylactus. *Inciderunt in hanc litem: quia veroſimile eſt, quòd inter ſe dixerint, vnus alteri: Tu ne proditor? & inde eò peruenerunt, vt dicerent: Ego ſum melior, & ego maior*, &c. Itaque probat quiſque ſuam fidem, cùm ſe honeſtiori loco natum probat. Quare nec Deus cum vili grege hominum pactum init. Pactum cum Abrahamo, familiaque ingenua Deus ferit, de fide religionis aſſerendæ. Gen. 17. num. 9. *Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo cuſtodies pactum meum*, &c. Et quaſi Iſmahelem à pacto excluderet, addit n. 21. *Pactum meum ſtatuam ad Iſaac*, &c. Cur nullum cum Iſmahele pactum Deus celebrat? Iam tunc leuem damnabat fidem gentis Arabicæ, quippe quæ ab ancilla Ægyptiaca genus traheret. Sic Oleaſtrius. *Quoniam fily ancillarum matrem referre ſolent, & matris potius, quàm patris mores ſequuntur*, &c. Quid à ſeruo ſperes bonæ mentis, ac ſanæ fidei? Qui vel obolo ad hoſtes perfugit; à Domino, à Deo turpiter deficit.

Luc. cap. 22. n. 24.

Prodit Magiſtrum vilior diſcipulus.

Fidem probat nobilitas.

Gen. c. 17. n. 9. 21.

Vana fides gentis Arabicæ à matre ancillæ.

6. Quales homines Ieroboamo ſeruiere in vitulis conſecrandis? Quales Princeps Sacerdotes delegit mactandis gregibus? Selegit homines de extrema plebecula. Nec id textus ſilet, 3. Reg. 12. num. 31. *Fecit fana, & Sacerdotes de extremis populi*, &c. Cur non de Senatu nobili? Sciebat certò Ieroboamus, quò ſe proiiciant viles homines ſpe lucelli obiecta. A Deo ad vanos Deos transfugiunt proditores fidei. Sic Rupertus ad Hoſeam cap. 4. *Vt quanto fuerant extremi, tanto magis auidi ad colendum mendacium, populumque decipiendum ſe ſe accingerent*, &c. Quid enim à vili grege, niſi perfidiam timeas? Non ita, qui à domo nobili genus cenſet. Poteſt Adamus argumento eſſe, qui ſemel, & iterum appellatur Dei imago, à quo vti à parente genus duxerit, Gen. 1. n. 27. *Ad imaginem Dei creauit illum*, &c. Textus iterum, cap. 5. num. 1. *Ad ſimilitudinem Dei fecit illum*, &c. Eò ſpectat hæc de Adami Parente Deo commendatio, vt luce perſpecta ſui generis, & fidem piè ſeruaret, & legem ſanctè coleret. Sic Philo ad lib. de Nobilit. *Adamo* (inquit) *nemo parens, ac vitæ auctor, niſi ſolus Deus fuit, vt conſiderans nobilitatem ſuam, & ſe Dei opus eſſe perſpiciens, opera ſua dirigeret ad Dei cultum, & religionem*, &c. Fortuna igitur domeſtica vrget maximè, ne quis à bono, & æquo deſciſcat, vel Princeps in aula, vel miles in acie. quod Holofernes cùm ſciret, milites ſibi voluit *Electos ad bellum*.

3. Reg. c. 12. n. 31.

Nec Deo fidem ſeruant homines viliores.

Gen. cap. 1. n. 27.

Cap. 5. n. 1.

Adamo explicatur nobilitas, vt pactum ſeruet.

Num. 9. Tantúſque metus prouinciis illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores Principes, & honorati ſimul cum populis, &c.

Commentarius.

MVlta in metu vis ineſt, quæ Senatores, ac Principes in occurſum Holofernis extrahit. *Tantus metus incubuit*, &c. Ex loquendi forma, puto, metu premi ceruices hominum; inſidet enim tanquam onus grauiſſimum: quo pacto Ægyptum depreſſiſſe viſus eſt terror ingens, Pſalm. 104. n. 38. *Incubuit timor eorum ſuper eos*, &c. Premit homines, imò obruit metus grandis. *Nihil enim æquè amarum eſt, ac pendere*, &c. ſic habet Seneca 2. *lib. de Benefic. cap.* 4. Quænam Caïno pœna grauior? Mors, an metus? mortem, credo, malit, quàm metum pati. Optandi vox illa eſt, Gen. 4. num. 14. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me*, &c. quod Albino placet *q.* 90. Sed mens Deo eſt longè alia. Caïnum à nece vendicat, n. 15. *Nequaquam ita fiet*, &c. etſi ſtatuit, vt perpetuò viuat in metu. n. 13. *Vagus, & profugus eris*, &c. Græcè στένων, καὶ τρέμων, *Gemens ac tremens*, &c. Acſi grauior in Caïnum cenſura eſſet metus. Bene Philo *ad lib. de Nobilit.* Rectè Iudex reum punit, *Mille mortes intentando, vt ſentiret alios ſuper alios pauores*, &c. Doloris ſenſum mors adimit; qui in metu viuit, diuturno moritur cruciatu, ſi Nazianzeno credis Iamb. 18. *Timere ſemper, vt ſemper pati*, &c. Mori Cainus mallet, quàm metu angi perpetuo, cùm doceat Chryſologus ſerm. 147. *Pauore mors ipſa leuior eſt*, &c. Probat id Helias facilè 3. *Reg.* 19. *num.* 4. vbi mortem ſibi Vates precatur. *Petiuit animæ ſuæ vt moreretur*, &c. Tantus viro ſancto metus erat de Iezabella minante num. 3. *Timuit Helias, & ſurgens abiit*, &c.

14.

Metus verè onus

Gen. c. 4. n. 14.

Leuior metu mors eſt.

3. Reg. c. 19. n. 4. 3.

&c. Itaque mortis metus mortem precatur, cùm vitam in metu cogatur agere. *Melius existimans morti succumbere, quàm timori*, &c. Sic Chrysologus *serm. citato.* Graue omnino timoris onus est, quod nec Helias ferre potest.

Mori, quàm timere satius.

15. Satis ad cladem metus est, etsi vis absit. Ludit Poëtes de Leone Duce, qui Eutropio aderat; cùm enim Leo fuga salutem quæreret, metu subito animam exhalauit. Inde iocus in Leonis corium lib. 2.

Vitam metus adimit.

——*Valuit pro vulnere terror,*
Implenitque vicem iaculi, vitamque nocentem:
Integer, & sola formidine saucius efflat, &c.

Tanta in metu vis inest, vt Leonem malè conficiat. Ne quis dicat temerè à Iacobo dictum esse, Gen. 42. n. 38. *Deducetis canos meos cũ dolore ad inferos*, &c. Hæc enim Iacobus, cùm timeret Beniamino. *Si quid* (inquit) *illi aduersi acciderit*, &c. Quantus in patre dolor? Mortem dolore quæsitam senex timet, si fortuna puero sit aduersa. Albinum cape, q. 254. *Perturbati, ac dolentis verba sunt, mala sua hinc etiam exaggerantis*, &c. Turbatus metu Iacobus est, ingrauescit metu dolor. Nec miror Iacobo id accidisse; *Metu interprete in peiora inclinato*, &c. quæ ex Liuio censura est *lib.* 27. *dec.* 3. An ne Carthaginiensibus fortuna mitior, cùm Scipio teneret Africam? Quis putet? *Omnia in maius metu augente*, &c. *lib.* 29. *dec.* 3. Sed Hebræo metus auxit difficultates rerum, cùm reueniret ex agro hostili, ac renuntiaret. Num. cap. 13. n. 33. *Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos*, &c. Mentitos hac parte exploratores fuisse dicunt alij apud Abulensem *quæst.* 53. Quis enim somniauit homines terra deuoratos esse? Docent alij, exploratores verè locutos fuisse, metu grauiora interpretante. *Timentibus enim omnia videntur esse maiora, & peiora quàm sunt*, &c. Pulchrè in locum Abulens. Quare satis mihi placet, Reges metu victos Holofernem adiisse, cùm metus grauiora in dubiis obtrudat.

Grandescit metu dolor.

Gen. c. 42. n. 38.

Num. c. 13. n. 33.

Ingrauescunt metu difficultates.

16. Quid si fingat imminere, quæ longè absunt mala? Vrget homines, quo tenetur metu, Sophonias cap. 1. num. 14. *Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est, & velox nimis*, &c. Absumit Vates artem, vt celeritatem exponat calamitatis vltimæ. Volare in pœnam dies, ac propè adesse visus est viro sanctissimo. Sed periculi metuens adesse putat, quod procul abest. Sic Rupertus lib. 1. *Verè, secundum periculi magnitudinem, iuxtà est, ac velox nimis*, &c. Nemo igitur malè timet, qui malum, & iusto grauius & solito maturius adesse non credat. quod à se vt auerterent Principes, ad Holofernem accessere. Tanta ab hoste sæuitia, tantusque metus incubuit, vt verè Athalaricus monuerit lib. 3. epist. 9. *Metus cuncta componit*, &c. Quid si vel muros bene constructos subruat? Credit id Augustinus 2. *lib. de Mirab. cap.* 3. Sciebat Antistes muros Ierichuntinos motu subito dissipatos esse, ad voces militares, & tubarum clangores. *Populo vociferante, & tubis clangentibus, muri corruerunt illico*, &c. *Iosue cap.* 6. *n.* 20. Non aries inibi, qui muros quateret, non ignis, qui turres solueret: quid igitur vrbem solo æquatam dedit, nisi metus ingens? *Quasi arcæ Dominicæ, & exercitus expauescens aduentum, citò corruit*, &c. Augustino teste. Hoc metu fregit Holofernes gentes immanitate barbaras: *vt Principes, & honorati simul cum populis exirent obuiam.*

Sopho. n. c. 1. n. 14.

Periculum metus auget, & accersit.

Ios. c. 6. n. 20.

Muros euertit metus ingens.

Num. 10. Excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tympanis, &c.

Commentarius.

17. VTrumque obsequium metu expressum est, scilicet vt Principes ferrent corollas, Lyrano teste: *In signum victoriæ*, &c. & faces præferrent; in argumentum lætitiæ publicæ, Duce magnificè incedente. Quid si gentes metu victæ, flores, & corollas in Holofernem iacerent? Nouum id videri non potest, cùm vel gentes barbaræ flosculis exciperent, & coronis, quos honore honestos esse vellent. Vide Lips. *ad Annales Tacit. lib.* 4. Roam adito *lib.* 2. *cap.* 12. *&* 13. Excepere vrbes coronatæ viros magnos iactatis in viam flosculis, Pompeium scilicet Neapolis: vide Plutarch. Alexãdrum Ierosolyma: vide Iosephum *lib.* 11. *Antiquit. cap.* 8. Vnde Agrippam cum flosculis deductum scio: apud Philon. *de Legation.* Vespasianum Roma salutauit coronis ornata; quod Iosephus habet *lib.* 7. *de Bello cap.* 22. Nec tacet Naso viam rosis constratam, qua Tiberius Capitolium adierit lib. 4. de Trist. Eleg. 2.

Adulatur metus.

Vndique iactato flore tegente viam, &c.

Nec Romani tantùm moris erat flores, & lemniscos iacere in homines, quos vellent cohonestare, & Pontanus in loco probat, de more id Persico est. Sic Bagophanes arcis Babylonicæ, ac pecuniæ Regiæ custos Alexandrum accepit iactis in viam flosculis: quod tradit Curtius lib. 5. *Totum iter floribus, & coronis constrauerat*, &c. Ac ne obsequio in Antonium Parthus vinceretur, corollis adornatus Romanum duxit in vrbem; apud Herodian. *lib.* 4. Multus essem in scribendo, si congererem, quæ hac de re Auctores collegerunt. Adeat, qui velit, Tertullianum *de Corona cap.* 7. vbi & supplices coronarios lego. Vide Cerdam *inibi*; & fortasse ea barbaris hominibus occasio, vt Holofernem aditent coronati.

Honor est in viros magnos florum iactus.

18. Dura omnino fortuna hominum, si metu victi coguntur vultu præferre lætitiam, qui tristes animo ferunt morsus. Sed Iudæus eò miseriarum deuenit, Ezechiele minante ad cap. 24. n. 21. *Filij vestri, & filiæ vestræ gladio cadent*, &c. quid inde ad acerbitatem calamitatis? Vates iterum, *Coronas habebitis in capitibus vestris*, &c. In summa tristitia, necesse erit signum dare exultantis animi, & vultu probare, quæ animo detestaris. Nec mollior Iudæo fortuna, cùm premeretur ab Antiocho: quod bene obseruat Sanctius ad 2. Machab. cap. num. 7. *Ducebantur cum amara necessitate, & cogebantur hedera coronati Libero circuire*, &c. Tradit Suetonius institutum à Caligula certamen Græcæ, Latinæque facundiæ; lege lata, vt victus victoris laudes componeret, *cap.* 20. Tormenti genus

Ezech. c. 24. n. 21.

2. Mach. c. 6. n. 7.

Miseria est ferre iniurias, & gratias agere.

genus. Quis enim libens cantat raptam sibi victoriam? Sed quare plausu communi flores, coronasque lemniscatas coniicerent alij in magnos viros,docet bene Rex *lib.* 2. *cap.* 13. scilicet , vt monerentur felices homines de fortuna rota leui, cùm flores , odoresque in diem natura gignit,quod notat Plinius lib.21. cap.1. *Clara, vt palàm est,admonitione, quæ floreant spectatissimè,marcescere celerrimè.*

Citò perit bona fortuna.

19. Sed quò spectant lampades mero meridie? Obsequium est prisco æuo vsitatum,siue Neapolim adeas, cùm Pompeium honestè exceptum voluit;siue Alexandriam intres,cùm Antonium lucernata coluit,apud Herodian.*lib.*4. siue Ierosolymam petas , vbi Iason Antiochum accepit. *Cum facularum luminibus* , &c. 2. *Machab.cap.*4.*n.*22. Sed & Herodianus docet commodum bene exceptum *lucernis* , *ac florum sparsionibus*, &c. *ad lib.* 4. Vide Cerdam *in Tertulliani Apologet.cap.*35. *ac de Idololatr. cap.*15. Addo Holofernem facibus prælucentibus , in publicum processisse ; & patet ex Græco textu, *ad cap.*10. Quo hæc significato fierent , disquirendum lentè. Scio , quid Sanctius dixerit de igne Persico; nec abnuo.Illud addo, præferri faces mera in luce ante Reges, & Principes,obsequio adulatorio,quo scilicet videretur populus vitam dominis apprecari. Nemo nescit lumen pro vita sumi bonis Auctoribus.Sic Naso docet *lib.*4.*Trist. Eleg.*4.vitam acceptam Augusto referens,

2.Mach.c.4. n.22.

——*nec lumen ademptum*,&c.

quod inibi Pontanus firmat. Addo Lucretium ex *lib.* 2. vbi parentes laudat,à quibus vitam liberi mutuantur.

Et quasi cursores vitai lampada tradunt, &c. Spectabat Musa ad ludum,quo facem quis accensam in cursu tradit. Nec abludit Clemens Alexand. *lib.*2. *strom.cap.*12.vbi Platonem definiisse docet parentes liberis facem tradere, cùm vitam communicant. *Quæ filiis veluti lampas traditur*,&c.Ne tamen sine sacro textu loquar, vita est lucerna, de qua miles,ad 2. Reg. cap.21. num.7. *Iam non egredieris nobiscum ad bellum,ne extinguas lucernam Israël*,&c. Vita Dauid periclitatus fuerat , quam miles scitè lucernam vocat. Scintillam mater filij appellat animam, 2.Reg.14. n.7. *Quærunt extinguere scintillam meam*, &c. Rorem lucis pro vita capit Delrio *Adag.* 744. & Isaiam laudat *cap.*26.*num.*19.Delrio adest Rota *lib.*2.*cap.*20. Vatablus ad Psalm. 55. num. 13. *vt placeam coram Deo in lumine viuentium* , &c. Et verò quadrat in Regis vitam lucis potestas : nam Princeps vita,vt lucerna,debet prælucere. quo argumento Honorium admonet Panegyristes,de 4. Consulatu.

Vita ludus.

2.Reg. c.21. n. 7.

2.Reg. c.14. n.7.

Is.c.26.n.19.

Ps. 55.n.13.

Princeps vita bonus prælucet.

——*nam lux altissima fati,*
Occultum nihil esse sinit,&c.

Nec vi alia Polybium vrget Seneca , ne quid nimis,cap.25.*Nullum* (inquit) *secretum tibi liberum est , in multa luce fortuna te posuit* , &c. Præluceant igitur Principes , necesse est , humani soles. Discat id Holofernes à lucernis, quibus exceptus est.

20. Sed cur addit textus ductos esse choros cum tympanis,& tibiis?An gentes,more Asiatico,saltationes ineunt,cantionibus in numerum additis? Aio: chorus enim Græcè vtrumque sonat,& saltationem , duce choraule simpliciter;& tripudium tympano,& crotalis instructum;vbi ludij, ludiæque notabiles studio psallendi, & saltandi.Scio Reges Asiaticos ea re oblectatos esse maximè. Sic Antoninus à Parthis recreatus, cùm saltarent, & cantarent numerosè,*Ad tympanorum,& tibiarum sonitus*, &c. quod Herodianus habet *lib.* 4. Nec Alexandrum sine canticis excepit Bagophanes Babylonicus,apud Curt. lib.5. *Non Vates modò,sed artifices cum fidibus sui generis ibant : laudes Regum ij cantare soliti*, &c. Vnde ludij , ac ludiæ carmen canentes cum tripudio,solennique saltatu,nisi à Lydia?Hosce ludiones à Syria in vrbem transuexit Antoninus Verus. *Quorum Syria pascitur voluptate*,&c. sic Capitolinus. Celeberrimi tamen suas ob delicias, Persæ. Quod testatur Athenæus *lib.* 12.*cap.*3. Illud ex loco , *Per noctem canunt accensis lichnis,& citharam pulsant*,&c. quæ ab Asia vocatur Asias. Plutarcho Auctore *ad lib. de Musica.* Puto è Syria Iudæam peruasisse cantiones, & saltationes fractiores;vnde Sapiens verè desipiens Ecclesiastæ cap. 2. num. 8. *Feci*(inquit) *mihi cantores,& cantatrices , delicias filiorum hominum*, &c. Iactat apparatum quodammodo Persicum,& chorum mollicellum saltationis Asiaticæ: quas hominum delicias esse docet, Olympiodoro teste , *Delectantur enim huiusmodi cantibus non Dei filij,sed filij hominum*, &c. Addo Antiochum hisce choris delectatum,quippe qui Ierosolymam,*cum facularum luminibus,& laudibus ingressus est*,&c. 2.*Mach.* 4. *num.* 22. Solymæus enim in adulationem compositus Antiochi laudes composuerat, vt pompa celebri , & choro Lydio vrbem Princeps intraret; sed more id Hebræo factum est. Memineris quid saltatrices,& cantatrices egerint,cùm Dauid , Philisthæo victo , rediret in vrbem,*Egressæ mulieres cantantes, choros que ducentes cum tympanis lætitiæ,& sistris* , &c. *ad* 1. *Reg.* 18. *num.* 6. Nec apud Holofernem aliud Gentes metu perditæ. Occurrunt , *ducentes choros cum tympanis,& tibiis* , &c. Ad caput redeo. Excipiunt Holofernem Gentes floscul is coronatæ:sed gentes Asiaticæ, mollicellæ,notatæ de vitæ luxu:vnde colligas

Cantu , & saltatu gaudet Asia.

Eccl.c.2.n.8.

Molli cantu delectatur malus quisque.

2.Mach.c.4. n. 12.

1.Reg. c.18. n.6.

PARÆNET. VIII.

Abesse bonos mores à pulchris floscul is.

13. FLores legunt,corollas pangunt, ac gestant, imò iactant in Holofernem gentes Asiaticæ:malè tamen olent , si bene semper olent; turpes mores irritant flores nitidi , quibus vti, plerumque abuti est. Quid Tertulliano , corolla est pulchrè texta?ad lib.de Corona c.13. *Summa lasciuia nota,extrema negatio verecũdiæ, conflatio illecebræ*,&c. Puer comatulus , comptulus, floscul is nitidus, probat liquidò abiisse se in turpes mores. Mallem oboluisset puer allium , quàm lilium. Nam de more antiquo erat , coronari turpes fornices , amantes , & amentes affectu iuuenes. Habet id Tertullianus *lib. citato cap.* 13. Cerda *inibi.* versat Roa *lib.*3.*cap.*10. quasi Venus accendatur floscul is, viuat odoribus. Certè apud Ezechielem c.23. lego coronam cum turpi vita coniũctam esse.

Irritat Venerem corollæ floscul is textæ.

Ezech. c.23. n.43.

Damnat

Damnat ibi Solymam Deus Iudex, vtpotè quæ turpi Chaldæo adultera succubuisset, n. 43. *Attrita est* (inquit) *adulteriis*, &c. Eò tamen infamiæ traxere corollæ flosculis pactiles. Quas in Amasios coniecerat Ierosolyma, vt in sui amorem pelliceret. *Posuerunt coronas speciosas in capitibus eorum*, &c. *num.* 42. Græco textu στέφανον καυχήσεως, *Coronam exultationis*, &c. rosaceam, Hugone teste. Addit Laudunensis, *In tantum voluptatum fluxum insanibant*, &c. scilicet, vt corona rosacea excitarent languentes Amasios. Hac tamen arte irritant sese turpes homines Sapient. cap. 2. num. 8. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant*, &c. Multum de corollis nectendis studium est. Id verò, quod testificatur Carthusianus, *Vt sic mulieribus magis placeamus*, &c. Eruo sensum ex loco: neque enim temere textus addit, *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, &c. quasi flores eò traxerint homines, vt diffluant turpi Venere.

Quo est corolla pulchrior, eo & venus promptior.

Sapient. c. 2. n. 8.

Mulier florum amans.

2. Carthusiano adest Roa; & Baruchum laudat testem *cap. 6. num.* 42. vbi Vates. *Mulieres circumdatæ funibus in viis sedent*, &c. de meretriculis Babylonicis locus est, de quibus Herodot. *lib.* 1. Curt. *lib.* 5. Bozius *tom. 1. lib. 21. cap.* 10. Quis tamen funiculus ille est, quo meretrix adornatur, vt in triuio iuuenes proliciat ad libidinem? Scirpea corona est rosis intexta ad colendam Venerem, de qua Naso lib. Fest. 4.

Baruch. c. 6. n. 42.

Ornamentum è floscul is meretricium.

Iunctaque composita, scirpea vincla rosa, &c. tanta corollis rosaceis vis inest ad turpes affectus. Abeant igitur flores, quibus Venus culta, ne Christianam scholam malè perdant: quod monet Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 8. *Non enim rosarum baccis, violis, aliisque huiusmodi floscul is comam tegere conuenit, quæ se parat ad petulantiam*, &c. Addo absurdum esse, vt discipulus coronam ferat rosaceam, Magister spineam; vt aduertit Clemens Alex. Sed in sententiam totus abit Tertullianus de Corona cap. 14. *Contumelia in promptu est, & in his implexa sœuitia; vt tu nunc laurea, myrto, olea centenariis quoque rosis, & vtrisque liliis, & omnibus violis coroneris*, &c. Figurata loquendi forma docet coronatum spinis Christum fuisse, ne quis auderet coronam rosaceam, gestare capite. Addit Magister, *Nec floribus coroneris, si non potes spinis*, &c. Pudor Gottifredo est auro frui coronario, vbi Christus coronam spineam pertulerat: nec Princeps bello victor passus est suam auro statuam, sed spinis coronatam esse. quod tradit Guillelm. *lib. 9. cap. 4. de Bello sacro.*

Ne vosis fruamur spinis Deus coronatur.

3. Virtus est aurum abigere coronarium, sentes legere ad coronam plectendam, gestandámque. Sed à meo Christo virtus hæc magna, vel cùm spinis coronatur, vel cùm minatur è rubo. Voces è rubo minaces edit, Exod. 3. num. 20. *Extendam manum meam, & percutiam Ægyptum*, &c. Ita ne inter dumos tanta Deo virtus est, vt Ægyptum premat? gaudet admodum rubo coronario, & suam in rubo virtutem explorat, vt coronam ferat spineam: & verò potuit. Nam Ioann. cap. 19. num. 5. *Exiuit Iesus portans coronam spineam*, &c. *Veteris descensus initium instaurans, ac de integro, velut in summam redigens; vt ostenderet omnia esse vnius potentiæ*, &c. Hæc Clemens Alexand. 2. *Pædag. cap.* 8. Itaque, dum Christus spinis pungitur, eam sibi inesse virturem probat, quam de rubo ostentauit, cùm minas proflaret: neque enim minor est virtus pati, quàm agere. Deinde spinas Christus gerit capite, illud insinuans sua se patientia honoratum esse. *Hoc signum est rei à Domino bene gestæ*, &c. Sic Clemens *loco citato*, Solet victor lauream gestare, nec, nisi in Iouis gremio, deponit. Sic & Christus mortis victor spineam gestat pro laurea, qua de re Pelusiotes lib. 1. epist. 95. ad Eutonium. *Dominus, vt omnem in se ipso morbum curaret, aduenerat; inde spinea corona, vt victor, redimitus est*, &c. Cur manum in sentes non iniicio, Christo duce? Nihil iam pungit spina, quæ flores parit, si Tertulliano fides est lib. citato cap. 14. *Abstulit Crucis virtus omnes mortis aculeos in Dominici capitis tolerantia obtundens*, &c. Quidquid pati durum est, ab Adami sententia: *spinas, & tribulos germinabit tibi*, &c. *Gen. 3. n. 18.* mollitum à Christo malè coronato est. Quod verò Christi corona flores gignat, bene tradit Brito *lib. 6. Histor. Cister. cap. 26.* Corona enim spinea, cùm partem Magnus Carolus dono acciperet, erupit in flores. Quare non ineptè, *scripsit Pilatus titulum, & posuit super crucem*, &c. apud Ioann. *cap. 19. n. 19.* Is verò erat *Iesus Nazarenus*, &c. Hebræa schola, floridus quasi natos de spinis flores esse probaret. Coniurant Iudices, ac lictores in Christi honorem, licèt coronam texant spineam. *Coronam iustitiæ Christo super omne nomen exaltato appendentes, per spinam semper florentem*, &c sic Clemens Alex. *lib. 2. Pædag. cap. 8.* Abigat igitur flores schola Christiana, quos Syri carpunt, vt in Holofernem iaciant, metu damni. *Excipientes eum cum coronis*, &c. Negabis ablegandos omnino flores esse; vnde multa ad bonos mores, & pios affectus disciplina esse potest. Assentior, & adstruo,

Patientia vera corona.

Victor calamitatem patiens.

Mulcentur bene cruces Christi cruce.

Gen. cap. 3. n. 18.

Ioan. cap. 19. n. 19.

Florem spina gignit.

Ex. c. 3. n. 20.

Ioh. c. 19. n. 5.

Non minor est virtus pati, quàm agere.

PARÆNET. IX.

Flores ex significatu vtiles esse.

1. FLosculos, & coronas lemniscaras in Holofernem coniicit Syria vniuersa, argumentum vt faciat lætitiæ publicæ: monet tamen de fortuna leui, & vita breui humanæ gentis. In rosa agnoscit Pierius *lib. 5.* sortem hanc, & vitam breuiusculam humani generis: nam rosam vna dies aperit, conficit vna dies. Credo Ambrosio *ad lib. 3. Hexaëm. cap. 11.* qui rosam cum vita componit. *Vallata est* (inquit) *elegantia vitæ nostræ, & quibusdam solicitudinibus obsepta, vt tristitia adiuncta sit gratiæ*, &c. Nihil boni in humana vita solidum est: miscentur dulcitudines rerum curarum stimulis; vnde fit, vt bona malè defluant. Ambrosius iterum, *Irrutiles, ô homo, licèt, aut splendore nobilitatis, aut fulgore virtutis, semper tibi spina proxima est, nec plena manet gratia; brèui vnusquisque decurso ætatis flore marcescit*, &c. Quid si hoc aspectu Ambrosius *cap. 7.* fortunam prosperam hominum vocauit scenam? Citò flores pereunt, citò corrumpuntur lilia, siue aura tenui, siue brucho pertinaci. Vnde Princeps Fortunæ alumnus, & sapientiæ, pro insigni habebat lilium arrosum

Rosa langescens, vita deficiens.

Mulis bona miscentur.

arroſum vermiculo; erat epigraphe Italicè, *Ogni belleza ha fine*, &c. quod à Seneca petitum credo, *Anceps forma bonum*, &c. Vnde probes vitam, & ſortem humanæ gentis leuem eſſe, vtpote lilium infeſtum minutis vermiculis.

2. Nihil Dauid abeſt à ſigno humanæ vitæ, ac fortunæ leuiuſculæ. Nec aliam apponit epi-
Pſ.59. graphen Pſalm.59. *In finem* (inquit) *pro his, qui immutabuntur*, &c. vbi ſermo eſt de bello Syrio, & bellè confecto: addit enim epigraphe,
Mutantur vices rerum humanarum. *cùm ſuccendit Meſopotamiam Syriæ*, &c. Bellum bene finitum canit Dauid, excitatumque trophæum, re bene geſta, & adhuc timet, titulóque metum præſcribit. *In finem, pro his, qui immutabuntur*, &c. vbi Hæbræus עַל שׁוֹשַׁן *Hhal ſuſan, Pro lilio*, &c. Sed componit Dauid ſortem breuem humanæ vitæ cum lilio arroſo, vt noris, quæcumque altè efflòreſcunt, æuo breui ſtare. *Licet de omni hominum genere hæc intelligere*, &c. ſic Baſilius: *cùm non eundem corporis habitum ſeruent, nec in eadem ſententia ſemper viuant*, &c. Viuat homo fortunatè: verſa vice, aut fortuna volat, aut vita perit; vt iure merito cantet, vel ploret Dauid, *In finem, pro his qui immutabuntur*, &c. variat enim fortuna, & quæ modò arridet, modò irridet; quæ flores gignit, flores premit, titulo addito, *In finem, pro lilio*, &c.

3. Moabum hora breui periturum pulſat Ie-
Ier.c.48.n.9. remias cap.48.num.9. *Date florem Moab*, &c. Hebræo textu vox eſt צִיץ *Tſits*, quæ florem, alam, & coronam valet. Addit textus. *Quia florens egredietur*, &c. ſcilicet ad honores funebres. Nec flores à tumulo diſſident; conſtat enim homines vitâ functos floſculis, & herbu-
In tumulum cum floſculis inferuntur homines. lis bene olentibus coronatos efferri, tumulóque inferri; quod moris eſt, tradit Plin. *lib.* 21. *c.*3. vbi Scipionem tumulo condit Roma. *Qua præferebatur, flores à proſpectu omni ſparſit*, &c. De Virginia nihil aliud Halicarnaſſeus lib.11. *Ædibus exilire mulieres, ac Virgines caſum illius lugentes, atque alia flores, & coronas in lectum iacere*, &c. Res nota ſacris, & profanis literis, flores tumulis indi ſolitos. Vide Cerdam, & Raderum. Deinde Clement. Alex. *lib.* 2. *ſtrom. cap.* 8. Tertullianum *de Corona cap.* 10. Vnde probes florem Moabo iniectum, verè ſignum
Citò pereunt, quæ pulchrè nitent. eſſe tumuli adornandi, quod habet Caſtrius. Fauet Græcus textus, Δότε σημεῖα, *date ſigna*, &c. Fati vtique imminentis; quod non modò properat, ſed prouolat. Si quidem vox Hebræa צִיץ *Tſits*, & alam ſonat, qua fortuna, & vita procul auolant. Cum Ieremia ſentit Salomon, imò dolet fortunam hominum leuem, ac fluxam eſſe; columnas excitat, quæ à porticu ſuſtentanda cognominantur: altera enim Iachin,
3. Reg. 7. n.21. 22. id eſt, *firmitas*, altera Booz, id eſt, *robur* appellantur, 3. *Reg* 7. *n.*21. Quod ſuis ſapiens rebus optat, & precatur, ſcilicet, vt regno ſaluo ſaluum ſtaret templum: ſic Vatabl. Clarius, Lyran. ex Hebræa ſchola. Sed repugnant columnatum faſtigia liliis adornata *n.*22. vbi textus,
Fluxa, & vana quæ lare videntur *ſuper capita columnarum opus in modum lilij poſuit*, &c. Quaſi inſinuans, Regum, & quidquid Rerum eſt publicarum, vti lilium emarceſcere, ac euaneſcere. Præſenſit Princeps Babylonicus Regum fortunam leuem, ac fluxam eſſe, qui ſceptro bene elaborato ſupereſſe voluit, aut roſam, aut lilium; vt teſtatur Herodot. *lib.* 1. Clato, vt palam eſt, monumento, ſortem felicem corrumpi, vti roſam pulchram, aura leui. *Pulchra fortuna vt roſa perit.*

Aliam ex florum aſpectu mentem hauſit 4.
Clemens Alex. *lib. citato, cap.* 8. qui iubet, vt piè in Deum tendat affectus. *Oportet nos, eorum, quæ pulchra ſunt, aſpectu fruentes, laude, & gloria afficere opificem*, &c. Sed & Chriſti vox eſt apud Matth. cap. 6. num. 28. *Conſiderate lilia* Matth. c. 6. n. 28
agri, &c. Multa lilio amœnitas eſt, quam Magiſter ſubiicit oculis hominum, & commendat, *Vrgent ad magni Dei laudem quæ ſunt pulchra.* certò ſciens multam ex florum aſpectu doctrinam venire ad pios motus animi. Hoc enim affectu Deus flores pinxit, teſte Euthymio ad Matth. citatum, *Voluit vt ex hoc diſcas ſapientiæ, ac potentiæ ſuæ magnitudinem*, &c. Mirum, quales de vno Deo notiones concipiant boni viri, qui vel agro bene culto, vel horto bellè extructo paſcunt oculos? Placet, quod tradit Maffæus *lib.* 3. *cap.* 1. Parentem ſcilicet Ignatium ea fuiſſe facultate meditandi, *vt ex intuitu floris, aut herbæ confeſtim in Dei cogi-* *Ex florum aſpectu ad Deum rapitur Ignatius.*
tationem, amoremque ſuauiſſimè raperetur, &c. Nec Adamus trahitur à Deo in hortum genialem opacitatis, & amœnitatis plurimæ, Gen. cap. 2.
Gen. 2. *n.* 15. niſi, vt ex arborum, florumque n.15.
aſpectu Deum, & noſſet meliùs, & amaret dulciùs. quod expendit Chryſoſtomus *Hom.* 13. Pulchro igitur hortulo Adamum claudit bonus Deus, *vt ex aſpectu multam perciperet voluptatem, prouocaretúrque ad gratitudinem*, &c. Ad rem Chryſoſtomus, Adamus enim ex floſculo venuſtatem, & fructu benignitatem colligeret Artificis nobiliſſimi, & opulentiſſimi, cùm de ſe ille Pſalm.49.num.11. *Pulchritudo agri mecum eſt*, &c. Apellem oſtendit linea, *Ducis hortus ad Dei amorem.*
Plin. *lib.* 35. *cap.*10. Protogenem Ialyſus, Praxitelem Venus, Phidiam Iupiter, quod notat Plin. *lib.*7. *cap.*38. Sic florum, & frugum copia Deum, & bene ſcientem eſſe probat, & bene Pſ.49. n.11.
facientem; eóque aſpectu piè in Deum afficitur, & rapitur animus.

Laudo Salomonem, qui à Cedro, & hyſſopo non parum hauſit ſapientiæ. *Diſſputauit ſuper lignis, à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete*, &c. *ad* 3. Reg. c. 4.
*Reg. cap.*4. *num.*33. Cur ſapiens de florum, & n.33.
arborum varietate diſſerit? Gilbertus ſcitè ſerm.4. *Fidelis* (inquit) *anima omnia replicat, & recenſet in Dei laudem: & omnem creaturam* *Multa è rebus creatis eſt Dei meditatio.*
prouocat, vt ſe excitet in gratiam, & vniuerſitatis intuitu diuinum ſtimuletur in amorem, &c. Facilè pios motus capit bonus quiſque ex meditatione floſculi, herbulæ, arbuſculæ, cùm liceat in rebus modicis intueri, & meditari Deum Max. Noto Abramum ad locum bene conſitum diuertiſſe Gen. 13. num. 18. *Habitauit* Gen.c.13. n.
iuxta vallem Nambre, &c. Nam Græcè eſt, 18.c.21.n.33.
παρὰ τὴν Δρῦν, *iuxta quercum*, &c. Et locum ſonat quercetis nobilem. Sed & hortos conſtruxit florum, & arborum ordinibus diſpoſitis, ad *Gen.*21. *num.*33. vbi habes. *Plantauit nemus*, &c. Idque, Nyſſeno teſte, cauſa leuandi animi. *Sub* *Multa ex aſpectu horum aſpectu voluptas.*
quercu tabernaculum fixit, non domicilij inopia, ſed quia tenebatur ea, quæ ex ramis editur, voluptate, &c. *Orat.*3. *de Reſurrect.* Quæ nam tamen hæc voluptas fuerit, bene textus inſinat, cùm addiderit, *& inuocauit ibi nomen Domini Dei*, &c.

&c. Magna viro ſancto voluptas erat ex florum,arborumque intuitu,quo Deus vel bonus Pater,vel ſciens Dominus recognoſcitur. Solent enim viri boni ex agro , & hortulo vires cogere , ad colendum animum pia commentatione.

Notus è rebus minimis Deus eſt.

6. Si Virgilio iam pridem licuit dicere muſa ruſticella Eclog.2.

—Habitarunt DI quoque ſyluas, &c.

Cur de noſtro Deo cantare non liceat?In libro Deus eſt,nec minus in agro ; & ſyllaba notus, & ſylua Deus. Quo argumento Bernardus Henricum vrget, vt ab Academia claram vallem petat , epiſt. 106. *Experto crede ; aliquid inuenies amplius in libris;ligna,& lapides te docebunt,quod à Magiſtris audire non poſſis. An non montes ſtillant dulcedinem , & colles fluunt lacte, & melle?* &c.apud Iohel.*cap.*3.*num.*18.*Amos* 9. *num.* 13. Quales ſibi magiſtros Bernardus habet,montes ſcilicet,& colles;vnde haurit dulces motus animi. Tanta in floſculis , tanta in arbuſculis,cùm Deum referant,vis eſt, ad affectus mouendos.Lego Chriſtum rebus ruſticis opes ſpirituales repræſentaſſe. Modò enim agrum inducit mala ſemente perditum,*Matth.*13.*num.*4.Modò ficulneam exponit , arborem infelicem,*Luc.*13. *num.*6. Nunc de ſinapi ſcena eſt,*Marc.cap.*4.*num.*31. Nunc de meſſe loquitur, *Ioann. cap.*4. *n.* 35. Hæc, & plura de re agraria meus Chriſtus,ad mores poliendos, Paulino teſte,*In agro diſcendum eſſe monet,quid in ſpiritu caueamus*, &c. *epiſt.* 28. Hac rerum ſpecie inuitatur Paulinus , vt Amandum inſtruat de villa colenda , ac de vita excolenda. Nam villam ſcitè curare , & nullam de vita ſancta curam habere,id Chriſto abſurdum videtur.*Leuate* (inquit) *oculos veſtros , & videte regiones,quia albæ ſunt ad meſſem*,&c. *Ioann.c.*4. *num.* 31. Agebant Apoſtoli de meſſe facienda, cùm æſtas iam vrgeret. *Vos dicitis , quòd adhuc quatuor menſes ſunt,& meſſis venit*,&c. Ingrata Chriſto fabula de meſſe agraria : ac proinde monet ſeuerè, *Leuate oculos veſtros , & videte regiones*,&c. Rupertus in loco bene. *Quaſi coarguens dicit: Leuate oculos interioris hominis ab hac meſſe,ad quam ego vos operarios conduxi*,&c. *lib.*7.*in Ioann.* Vrget Magiſter auditores, vt ex arte ruſtica occaſionem arripiant mentis altè eleuandæ, & excolendæ. *Aliter*(addit Rupertus)*veraciter dicere non poſſumus,Noſtra conuerſatio in cælis eſt* , &c. Et verò nihil eſt bonæ mentis , quod homo ſapiens non colligat ex agro,& horto,ad effectus piè mouendos.Sciebat id Paulinus,qui *loco citato* monebat,*Intellge,quidquid in agro tuo tibi placeat , aut diſplicеat,in anima tua placere Chriſto, aut diſplicere*, &c.Ad litem igitur ſtatuas,neceſſe eſt, floſculos, ac herbulas ex ſui ſignificantia vtiles eſſe animo poliendo. Non id curant Syri apud Holofernem : *excipientes eum cum coronis , & lampadibus*,&c. Statuo in commentario lucernam pro vita capi,Syróſque lucernatos ex luminum ſignificantia vitam Aſſyrio apprecatos eſſe;inde tamen eruo,

Pia è ſyluis Dei contemplatio.

Ioh. cap. 13. n.18.

Amos 9.n.13.

Matth. c.13. n.4.

Luc. cap.13. n.6.

Mar.cap.4.n. n.31.

Ioh.cap.4.n. 35.

Via ex agri aſpectu ad virtutem patet.

Ioan. cap. 4. n.31.

Inepta agri meditatio, quæ mentem Deo non iungit.

Multa ex agri cultu occaſio ad moves celendos.

PARÆNET. X.

Vrgeri Principes, vt vita præluceant.

I.

VIuunt Principes non ſibi , ſed aliis;præſunt hominibus,vt præeant factis virtutum optimarum : cùm apices honorum teneant,multum ſibi demant otium , multum addant negotium neceſſe eſt. *& ſyderum modo* (inquit Seneca)*nunquam licet nec conſiſtere,nec quidquam ſuum facere*,&c.*ad Polyb. cap.* 6. Lucent aſtra,ſed hominibus ; ſic & Principes, vt ſuo fungantur officio , prælucere debent populis. Erat Petrus, quod patet,in Chriſtiana ſchola Princeps apud Matth. cap. 10.n.2.*Primus Simon,qui dicitur Petrus*,&c.Nec in cenſu Apoſtolico ſuum Petrus locum mutat.Mutant alij apud Marcum 3.*n.* 17. qui Andream Iacobo ſupponit. Apud Lucam 6.*num.*15. qui Thomam ſubſtituit poſt Matthæum. Sed Petrus ſuo ſemper , ac primario in loco eſt. qua de re Caietanus, *Acſi apertè dicat:Scitote Petrum primum eſſe , quidquid ſit de aliis* , &c.Ac proinde opus erat , vt prior ad pios affectus excitaretur. Erat in naui Petrus cum ſociis, nihil tamen expiſcatus nocte integra. Adeſt Magiſter , non agnoſcit Petrus ; ſed vbi à Iohanne accipit,*Dominus eſt*,&c. *Ioan.*20. *num.*7. per mare natatu Magiſtrum adit. *Miſit ſe in mare*,&c. quid verò Apoſtoli reliqui ? num. 8. *Nauigio venerunt* , &c. Cùm igitur ſocij nauiculam remulco traherent morosè , moras Petrus omnes abrumpit , vt prior Magiſtrum conueniat.quod penſat Chryſologus ſerm.78. *Vt eſſet primus in reditu , qui acceperat in ordine principatum*,&c.Vrgetur Petrus officio,vt qui præeſt Apoſtolis , præeat ad Magiſtrum. Hac lege obligatum Nazianzenus Epiſcopum eſſe putat Orat. 1. *vt magis excellat virtute , quàm honore,ac dignitate ſuperet*,&c.

Solem Princeps referat aliis proſpiciens.

Matth. c.18. n.2.

Mar. c. 3. n. 17.

Luc.6. n.15.

Petrus, vt Pontifex ſummo ſemper in loco eſt.

Ioan.cap.20. n.7.8.

Ne legem de officio Principis frangat Princeps militumIoſue , Arcam,& ſacrum inſtrumentum Silo excipit , vrbe iuris Ephraitici:quod patet ex c.18.n.1.*Congregati ſunt Silo, ibique fixerunt tabernaculum teſtimonij*,&c.quòd verò ad Ephraim Silo pertineat , commune placitum eſt *ad Pſalm.*77.*num.*60. *&* 67. Nec Ioſue à tribu alienùs eſt, vt conſtat ex *cap.* 24. *n.*30. Nunc ad litem; collocatum ſua in tribu, & ſua in Silo ſanctuarium voluit Ioſue, Caietano teſte. *Par enim fuit,vt in ſorte Principis locaretur diuinus cultus*,&c. Acſi vellet Magiſter, Principem vrgeri ſceprro ad pietatem promouendam , Prætorióque Sanctuarium appoſitum eſſe , vt Princeps rem diuinam religiosè prouideat. *Quia præ cæteris zelabat diuinum cultum , ideo poſitum ibi fuit tabernaculum*, &c. ſic ex Lyrano. Quis igitur demiretur Saulem regno deſtinatum,de re diuina prius,quàm de re militari cogitare,ac ſatagere ? Lectus à Samuele Princeps mouendo bello aduersùs hoſtem Philiſthæum 1.Reg.10.num.10. *Vnxit te Dominus in Principem,vt liberes populum ſuum*, &c. pios ſibi mores induit. Quod & Vates renunciauerat num. 5. *Obuium habebis chorum Prophetarum*, &c. & num.6. *Inſiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum* , &c. Sic Princeps bello delectus , de re ſacra inſtruitur , & ad pios homines remittitur : Ly-

2.

Ioſue c. 18. n.1. c. 24. n. 30.

Sit pius in primis & Princeps , & Pontifex.

Qui præeſt aliis, & vita præit bonus Princeps.

Viro ſanctos Princeps adeat ,vt Regnum ſcitè, ac piè iucat.

ranus

ranus scitè in loco. *Tales* (inquit) *debet promotus in principatum eligere, vt cum illis Deum laudare, & vt eorum orationibus possit bene suum populum gubernare; ideo subditur: & mutaberis in virum alterum. per quod ostenditur, quòd promotus ad principatum, debet aliter, quàm prius viuere*, &c. Age Princeps rem priùs sacram, ac deinde profanam versa: ab vtroque Princeps optimus, vita Principis alios à vita priuata mores postulat.

Alios à reliquis mores ostendat Princeps.

3. Princeps in astris sol est, ac terra nobilior: actus in crucem Dominus patitur. *Hora erat ferè sexta*, &c. Christus adhuc videns, viuensque, Luc. 23. num. 44. *& Sol obscuratus est*, &c. sentiens quodammodo crucis clauos. Quid terra? post Christi mortem, hora iam nona exacta, apud Matth. 27. n. 50. *Terra mota est*, &c. Serò terra commouetur ad necem Domini, citò Solem tristi velo tectum video. Sed qui præest luminibus, præeat sensu conditoris interempti, necesse est. *Nobiliora citiùs vim diuinitatis, ac eius radios senserunt*, &c. Hæc Salmeron *tom. 10. tract. 47.* tenentur enim, qui præstant genere, præstare pietate. Vel Sardanapalus à fide alienus, officio Principis se adstrictum esse arbitratus est, vt præiret ieiunio obseruando, & cilicio induendo. Nam Iona tonante, cùm res ad Regem delata esset c. 3. n. 6. *Surrexit de solio suo, & indutus est sacco, & sedit in cinere*, &c. Deinde ieiunium, ac vestem cilicinam imperauit n. 7. *& clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis*, &c. Quid in vrbe præcones edicunt? *Homines, & iumenta non gustent quidquam*, &c. Benè est: quid vltrà? n. 8. *& operiantur saccis homines*, &c. Vrget quidem Princeps homines ad ieiunium, & cilicium: prior tamen est data opera, quàm lege edita: quod notat Maximus Hom. de hac re. *Necesse enim erat, vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret.*

Luc. cap. 23. n. 44.

Matth. c. 27. n. 50.

Prouolat ad pietatem explicandam pars nobilior.

Ion. cap. 3. n. 6. 7. 8.

Prait Princeps vt ciues ducat facilè.

4. Quæ Principem cogit ratio, vt benè, ac piè viuat, ea est, ne viuat improbus damno graui Rerump. *Principis enim propositum facit, aut negligere iudices, aut amare virtutes*, &c. Placet Theoderico, pendere à vita Principis, & voces Iudicis, & mores populi, ad Cassiodor. *lib. 1. epist. 12.* Nam cùm Princeps conuertat ad se oculos hominum, si malus est, latè perdit homines. Pestis est, quæ grassatur longè. Ac proinde, *Beatus vir, qui in Cathedra pestilentiæ non sedit*, &c. *Ps. 1.* Quænam hæc sedes est? Regia ne, an Prætoria? Vtramque sellam carpit Dauid. De prætoria, Clemens Alexand. 2. *Strom. cap. 6.* De Regia, Magnus Basilius *hoc loco.* Nec immeritò sedem vocat pestilentiam, quando Iudex, ac Princeps vitio, quasi morbo, inficiunt animos hominum. Adest Basilius, & suo Reges vngue premit. *Populi illos imitantur, qui pollent potentia, & postquam vnius morbus imitatione dignus existimatur, propriè pestilentia quædam animarum dicitur esse*, &c. Sentit damnum Theodericus, ac dolet, cùm dicit loco citato, *Facilius est naturam errare, quàm dissimilem sui possit Princeps formare Remp.* &c. Et verò; si, teste Seneca, *non pronum tantùm est iter ad vitium, sed præceps*, &c. *Epist. 97.* currentes impellit homines Princeps malus.

Ps. 1. n. 1.

Pestis est Princeps vita malus.

5. Nouit Chaldæus Nabuchdonosor, qua vi ducant Principes vilem plebeculam in vtramque partem. Erigit statuam, & quos primò inducit ad idololatriam, Principes sunt homines. Dan. 3. num. 2. *Misit ad congregandos Satrapas, omnesque Principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ*, &c. Certus omnino erat Nabuchdonosor trahi facilè vilem plebeculam exemplo nobili Principum. quod notat Hieronymus. *Seductis enim magistratibus subditi populi maiorum exemplo malè pereunt*, &c. Quæris, vnde tantus Phineso ardor, vt Zambrim necaret ferro adacto? *Num. 21. n. 8.* Peccabat Hebræus pudore profligato, & Princeps erat. Neque enim Moyses ineptè laudat hominem à domo nobili, *Erat nomen viri Israëlitæ, qui occisus est, Zambri, Dux*, &c. Hæc Moyses; quasi occasionem insinuans tantæ in Phineso excandescentiæ. Reum enim sceleris Ducem necat Phineas. *Non ignorans, quòd Primatum exempla in vtramuis partem valeant plurimum*, &c. sic Iosephus *lib. 4. Antiquit. cap. 5.*

Dan. c. 3. n. 2.

Pestem hauserit populus à vita Principum.

Num. c. 21. n. 8.

Abige malos Principes, ne ciues perdant.

6. Vtinam vani Dij solo, & cœlo auerruncarentur, ne duces hominibus essent faciles ad flagitia. Quis enim morum Præfectus ducat homines ad mentem castam, & fidem sanam, Diis ad vitium patrocinantibus? Hac vi argumentum premit Theologus *Orat. 3.* Pudor non est hominibus facere, quidquid Dij faciunt. Hac via suam Gallus causam, vitámque tuetur, Eleg. 4.

Dij peccantes vrgent ad peccandum.

Nec memorare pudet, tali me vulnere victum:
Subditus his flammis Iuppiter ipse fuit, &c.

Cur non doleat Cyprianus, cur non ebuccinet *lib. 2. epist. 2.* aduersùs Deos, aduersùs homines? *Deos, quos venerantur, imitantur; fiunt miseris religiosa delicta*, &c. Quod si verum ex Cypriano illud est: *Malos, quisquis non imitatur, offendit*, &c. Peccant facilè, vt blandiantur homines; quæ Tertulliano querimonia est Apologet. c. 11. *Deos facitis criminosissimos quosque, vt Diis vestris placeatis*, &c. Peccant libenter mali ciues, vt malis rerum dominis adulentur. Viuat, æternum viuat, bonus vita Princeps, qui prælucet populis ad mores castigatissimos, viua morum norma, hominúmque lucerna. Quod Syri laudant, cùm Holofernem adeunt. *Excipientes eum cum coronis, & lampadibus: ducentes choros in cympanis, & tibiis*, &c. Syrum agnosco tripudium, cum saltatu Ionico, de quibus Naso Magister,

Peccant homines, vt Diis improbis adulentur.

Eneruant animos, citharæ, cantúsque, lyræque,
Et vox, & numeris brachia mota suis, &c.

Et erit adhuc, qui non videat?

PARÆNET. XI.

Molles cantiones malè sonare.

1. QVa vi cantus molliores corrũpant mores hominum, docent liquidò qui vetant seuerè. quos inter Hieronymus epist. 10. ad Furiam. *Cantor pellatur, vt noxius*, &c. Certus omnino Doctor erat concinnari Venerem cãticis molliusculis. Laudo Ægyptum, quæ pueros à Musica procul arcet, apud Diod. lib. 2. c. 3. *Quæ scilicet frangit animos, & variè afficit*, &c. vt testatur Clem. Alex *lib. 6. Strom. c. 5.* Hoc aspectu Geta, nisi Lyram pulsans, non agebat de pacis legibus: apud Athenæum *lib. 14. cap. 11.* certò sciens, quid valeat Musica ad flectendos animos

Vrgent fortiter dulces cantiones.

Velos. in Iudith.

mos hominum, in vtramque partem. quo ingenio Nabuchdonosor & terret, & mulcet homines ad statuam adorandam. Terret, vbi minatur, Dan. 3. n. 6. *Mittetur in fornacem*, &c. Mulcet, vbi modulatur, n. 5. *In hora, qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ*, &c. si minis vrget Nabuchodonosor, quo hæc Musa cum tormentis musicis? *Vt timor, & voluptas assistentium animos obsideret*, &c. sic Chrysostomus *tom. 5. Homil. 4. de Patient.* Syrenum cantus nosti? Grande malum castæ ætatulæ, quod impensè timet Clemens Alex. Orat. 1. *Præternauiga canticum, mortem operatur*, &c. Locus, vt puto, infamis est affligendis animis, de quo Dauid Psalm. 43. num. 20. *Humiliasti nos in loco afflictionis*, &c. Hebræa schola תנים *Tannim*, Sirenes sunt; & volunt id Ambros. Chrysostom. Patrésque alij. Quod tamen venenum? Quisnam morsus? quæ laniena à Sirenis cantatricibus? Imò quod nam inde malum non timetur? Eo metu Hieronymus Furiam admonet, loco citato. *Fidicinas, & psaltrias, & huiusmodi chorum Diaboli, quasi Sirenarum cantus, proturba ex ædibus tuis*, &c. Quo enim modo Sirenes cantatrices trahebant homines in Syrtes vitæ profligatissimæ; sic fidicina, & psaltria ætatulam teneram frangunt in Venerem. Et fortasse gens Hebræa organum ab effectu appellat עוגב *Hhugab*, à verbo עגב *Hhagab*, quod est *amare*, & *cantare*. Quasi amorem moueat Musica, vti Musicam docet Amor. Hac arte Venus aduersùs Annibalem, *Nostro ducat sub Numine noctes*, &c. apud Silium *lib.* 11. Aderant enim dapibus Siculis campanæ lyræ fractæ cantiones.

Cæciliat animos voluptas musicæ. Pſ. 43. n. 20. *Diaboli technæ est musa mollicella.* *Venerem accendit musica.*

Post epulas sit grata chelys.

3. Sordet Musica mulierculis grata, & meretriculis. Ægypto abeunt homines, & mulieres. Pharaone perdito cantant homines, præcinit Moyses, voce tamen assa, *Exod. cap. 15. n. 1.* Exod. c. 15. n. 1. 20. Cantant & mulieres, sed ad tympanum, chorósque ducunt in numerum. *Sumpsit Maria tympanum in manu sua, egressæque sunt mulieres post eam, cum tympanis, & choris*, &c. De tympanis Moyses, hominésque reliqui non meminere, cùm Ægypto excederent; sed meminere mulieres, vt choros agerent, quod notat Abulens. q. 6. *Multæ de mulieribus tympana secum attulerunt, ad consolationem iuuencularum*, &c. Eò, puto sapiens intendit oculum, cùm mulieres canendi artifices, appellat filias carminis Ecclesiastæ c. 12. n. 4. *Obsurdescent filiæ carminis*, &c. Hebraismo celebri, homo peccati, homo peccato deditus est: filius iræ, homo irascendi facilis. Sic & filia carminis, mulier est canendi amans. quod putat Richard. Victor. ad tract. de mundi pœnis extremis. *Filias dicit carminis, quæ dulces cantilenas solent amare, & frequentare*, &c. Sed cur die extrema, *obsurdescent filiæ carminis*? Cur Græco textu, ταπεινωθήσονται *humiliabuntur*? &c. An cantare & saltare eleganter, peccatum est? Aio: & peccatum est, quo Sempronia malè audit, apud Sallustium in Catilin. *Nota enim fœda, psallere, & saltare elegantius, quam necesse est, probæ*, &c. Vnde addit Olympiodorus in locum Ecclesiastæ citatum. *Tunc humiliabuntur filiæ carminis, quæ in voce organi, & cantus suauitate, musicisque instrumentis oblectatæ nimium fuerint*, &c. Itaque modum in modis musicis tenendum censet Olympiodorus, ne cãtatrices turpiter labãtur.

Cæciliat animos voluptas musicæ. Ecclesiast. c. 12. n. 4. *Virgantur ad peccandum cantatrices.*

Hoc enim signo meretriculam notat Isaias c. 23. n. 15. *Erit Tyro canticum meretricis*, &c. Ita meretricem cantus signat? Imò facit. Sed cur Vates iterum? *Sume citharam, meretrix oblivioni tradita; bene cane, frequenta canticum*, &c. Video qua via Tyrus annis trita suos in se amasios proliciat. Non enim monet Vates, quod monere videtur; sed, quod Tyrus agit quasi monens, signat. Teste Procopio ad Isaiam. *Quia ab amatoribus deseritur; excogitatis eos catilenis, ac citharæ sono ad antiqui amoris recordationem persæpe reuocat*, &c. Tantam in tormentis musicis vim inesse Tyrus putabat, vt Musica languentem Venerem potuerit excitare. Quo studio suos, ac turpes fouet ignes Babylon magna, apud Ioan. *Apoc.* 18. *n.* 3. vbi textus, & *Reges terræ cum illa fornicati sunt*, &c. Dãnata meretrice, & in pessum data, *n.* 21. lugent, timent, fugiunt amantes, & amentes homines, n. 22. *Vox citharœdorum, & musicorum non audietur in te amplius*, &c. Insinuat tamen Ioannes quo meretrix flagraret studio Musicæ Caricæ, ac si canendi cura pertineat ad lenocinium meretricium, Ruperto Auctore. *Nec frustrà tantæ meretricis Musica damnatur, quia lasciua. Imò Dæmonum quoque sunt phantasmata, quæ ab illa cantitantur; & eorum suauitate ad incitamenta libidinum eadem meretrix abutitur*, &c. *lib.* 10. *in Apoc.* sic mulierculæ, ne dum meretriculæ, turpes edunt cantiones.

Isa. cap. 23. n. 15. *Prolicit amasium cantilena.* Apoc. c. 18. n. 3. 22. *Musica Dæmonum machina.*

4. Occurrunt tamen, & contendunt, se ab hominibus accepisse artem psallendi molliter, ac turpiter. Nónne Tubal Auctor canendi peritè? Res de textu est Gen. 4. n. 21. *Ipse fuit pater canentium in cithara, & organo*, &c. Sed pro Tubale pugnat Abulensis q. 13. *Hoc elaboranit, vt pastorum otiosa tædia tollerentur delectatione musica*, &c. Id verò colligit Abulensis ex eo, quòd in proximo laudat Moyses artem pastoritiam, commendato Iabole n. 20. *Qui fuit pater pastorum*, &c. Quid tamen boni ab Auctore damnato artis musicæ, Tubale scilicet, Caináque nepote? Vnde turpes motus animi, teste Procopio ad Isaiam citatum. *Flamma* (inquit) *excitatur organis musicis, quorum Auctorem Tubalem accepimus, qui soboles Caini est*, &c. Malè sonant cantiones Asiaticæ, quibus Holofernem excepere Syræ Gentes, *Ducentes choros in tympanis, & tibiis*, &c. Malè sonant, & saltationes Ionicæ.

Gen. c. 4. n. 21. *Mulcetur cantu vitæ pastoritia.* *Musica ab Auctore damnato.*

5. Malo choraule malus est chorus. Scio ego molles à Dæmoniarcho saltationes esse; saltitat eleganter Gens Hebræa, Exod. 32. n. 6. *& surrexerunt ludere*, &c. Ludus iste, Hebræa voce, tripudium est; canticum scilicet tympano formatum, solenníque saltatu. Id, adorato vitulo, editum lego; quod Moyses tradit n. 19. *Vidit vitulum, & choros*, &c. Malum grande! fides corrupta cum vocum flexu, & pedum pulsu. Sed malum à malo Dæmoniarcho. *Hæc Draco antiquus docuit, magister omnis impuritatis: qui doces mœchari, docuit & tympanis canere; qui docuit idola colere, docuit & ludere*, &c. sic Ephræm *ad tract. de rebus vanis.* Nec malo simplici contentus Dæmon, cùm saltationes inducit, mores frangit in Venerem. Hoc sensu Isaiam capio ad cap. 13. n. 21. *Pilosi, incubones, scilicet Dæmones, saltabunt ibi*, &c. Nam Hebræa schola שעיר *Schîr* in loco pilosus

Exod. c. 32. n. 6. 19. *Tripudium à Diabolo excogitatum.* Isa. cap. 13. n. 21. 22.

losus est Dæmon : videtúrque Vates saltantes Satyros insinuare. Vnde patet Dæmones saltationis Ionicæ choraules esse. Addit textus, *& respondebunt ibi Sirenes in delubris voluptatis*, &c. *num.* 22. Bene cum Satyris saltitantibus Sirenes cantatrices conueniunt in ædem, & aram Veneris; scilicet vt choros ducant, & molles edant gesticulationes, teste Chrysostomo. *Nam cùm atroci cupiditate vexentur, non aliter, quàm asino centauri circumeunt, saliunt, & calcitrant*, &c. Hæc Chrysostomus *Hom.* 4. Quò digitum intendit Hieronymus, cum Eustochium moneat de virgunculâ custodienda. *Ne fiat ciuitas meretrix, ne ibi Dæmones saltent, Sirenésque nidificent*, &c. Saltitant igitur Dæmones in Venerem, dum Sirenes molliter cantitant, Musa Asiatica.

Salsat Dæmon, audet Venus.

Saltitant Dæmones ad molles Sirenum voces.

6.

Amoue igitur molles suo cum saltatu cantiones. Iacobum sequere, qui socerum fugit clanculò, ne cogatur aures dare tympanis, & crotalis Asiaticis. Ad Iacobum Labanus *Gen. cap.* 31. *num.* 27. Doleo (inquit) raptam mihi occasionem, *vt prosequerer te, cum canticis, tympanis, & citharis*, &c. Syrum, quod pater, est tripudium; vbi dulces voces cum tormentis musicis conueniunt. *Quæ tamen adhibere Labanus cùm vellet* (teste Procopio,) *constat Iacobum effugisse*, &c. Sentit profectò vir Sanctus fraudem Syro tripudio tectam esse; quæ scilicet animum à Deo procul auertat; quare & tristes vultus soceri, & molles Syrorum choros fugit, ne labatur affectu. Sentit & fraudem virgo Iephthæa, quæ à patre mensis impetrat, Iudic. 11. num. 37. *vt plangam* (inquit) *virginitatem meam*, &c. Vt quæ annis teneris admisisset, lachrymis diluere, priusquam ferro caput subiiceret. Sic interpretor. Sed quid Virgo peccauit annis teneris? Illud ego scio, virginem choris Syriacis delectatam esse: nam vt Patrem victorem salutaret, num. 34. *Occurrit cum tympanis, & choris*, &c. A chorea igitur Syriaca nihil sibi mali non affricaret virgo tenera, quod tristi fletu diluendum esset. Abeant ludiones Asiatici, & Sirenes Syriacæ; neque enim suam tuentur causam ex *Psal.* 150. vbi Dauid poscit tormenta musica ad fidem sanam, & castam religionem à n. 3. *Laudate Deum in sono tubæ, laudate eum in psalterio, & cithara; laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, & organo*, &c. Carmen enim ita Dauid claudit n. 6. *Omnis spiritus laudet Dominum*, &c. Ac si vellet; valeant apud homines voces, & fides sine affectu. *Diuinum autem ministerium separans psallit spiritus*, &c. Hæc Clemens Alex. *lib.* 2. *Pædag. cap.* 4. Quæ Musæ Dauidicæ forma datur, à pio venit affectu. Aliter Gentes metu victæ apud Holofernem choros ducentes in tympanis.

Gen. cap. 31. n. 27.

Fugit benè Iacobus ne frangatur cantu Asiatico.

Iudic. c. 11. n. 37. 34.

Venerem acuunt molles cantiones.

Ps. 150. n. 3. 6.

Quæ ab pio affectu Musa est, casta Musa est.

Num. 11. Nec ista tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt.

Commentarius.

21. OBsequio lenire Holofernem curant Gentes metu perdomitæ, & vultu ad læ-

Veles. in Iudith.

titiam composito, vt sibi, suisque rebus consulant. Nihil tamen obtinent, nec vlla in Duce barbaro est commiseratio Gentis miseræ. Ferreus omnino homo, ac plusquam ferus est. Nam, teste Seneca, *Officia etiam feræ sentiunt*, &c. *ad 1. de Benef. cap.* 3. Vidit Roma, & miratur Leonem amicè gratificatum Androclo, à quo opem tulerat, apud Agellium 1. *cap.* 4. Laudat Plinius *lib.* 11. *cap.* 14. hominem à Dracone seruatum, agnita voce hominis. *Et affectus sunt indicia in serpente animalium sæuissimo*, &c. Vnde credo facilè aquilam à puella educatam, retulisse gratiam, aues primùm, deinde venatus aggerentem, Plin. *lib.* 50. *cap.* 5. Quid ego commemorem canum fidem aduersùs dominos? Totus in hac re Plinius est lib. 8. cap. 11. *Pugnasse aduersùs latrones pro Domino canes accepimus; ab alio cognitum in conuentu percussorem Domini laniatu, & latratu compulsum fateri scelus*, &c. Video Ælian. *de Animalib. lib.* 10. *cap.* 48. *lib.* 17. *cap.* 37. *lib.* 3. *cap.* 37. Addit igitur Seneca loco citato. *Adeò etiam quæ extra intellectum, atque existimationem beneficij sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis euincit*, &c. Sed Holofernes, obsequio multiplicato, adhuc non flectitur; imò grassatur, feritate plusquam belluina, in Syriam vniuersam.

Gratificantur hominibus & bestiæ.

22. Multam in obsequio humili vim inesse ad mulcendos animos hominum, constat ex Abrahamo, qui Gen. 23. n. 7. *Adorauit populum terræ, filios scilicet Heth*, &c. Cùm ab Hethæis peteret n. 2. *Date mihi ius sepulchri vobiscum*, &c. Nec semel Abrahamus se se submittit; sed iterum n. 12. *Adorauit coram populo terræ*, &c. Ac si spem rerum locatam bene putaret in obsequio multiplicato. quod Lyra docet. *Fecit enim illis reuerentiam, vt impetraret locum sepulturæ*, &c. Quò se Aaron demittit, cùm fratrem sibi placatum velit? Maior natu, ac Pontifex erat Aaron; quod patet ex 6. *Exod. num.* 20. ex *cap.* 28. *n.* 1. Sororem tamen secutus in Moyse carpendo timet, ne lepram à sorore in se diuertat. Quid tunc Aaron? Quid natu maior? Quid Pontifex apud Moysen? Num. cap. 12. num. 11. *Obsecro Domine mi*, &c. Eo erat in metu Pontifex, vt Moysen ætate, ac dignitate maior sibi præferret Dominum. Vnde Abulensis q. 58. *Humiliauit se Aaron, quantum potuit, vt facilius impetraret*, &c. Certus omnino artem veniæ promerendæ, obsequium esse; quare & Magnus Deus ritu vario, obsequióque humili coli se voluit, toto Leuitico. Lego hostiam dari de pace firmanda inter Deum, & hominem; victimam de hoste victo offerri: sacrum de animo expiando institui; cultum de columba, de agno, de vitulo adornari, legésque iuberi de officio Leuitico. Ad rem igitur: cur eo se coli obsequio voluit, ac iussit Magnus Deus? scilicet vt probaret obsequio vinci vel iratum Deum posse. Abulens. ad præfatum Leuitic. *Vt cultus ille, qui in cordis latebat medulla, cunctis extrà pateret, & per exteriores operationes interior habitus ad merendum fortior redderetur*, &c. Quis igitur neget multam obsequio extero potestatem esse ad gratiam impetrandam? Hac via Holofernem aggreditur Syria vniuersa. *Nec tamen*

Obsequio flectuntur homines.

Exod. cap. 6 n. 20. Num. c. 12. n. 11.

Impetrat facilè modesta supplicatio.

Iuuatur pietas intima externo cultu.

iſta faciens, ferocitatem eius pectoris mitigare potuit.

23. Barbarus impendiò Holofernes eſt, ac longè diſſidet à Rege bono, à Deo optimo, De Rege Theodericus lib. 5. epiſt. 6. *Suſcipienda* (inquit) *precatio eſt, quæ publicis vtilitatibus non repugnat*, &c. Cur nolit Princeps delicti veniam dare, quæ officio nihil detrahit? Erat homo debitis obnoxius, nec talentis ſoluendis facultas erat, apud *Matth. cap.* 18. *num.* 24. Iratus in procuratorem Princeps vendi iubet hominem iuremerito. Quid procurator? num. 26. *Procidens autem ſeruus ille orabat*, &c. Nec mora eſt: obſequio humili veniam impetrat, num. 27. *Miſertus autem dominus ſerui illius, dimiſit eum*, &c. Id ego nihil miror. Nam Princeps erat ſceptro potens, ac proinde non exuit hominem. *Simile eſt homini Regi*, &c. In locum Abulenſis q. 132. *Rex ſcilicet, quia nobilis erat, citò miſertus eſt*, &c. Quid ſi Princeps quiſque hac via Deus eſſe poteſt? Certè Nazianzenus, *Orat.* 17. cùm Præfectum vrbis ad benignitatem vrget, illud addit. *Nihil tam diuinum homo habet, quàm benignitatem. Licèt tibi nullo labore Deum fieri, noli diuinitatis conſequendæ occaſionem abiicere.*

Exoratur facilè bonus Princeps.

Matth. c. 18. n. 24. 26. 27.

Deum reddit facto qui parcit.

24. Verè Deus in erratis condonandis facilis eſt, maximè ſi mulcetur obſequio. Pœnam capitalem Cainus fratre interfecto, & meruit, & timuit, Geneſ. 4. num. 14. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me*, &c. Ne tamen pœnam reus ſubeat, Deus vetat, num. 15. *Nequaquam ita fiet*, &c Quanta in Cainum Dei benignitas, qui ſeueritatem irritauerat? Sed factum à Caino ſacrum eſt, quo Deum mitigat, num. 3. *Factum eſt poſt multos dies, vt Cain offerret*, &c. Vnde occaſionem Deus rapuit, ne vitam Caino eriperet, quod Ioſephus habet lib. 1. Antiquit. cap. 2. *Suppliciũ quidem, quod cæde commeruerat, remiſit, ſacrificio placatus, ne grauiùs ſæuiret in ſupplicem*, &c. Maior, quod puto, Abrahamo humili vis, qua Deum, vel iratum lenirer. In metu ſenex erat, ne moleſtè Deum fatigaſſet, pro Sodomis liberandis. Iam enim ſemel rogauerat *Gen.* 18. *n.* 23. ac proinde rogaturus iterum *n.* 27. præfatur modeſtè, *Loquar ad Dominum, cùm ſim puluis, & cinis*, &c. Cur vili ſe puluillo parem Orator facit? Cur ſe Domino ſeruum ſubmittit ceruice preſſa? Iratum ſibi Deum ratus, *Obſecro* (inquit) *ne iraſcaris Domine*, &c. *n.* 32. itámque obſequio ſenex mollire voluit Hieronymus in tradit. Hebr. *Quia videbatur Dominum interrogans reſponſione arctare, præfatione temperat, quod quærit*, &c. Et quidem bonus Deus, eo ſe humilique officio vinci paſſus eſt. Longè ab hoc ſtudio bonitatis exerendæ Holofernes, vtpote quem nec obſequio ſupplici mitigare potuit Syria vniuerſa.

Sacris mulcetur Deus, ne pœnam ſumat de reo ſcelerum.

Geneſ. cap. 4. n. 14. 15.

Gen. cap. 18. n. 27.

Preces iuuat animi ſubmiſſio.

Num. 12. Nam & ciuitates eorum deſtruxit, & lucos, &c.

Commentarius.

25. QVod in mandatis habet Holofernes, exequitur; vrbes, & lucos euaſtat ferro, & flamma. Miror ego cur vrbes ſolo vellit adæquare? cùm ſit prudentiæ Laconicæ vrbes capere, non perdere. Aliter ſenſit Philippus Macedo, quod Alexander Ætolicus in hoſtem iacit, apud Liuium lib. 2. Dec. 4. *Non ſic antiquos Macedonum Reges, ſed acie bellare ſolitos, vrbibus parcere, quantum poſſunt, vt opulentius haberent imperium*, &c. Adhuc tamen lis eſt in Senatu Politico, præſtet ne vrbes hoſtium perdere, an ſeruare? Pugnant ea de re Scipio Naſica, & Cato Cenſorinus. Contendit Cato è Rep. eſſe, vt Carthago pereat; ſic metum à Roma longè abeſſe; vrbem, Carthaginenſium ruinis, augendam eſſe; quod Alba euerſa, factum docet Liuius lib. 1. Dec. 1. *Roma interim creſcit Albæ ruinis*, &c. Carthaginem inimiciſſimam dolore iuſto damni puniendam eſſe. Credo ſtare Annibalem pro Catone, cùm moneat in Senatu Carthaginienſi, apud Liuium lib. 10. Dec. 3. *Nulla magna ciuitas diu quieſcere poteſt*, &c. Inde ſcilicet claſſes, & acies aduersùs hoſtem, ac victorem. Quæ enim fides ab vrbe oppreſſa? Argumentum vrget Senatus Perſicus apud Aſſuerum, cùm ſcribit, ne ſinat Ieroſolymam à Iudæo refici, vrbem ſcilicet bellis mouendis facilem. *Quoniam vrbs hæc, vrbs rebellis eſt, & nocens Regibus*, &c. ſic Eſdras *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 15. Deinde addit metu rebellantis prouinciæ, deletam à Chaldæo Ieroſolymam fuiſſe, 4. Reg 25. num. 9. *Quam ob cauſam, & ciuitas ipſa deſtructa eſt*, &c. Hæc Perſis mens de Ieroſolyma euertenda, ne opibus aucta, armíſque potens rebellare auſit, ac rerum domina eſſe velit.

Lis eſt, an proderit euaſtari vrbes hoſtium.

Terrarum affectat imperium magna ciuitas.

Eſdr. lib. 1. c. 4. n. 15. 4. Reg. c. 25. n. 9.

Quid ſi in pœnam damni contracti ſubruta Ieroſolyma? A Chaldæo non abeſt Alexander Macedo, qui è Græca fortuna eſſe probat, vt Perſepolis ſuccendatur, Græciſque pœnas ſoluat; vnde hoſtis in Græciam vniuerſam, ac terror ingens inuaſerat, apud Curt. *lib.* 5. Clamat enim Alexander. *Quin vlciſcimur Græciam, & vrbi faces ſubdimus?* &c. Sed vires capio à Deiſcitis. Nam, *Deut. cap.* 13. *num.* 15. ad Moyſen Dominus. *Percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & dedebis eam*, &c. Cur vrbem Deus perdendam curat? feriat homines, muros non quatiat: ſed vrbem ferro, flammáque ſubuertit. *Ne denuo belli ſedes fiat, nouis hoſtibus*, &c. ſic Philo *ad lib. de Creat. Princip.* Occaſionem itaque rebellantibus Deus ſubtrahit vrbe euerſa. Deinde pœnam de fide polluta extremam ſumi iuſſit, ne alij à fide in poſterum deficerent. Philo iterum, *vt exemplo eius terrerentur finitimi, quando hominum ingenium ex alienis calamitatibus ſolet diſcere modeſtiam*, &c. Quò pertinet fortuna miſera gentis Madianiticæ? *Num. cap.* 31. *num.* 10. Textus eſt inibi, *Tam vrbes, quàm vicos, & caſtella flamma conſumpſit*, &c. Pœnas tamen dedit Madianites, vtpote qui Hebræo auctor peccandi fuerat, emiſſis mulierculis. Nec id Moyſes tacet num. 16. *Nónne prænaricari vos fecerunt in Domino?* &c. Quare æquum erat, vt auctores ſcelerum grauiùs punirentur, vrbe delecta; ſic Origenes Hom. 25. in Num. *Qui peccati cauſa fuerunt, multo vehementiorem ſubeunt vltionem*, &c. Hæc & plura Catonem iuuant. Aliter

Delenda hoſtium ciuitas metu perfidiæ.

Deut. c. 13. n. 15.

26.

Diſcunt homines ex aliena calamitate.

Num. c. 31. n. 10. 16.

Punitur acerbiùs peccandi magiſter.

27. Aliter Scipio ille Nasica; probat enim è Repub. esse, vt staret Carthago, scilicet ad acuendam virtutem Romanæ iuuentutis; sic Romam damni metu continendam esse, quod ex Plutarcho habes in Catone. *Hunc metum, quasi frœnum quoddam multitudinis temeritati moderatorem impendere cupiebat*, &c. Addit Philosophus, quid Nasica reddiderit, cùm alij Remp. meliùs habere dicerent, euersa Carthagine, Græciáque perdomita. *Imò* (inquit) *nunc summo sumus in periculo, postquam non superfunt, quos timeamus*, &c. Vrget argumentum Augustinus *ad lib. 2. de Ciuit. c. 18.* Laudátque Nasicam, vtpote auctorem Carthaginis conseruandæ. *Vt metu vitia cohiberentur*, &c. Adest & Deus in sententiam, *Deut. cap. 2. n. 24.* quo Auctore Moyses Hebræum sic obarmat aduersùs Ammorrhæum. *Committe aduersùs eum prælium*, &c. Cur terram Deus non tradit, nisi pugnantibus? Ratio ex Iosepho est, ad lib. 4. Antiq. c. 4. *Videns Hebræos otio, & egestate facilè adduci posse, vt pristinos tumultus, & seditiones renouarent, occasionem illis adimere volens, consuluit Deum, an bellare permitteret*, &c. Video quò Moyses tendit, cùm Hebræum vrgeri velit bello continuo, scilicet, vt ignauiam excutiant, ac pestem morum.

Arcet metus vitia.

Deut. cap. 2. n. 24.

Multa ex otio mala.

28. Ab hoste igitur disciplinam capit hostis, & viuendi probè, & bellandi bene. Vtramque disciplinam Deus tradit, cùm Gentes Hebræo infestas seruat terra occupata, *vt erudiret in eis Israelem*, &c. *Iudic. 3. num. 1.* ad vitam benè, ac piè agendam, cùm malè pugnarent. Sed Deo in auxilium euocato. Quod Theodoreto placet q. 6. in Iudic. *vt expugnati procedens ab errore damnum sentirent, & confugerent ad conseruatorem Deum*, &c. Aliud Deo consilium fuisse, quo hostes Hebræo prouiderit, scilicet ad artem militarem, de textu est. *Nam bene vti pugnes, bene pugnans efficit hostis*, &c. & quidem hostis hoste, velut ferrum cute exacuitur. Sic Ligures Romano hostes pro cote fuisse testatur Liuius lib. 9. Dec. 4. *Is hostis velut natus ad continendam Romanis militarem disciplinam erat*, &c. quæ profectò ratio euincit delendas non esse vrbes hostium, etsi felices opibus, armísque potentes.

Iudic. c. 3. n. 1.

Ad Dei aras vrget hostis pertinax.

29. Deinde lucrum est ingens ex vrbe, & agro hostium opes cogere ad alendum militem, quo argumento Roma non sæuit in Capuam, licèt hostem amicè recepisset Annibalem. *Nam, propter agrum, quem omni fertilitate terræ satis constabat primum in Italia esse, vrbs seruata est*, &c. apud Liuium *lib. 6. dec. 3.* Aliter Sueuus apud Cæsarem *lib. 4.* Nam *publicè maximam putant esse laudem, quam latissimè à suis finibus vacare agros; hac re significari magnum ciuitatum numerum suam vim sustinere non posse*, &c. Id tamen Sueuus more barbaro. Potior in causa dubia Iudex Archidamus apud Thucid. *lib. 1.* Sic ille ad milites de agro hostili. *Nec aliud censete terram hostium, quàm obsidem; idque eo magis, quo illa cultior*, &c. Potuit Archidamus id haurire à Moyse, qui *Deuter. 20. num. 19.* docet, vrbes hostium obsidendas, non euertendas esse; nec arboribus frugiferis ferrum impingendum. *Non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus percircuitum debes vastare regionem*, &c. In locum

Lucra ex agro hostili multa.

Deut. c. 20. n. 19.

Philo ad lib. de Creat. Princip. *Prosunt enim victoribus, præbendo rerum copiam: non enim à solis hominibus tributa coguntur, sed etiam ab arboribus*, &c. Quòd si Cato ficus grandiores ex agro Carthaginiensi in Senatum retulit, vt inde argumentum faceret vrbis delendæ: inde Nasica potuit argumentum frangere; delendam scilicet vrbem non esse, quæ agro fertilissimo Romam posset alere. Illud igitur putes licet, perdendam vrbem non esse, inde tributa cogi possunt; & quæ regno occupato decus, ac ornamentum est. Placet Spartanus Iudex; qui in Athenis seruandis pertinax est, apud Iustinum *lib. 5.* Cùm enim multi delendum Athenienſium nomen, vrbémque incendio absumendam censerent, *Negarunt Spartani se è duobus Græciæ oculis alterum eruturos*, &c. Id vtinam faceret Holofernes, Syris in deditionem conuenientibus; sed *& ciuitates eorum destruxit.*

Seruanda è Dei scuto hostium oppida.

Additum regno decus ab vrbe seruata.

Et lucos eorum excidit.

Commentarius.

VIdeo, quò tendat Holofernes, cùm detruncat arbores, & lucos exscindit, vanis scilicet Diis sacros; si quid Maro canit *lib. 8. & 9.* Statius *lib. 3. & 4.* Claudia. *lib. 3 de Raptu.* Illud Plinius lib. 12. cap. 1. *Nemora Diis antiquis templa fuisse*, &c. Nec Strabo sentit aliud, quàm nullum antiquis templum sine luco esse, *lib. 6.* Cur id fieret, notant voces Dei tristes, ac dolentes, 3. Reg. 14. num. 25. *Ædificauerunt sibi aras, & statuas, & lucos*, &c. Petis fortasse, quid peccati est, si Hebræus pangat arbores, arísque apponat? Sed erat lucus opacitatis plurimæ, Lyrano teste, *ad exercendam ibi luxuriam*, &c. Colligit sententiam è versu proximo 24. *Effœminati fuerunt in terra*, &c. Quasi vellet famosum quemque petere latebras arborum, vt licenter agat. Quo in malo fuisse Maacham dolet Asa 3. *Reg. cap. 15. num. 13.* Ac proinde Matrem longè amouet. *Ne esset Princeps in sacris Priapi, & in luco eius*, &c. Turpem Asa trudit Antistitam, quæ tristes sine luce lucos adiret. *Ad explendam libidinem sine rubore*, &c. quod notat Abulensis *q. 11.* Nouerat bonus Deus, quid nequitiæ patrarent homines in latibulis, & prostibulis arborum, cùm mandaret Deut. cap. 16. n. 21. *Non plantabis lucum, aut omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui*, &c. Arbores ab ara Deus abigit, siue mites, siue agrestes. Mites quidem, vt Philo voluit *ad lib. 2. de Monarch.* Nam, *Mitiores arbores, quæ mites fructus ferunt, parum cordatos viros a religione retraherent*, &c. Cùm pomus sua, & cocta poma offerret; facilè erat homines mentis leuiusculæ manum iniicere, & furto, quanuis leui, pios sopire motus animi. Deinde agrestes, & infelices arbores aris hærere vetat Deus; ne quid sub vmbra colatur artis maleficæ. Nam, ex Philone citato, *Syluarum condensa maleficiis conueniunt*, &c. Quæ tamen euincat ratio, vt vtramque ab ara arborem Deus pellat, ea est, loco citato, *Quoniam verum templum non amœnitates postulat, sed seueram castimoniam*, &c. Eò Philo intendit oculum, quò Seneca *epist. 51.* vbi

30.

3. Reg. c. 14. n. 23. c. 15. n. 13.

Lucus templo additus ad Venerem colendam.

In latebris fauit libido.

Deut. c. 16. n. 21.

Turpantur gula leues homines.

Habiles maleficis arbores.

Emollita amœnitas in Venerem.

vbi Philosophus, *Effœminat animos amœnitas nimia.*

31. Grande malum, quòd à fide sana, & casta longè abesse Deus voluit, cùm lucos ab ara longè exegit, Deut.cit. *Ne scilicet passiua,* (hoc est, vaga) *& voluptuosa religio austeritatem veræ religionis euertat*, &c. sic Hieronymus *ad Hoseam, cap.* 4. Quare laus est Christiano populo operari sacra, non in luco, non viridi sub arbuto; nec obscuris latebris: quod Michæas expendit *cap.*5. Cùm enim vanos Deos longè trudat à cœtu Christiano verus Deus num.12. *Perire faciam statuas tuas de medio tui*, &c. infert, apparatum Idololatriæ perdendum esse, n.13. *& euellam* (inquit) *lucos tuos de medio tui*, &c. Grande malum! *Quis enim* (teste Ruperto) *nescit maleficia, diuinationes, statuas, & lucos ad sacrificandum Dæmoniis sacratos verè esse mala?* &c. lib. 2. Ostendit igitur Vates quid Gens Christiana peregerit, fide in Christum suscepta. Rupertus iterum. *Quòd verum colentes Deum non lucos frequentant, nec latebras, vel tenebras quærunt, ad sacrificandum Principibus tenebrarum.*

Duritia fides seruatur.

Mich.c.5. n.12. 13.

Latet, quod fœdum est.

32. Vnum hoc è malis bonum est, quòd mala sua tegit famosus quisque Idololatres. Commendat id Theologus *Orat.* 34. Nouit ille Priapum nequitiæ, & Consum consilij præfectos Deos, ara tecta, imò subterranea, cultos esse. Nam de Priapo textus est 3. *Reg. cap.* 15. *n.*13. vbi Asa Idolum fregit. *& subuertit specum eius*, &c. De Conso Tertullianus agit ad lib. de spectac. cap. 5. *Nunc ara Conso defossa est ad primas metas sub terra*, &c. Sed turpes Deos cùm latere cogit pudor, laus est, Auctore Nazianzeno, *Infra terram occultarunt; hoc vnum satis consultè*, &c. namque agi, turpe est, hæc videri, absurdum videtur. Nec mente alia Clemens Alex. *Orat.* 1. Bacchi, ac Cereris mysteria noctu celebrari probat. *Digna* (inquit) *nocte mysteria*, &c. Quare sacrorum Mystes malè desipit, cùm faces accendit, vt Patrem Liberum colat, ac Matrem Cererem. Hominem vrget Clemens. *Extingue ignem, ô Sacerdos? cela nocte mysteria, & orgia honorentur tenebris*, &c. Pudet homines peccare luce palàm; vnde latebras sibi quærunt. Quod Paulus docet 1. ad Thessal. c. 5. n. 7. *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt*, &c. Prudentes hac via homines, qui sibi consulunt. *Opera nimirum tenebrarum, & digna latebris, occultantes tenebris*, &c. quod Bernardo placuit *serm.* 86. *in Cant.* Et erit, qui nolit

Tegi rem turpem fas est.

3. Reg. c. 15. n. 13.

Pudorem gignunt scelera.

1. ad Thessalon. c. 5. n. 7.

PARÆNET. XII.

Peccatum qualecumque fœdum esse?

1. *Peccatum natura fœdum tegit pudor, aut timor.*

LVcos, & latebras arborum consultò petunt Antistites nequitiæ profligatissimæ. scilicet lucem fugiunt turpes homines, eáque fuga notant fœditatem scelerum: quandoquidem, Tertulliano Magistro, *Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit*, &c. *Apologet. c.* 1. vel enim cruce malus, vel pudore bonus absterretur. Vnde natum, vt reus sceleris, vel fato, vel astro imputet mentis impetus, prætendens vim sibi additam, vt laberetur affectu. Id verò quare? Tertullianus iterũ. *Suum esse nolunt, quod malum agnoscunt*, &c. Fœdum adeò peccatum est, vt erratum facto, non scelus inesse velint; cur oculos non auertat Deus Optimus, si peccati facies adeò fœda est? *Abscondam* (sic ille, Deut. 32.n.20.) *faciem meam ab eis*, &c. Minatur in loco Dominus, & minandi occasio in proximo est. *Generatio enim peruersa est, & infideles filij*, &c. vbi de fide violata Iudex queritur. Premat igitur homines, amandet in exilium, feriat ferro, & flamma; quid vultum auertit aliò? scitè Clemens Alex. 1. Pædag. c. 8. *Non vult intueri malos; est enim bonus*, &c. Qui fœdam in rem incidit, cum nausea vultum abducit aliò: & Deus Optim. nauseat quodammodo, cùm sordes inspicit mentis improbæ. Sensit Isaias qualem Deus ferret nauseam, ad fœditatem cuiusque sceleris; tonat in homines, cap. 59, n. 2. *Peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis*, &c. Negat Dominus videre, quod absurdum, ac fœdum est: itaque oculos abducit à peccantibus. *Tanquam eorum turpitudinem, ac fœtorem nequeat tolerare*, &c. sic Procopius. Nam peccatum fœdum iuxtà, ac fœtidum est.

Deut. c. 32. n. 20.

Auersatur fœditatem scelerum Deus optimus.

Isa. c. 59. n. 2.

Fœtent Deo scelera.

2. Agnoscit peccati sordes, qui seuerè iubet. Num. 31. n. 24. *Lauabitis vestimenta vestra die septimo*, &c. Congressus cum Madianita Hebræus fuerat; quod patet ex *n.* 2. vbi Deus ad Moysen, *Vlciscere* (inquit) *prius de Madianitis*, &c. & quanuis bellum cum hoste iussus à Deo miles gesserit, adhuc sordescit ex congressu gentis improbæ. Ad rem Origenes Hom. 25. in Numer. *Qui pugnant, eo quod hostes immundos contigerunt, & habuerunt cum illis certamen, polluti sunt*, &c. Hærent nobis sordes scelerum ab hominibus, quibuscum agimus, cùm peccatum, & fœdum sit, & sordidum. Quid si vel terram brutam sordes afficiunt, & inficiunt libidinis turpissimæ? Patet id ex communi alluuione terrarum, ad Gen. 7. n. 10. *Aquæ enim diluuij inundauerunt super terram*, &c. Cur aquis Magnus Iudex terram obruerit vniuersam, ostendit liquidò Chrysostomus Hom. 25. *Malitia plenus erat, purificatione orbis indigebat; & opus erat omnem ab illo maculam elui*, &c. Et erit, qui neget peccatum verè sordidum esse?

Num. c. 31. n. 24.

Sordes à socio sordido contrahuntur.

Gen. cap. 7. n. 10.

Ad eluendi peccati maculam grandi opus esse diluuio.

3. Sed & putidum omnino peccatum est, scilicet ab auctore sordes trahit. Nónne Dæmon peccandi artifex, & fœdus, & fœtidus est? Inde immundus appellatur spiritus; & hæc miselli hominis fortuna est, apud Marc. 1. n. 23. *Erat homo in spiritu immundo*, &c. qui scilicet trahit homines ad lutum scelerum, vnde nomen habet. *maximè quod obscœnis, flagitiosisque operibus delectatur*, &c. Hæc Victor Antiochen. Quàm fœdus igitur Arichidæmon tam fœtidus peccati Architectus est. Hominem à Dæmonum acie obsessum vendicat Magister Dominus, *Marc. 5. n.* 2. Sed qua in aula Dæmon suo cum cœtu? *Occurrit de monumentis homo in spiritu immundo*, &c. Rectè quidem: sedem habet in sordibus, qui moratur in tumulis. monet id Chrysologus serm. 17. *Habitacula fœtida, & immunda perquirit; sordibus delectatur, & cœno, qui semper fœtore criminum, & squalore pascitur vitiorum*, &c. Ab architecto igitur peccandi sordido, & putido, quid mirum, sordes effluant scelerum in homines plurimos. Et verè

Mar. cap. 1. n. 23. c. 5. n. 2. n. 13.

Amat Diabolus fœditatem scelerum.

Multa Diabolo spurcities.

verò tanta est Dæmonum spurcities, vt vel sues mori maluerint, quàm ferre Dæmonum odores teterrimos, n.13. *Magno impetu grex præcipitatus est in mare*, &c. Quænam vis porcinum gregem detrusit in mare? sordes, ac pædores Dæmonum pati non potuit: quod notat Chrysologus serm. citato. *Demergi in mare, ac fluctibus maluit deperire, quàm eius immunditiam pati, & putredinem tolerare*, &c. Quàm fœdus peccato odor erit à Dæmonio malè olente? Qui vrget homines ad fœdos æquè, ac turpes affectus scelerum.

4. Sed à peccati fœda, & putida facie pulchrè homo pudorem contrahit, latebrísque abscondit, quidquid peccatum est. Vel de fraterno scelere erubescit Iosephus grauiter. Queritur se è terra patria extractum esse, Gen. 40. n. 15. *Furtim* (inquit) *sublatus sum*, &c. Non tamen explicat fraterno se odio venditum. *Pudet enim eum malorum fratrum*, &c. In sententia Chrysostomus est *Hom. 5. ad 2. Corinth. cap. 2.* Eóque Iosephus pudore victus fratres peccantes amicè regit, ne turpes nævos detegat prosapiæ nobilissimæ. Iosepho hæret Dauid, cùm Absalomum tacuerit, scelus explicans iuuentutis rebellantis; nam *Ps. 7. n. 2.* Leonem vocat Principem, non Absalomum. *Nequando rapiat vt leo, animam meam*, &c. Quòd verò Psalmus de Absalomo egerit, bene monet epigraphe, *Pro verbis Chusi*, &c. Et patet ex *2. Reg. c. 16. n. 16.* Cur filium malè sanum Dauid non appellat, sed Leonem? Pulchrè in locum Basilius. *Hæc dicit, quodammodo erubescens pater iniqui filij appellari*, &c. A Basilio Chrysostomus non alius, *Pro filio erubescit, ac pudore afficitur*, &c. Quàm fœdum ac sordidum peccatum est, vt bonus quisque de scelere domestico pudorem concipiat. Quo affectus vultum solo affligit meus Iesus, cùm Patrem orat, apud Matth. 26. num. 39. *Procidit in faciem suam orans*, &c. Adæ scelus, cruce lata, ferendum susceperat; inde pudor Christo ingens, vel apud bonum Patrem. *Erubescit leuare faciem ad Deum, cùm totius mundi peccata sustineret*, &c. Hæc Salmeron *tom. 10. tract. 12.*

Gen. 40. n. 15.

Pudet virum bonum peccantium fratrem esse, ac dici.

Ps. 7. num. 2.

2. Reg. c. 16. n. 16.

Pudor est paterna virtutis filius impudens.

Matth. c. 26. n. 39.

Ingens Christo pudor est de peccatis hominum.

5. Quòd si alienum scelus viro bono propudium est, quis erit pudor, vbi scelus admiserit? Eat in latebras, necesse est. Sinit Magister Petrum labi turpiter, ac negare perfidè, apud *Matth. 26. num. 34.* Vnde Magistri voces tristes, *Antequam gallus cantet, ter me negabis*, &c. Ita ne mi Domine Petrum deseris, apicem scholæ Apostolicæ, vt in præceps ruat? Quo id consilio? Theophylactus optimè, *vt ne extolleretur*, &c. Tanta est peccati fœditas, vt satis Petro fuerit ad pudorem humilem, meminisse, quid peccasset. Vnde & gallicinio excitatur, vt aula procul abeat, & lessum faciat. Textus enim, *Continuò* (inquit) *gallus cantauit*, num. 74. ac deinde pudor Petro ingens, & peccati fuga est. *Egressus foras fleuit amarè*, &c. *num. 75.* Galli igitur cantu vexatur Petrus, ad pudorem, & dolorem, ne superbè intumescat Pontifex: & rem firmat Gallus Salmanticensis, vexatio, quam vocant, ne suo Doctor honore tumeat. Quare suus Petro gallus est errati cantor, ne Sacerdotum Magister, ac Princeps insolescat. Gallus iste peccati monitor Petrum ab aula trudit, vt fundat lachrymas. *& egressus foras fleuit amarè*, &c. Pudet Petrum Magistri oculis adesse, quem negauerat. *Verecundia egressus est*, &c. quod Maldonato placuit. Agnata peccato fœditas pudorem adeò grauem vrget, vt qui Deos peccantes cecinit Poëtes, & syluis texerit sordes infames scelerum, & modis adumbrauerit allegoricis. Vnde Iouem, imbrem; Apollinem, Solem; Deósque alios nominibus aliis insignes fecit. *Vanè* (ait Rupertus) *pudorem humanum consolatus*, &c. *lib. 9. in Apoc.* Sic lenocinari sibi Poëtes voluit, vt contractum ex turpi Dæmonum cultu pudorem leniret; sed Holofernes, quæ syluis tecta Deorum erant scelera, vulgo dedit, cùm lucos excidit.

Sapsus peccati morsus est superbia.

Peccati pudor ablegat hominem ab hominibus.

Quòd turpes Deorum actiones vmbra obtegantur mystica, pudor est.

Num. 13. Præceperat enim illi Nabuchodonosor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus diceretur Deus.

Commentarius.

LAruam excussit Nabuchodonosor, & mysterium illud, de quo *ad cap. 2. n. 2.* aperta detexit facie. Diis parat Theomachiam, & bellum religionibus mouet, non regionibus. In hanc rem belli apparatus Assyrius. Pium omnino opus est, Deos vanos profligare; profana Dæmonum fana diruere, lucos desecare sacratos aris improbis; Antistites protrudere religionis turpissimæ, pium omnino officium est, & à bono viro. Id enim Asa Princeps fecit *2. Paral. c. 14. n. 3.* id Ezechias *4. Reg. c. 18. n. 4.* id tandem Iosias *2. Paralip. cap. 34. n. 4.* Sed Holofernes mente alia rem aggreditur, scilicet verum è cœlo Deum trudit, & suum pro Deo Regem intrudit, adulatione Asiatica. Quò improbitatis non procedit superbè tumens homo? Nam fortuna amens hominem exuit, ac Deum induit. Rectè Curtius *lib. 10.* Alexandrum taxat corruptum fortunæ bonis. *Sic scilicet secundæ res valent commutare naturam*, &c. quod adeò verum est, vt à se ipso degenerans, *Iouis filius non dici tantùm, sed & credi voluerit*, &c. *lib. 8.* θεὸς audit Antiochus vultu facili; quod Iosephus tradit *lib. 12. Antiquit. c. 3.* Quis nescit consecrationes Cæsarum? Iocari libet cum Vespasiano, qui in metu mortis extremo, *Prima* (inquit) *morbi accessione, vt puto, Deus fio*, &c. apud Suet. *c. 23.* Sic homines de bono, ac summo Deo malè merentur, exuta superbè natura. Nónne Pharao sceptro potens Deum negat pertinax? Exod. c. 5. num. 2. *Quis est Dominus?* &c. Malè habeant adulantes Magi, qui (teste Ruperto) *signa faciemes, confortabant Regios animos ad non credendum, ad resistendum signis, ac Dei virtutibus, vt non minus potentes viderentur sibi, quàm Deus erat*, &c. *lib. 8. in Apoc.* Homines de grege hominum, qui Domitianum, vti Deum, salutabant; ne quid se non posse crederet. Nam ex Satyra Iuuenalis 4.

——*Nihil est quod credere de se*
Non possit, cùm laudatur DIs æqua potestas, &c.

Hæc fortuna rerum Nabuchodonosor quid sibi non arrogat? Exuit hominem, quæ huma-

33.

2. Paralip. c. 14. num. 3. c. 34. num. 4. 4. Reg. c. 18. n. 4.

Deo bellum mouet superbia.

Exod. cap. 5. n. 2.

De potestate Regis cum Deo contendunt.

næ ſuperbiæ vis,& nota eſt, teſte Hildeberto *ad epiſt.31. Quòd homo adulante fauore demulcetur,& quòd hominem pene diffitens, æqualem ſe ſuperis & metitur,& mẽtitur*,&c.Sed eſto Deus fiat Nabuchodonoſor, par cum Diis reliquis ius habeat. Cur Diis bellum mouet? *Præcepit enim illi Nabuchodonoſor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret*, &c. An Deo refractarius, pati non poteſt conſortium diuinitatis? Res de textu eſt. *Videlicet vt ipſe ſolus diceretur Deus*,&c. Monſtrum ingens:nec Caius ab Aſſyrio alius;qui modò ſe ſe,claua arrepta, vertebat in Herculem;modò in Mercurium,ſumpto caduceo:nunc Bacchum thyrſo; nunc Iouem fulminibus referre auſus. Cur verò id Caius? Philo egregiè ad lib. de Legat. *Vniuerſos ſibi honores iubebat congeri,vt eos, quibus inuidebat, Deos vinceret*, &c. Sed prior eò arrogantiæ proceſſit Nabuchodonoſor, cùm ſummum ſuo in cælo Deum tentauerit.

Deo inuident humani Iouei.

34. Non eſt mei voti perſequi latè, quo ſtudio Reges Perſis inter Deos culti:probat id Serar. *ad Eſther cap. 3. quæſt.3.* quod antè Briſſonius *lib.1.de regno Perſ.* Illò te;ſcias tamen Reges à Perſis adoratos latricè; quod putat D. Thom. *2. 2. quæſt. 84. art. 1.* Eò ſi Plutarchum trahis, non exerras. *Regis* (inquit) *fortunam adorant Perſæ*, &c. *In Artax.* Sed pleniùs hac de re Cleo diſputat apud Curt. lib. 8. *Perſæ non ſolùm piè, ſed etiam prudenter Reges ſuos inter Deos colunt*, &c. Viles omnino adulationes; quas occiſio Domitiano ad Gentem Aſiaticam amandat Epigrammatiſtes lib. 10. Epigram.72.

Regem quaſi Deum colit adulator Perſicus.

Fruſtra blanditiæ venitis ad me.
Dicturus Dominum,Deumque non ſum;
Iam non eſt locus in hac vrbe,vobis:
Ad Parthos procul ite pileatos,&c.

Itaque Nabuchodonoſor, & ſuperbiæ Aſſyriæ alumnus, & affectatæ diuinitatis reus eſt, vtpote Ninæ Princeps; vnde prima Idololatriæ labes in Aſiam vniuerſam. Rides fortaſſe, & contendis Idololatriam diluuio priorem fuiſſe. Id ſi placet,motis calculis diſquiramus:

PARÆNET. XIII.

Fuerit ne prima à Nino Idololatria?

VOlunt Magni homines, Magiſtríque nobiles Niniuen Idololatriæ magiſtram fuiſſe: vnde vana ſuperſtitio peruaſerit Aſiam vniuerſam. Et ſermo eſt de Idololatria, quam vocant popularem D. Thom. *2.2.q. 94. art.1.* ibi interpretes Suar. *de ſuperſtit. lib. 2. cap. 5.* quæ hominibus in Deos receptis alitur, & curatur aris extructis, & ſtatuis erectis publicè. Idololatriam huiuſce notæ à Niniue profectam eſſe volunt Irenæus *lib.2.cap.9. & lib. 5.cap.29.* Iſidor. *lib.8. Etymolog. cap.10.* Abulenſ. *ad Gen.4.quæſt.13.*Lyra *ad Dan.4.* Delrio *ad Gen. cap.10.* Lorin. *ad Sapient.cap.14.*Cùm Ninus Belum vitâ functum ara extructa, ſtatuáque erecta conſecraſſet, populo miſerè adacto ad Idololatriam publicam. Nam conſtat liquidò Belum Aſſyriis Deum fuiſſe auctoritatis ſacratiſſimæ; quod habet Plinius *lib. 37. cap.10.* Diodor.*lib.3.cap.4.*Genebr.*lib.1.Chronogr.* & quod magis placet, Hieronymus *ad Hoſeam* 2. Sed vrget Salomon *Sapient.cap.14.* Quo loco aliud Idololatriæ initium eſt, n. 15, *Acerbo enim luctu dolens Pater*, &c.) Syrophanes ſcilicet Ægyptus) *citò ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum nunc, tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra*, &c. Nulla tamen argumento vis eſt ſi dixerim Syrophanem quidem Ægypto magiſtrum fuiſſe ſuæ Idolomaniæ; Ninum Aſſyriis auctorem eſſe Idololatriæ publicæ. Nec plura in loco Sapiens voluit:nec Fulgent.*lib.1. Etymolog.§. vnde Idolum.*Iuuant interpretationem Cyprianus *ad lib.de Idolis.*Nazianzen. *Orat.* 34. Auguſt. *contra Fauſtum lib.22.c.17.*

Sap cap. 14. n. 15.

Ab Ægypto priuata Idolomania.

Sed grauiùs vrgent alij, qui Idololatriam omnino publicam ab Adæ nepotibus,& profectam, & progreſſam eſſe adſtruunt: Autores ſententiæ, *ad Gen.* 4. Magiſter Hiſtor. Lyran. Oleaſt.Ex Hebræa ſchola apud Hieronymum *in tradition.* Genebr.*lib.1. Chronogr.Anno 325.* Philo Biblicus *lib.* 1. Serenus apud Caſſian. *collat.8.cap.21.*Sed à Ioſepho exſcripſit Adami nepotes,Caino duce, vanos ſibi Deos concinaſſe,lib.1.Antiquit.cap.5. *De paternis*(inquit) *ſolennitatibus progreſſi ad mala ſunt; neque legitimos honores præbentes Deo, neque ad homines iuſtitiæ verba facientes*, &c. Et quidem Iuſtinus Martyr *Orat. Paranet. ad Gentes*,credit ſerpentem apud Heuam dixiſſe: *Eritis ſicut Dij*, &c. Geneſ.3.n.5. *Vt Deorum nomen memoria retinerent*,&c. Quod & Theophilus Antioch. lib.2. citato. *Iam tunc meditabatur error, ſiue Diabolus Deorum multitudinem ſubſerere*, &c. Addit Tertullianus lib. de Idololatr. cap. 1. *Idolum retro non erat priuſquam huius monſtri artifices ebulliſſent;tamen Idololatria agebatur, non in iſto nomine,ſed in iſto opere*,&c. Scio quid Magiſter velit;ſed Idololatriam diluuio priorem fuiſſe docet,quod abundè eſt. Vnde malus Dæmon Petro Damiano malus eſt Grammaticus, vtpote qui *primus Omnipotentis Dei vocabulum plurali numero declinauit*,&c.*Gen.3.num.5.* Hæc Petrus *lib. 4. epiſt. 9.* Et fortaſſe hoc loquendi colore victus Beda. *Hic*(inquit) *primò orta eſt Idololatria*, &c. Vide Annales Tornielli *Anno 236.*

2.

Ab Adæ nepotibus Idolomania publica.

Gen.c.3.n.5.

Serpens Idolomaniã voluit inferre.

Malus Dæmon eſt malus Grammaticus.

Probant theſin ex *Gen.4.num.26.*vbi ſermo eſt de Enoſo Adami nepote. *Iſte cœpit inuocare nomen Domini*, &c.An quòd nepos Adamo prior Deum coleret? Nugæ meræ: ſed quòd Dei cultum,Caino duce,ablegatum reuocaret precibus publicis. Enos enim, vtpote homo dolens,à verbo,אנש *Anaſc.* hoc eſt *dolere*, ferebat ægrè labi peſſimè fidem, ac religionem diuinitatis vnicæ: quod Hebræo textu patet. Sic enim habet, *Tunc profanatum eſt inuocare nomen Domini*, &c. Et quidem verbum חלל *Chalal* Oleaſtrio,aliiſque hominibus, vtrumque ſonat; ſcilicet & incipere, & profanare. Cùm igitur inſani homines effunderent ſe ſe in omnem improbitatem, Geneſ. 6. num. 5. *quòd multa malitia hominum eſſet*, &c. Cur Idololatriam non admitterent: qua Dei nomen, ac decus maximè polluitur? Vno igitur verbo vtrumque Moyſes claudit,& Enoſi pietatem, & impietatem, Gentis aduerſariæ. Premo deinde argumentum ex *Sapient. cap.14. num.12.* Dato enim Idololatriæ publicæ initio; addit Salomon num. 14. *ſuperuacuitas hominum hæc aduenit*

3.

Gen.4.n.26.

Ab Enoſi suo Idolomania.

Lis eſt de prima Idololatriæ ſchola.

Gen.c.6.n.5.

Sapient.c.14 n.12.14.

aduenit in orbem terrarum; & ideo breuis illorum finis est inuentus, &c. Vires igitur argumento colligo. Si textus est de Idololatria, quæ diluuium subsecuta est, & ad Christum vsque progressa; quomodo breuem sortita est finem? Aliam igitur Sapiens notat Idololatriam, quæ aquis obruta finem habuit, obrutis hominibus. Nec euincit aliud D. Thom. 2. 2. *quæst.* 94. *art.* 4. *ad* 2. negat ille Idololatriam ante diluuium fuisse, eo argumento, quòd mundo recèns condito, retinerent homines animo Conditorem Optimum, & Maximum. Sed quos, mundo recèns euerso, metus contractus non auertit ab Idololatria, nec beneficio natus amor contineret.

Deum non ladit gratus animus.

4. Vrges adhuc: Esto, demus profanatum esse Dei nomen, Enoso id vidente, ac dolente: non probatur Idolomania, sed insania longè alia pollutum esse; quod probat Dauid Psalm. 88. num. 32. *Si iustitias meas profanauerint*, &c. Probat deinde Ecclesiasticus cap. 47. num. 2. *Profanasti semen tuum*, &c. Nego tamen id liberè. Nam profanata Dei inuocatio fidem proximè, religionemque euertit: quod ex Abrami facto patet, Gen. 12. num. 8. *Ædificauit ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius*, &c. Imò Enos suam professus fidem, *cœpit inuocare nomen Domini*, &c. Hæc ego collegeram dubius adhuc animi, quam in partem abirem. Occurrit D. Poncius 1. *part. var. quæst.* 7. animumque dubium propè adegit suam in sententiam. Ne tamen abeam à magnis viris, illud adstruo, Idololatriam quidem Asiaticam à Nino ortam fuisse, vt Niniue Idololatriæ parens, & Nahumo, *vniuersa mendacij*, dicatur, *ad cap.* 3. *num.* 1. Et bello aduerso quassata non semel, doceat

Pſ. 88. n. 32.

Eccl. c. 47. n. 2.

Gen. cap. 12. n. 8.

PARÆNET. XIV.

Puniri grauiter inuentores scelerum.

1. MEruit Niniue Idololatriæ parens, vt sub Ezechia, & Manasse premeretur grauiter; nec semel aduersam belli subiret aleam: id enim operæ erat pretium. Quo donatus Hippias, Athenis quassandis Auctor, ad hostem perfuga, Iustino teste. *Cecidit Hippias Auctor, & concinnator eius belli, Diis Patriæ vltoribus pœnas repentibus*, &c. *ad lib.* 2. Peccati duces imitari, proximum est veniæ: peccandi verò ducem agere, ac Magistrum, turpe magisterium. Ægrè id Deus patitur. Peccat Angelus, punitur reus, venia in perpetuum negata, quod probant scholæ Theologicæ, apud Suar. 8. *de Ang. cap.* 1. Peccat homo, punitur scelus, sed condonatur. Cur ita acciderit, alij alia, apud Suar. *tom.* 1. *in* 3. *part. quæst.* 1. *art.* 2. *disp.* 4. *sect.* 1. Illud mihi placet, negatam Angelo veniam peccati, condonatum Adamo peccatum esse, Albino Auctore *ad Gen.* 4. quippe quòd *Angelus sui sceleris inuentor fuit, homo alterius fraude seductus*, &c. seductione scilicet practica. Ab Albino id fortasse concepit D. Thomas 1. *part. quæst.* 64. *art.* 2. Iam pridem hæc Paulinus senserat, cùm videret serpentem, non Adamum tristi maledicto punitum esse, Gen. 3. num. 14. *Ille* (inquit) *peccati auctor fuit*, &c. *epist.* 4. Et quòd prior in cælo peccauerit, & quòd prior Heuam deceperit. Nec serpens ligno affixus ostendit aliud, quàm notatum à Deo grauiter Auctorem erati cuiusque, Num. cap. 21. num. 9. *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo*, &c. Cur lupum non figit? Cur non suspendit leonem? qui æquè, ac serpens, sæuire solent in homines? Bene Antistes Maximus, Hom. de Passion. *Vt qui primus apud Deum peccauerat, primus crucis sententia ferireture*, &c. Prior in peccando serpens fuerat, siue ducendis Angelis, siue lactandis hominibus daret operam, necesse erat, vt citiùs puniretur.

Odit magnus Deus proditorem Patriæ.

Peccandi magistrum Deus auersatur.

Num. c. 21. n. 9.

Prior peccandi artifex cruce pulsatur.

2. Nemo negat Adamum grauius, quàm Heuam peccasse, pensitata grauitate damni; quod probant Theologi, Bellarm. *lib.* 3. *cap.* 9. *de amissio. Grat.* Suar. *de sex dieb. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 4. Addo Caietan. *in Gen. cap.* 3. Sinaitam *lib.* 10. *Hexaëm.* Perer. *lib.* 6. *in Genes. disput.* 1. Sed grauius, quàm Adamus, punitur Heua, quod Serenus voluit de textu esse, apud Cassian. *collat.* 8. *cap.* 11. Adamus enim terra maledicta, ad labores trahitur, & sudores, *num.* 18. & 19. Heua Mater super hosce labores doloribus afficitur, nec modicis, num. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas*, &c. Sed grauiùs punitur Heua, vtpote quæ virum induxit prior ad peccandum. Id Serenus apud Cassian. cit. *Mulier, quæ persuasor extitit, multiplicationem gemituum, ac dolorum promeruit*, &c. Grauiùs doleat, necesse est, qui peccat licentiùs, auctor scelerum. Non addo, quæ Theodoretus aggerit de Caino, qui fratrem primus interfecit, ac tandem, *vagus, & profugus*, &c. vel Græco textu, *gemens, ac tremens*, &c. vixit, *Gen.* 4. *num.* 12. Nec item appono, quæ de lignatore: nam qui Sabbatum prior soluit, post erratum saxis obrutus discessit. Num. 15. num. 36. *Considerandum enim est, quòd primis legum transgressoribus alia sine venia supplicia infliguntur, vt aly punitione perspecta transgredi non ausint*, &c. sic Theodoret. *quæst.* 37. *in Gen.* Adiicio Petrum ab æuo antiquo didicisse iura licentiæ puniendæ in sui ortu, qui Ananiam perdit reum voti malè fracti. In Actis ad cap. 5. num. 5. *cecidit, & expirauit*, &c. Dira omnino Petri vox est, quæ tyronem scholæ Christianæ citò premit. Sed Theodorus apud Cassian. *collat.* 6. *cap.* 11. lignatorem taxans, & Ananiam, iure summo punitos homines esse docet. *Quia noua prænaricationis præsumptores reperti*, &c.

Grauius doleat Heua, vtpote viro magistra ad peccandum.

Genes. cap. 4.

Num. c. 15. n. 36.

Malo alieno discit prudẽs quisque.

Act. c. 5. n. 5.

Accersit Nemesim inuentor scelerum.

3. Malum graue est, nouũ scelus; iras Deo graues mouet. Nescit Moyses quo premat flagro nouitatem sceleris. Constat addubitatio ex *Leuit.* 24. vbi malus homo Deum mordet ore sacrilego. Traditur enim citò in carcerem reus sceleris, n. 12. *Donec nossent, quid iuberet Dominus*, &c. Ostendit Moyses dubitare se quódnam decernat supplicium in Auctorem nouæ proteruitatis, Philone teste, *Rogauit, quid pati oporteret, inuentorem sceleris nefandi*, &c. *ad lib.* 3. *de Moyse.* Nemo enim plenè discernat, quo malo sit plectendus inuentor scelerũ. Grauiter adeò opinantur sani homines de mali cuiusque Autore, vt iste præ sociis peccare dicatur. Punire Dominus Corebum voluit, & affines seditionis Leuiticæ plusquam ducentos homines: quod patet ex *Num. cap.* 16. *num.* 2. & 21. Procidunt in genua, Deo irato, Aaron, & Moyses,

Leu. c. 24. n. 12.

Nulla in magistrum sceleris pœna magna est.

Num. c. 16. n. 2. 21. 22.

Moyſes;deinde haſce preces agunt. *Num,vno peccante,contra omnes ira tua deſæuiet*,&c. *n.*22. Miror viris ſanctiſſimis excidiſſe numerum peccantium , qui de vno tantùm Corebo meminerint?Sed Corebus in ſcelere princeps erat,quod Abulenſis aduertit quæſt.12.*Dicitur vnus peccaſſe,id eſt,Core; ipſe enim fuit origo totius*,&c. Peccat ſimpliciter,qui peccandi viam aperit,auctor errati , cùm ſocios homines facto ducat in præceps. Inde eſt , quòd variant ſacri Hiſtorici in explicando, quis nam Magdalenæ vnguentum notauerit.Matthæus enim *cap.* 26. *num.* 8. Marcus item *cap.* 14. *num.* 4. ſcholam Apoſtolicam ea re commotam eſſe docent. Vnus eſt Ioannes,qui de Iuda tantùm meminit,cap.12.num.4. *Dixit vnus ex diſcipulis eius Iudas Iſcariotes*, &c. Cur Apoſtolos Ioannes tegit reliquos, vnumque Iudam pungit? Caietanus ad rem. *Inſinuat Iudam quidem caput , alios verò diſcipulos ad murmur acceſſiſſe*, &c. Video ingratum Magiſtro , ac diſcipulo fuiſſe Auctorem ſceleris, qui ſuo ſecum facto duxit homines alios , ac proinde malam in crucem Iudas abeat , Deo irato , neceſſe eſt. Quæ & Niniues fortuna eſt , Marte ſiniſtro, vtpote Idololatriæ parens, ac magiſtra. Non tamen Holofernes Regem , pro Deo, laudat, niſi armis ſeptus : nec, id laudis captat Nabuchodonoſor, niſi

Peccat antonomaſticè peccati auctor.

Matth.c.26. n. 8.
Mar. cap.14. n. 4.
Ioann. c.12. n.4.

Peccat præ cæteris peccandi magiſter.

Ab his nationibus,quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari.

Commentarius.

35. METum Idololatriæ cauſam primariam fuiſſe putat D Fulgentius *lib.* 1. *Mythol.*§. *vnde Idolum* , quod probat ex Petronio. *Primus in orbe Deos fecit timor.* Deinde rem firmat ex Sapient.*cap.*14.*num.*15.Nam Syrophanes , cùm puerum fato raptum vellet conſecrare,id exegit à grege ſeruili. *& conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra* , &c. A quibus expreſſum obſequium,ſi Fulgentio credis,*Timoris potius effectu,quàm amoris affectu.* Sed Chaldæus Nabuchodonoſor diuinos ſibi honores cogit,modis muſicis , & minis acerbis. Quales blanditiarum voces?apud Dan. cap. 3. num. 5. *In hora, qua audieritis ſonitum tubæ,& fiſtulæ , & citharæ cadentes adorate* , &c. Quales minarum faces; num.6. *Si quis non proſtratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis*,&c. vbi Theodoretus. *Eos , qui nec muſicorum inſtrumentorum cantu,ac voluptate demulcentur , fornacis minis deterret* , &c. *Orat.* 3. Sciebat Princeps metu adactos homines vel Diabolos ſerituros,ne malè noceret. Sic Roma peſtem,ac febrem coluit aris extructis.*Dum placatas trepido metu cupimus*,&c.Quod tradit Plinius *lib.* 2.*cap.*7. Notum eſt tonſtrinis, qua vi , & arte Roma,Græcia, Aſia traxerint homines ad Ioues colendos : nam vim Magicam ſimul cum vi bellica,Reges,ac Principes coniunxere. Expendit id Rupertus lib. 8. in Apoc. *Nunquam enim defuit hæc vis peſſima in ſocietate crudelis gladij Regibus,qui perſecuti ſunt, & contriuerunt Sanctos Altiſſimi*,&c.Puto Reges illud ore tuliſſe,quod olim Tiberius,*Oderint,dum probent*,

Sap.14. n.15.

Nata ex metu Idololatria.

Dan. cap. 3. num.5.6.

Terret Princeps ad Idolomaniam; terret & Diabolus.

&c.apud Sueton.*cap.*56. Nec Antichriſtus via ibit alia.Parabit ſibi honores diuinitatis inter homines adorantes æquè,ac adulantes,bellua teterrima,Apoc.13.num.4. *& adorauerunt beſtiam* , &c. Addit Ioannes metu correptos , & corruptos homines,inflatis(quod aiunt) buccis ebuccinaturos eſſe. *Quis ſimilis beſtiæ ; & quis poterit pugnare cum ea?* &c.Docet paratam Antichriſto diuinitatem virtute bellica. Rupertus ad litem loco citato, *Hoc*(inquit)*exigit non tantùm ore,verùm etiam bellica poteſtate; idcirco bellum cum Sanctis faciet*,&c.Sed laniena hæc à Dæmoniarcho eſt;ex forma enim,quam gerunt , lanienam minantur vltimam ſerpens Epidaurius,Hircus Mendeſius , Draco Babylonius, miſeris hominibus.

Ap.c.13.n.4.

Terrebit Antichriſtus , vt Deus fiat.

Quos penes omne ſacrum eſt,quidquid formidо tremendum
Suaſerit, Horrificos , quos prodigalia coguut
Credere monſtra Deos,&c.

Sic Prudentius ridet Symmachum *lib.*1.Neque enim Dæmones vanam impetrant diuinitatem, ſed extorquent forma turpi , & abſurda. Quod tamen Deo prouidente factum putat Abulenſis quæſt. 3.in cap. 13. Numer. *Vt cernentibus magis timorem incuterent,quàm amorem in diminutionem Numinis* , &c. Quaſi virtus ſit Diuinitatis vnicæ venerationem ſibi parare non ab inuita manu hominum.

Turpem Diabolus formâ oſtendit , ne quis Deum eſſe credat.

Satis id patet ex Deiſcito *ad Exod. cap.* 25. *num.*2.vbi repoſcit,quæ ad ſacrum inſtrumentum faciunt. *Ab omni homine , qui offert vltroneus* , &c. Valet affectus piè in Deum animus, vt quæ deferas,abundè placeant : Tertulliano Magiſtro. *Nam diuinæ rei faciendæ libens animus indicitur*,&c.*Apologet.*28.Abnuit Magnus Deus inuitam operam,vti ingratam, & fidem ab hominibus ſic exigit,vt non adigat.Oratores mittit, qui ſermones de fide edant;illud in mandatis,apud Marc.cap.6.num.11. *Quicumque non receperint vos , exeuntes inde excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimonium illis*, &c. Cur non mandat, vt ignes de cælo deuocent , qui refractarios cogant homines ? Scio, quid interpretes in loco velint. Sed placet interim Helias Antiſtes ad Nazianzen. *Orat.* 1. Qui ex Marci loco docet inuitandos eſſe homines ad ſanam fidem : ſi tamen auditores nolint,fugiendos,non cogendos eſſe. *His verbis,præter alia , illud quoque præſcribit , nihil faciendum coactè* , &c. Acſi vellet ingratum Deo munus eſſe,quod ab inuita fluit manu.Et verò Sila virgo,Patre vouente, cùm doleat,menſes expoſcit vt dolorem egerat, & ſine lachrymis læta ad cultrum veniat. Iudic. 11. num. 37. *Dimitte* (inquit) *me , vt plangam virginitatem meam*, &c. Dictum à Naſone eſt,

36 Ex.c.25.n.1.

Affectum in ſacris Deus quærit.

Mar.c.6.n.11.

Volentes quærit homines Chriſti ſchola.

Iudic. c. 11. n.37.

Mulcetur lachrymis,egeriturque dolor,&c.

Illud igitur intendit Virgo , ex Philone Biblico. *Si ſpontaneæ me non obtulero in ſacrificium, vereor , ne mors mea non ſit acceptabilis : hæc referam montibus , & poſt reuertar* , &c. Itaque menſes virgo lachrymis dicatos voluit,vt dolore iam decocto , necem libens ſubiret , gratumque Deo munus offerret. Neque enim Deus Optim.coli ab inuito amat;nec minatur in primis,vt iuſtos ſibi honores cogat. Legem imponit Exod. cap. 20. num. 1. *Non habebis Deos alienos* , &c. Nihil in loco minarum , vel pœnarum

Ingratũ Deo ſacrum ſi vitam reddas inuitus.

Ex.c.20.n.1.

pœnarum eſt. Illud ſemel num. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus, viſitans iniquitatem Patrum in filios*, &c. Quid in Leuitico? *ad cap. 26. num. 2.* eandem reponit legem, ſinguliſque mandatis comminatio eſt. *Morte moriatur*, &c. quæ, pluſquam decies, vox terret. Cur tantus in Exodo amor, & tantus in Leuitico terror à Deo eſt? *Ne quis imprudens metu, malo vſus conſultore, inuitus pareret*, &c. Hæc Philo *ad lib. de Decalogo*. Aptè ad rem: nam ex Chryſologo habeo, *Deus amari magis voluit, quàm timeri*, &c. *ſerm. 90.* Vanus igitur Deus eſt Nabuchodonoſor, qui metu iniecto reus eſt affectatæ Diuinitatis. Tam vana enim eſt diuinitas Principum, quàm inuita ſeruitus hominum; eóque argumento negat Tertullianus Deos eſſe Ioues, & Ianos, qui ab hominibus honores non impetrant, ſed extorquent. *Videte* (inquit) *ne & hoc ad irreligioſitatis elogium concurrat adimere libertatem religionis, & interdicere optionem diuinitatis: vt non liceat mihi colere quod velim, ſed cogar colere quod nolim*, &c. *Apologet. 24.* Suo igitur ſe modo contineat Nabuchodonoſor, hominémque ſe eſſe meminerit. Deum non induit, qui victor eſt, ac terrarum Dominus, cùm & leo minimarum vtique beſtiarum præda eſſe poſſit. Quò meus tendit Seneca *de vita Beata, cap. 25.* Hominem ab vſurpata diuinitate ad humanum trudit ordinem, *Fac* (inquit) *me victorem vniuerſarum Gentium: delicatus ille Patris Liberi currus triumphantem vſque ad Thebas à Solis ortu vehat: iura à me Reges Perſarum petant; me hominem eſſe tunc maximè cogitabo, cùm Deus vndique conſalutabor*, & ſatis inſinuat Seneca vanum, imò abſurdum eſſe hominem, qui haberi Deus voluit Holoferne adulante.

Amorem potius quàm timorem Deus poſtulat.

Cùm fortuna magis videt, minus conſtat.

Num. 14. Pertranſiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam, omnémque Meſopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa.

Commentarius.

37. SYriam vniuerſam Holofernes tot caſtris peruaſit, quot triumphis; non eſt animus locis hærere, cùm dixerim de Syria Sobale, *ad num. 1.* De Meſopotamia nihil dubites. Apamea ſatis patet, apud Serarium *in commentario*, apud Salianum *anno Manaſſæ 9. num. 16.* Illud in dubiis, cur Gabaa Idumæis additur? quæ vel Iudæa eſt, *4. Reg. 23. num. 8.* vel Beniamitica, *1. Reg. 10. num. 26.* Scio, quæ interpretes in loco repoſuerint, Idumæam ſcilicet cliuis aſperam eſſe; quod Gabaa ſonat Hebraïcè, & Ioſephus docet *lib. Antiquit. 6. cap. 10.* Adeſt Serario, Saliano, Abulenſis *quæſt. 9. ad 1. Reg. cit.* Mihi placet, quod Tirino, Idumæam latè patere, & ad Ieroſolymam vſque pertinere; quod ego à Ioſepho diſco, *ad lib. 5. Antiquit. cap. 3.* Nam de Iuda illud tradit. *Elegit ſuperiorem Idumæam, quæ in longum extenditur, vſque ad Ieroſolymam*, &c. In hanc partem accinit Statius lib. 1. Sylua 2. ad Criſpinum.

An Solymum cinerem, palmetaque capta ſubibis,
Non ſibi felices ſyluas ponentis Idumes? &c.

4. Reg. c. 23. n. 8.
1. Reg. c. 10. n. 26.

Idumæa latè ſumpta ad Ieroſolymam pertinet.

vbi Idumæam addit Ieroſolymis. Nec Plinius à Ioſepho, & Statio longè abeſt, quo Auctore *ad lib. 5. cap. 23.* Idumæa Samaritis hæret. Quidquid velis, ſaluus eſt textus.

Num. 15. Accepítque ciuitates eorum, & ſedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit vniuerſum exercitum virtutis ſuæ.

Commentarius.

PErgit vltrà Holofernes, Idumæamque trahit in poteſtatem, ac Samaritis hæret. Inibi moram agit menſtruam; *& ſedit ibi*, &c. Ratio de textu eſt, vt vires cogat bello deinceps gerendo. Addo ſediſſe in loco Holofernem, vt laborem miles intermitteret, & mora leniret aliquali. *Nam laboris condimentum eſt otium*, &c. ex Magiſtro Plutarcho *ad lib. de liber. educand.* Erit ne miles, qui non deficiat labore continuo? Laudo Muſam. *Neque ſemper arcum tendit Apollo*, &c. lyram aliquando pulſat. Sic & Gratianus, 38.

——*Geticum moderatur Apolline Martem*, &c.

Quod probat Auſonius. Lyram pro ſymbolo capit Ottobertus, ſed manu obarmata; eſt epigraphe ſymboli anima, *Hæc mihi tuba*, &c. Illudque Ottobertus voluit, à lyra ad tubam facilè abire Ducem optimum, à vacatione ſcilicet militari ad aciem, & belli aleam feſtinare. Vel Muſis gratum eſt otium. Non proficiunt librorum helluones, qui vires non diſpenſant: neceſſe enim eſt, vt aſſidua contentione laceſſat ingenium. *Schola honoratur feriis*, &c. ſic Tertullianus *de Idololatr. cap. 10.* cùm ſacros remittendis animis dies ſeligat. Vnde Gymnaſiarchus vacationem ſcholis permiſſam voluit, quo abiret die. Gratum opus ſcholiſticis, & feriæ ſtudiis vtiles. Verè in hanc partem declamat Seneca lib. 1. in Prologo. *Excitatur otio vigor, & omnis triſtitia, quæ continuatione pertinacis ſtudij adducitur, feriarum hilaritate diſcutitur*, &c. In vtrumque otium faciunt, quæ Philoſophus ſcitè verſat *ad lib. de Tranquillit. cap. 15.* Si à belli ſtudio velis temperare? *Scipio* (inquit) *triumphale illud, & militare corpus mouit ad numeros*, &c. Saltabat in otio eleganter. Si à cura literaria abſtinere cupis? *Cum pueris Socrates ludere non erubeſcit*, &c. Vel talis Philoſophus luſitabat. Neque enim abſurdum eſt viro grauiſſimo, ſi ad remiſſionem animi deſcendat, & in loco deſipiat.

Multa è quiete vis ad laborem.

Laceſſit ſchola ſine feriis actu.

Dulce iuxtà, ac vtile eſt deſipere in loco.

Quid ſi Præfectus morum ſcientiſſimus frontem velit explicandam, molliendamque aſperitatem rerum? Hæc ad Cœnobiarcham Peluſiotes lib. 1. epiſt. 258. *Tyrones* (inquit) *vitæ monaſticæ, nec regulæ iugo immodicè onerare oportet: ne ſtatim animis frangantur, ac deficiant*, &c. Si quis ſe pœnitentiæ labore maceret aſſiduo, laceſſit facilè, ac in deſidiam labitur. Quid igitur? Chryſoſtomus ad ſententiam, Hom. 11. in Gen. *Neque ſemper intendere, neque ſemper remittere oportet*, &c. An Aſturco bene currit, qui nec ſemel curſum intermittit? 39.

Occidit, ad Circi ſi quis certamina ſemper,

Nec in vſitatum ſchola damnantur remiſſiones animi.

Non

Non intermissis curſibus ibit equus,&c. Sic Naſo *ad* 1. *de Ponto Eleg.*5. Vel ſacras occupationes otio interrumpendas eſſe docet Magiſter Dominus. Alternis agit: adeſt modò, & modò abeſt; ſubtrahit ſe ſe hominibus ad exercitium; redit è veſtigio ad ſolatium. *Vado* (inquit) *& venio ad vos*,&c. *Ioann.*14. *n.*28. vnde Bernardus colligit, quid moneat, *It, & redit, pro beneplacito ſuo: quaſi viſitans diluculo, & ſubitò probans*, &c. *ſerm.* 74. *in Cant.* Haſce rerum viciſſitudines militibus exercendis perutiles exiſtimauit Holofernes, cùm Idumæam teneret. *& ſedit ibi*, &c. ſcilicet vt moneas,

Ioann. c.14. n.28.

Otium miſcet cum negotio magiſter optimus.

PARÆNET. XV.

Qui laborem imperat, & intermittat.

1. LAborauerat miles Aſſyrius in hoſte vincendo, in Syria opprimenda. Labor ingens, vti continuus à Niniue ad Idumæam vſque: ac proinde pretium erat operæ, vt miles in caſtris interquieſceret, labore intermiſſo. Quid Holofernes in Idumæa? *ſedit ibi per triginta dies*,&c. Prudens admodum Princeps, & ex arte bellica, & ex virtute Regia, quod Theodericus monet apud Caſſiodorum lib.4. epiſt. 19. *Decet principalem prouidentiam feſſa refouere*, &c. Ab Orbe condito hæc politicè, cùm diem, ac noctem diſcreuit Regum Princeps, Gen. 1. num.4. *Diuiſit lucem à tenebris*, &c. Vnde iuuenes aulici diem, ac noctem inuitant ad odium, quaſi teſtes probatos ſummæ prouidentiæ in labore leuando humanæ gentis. *Benedicite nocles, & dies Dominum*,&c. apud Danielem *cap.* 3. *num.* 71. ſic Chryſoſtomus Hom.11. in Gen. *Modus vbique bonus eſt: diſce hoc à die, ac nocte: quando quidem ſegregauit Deus diem in opus humanæ naturæ, & noctem in remiſſionem laborum*, &c. Laudat Seneca haſce temporum vices, vt agenti quieſcendum, quieſcenti agendum eſſe doceat, Epiſt.3. ad Lucilium. *Cum rerum* (inquit) *natura delibera: illa dicit tibi ſe & diem feciſſe, & noctem*, &c. ſcilicet, ne quis hominum deficiat labore perpetuo. Iactat ſe Dominus conditorem lucis, ac noctis, apud Iſaiam cap.45. num.7. *Ego Dominus, formans lucem, & creans tenebras*,&c. Quòd à luce diſpenſanda cognomentum Deus capiat, bene habet; ſed noctis ſe auctoreum laudat, vtpote quæ vires hominum reficiat, quiete interpoſita. *Non enim accepiſſet à Domino ſeruus requiem, niſi tenebræ eſſent inductæ in hanc præſcriptam neceſſitatem*,&c. Hæc Cyrillo Solymitano opinio eſt, *Catech* 9. Viciſſitudinem lucis, ac noctis proſpexiſſe Deum optimum, ne familiæ dominus ſeruo domeſtico laborem perpetuum imperaret.

Gen.c.1.n.4. *Negotiũ otio temperandũ.*

Dan. cap. 3. n. 71.

Languescunt vires labore aſſiduo.

Iſ.c.45.n.7.

Noctem induxit Deus, ne ſeruum Herus frangat labore.

2. Vel pretium eſt operæ otium à negotio, quod in mandatis Moyſes dedit, *Exod.*23. *n.* 11. Illud igitur legum lator de terra vacante, *Anno ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies*, &c. Deiſcitum, de labore intermittendo, eò ſpectat, vt agris homo quodammodo pretium ſoluat operæ: quod Philo aduertit *ad lib. de Creat. Princ.* Anno igitur ſeptimo vacat terra. *In gratiam* (inquit) *laborum exantlatorum per continuum ſexennium*,&c. Qui de agro bene iuuando, & præmiando curabat, plenè docebat labores hominum, mitigandos eſſe, quiete data. Aliud deinde lucrum eſt ex labore intermiſſo; vt, qui vires reficit otio, aluerit ad laborandum ſtrenuè. quod Cyrillus colligit ex diuortio lucis, ac noctis, cùm homo à diurno labore ſe confert ad nocturnam quietem. ſic Antiſtes Catech. citata. *Qui heſternis fuit in laboribus, manè ſit robuſtior, propter noctis quietem*, &c. Itaque ſuo dominus bono inuitatur, vt laborem ſeruo remittat, quod ab agro vacante diſcas. Lex à Deo eſt, ne quis anno quinquageſimo ſementem, meſſemque faciat. Leuitic. 25. num.11. *Neque ſeretis, neque metetis*,&c. Ratio textu data. *Quia Iubilæus eſt, & annus quinquageſimus*, &c. quo ſeruus pileum capit. Ratio tamen à Philone alia, quæ vacare terram iubet, *vt quies hæc reficiat*, &c. *ad lib. de Creat. Princip.* Nam ex diſciplina Georgica illud monet Horatius,

Nocet herus ſibi qui laborem ſeruo non intermittit.

Leu. cap.25. n.11.

Alternis requieſcit ager, requieſcit arator, &c.

Ceſſare igitur agrum oportet, vt fructus reddat pinguiores; ceſſare oportet agricolam, vt fortiorem præſtet operam.

3. Quàm iuſta Deus trutina laborem penſitat, vt ne bruta quidem terra deficiat? Agros aquis obrutos leuat rerum Opifex. Gen.1. n.9. *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida*, &c. Ad vocem Domini leuata ſuo onere terra eſt; ac deinde audit, *Germinet terra herbam virentem*, &c. *num.* 11. Cur terra prius conquieſcit, quàm fruges efferat? Baſilius optimè Hom.5. in Geneſ. *Vt interquieuit aliquantulum, & liberior reſpirauit conſentaneo naturæ modo, edictum accepit: Germinet terra*, &c. Verè dictum. Viciſſitudo rerum iucundiſſima, & vtiliſſima.

Gen.1. n. 9.

Prodeſt ad laborem laborum ſtata remiſſio.

4. A profano labore ſtylum verto ad ſacras operationes. Quid Paſtor vrget, vt animam ſanctè inſtituat? cuſtos vinetis curandis addita virgo eſt, Cant. 1. num.6. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis*,&c. Sed dormit cuſtos, non vigilat; *ad cap.*2. *num.*7. vetante Chriſto, *Ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam*,&c. Bene habet; cur tamen paucis pòſt verbis Paſtor, *Surge* (inquit,) *propera amica mea, & veni*, &c. Quietem igitur cum labore, & ſomnum cum vigilia Chriſtus miſcet. Bernardi opinio eſt variare in loco, & contemplandi otium, & agendi negotium, *Vt potita votis anima aliquatenus, tanto ardentius redeat in idipſum, quanto fructuoſius intermiſiſſe meminerit; & iterum ſumpto contemplationis guſtu valentius ad conquirenda lucra ſolita alacritate recurrat*, &c. *Serm.* 57. *in Cant.* Video, quo merito dixerit Seneca, agenti quieſcendum, & quieſcenti agendum eſſe. Magiſter huiuſce doctrinæ Chriſtus iterum apud *Marc.* 6. Reuenerant Apoſtoli, peregrinatione confecta. *& conuenientes ad Ieſum, renuntiauerant, quæ egerant, & docuerant*, &c. *numer.* 30. Audit Magiſter id libenter: ac deinde Apoſtolos ſecum ducit ad ſeceſſum amœnitatis ruſticanæ. *Venite* (inquit) *ſeorſum, & requieſcite puſillum*,&c ſcilicet vt remitterent animos, & abducerent à cura doctrinæ explicandæ. Credit Theophylactus id à Chriſto inſtitutum eſſe, *vt ſciant Paſtores laborantes in verbo, & doctrina, dignos eſſe*,

Cant.c.1.n.6 c.2.n.7.

Et contemplandi otium agendi negotio temperandum.

Mar. cap. 6. n.30.31.

Quies à laboribus laborum eſt merces.

Decendi tura intermittenda.

esse, quibus sua detur quies, & non semper intendant laboribus, &c. Laborare quidem oportet; sed à labore cessandum est ad laboris condimentum. Vigilant alternis grues, alternis agmen ducunt, & claudunt. *Hac moderatione omnem laborem alleuant*, &c. sic Ambrosius *lib. 5. Hexaem. c. 15.* Laborem igitur vt leuaret, Apostolos Magister solatur secessu rusticano. Quòd si laborem piscandi imperat, apud Ioann. c. 20. n. 6. *Mittite in dexteram nauigij rete*, &c. Postquã imperata fecerunt Apostoli, citò inuitantur ad prandiolũ. *Venite, & prandete*, &c. *n. 12.* Piscem, & panem apponit Magister sua manu confectos cibos, *vt beneuolè discipulos à labore per cibum refocillet*, &c. sic Euthymius. Neque enim laborem imponit bonus Dominus, vt non intermittat quiete reddita, mensęque addita.

Iohan. c. 20. n. 6. 12.

Mensa laborantibus apponenda.

5.

Illud tamen expendo, laborandum latè, quiescendum modicè: quod à bono Magistro disco, *& requiescite pusillum*, &c. Perpusillo Christus solatio discipulos recreat, ne quis longas à labore velit inducias. *Instruens Prælatos, quid agere debent cum ministris suis*, &c. Hæc à Caietano. Dormit virgo rusticella, *Cant. 2. n. 7.* sic enim Pastor. *Ne suscitetis*, &c. Sed quantum moræ putas somno additum? *Vox* (è vestigio) *vox dilecti mei*, &c. *n. 8.* Quò vox sonat? *Surge, propera amica mea, & veni*, &c. Nullum in medio spatium est. Bernardus ad litem ser. 58. *Vbi dilectam paululum in sinu quieuisse persentit, ad ea denuo, quæ vtiliora visa sunt, trahere non cunctatur*, &c. Parua in somno mora est: sed non parum horarum in exputandis vitibus, excipiendisque vulpibus absumptum est. Iam ab orbe condito scholam hanc versat Magnus Deus. Laborat Opifex hebdomada solida; & quidquid rerum cælo, ac solo continetur, sua manu perpetrat. Rebus scienter gestis, addit textus Gen. 2. n. 2. *& requieuit die septimo*, &c. Laborem quodammodo intermittit; sed labore per hebdomadam integram deuorato, vnum sibi diem seligit, vt interquiescat. In loco Oleastrius, *Est, quod hîc aduertas*; *scilicet, non quiescendum esse, nisi priùs laboraueris*; *similiter pluribus diebus laborandum, pauciori-bus quiescendum*, &c. Laudo igitur Holofernem, quo Duce laborem miles intermisit; non tamen laudo mensem à labore feriatum esse: nam textus est,

Cant. c. 2. n. 7. 8.

Quies modica à labore maximo.

Gen. c. 2. n. 2.

& Deus à laborando conquieſcit.

Et sedit ibi per triginta dies.

Commentarius.

40. SEdet Holofernes per mensem in Idumæa; desidet suo cum Duce miles, frangitque militares impetus. Nec verbo non hæret significatus. Sic Turnus pungit Latinũ militem,

—Sedeant, spectentque Latini, &c.

Cùm sedet miles, desidet

lib. 10. Nec voce alia seruilium malè cunctantem carpit miles apud Liuium lib. 7. dec. 1. *Cur compressis* (quod aiunt) *manibus sedeas*, &c. Sed vel sacro textu Iudæus queritur de grege ignauo hominum, apud Ieremiam cap. 8. num. 4. *Quid sedemus*, &c. Id verò est: cur desidiam alimus? Vnde Chrysostomus vocem excepit, vt moneret scholam Antiochenam, Hom. 54. *Belli tempus est, & tu sedes in de-*

Ierem cap. 8. n. 14.

Vdoſ. in Iudith.

liciis, &c. Ergo & Holofernes Idumæa occupata, *sedet ibi*, &c. vt desideat; per mensem languet malè, & bellicos soluit impetus, cùm bellum à Iudæa instaret grauius; nullum enim deinde fecit facinus virtutis masculæ, quousque tandem periit manu muliebri. Sed nihil noui est, Ducem bonum, & militem strenuum otio malè solui. Quid Annibalem perdiderit, inuenit Seneca epist. 51. *Vim Annibalis hyberna soluerunt, & indomitum niuibus, & Alpibus virum eneruarunt fomenta Campaniæ; vicit armis, victus est vitiis*, &c. Quid Alexandrum malè perderet, si hostem haberet? effusa militũ licentia luxu Babylonico. Vnde Curtio voces tristes lib. 5. *Nec locus vllus disciplinæ militari magis nocuit*, &c. Tanta in otio vis est ad terrendas vires hominũ, frangendamque virtutem animi. Quare Holofernes ineptè fecisse videtur, qui sederit in Idumæa per mensem integrum, & in castris otium aluerit. vt rectè moneas,

Otio miles frangitur.

PARÆNET. XVI.

Qui sedes in loco, ne desideas.

1. SEueri tessera est Tribuno militum data, *Laboremus*, &c. sciebat enim Imperator, quod Seneca epist. 13. *Generosos animos Labore nutriri*, &c. *Nonne otium* (ex Socrate) *opprobrium est*, &c. sic monet Xenophon *ad lib. 5. de Socrate.* Nemo nescit otio labi mores optimos: quod Naso timet, ac de se canit,

Labore firmantur vires & virtus alitur.

—Non sum, qui segnia ducam
Otia, &c.

Nihil miror, si Deus laborem suo indicit facto; Moyses enim ita Deum appellat, vt laborantem inducat, Gen. 1. *Creauit Deus* (inquit) *cœlum, & terram*, &c. An pudebat Deum appellari sacro textu, priusquam rerum opifex appellaretur? Id ego puto. *Non enim fas est Deum temerè, & otiosè, nullo subiecto opere nominare*, &c. hæc Theophyl. Antiochen. *lib. 2.* Sic otium odit Magnus Deus. Pergit vltrà Philo, & addit lib. 1. Allegor. *Piget vltrà procedere; mortem etiam in Deum cadere, si cadit otium*, &c. Bene Philo, si de operatione Dei intima philosophatur; neque enim Deus aliter stare potest: si tamen de externa Dei actione arguatur, Hyperbole est. Sed bonus Deus quietem pati non potest, & suum summo in otio negotium agitat *Requieuit die septimo*, &c. *Gen. 2. num. 2.* Sed vt rebus conditis vires foueat, virtutesque reficiat, illud Christus, *Pater* (inquit) *meus vsque modò operatur, & ego operor*, &c. *Iohan. 5. n. 17.* Nec ab ope ferenda cessat Deus, verè bonus Pater, Philone teste ad locum cit. *Paternam rerum curam gerens*, &c. Quis enim pater non vigilat, non desudat, liberis vt prouideat?

Gen. c. 1. n. 1.

Otium Deus odit.

Gen. c. 2. n. 2.

Ioh. c. 5. n. 17.

Deus, quasi Pater laborat filiis consulens.

Addo causam, Philone Magistro, aliam esse, vt semper laboret Magnus Deus, rebusque seruandis manum intendat; sic enim Philo. *Nunquam Deus operari desinat: illudque multo magis, quòd ipse aliis etiam rebus operandi auctor est*, &c. Ac si absurdum omnino esset, laborem aliis imperare, qui laborem fugerit. Bene habet. Sed quo in labore mundus est? Scitè id Tertullianus exposuerit 1. contra Marcion.

2.

Laborare oportet herum, qui laborem imperat.

cap.22.*Otium ſui natura non nouit. Hinc cenſetur, ſi agatur*, &c. Ire cælum,ac redire rotatu perpetuo,Philoſophia eſt. Terram vti parentem prodire in operationes vtiles Deiſcitum eſt,Gen.1.num.11.*Germinet terra*,&c. Aquam æſtuare motu vario,canit Dauid Pſ. 95.n.11. *Commoueatur mare*, &c. Cur Deus velit brutam naturam perpetuo in motu eſſe, docet Rupert. *lib.1. cap. 25. in Geneſ.* id ſcilicet Deo agente factum. *Cuius aſpectus nullam in ſua Rep.creaturam otiari patitur*, &c.Laborandum igitur eſt. Ne vita ſedentaria, & otio ſemota corporibus æquè, ac animis noceat. quod à Plutarcho diſco *ad lib.Sic viue*

Patet vita ex motu intimo.

Gen c.1.n.11.

Pſ.95.n.11.

Otium Deus mundo abigit.

3.

Quietem amabat virgo illa, quæ ſuum commendat lectum, vti natum curando genio. *Lectulus noſter floridus*, &c. *Cant.1.n.17.* Chriſtumque inuitat ad molles ſomnos, & otium in roſa gratiſſimum. Sed Paſtor humani generis mentem vertit aliò, & auertit oculos,cap.2.num. 1. *Ego* (inquit) *flos campi*, &c.Ita ne ruſticus eſt Paſtor, vt inuitatus ad ſomnos leues, & pulchros flores, neget? Sed qui méditatur negotium agri percolendi,auerſatur otium lectuli occupandi.Bernardus optimè ſerm.47.in Cant.*Illa monſtrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat*, &c.Nec ſemel Paſtor ad laborem prolicit. De tugurio cogitat, quæ precatur Cant. 1. n. 6. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie*,&c. Sed Chriſtus ruſticellam virginem abducit aliò, n.7. *Egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorum*, &c. Somnos dulces quærit in roſa,& pluma;quæ rogat cap.2. n. 5. *Fulcite me floribus,ſtipate me malis*, &c. Sed Chriſtus quiete aliquantulum permiſſa, tonat, & vocitat, num. 10. *Surge, propera*, &c. Illúdque Paſtor inſinuat, laborandum omnino eſſe, non quieſcendum, Bernardo Magiſtro ſerm. 47. *Quoniã illa quidem ſemper appetit otium,& ille ſemper ad laborem adhortatur*,&c.ſatiſque oſtendit, quid ab otio mali ingruat in mores hominũ.

Laborandum cenſet Paſtor Deus.

Cant.1.n.16. c.2.n.5.

Cant.1.6.7.

Cant.2.n.5. 10.

Otium percupit gens humana.

4.

Fortaſſe ex hac Chriſti diſciplina concepit impetum Hieronymus, vt moneret, *Non facilè capitur à Diabolo, qui bono vacat exercitio*, &c. Certus omnino Magiſter erat, quo merito commendaretur mulier fortiſſima, & prudentiſſima. *Mulierem enim fortem quis inueniet*, &c. *Prouerb. cap.31.* Quæ quidem *operata eſt conſilio manuum ſuarum*, &c. *numer.* 13. Sanum omnino conſilium eſt, manum labore tenere, animum colere, laborare conſultè, & diſcretè: quod Hugo probat, *Ne quid parum,ne quid nimis*, &c. Sed cur noctes mulier, dieſque abſumit labore textorio. ſic enim textus habet num. 18. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*,&c. Oleum ne, & operam expendit mulier, ac manum colo, fuſoque terit? Aio. *Et digiti eius apprehenderunt fuſum*, &c. Nihil in loco aliud commendatur, quàm labor aſſiduus ad mores poliendos, ac proinde, *Mulier timens Deum,ipſa laudabitur*,&c.*n.*20.Magna virtus, ſi manum lanificio intendit mulier, vt caſtè viuat. quod laudat Satyra in Latinis fœminis apud Iuuenalem ſatyr. 65.

Quando nec vitiis contingi parua ſinebat
Tecta labor, ſomnique breues, & vellere Thuſce
Vexata, duræque manus, &c.

Otio alitur Diabolus.

Prou.c.31.n. 13.18.20.

Laborandum prudenter.

A labore multa in more virtus.

neque enim marcet otio, quæ & proba, & caſta eſt mulier.Niſi Deum exerraſſe velis, qui Adamum laborare voluit, & ſudare in horto geniali. Ibi loci homo, Geneſ. 2. num. 15. *vt operaretur, & cuſtodiret illum*, &c. Quò enim labor iſte, ſi terra ſuapte natura ferebat, quidquid Adamus vellet? Dubium eſt, quod ſoluit Chryſoſtomus Hom. 14. *Omnem malitiam docuit otium; vnde præcepit Deus, vt operaretur: ſic enim laboris expers eſſet, protinus ad ignauiam prolapſus eſſet*,&c. Labores igitur Adamo vtiles, & priùs, & poſtquam lapſus eſt,imperat bonus Deus;nam eiectum Moyſes tradit hominem,Gen.c.3.n.23. *vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt*, &c. In oculis habemus, quo labore,quali cura,& quanto ſudore, victum, ac veſtitum ſibi quærant homines:id verò inſtitutum,ſine Deo non eſt.quod Moyſes Antiſtes docet 1.p.cap.28. *Si tantis damnati malis, peccare non deſinimus: quid non patraſſemus, in otio, delicijſque permiſſi vitam agere?* &c. Cereus in vitium homo eſt, ſivel breui fruatur otio: ac proinde laborare, algere, ſudare, agere, ac ſatagere oportebat, ne motu facili ſolueretur in vitia. Oderunt otium, vti morum exitium ſcholæ Ægyptiæ, cùm dicat Hieronymus *epiſt.* 4. *ad Ruſticum*; laboraſſe Monachos, texendis mattis, ſiſcellis aſſuendis,formandis areolis, irrigandis hortulis,cur ita? *Non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem*, &c. Meminerant Patres otio labi homines in ſcelera.

Genes.c.2.n. 15.

Otio perit ſanctimonia.

Exc.3.n.23.

Otium vitiorum exitium.

5.

Quis neſcit rectè,ac ſanctè Salomonem habuiſſe,fide culta,& religione ſeruata, cùm inſtaret templo exædificando, & Regiam conderet?conſtat ex 3.*Reg. cap.* 9. confectis enim operibus, *apparuit illi Dominus ſecundò*, &c. *n.* 2. Deinde multis Regem promiſſis onerat *n.3.&* 5.Nec reum agit vel noxæ modicæ.Vacat Salomon otio, nec de operibus extruendis cogitat cap.11. num. 4. *Deprauatum eſt cor eius per mulieres*, &c. Operibus igitur conficiendis occupatus nihil Princeps admittit ſceleris:labore intermiſſo,alit Venerem,imò colit, teſte Carthuſiano. Quæ nam Hebræus patratet ſcelera,vitulo iam adorato, ſi otium aleret in via ad Palæſtinam? Ea eſt ratio, cur Deus tabernaculum populo extruendum mandauerit, quo in opere tam deſudant homines,quàm mulieres. Homines Moyſes artifices deligit Exod.31.n. 6. Deo rem vrgente. *Et in corde omnis eruditi,poſui ſapientiam*, &c. Mulieres admittit ad labores textorios cap. 35.n.25.*& mulieres docta,quæ neuerant, dederunt hyacinthum,purpuram,& vermiculum*, &c. Cur Deus Hebræum laborare voluerit ad ſacrum tabernaculum, docet Petrus Damianus lib.6.epiſt.5. *vt dum hæc cum labore perſolueret, nequaquam otio reſolutus in ſacrilegium declinaret*,&c. verè abeunt in præceps homines,qui feriantur à laboribus.Contrà Hebræus, tabernaculo extruendo occupatus, nihil de vitulo cogitauit in poſterum vaſtis locis.

3.Reg.c.9.n 2.35.c.1. n.4.

Otio perit ſapiens.

Ex.c.31.n.6. c.35.n.25.

Qui otiatur in vitia labitur.

6.

Addo ritus à Deo excogitatos quamplurimos, vt Sacerdotes ad aram facerent. Vitulo, agno, auicula, odore. Leges hac re ſolennes habet Leuiticus. Horam, diem, hebdomadam hiſce rebus tribui volebat Moyſes

Imperata Iudæo sacra, ne periret otio.

Moyses, Deo iubente, *vt Iudæus haberet quo se occuparet*, &c. sic Abulensis *q.* 1. *ad Num. cap.* 19. tanta in otio vis est ad mores perdendos. Hoc aspectu laudat Petrus Damian. Cluniacenses, qui diem haberent ita dispensatum rebus domesticis, vt ægrè vacarent hora dimidia: vnde elogium illud est lib. 6. epist. 5. *Hoc continui laboris exercitium, ad hoc est, vt reor, vt delinquendi propemodum occasio tollatur*, &c. Multa Paulus mala notat, quæ scholam Thessalonicensem male afficerent; in qua alij aliena timarentur curiose, nescirent alij vno stare loco. Mitto reliqua ex *epist.* 2. *cap.* 3. *num.* 10. *&* 11. in quibus vnum est otium. *Nihil* (inquit) *operantes*, &c. quasi vellet contractos otio morbos animi. Quid remedij admouet Paulus Hippocrates? num. 12. *Denuntiamus* (inquit) *& obsecramus in Domino, vt cum silentio operantes suum panem manducent*, &c. Vtrumque ex loco, & morbum, & remedium eruit Cassianus lib. 1. cap. 14. *Causam tantorum vlcerum, quæ de radice otiositatis emergunt, vno operationis præcepto curauit, vt Medicus peritissimus*, &c. Curare & Hebræum voluit Deus Optim. cùm hostes non erasit à Terra sancta, Iudic. 3. num. 1. *Hæ sunt Gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem*, &c. Alia in loco alij: & ego iam pridem. Placet interim Iustinianus Venet. *ad lib. de perfect. grad. cap.* 11. qui docet concussos bello continuo Hebræos esse. *Ne ignauia tabescerent, séque ipsos prauis moribus interimerent, & gladiis consumerent*, &c. Nihil igitur vitij non traheret ab otio castrensi miles Assyrius, si Holofernes, capta Idumæa, *Sedit ibi*, &c.

2. ad Thessalon cap. 3. n. 10. 11. 12.

Coluntur boni mores labore suscepto.

Iudic. 3. n. 1.

Otio aluntur seditiones.

versi belli, & in maius, sicut mos est, omnia attollens, &c. Sic Iustin. *lib.* 2. Sed Iudæus vt sibi timeret, bene didicit ex aliena calamitate, quod ex *num.* 2. constat. Deinde Holofernes iram animo conceptam vultu ostentabat; quare miseri homines *timuerunt à facie eius.*

Facies pro ira est, quod sacro textu occurrit frequenter, & obseruant interpretes ad Psal. 67. num. 3. *Sic pereant peccatores à facie Dei*, &c. quæ pro Dei ira est. Hac voce tonat Ieremias Thren. 4. n. 16. *Facies Domini diuisit eos*, &c. Ac ne quis faciem pro ira acceptam neget, vtramque Dauid miscet vocem Ps. 37. n. 4. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ*, &c. Benè facies cum ira conuenit; quandoquidem furor vultu se prodit facilè. Quis non videt flagrare oculos, micare genas, tumere labia irati hominis? sed nulla animi affectio non emicat in faciem. Quare, *Ex visu cognoscitur vir*, &c. *Ecclesiast.* 19. *n.* 26. Nec Athalaricus argumentum premit aliud ad mores probandos viri Magni lib. 8. epist. 14. *Tales* (inquit) *esse docet viros aulicos, vt naturæ bona frontis indicio aperiant, & possint agnosci de moribus, cùm videntur*, &c. quo dicendi colore, addit Tertullianus ad litem. *Sic auditur Philosophus, dum videtur*, &c. *ad lib. de Pallio, cap.* 6. In vultu igitur hominem contempleris intimum, & quidquid versat animo, facilè dignoscas. Si verè Iuuenalis Satyra 9.

2.

Ps. 67. n. 3.

Ierem. cap. 4. n. 16.

Ps. 37. n. 4.

Eccl. cap. 19. n. 26.

Facit ad audiam facies benè composita.

Deprendas animi tormenta latentis in agro
Corpore, deprendas & gaudia: sumit vtrumque
Inde habitum facies, &c.

Quid velit Satyra, probat Ambrosius de Ieiunio, cap. 10. *Index* (inquit) *facies plerumque est conscientiæ*, &c. Si quis amat, amorem facies explicat: teste Hieronymo epist. 10. ad Furiam. *Nam speculum mentis est facies*, &c. Iudæus igitur Holofernem vultu speculatur, irásque graues timet. *A facie eius*, &c. vt facilè colligas, ac moneas,

Exit in faciem quidquid versat animo.

CAPVT IV.

Num. 1. Tunc audientes hæc filij Israël, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valdè à facie eius.

Commentarius.

I. MAlvs in dubio consultor, metus: penetrat se se in animos Gentis Iudaicæ, priusquam Holofernes terram peruadat; acerbiúsque minatur, quàm reapse hostis feriat. An maior absentes tenet metus? credit Lyricus *in Epod. Ode* 15. Fingit enim metus liberè, quod pungit grauiùs. Nouit Liuius, cur sibi Carthago timuerit grauiter à Scipione adhuc ab absente, ad 6. lib. Dec. 3. *Quo minus* (inquit) *ratio timoris reddi poterat, eo opportunè maiorem inferebat metum*, &c. Vnde Cassiadorus metum dicit tormenti genus esse, lib. 11. epist. 9. ad Iudices. *Non est paruum tormentum aduersum aliquid formidare, dum semper grauius æstimatur emergere, quod timetur*, &c. Ab hac schola argumentum petit Seneca, vt metu soluat animos hominum; scilicet ne metu graui premantur grauiùs. Sic ille epist. 13. *Plura sunt, quæ nos terrent, quàm premant: & sæpiùs opinione, quàm re laboramus*, &c. Ad Xerxen igitur Mardonius, Perge (inquit) & regnum Princeps repete. *Ne quid seditionis moueat fama ad-*

I.

Grauiora minatur metus in absentes.

Sapit metum prudens quisque ne timeat iniusto grauius.

PARÆNET. I.

Faciem mentis cuiusque indicem esse.

METum ab hostili vultu Iudæus trahit: nec ex torua, ac tristi facie argumentum cogit temerè. Nam, si Tertullianus benè docet, *Volutet aliquid anima, vultus operatur indicium: facies intentionum omnium speculum est*, &c. *ad lib. de Resurrect. cap.* 15. Ab animo igitur in faciem veniunt affectiones plurimæ, cùm facies suum ac animo colorem ducat, habitúmque sumat. Si quam animo iram alit iratus homo, vultu contracto docet, quod intus latet.

I.

Facies animi speculum.

Heu, quàm difficile est, crimen non prodere vultu? &c.

Secum frater statuerat de Iacobo interimendo cùm sua pater vita defungeretur, Gen. 27. n. 41. *Dixit in corde suo: Occidam fratrem meum*, &c. Quo textu docet Moyses occultum Idumæo consilium fuisse de Iacobo occidendo. Sed addit Moyses num. 42. *Nuntiata sunt hæc Rebeccæ*, &c. Et quis nam rerum nuntius? Cur venit ad matris aures, quod filius imo coquit, ac tegit animo? Sed Idumæus vel tacere non potuit, vel toruo, ac tetro in fratrem vultu, stomachum detexit. Vtrumque

Gen. cap. 27. n. 41. 42.

putat Doctor Angelicus. *Intelligendum est, quòd impia eius cogitatio, siue per verba, siue per signa forinseca vsque ad Rebeccam peruenit,* &c. Nescit latere ægritudo animi; prodit in faciem,& vel dicto proditur,vel signo innuitur. Ab hac Philosophia illud Theoderico placitum est lib.3.epist.6.*Proditur animi natura per vultum,*&c. Quis odium cõceptum animo non ostentat vultu in terram depresso? Dea Troianus irata vultum conuertit aliò. *Illa solo fixos oculos auersa tenebat,* &c. Cainus malè commotus,Abele per Deum probato, *Iratus est vehementer, & concidit vultus eius,* &c. *Gen.4.n.5.* Ab animi enim sinu in faciem prodit furor, nec homo tegit, quo in Deum flagrat odio. *Ideo demisit vultum,ne ad cœlum,vbi Deus erat,aspiceret;à quo se lasum arbitrabatur,* &c. sic Oleastrius. Satísque ostendit Cainus, quo Deum odio prosequeretur,cùm id toruo, ac tristi vultu proderet; quòd si de fraterna laniena cogitabat malus homo, *concidit vultus eius,*&c.Ne videret, quod oderat:signúmque mentis improbæ vultu dedit. *Videlicet ira in odium versa trabali pondere declinauit in terram vultum eius,* &c. quod Rupertus notat *lib.4.cap.3.* Vtrumque igitur odium siue Dei, siue hominis, tota Caini patet facie:ne puderet Senecam tonare,

—Vultus loquitur,quodcumque negas,&c. *Chor.2.in Herc.OEtæum.*

Ira vultu proditur.

Gen.c.4.n.5.

Qui cœlum non suspicit, Deum odit.

Nemo, quod odit, videre potest.

2. Vel proditorem Magistri patere vultu posse crediderunt Apostoli; terret Magister homines voce tristi, apud Ioan.c.13.n.21. *Vnus ex vobis tradet me,* &c. Proditione denuntiata, *Aspiciebant ad inuicem discipuli,* &c. *num.22.* Certus de suo voto quisque erat; cur igitur alij in alios inspiciunt? ad litem Augustinus tract.61. in Ioan. *Ita sibi vnusquisque erat certus,vt incerti essent,& in cæteris singuli,& in singulis cæteri,*&c. Ac proinde, ne lateret proditor,aspectant se se mutuò. *Ex vultu coniecturam eliciendo,*&c.quod aduertit Salmer. *tom.9. tract.10.* Quis inuidiam vultu non effundit, si quam animo alit facem inuidiæ?Probationes huiusce improbitatis vt eliceret Iosephus, mensa apposita fratres inuitat, cibósque dispensat ea manu, vt minimus natu Beniaminus partes caperet potiores. Gen.43.num.34. *Maiórque pars venit Beniamin,* &c. In cœna Iosephus est; sed mensa alia, coràm posita,& extructa, *sederunt coram eo,* &c. *num.33.* Cur Iosephus è regione fratres habet?an vt haberet in oculis, cùm Beniaminum recrearet largius, quàm fratres cæteros? Pulchrè Philo. *Germanum honorat potioribus partibus, interim obseruans singulorum vultus num qua subesset inuidia,*&c. *ad lib. de Iosepho.* Putabat Iosephus vti bonus Iudex, vultu eminere ægritudines animi; nam si dolor tibi est de fortuna aliena, totus in vultu adducto dolor est, licèt ipse taceas. quod à Seneca habeo epist.53. *Illa in apertum per notas exeunt,* &c. vultu scilicet, & gestu; quæcumque animo claudantur mala.

Timet sibi prudens quisque.

Ioan. c. 13. n.21.22.

Afflictiones prodit facies.

Gen. 42. n.34. 33.

Ex vultu patet inuidia.

3. Quis Venerem foueat animo,& non aperta ostendat facie?Emicat ab animo in oculos, in risus,in iocos, etsi affectum quisque vt tegat, maximè laboret. Inde ad Iudæam bonus Iudex,*Auferat fornicationes suas à facie sua,*&c.apud Hoseam *cap.2.n.2.* Nam si hæret in luto Iudæa,nec lutum excutit, malè habeat,necesse est. Cur de facie Vates meminit?sola ne in facie Venus est? Nónne animo alitur monstrum ingens, ac turpe?Sed ab animo facilè redit in faciem. *Per oculos enim cæterorumque sensuum, qui sunt in facie, fenestras mors ingreditur,*&c. sic Rupertus *lib. 1. in Hoseam.*Et quidem, vt oculi sunt amoris illices, ita & amoris sunt indices. *Lucerna corporis tui est oculus tuus,*&c.Christi vox est apud Matth. *cap.6.n.22.*Lucet in tenebris lucerna, & quod latebris tegitur, facilè detegit. Quid oculus? Et animi lucerna est;apud Clementem Alex. lib.3.Pædag.cap.11.*Per quem apparent interna,* &c. Quidquid scire velis de affectibus hominis,ostentant oculi,vbi animus habitat. Nullus est morbus animi, qui se se oculis, tanquam fenestris,non effundat. Flagrat animus insana Venere; flagrant & oculi turpi motu. Vnde & Moyses appellat *Oculos fornicantes,* &c. *Num.15.n.39.* Tumet animus grandi superbia? tument & oculi superba maiestate. Vnde & Dauid superbos vocat, & notat oculos *ad Ps.100. n.5.* Probes igitur è sacro textu oculos animi indices,& vultum improbitatis intimæ internuntium esse.

Hoseas c.2. n.2.

Ardet Venus in facie.

Matth. c. 6. n.22.

Index affectionum oculus.

Num. c. 15. n.39.

Lucet in oculis, quidquid latet animo.

4. Cur affectiones animi exeant in faciem, docet Chrysologus ad Christi voces,*De corde exeunt cogitationes malæ,* &c. apud *Matth.* 15. *n.19.* Id verò est ægritudines animi emicare in faciem per notas qualescumque. Ratio ex Chrysologo est, ad serm. 171. *De homine Gentes exeunt bellaturæ; non contentæ in occulto vincere, prosternere in abdito;quasi quæ famam quærant hominis de ruina,* &c. Ostendit Chrysologus vrgere affectiones animi,vt homines, & scelus admittant, & famam amittant; ac proinde in faciem ab imo sinu prodire, in opus exire. Hæc ex naturæ motu; nam ex astu Æneas lib. 1.

4.

Matth.c.15. n.19.

Famam quærit Venus de amissa hominum fama.

—Spem vultu simulat, &c.Cæsar.
—Lachrymas non sponte cadentes
Effundit, &c.

Lucan. *lib.9.* Harpagus iucundè se epulatum dicit, filio in cibum confecto, professus interim cœnam à Rege datam sibi gratam esse, apud Senecam 3.*de Ira,cap.15.*Ioabus sub pacis osculo ficam tegit,2.*Reg.*20. *num.9.* Iudas sub amore pauperum occultat auaritiam, Ioan. cap.12.n.6. *Adeò humanis ingeniis parata simulatio est,* &c. quod aduertit Curtius *lib. 5.* Sed Holofernes iram non tegit, toto furorem effundit vultu: vnde metum concepit Iudæa vniuersa,*A facie eius.*

Callent homines artem simulandi.
2. Reg.c.15. n.6.
Ioan.cap.12. n.6.

Num. 2. Tremor, & horror inuasit sensus eorum, ne hoc faceret Ierusalem,& templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus, & templis earum.

Commentarius.

3. ACceperat Iudæus Theomachiã ab Holoferne indictam esse;quo Xerxes furore militem emisit aduersùs templum Apollinis Delphici. *Quasi nõ cum Græcis tantùm, sed cum Diis bellum gereret,*&c. sic Iustinus *lib.* 2.

Quare

Quare metus Iudæo ingens est, ne Holofernes sacram Deo vrbem, & sacram ædem aggrediatur. Castus omnino, sanctúsque metus; quo viri boni suo pro Deo agunt,& satagunt: id enim est pro aris, focísque pugnare. Vnde pugnandi ardor ingens,& moriendi amor iustus est,teste Seneca, *Primum, scilicet, militiæ vinculum,religio*, &c. *epist.* 105. Quare vt miles pugnaret strenuè,suos in castris Deos Romanos habebat. Docet Herodianus *lib.* 4. Antonium benignè exceptum fuisse. *Postquam venit in castra, & id sacellum, vbi signa, & imagines exercitus adorantur*, &c. Sanum Romano consilium, vt qui suos in castris Ioues haberet, miles coleret, & quasi pro Diis bellum strenuè gereret. Puto Sichimæos eo affectu profugisse in templum ab hoste Abimelecho, Iudic.9. num. 46. *Ingressi sunt in fanum Dei sui Berith*, &c. Metus sacram in domum egit, vt pro Deo, vel pugnam, vel mortem obirent acerrimè. Iusta pugnandi ratio, & pia moriendi occasio; quando res pro vero Deo esset. Sed tanta est virtus religionis tuendæ, vt laudem sibi parauerit Philippus Macedo, apud Iustinum *lib.* 8. quippe qui Phocenses attriuerit reos sacrilegij. *Diis proximus habebatur, per quem Deorum maiestas vindicata esset*, &c. Vnde bellum à Pausania sacrum vocatur *lib.*10. Addo iustum Persepolitanis dolorem fuisse, vt Antiochum malè mulctarent, cùm malus Princeps templo minaretur locupletissimo lib.1.Machab. cap. 6.n.1. *Audiuit enim esse ciuitatem nobilissimam, templúmque in ea locuples valdè*,&c. Quare ciues arma capiunt,iure merito n. 4. *& insurrexerunt in prælium*, &c. Vide Iustinum *lib.* 32. vbi docet Regem auaritia solicitatum. *Qua sperabat se sub specie tributariæ necessitatis excusatius sacrilegia commissurum*, &c. Laudat Iustinus Persepolitanos, vt Iouis vltores:laudo ego Machabæum,quo Duce Iudæus miles Antiochum malè habuit, vrbem Deo sacram armis texit;hæc enim & frequens Iudæo apud Deum erat obsecratio 2.Machab. cap.8.n.2. *vt respiceret populum,& templo misereretur*,&c. Commendat Ambrosius virtutem masculam Gentis Iudaicæ, vtpote quæ ferro, & flamma tueretur sanam fidem, & sacram domum,1.*Offic. cap.*40. Quæ enim potior do pugnandi occasio, quàm pro tuenda religione? Probata igitur parœmia est,

Pro fide casta pugnandum laiè.

Pro aris, focísque agendum strenuè. Iudic. 9. n. 46.

Deo gratus homo est, qui Dei causam tuetur. 1. Machab. c.6.n.1.4.

Specie honesta admittuntur scelera.

2.Mach.c. 8. n.2.

PARÆNET. II.

Pro aris focísque pugnandum strenuè.

1. VRbem, ac domum Deo sacram habet in oculis Senatus, populúsque Iudæus: ea cura solicitat pios homines; quod aduertit Lyra.Nihil enim æquè torquet pios animos, ac iniuria rerum sacrarum: ea fortuna occurrit in primis,& lachrymas excutit à pio Vate, ad Ps.78.n.2. *Deus* (inquit)*venerunt Gentes in hæreditatem tuam*, &c. Quo venissent Hostes animo, inspexit Dauid, ac doluit. *Polluerunt templum sanctum tuum*, &c. Psalmus est de quacumque velis fortuna sæua, ac trísti; quæ vrbem, ac templum malè oppressit. Illud in loco probat Theodoretus, pium dolorem à templi iniuria incepisse. *Sapienter preces exordiri docuit; non enim sua mala primum narrat, sed impietatem in diuinum templum*, &c. Ea profectò cura est, quæ pios homines in primis coquit, adeò,vt mortem pro templo tuendo pati velint. Hoc affectu ad Petronium Hebræus Philo, ne turpi colosso profanaret ædem sacram, *Vnum* (inquit) *petimus, ne quid in templo nouetur. Id si non impetramus, necandos nos præbemus, ne viuentes videamus, quod est morte grauius*, &c. Sic ad Caium Legatus Philo; satísque docet consilium Iudæo fuisse, vt animam prodigeret,modò sua templo esset religio.

Mordet pios homines iniuria rerum sacrarum. Ps.78. n.2.

Veloſ. in Iudith.

Mortem pro sacris tuendis optat bonus quisque.

2.

Nec malè opinatur, qui putat sacrum Deo tabernaculum castris in locum dispositis, septum esse,ne qua sacrario fieret iniuria. Illud enim habes ex Numeris, ad cap. 2. n. 2. *Per turmas suas castra metabuntur, per gyrum tabernaculi*, &c. Castra igitur eo erant situ locata, vt Sanctuarium cingerent milites. Cajetanus rem trahit ad maiorem Dei honorem. *Institutus est huiusmodi* (inquit) *situs ad honorandum tabernaculum*, &c. Aderant enim homines sacro tentorio, vti laterones Magni Ducis. Mendoça Magister meus 2. *tom. ad* 1. *Reg. cap.*4.*n.*3. eò rem vocat,vt doceat, castris positis adesse milites, ne sacris hostis obsistat;& est ratio, cur circunstant. *Vt prius se ab hoste, quàm sanctuarium expugnari paterentur*, &c. Itaque si hostis adesset, primos belli morsus Hebræus exciperet, vt sua tabernaculo constaret sanctitas. Pius iste motus animi viam mihi facit, vt inueniam, cur Philisthæus, arca Hebræam in aciem ducta, metum contraxerit, & voces tristes ediderit? 1. Reg. 4. num. 7. *Timuerúntque Philisthiim, dicentes:Venit Deus in castra*,&c. quod interpretes in loco probant, probo ego; sed manum addo ad litem. Philisthæos scilicet victores ab hoste victo malè formidasse, cùm reputarent secum, Hebræos lepores pro arca, vti pro Deo, leones fore; ne,si malè pugnarent, Deum quodammodo proderent. Tam pia de sacris tuendis cura est, vt victis hominibus vires addat. Vnde natam puto cogitationem addendi militis ad templi custodiam, ne quid absurdi sacra in domo fierer. Lego in Actis Apost. *cap.* 4. *n.* 1. suum templo Magistratum fuisse, vtique Ducem militum, qui templo tuendo aderant, Auctore Chrysostomo *Hom.* 10.*in Acta.* Cur miles templo additus, vti satelles? vt procul arceret vel fures sacrilegos, vel hostes improbos;quæ piæ Gentis cura est: aras scilicet,& focos armis tegere, ne qua sacris fiat iniuria,vi,dolo,turpíque motu.

Hebræus miles Dei satelles.

Num.cap. 2. n.2.

Castra sacra apposita, vt castè Sacerdos faciat.

1.Reg.cap.4. n.7.

Leonem pro Deo tuendo lepus repræsentat.

Act.c.4. n. 1

Miles sacris additus ad custodiam.

3.

Habebant pro comperto scientes homines labi Remp. pessimè, conuulsa religione, & pietate profligata. Facit ad litem Ozias malè feriatus, qui & aris, & sacris manum iniecit, 2. *Paralip. cap.*26. *num.*16. Eò amentiæ traxit hominem fortuna prospera, vt occuparet officium odoris in ara incendendi. Vnde textus habet, *& neglexit Dominum Deum suum*, &c. Occurrit Azarias Pontifex. *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino*, &c. Quo ore Pontifex? Nónne Ozias Rex est!? vbi honoris præfatio? Sed perdit regni titulum, qui suum templo honorem detrahit

2. Paralip. c.26.n.16.

Rex non est, qui suum templo honorem demit.

detrahit. Sic Chryſoſtomus Hom. 4. in Iſaiæ cap. 6. *Ne mihi dixeris eſſe regnum, vbi legum eſt tranſgreſſio*, &c. Cur enim regnum ſteterit pietate neglecta? Et quidem Ozias leprâ tactus Ioathamo ceſſit regni adminiſtrationem, quod patet ex *n.* 21. Senſit Pontifex Oziam regno pulſum eſſe, qui manum ſacris admouerat; ac proinde Oziam appellat, non Regem. *Non eſt tui officij, Ozia*, &c. Chryſoſtomus iterum Hom. 5. *Non appellauit Regem, neque titulo principatus appellauit, propterea quòd ipſe præueniens, ſe dignitate deiecerat*, &c. ſatis Antiſtes inſinuat amitti regni iura, vbi ſacris fit iniuria.

Perit regnum pietate neglecta.

4. Quid ſi pereat vel orbis vniuerſus, neglecta ſacri loci religione? Quid de templo ſit faciendum, pronuntiat Magiſter Dominus apud Matth. cap. 24. num. 2. *Non relinquetur lapis ſuper lapidem*, &c. Sed quærunt extemplò diſcipuli: *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſæculi?* &c. *n.* 3. Miror ego iniectam Apoſtolis cogitationem eſſe de orbe ſoluendo, cùm de templo diſſoluendo ſermo eſſet? Illud tamen inſinuant Apoſtoli, ruiturum eſſe, templo exciſo, Orbem vniuerſum, extremum in excidium; nec ſtare mundum poſſe religione ſacri loci proffligata: ſuis enim rebus conſulit Magnus Deus. Non congero, quot homines malè perierint, qui manus iniecere locis, ac rebus ſacris. Videas Liuium *lib.* 3. *dec.* 5. Xenoph. *lib.* 6. *de rebus Græcan.* Valer. *lib.* 1. *cap.* 2. Vnum interim Iuſtinum laudo, qui tradit Xerxen malè mulctatum, exercitu deleto, cùm templum Delphis occupare vellet, ac diripere, *vt intelligeret, quanto granior offenſa Deorum eſſet, tanto nullas poſſe hominum aduersùs Deos vires*, &c. *lib.* 2.

Matth. c. 24. n. 2. 3.

Perit orbis religione proſligata.

Nulla Deo offenſa virtus hominū.

5. Adeſt ſacris locis Angelus, ne quis mentis profanæ homo illò manus iniiciat. Conſtat Areunæ aream Deo ſacram, æuo Dauidico, ac deſtinatam fuiſſe templo extruendo. Vide 2. *Paralip. cap.* 3. *num.* 1. Conſtat Angelum inibi adfuiſſe gladio obarmatum, quo Dauid terretur grauiter. *Videns gladium Angeli Domini*, &c. 1. *Paralip. cap.* 21. *num.* 30. Cur ſacro in loco Angelus? Cur Angelus cum gladio? Scienter Vrbanus Pontifex ad Pſ. 50. *Hæc* (inquit) *eſt area templi ſancti, iuxta quam eſt Angelus ad cuſtodiam deputatus*, &c. ſub cuſtodia Angelica locus ſanctus eſt, ne ſacrilegium admittat manus etiam barbara, metu damni. Ibi & Magnus Deus adeſt apparatu cenſorio. Ezechielem adeo *cap.* 9. imò ſacrum templum ineo: video in templi veſtibulo, Deum maieſtatis plurimæ. *Quæ erat ad limen domus*, &c. *num.* 3. ſcilicet, *vt ingredientes plenius dignoſceret*, &c. teſte Paſchaſio *ad lib. de Sacramento.* Adeſt notarius cum atramento, & calamo, num. 2. *& atramentum ſcriptoris ad renes eius*, &c. *quo omnium peccata deſcriberet*, &c. aduertit Hieronymus, ſcilicet ex libello reos peragendos eſſe inſinuans. Adſunt & lictores cum ſecuribus. *& vnuſquiſque habet ſecurim in manu ſua*, &c. *n.* 1. quod in Græco textu eſt: vnde colligas templum reuerentiſſimè colendum eſſe, cùm Deus tantam de ſacris locis curam habeat, nec ſinat impunè abire homines, qui ſcelus admittant ſacrilegum.

Cuſtos rebus ſacris Angelus, vt peruideat quid qui que faciat.

Ezech. c. 9. n. 3.

Notarium in ſacris agit Angelus.

Hoc metu curabant viri optimi, ne loca ſacra fœdarentur, vel cæde iuſta. Athaliam necari iubet Pontifex Ioiada 4. *Reg. c.* 11. *n.* 25. ſed iubet ea lege, *Non occidatur in templo Domini*, &c. ſcilicet, ne qua ſacro loco fieret iniuria. *Ne templum violarent, veneficam occidentes*, &c. quæ Ioſepho mens eſt *lib.* 9. *Antiquit. c.* 7. Et quidem tam lictor iure agens, quàm miles ira furens manum tenent, metu ſacri loci. Sanctuario, vti aſylo gaudent Moyſes, & Aaron, cùm Hebræus commouetur grauiter aduersùs homines, *Num.* 16. *n.* 43. Textus inibi, *Moyſes, & Aaron fugerunt in tabernaculum fœderis*, &c. Eo loci fratres ſe recipiunt, quo vel iratus homo ire non auſit, *vt ſaltem propter loci ſanctitatem populus nocere non auderet*, &c. Sic Abulenſis *q.* 46. *ad c.* 14. *Num.* Tanta ſacris locis religio eſt, quæ & iratos Paulo homines compreſſit. Dicit Magiſter latè de Chriſto Domino: Audit Iudæus in templo, & fremit; ſed ferrum Paulo non adigit, cædem anhelat, ſed à ferro abſtinet, dum ſacro in loco Magiſter eſt. Quid igitur? *Apprehendentes Paulum extrahebant extra templum*, &c. *Act.* 22. *num.* 30. Cur Paulum ſacro in loco non interimunt furentes homines? metu id religioſo. *Propterea extrahebant, quo hæc facerent maiori cum audacia*, &c. ſic Chryſoſtomus *Homil.* 46. Ita ne agunt religioſè furentes homines, vt ſacro à loco temperent? Aio liberè. Piè Hebræus, qui templo timet; impiè Holofernes, qui minatur ſe facturum, *quod fecerat ceteris ciuitatibus, & templis earum.*

4 Reg. c. 11. n. 25.

Cautum ne cædes etſi iuſta, ſacro in loco fiat.

Num. c. 16. n. 43.

Sacrarium Hebræus licèt iratus reueretur.

Act. cap. 22. n. 30.

Nec malus homo ſacra in domo audet facilè.

Num. 3. Et miſerunt in omnem Samariam per circuitum vſque Iericho, & præoccupauerunt omnes verticès montium.

Commentarius.

4. FAciunt homines arte militari, cùm montes inſident; vnde facilis in hoſtes proſpectus eſt. Neque enim Iudæo pugnandi virtus, ſed animus ſpeculandi erat; quà Holofernes veniret, & quò tenderet. Imperatumque Samaritis ſpeculandi officium, vtpote qui, ex Hebræa ſchola, cuſtodes eſſent, ac vigiles. *Qui debent cuſtodire*, &c. Vti notat Laudunenſis: ex nomenclatura ſcilicet obligantur homines ad officium. hac tamen de re poſtmodum.

Excubat ex officio Samarites.

5. Dubitant plerique interpretes, cur Samaritis mandata vigilandi cura eſt à Iudæo aduersùs Aſſyrium? cùm Samaritæ, non iam Iſraëlitæ fuerint, ſed ab Aſſyria Gentes barbaræ: quod patet ex 4. *Reg.* 17. *num.* 24. ac proinde, non pro Iudæo, ſed pro Aſſyrio pugnarent, ac excubarent amicè. Stimulus eſt; ſed ſtimulum digitulo vellit Serarius *q.* 12. *ad* 1. *cap.* Nam Samaritæ, Aſſyrio vrbem obſidente, alij aliò abierant, qui Rege capto, populóque tranſlato, repetiere terram patriam; alij è ſeruitute Aſſyria furtim reuenerant, qui ſceptro ſe Iudæo ſubiecere. Opinatur id & Abulenſis *ad* 4. *Reg. cap.* 23. *q.* 26, 28. *&* 40. Putant interpretes rem de textu eſſe, cùm Ezechias Samaritis in Aſſyriam tranſportatis, Iſraëlitam æquè, ac Iudæum inuitauerit in ſacram

4 Reg. c. 17. n. 24.

sacram domum, & cultum religiosum, ex
2. Par. c.30. n.11. 2. *Paralipom. cap.* 30. *num.* 1. vnde, *Viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Ierusalem*, &c. *num.* 11. Nec Iosias liberè sæuiret in aras, ac Deos Samaritarum, fidemque sanam induceret in vrbes, animósque hominum, 4. Reg. cap. 23.
4.Reg.c.23. n.19. num.19. *Omnia enim fana excelsorum, quæ erant in ciuitatibus Samariæ, abstulit Iosias*, &c. Nisi Samaritæ ad sceptrum Iudæum pertinerent. Addo Assyrios Samaritis socios ab Assyrio defeciisse. Constat enim ex 1. *cap. num.* 9. Samaritas cum populis reliquis rebellasse, & iugum seruitutis excussisse; ad alios quidem homines legati ab Assyrio Oratores, *& ad omnes, qui erant in Samaria*, &c. Non succurrunt è textu rationes deficiendi. Fortasse, vt religione, ita & amicitia dissensere. Nam Samaritæ malè vexati Deum cum Diis coluere, & quanuis *vnaquæque Gens fabricata est Deum suum*,
4.Reg. c.17. n. 29.32. &c. 4. *Reg.* 17. *num.* 29. vtpote insignes Idololatræ. *Nihilominus colebant Dominum*, &c. *num.* 32. Hebræo scilicet cultu. Quid igitur mirum, si ab Assyrio deficerent Samaritæ? Itaque vel Israëlitæ à seruitute Assyria redeuntes, vel Samaritæ ab amicitia deficientes, Iudæo accessere, vt communem arcerent hostem, quod Saliano, & Tirino placet.

6. Vnde habes, Samaritas, licèt Assyrios, & Legatis malè respondisse *ad* 1. *cap. num.* 11. & Iudæo sese addidisse aduersùs Assyrium; quibus mandatum, *vt præoccuparent vertices montium*, &c. Variat amicitia, cum fortuna rerum varia; nec firmus est nexus fraternæ societatis. Fraternas acies inducit Statius 1. *Theb.* Fraterna cæde Romam infecit Romulus. Nam, apud Lucanum lib. 1.

Temporaria est hominum amicitia.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri,
&c.

Patrem insectatur Absalomus dolo, & manu,
2.Reg. c.15. *ad* 2. *Reg. cap.* 15. qui quidem Hebræa schola, *pacis Pater* dicitur, apud Gilbertum serm. 14. in Cant. *Bonum planè nomen; sed ipse huius nominis virtutem abnegabat*, &c. Quis ab vno Abele defecit, nisi frater manu sæua? *ad Gen.* 4. Id puto factum astu Dæmonis, vt ciues facilè sæuirent in ciues. quod à Tertulliano disco ad Scorpia. cap. 8. *Qui Deo placuerat, occiditur; id quidem à fratre, quo procliuius impietas alienum sanguinem insectaretur à suo auspicata*, &c. Iam ab Orbe condito hæc natura hominum, vt amicitias soluat facilè. Sed progressa in peius impietas est, vt nemo affectu constet. Quod & Gentis Christianæ extremum erit excidium. Dolet id Paulus 2. ad Timoth. cap. 3. num. 2. *In nouissimis diebus erunt homines se ipsos amantes*, &c. Et paucis pòst verbis, *sine affectione, sine pace, criminatores*, &c. Dolet igitur Apostolus fidem amicitiæ labi facilè; inde lites, & criminationes, imò rationes commentitiæ ad pacem abrumpendam. Sensit Chilon vitium amicitiæ, qui monebat, *Sic ama, vt osurus*, &c. satis insinuans amicitias hominum citò abire, *cùm nihil sit difficilius.* ex Africano apud Ciceronem, *quàm amicitiam vsque ad extremum diem permanere*, &c. Qui amicum mentitur ex commodo, mentitur facilè, & à fide abit. *Sic ab Athenis defecere socij, vt fit*, teste Iustino *ad lib.* 5. cùm Darius Athenienses bello petereret. Sic & Samaritæ ab Assyrio defecere, etsi conterranei: quæ & dolendi, & sæuiendi occasio grauior, cùm nemo non doleat.

Nomen cum factis conuenit. Gen.c.4.

Facilis est via ab vno ad aliud flagitium.

2.ad Timoth.c.3.n.2.

Eiùd discinditur amicitia.

PARÆNET. III.

Fraternam societatem abrumpi facilè.

I. COnstat Samaritas ab Assyria venisse, conterraneósque Assyrio esse, non tamen constat liquidò, cur à domo Assyria desciuerint. Fortasse defecere, amicitiámque renuntiarunt, vitio humanæ Gentis; quæ occasione leuiuscula tesseram frangit amicitiæ, vti notat Syracides cap. 6. num. 8. *Est enim amicus, secundùm tempus suum*, &c. Et verò, quæ ex commodo nascitur amicitia, verè temporaria est; nec in horam durat, sed momento soluitur. Vnde facilis huiusce amicitiæ iactura est, maximè, si textum vertas, accentu tantùm mutato, ἐν χειρῷ αὐτῦ, *in filo suo.* cùm suam homines amicitiam suspendant filo tenui. Sensere Apelles, & Protogenes vitium amicitiæ temporariæ: ac proinde, *Amorem, vt qui sit acerrimus, sed extinguatur celerrimè, pictores cum facibus, & aliis pingunt*, &c. sic Pelusiotes *lib.* 2. *epist.* 233. Cur non procul auolet amicitia, quæ bolo, vel obolo permutatur? Queritur hac de re Syracides cap. 6. num. 10. *Est amicus socius mensæ*, &c. τράπεζα est mensa numis etiam commutandis nata, qua scilicet penditur, & alitur fides amicitiæ. Id tamen ridet Bilbilitanus lib. 9. Epigr. 15.

In horam durat, quæ ex commodo nascitur amicitia. Eccl.c.6.n.8.

Filo suspenditur amicitia.

Alas, quibus auolet, amor habet. Eccl. cap. 6. n.10.

Si quem cœna tibi, quem mensa parauit amicum:
Esse putas fidæ pectus amicitiæ, &c.

Rara, nisi ex lucro amicitia.

Temporaria omnino amicitia est, quæ numos captat, & cibos. Viuit, dum feruet olla: durat, dum numus crepat.

2. Bene est; sed Assyrius adhuc agros sibi vectigales à Samaritis non aufert; vnde igitur nata occasio amicitiæ renuntiandæ? sed fidem Samaritæ frangunt, vt viuant immunes iugo soluto, & felices, agro occupato: cùm appetentes rerum homines soluant facilè vel fraternam societatem. Quis prodigio bene recepto, fratrem à fratre, ac patre diuellit? apud Luc. 15. num. 28. *Indignatus est, & nolebat introire*, &c. Habendi amor turpem, tristémque tragœdiam excitauit. Res de textu est. *Filius senior.* num. 25. *vt audiuit symphoniam, & chorum*, &c. Certus de paterna in Prodigum benignitate, dolet grauiter accessisse alium rebus diuidundis, ac proinde fraternam abrumpit societatem, *& nolebat introire*, &c. Ad litem Chrysologus serm. 4. *Damnum frater credit, qui rediisse conspicit cohæredem*, &c. Qui patris hæres ex asse cupit esse, etsi frater, à fratre discedit. Imò fraternum sibi nomen abradit, nec videri frater sustinet, modò rem paternam in partes diuidat. Arbitrum sibi Christum legit homo, pro hæreditate diuidunda, apud Lucam 12. num. 14. *Magister* (inquit) *dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, &c. sic & à nexu fraternæ societatis abire voluit. Offensus re absurda Magister, vultu aspernatus, voce etiam increpat grauissima. *Homo, quis me constituit iudicem?* &c. Frattem Magister Dominus appellat hominem, vtpote qui habendi amore

Luc.c.15. n. 25.28.

Soluit amicitiam, qui auarè cupit.

Leu. c.12. n. 14.

Fratrem exuit animo, qui de re domestica litem mouet.

quærit diuidiam: ac si vellet Magister, ex Augustino, *Quare vis diuidere, nisi quia homo*, &c. *ad serm. de Ascens.* Si frater esses verè, non diuideres. Tanta in habendi affectu vis est, vt nec frater fraternum sibi nomen retineat, ad fidem scilicet fraternæ societatis. Sed teste Chrysologo ad serm. 161. *Auaritia parentes negat, germanos diuidit, soluit amicitiam, excludit affectum*, &c. Nescit frater cum fratre sentire, vbi lis est de fortuna domestica.

3. Docet Moyses pugnasse Iacobum cum fra-
Gen. cap. 25. n. 12. tre, priusquam in lucem ederentur. Gen. 25. num. 12. *Collidebantur in vtero eius pueri*, &c. Simul in vtero infantes erant, & iam simultates exercebant, scilicet de primatu nascendi pugna erat. Nam ex Chrysologo ad serm. cit.
Multa de primatu pugna est vel inter infantes. *Hæreditas mundana ante posteris infert pugnam, quàm sensum conferat; antequam diuidat facultates, scindit hæredes*, &c. Quæ nam inter fratres geminos de hæreditate adeunda lites, ac morsus priusquam huiusce lucis vsu fruerentur? Nihil tamen id miror, teste Seneca ad 3. de Ira cap. 32. *Circa pecuniam plurimum vociferationis est. Hæc fora defatigat; patres, ac liberos committit*, &c. Cur non committat Assyrios, etsi conterraneos? Cur non discedant Samaritæ à Chutæis, populisque reliquis societatis initæ, si habendi amore agros sibi pingues arare, & occare voluere? Hæc habendi cura fraternum abrumpit fœdus; neque enim fratres conueniunt, si res appetunt; sed & dissident, & digladiantur.

4. Queritur virgo sapiens de fraterna inuidia,
Cant. c. 1. n. 5. ad Cant. cap. 1. num. 5. *Filij* (inquit) *matris meæ, pugnauerunt contra me*, &c. & quasi insinuans hosce morsus hominum ex inuidia natos esse, addit imperatam sibi curam de vinea custodienda. *Posuerunt me custodem in vineis*, &c.
Sororem ab agro hereditario deturbant fratres. Neque enim fratres sustinent sororem frui sua fortuna. Inde voces, lites, morsus, *filij matris meæ pugnauerunt contra me*, &c. Credo ab aliis, externisque hominibus vexatam fuisse virginem: dolere tamen grauiter deseri se, & impugnari fraterna manu, quod expendit Bernardus serm. 29. *Sed profectò id expressiùs plangit, quod & sentit differentius, & quod vigilantius*
Dolet grauius fraterna inuidia. *nobis cauendum existimat. Quid est hoc? malum vtique intestinum, & domesticum*, &c. In loco Bernardus noratos putat susurrones, qui nexus abrumpunt fraternæ societatis. Hæc & Paulo dolendi occasio, à quo lachrymas excutit offensa amicitia. Laborat Magister, in Actis
Act. cap. 20. n. 19. ad cap. 20. num. 19. *seruiens Domino, cum lachrymis, & tentationibus*, &c. Quid mi Paule doles? Quid profundis lachrymas? si Deo studes? si Christo hæres? & vbi illud est tui animi triplex robor, imò altum gaudium rebus in aduersis? Nónne ad Colossenses cap. 6. num. 2. *Gaudeo* (inquit) *in passionibus*, &c. Sed Paulum conficit quodámodo fides læsa fraternæ societatis; addit enim Apostolus, *Quæ mihi*
Mordet acerbiùs fraterna fauitia. *acciderunt ex insidiis Iudæorum*, &c. Vnde scilicet, timeri minus poterant, naturæ iure. Chrysost. Hom. 44 *Et hoc* (inquit) *graue est, quod à Iudæis*, &c. Perfert quidē Paulus dolores grauissimos à Græco, Romanóque furore: non queritur, non lachrymatur; tentatus à Iudæo, & voces edit tristes, & tristes fūdit lachrymas; quippe quòd morsus à fratre grauiores æstimātur.

Dolet quidem Iudæus se ab hoste Chal- 5.
dæo captum, vexatumque esse: deinde quod
fit, malè imprecatur ad Psalm. 136. num. 8. *Fi-* Ps. 136. num.
lia Babylonis misera, &c. Prius tamen quàm de 8 4.
Chaldæo meminisset, meminit de Idumæo, *num.* 4. Deumque trahit ad vindictam scelerum. *Memento* (inquit) *filiorum Edom*, &c. Nemo nescit Idumæum Iudæo fratrem esse. nam ad Idumæum in via Moyses, vt per fraternum agrum liceret transitus: *Hæ-* (inquit) *mandat frater tuus*, &c. *Num. cap. 20. num. 14.* Meminit priùs, quod dolet grauiùs. Sed grauior Iudæo erat dolor, quòd à fratre Idumæo vexaretur. Id
Grauior putatur cruciatus à domesticis. Rupertus docet lib. 1. in Abdiam. *Acerbius enim fertur vulnus, quod à fratre infligitur, inde consolatio contra cæteros sperari debuerat*, &c. Ea igitur est ratio, cur Iudæus prius de Idumæo fratre, quàm de Chaldæo hoste queritur. Queri & Assyrius potuit de Samarita, priusquam de Israëlita, cùm Samarita Assyrio frater esset, & à fraterna deficeret amicitia.

Num. 4. Et muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.

Commentarius.

7. EX loco illud colligas, non fuisse Iudæo animum pugnandi iusta acie, sed consilium tuendæ prouinciæ obsidione tolerata. Ac ne fames obsessis hominibus grauior, quàm hostis esset, rem cibariam ex agro inuexit in vrbem; oppugnatur enim miles fame prius, quàm ferro. Sentit famem in castris diram Cæsar, apud Lucanum lib. 4. *Sæua fames aderat, nullóque obsessus ab hoste, miles eget*, &c.
Vrget fames ad absurda quæque. Et qui ab hoste nihil timet, nihil à fame non timet. ne scilicet miles, vel à castris, vel à fide abeat. Mitto quàm multos homines fame tactos, nec ab esu humanæ carnis temperasse: quod per se absurdum, ac fœdum est. De Numantinis id tradit Augustinus *ad lib. 3. de ciuit. cap. 20.* De Gallis, Marinæus *lib. 18.* De Calagurritanis, Valerius *lib. 7. cap. 14* De Iudæis, Iosephus *ad lib. 6. de Bello cap. 11.* etsi textus de Samaritis prior est, *ad 4. Reg. cap. 6. num. 28.* De Romanis, Hieronymus illud ad Principiam *epist. 16.* Roma ab hoste Gotto obsessa. *Fame perit, antequam gladio; ad nefandos cibos erumpit esurientium rabies: mater non parcit lactenti infantiæ, & recipit vtero, quem paulo antè effuderat*, &c. Eò absurdi adigit,
Fames non audit leges. *Et male Suada fames, & turpis egestas*, &c. *Nam* (Iosepho teste) *quod reuerentia dignum est, infame negligitur*, &c. *ad lib. cit.*

8. Metus erat Theoderico, ne ciues malè fure-
rent, si annona ingraueseeret; de vi frumentaria curauit, ratione addita, *Quando fames totum solet contemnere, vt suam impleat necessitatem*, &c. *lib. 4. epist. 5.* Occurrit igitur malis plurimis bonus Princeps, vbi annonam prouidet. Hæc quidem Romanis cura, vt militem bene cibatum haberent; & laudat curam Capitolinus in
Prouidēdum militibus. Gordiano, *In plerisque oppidis ad vsum anni condita habebant*, &c. quibus scilicet miles aleretur. Condant igitur Duces rem cibariam, necesse est, vt occurrant necessitatibus militaribus.

ribus. Quod feciſſe viſus eſt Dauid,cùm præ-
1. Paral.c.27. n.26.29. fecit homines rebus ruſticis *ad 1. Paralipom. cap.27.n.26.& 29.* Ne fame graſſante,& hoſte premente milites,ciuéſque inopia laborarent, ac deinde ſcelus anhelarent, proditionémque molirentur. Sciebat enim Dauid,

PARÆNET. IV.

Egeſtatem facilè ſcelerum matrem eſſe.

1. QVæſitum non ſemel, vtrùm egeſtas mala ſit,an bona?ſed æſtimanda res eſt ex vſu hominum. Vtaris egeſtate? bene viuendi parens eſt:abutaris inopia?malè agendi miniſtra eſt. Sic & ferro miles vtitur ad tuendam patriam,& latro abutitur ad cædem patrandam; ſic & igne coquus cibos coquit, & graſſator domos euertit:quod ſuam in rem Naſo aggerit 2. Triſt.

Valet in vtramque partem inopia.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

Cùm ſcilicet rebus malus abutitur. Hæc & egeſtas eſt,ad malè, ac benè agendum via facilis,ex vſu,ingenióque hominum. Argumentum eſt,quod vrget Theodoretus *ad ſerm.6.de Prouident.*

2. Sed negabit nemo egeſtatẽ ægrè acceptam, malis patrandis viam eſſe facilem.Inde teſtes inopes, & falsò deierant, & Deum carpunt, & furtis ſtudent facilè. *Attrita enim frontis eſt egeſtas*, Hildeberto Auctore, *nihil pudet, modò viuat*,&c.*epiſt.*20. Si leges venter audiret, pudor eſſet egentibus petere, ne dum rapere. Sed addit Hildebertus,*Egeſtas vrget ad crimen, & intercedit ad veniam*,&c. Credit cibo egens ſe excuſatiùs petere, imò rapere, ac proinde peccat licentiùs. Ne ad ſcelus adigatur Salomon, fame gliſcente, ſæuum à ſe malum deprou. c. 30. n.8. precatur.Prouerb.c.30. n.8. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi*,&c.Rectè docet rerum ſciens.Si enim diuitiæ de vitiis natæ vrgent ad vitia, non minus vrget inopia; & Bernardi mens in loco eſt ad ſer.6.de ieiunio. *Nimirum quia vtrobique laqueus,vtrobique periculum*,&c. Quiſnam verò fuerit laqueus, quodnam periculum,ex opulentia,& inopia rerum,expendit benè ſer. 2. variar. *Ne fortè aut diuitiæ attollerent in ſuperbiam, aut paupertas deiiceret in impatientiam*,&c. Mirum,quo dolore pauper angitur,ſi fames premit? Quo Deum ore lædit? Et quid molitur, vt famem pellat?Nec ſacris parcat,ſi manum poſſit iniicere.

Nihil non audet egeſtas.

Suum ſentit periculum vtraque fortuna.

Superba eſt felicitas, & paupertas querula.

3. Eo quidem metu Heliam Deus hortatur,vt loco ſe abdat,& ab oculis hominum abripiat; quãdo famem Hebræo imprecatus eſt 3. Reg. c.17.n.3. *Recede*(inquit)*& abſcondere in torrente Carith*, &c. Amicè Deus Heliam monet, ſatis ſciens,quod mali Vates pateretur,ſi moraretur inter ciues;ac ne Helias fame pereat,addit bonus Deus, n. 4. *Coruiſque præcepi,vt paſcant te ibi*, &c. Scienter Deus abſcondit hominem benè paſtum,ab hominibus fameſcentibus;quod Auguſtino placuit. *Quatenus, & famis tempore haberet alimoniam*,&c.*ad 2.lib.de Mirab.c.*15. Dicas fortaſſe.Pereant fame homines reliqui, vnus paſcatur Helias medio in foro.Sed quo id modo fieret,non benè Auguſtinus videt. nam vel bolum ciues inopes, ac fameſcentes ab Heliæ faucibus eriperent:quæ

3.Reg. c.17. n.3.4.

In hominem bene paſtum irruat pauper fameſcens.

pauperum impudentia eſt,fame graſſante.Qui non peccet, tactus inopia,vnus eſt Apoſtolus ad Philipp.c.4.n.12. *Scio* (inquit) *& ſatiari,& eſurire;& abundare,& penuriam pati*,&c. Mitto, quæ ad copiam rerum pertinent; premo, quæ de inopia docet Apoſtolus, *Scio,& eſurire,& penuriam pati*,&c. Et quæ nam hæc Philoſophia eſt?vt quis inopiam ferat, ſatis natura docet;velis,nolis,ferenda fames eſt.Ad rem Anſelmus. *Quem igitur nec in neceſſitate cupiditas irritat,nouit & penuriam pati*,&c.Multa in hoc rerum vſu eſt ſcientia, vt fame enectus homo nec queratur, nec furetur, pudore profligato.

Ad Philipp. c.4.n.12.

Sapit,qui fame preſſus non peccat.

4. Ea eſt ratio, cur Deus Hebræum ab Ægypto extraxerit in terram fluentem lacte, & melle:quod apud Iſaiam habes cap. 48. n.10. *Elegi*(inquit)*te de camino paupertatis*,&c.Multa enim vis eſt in rerum inopia, ad torquendos homines.*Ex quo oſtenditur diuitiis,& paupertate pleroſque tentari*, &c. Sic Hieronymus. Quare neceſſe erat,vt ab inopia rerum ad opulentiam, ab opulentia ad inopiam Hebræus verteretur. Hieronymus iterum. *Quare Salomon diuitias, & paupertatem habere non vult;ne aut illis elenetur in ſuperbiam, aut iſta compellatur facere, quod non vult, & Deum preſſus inopia blaſphemare*,&c. Hac arte Magiſter Iudam lenire conatus eſt, ne proditionem meditaretur. Quidquid rerum,& pecuniarum Magiſter habebat ad ſcholam alendam, Iudas habebat, vti curator domeſticus;apud Ioan. cap.12.n.6. *& loculos habens, ea,quæ mittebantur, portabat*, &c. Cur verò Magiſter diſcipulo cupientiſſimo commiſerit pecuniam domeſticam, vnde ſciebat occaſionem rapiendam furandi eſſe, bene aduertit Virgo Mater apud Nazianzenum in Tragœdia. *Omnem pecuniam credidit, prætextum etiam omnem ſuſtulit inopiæ*, &c. Sic Virgo Mater apud Theologum;ſed à Theologo videtur Chryſoſtomus ſententiam mutuatus,*Hom.64.in Ioan. cap.*1. Probat enim traditum à Chriſto marſupium in Iudæ manum, *vt omnem tolleret proditionis materiam*, &c. Nam pecunia ſubtracta, ſi Magiſtrum Iudas proderet,inopia ſcelus eleuaret: marſupio tamen tradito, *malam eius obſtruxit cupiditatem, & omnem abſtulit excuſationem*, &c. tanta in rerum inopia vis eſt ad malè agendum.Vnde eruas,cur Deus malis hominibus opes tribuat. Si enim balatrones peſſimi laborarent inopia, *apertiſſimum defenſionis campum haberent malitiæ operarij*,&c. Sic Theodoretus *ſer. 6. de Prouident.* Ne quam igitur ex inopia occaſionem prætenderent homines, malè agendi, opes Deus tribuit. Quo aſpectu Iudæus frumentum cogit in vrbem,ne miles fame victus ciues malè prodat.

Io.c.12.n.6.

Ab inopia malus peccandi ſumit patrocinium.

Multa in rerum inopia vis eſt ad peccandum.

Quòd malus ſit diues, Dei prouidentia eſt, ne quid excuſent.

Num. 5. Sacerdos etiam Eliachim ſcripſit ad vniuerſos qui erant contra Eſdrelon, quæ eſt contra faciem campi magni, &c.

Commentarius.

9. DIctum ſatis de vrbe Eſdrelone, campóque Galilæo *ad 1.n.8.& 9.* Illud modò ſupereſt

disquirendum, fuerinne Eliachimus iste, Ioachimus ille, de quo *ad cap. 10. num. 7.* Textus habet, *Ioachim sumus Pontifex* &c. Mihi, & aliis dubium non est; quibus placet Iudithan sub Manasse vixisse. Adest Salmeron *tom. 14. epist. 6. ad Tuccium*, Bellarm. *ad 1. de Verbo cap. 12.* Gretserus *inibi.* Turcellin. *lib. 2. Histor. §. de Numa.* Salian. *anno Manassæ 7. num. 21.* Tirinus, Serar. *quæst. 1.* & quod magis placet, oblitus sui Sanctius *ad 4. Reg. c. 25.* Nec puto Eliachimum, ac Ioachimum duplex, sed vnum demptis literulis, nomen esse. Probo ex Heliachimo, qui repente Ioachimus est, iubente Pharaone *ad 4. Reg. 23. num. 34.* Helioachim enim, ex Heli, & Ioachimo compositus, detractis literulis, exit mollior, nunc Heliachimus, nunc Ioachimus, nunc Heli. Vnde coniectat Sanctius Ioachimum parentem Magnæ Matris à Luca appellatum, *ad cap. 3. num. 23.* vbi Heli Christi Domini auus est, qui Helioachim, siue Ioachim efferri poterat. Nec id sacro textu insolens, vt nomen efferatur parte demptа, siue priori, siue posteriori. Vide quæ Sanctius aggerit *ad Isaiæ cap. 15. ad 1. Ieremiæ caput.* Facit argumento Salem *Gen. 14. num. 18.* quæ quidem Ierusalem est bonis hominibus. Facit & *Camera pastorum*, 4. Reg. 10. num. 12. Quæ quidem vicus *num. 14.* Camera est simpliciter. Succurrit proximè cognomentum Lusitanæ familiæ, quæ à luporum Camera appellatur: sed, lupis detractis, cognomentum est Camera, apud Barrium *lib. 1. Dec. 1. cap. 3.* Heliachimum huiusce notæ eruunt alij ex Isaiæ c. 22. n. 20. *Vocabo* (inquit Dominus) *seruum meum Heliachim, filium Helciæ*, &c. In quo viro Sacerdotem Maximum agnoscunt Hieronymus, Cyr. Procop Lyra, Laudunens. Abulens. *q. 32. ad 4. Reg. 19.* etsi varius. Vixit Heliachimus inter Sobnam, & Helciam. Neque enim Sobnas ita felix, vt patriam cum Manasse repeteret: ac proinde translatus à Sobna in Eliachimum principatus Sacerdotum est. quod largè promittit Dominus à num. 21. *& induam illum tunica tua*, &c.

4 Reg. c. 23. n. 34.

Luc cap. 3. n. 23.

Frequens sacro textu est, vt nomen parte nunc ademptа, nunc addita efferatur.

Gen. cap. 14. n. 18.

4. Reg. c. 10. n. 12. 13.

Isa. cap. 22. n. 20. 21.

10. Vrget pars aduersa. Iráne Pontifex sub Manasse curam rerum, imò belli negotium ageret, vt Rex otio frueretur? Quo id more? nisi post fortunam seruitutis Chaldaicæ? cùm tamen Pontifex, Manasse capto, regnum administrasset, curam vel Manasse redeunte, non deponit, idque ex Manassæ placito; multa enim Ioachimo dignitas erat, cùm Legatus ab Ezechia ad Assyrium magnis de rebus egisset, 4. Reg. 13. num. 18. *Egressus est ad eos Heliachim filius Helciæ*, &c. Ac proinde commissa Heliachimo regni cura est, vt populo vteretur secundissimo, ad quæcumque vellet. Duplex ad id ratio; Sacerdotis & nota pietas, & magna dignitas; ne quis nolit

4. Reg. c. 13. n. 18.

PARÆNET. V.

Sacerdotes officio plusquam Reges esse.

1. QVi Iudithan floruisse volunt, iugo excussо captiuitatis Babylonicæ, argumentum inde capiunt, quòd toto libro merum de Manasse Rege silentium fuerit; multa de Ioachimo Sacerdotum Maximo commemoratio, vtpote qui de belli apparatu, de oppidis muniendis, ac de cibis colligendis præscripserit. Sed tanta erat Ioachimo dignitas, & tanta apud ciues eius auctoritas, ex regni cura nuperrima, vt suas Manasses curas cum viro sanctissimo, prudentissimoque diuideret. Sibi Ierosolymam retineret instruendam muris, & firmandam; crederet Ioachimo regni partem reliquam, quod putant Serar. *quæst. 2.* Salian. *citatus*, Tirinus, hominésque alij: vnde habeo Sacerdotes summo apud Reges honore esse.

Sacerdos apud Regem magno in pretio.

Sciebat Ozias regno se, ac sceptro valere, *ad 2. Paralipom. cap. 26.* adhuc tamen captat honores Sacerdotum: acerram capit, vt sacra in ara suffitum edat, certus omnino Sacerdotem Rege superiorem esse; quod vidit Chrysostomus Hom. 4 ad Isaiæ cap. 6. *Quiddam* (inquit) *affectauit, sua dignitate augustius*, &c. Quid agis Ozia? Cur Sacerdotum petis titulos honorarios? Ita ne vile tibi sceptrum est? Sed erant Pontificales insulæ additamenta gloriæ amplissimæ: quod pulchrè docet Herodes apud Cæsium, *Auos, proauosque habeo, & ex his aliquos summos Pontifices; quam dignitatem plures faciebant quam Regia*, &c. Sic Philo. Imò Regum Princeps nomen amittit, vbi Sacerdotum Princeps est. Redeat Ozias iterum 2. *Paralipom. c. 26. num. 18.* Adest Azarias Pontifex, & Oziam vrget. Qua tamen id voce? *Non est tui officij, Ozia*, &c. Cur Oziam Pontifex, Regem non appellat? Scio, quid in loco senserit Chrysostomus. Illud ego meam in litem addo, Oziam titulo honorario nudatum esse, ac si Deus vellet: vbi Sacerdotum Princeps nomenclaturam perdit Regiam; qua re Oziam Pontifex efferat, Regem taceat. Nec miror; cùm sciam Sacerdotes Angelis pares esse, quod probat Chrysostomus ex Paulo ad Galatas cap. 1. num. 8. *Licèt Angelus de cælo* (inquit,) &c. Addit Apostolus particulam *de cælo*, satis insinuans alios de terra Angelos esse, Sacerdotes scilicet. Non enim temerè dixit, *de cælo, sed quoniam Sacerdotes quoque dicti sunt Angeli*, &c. Hæc Chrysostomus. Probat Anselmus, firmatque sententiam ex 1. *ad Corinth 11. num. 10.* vbi Apostolus, *Debet mulier potestatem* (id est, velum) *habere supra caput, propter Angelos*, &c. Quod nam in loco monstrum est? Proritabitur ne Angelus venustate muliebri ad libidinem, si mulier suam ostendat faciem? Credat facilè Tertullianus *Apologet. cap. 20.* locísque aliis: credat Cyprianus *de habitu Virgin.* credat Clemens Alexand. *lib. 3. strom. cap. 5.* credat Lactant. 2. *Institut. cap. 14.* Prior tamen in sententia Iosephus est *ad 2. Antiquit. cap. 3.* Qui quidem Auctores docent, Angelos specie muliebri inuitatos esse ad Venerem. Sed errore damnato, velut caput mulier, Theophylacto Auctore. *Si nihil aliud, Angelos tamen verita, & honore dignans, ne & ipsis tanquam impudens videatur*, &c. aperta scilicet facie. Bene est. Anselmo tamen teste obuelanda est mulier. *Propter sacerdotes diuinæ voluntatis nuntios; ne in eius faciem irritentur ad libidinem*, &c.

2. Par. c. 26. n. 16.

Regem Sacerdos dignitate superat.

2. Par. c. 26. n. 18.

Vbi Sacerdos est, Rex non est. Ius.

Ad Galat. c. 1. n. 8.

Pares Angelis Sacerdotes.

1. ad Corint. c. 11. n. 10.

Grata Angelo modestia muliebris.

Sacerdotem verentur mulier.

Ab Anselmo non abest Cyrillus Alexandrinus *ad Leuit. cap. 16.* Sermo inibi est de Sacerdotis ingressu in adyta penitiora. Addit Moyses num. 17. *Nullus homo sit in tabernaculo,*

3. Leuit. c. 16. n. 17.

lo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, &c. Patet liquidò, quid textus germanè valeat. Sed mysticè percunctor, quod pacto Moyses excludit hominem, qui Sacerdotem admittit? Sacerdos ne vno minor Deo, maior est homine? Hæc Cyrillo mens est lib. 4. in Leuit. *Ego sic accipio, quòd qui potuerit Christum sequi, & penetrare cum eo interius tabernaculum, iam non erit homo, sed secundùm verbum ipsius, tanquam Angelus Dei*, &c. Agnoscat igitur, necesse est in Sacerdote Maximo, non hominem, sed Archangelum.

Sacerdos supra homines.

4. Quid si & Deus alter est Sacerdos? Annuit Cyrillus *citato loco*. Nec Cyprianus abnuit; imò probat ex *Ecclesiast. cap. 7. num. 31.* vbi Syracides Sacerdotis iuxtà, ac Dei honorem postulat. *In tota anima tua time Deum, & Sacerdotes eius sanctifica*, &c. Deinde addit n. 33. *Honora Deum, in tota anima tua, & honorifica Sacerdotes eius*, &c. Vnde habes, Sacerdotem vel secundum à Deo Principem, vel Deum esse, honore communicato. Cypriani interpretamentum cape ex lib. 3. epist. 9. *Salomon testatur, & docet, quæ sit sacerdotalis auctoritas, & potestas*, &c. Vide, quid Moyses addiderit, cùm Sacerdotem vnguento consecratum velit. Exod. cap. 30. num. 32. *Caro hominis non vngetur*, &c. Irane: si Pontifex inungatur, homo non vngitur? *Profectò Sacerdotes* (Deo Auctore, ac Lyrano teste) *quantum ad officium sunt supra homines*, &c. Dij scilicet, nomenclatura communicata. Mitto, quæ Paulus addit *in Actis Apostol. ad cap. 20. num. 5.* Theodoret *quæst. 52. in Exod. 22. num. 28.* Magnus Gregorius *lib. 4. epist. 31.*

Eccl. c. 7. n. 31. 33.

Par Deo Sacerdos, vel secundus à Deo est.

Ex. cap. 30. n. 31.

Sacerdos est penè Deus.

5. Quòd si tanta Sacerdotum dignitas est, nihil est venerationis, quod sibi non pariant homines, pluſquam Reges, Angelis pares, Deo continui. Hac via suam Sacerdotibus auctoritatem conciliat Magnus Gregorius apud Mauritium loco citato. *In diuinis* (inquit) *eloquiis Sacerdotes Dij aliquando Angeli vocantur. nam & per Moysen dicitur: Applicabitur ad Deos*, &c. *Exod. cap. 22. num. 8.* Hoc verò est, ad Sacerdotes: communi placito. *Quid mirum est, si vestra pietas dignatur honore, quibus honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse appellat Deus*, &c. Ita Gregor. Alexandri vox est, cùm Iaddum Sacerdotum Maximum adorasset; apud Iosephum lib. Antiquit. 11. cap. 8. *Non hunc adoro, sed Deum, cuius principatu sacerdotij functus est*, &c. Inde est, quod locum sibi priorem Sacerdos vindicat inuitatus in aulam. Præit Dauid hac loquendi forma, cùm Salomonem inauguratum velit 3. Reg. 1. n. 32. *Vocate mihi Sadoc, & Nathan*, &c. Cur prior quàm Nathano locus Sadoco est? Respondet Theodoretus quæst. 2. *Prælatus est quidem Pontifex*, &c. tantum venerationis Sacerdotibus tribuendum est. Et erit, qui Sacerdotes manu tundat, ac ferro petat? Factum à Doego, sed Idumæo, id est, 1. Reg. 22. num. 28. *Conuersúsque Doeg. Idumæus irruit in Sacerdotes Domini, & trucidauit in die illa viros vestitos Ephod lineo*, &c. Quod in loco priùs occurrit, illud est. Cur sacerdotes vestimentis sacris se se ad Saulem contulerunt? Sed ex Lyra. *Vt magis flecterent iratum eius animum*, &c. Quasi vestis sacra Sacerdotum lorica esset, apud iratos homines. Credo, si filis esset apud Regem mentis sanæ; sed pereunt sacerdotes miserè, Dœgo lictore, Idumæo barbaro, quod textus notat. *Doeg* (scilicet) *Idumæus*, &c. quasi ex patria mores carnifices traheret. Lyra iterum. *Iste* (inquit) *non fuit Iudæus, sed Idumæus: ideo non tantum horruit interficere Sacerdotes Domini*, &c. Qui enim sanam colit fidem, colit & sacerdotes fidei administros. Imò, iubente Rege: *Interficite Sacerdotes Domini*, &c. *n.* 17. affectu pio, milites, *Noluerunt extendere manus in Sacerdotes*, &c. quod à Caietano disco. *Timentes Deum renuerunt parere tam iniquo mandato*, &c. Boni omnino homines, qui metu piè concepto, ne digito quidem Sacerdotes pulsarunt.

Ex. c. 22. n. 8.

Curanda Sacerdotum dignitas.

3. Reg. c. 1. n. 32.

Prior loco Sacerdos, quàm Prophetæ.

1. Reg. c. 22. n. 18. 17.

Venerationẽ impetrat vestis sacra.

Sacerdotem pulsat barbarus.

Qui Deum timet, Dei Sacerdotes colit.

Miror, quales Deus iras gerit aduersùs contemptores Sacerdotum? Cùm Ozias vellet sacerdotium vsurpare, 2. Paralip. 26. num. 19. *Tenens enim in manu sua thuribulum, minabatur Sacerdotibus*, &c. Dolet nimium Dominus, & furore concepto, silet. Neque enim Isaias Deum videt amicè, dum Ozias viuit; sed qua occasione? *Anno, quo mortuus est Ozias, vidi* (inquit) *Dominum*, &c. *Isaiæ 6. num. 1.* Cur Deus latet, & silet? ostendit se grauiter læsum esse, læso improbè Sacerdote: ac proinde non vult sermones serere cũ hominibus, qui Sacerdotes ab iniuria non vindicarunt. Bene Chrysostomus, in commentario. *Populus* (inquit) *vniuersus non leuem cum Ozia iacturam sensit; indignante Deo, quòd leges parui pendisset, nec vltionem expetiuisset de contumelia, sacerdotio illata*, &c. Lege sancitum erat, vt homo lepra affectus, ageret extra muros. Quare officio ciues cùm deessent, indignatur Dominus, vultum aduertit, & tacet obstinatè. *Iratus enim Deus nulla de re omnino respondet*, &c. Iterum Chrysostomus. *Nescit Magnus Dominus conniuere ad iniuriam Sacerdotum. Quid igitur mirum est, si Iudæus Sacerdote vteretur, siue ad pacẽ firmandam, siue ad bellum curandum?* Scio Achiam, Sacerdotum Maximum, cum Saule militasse *ad 1. Reg. cap. 14. num. 18.* vbi Princeps ante belli tubam, *Applica* (inquit) *arcam Dei*, &c. Nónne Abiathar Sacerdos, & Dauid miles in castris agunt, *cap. 23. num. 9.* Certè Dauid Sacerdotem consulit. *Dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod*, &c. Sed & Sadocum Ierosolymis consultorem adesse voluit, 2. *Reg. cap. 15. n. 35.* Quis Ioaso adhuc puero suam restituit rem, nisi Pontifex Ioiada? & quidem manu armata; ad 4. Reg. cap. 11. num. 9. *Fecerúntque centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos*, &c. Itaque Pontifex bello curando auctor est, in aula valet ad pacem, & in acie præstat ad bellum. Vnde Iosephus asserit lib. 2. contra Apion. *Iudaica Reip. constitutio communiter Sacerdotibus committit, vt maxima quæque administrent*, &c. Sed rationem à Iustino peto. Tradit ille rem Iudaicam longè, latéque processisse; quòd eosdẽ & Reges, & Sacerdotes habuerit. *Quorum iustitia, religione permixta, incredibile, quantum coaluere*, &c. *lib. 36.* quod verum est de Machabæo principatu. Nemo igitur nouum putet, commissam Ioachimo curam belli administrandi, cùm Pontifex rem sacram operaretur: etsi adhuc sub lite fuerit,

2. Par. c. 26. n. 19.

Isa. c. 6. n. 1.

Læso Sacerdote læditur Deus.

Vindicanda Sacerdotum iniuria.

Ira sermonem intermittit.

1. Reg. c. 14. n. 18.

cap. 13. n. 8.

2. Reg. c. 15. n. 35.

4. Reg. c. 11. n. 9.

Magna apud Iudæum Sacerdotum auctoritas.

Valet, vigétque regnum, vbi Sacerdos rebusp. consulit.

PARÆ

PARÆNET. VI.

Deceat ne Sacerdotem regno administrando interesse ?

1. AIunt viri non mali, qui potestatem Rerump. cõmissam esse volunt Sacerdotibus, vtpote vtilioribus domi, ac militiæ. Id fortasse probat vox Hebræa כהן *Cohen*, quæ Sacerdotem sonat, & Principem: constatque ex 2. *Reg.* 8. *num.* 18. quo loco, *Filij Dauid Sacerdotes erant*, &c. Hebræa schola כהנים *Cohanim* Græco textu, αὐλάρχαι. Id verò est, *aulæ Principes*. Ac si tam Sacerdotes, quàm Principes, in aulam bene conueniant. Triplex in hanc partem caput est. Nam Sacerdos si magistratum gerat, auctoritate sacra facit homines obsequentiores. Quidquid iubet Pontifex, id homines reliqui sanctum putant, ratúmque habent. Nónne, *Rex ille Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos est*, &c. Sed Ægypto lex erat, Reges è Sacerdotibus legere, quo Princeps faciliùs populos regeret: sic Clemens Alexand. *lib.* 5 *Strom. cap.* 3. *Ægyptij* (inquit) *non quibuslibet ea, quæ apud ipsos erant mysteria, committebant, sed iis solùm, qui ad regnum erant peruenturi*, &c. tantæ auctoritatis Sacerdos esse putabatur. Ab Ægypto Palæstinam repeto. Scio Melchisedechum rebus politicis æquè, ac sacris interfuisse. Idque iure summo; quod Moyses insinuat, Gen. 14. num. 18 *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, &c. & cùm Sacerdos esset, Rex erat Melchisedech: *Qui interpretatur Rex iustitiæ*, &c. ex Pauli schola *ad Hebr. cap.* 7. *num.* 2. Ac si ius omnino foret, vt moderator hominum mitra valeret, & baculo, quo ciues duceret in quascumque vellet partes.

Sacerdos verè Princeps est.

Sacerdos Ægypto Princeps.

Gen. c. 14. num. 18.

Iustè Sacerdos regno gaudet.

Ad Heb. c. 7. n. 2.

2. Et quis ille est, qui bellum parat, Duces armat, vt regnum Ioaso reddat? Nónne Pontifex Ioiada? Textus est è 4. Reg. cap. 11. num. 4. *Misit Ioiada, & assumpsit centuriones, & milites, & introduxit in templum Domini*, &c. Rectè quidem: nec à Sacerdote Maximo alienum est opus, vt armis Regem tegat, militesque disponat amore tuendæ patriæ. Manus sibi fricant & Princeps, & Pontifex: quod in locum monet Petrus Damianus *lib.* 8. *epist.* 6. Quare bene cum Ioaso conuenit Ioiada. *Sciebat enim, quòd vtraque dignitas alternæ inuicem vtilitatis est indiga, dum & sacerdotium regni tuitione protegitur, & regnum Sacerdotis officij sanctitate fulcitur*, &c. Sed quò Pontifex meritò flectit, ac ducit homines, vt ne vnguem quidem à Sacerdote dissenserint? n. 9. *& fecerunt centuriones, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos*, &c. Tanta erat Ioiadæ maiestas, vt facilè homines ageret, quò vellet. Hanc sibi vim inesse putabat Carolus, scilicet Lotharingius, qui manu stolatâ flammantem gerebat gladium, pro mentis symbolo; eratque Epigraphe symboli anima, *Auctor ego audendi*, &c. Ea enim est Sacerdotum auctoritas, vt malè se Duces, ac milites sensisse putent, si cum Sacerdote non senserint. Sic & Ioachimo obtemperarunt Samaritæ ad graue Martis opus, cùm Sacerdotem scirent, coloréntque religiosissimè.

4 Reg. c. 11. num. 4

Pro patria Sacerdos benè pugnat.

Regem Sacerdos, Sacerdotem Rex piè tuentur.

Magna ad persuadendum est Sacerdotum auctoritas.

3. Ac deinde virum in Ioachimo agnoscerent probatæ virtutis, qui nihil, nisi iustè, ac piè imperaret. Hæc Theoderico vox erat, vt Rebusp. destinaret viros optimos. *Publici decoris mater est mens regentis*, &c. *lib.* 2. *epist.* 12. Facit enim homo vita bonus, vt homines reliqui facilè obsequantur. Redeat iterum Melchisedech, id est, *Rex iustitiæ*, &c. homo spectatæ virtutis, & qui ex Pauli sententia Princeps fuerit. *Sine patre, sine matre, sine genealogia*, &c. *ad Hebr. loco citato. n.* 3. Ea scilicet Melchisedecho erat iustitia, vt lite inter cognatos, extraneosque mota, non laberetur affectu, ac si nihil ad se parentes, affinésque pertinerent. Pulchrè in loco Hugo. *In quo significatur, quòd Sacerdotes, & cæteri, qui assumpti sunt ad diuinum officium, non debent minimum affectum habere ad parentes*, &c. scilicet cùm de iure dicundo locus est. Nosti, quid Iosaphatus statuerit, ne quid toto regno iniustè fieret? De 2. Paralip. est cap. 19. num. 5. *Constituitque iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda*, &c. homines scilicet de grege politico. Sed quos nam Ierosolymis iudices præstituit? Textus est, num. 8. *In Ierusalem constituit Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum*, &c. Cur Sacerdotes miscet politicis, vt iuris dicundi curã habeant? An de Sacerdotum fide, ac iustitia altè Princeps cogitat? Id Iosephus docet lib. 9. Antiquit. c. 1. *Quandoquidem rectum deberet esse iudicium in ea ciuitate, vbi & templum Dei, & habitaculum erat Imperatoris*, &c. Cur enim lites iustè non soluant, qui viuunt ex præscripto iustitiæ hominesgentis Leuiticæ.

Bona Regum mens, bona morum lex.

Ad Hebr. c. 7. num. 3.

Ne agnoscat Pontifex iura propinquitatis, vt à bono & æquo deflectat.

2. Par. c. 19. n. 5. 8.

Potiores, vt ius dicant, Sacerdotes.

4. Addo viros sanctissimos piè sese exercuisse in controuersiis hominum dirimendis. Procedat Augustinus, & chorum ducat serm. 24. de verbis Apost. *Fratres mei in causis & negotiis vestris, si quando ad nos iudicanda veniunt*, &c. & epist. 147. ad Proculum. *Homines quidem causas sæculares apud nos finire cupientes, sic nos sanctos, ac Dei seruos appellant*, &c. Hæc Augustinus, hæc & Antistites alij. Quid Stylites ille Simeon, qui cælo potius, quàm solo vacare visus est? nónne horam destinauerat componendis hominum dissensionibus? Tradit id Theodoretus in Histor. Patr. cap. 26. *Audita vniuscuiusque petitione, cùm aliquas fecerit curationes, componit lites eorum, inter quos est controuersia*, &c. Vnde patet non abhorrere viros sanctissimos à foro terendo, si rebus id publicis bene profecerit. Iam verò, si consulas sanctiones Cæsarum, cùm sit dubium de iure, constituunt Cæsares, standum esse Antistitum decisionibus: sic Theodosius; & habetur 11. *quæst.* 1. *cap. quicumque*; sic Iustinianus *constitut.* 86. *cap.* 2. sic Magnus Carolus apud Innocent. III. *de iudiciis, cap.* 13. Nec vrget argumentum ex *dist.* 96. *cap. cum ad verum*, vbi Nicolaus sub Christo morum Magistro, *Nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit*, &c. Vetitum enim Pontifex esse voluit, vt Sacerdotes lucri parandi, aut gloriæ captandæ gratia tractarent lites, non pacis alendæ, charitatísque fouendæ studio magistratum gererent. Decet igitur Sacerdotem regno administrando adesse.

Præerant viri magni dirimendis hominum contentionibus.

Fauent iura, vt Sacerdos magistratum gerat.

Secunda Pars.

5. ALiter homines alij;& argumentum capiunt ex cap. citato, vbi Pontifex, si non interdicit Sacerdotibus actiones forenses, studio charitatis;certè cautum voluit, ne id agerent causa fortunæ conciliandæ, cùm non vrget necessitas. Et ratio est,non bene sacra profanis conuenire,cùm res omnino aduersæ aduersas pariant actiones, ac proinde cogat homines studiis variare,tantumque operæ sacris detrahere, quantum profanis impendat. Illud Deiscitum est *Num. c. 1. n. 13.* quo iubentur Leuitæ sedes habere prope Sanctuarium. *Leuitæ*(inquit)*per gyrum tabernaculi figent tentoria*, &c. Nec præscriptum Sacerdotibus aliud est c.3.n.38. *Castra metabuntur ante tabernaculum Moysi, & Aaron*,&c.scilicet,ne à rebus sacris tantum demant,quantum profanis se curis inserant:quod expendit,imò notat Petrus Damian.lib.5.epist.9.*Enimverò nimis impossibile est, vt is, qui rerum familiarium curis opprimitur, qui simul habitando, & colloquendo, curis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde, sacris valeat mysteriis interesse*, &c. Abeat procul Sacerdos ab studio Rerump. ne cogatur animum in partes distrahere,motu vario, quod non est aliud, quàm à sanctis meditationibus longè abesse.Inde est, quòd Moyses extremo vitæ cursu Ducem postulat, natum rebus administrandis,Num.cap.27.n. 15. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem*, &c. Cur non legit Moyses Eleazarum Sacerdotem Maximum, aut Sacerdotem alium vitæ probatæ, qui Rebusp. curam impendat?Sed ratio ex Philone est,ad lib.de Charitate. *Fortasse, aut non placebat eos à diuinis rebus distrahere;aut cogitabat impossibile esse eundem hominem rectè curare simul regnum, & sacerdotium*,&c.Bene est,cùm res sacra integrum poscat hominem, ac proinde velit Moyses Leuit.21.n.12. *Nec egredietur de sanctis,ne polluatur Sanctuarium Domini*,&c. Lex,quod patet,est, quæ Sacerdotem abigit vel à cura Patris sepeliendi.Sed, cùm Moyses tenet hominem sacro in loco,illud insinuat mysticè,hominem facile à sacris abhorrere,qui turbis se miscet forẽsibus.Scitè Petrus Damian. lib.3. epist.9.*De sanctis enim egreditur,cùm Ecclesiastica disciplina posthabita, transeuntium causarum negotiis immoderatius implicatur;vnde aptè subiungitur: ne polluatur Sanctuarium Domini*, &c.Turpes igitur sordes Sacerdos cogit,qui se Rebusp. inserit. Nam si nihil est aliud, certè animum soluit cura varia.

Vrget ratio, ne Sacerdos vem agat publicam.

Num. cap. 1. n.13.

cap. 3.n.38.

Auertit à sacris longè res profana.

Num. c. 27. n.15.

Præfectus Rebusp. Pontifex non est, ne languescat ad sacra.

Leuit.cap.21. n.12.

Sacrarium malè Sacerdos violat, qui rebus se immiscet publicis.

6. Sed grauius multo damnum est, Sacerdotem Rebusp.interesse,vt causis tractatis ciues pereant miserè. Laudo Romanam legem de vita Sacerdotum, quibus non licebat magistratum gerere,nec petere.Cur id,monet Plutarchus Problem.113. *Nefas enim putauerunt Diis rem facere eum homine, qui in ciuium cadibus versaretur*, &c. Sacerdos igitur necesse est, Prætorem non agat,ne qua manu Deum colit, hominem perdat. Mitto sanctiones è iure Pontificio,quæ Sacerdotem absterrent ab humana carnificina, cùm Deus nec Phineso Pontificatum detulerit,nisi reo occiso,curam

Sacra malè Sacerdos operatur qui res criminales tractat.

Veloſ. in Iudith.

haberet pacis alendæ, ac curandæ. Num. cap.25.n.12. *Ecce*(inquit)*do illi pacem fœderis mei*,&c.Deinde lege pacis accepta, Sacerdotem instituit n.13. *& erit tam ipsi,quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum*,&c. Ac si lenitas morum cum Sacerdote maximè congruat.sic Philo *ad lib.de Temulentia.* Germana hæc esse dixerim non temerè, pacem, & sacerdotium. *Quia scio non posse fieri verum Sacerdotem, qui adhuc humanam militat militiam; verùm requiri ad hoc virum pacatum, & tam alienum à bello, vt perpetuò pacem colat*, &c. Quo igitur pacto Sacerdotem deceat tractare lites capitales, virosque militares cogere? Longè ab hac cura Sacerdotem,imò Leuitam esse Moyses voluit, cùm censum fecit militum *Num.cap.*1. inibi Deus n. 2. *Tolle* (iubet Deus) *summam vniuersæ congregationis*, &c. Et quorum nam hominum census est? n. 3. *Omnium virorum fortium*, &c. Addit Moyses n. 47. *Leuitæ autem non sunt numerati cum eis*, &c. Cur ita Moyses de Leuita meminit, vt à censu militum remouerit? Hugo ad meam litem. Absurdum erat,vt Leuites in castris ageret,& ad bellũ adoptaretur: neque enim congruunt cum officio Leuitico militares impetus.Vide,quid Hugo ad cap.3.*Noluit enim Dominus,vt aliquis simul,& tabernaculo deseruiret, & ad bella procederet*,&c.Vnde Leuites in militum censu non est.Infert Hugo. *Ergo nullus debet esse Comes simul & Episcopus*, &c. Quid Hugo diceret de Episcopo trium virûm capitalium Præfecto?cùm sciret Melchisedechum Sacerdotum Principem à dote pacis colendæ maximè commendari; erat enim *Rex Salem: quod est Rex pacis*,&c.*ad Hebr.cap.7.n.2.* quasi pacis amor,Sacerdotis honor esset;imò via ad Pontificatum.Quod Philo aduertit 2 Allegor. *Melchisedech pacis Regem Deus Sacerdotem sibi constituit,non expresso aliquo eius merito,sed quia talem ipse fecerit, Regem pacatum, dignum suo Sacerdotio*,&c. Abeant igitur,& malè habeant, qui Sacerdotem, vel causis capitalibus, vel bellis improbis præficiunt, cùm lex sit,vt Sacerdos, ne dum Pontifex, absit longè ab humana laniena.

Num. c. 25. n. 12. 13.

Sacerdos procul à bello.

Num. c. 1. n.2.3.47.

Sacerdotes cum militibus non benè conueniunt.

Non sunt in albo militum Sacerdotes,ne sacra profanis miscerent.

Ad Hebr. c.7.n.2.

Via ad Pontificatum pacis cura.

7. Postremò,argumentum est ingens,diuisum inter fratres imperium Hebræi populi, cùm Moyses rebus profanis, Aron sacris occupationibus adessent, ne scilicet res diuersæ vnum hominem in partes diuiderent. Quo argumento Antistes Synesius magistratum à se profanum auertit,epist.57. *Deus*(inquit) *hæc vitæ genera separauit. Quid tu iterum reuocas? Quid vis iungere quæ sunt à Deo separata?* &c.Nec mihi opponas Samuelem è domo Leuitica expleuisse numerum Iudicum ad 1.Reg. cap.7.n.17.*Reuertebaturque in Ramatha, & ibi iudicabat Israëlem*, &c. Scio enim Samuelem & Leuitam, & Iudicem fuisse, necessitate lenocinante patriæ instruendæ, cùm nemo non abiret, quò ferret voluntas, imò voluptas, Iudic. 21. num. 22. *Vnusquisque, quod rectum sibi videbatur, hoc faciebat*, &c. Deinde, nec curam suscepit iudex iurisdicundi,nisi facultate permissa aræ excitandæ. *Et ædificauit ibi altare Domino*, &c. quod ex permissu Domini extructum probant interpretes. Cur verò Iudex aram

Sacris alter, & profanis alter frater adest.

1.Reg.cap.7. n.17. Iudic. c. 21. n.22.

Cùm vrget necessitas,adsit Pontifex Rebusp.

A ſacris opem expoſcat Sacerdos ad Remp. adminiſtrandam.

in loco eſſe voluerit, benè docet Magnus Gregor. lib.3.cap.5.in lib.Reg. *Inter officij ſui onera immenſa corrueret, ſi ad amorem cæleſtium, per ſpei ſuæ deſiderium non rediret*, &c. Sciebat Leuites à Deo longè abire iudicem, vbi cauſis agendis adeſt, ac proinde ara extructa animum ſibi vellicatum eſſe voluit. Et erit Pontifex, qui, grege neglecto, Remp. velit adminiſtrare, grande malum.

8. Quod Leuites Moyſes à ſe deprecatus eſt Exod.cap.3. num.10. Ad Leuitam Deus, *Veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum*, &c. Remitti ſe in aulam dolet Moyſes, præficique Hebræo populo: quare nullum non mouet lapidem, vt magiſtratum excutiat, num.11. *Quis ſum ego*, (inquit) *vt vadam*, &c. Hæc Moyſes: quouſque tandem cap. 4. num. 13. *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es*, &c. Cur totus in prouincia abigenda Moyſes eſt? Procopius ad rem. *Simulato gregis paſcendi ſtudio, ad ſolitudines ſeceſſit: vnde ad curam hominum reuocatur inuitus*, &c. certò ſciens auocare homines à Dei cura, curam Rerump. Quid Sacerdos ad tractandas lites hominum? Non decet, vt cauſis agendis intendat animum. quod Paulus docet 1. Corinth. cap. 6. num. 4. *Contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum*, &c. ex Anſelmo. Qui minus ſapiunt de re ſacra, nec ſunt in ſacris homines. Cur non Sacerdotes? cur non Antiſtites? Curam exuerunt iuris dicundi. Anſelmus iterum. *Vt dum non coguntur inferiora bona diſponere, exercitatiùs valeant bonis ſuperioribus deſeruire*, &c. Et erit Sacerdos, qui ſacra profanis miſcere velit, & iungat Pontificatum cum magiſtratu? Eat, & Ioachimum adeat; ſed amore tuendæ Patriæ.

Auocat à cura pietatis Rerump.

Exod.cap.3. n.10. 11. cap. 4 n.13.

1. ad Cor. cap. 6. n. 4.

Fortiores à Deo motus capit, qui ſe abſtrahit à cura forenſi.

Num.6. Et illic cuſtodirent vbi anguſtum iter eſſe poterat inter montes.

Commentarius.

11. FAciunt homines ſtudio militari, cùm montes inſident; vnde facilis in hoſtes ſpeculatus eſt. quæ quidem cura nihil non iuuat. Ac proinde mandatum Samaritis eſt, *vt illic cuſtodirent*, &c. fortaſſe, vt vigilarent, ſpeculis excitatis. Nam cuſtodire, ſacro textu, vigilare eſt. quod patet ex Cantic. 5. numer. 7. *Inuenerunt me cuſtodes*, &c. Græcè φύλακες, id eſt, *vigiles*. Conſtat deinde ex Prouerb. cap. 2. num.11. *Conſilium cuſtodiet te*, &c. Græca ſchola, φυλάξει σε, *Vigilabit pro te*, &c. Vnde Caietanus docet, *quòd cogitatio, tanquam cuſtos vigilans erit*, &c. & quidem φυλακὴ, & *cuſtodiam* ſonat, & *vigiliam*. Sic Ieremias habet Thren. 2. num. 19. *In principio vigiliarum*, &c. Græco textu, εἰς ἀρχὰς φυλακῆς, *ad principia cuſtodiæ*, &c. & pars eſt ſcientiæ bellicæ, vt miles ſit in armis, & in ſpeculis. *Vigilando*, (monet Cato) *agendo, & bene conſulendo, proſperè cedunt omnia*, in Catilin. Illud verò Cato, manum cum Minerua mouendam, vigiliam cum ferro miſcendam eſſe. Miror, quo ſtudio Annibal vigilauerit, ne imprudens ab hoſte exciperetur. Vnde Plinius lib. 35. cap. 17. *Spectat etiam nunc Hiſpania ſpeculas Annibalis, terrenasque turres iugis montium impoſitas*, &c. Formaceos enim parietes erigebat Annibal, vnde aut ignis, aut fumus hoſtem ſignificaret. Vigilandum eſſe monet & Princeps alius, qui pro teſſera leonem capit, tunica tectum adamantina: leo tamen cùm gladium manu teneat, verſis in tergum oculis inſinuat, quod monet Epigraphe, *Fide, & vide*, &c. neque enim armis fidendum eſt, vt excubias miles non agat. Quis neſcit Marios, Catones, Seruilios, Scipiones, Duceſque alios iugis montium impoſuiſſe villas Baianæ indulgentiæ: quod probat Seneca epiſt. 52. *Videbatur hoc magis militare; ex edito ſpeculari longè, latéque ſubiecta. Aſpice, quam poſitionem elegerunt? Scias non villas, ſed caſtra eſſe*, &c. Tantum vigiliæ dandum eſſe putabant Magni Duces, vt in loco geniali ſpeculas quodammodo militares erigerent. *ſemper enim, & ad omnia vigilias ſalutares eſſe nemo ignorat*, (teſte Chryſologo,) *quia re vera, plus vigilare plus viuere eſt*, &c. *Serm.* 24. Rem firmat Chryſologus documento militari. *Hinc eſt, quòd Rex in procinctu peruigil callidi hoſtis præcauet, & euitat inſidias: tunc miles in caſtris nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit*, &c. Vigilat igitur Samarites, dum montes inſidet, & fauces claudit montium, vt inde proſpiciat, quò loci Holofernes eat, & vim intendat. Nunc ad mores Hugo locum vertit; hoc enim pacto vigilandum tibi eſſe docet, imò iubet, ne te Dæmon excipiat, cùm probatæ ſit prouidentiæ,

Cogitatio mentis cuſtodia.

Ad cuſtodiam facit vigilia.

Pugnandum ſtrenuè, vigilandum cautè.

Magis viuit, qui magis vigilat.

PARÆNET. VII.

Vigilare aduersùs hoſtem.

1. AVita militari ad Chriſtianam vitam diſciplina eſt, Hugone Magiſtro, qui Diabolum cum Holoferne componit, ac deinde monet vigilandum eſſe; quod iam pridem Petrus imperauerat, epiſt.1.cap.5.n.8. *Fratres vigilate*, &c. Ac ne quis rogaret cauſam vigiliæ, addit Petrus, *Aduerſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit*, &c. Bellum cum leone continenter geris; vigilandum eſt, vt hoſtem caueas. Sentit hoſtis vires ſibi non eſſe ad nocendum, Chriſto victore; quod vi non poteſt, dolo aggreditur: vnde Muſa Dauidica Pſal. 10. num. 3. *Inſidiatur, quaſi leo in ſpelunca ſua*, &c. Hebræo textu סכה *Suchah* tegmentum eſt; ſuo enim ſe leo ſpelæo tegit, quo feram decipiat, & excipiat. Non aliter, *Aduerſarius veſter Diabolus*, &c. Græcè ἀντίδικος; id verò eſt, *litigator*, vel, ſi malis, *vitilitigator*, qui de vitio litem mouet; ac, ne litem perdat, rationes aggerit. Nam Diabolus *Matth. 4. num. 2.* vitilitigator Chriſtum aggreditur. *Accedens tentator*, &c. Græcè πειράζων verè *ſimulator*. Neque enim vim facit Diabolus, ſed rationes mouet, vt Chriſtum in præceps trudat. *Mitte te*, &c. *n.6.*

1 Petr.cap.5. n.8.

Pſ.10. n.3.

Quod vi non poteſt in peſſum dare, dolo captat Diabolus.

Matth. c. 4. n.2.6.

Et

Et quod multo peius est, sacro se loco tegit. *Scriptum* (inquit) *est: Angelis suis mandauit de te*, &c. Sacrum Dæmon textum exponit, causa fraudis obtegendæ. quod Bernardus notat *ser.* 14. *ad Psal.*90. sic ille. *Vide, quo modo se occultauerit; quasi non posset antè videri: scriptum est* (inquit) &c. Venenum auro tegit,& fraudem Psalmo texit.

Rationes mouet Diabolus, vt decipiat malus cauſidicus.

Fraudem ſacro tegit verſu Diabolus.

2.

Nec alius, ab orbe condito, Diabolus, quàm insidiator est. Qua via Heuam decipit? *Gen.3.num.* 1. Rogat, vt fallat. *Cur præcepit vobis Deus*, &c. & iterum n.5. *Scit enim Deus*,&c. Itaque Deum frequenter interponit:sed honesta voce dicam dicit. quod notat Athanasius Orat.1.contra Arian.*Heuam decipit,non sua loquens,sed Dei verba assimulans, & verborum sententiam refringens*, &c. Altè Dæmon, Græca schola sapiens, suos tegit dolos; nam tot artes nouit, quot appellatur nominibus. Leo est, qui apertis dormit oculis, & signat vigilem, ad Petri locum citatum, Draco est, qui fraudes tegit, Psal. 9. n. 13. Lupus est, qui noctu greges petit, *Ioan.*10.*n.* 12. Vide, quàm multis appellatur nominibus apud Ioan. *Apoc.*20.*n.*2. quibus noueris artes Diaboli. Nec Paulinus aliud agnoscit epist.2.*Excipit nos innumeris serpens insidijs, cui nomina mille, mille nocendi artes*, &c. Vaferrimus est Diabolus: in terra, velut in scena, versipellem ostendit faciem. Modò leonem, & Draconem modò agit: nunc hominem præstat, nunc Angelum: varius in theatro actor est, quo citiùs decipiat homines. teste Magno Gregorio. *Multarum rerum vocatur nomine; quia ante deceptorum mentes, in varias formarum species vertitur*, &c.*lib.*33.*Moral.cap.* 14. Varium Dæmon sumit habitum, ne quis tectos laqueos videat,& caueat.

Gen. c.3.n.1.

Dolos nectit è Dei verbis Diabolus, vt alliciat malus magiſter.

Psal 9.n.13.

Ioan.c. 10. num. 12.

Apoc. c. 20. num.2.

Multis nominibus multas Diabolus artes oſtentat.

Actor in ſcena Diabolus faciem oſtendit variam.

3.

Multis igitur oculis opus est in tanto Dæmonis astu, cùm nec locus ab insidiis vacuus, nec virtus tuta sit. Tenebras offundit Lucifer, iam tenebrarum Princeps, viris etiam probatissimis, ne quis videat se è luto factum, in cineres abiturum esse: vnde fit, vt peccet liberè. Grande malum! Quod vt caueant, bene præstant. *Animalia plena oculis antè, & retro*, &c. *Apoc. cap.* 4.*n.* 6. Video Angelos multoculos in loco beatissimo, apud Magnũ Deum, inter viros sanctissimos iure tamen summo: quod Ruperto placet lib. 3. *Cunctis imitatoribus Christi, magno semper studio cautum est, vt modulo suo, animalia sint plena oculis antè, & retrò; id est, sciant,vnde veniant,aut quò vadant*, &c. vbi enim dolus, non virtus præstat, multis inibi oculis opus est. Dolos sub luce maligna Dæmon texit: apud Matth. cap. 13. n. 23. *Cùm enim dormirent homines, venit inimicus homo*, &c. somnóque sepultos homines aggreditur, vtpote qui non vi, sed arte valeat. Argumentum est à Chrysologo serm. 97. *Maximæ* (inquit) *infirmitatis indicium est, dormientibus irruisse*, &c. Qui nihil potest manu, tegit fraudes tenebris. Sed pellant tenebras. *Lucernæ ardentes in manibus vestris*, &c. apud *Luc.*12.*n.* 35. Pellant & virgines, apud *Matth.*25.*n.* 7. Quæ quidem *Ornauerunt lampades suas*, &c. nè sub tenebris Diabolus, & lateat meliùs, & noceat grauiùs. Consulit in hanc partem Clemens *Veloſ. in Iudith.*

Apoc. 4.n.6.

Viri boni ſint multoculi, vt ſe recognoſcant.

Matth.c.15. n. 23.

Victus vi Diabolus fraudes in tenebris meditatur.

Luc. cap. 11. n.35.

Matth.c.25. n. 7.

Lucernis opus eſt ne fraudes noceant Dæmonum.

Alex. 5. lib. Strom. cap.2.*Prudentes animæ,& mundæ, vt virgines, cùm intelligant se esse in mundana insciti a, lumen accendunt, & mentem excitant.*

Tanta Diabolo vafrities est, vt cùm sit reapse Diabolus, hominem personatus referat. Diabolus est,qui sementem à Deo factã malè vitiat, apud *Matth. cit. n.* 39. Vnde Christus Magister docet, *Inimicus est Diabolus*,&c. Sed humanam ostendit faciem, cùm agros perdit, & labores hominũ. *Inimicus homo hoc fecit*, &c. *n.* 28. scilicet, quidquid natura fœdum est, honesta adornat specie, ac ne deprehendatur Diabolus, hominem induit: quod monet Salmeron tom.7. tract. 6. *Dum tentat, in affectus humanos se transformat, vt melius decipiat*,&c. Vigilandum igitur est, vt, quæ Diaboli sunt artes, homo recognoscat, & caueat.Neque enim satis in viro etiam strenuo est virtus animi, si desint excubiæ. Lapis ille, de quo Zacharias cap. 3. n. 9. *Ecce lapis*, &c. Et virũ ostendit virtutis masculæ,& septenos ex se emittit oculos. *Super lapidem vnũ septem oculi sunt*,&c. Hisce tamen oculis opus est, ne quis vel Hercules perdat victoriã, Hugone teste, *Per constantiam lapis, oculatus per circunspectionem*, &c. Miles siquidem pugnat in acie, in castris vigilat, ne quid hostes machinentur, quæ Diaboli cura est, cùm fraudes serit sub specie rerum optimarum.

4.

Matth. c. 13. n.39.18.

Humana facie grauius nocet Diabolus.

Zachar. c. 3. n. 9.

Virtus etsi magna in excubiis.

Quid si Diabolus præstet Angelum vultu pulcherrimo? Id à Iobo significatum putat Nilus.Nã Iobus *c.*41 de malo Dracone, *Corpus* (inquit) *illius,quasi scuta*, &c. eóque textu bellum minatur. Ad bellum facit textus græcè τὰ ἔγκατα αὐτῦ ὀστάκες, *viscera eius a pides*,&c.Sed qua facie bellũ tegit?Specie vtique Angelica.Vnde Iobus addit n.9. *Oculi eius, vt palpebræ diluculi?* &c. Ex Græca schola: εἶδ& ἑωσφόρȣ, *species Luciferi*, &c. Venenũ aspidũ præsentissimũ sub pulchra abscondit facie, vt facilè miseros homines excipiat. Quare Nilus, *Primo* (inquit) *aspectu alliciens,& sub insidiis occultam struens perniciem*, &c. ex *lib. Ascet.*Sentit dolũ Apostolus, ac proinde monet scholam Corinthiã, vt attendat, epist. 2. cap. 2. n. 11. *Non ignoramus cogitationes eius*, &c.Græco textu,τὰ νοήματα. Id verò est *consilia*, Hieronymo Auctore, *versutiæ*, versipellis enim Dæmon est, aliud tegit animo, aliud vultu præfert veterator maximus. Quare vigilandũ sibi esse statuit Apostolus. Vigilasse obstinatè sese docet Magister 2. *ad Cor. c.*11. *n.*23. recensetque ille quales dolores, laboresque pertulerit. *In laboribus* (inquit) *plurimis*,&c. Tandem addit,quibus se excubiis exercuerit aduersùs artes hominũ, ac Dæmonum. *In vigiliis* (scilicet) *multis*, &c.n.27. Sciebat enim homines, satanæ Angelos, à satana irritatos esse, vt optimum quemque opprimerent manu, dolo. Quare multis in speculis erat Apostolus. quod Anselmo placet. *Inter tot certamina deprehensus dicit: quo etiam vigiliarum munimento castra custodit*, &c. Quasi nihil proficeret virtus boni Ducis, vbi miles pro castris non excubaret.

5.

Iob 41. n. 6. 9.

Latet Diabolus ſub forma Angelica.

2. ad Corinth. cap. 2. n. 11. cap. 11. n 23. 27.

Cõsuliò Diabolus suam vertit faciem.

Vigilandum viro bono est ne deceptus pereat.

Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, &c. *Prouerb. cap.* 8. *num.*34. Bene sapiens commendat hominem,

6.

Prou. cap. 8. num. 34.

qui ſalutem animi tueri ſolet; nec ſe vinci patitur antelucana opificum vigilia. Id ex Græco verbo eruas. *Nam φυλάξειν*, & *vigilare*, & *cuſtodire* eſt. Vnde patet agendo, & vigilando rem qualemcumque bene cedere. Sed quare. *Beatus homo, qui vigilat*, &c. Vigilant Angeli, qui ab officio vigiles appellantur, apud Dan. cap. 4. n.14. *In ſententia vigilum decretum eſt*, &c. Accedit & Clemens Alex. 2. Pædag. cap. 9. *Beati enim, qui in ipſum vigilant, ſe ipſos aſſimilantes Angelis; quos & nos ἐγρηγόρους, hoc eſt*, vigilantes, *vocamus*, &c. Quid ſi & Magnus Deus vigilat quodam modo certè videns ſua nomenclatura Deus eſt, θεὸς enim latinè *videns*, à verbo θεορέω, quod eſt *videre*. Fauet in litem Clemens Alex. *lib. ſtrom. 7. cap.* 1. cùm Deum laudat. *Nunquam* (inquit) *à ſua recedit ſpecula totus oculus*, &c. Scienter dictum, ac theologicè. Vnde Bernardus capit occaſionem admonendi, ne quis in ſpecula obdormiſcat, 2. ad Eugen. *Sume exemplum de ſummo omnium Patre, verbum ſuum, & emittente, & retinente; verbum tuum conſideratio tua eſt. Sic progrediatur, vt non egrediatur*, &c. Vigilandum igitur, Deo Duce, eſt, ne quid à Dæmoniarcho mali, dolíque lateat; ſic enim mandatum Samaritis eſt, vt montes adirent. *& illic cuſtodirent*, &c. ſpeculis ſcilicet diſpoſitis; ne quid fraudis moliretur Holofernes.

Vigilant viri & ſi boni, pares Angelis.

Dan. cap. 4. n. 14.

Deus ſua nomenclatura vigilãs.

Quo vigilandum modo eſt, à Deo diſcas.

Num. 7. Et fecerunt filij Iſraël, ſecundùm quod conſtituerat eis Sacerdos Domini Eliachim.

Commentarius.

12. REdit iterum Eliachimus Pontifex; probantur, quæ Iſraëlitæ fecere ex prompto animo, ad arcendum Holofernem. Obſequitur enim Hebræus promptè, victus auctoritate Sacerdotis Maximi: quæ ſumma in id genus hominum erat veneratio. Nihil repeto. Addit tamen textus Græcè belli curam à Senatu etiam Solymitano mandatam Iſraëlitis fuiſſe: *καὶ ἡγερυσία παντὸς δήμυ, & Senatus* (inquit) *totius populi*, &c. Collectus enim Ieroſolymis Senatus erat, ne quid rerum publicarum ſine conſilio fieret. Facilè vincitur conſilio Senatorum, quidquid factu difficile eſt. *Ibi enim multa ſalus, vbi multa conſilia*, &c. *Prou. cap. 11. n. 14.* Nouerat Salomon ſapientiam conſultorum, animam regni adminiſtrandi eſſe. Habebat Pharao ſua in aula ſeniores; id verò eſt, Senatores, ex Genebrardo *ad Pſal. 104. n. 22.* Ioſephum tamen ocellum ſapientiæ præfert Senatoribus, *vt erudiret Principes eius, & ſenes eius prudentiam doceret*, &c. Credit Pharao addendum ſapientibus non parum ſapientiæ, ſi Ioſepho Conſiliario terantur. Id Chryſoſtomo viſum eſt: ad Pſal. cit. *Fructuum cuſtodiam non perinde curauit, vt ſpiritualem vtilitatem Præfectorum, ac ſeniorum qui ab eo ſalutem, & ſapientiam conſecuti fuerant*, &c. Nemo ita ſapit, vt ſapientum congreſſu non proficiat. Sapiens erat Moyſes ſchola Ægyptia: quod monet Stephanus *Act. 7. num. 22.* ac proinde rem Hebræam ſcitè poterat adminiſtrare, inſtructúſque à Deo homo, humana ope non egebat. Ad Moyſen tamen Iethro, *Prouide* (inquit) *de omni plebe viros ſapientes, qui iudicent populum omni tempore*, &c. *Exod. cap. 18. n. 21.* Cõſilium vel à ſocero barbaro excepit Moyſes qui à Deo inſtructus rem gerebat publicam; & conſilium ſcitè datum mandat typis, *vt habeant, quid imitentur Principes, ne aſpernentur Conſiliarios, quaſi poſſint ipſi omnia diſpicere, cùm ne Moyſes quidem aſpernatus ſit, amicus Dei ſapientiſſimus*, &c. Hæc Philo. *de creat. Princip.* Bonus hac parte Hadrianus Cæſar, qui admoneri ſe ferebat, imò volebat vel à Fabro, apud Dionem. Deinde oſtendit Moyſes conſilij patiens, non horis omnibus ſapere hominem, etſi tritum rerum vſu, & alumnum probatæ ſapientiæ. *Moyſes enim, etſi Dei colloquio frueretur, opus tamen habuit ſocero, quem conſuleret*, &c. Sic Theophyl. *ad Rom. cap. 12.* Vide, quæ *ad c. 2.*

Nihil ſine conſilio faciendum.

Prou. cap. 11. n. 14.

Pſal. 104. num. 22.

Aula bono Conſiliario ſcitè culta.

Illud noto Eliachimum appellari Sacerdotem Domini, titulo ſcilicet honorario. Quaſi textus vellet, eſſe Pontifices, qui nomen inane habeant; videri quidem, re tamen vera non eſſe Sacerdotes Domini. quod in Heli videre, & obſeruare eſt. Lege 1. *Reg. lib. à cap. 1. ad 4. vſque.* Nuſquam Heli appellatur Sacerdos Domini. Cur ita. Sed indulgens liberis Heli officium Pontificium deſeruerat, ac proinde ſui nominis Pontifex non erat. Sacerdos enim Domini ille eſt, qui Deo additus hæret, vti ſeruus, ac totus Dei homo. Inde nomenclatura eſt nobiliſſima: Vir Dei, homo Dei. Nam 1. Reg. cap. 2. num. 27. *Venit vir Dei ad Heli*, &c. 4. *Reg. cap. 1. num. 9. Homo Dei, Rex præcepit*, &c. Non eſt cur plura ſuggeram. Illud tamen ex loquendi modo eruas, virum Dei, ſeruum Dei maximè deuotum eſſe: quod tradit Hieronymus ad Ezech. *cap. 18. Homo peccati, & filius iniquitatis, non vocatur homo Dei, ſicut ſeruus, & famulus Dei: à quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt*, &c. *ex 2. Pet. 2. num. 19.* Quis neſcit Chriſtum appellari non ſemel filium hominis, apud *Matth. cap. 9. num. 6.* Id verò eſt, *ſeruus hominis, totus hominis*, Cajetano teſte. Sic & Sacerdos Domini appellatur Eliachimus; quaſi totus Domini ſeruus eſſet: & hæc Sacerdotis optimi non eſt. Quid Theodoricus aliud à Sacerdote repetit, quàm bonos mores? lib. 3. Epiſt. 7. ad Ianuar. Epiſcop. *Omnes* (inquit) *iuſtitiam colere, & obſeruare iubemus, ſed eos maximè, qui diuinis honoribus eriguntur*, &c. Et verò Ambroſius illud volebat, vt vir ſuæ nomenclaturæ Sacerdos eſſet. Ad lib. de dignit. Sacerdot. cap. 3. *Vt dignè* (inquit) *noſcamus, quod ſumus: & quod ſumus profeſſione, actione potius, quàm nomine demonſtremus*, &c. Et quare id? Ambroſius iterum. *Ne ſit nomen inane, & crimen immane*, &c. Illud igitur ad Sacerdotes.

13.

Deo ſacer eſt.

1. Reg. c. 1. 4.

Dei Sacerdos augusta eſt nomenclatura.

1. Reg. cap. 2 num. 27.

4. Reg. c. 1. num. 9.

Dei ſeruus grande nomen.

Exod. cap. 18. n. 21.

Conſilium Princeps, licet bene Sapiens, non reijcias.

Non horis omnibus ſapit, etſi magiſter homo.

Matth. c. 9 num. 6.

Totum ſe hominibus Chriſtus emancipauit.

Sacerdos vitæ ſanctus agat.

Nomen inane eſt crimen immane.

PARÆNET. VIII.

Deo hæret, qui verè Sacerdos eſt.

EX officio vrgetur Sacerdos ad viuendum piè, ac ſanctè, ne mores à præfectura deſciſcant

deſciſcant malè. *Monſtroſa enim res eſt*,(Bernardo teſte) *gradus ſummus,& animus infimus; ſedes prima, & vita ima*, &c.Nec minus admonentur Prætores ex aſcenſu gradatim ad ſellam Prætoriam, vt mores bonos magis,ac magis colant. quod apudCaſſiodorum inuenio lib. 2. epiſt. 2. *Tribunalia conſcendimus,vt morum gradibus euehamur*, &c. Viuat igitur Sacerdos piè, ac honeſtè, opus eſt; qui Deo addictus leges accepit viuendi ſanctè. Edicto monet Dominus, quid Sacerdotes agant, Leuit. 22. n. 9. *vt non ſubiaceant peccato*, &c. Quo id animo iubeat, in proximo eſt. *Ego Dominus, qui ſanctifico eos*, &c.Id verò eſt, conſecro, & ſeparo, ex Hebræa ſchola apud Oleaſtr. & Lorin. quod Moyſes repetit n. 15. & n. 23. *Ego*, ſcilicet *Dominus ſanctificans eos*, &c. Cur Dominus magiſtrum ſe imperatæ ſanctimoniæ ſemel & iterum ſignificauerit, ſcitè Cajetanus docet. *Ratio hæc ſæpe repetitur, vt mente, & factis ſtudeant ſe tales exhibere,quales eſſe decet ſanctificatos à Deo*, &c. Facit igitur, & vrget ad viuendum piè, titulus Sacerdotum honorarius, quos ſibi Deus ſelectos ac conſecratos eſſe voluit.

Per aſcenſum ad ſellam admonetur Præfectus quiſque de morum profectu.

Leuit.c.22. n.9. 15.23.

Ex officio vrgetur Sacer- ad bonos mores.

2. Num.cap.8. n.14.

Lego formam præſcriptam Leuitis deligendis ad aram colendam, *Num. cap.* 8. *num.* 14. hæc enim ad Moyſen Dominus. *Conſecrabis oblatos Domino, & ſeparabis de medio filiorum Iſrael*, &c. Selectos à turba reliqua Leuitas Dominus eſſe voluit. Ne Leuites, qui Deum ſequi iuſſus eſt, mores ducat ab humili populo. Hoc aſpectu quærit Petrus Damian. lib. 4. epiſt. 3. *Vt quid à populo ſegregantur*, &c. Et reſpondet proximè, *Niſi vt diuiſam à populo viuendi regulam teneant*, &c. Tenetur igitur Sacerdos ſpiritum humano altiorem gerere, ídque ex Deiſcito patet, *ad Leuit cap*, 21. *num.* 11. De Sacerdotis parentibus demortuis lex eſt. *Super patre ſuo, & matre non contaminabitur*,&c. Illudque ſanctè cautum, ne Pontifex luctu domeſtico veſtes ſcindat, edatque mœroris ſigna reliqua. Ita ne Pontifex, ſine ſenſu humanitatis eſſe iubetur? Quid tam inhumanum, quàm nihil humani oſtentare in parentum funeribus?Sed hominem exuat Pontifex, neceſſe eſt.quod Philo notat ad lib.2.de Monarch. *Poſtulat in eo viro lex præſtantiorem humana indolem; quippe qui Deo ſit familiaris*, &c.Et verò,qui Deo Sacerdos hæret,non facilè tangitur humano affectu. quod Moyſes à Sacerdote repetit, cùm hominem dehortatur à parentum cura funebri. *Ne videlicet, anima Dei ſacrificiis vacans, & tota in illius myſteriis occupata, aliquo impediatur affectu*, &c. ſic Hieronymo placuit *epiſt.* 24. *ad Paulam.* Et quis ille eſt Sacerdos Dei Altiſſimi? *Gen.* 14. *n.* 18. Homo profectò eſt,quod Paulus notat, ad Hebr. cap. 7. num. 7. *ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia*, &c. Dixeris bene Sacerdotem ita vixiſſe, vt humanæ gentis nihil omnino concepiſſe viſus eſſet. quod Ambroſius opinatur lib. 3. epiſt. 25. *Refertur ad exemplum, vt tanquam ſine patre, ac ſine matre Sacerdos eſſe debeat*, &c. Trudat,oportet, à ſe Pontifex affectus humani generis, vt ſuo cum Deo totus agat. *Veloſ.in Iudith.*

Colat ſacerdos viram aliam à vulgo reliquo.

Leuit. 21. n.11.

Diſſimilem vita ſacerdotem agnoſcat vulgus.

Parentibus affectum renunciat bonus Pontifex

Gen.cap.14. n.18. Ad Hebr. c.7.num.7.

Pontifex à cognatis alienus.

Hac lege Sacerdotem vrget Nazianzenus Orat. 1. *vt magis virtute antecellat, quàm honore, ac dignitate ſuperet; nec modum ſibi vllum honeſtè viuendi conſtituat; nec lucro potius id, quod arripuit, quàm damno, id quod effugit, deputet*, &c. Norint igitur Sacerdotes obligatos ſe ex officio eſſe ad potiora.

Ad Sanctiora vrgetur Sacerdos.

3.

Puto enim alienum à Sacerdote eſſe, vt Deum colat ſimpliciter, non obſequio multiplicato. quod ego eruo ex Helcanæ cenſu genealogico. Nam, cùm textus de viro agit, tanquam de patrefamiliæ ad 1. Reg. cap. 1. num. 1. Elcanæ auus eſt *Eliu.* quod ex Hebræo vertitur,*Deus meus ipſe*, &c. cùm ſermo eſt de Helcana, vti de Sacerdote, ad 1. Paralip.cap. 6.num. 34. Elcanæ auus eſt *Eliel*, quod ex Hebræa ſchola ſonat, *Deus meus Deus*,&c.Ac ſi textus vellet Deum à Sacerdote multifariam,non ſimpliciter, colendum eſſe. quæ Hieronymo eſt opinio in tradit. Hebr. ad 1. Paralip. *Vbi* (inquit) *nec dum ad templi miniſterium deſignatur, dicitur Deus meus ipſe*, &c. Abundè eſt enim, vt Parerfamiliæ Deum colat obſequio ſimplici: non ſatis ſeruire Sacerdotem, niſi obſequio multiplicato; ídque Elcana iam Sacerdos facilè diſcat ab auo *Eliel. Hoc eſt Deus meus, Deus*, &c. Et erit,qui neget adhuc Sacerdotem, nunc Angelum,nunc Deum ſacro textu appellatum eſſe,vt ex nomenclatura adigatur ad viuendum Angelicè,ac diuinè?Certè Laurentius Iuſtin. Sacerdotes cum Angelis aſſiſtentibus æquè,ac miniſtrantibus compoſitos eſſe voluit, *ad Corinth.1.cap.11.n.10.ad Malach.cap.2.n.7.*vt ex officio vrgerentur ad affectus vitæ Angelicæ. *Angelo u* (inquit) *ſiue adſtantium, ſiue miniſtrantium, quorum vice funguntur, Angelicam potius, quàm humanam conuerſationem habere debent*, &c. *ad ſerm.de Euchariſt.* Quòd verò Dij fuerint Sacerdotes, nomenclatura honoraria habes:ad Exod.cap. 22. num. 28. *Diis non detrahes*,&c. ad Pſ.81.n. 2. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*, &c.Illudque Hieronymo placuit, impoſitum Sacerdotibus eſſe nomen diuinitatis communicatæ; quo Deus Sacerdotes inſtitueret ad morum congruentiam. *Vide* (inquit) *dignitatem hominis, largitur nobis nomen, vt largiatur & meritum*, &c. Puto ego Sacerdotes à Deo Deos eſſe vocatos,vtex nomenclatura diuina impetus caperent agendi, pluſquam homines. Inde enim eſt, quòd magni viri Diis ſe genitos mentiti ſunt: Alexander ab Ammone Ioue: apud Curt.*lib.* 4. Scipio ab Angue Deo:apud Liu. *lib.* 6. *Dec.* 3. Cæſar à Venere, apud Suet. *cap.* 6. aliíque à Diis aliis homines; vt eo ſe nomine excitarent ad rem bene gerendam. Quod ex Varrone probat Auguſt. ad lib. 3. de Ciuit. cap. 4. *Vt eo modo humanus animus, velut diuinæ ſtirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præſumat audaciùs, agat vehementiùs, & impleat ipſa ſecuritate feliciùs*.&c. Quid Sacerdos aliud,cùm Deus nuncupatur? Quid & Eliachimus aliud,cùm Sacerdos Domini appellatur?Nomen eſt nobiliſſimum, quo ſe ſe parabat ad rem piè faciendam.

1.Reg. c.1. n.1.

1.Par.c.6. num.34.

Dei obſequium multiplicat Sacerdos optimus.

1.ad Cor. c.11.num.10. Malach 2. n.7.

Sacerdos viuat angelicè.

Exod. 22.n. 28.Pſ.81.n.2

Sacerdotes Deo pares ex morum congruentia.

Agenereſitate domeſtica motus concipiunt viri magni, vt agant generoſè

Inde tamen Pontifex metum sibi contractum docet, cùm non Dei, sed Domini Sacerdos est, à quo vis, & potestas improbitatis puniendæ. Solent viri magni ita Deum colere, vt Dominum metuant, ne labatur facilè animus, sine Dei metu. Vtrumque miscet Abramus, Dei scilicet honorem cum metu Domini. *Domine* (inquit) *Deus, quid dabis mihi?* &c. Gen. cap. 15. num. 2. *Quod* (Philone teste) *facit, vt nec liberius, quàm pro reuerentia loquar, nec reuerentia libertatem mihi adimat*, &c. Eo igitur metu viuat Sacerdos necesse est, ne peccet grauiter, & inde grauiùs doleat. Video, quid Sacerdotibus timendum sit, cùm scierim Sacerdotem à Malachia appellatum esse Angelum Domini, sed Domini strenuissimi, ad cap. 2. num. 7. *Angelus Domini exercituum est*, &c. Video paratum Ducem virtutis celebratæ: dubites, an pro Sacerdote Princeps militum vires cogat? sed, Nazianzeno Auctore, venit contrà Orat. 1. *Causa* (inquit) *est, quàm præclara simul, & quàm formidanda; quia Angelus Domini Omnipotentis est*, &c. si maiestas Domini Sacerdotem iucundè afficit, vtpote qui sacrum sibi ministrum delegerit, absterret grauiter manus parata virtutis Angelicæ, vbi Sacerdos officium non fecerit: quem, si à bono abeat, Deus feriat, priusquam homines reliquos, necesse est.

Dei Sacerdos, ad Dei metum excitatur, cùm Dominum agnoscit.

Gen. c. 15. n. 2.

Malach. c. 2. n. 7.

5. Iubet Dominus cædes fieri manu Angelica, vrbémque premi vniuersam, apud Ezechiel. cap. 9. num. 6. *Senem, & adolescentulum, & virginem interficite*, &c. Vnde tamen cædes priùs edenda imperatur? Addit textus, *A sanctuario meo incipite*, &c. Græco textu patet, quid iudex vellet, cùm habeat, ἀπὸ τῶν ἁγίων μου, *A sanctis meis*, &c. nimirum Sacerdotibus. Cur Deus à sacris ministris vindictam priùs sumendam esse imperauerit, Hieronymi vox est. *Qui populo peccati causa fuerant, primi supplicia meruerunt*, &c. Quos nam homines priùs iudex in ius vocat, & rapit? id monet Dauid Ps. 81. n. 2. *In medio autem Deos diiudicat*, &c. Sacerdotes scilicet, ac Principes diuinitatis communicatæ. vbi Hieronymus, *Res terroris plena; si Deos diiudicat, de peccatore quid fiet*, &c. Rectè Hieronymus. Sed Pontifex, imò Sacerdos qualiscumque, altè cùm sedeat, grauiùs labitur, si peccat. *Non* (ait Chrysostomus) *natura ipsa, sed Sacerdotum conditione, ac dignitate*, &c. *ad lib. 6. de Sacerdot.* Ea de causa, & censura grauior, & venia difficilior. Premo locum ex *Leuit. cap. 4.* Vitulum Dominus petit pro gente vniuersa *num. 20.* mactata hostia veniam pollicetur. *Propitius erit illis Dominus*, &c. Vitulum pro Sacerdote repetit, num. 3. *Offeret pro peccato suo vitulum*, &c. Vox inibi nulla est veniæ impetrandæ. Itáne Sacerdos peccat, facilè vt non possit veniam impetrare? Caietanus ad litem, *Pontifex* (inquit) *pro suo peccato sacrificans, priuatur promissione veniæ, vt pauidus perseueret*, &c. Facit metus iste ad bonos mores, ad pios motus animi: quo in metu Eliachimus, vt piè vitam ageret, Sacerdos non Dei, sed Domini appellatur. Erant in auribus tristes voces, quibus Sacerdotes Hoseas premit, cap. 5. num. 1. *Audite hæc Sacerdotes, & domus Regis auscultate, quia vobis iudicium est*, &c. Quod expendo, illud est, prius de Sacerdote, quàm de Rege minas esse. Id verò; vt qui loco prior est, priores, & grauiores pœnas soluat. Ruperto Auctore ad lib. 2. *In Sacerdotes, sicut maius est peccatum, ita & maius redundat iudicium: & ideo in eos præ cæteris inuehitur districtio sermonis prophetici*, &c. Cur non colat Ioachimus minantem Dominum, metu contracto, Sacerdos Domini?

Punitur Sacerdos priùs quam vulgus iure summo.

Ps. 81. n. 1.

Grauior apud Deum causa Sacerdotum, ac difficilior venia.

Leuit cap. 4. n. 3. 20.

Magna timendi ratio est Sacerdotibus.

Hoseas c. 5. n. 1.

Grauius Sacerdotes, quàm Reges peccãe officio consideranto.

Num. 8. Et clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus.

Commentarius.

14. QVod à Sacerdote Maximo imperatum, fecit Iudæus, etsi de re difficili præceptum esset. Preces tamen præmittunt homines, ac mulieres. *Et clamauit omnis populus ad Dominum*, &c. Neque enim tantum armis, ac muris præfidebant, vt preces non adderent, quibus Deum elicerent in auxilium: & fortasse id à Moyse didicere, qui humanam miscet operam cum diuina ope. Ad Iosuam Moyses, *Elige viros, & egressus pugna contra Amalec*, &c. *Exod. cap. 17. num. 9.* Sed & suum à Deo exposcit auxilium. Nam preces (inquit) ex officio mittam. *Habens virgam Dei in manu mea*, &c. Quasi moneret, nihil sine Deo valere militares vires: manum cum Deo mouendam esse. Hac mente Dauid, *Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui*, &c. *Ps. 119. num. 1.* Mitto, quæ locis aliis. Memineris, quid Iosue precatus fuerit bello aduerso commotus; cap. 7. num. 7. *Et dixit Iosue: Heu Domine Deus*, &c. Quid Iosaphatus cùm vrgeretur bello Moabitico? ad 2. Paralipom. cap. 20. num. 3. *Timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum*, &c. Scitè admodum, ac piè. Deinde addit textus, quid Iosaphatus monuerit, num. 21. *& statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum*, &c. Illud insinuans militem, Deo propitiato, bene pugnare. Quis nescit Ezechiam, Sennacheribo infesto, orasse piè, ac religiosè? *Disce igitur & tu in omni negotio, in tentationibus, in necessitatibus, in dubiis, omnique euentu, vbique orare, & quidem perire non poteris. si in his, quæ dicta sunt, iugiter oraueris*, &c. sic Iustinian. *ad lib. de Christi agon. cap. 6.* Sciebant certò viri magni preces rebus agendis præmittendas esse.

Non valens sine Deo vires militares.

Ex. c. 17. n. 9.

Ios. c. 7 n. 7

2. Par. c. 20. n. 3.

Pugnat bene miles Deo propitiato.

15. Rider hæreticus Prodicus, ridet & Philosophus Cyrenacius pios hominum gemitus, precesque apud Deum humiles: vtpote qui vel mentes inspiciat tacentis plebeculæ. Sed vrget Clemens Alex. *lib. 7. Strom. cap. 4.* docétque petendum à Deo auxilium, precibúsque insistendum esse. *Cæterùm si oratio fit occasio cum Deo conuersationis, aditus ad Deum nulla est prætermittenda occasio*, &c. An Clemens ab Areopagita mentem hausit? Docet Antistes opus qualecumque, Deo consulto, instituendum esse; & addit ad lib. de Diuin. nomin. cap. 3. *Ante omnem actum, & in Theologia maximè, ab oratione inchoandum est: non vt vbique præsentem virtutem attingamus, sed vt memores diuinarum rerum, ac piis inuocationibus nos ipsos illi*

Orandum frequenter, vt sermonem cum Deo conferamus.

Deo nos iungit oratio.

illi dedamus, atque iungamus, &c. Id quidem, vel ex barbara Philosophia. Datum enim à vate Heleno consilium Troiano est; apud Maron. lib. 3.

Iunonis magnæ primum prece Numen adora, &c.

Si velit tenere Italiam, arcere hostem. Armatus de naui prosilit in Asiam Magnus Alexander, apud Curt. *lib.* 2. quid inde? *Hostias cædit precatus, ne se Regem terra illa inuita accipiant,* &c. Senatores Augustus cogit ad munera senatoria: apud Sueton. cap. 35. *Sanxit tamen, vt priusquam consideret quisquam, thure, ac mero supplicaret apud aram eius Dei, in cuius templum coiretur,* &c. Hæc Suetonius optimè: ne quis taceat præscriptum à Theologo Nazianzeno esse Orat. 1. *Optimus ordo est, vt qui rem auspicatur, à Deo initium ducat,* &c. A Magistro didicit Hieronymus, quod addit epist. 22. ad Eustochium. *Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurrat, antequam sessio; nec prius requiescat corpusculum, quàm animus pascatur; ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem,* &c.

A Deo principium agendi.

Et verò agit prudenter, qui à Deo agendi sumit auspicium. Vox Petri est hac de re epist. 1. cap. 4. num. 7. *Estote prudentes, & vigilate in orationibus,* &c. An quòd, precibus apud Deum editis, prudentiores euadant homines? putat id in loco D. Thom. Quid enim lucis intimæ non capit homo, qui preces ad Deum mittit humiles? à quo præsidium est, ac decus hominum. Hac spe, *clamauit omnis populus ad Dominum,* &c. cùm bellum vrgeret, & Holofernes ceruicibus immineret gentis Iudaicæ.

1. Petr. cap. 4. n. 7.

Multum à precibus lumen.

16. Quid tamen illud est, *Instantia magna,* &c. Græco id textu exprimitur, ἐν ἐκτενίᾳ μεγάλῃ, *contentione, siue conspiratione maxima,* &c. sic Hebræus ait metu contracto ardens nimium: & quo Paulus affectu, conatuque orandum monet. Ad Rom. cap. 12. num. 12. *Orationi instantes,* &c. Græcè τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες, quæ quidem vox conatum sonat assiduum, affectúmque perpetuum. Nec aliter Paulus ad Colossens. cap. 4. num. 2. *Orationi* (inquit) *instate, vigilantes in ea,* &c. Addit Magister 1. *ad Timoth. cap. 5. num. 5.* cùm leges de bona vidua exponat. *Instet obsecrationibus, & orationibus,* &c. Tantum scilicet precandi studium Apostolus esse voluit, vt preces vidua non intermittat. Quod à Christo didicit, castè illud excipiens. *Oportet semper orare, & non deficere,* &c. apud *Luc.* 18. *num.* 1. Id verò est, affectu pio, curáque religiosa preces miscere, nec in precibus torpere, quod scitè eiicias ex clamore deprecantis plebeculæ.

Ad Coloss. c. 4. n. 2.

1. à Timoth. c. 5. n. 5.

Orandum accuratè.

Luc. c. 18. n. 1.

17. *Et clamauit omnis populus ad Dominum,* &c. licèt clamor non tam vocis, quàm mentis vis esse videatur. Clamat Dauid, cùm Deum orat, & exorat, Psalm. 29. num. 9. *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor,* &c. Vbi precationes ex affectu clamores vocantur. *Deus enim* (Tertulliano Auctore) *non vocis, sed cordis auditor est, sicut & conspector,* &c. *ad lib. de Orat. cap.* 13. Ac proinde non tam sonos vocis, quàm affectus mentis repetit. Clamat & Moyses, cùm preces Deus excipit, *Exod. c.* 14. *num.* 15. inibi enim Dominus. *Quid clamas ad me,* &c. Cùm populo Moyses, non cum Deo sermonem texit; & tamen apud Deum clamasse dictus est, vtpote qui Deum orasset. Vnde Ambrosius ad Ps. 118. serm. 19. *Clamabat affectu pio, & personabat in cælo,* &c. Clamat & Susanna apud Danielem *cap.* 13. *num.* 42. sed cùm mortem à se deprecatur, *Exclamauit voce magna, dicens: Deus æterne,* &c. Quis enim à Susanna pudoris celebrati fœmina alius, quàm mentis clamor esse poterat, quæ in ius rapta faciem velo obtexit? an voces daret ineptè? negat id Hieronymus. *Cordis affectus, & mentis puræ confessio, vocem eius fecerant clariorem,* &c. scilicet pius motus animi Deo clamor est ingens.

Clamor orationum.

Ex c. 14. n. 15.

Voces supplices Deum tangunt.

Dan. 13. n. 42.

Vox apud Deum magna castamentis.

Iam verò si nutrita ieiunio oratio est? Vrget fortiter: & quod orat quisque, exorat facilè. Sciebant certò, quid valeant preces à ieiunio imperatæ: qui, *Humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus,* &c. Vim suam cogunt preces à mensa tenui, vtpote qua volat ad Deum facilè mens defæcata, & corpusculum inedia extenuatum. An suas à ieiunio alas parat oratio? Nihil putat aliud Basilius Hom. 1. *Ieiuniũ* (inquit) *preces nostras subuehit in cælum, dum illis alarum vice fit, quo sursum ferantur,* &c. Perspiciat, necesse est, quidquid cælo clauditur intimo, siccus, ac ieiunus orator, si venter vacuus mentem gignit tenuem: eóque tendit Chrysostomus, cùm dicat Hom. 58. in Matth. *Qui ieiunat, leuior est, & vigilanter orat,* &c. Verè Tobiam monet Angelus cap. 12. n. 8. *Bona est oratio cum ieiunio,* &c. Illud igitur statuo, nihil rerum esse, quod non capiat facilè mens nutrita ieiunio, & oratio à mensa tenui profecta.

18.

A ieiunio suam preces vim capium.

Nutritur oratio mensa tenui.

Sciens apprimè vt Adamus esset, negat Dominus pomi vsum esumque, ad Genes. 2. num. 17. *De ligno scientiæ, ne comedas,* &c. quasi vellet: si quid certò scire velis, à cibo vetito abstine; tunc enim arbor, scientiæ lignum erit, cùm homo pomum non edat. Quod scienter aduertit Zeno Martyr ad Serm. de Ieiunio. *Ille* (inquit) *scientiæ cibus ieiunio alitur, & per abstinentiam ministratur,* &c. Hausit Daniel, hausere socij imagines, ac notiones rerum non ignobiles: quod patet ex *cap.* 1. *num.* 17. vbi textus, *Pueris his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro,* &c. Quo id merito contigerit, datum puto *num.* 12. vbi Daniel ad Asphenezum, *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum,* &c. Terrestri igitur cœna mentem purgarunt iuuenes, vt purgatiores à sensu imagines mentem afficerent, ac disponerent ad contemplationes rerum maximarum. quod Hugo docet. *Merito abstinentiæ dedit illis Deus, vt multa scirent ingenio, & multa addiscerent à Magistro,* &c. Bene ad nostram lyram.

19.

Gen. cap. 2. n. 17.

A ieiunio multa sapientia.

Dan. cap. 1. n. 17. 12.

Mensa castigata cœna sapientia.

Et quidem facilis à cibo tenui via ad Deum est. *Scio hominem* (quod Paulus de se monet 2. ad Cor. c. 12. n. 2. *raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum,* &c. probántque viri boni raptum è terris Saulum, astríque receptum esse, cùm nihil omnino videret captus oculis ad agrum Damascenum, quod habes in Actis *cap.* 9. *num.* 9. vbi Lucas, *Erat ibi tribus diebus non videns,* &c. Sed quo merito raptus in cælum Paulus est? addit textus, *& non manducauit*

20.

2. ad Corint. c. 12. n. 2.

Act. c. 9. n. 9.

Leuior in cœlum mens euolat à mensa tenui.

ducauit, neque bibit, &c. Ieiunio igitur triduano impetrauit, vt cælum adiret mens Deo addicta: quod Basilio visum est Orat. 1. *Paulum* (inquit) *ieiunium, quod in suarum angustiarum prædicatione commemorat, in cælum pronexit,* &c. Et verò cùm cibus parcior hominẽ emaciat, mens nutrita ieiunio alarum reddit corpusculum.

21. Quid Heliam cœlo intulit? Video medium patere cœlum, currúque raptum hominem per mundi plagas superiores volitare. 4. Reg. cap. 2. num. 11. *& ascendit Helias per turbinem in cœlum,* &c. Nec id miratur Chrysologus; vt qui sciat Heliam ieiunio quadragenario emaceratum esse. Neque enim mensa erat alia, quàm *subcinericius panis, & vas aquæ,* &c. 3. *Reg. cap.* 19. *num.* 6. Cur Helias non volet nutritus ieiunio, & alatus? *qui Dominici continuatione ieiunij defæcatus à corporali pondere mortis victor euolauit in cælum,* &c. Sic Chrysologus *ad serm. 2. de Prodigo.* Vnde Antistes concepit ardorem admonendi. *Vacuandus est venter moderatione ieiunij, vt exoneratus animus possit ad alta pertendere, possit ad ipsum pietatis auctorem totus aliger peruenire,* &c. Vnde constat orationem ieiunio alatam esse, Deumque vtroque lenocinio mulcendum: quod Hebræis placuit. Nam metu perditi, *humiliauerunt animas suas ieiuniis, & orationibus,* &c. hæc & homines alij, vt preces adornarent suas.

4. Reg. 2. num. 11.

3. Reg. 19. n. 6.

Macrum ieiunio corpusculum vere alatum.

22. Quis nescit Danielem suo se ieiunio macerasse, cùm precaretur? ad cap. 9. num. 3. *Posui faciem meam ad Dominum meum, rogare, & deprecari in ieiuniis,* &c. Itaque ieiunium admiscet precibus: acsi vellet, Auctore Vatablo, *vt compararem me ad orationem ieiunando,* &c. Præit Moyses Deut. cap. 9. num. 9. *Perseueraui* (inquit) *in monte, panem non comedens, & aquam non bibens,* &c. Deinde addit, *cap.* 10. *num.* 10. quid preces valeant, ieiunio addito. *Exaudiuit me Dominus etiam hac vicè,* &c. Subsequitur & Helias ieiunio maceratus quadragenario, quod antè dictum: sic ieiunus antro se condit Helias, vt preces faciat, & suo cum Deo colloquatur; vnde ad Heliam Dominus, 3. Reg. 19. num. 9. *Quid hîc agis Helia,* &c. Sed quæ nam apud Lucam erat Anna vidua, cap. 2. n. 37. *Ieiuniis, & orationibus seruiens,* &c. Vtrumque miscet, & pinguem orationem, & mensam tenuem; vt noris bene ieiunio adiutari maximè orationem: quod placet Chrysostomo, ad Matth. tom. 15. *Ieiunium* (inquit) *adiutorium est orationis,* &c. Sed ad caput redeo, vbi metu concepto, *clamauit omnis populus ad Dominum,*

Dan. c. 9. n. 3.

Ieiunium orationis lenocinium.

Deut. c. 9. n. 9. c. 10. n. 10.

3 Reg. c. 19. n. 9. Luc. cap. 2. n. 37.

PARÆNET. IX.

Ne quis, Deo inconsulto, quidquam tentet.

1. DOmi, ac militiæ nihil agas, quod à Deo non sumat auspicium. Nam fortuna, si Venusinam pulses lyram, *non auspicatos contundit impetus.* Orandum igitur, & consulendum puto Deum esse, priusquam incipias; à quo scilicet Ioue principium rerum pulcherrimarum, ac præsidium est, quod monet Iustinianus de Orat. cap. 6. *Innitendum est, vt in primordio saltem cuiusque operis dirigatur oratio, & diuini suffragij imploratio,* &c. In hanc sententiam abiere viri magni. Erat Dauid pius iuxtà, ac strenuus; quare non prius hostem ferro, quàm Deum vrgebat precibus: quocumque Dauid pedem inferret, Dei scitum erat. Ceilam petit; sed oraculo admonitus 1. Reg. c. 23. num. 2. *Consuluit ergò Dauid Dominum,* &c. Negant milites, & insanos obiiciunt labores, ne viam carpant, *num.* 4. Quid Princeps militum? *Rursus consuluit Dauid Dominum,* &c. Vrbe salua, iterum in metu Dauid: vnde pulsat Oraculum, num. 10. *& ait Dauid: Domine Deus,* &c. Persequi Amalecitam cupit Dauid: nec persequitur, nisi priùs Deum precibus prosequatur, cap. 30. num. 8. *Consuluit Dauid Dominum,* &c. Multus ero, si loca velim cætera congerere. Notum etiam tonstrinis illud est, nihil rerum Ducem tentasse, Deo inconsulto, siue vt piè, siue vt scitè ageret, Theodoreto Auctore ad quæst. 54. *semper enim Deum sciscitans, & acie instruebat, & quiescebat,* &c. Vnde victor in bello Dauid erat difficultatum plurimarum: quod aduertit Ambrosius 1. *Offic.* cap. 35. *Nunquam, nisi consulto Domino bellum adorsus est, ideo in omnibus victor,* &c. Sed nemo non vincat, Deo exorato: nemo non rectè agat.

1. Reg. c. 23. n. 2. 4. 10. c. 30. n. 6.

Præsidium in precibus ingens.

Consilium à precibus optimum.

Rediturus in patriam Dauid, timet grauiter, ne Deus reditum abnuat; in metu preces fundit Vates 2. Reg. cap. 2. num. 1. *Post hæc consuluit Dauid Dominum,* &c. Cur id, inuenit Hugo. *Noluit Dauid aliquid agere, sine consilio,* &c. diuino scilicet. Nonne Saule malè mulctato ius erat, vt Dauid regnum adiret? constat ex 1. *Reg. cap.* 16. *num.* 12. vbi Deus ad Samuelem, *Surge, vnge eum,* &c. Quid adhuc timet Dauid? cur sceptrum non capit, Deo dante? in locum Abulensis. *Quia Dauid in rebus magnis nolebat iudicio suo agere, sed Dei consilio, cùm illud facilè habere posset: & quia istud erat negotium de regnando, noluit sine Dei consilio quidquam agere,* &c. *quæst.* 2. Addo ego timuisse Ducem, ne suam in rem falsus esset animi: ac proinde voluisse rogatum ea de lite Deum esse. A Iacobo Dauid accepit rationes Dei consulendi. Ibat senex paterno ductus amore suum ad Ioseph, ibat & familia vniuersa, *Gen. cap.* 46. *num.* 1. textus est, *Venit ad puteum iuramenti,* &c. vnde via in Ægyptum proxima est. Subsistit in loco senex. *Mactatis ibi victimis Deo patris sui,* &c. Erat scilicet in metu Pater familiæ plurimæ: vnde cura Deo timoris pellendi, num. 3. *Noli timere,* &c. Quid Iacobus timet? Dei virgam. Mactat igitur pecudes, & preces mittit, Iosepho teste, ad lib. 2. Antiquit. cap. 7. *Cùm timeret, ne inconsulto Deo, migratione facta, genus ipsius clade aliqua feriretur,* &c. Et erit adhuc, qui rem aggrediatur sine Deo? cùm Iacobus nihil suo fidat cerebro, imò se, domumque suam, Deo commendet, priusquam viam peragat. Quid si ab vtroque auo didicit & Iosaphatus, cùm bellum vrgeret, Ioramo socio? Collecto belli apparatu, priùs cum Deo agendum Princeps monet, 4. Reg. cap. 3. n. 11. *Est ne hîc* (inquit) *Propheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum,* &c. Petis fortasse, quid Deo cum bello est, vt nisi Deo consulto, congressum cum hoste Iosaphatus non ineat? *Erat Iosaphatus* (monet Abulensis) *bonus,*

2.

1. Reg. c. 16 n. 12.

Regnum Dauid non cupit, nisi Deo consulto.

Gen. c. 46 n. 1. 3.

Timeat, qui Deo inconsulto viam capiat.

4. Reg. c. 3. n. 11.

ac

ac iuſtus,ex 2. Paralip. cap. 19. *ideo in omnibus neceſſitatibus ſuis recurrebat ad Dominum*, &c. *quæſt.* 7. Neque enim res belli aduerſa bene cedat, ſi Deum piè non roges. Senſit id & malus Princeps : qui ante belli tubam, Ahia conſulto, ſacrum explorat conſilium, & implorat auxilium, 1. *Reg.* 14. *num.* 18. ſic iubet Saul : *Applica arcam Dei*, &c. Malus alioqui Princeps, hac vna parte bonus eſt, vti qui de ſuis rebus Deum perrogat ; nec hoſtes aggreditur, priuſquam Deus iubeat. Quod bene Caietanus laudat. *Recto graditur ordine, Deum conſulens, per Sacerdotem*, &c. Ac ſi vellet : nihil Princeps bene egerit, niſi Deo conſulto, & propitiato.

1.Reg. c.14. n.18.

Et malus Princeps Deum rogat de belli fortuna.

3. Iam verò de rebus ſuperioribus agitandum eſt ? Conſulendum omnino Deum eſſe ſtatuit virgo malè dubia, quo ſe modo tueretur aduersùs improbitatem. Exuerat nigritudinem peccati pulchra iterum, Cant. 1. numer. 5. *Nigra ſum* (inquit,) *ſed formoſa*, &c. Videbat occurſare lupos rapaces,& fallaces vulpes: vnde impetus deprecandi n. 7. *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie*, &c. Adire Deum volebat virgo ſapiens, vt magiſtrum conſuleret de rationibus animi ſanctioribus. *Hæc dicit, ſolicita de pulchritudine, quam diuinitus conſecuta erat, ſimulque diſcere cupiens, quo pacto venuſtatem illam poſſit retinere*, &c. ſic Nyſſenus *Orat.* 2. Scitè virgo Deum orat, & conſulit,ne ſine Deo, aberret longè,& ſordes cogat.

Cant.1.n.5.7.

Frangit Diabolum, qui Deum adit precibus.

4. Age verò, quiſquis de vita ſanctiori agis, & ſatagis : nihil aggrediaris, quod à precibus non ducat initium. Chriſtum ſequere. Ieroſolymam adibat Magiſter, vt homines inſtrueret de tebus maximis : ſed & templum frequenter inibat Dominus. Conſtat ex Ioann. cap. 2. num. 13. *& inuenit in templo vendentes*, &c. Deinde quid Magiſter vellet ad aras, exponit num. 14. *Nolite facere domum Patris mei, domum negociationis*, &c. Conſtat ex Matth. cap. 21. num. 23. *Et cùm veniſſet Ieſus in templum, acceſſerunt ad eum docentem*, &c. Conſtat ex Luc. 21. num. 38. *& omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum*, &c. Quò tantus Magiſtro ardor templi adeundi? ſcilicet,vt Patrem quodammodo conſuleret de rebus agendis. Nec id negat Iuſtinianus *de Orat. cap.* 6. Monet Patriarches: *Introeamus in templum,& ibi orationum vota offeramus, egredientéſque armet oratio ; ſicque ad negotia peragenda accingamur*, &c. quod vt rectè fiat, Chriſti exemplo vrget. *Nam & Dominus Ieſus frequentabat templum,vt ibi doceret, & oraret.Hoc namque decebat,vt tanquam bonus filius Patris adiret domum*, &c. Quid Hebræus Orator faceret aliud in rebus trepidis ? Deum vel allicit in conſilium,vel elicit in auxilium, *& clamauit omnis populus ad Dominum*, &c. Sed illud in loco adhuc premo ; conueniſſe ad preces turmatim gentem vniuerſam. *Omnis* (inquit) *populus*, &c. Fortaſſe, vt conſtaret

Ioann.cap.2. n. 13.

Matt. c. 21. n. 23.

Luc. c.21. n. 38.

Qui Deum colit, vt Patrem, templũ ſanctè frequentat.

PARÆNET. X.

Fortius apud Deum agere communes preces.

1. DIſcas id à Magno Ambroſio; qui quidem monet,ad Rom. cap.15. *Multorum prece,impoſſibile eſt,vt non impetrent*,&c. Expendit Antiſtes rogatos à Paulo Romanos eſſe, vt Deum pellicerent in amuletum rerum difficillimarum. Nam *num.*30.*&* 31.ſic Apoſtolus, *Obſecro vos Fratres, vt adiuuetis me in orationibus veſtris*,&c. Illud ſecum reputans, fortiores pro ſe aduersùs Deum eſſe communes preces hominum. Et verò meus Chriſtus, quod addit Ambroſius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. *amat, vt pro vno multi rogent*, &c. Ambit ne Chriſtus ſibi maius obſequium ex maiori petitorum turba? Id fortaſſe eſt humano iure; niſi malis, vim Deo grauiorem fieri, cùm vis vi coniuncta agat valentiùs. Inde ſupplicationes ſolennes in rebus dubiis. *Vt intelligas* (teſte Chryſoſtomo) *plurimum eam pollere orationem, quæ cum conſenſu agitur,& iugi concordia plurimorum hominum*,&c.*tom.*5.*Hom.*3.*contra Anomæos.*

Impetrant facile communes preces.

Ad Rom. c. 15.n.30.31.

Quod plures petunt feliciùs à Deo parant.

2. Vnde tanta Chriſto vis facta, vt famulum adeat, ſanitate reddita ? apud Matth. cap. 8. num. 7. *Ego veniam,& curabo eum*, &c. Regulúmque à ſe trudat voce graui? apud Ioann. cap. 4. num. 48. *Niſi ſigna videritis, non creditis*, &c. Vterque rogat, & Centurio pro ſeruulo, ad Matth. cit. num. 8. *Acceſſit ad eum Centurio rogans eum*, &c. Et Regulus pro filio,ad Ioann. cit. n.47. *& rogabat, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius*, &c. Sed pro Regulo nemo rogat ; pro Duce multi rogant homines. quod patet ex Luc. cap.7.num.5.*Miſit ad eum ſeniores,rogans eum*, &c. Ac proinde vim Chriſto factam credo, cœtu communi rogantium. Nam,Tertulliano Auctore, *hæc vis Deo grata eſt*,&c. *Apologet. cap.*39. Quid ſi & vis Deo magna eſt? Tertullianus iterum,*Coimus in cœtum,& congregationem,vt ad Deum, quaſi facta manu precationibus ambiamus*, &c. Video cedere Deum multiplicatis precibus, quaſi militibus conglobatis.

Matth. c. 8. n. 7. 8.

Ioann.c.4 n. 48.

Vim Deo facit turba precantium.

Luc.c.7. n.5.

3. Hac via ſacrum ſibi auxilium ambit virgo ſapiens, imò parat. Paſtorem virgo Deum quærit, ſed non inuenit, *Cant. 5. num.*6. votis deficiens, *Adiuro* (inquit) *vos filiæ Ieruſalem,vt nuntietis dilecto*,&c. *num.*8. Hæc in loco adiuratio,quaſi precatio eſt,vt preces multiplicent apud Deum virgines aliæ. Cur ita ? vim Gilbertus grauiorem agnoſcit in conuentu rogantium aduersùs Deum. Sic enim virgo ſerm. 46. *Multiplicatis precibus expectata ſolatia, fundet vberius*,&c. Cùm Deus vel precantibus victus cedat, vel blandientibus gratus annuat.

Cant. c. 5. n. 6.8.

4. Non abnuit miſſas preces à conuentu hominum, qui duos tantùm oratores audit libenter, apud *Matth.*18.*n.*19. Nam textus eſt, *De omni re,quãcumque petierint,fiet illis à Patre meo*,&c. Tanta in precibus virtus eſt, vt nulla in obtinendo mora interſit, cùm multa rogantium turba ſit : id enim meus Chriſtus docet liquidò. *Si duo ex vobis conſenſerint*, &c. Vnde vox Chryſologo nata eſt Serm. 132. *Qui nihil hominibus tam paucis negat,*

Matth. c.18. n.19.

Deum vrgent ſupplicationes publicæ.

negat, quid & Conciliis poſcentibus denegabit? &c. Nihil omnino denegandum putat vel homo barbarus. Accerſitum Moabites, Balaamum voluit *Num. cap.* 22. Eo affectu legat homines ad ariolum num. 5. *Miſit nuntios ad Balaam*, &c. Sed, Deo conſulto, Legatos à ſe remittit ariolus, & ſuo ſe tecto continet, illud iterans n. 13. *Prohibuit me Dominus ire vobiſcum*, &c. Quid inde Moabites? non deſpondet animum; ſed vrget precibus, & oratores ſecundò mittit, n. 15. *Rurſus ille multo plures, & nobiliores miſit*, &c. Quo id animo Balacus fecerit, bene aduertit Abulenſis q. 6. *vt Dominus ex importunitate precantium ſaltem affectus, eum mitteret*, &c. ſenſit Moabites valere plurimum apud Deum communes preces hominum. Quòd verò Deus manus dedat, ſi multa interſit turba rogantium, conſtat ex loco citato *n.* 20. vbi Deus ad Balaamum, *Si vocare te venerunt homines iſti, ſurge, & vade*, &. Quaſi nefas eſſet, negare precibus multiplicatis: ac proinde ſtatuit benè, vt quod paucis negat hominibus, concedat plurimis.

Num. cap. 22. n. 5. 13. 15

Obtinent vel à Deo importuna preces.

Exoratur Deus communi conſenſu.

5. Sciunt boni homines, quid preces communes hominum apud Deum valeant. Inde eſt, quòd in fortuna aduerſa cogunt ciues in ſacram ædem, ſupplicationeſque decernunt. Id Iudæus vrget 2. Machab. cap. 3. n. 18. *Alij gregatim de domibus conflebant, publica ſupplicatione obſecrantes*, &c. Id Eſther iubet cap. 4. num. 16. *Vade, & congrega omnes Iudæos, & orate pro me*, &c. Egit id & Ieroſolyma vniuerſa 2. Paralip. cap. 20. num. 13. *Omnis enim Iuda ſtabat coram Domino*, &c. Id tandem Ioel monet cap. 1. num. 14. *Congregate ſeniores omnes habitatores terræ in domum Dei veſtri, & clamate ad Dominum*, &c. Et ſi precibus additam lego veſtem cilicinam num. 13. *Accingite vos*, &c. Iure quidem ſummo: quod Lyra interpretatur, *vt ex communi afflictione, & deprecatione citiùs placetur Deus*, &c. Sciebat id vates Daniel, qui vt necem effugeret, & ſomnium ſolueret, ſocios ſibi iuuenes aſciuit ad preces humiles. Dan. 2. num. 17. *Ingreſſus eſt in domum ſuam, & ſociis ſuis indicauit negotium, vt quærerent miſericordiam à facie Dei*, &c. An ſibi Daniel non fidit, ſi preces mittat ſine ſociis? Rectè Lyra. *Adiungit enim ſibi ſocios in orando; quia oratio multorum, & maximè bonorum eſt multum exaudibilis*, &c. Nemo igitur neget valentiores eſſe communes ſupplicationes ad veniam impetrandam, opemque à Deo elicendam: quod Iudæus cùm reputaret, *Clamauit omnis populus*, &c.

2. Mach. c. 3. n. 18.

Heſther c. 4. n. 16.

2. Par. c. 20. n. 13.

Ioel cap. 1. n. 14.

Citius flectitur Deus communi ſupplicatione.

Dan. cap. 2. n. 17.

Plura à Deo impetrat, qui ſocios ad rogandum cogit.

Num. 9. Et induerunt ſe Sacerdotes ciliciis, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.

Commentarius.

23. DVplex in loco vis eſt ad parandam veniam ſceleris, opemque à Deo exigendam aduersùs hoſtes, exultantesque bello Duces; ſqualor ſcilicet pœnitentium, & innocentium clamor. Ritus aræ tegendæ veſte cilicina, hoc tantùm ex loco patet: ſi quis eſt alius, doce. Illud ex vtraque ſchola eruas, atratos, ſorditatoſque homines conueniſſe perſæpe ad preces humiles, vt Deum ſibi facilem redderent. Quid Idololatres, vt imbres à Ioue eliceret? Nudis pedibus, & toga ſordida rem agebat. Morem inducit Tertullianus de Ieiun. cap. 16. *Cùm ſtupet cælum, & aret annus, nudipedalia denuntiantur, magiſtratus purpuras ponunt, faſces retro auertunt, precem indigitant, hoſtiam inſtaurant*, &c. Credebat Idolatres ſacco, & ſqualore mulceri Deos, vt imbres cælo fluerent. Addit Tertullianus, ſignatum quotannis diem eſſe, ad ſaccum induendum, pedeſque nudandos, cauſa pia. *Apud quaſdam colonias præterea annuo ritu, ſaccis velati, & cinere inſperſi Idolis ſuis inuidiam ſupplicem obiiciunt*, &c. ſcilicet, vt Dij malè audierint, ſi quid negent hominibus ita maceratis. Quidquid hac de re velis, cogit Cerda *ad Tertull. Apologet. cap.* 40. vbi locum verſat de Nudipedalibus.

Gratus & Diis habitus pœnitentium.

Malè Dij audierint, ſi nõ flectantur cultu pœnitentium.

24. De quibus, vt credo, addo laciniam propheticam *Ezech. 27. num.* 2. Tyrum Vates malè tundit, eiuſque fortunam aduerſam explicat: & quidem, quid doluerit populus, deſcribit graphicè num. 31. *Radent ſuper te caluitium, & accingentur ciliciis, & plorabunt in amaritudine animæ, ploratu amariſſimo*, &c. Sacrum profectò id erat nudipedale, quo ſordidatus populus Deos ſibi faciles volebat. Quod & fecit Niniue, vt Deum mulceret, ad Ion. c. 3. n. 5. *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & pradicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis*, &c. Nec Princeps à populo alius, ſed præit exemplo, n. 6. *& ſurrexit de ſolio ſuo, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere*, &c. ſcilicet ritus erat Diis pacandis, ſaccus cilicinus, & cinis inſperſus, ieiunio imperato; rituſque de ſacro nudipedali. quod & Chriſtus laudat apud Matth. c. 11. n. 21. *Si in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.*

Ezech. c. 27. num. 2, 31.

Ionæ c. 3. n. 5.

Sacra pœnitentium, nudipedalia.

Matth. c. 11. n. 21.

Sed puto, ſacra Iudæo accepta referat Idololatres. Quandoquidem Hieronymus in nudipedalibus agnoſcit ritum Iudaicum epiſt. 25. ad Paulam, *Flentes* (inquit) *hodie Iudæi, & nudatis pedibus in cinere volutati, ſacco incubant*, &c. ſic Iudæus, cùm vel publica, vel priuata fortuna premeretur. quò Iuuenalis reſpexiſſe viſus eſt Satyr. 6.

25.

Obſeruant vbi feſta mero pede ſabbata Reges, &c.

Neque enim dicas, licèt, merum pedem, niſi nudum pedem. Video fuiſſe in hac ſententia Rhodiginum *lib.* 15. *cap.* 6. Quid ſi Paulus nudipedalia ſemel, & iterum peregerit? Docet id Hieronymus *epiſt.* 89. *ad Auguſtin.* Corinthi enim Paulus caput raſit, barbamque promiſit, quæ vna de ſacro nudipedali erat cæremonia. Vnde Lucas in Actis ad cap. 18. num. 18. *Qui ſibi totonderat in Cenchris caput.* &c. Deinde Ieroſolymis templum addit Apoſtolus, vt ſacrum faciat cum viris aliis, votumque ſoluat; ſacrum vtique nudipedale, coma raſitata, & ſacco induto. Quo Iudæus Paulum inuitauerat, in Actis ad cap. 20. num. 24. *His aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende illis, vt radant capita*, &c. Locum vtrumque de ſacro nudipedali exponit Hieronymus epiſt. citata. *O Paule, & in hoc*

Act. cap. 18. num. 18. c. 20. n. 24.

hoc te rursus interrogo, cur caput raseris? cur nudipedalia exercueris de cæremoniis Iudæorum, &c. Nec aliter sentit Hieronymus *ad Galat. cap.* 2. Planum igitur fit placuisse Iudæo nudipedalia, quæ & sacco instrato constant, nedum vestito,& raso capite, & cinere insperso, vt fortunam aduersam amoliretur, Deo propitiato. Mulcetur enim Deus nostro dolore, cùm notas mœroris intimi damus,veste cilicina,& cinere aspersо. Monebat Ieremias sumendum esse habitum dolentis animi,ad cap.6.num.26. *Filia populi mei,accingere cilicio,& conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi*,&c. Id verò? vt hostem à se abigerent, & à muris longè auerruncarent. Quod Sacerdotes in loco fecere, *& induerunt se Sacerdotes ciliciis.*

Fruitur Deus pœnitentium dolore intimo.

Ier.c.6.n.26.

26.

Ad sacc um,& cinerem addit Iudæus metu pressus, clamores infantiæ,eiulatúsque innocentiæ. *Et prostrauerunt infantes contra faciem templi Domini*,&c. more id solito, quod patet ex 2. *Paralip.cap.*20.*num.*13.vbi textus,*Omnis* (inquit)*Iuda stabat coramDomino cum paruulis*, &c. Bene ad rem,Lyrano teste,*vt magis impetraretur diuina clementia*, &c. Lenitur enim Magnus Deus planctu innocentis pueritiæ. Hoc fortasse respectu collectus ad Esdram est, lib.1. cap. 10. num. 1. *Cœtus grandis nimis virorum,& mulierum,& puerorum: & fleuit populus fletu multo*, &c. Cur pueri cum senibus coniunguntur ad lessum peragendum? multa in puerili eiulatu virtus est ad iram leniendam magni iudicis. quod probat Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 1. Sic Galbam parentem absoluerunt flentes pueri mitigata concione. *Et quæ innocentiæ tribui non poterat absolutio, respectu piorum puerorum data est*,&c.Nec à Ioele aliud mandatum Iudæo est, cap.2. num.16. *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum,congregate paruulos*,&c. Hac infantum eiulatione, & deprecatione mitigari Deum mos, & fas erat; quod placet Ambrosio *ad serm.*40.Imò vim Deo faciunt infantiles voces: eámque vim sibi fieri voluit Pater optimus, vbi suum nobis filium, & infantem, & vagientem exposuit, ad Isai. cap.9. num. 6. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis. Et vocabitur nomen eius, Deus fortis*, &c. Itanè vim Deo facit,dum vagit infans,dum balbutit Puer, vt verè appelletur, Deus fortis? sed multa in vagitu infantili virtus est ad permouendos animos; quod monet Chrysologus sermon. 158. *Infantia, quam non vincit barbariem? quam non mitigat feritatem, quem non compescit furorem?* &c. Nec miror ego Deum puero vagiente lenitum, ac victum esse, qui cedit. *Et pullis coruorum inuocantibus eum*, &c. *Psalm.*146.*num.*9. Non coruis iam robustis indulget Deus, sed pullis adhuc teneris,& ob famem crocitantibus; credo, vrgent validè crocitationes pulli famescentis, vtpote voces ætatis paruulæ. Quare Iudæus populus in re difficili. *Prostrauerunt infantes contra faciem templi Domini*,&c. Video pueros aris admotos, vagientésque infantes, apud Deum orare,ac perorare: video deinde

2. Par. c. 20. n. 13.

Vincitur Deus ploratu infantium.

Esdr. lib. 1. c. 10. n. 1.

Flectunt & seuerum iudicem infantiles fletus, ac preces.

Ioh.c.2.n.16.

Isa. c.9. n.6.

Vincit homines, dum vagit Infans Iesus.

Ps.146. n.9.

PARÆNET. XI.

Iuuari preces hominum habitu cilicino.

PRobatum est textu proximo nutriri ieiunio orationem; quæ quidem à mensa tenui profecta, Deum validè moueat, hominésque Deo continuos faciat. Vnde criminatores Ioannis, Christique discipulos ita miscent, vt de Ioannis schola dicant, apud Luc. cap. 5. num. 33. *Ieiunant frequenter,& obsecrationes faciunt*, &c. Ac si vellent, probari Deo preces, quæ à famescentibus mittantur, & patere sanctitatem morum ex oratione pingui, & cœna tenui. sic Caietano visum est. *Ad ostendendam* (inquit) *suorum discipulorum sanctitatem, apposuit illorum ieiunio obsecrationes*, &c. Tanta in ieiunio virtus est,ad precandi munus adornandum. Sed quæ in cilicio vis est ad Deum exorandum? Placatur Deus eo habitu, siue vt ignoscat peccantibus, siue vt agnoscat postulantes in te dubia. 1.

Luc.cap.5.n. 33.

Concinnat preces mensa castigata.

Nouit Isaias quid valeat saccus cilicinus ad Dei iram mulcendam, cùm reus scelerum homo est: ac deinde exponit, quid iudex moneat cap. 22. num. 12. *& vocabit Dominus Deus exercituum in die illa, ad fletum, & planctum, ad caluitium, & ad cingulum sacci*, &c. Partes sunt animi pœnitentis orare cum fletu, petere cum cilicio;quas à peccante populo exposcit Deus,ac Dominus exercituum,scilicet, ne cogatur homines premere collecta militum manu. Neque enim vocatur in loco Dominus *Deus exercituum*, &c. Sed vt doceat vestitos saccis homines, armis indutos esse, Deóque valentissimo facilè obsistere, si poscant veniam scelerum. Adeò iuuat preces hominum saccus cilicinus. Et quidem,Abulensi Auctore ad 4. Reg. cap. 19. quæst 2. *Iste erat modus,quo Hebræus se habebat ad Deum,quando volebat aliquid obtinere*, &c. 2.

Is.c.22.n.12.

Loricæ est aduersus Deum vestis cilicina.

Vestе indutum obsoleta Sacerdotem Vates inducit. Zachar.cap.3. num.3. *& Iesus erat indutus vestibus sordidis*,&c.Ac ne quis nesciret, quid eo habitu vellet Pontifex, addit in loco Vates, *& stabat ante faciem Angeli*,&c. Id verò est, Theodoreto Auctore. Preces mittebat infimas pro se, & populo. Sed quare vestem Pontifex induit cilicinam, cùm Deum orat? scilicet, vt Deum fortiter permoueat, habitu pœnitentis animi. Abit Dauid ab aula ad aram, & secum adducit regni seniores ad mactandam hostiam, *lib.* 1. *Paralipom. cap.* 21. *num.* 16. textus est. *Cecidерunt tam ipse,quàm maiores natu, vestiti ciliciis, proni in terram*,&c.Exarserat Dominus,furore concepto in Regem; sæuierat strage patrata in populum; ne Iudex grassaretur vltrà, suo cum Senatu Dauid cilicio aduersùs Deum sese obarmauit, quod obseruat Abulens.quæst.64. *vt Deus misereretur illis, & alleuiaret pœnam*, &c. Credebant prudentes rerum homines, iacere preces,& languere,quæ non iuuantur sacco cilicino. 3.

Zac. c.3.n.3.

Deum exorat Pontifex habitu cilicino.

1.Par.c.21.n. 16.

Cilicio Deus pungitur hominum.

Ab hoc sacco opem exposcit Ezechias bello pressus.Audit Hebræus, quæ Rabsaces obtruserat aduersùs Deum in aures hominum, 4. *Reg.cap.* 19. *num.* 1. Isai. cap. 37. num. 1. *Obuolutus est sacco, & intrauit in domum Domini*, 4.

mini, &c. Vtique vt oraret. Sed veſtem ſumit obſoletam,ac ſeſe Deo ſiſtit : quaſi vellet, cogi Dei opem facilè precibus infirmis, & ſacco humili : quod monet Procopius ad Iſaiam citatum, *Lugentis habitu per medium templi cœtum incedit:ac ſe depreſſo, & afflicto animo eſſe, Deique miſericordiam poſtulare teſtatus*, &c. Addo miſſos ab Ezechia viros ſaccis obuolutos, & ſordidatos ad Iſaiam, vt cùm Propheta Deum orarent, num. 2. *Et miſit* (textus eſt) *ſenes de Sacerdotibus, opertos ſaccis*, &c. Veſtes ab ſe nobiles abiiciunt, & ſaccum induunt viri magni, vt Deo theatrum faciant pœnitentiæ : idque munus theatro dedit Ezechias (teſte Oleaſtrio,) ad Iſaiam citatum. *Probè noſcens quàm latis oculis videat ſaccos Deus*, &c. Neque enim quidquam difficultatis eſt, quod non pellat;nec ſceleris,quod non donet.

Cedit illicio Dei pietas.

Saccos humiles intuetur Deus vultu placido.

5. Peccati veniam precatur Daniel, ſeruitémque deprecatur, *ad cap. 9. num. 3.* Orationem inſtituit ſucci plenam, cùm ieiunat; ieiunio tamen addit ſaccum, & cinerem. *Poſui* (inquit) *faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare, & deprecari in ieiunio, ſacco, & cinere*, &c. Habitus eſt, quo Vates Deum placari facilè putabat. Ne quis neget ali preces inedia,ſacco adiutari. *Ieiunio enim ſacco,& cinere, quaſi alis inſtructas preces Deo offerebat*, &c. Hæc Theodoret. *Orat. 9. in Dan.* Quaſi multa in habitu cilicino vis eſſet ad Deum piè mouendum, quod Iudæus vidiſſe in loco viſus eſt,cùm textus exponat,*& induerunt ſe Sacerdotes ciliciis.*

Dan.c.9.n.3.

Alas addit precibus apparatus pœnitentium.

Num. 10. Et clamauerunt ad Dominum Deum Iſrael vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuiſionem,& ciuitates eorum in exterminium, & ſancta eorum in pollutionem, &c.

Commentarius.

27. EX præſcripto Sacerdotis Magni, ſuas Deo preces Iudæus offert. ὁμοθυμαδὸν, καὶ ἐκτενῶς, *vnanimiter, & aſſidnè.* Quæ quidem orandi partes, ac dotes ſunt, vt pius orator nec alat diſſidium, nec ſtudium intermittat. *Oportet enim ſemper orare, & non deficere*, &c. *Luc.* 18. *num.* 1. Vtramque dotem expromit Lucas *in Actis*, vbi Laudat Apoſtolos. *Perſeuerantes vnanimiter in oratione*, &c. Græcè habes, προσκαρτερῦντες ὁμοθυμαδὸν, *ad cap. 1. num.* 5. Nec tacet orandi curam aſſiduam; ad cap. 12. num. 5. *Oratio* (inquit) *ſine intermiſſione*, &c. Inibi enim vox Græca eſt, προσευχὴ ἐκτενὴς, *Oratio aſſidua.* Sed quænam vis Iudæum vrget ad aram,ad Deum,ad preces?Fortuna aduerſa eſt, quæ ad acerbitatem rerum deprecandam ſubigit homines; canit Dauid Pſalm.77. num.34. *Cùm occideret eos,quærebant eum, & reuertebantur*,&c. Abeunt à Deo peccantes homines;ſed calamitate irrogata, precantes redeunt. *Nec fruſtrà ipſis miſericors Deus compedes induxit*, &c. ſic Theodoretus. Et quidem flagra, verè lora ſunt, quibus ſtringuntur pedes hominum; ſcilicet ne è cælo in cœnum fugiant. Multa in acerba fortuna vis eſt, vt homines ad aram, ac Deum cogat.

Luc.c.18.n.1.

Act.c.1.n. 5. 12.n.5.

Orandum cura aſſidua.

Pſ.77. n. 34.

Calamitates peccantium compedes.

Quod & Iſaias euincit facilè ad cap. 26. num. 16. *Domine* (inquit) *in anguſtia requiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua illis*, &c. Nec temerè acerbitatem rerum dixeris ſcholam virtutum, vbi diſcas pati fortiter, precarique validè. Id à Patre diſcendum curat Theologus, fame graſſante. *Orat.* 15. ſic ille : *Vnde ſterilitates, & grandines, præſēs noſtra plaga,& admōitio?*&c. Quid verò monet aduerſa fortuna? ſcilicet, vt opem à Deo poſcas; & vim pares acerbitatis,vel perferendæ, vel peruincendæ. Nec mentitur Dauid, cùm cecinerit Pſalm. 15. num.4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt*, &c. Moram pati homo non poteſt,vt ad aram confugiat, cùm vel graui morbo vrgetur, vel triſti morſu. Somnum pellit,vt euigilet ad expoſcendum auxilium. Adeat Hoſeas *c. 6. n. 1.* quo Deus ore. *In tribulatione* (inquit) *ſua, manè conſurgent ad me*, &c. Quanta in auxilio exigendo celeritas, vt quietem pati non ſinat homines; ſed adigat validè, ne moras nectat? Quò tamen vis acerba non agat? Vnde monet Dauid Pſalm.cit. *& diluculo veniebant ad eum*, &c. Cur igitur non doceat Chryſoſtomus Hom. 33. ad Roman. *Magnum bonum eſt tribulatio*,&c. ſi addit in proximis, quare id moneat. *Hoc enim nos facit proximos Deo eſſe*, &c. ſcilicet fortuna ſub aduerſa Iſraëlitæ Deo continui. *Clamauerunt ad Dominum Deum*,&c.

Iſ.c.26.n.16.

Mala rerum fortuna, bona morum doctrina.

Hoſ.c.6 n.5.

Maturè calamitas ad Deum trahit homines.

Id Iudæo in votis, ac precibus eſt, ne ſeruitutem ferant capti pueri, vxoréſque à toro maritali abripiantur: quæ verbi poteſtas in deprecandi forma eſt. *Ne darentur vxores eorum in diuiſionem*,&c. quod Serarius bene docet.Nec vox Græca προνομὴ ſonat aliud quàm *direptionem, depræda tionem, captiuitatem.* Inde tamen occaſionem rapit miles,vt vim inferat captis fœminis, alieníſque illudat vxoribus: quod diuidendi verbo ſignificatur,ſiue profanam, ſiue ſacram ſcholam adeas. A Cicerone illud eſt,lib. 12. epiſt.22.ad Papyr. *Num honeſtum eſt verbum, diuiſio? at ineſt obſcœnum*, &c. Deinde vox illa ab Ezechiele eſt ad cap. 16. num. 25. *& diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti*, &c. de adultera textus eſt:ſed eo, & honeſto verbo rem turpem obuelat Prophetes, Vatablo teſte. Inibi enim *diuido*, eſt diuaricare pedes ad rem fœdam. Nec aliena ab hoſte victore licentia in fœminas eſt. quod Ieremias dolet Thren. cap. 5. num.11. *Mulieres in Sion humiliauerunt*, &c. quod Iſaias minatur cap. 13. num.16. *& vxores eorum violabuntur*, &c. Hoc metu Zacharias ad pœnitentiam reuocat Ieroſolymam, cap. 14. num. 2. *Vaſtabuntur domus, & mulieres violabuntur*, &c. Hæc ita: quaſi militibus ſit licentia aduersùs torum alienum. Acerba omnino imprecatio ab Spartano hoſte. *Vxor tua mœchum habeat*, &c. Sed execratio eſt,quam Moyſes intentat viris peccantibus;ad Deut.cap.28.num.30. *Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea*,&c. Nec Iobus aliud ſibi malum imprecatur,ſi adulter peccet ad c.3.n.10. *Scortum alterius, ſit vxor mea*,&c.

Ezech.c.16. n.25.

Vxorum diuiſio coniugum eſt extrema calamitas.

Thren. c. 5. n.11.

Iſa.c.13.n.16.

Zach. c. 14. n.2.

Deut. c. 28. n.30.

Iob.c.3.n.10.

29.

Grande

Grande malum ! vt ſua palum vitis decipiat, & labatur fides vxorea. quod iterum Iobus monet n. 11. *Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima*, &c. Vides, quid peccet adulter, dolo malo?

30. Sed textus poſtremò damnat hoſtes rerum ſacrarũ euerſores, quibus furor eſt viros ſanctos premere. *& ſancta eorum in pollutionem*, &c. Multa de rebus ſacris hominum cura eſt. illud t amen obſeruo ſacram Deo ædem ruere Iudæo peccante. Neque enim Deus ſuis parcit aris, cũ peccat homo. Capta à Philiſthæo arca eſt, 1. *Reg.* 4.*n.*11. Dirutum à Chaldæo templum eſt, 4. Reg.25. n. 9. *& ſuccendit domum Domini*, &c. Vrbem, & ædem ſacram euertit omnino Veſpaſianus; quod Dauid grauiter dolet, Pſ.73.n.7. *Incenderũt igni Sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui*, &c. Id verò ? quod notat Peluſiotes lib.1.epiſt.73. ad Alliop. *vt dum ſuis non parcit aulis, terrorem iis, qui peccant, iniiciat*, &c. Sed aliò Rupertus verſum trahit. Quærit ille, cur Deus templum igni corrumpi ſinat, qui iuuenes igni lædi non patitur? apud Dan. cap.3.n.50. *& non tetigit eos omnino ignis*, &c. Sed addit lib.6. cap.25.de Victor. *Erudiendus erat mundus, quòd Deus non pulchris lapidibus, aureiſque parietibus templi manu facti delectaretur, ſed fidei claritate, & mundis cordibus.*

1. Reg.c.4. num.11. 4. Reg. c.25. num.9.

Pſal. 73. n.7. *Punit Deus vt metum iniiciat.*

Dan. c. 3. num.50. *Suam Deus ædem euerti patitur, vt moneat mentem, non aram ſibi placere.*

Et verò Deus iam id pridem minatus fuerat, cùm templum Salomon extruxiſſet, 3. Reg.cap.9.n. 8. *Templum* (inquit) *proiciam à conſpectu meo*, &c. nimirum, ſi Iudæus peccaret, fide læſa. quod *n.*7.habes. *Si auerſione auerſi fueritis me*, &c. At ne quis aris extructis fideret reus ſcelerum, aras igni corruptas eſſe voluit. Rupertus in loco iterum; vbi ſordes notat auaritiæ. *Exiſtimare poterant homines cupidi malè de Deo ſentientes, quòd eſſet eorum ſimilis; ac nihil de religione iuſtitiæ curantes, putarent ſe ſatis honorare Deum muneribus aureis, ſuamque cupiditatem corroborarent, quaſi Dei exemplo. Hanc ſuſpicionem dignè à ſe remouere curauit*, &c. Sed quæ ad litem facit proximè à Paſchaſio eſt interpretio *Thren.cap.2.n.2.* vbi Deus Iudex. *Deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Iuda*, &c. & n.6. *Diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum*, &c. *vt intelligeres Dominum non ea, ſed ipſos requiſiſſe ſibi in cultũ, & laudem nominis ſui*, &c. Ita Paſchaſ. *lib.* 2. Ne igitur Deus ædem ſibi ſactã negligeret, Aſſyrióque traderet, obnixè Iudæus precabatur, metu fractus, *& clamauerunt ad Dominum*, &c. Illud in loco innuens,

3.Reg.c.9. num.8.

Templo euerſo cupiditatem rerum Deus abſcindit.

Thren. 2. num. 2.

Te, non tua Deus quærit.

ad 2.lib.de Prouid.c.4. *Calamitas virtutis occaſio eſt*, &c. ſcilicet, quã rapiunt homines, vt ſeſe aris ſiſtant. Abit rectà virgo ſapiens, Cant.4. n.6. ad collem thuris, &c. quæ priùs abierat *ad montem myrrhæ*, &c. In myrrha viuẽdi labor eſt, in thure precandi ardor. Sed ad precandi ſtudium trahit properè vitæ labor, fortunæ morſus. Hæc enim calamitatum vis eſt. *Propter quam ad Deum, quem ſequi in rerum proſperitate contempſimus, ſaltem inuiti properare cõpellimur*, &c. Bene Caſſianus *collat.* 3. *cap.* 4. Qua de cauſa calamitatum ſtimulos hominibus Deus addit, vt exoretur depulſor fortunæ aduerſæ. Puto Heliſæo id accidiſſe, cùm *percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ*, &c. 4.*Reg* 2.*n.*14. Lego Iordanem proximè diuiſum, cùm Heliſæus oculis in cælum intentis clamitaret: *Vbi eſt Deus Heliæ?* &c. Clamor enim ille, pia quodammodo erat deprecatio. Eo tamen vrget Deus, via intercluſa. Quod aduertit Abulenſ. q. 28. *Vt compelleretur orare, non ſunt diuiſa aquæ prima vice*, &c. Sciebat apprimè Deus trahi homines, malo ſuo admonitos, ad pium officium. Et hæc Theologo occaſio, vt moneret Orat. 17. *Prudenter faciunt, qui calamitatibus erudiuntur, quiſque ob dolorem Deo ſe magis adiungunt: quandoquidem ægra anima Deo propinqua eſt*, &c.

Cant. 4. n.6.

Trahit ad bonum Deum mala fortuna.

4.Reg.cap.1. num. 14.

Vt Deum quærant piè viri boni, pulſantur difficultatibus.

2.

Ægrè Hebræus vitam agebat opere lateritio. Vnde querimonia apud Deum inſtituta, Exod.cap.3. n. 7. *Vidi*, inquit ad Moyſen Dominus, *afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui*, &c. Sed preces Hebræus cum fletu miſcet, bene inſinuans preces dolore expreſſas eſſe, & facilè miſeros homines conueniſſe ad Deũ piè exorandũ. Nec Deus mente alia Hebræum à Tyranno preſſum voluit, niſi vt malo fractus Deo hæreret, ac precibus daret operam. quod Rupertus innuit *lib.*11.*in Apoc.* Vrget Pharao Hebræos homines: vrget Nabuchodonoſor, vrget Antiochus: vrgent tandem Nerones Chriſti ſcholam, *vt vel ſic neceſſitate compulſi ad ipſum reuerterentur*, &c. de ſacris Dei alumnis ſermo eſt. Quæris fortaſſe, quare Iudex hominem cum domo venditum voluerit; procuratorem ſcilicet Regiæ pecuniæ, qui ſoluendo non erat? apud Matth.cap.18.n.25. *Iuſſit eum Dominus venundari*, &c. Certè premit Iudex hominem, vt fortunam à ſe malam deprecetur. quod ſcio factum, n. 26. *Procidens autem ſeruus ille, orauit eum*, &c. Sed nihil iudex aliud tentabat, quàm hominem, metu damni, ad ſe trahere. Auctor eſt Chryſoſtom. Hom. 62. *Hac comminatione ad ſupplicandum, ne venderetur, adducebat*, &c. Ita neceſſitas vrget homines, quaſi telum ingens, vt ad Dei accidant genua, veniam, ac opem exigant à bono Deo.

Exod. cap. 3. num. 7.

Vrgent calamitates, vt Deum quarat malò preſſus homo.

Matth. c. 18. n. 25. 26.

Minis Deus ad ſe trahit hominem.

Vnde cùm Deus cladem irrogat, amicè facit: quæ quidem vis diſcendi eſt apud Ieremiam Thren.cap. 2. num. 4. *Tetendit arcum ſuum, quaſi inimicus*, &c. Nec dixiſſe ſemel contentus eſt Vates; addit iterum n.5. *Factus eſt Dominus, velut inimicus*, &c. Rectè Prophetes Deum acerbè agentem, non hoſtem, ſed velut hoſtem dicit; illud inſinuans, irrogari à Deo calamitatem, vti matrem bonæ mentis. Id tamen, Auctore Paſchaſio

3.

Thren. c. 2. n.4.5.

Clades bona mentis mater.

PARÆNET. XII.

Vacare precibus malè preſſos homines.

1. PRobes facilè Dei aras miſeris piè notas eſſe, metuſque fractos homines feſtinatò ad Deum ire. Quis enim hominum Deum non adit, aras non tenet, leſſum non facit, preces non edit, morbo graſſante, bello vrgente, Prætore minante? Verè Saluianus lib. 1. de Prouident. *Nequaquam dolenda nobis eſt hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus virtutum matrem eſſe*, &c. Addit Seneca Veloſ. in Iudith.

Calamitas virtutum ſchola.

ad lib. 2. *Vt ad Deum flagellata redeat*, &c. Tanta in mala fortuna vis est, vt maturè ad Deum adigat peccantem animam, ac precantem. Imò & moras abrumpit omnes, qui metu damni tactus precatur opem, & veniam. quod in Psal. est 77. n. 34. *& diluculo veniebant ad eum*, &c. Probat Hebræus, quod expendo, *ad Num. cap. 14. n. 40.* vbi textus est, *& primo manè surgentes ascenderunt*, &c. Vrgebat metus, exploratoribus malè mulctatis, qui de Philisthæo gloriosè dixerant, vt Hebræum absterrerent. Quare vt opem, ac veniam à Deo auferrent, *primo statim manè surgentes ascenderunt*, &c. Sic Hebræus egit, cùm Deus esset orandus, morari se putans nocte interposita. Nam metus ingens festinatò quærit auxilium. In angustiis erat Dauid, cùm Deum precibus fatigaret, Psal. 76. n. 3. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui*, &c. Sed quantum moræ interest inter morsus animi, precésque dolentis? constat id ex n. 5. *Anticipauerunt vigilias oculi mei*, &c. Ac si vellet Dauid superatas à se esse antelucanas opificum vigilias; quare bene Theodoretus aduertit, *studiosas preces tacitè innui*, &c. scilicet vt opem à Deo pararet malis auertendis. Nemo tamen frangatur animo, si morbo, fame, bellóque prematur. Sciat tentari se, vt Deũ quærat anima suo malo tracta ad viam rectam. *Quibus frequenter sagittis vulnerata ad medicum rediret saltem necessitate compulsa*, &c. Ita Paschas. *lib. 3. in Thren.* Hac vna via Deus traxit homines ad sanam mentem, cùm Holofernes vrgeret. *& clamauerunt ad Dominum*, &c. Quid tamen clamant? quid precantur? scilicet: *Ne darentur vxores eorum in diuisionem*, &c. Locus est de adultera, etsi inùita: sed tantum est malum, vt Pontifex, teste Vatablo, *rem turpem tegat pudica oratione*, &c. Vnde colligas facilè

Pſ. 77. n. 34.

Num. c. 14. num. 40.

Citò Deum adit, qui damnum timet.

Pſal. 76. n. 3.

Maturat preces, qui dolet.

Calamitas ad ſalutem via.

Rem turpem velo tegit bonus quisque.

PARÆNET. XIII.

Adulterium, & malum, & fœdum esse.

1. TImet Hebræus grauiter, quod dolet maximè, scilicet, ne victor hostis vxorem alienã premat impudicè. quo malo amasiam tenet Amos *c. 7.* Postquam enim Vates Idololatram agit reũ sceleris, addit minas n. 17. *Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent*, &c. satis explicans adulterium vxoris, viro etiam sortis infimæ grande malum esse. Argumento est, quòd Vates vxoris adulterium in primis obtrudit, non cædem opponit. *Maritus enim libentiùs audit vxorem interfici, quàm pollui*, &c. teste Hieronymo. quod Abulensis prosequitur, *Deut. cap. 28. n. 30.* vbi Moyses Hebræum tundit non alio, quàm metu vxoris opprimendæ. *Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea*, &c. *Præcordialis enim dolor est*, &c. sic Abulensis q. 5. Et verò dolor ab amore natus virũ pungat, necesse est, qui fidem ab vxore læsam, ac torum sibi fœdatum esse ægrè patitur. Sed quæ nam in adulterio fœditas est? quam Põtifex non exprimit, sed insinuat, cùm adulterũ suo vitio diuaricatam esse docet. *Et vxores eorum in diuisionem*, &c. vbi rem fœdam tegit voce honesta. Nec id ego miror, si adultera apud Leprêos vincta per vrbem ducebatur, mulier vilissima in vitam reliqua m. quod habet Rhodigin. *lib. 21. cap. 48.* Quis igitur adulteram suo malo humilem non dicat? Nota è sacro textu lucem habere potest. Nónne senex, vt Leuitam ab iniuria vindicaret, & virginem, & vxorem ex posuit hominibus turpissimis? *Iudic. 19. n. 24.* de re turpi sermo ibi est, quam senex explicat formula dicendi solenni. *Vt humilietis eas*, &c. *quia per hoc cadit ab honore suo, & valore*, &c. mulier scilicet, teste Abulensi ad locum Iudic. Nónne lex erat de adultero, vt saxis obrueretur? *ad Deut. 22. n. 24.* sed addit Moyses. *Quia humiliauit vxorem proximi sui*, &c. locus de sponsa, non de vxore est: sed adulterium adeò fœdum est, vt adulteratam puellam deprimat ad infamem notam. Eruit ex loco Cyrillus Alex. claritatem virginis. *Illius* (inquit) *defloration em sacra litera non solùm humiliationem senserunt, sed & appellandam censuerunt, quasi venerationis quandam amissionem*, &c. *ad lib. 8. de Adorat.* Sed Abulensis *q. 3. ad Deut. cit.* in sponsa fornicaria mœcham intelligit: deinde addit vxorem impudicè oppressam, verè depressam esse. *Cùm deflorata fuerit, humiliatur, & fit contemptibilior*, &c. Dij Magni! Quæ nam adulterio fœditas est, si adultera & asina est.

Adultera infœminis vilissima.

Iudic. cap. 19. n. 24.

Honorem cum honestate perdit adultera.

Deut. c. 22. n. 24.

Venerationem sibi adimit adultera.

Patet ex sacro expiatorio sceleris. Nã mulier de adulterio accusata, eo expurgatur sacro, *Num. cap. 5. n. 15.* tracta ad Sacerdotem fœmina; textus est. *Offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ*, &c. Non de simila, non de thure, non de oleo sacrum fit, sed de hordeo, & pabulo asinario: vt adulteram certò scias asinam esse. *Hoc signo*, docet Philo, *innuitur adulteram à bestiis nihil differre*, &c. *ad 2. lib. de leg. spec.* eo loci premitur adultera, fœditate sceleris. Sed quantum distat adultera ab Idololatra? Nihil omnino, & Magister est Tertullianus *ad lib. de Pudicit. cap. 5.* Expendit ille Idololatriã sacro textu Mœchiam vocari: constat multis locis. Apud Ezech. sermo est de sororibus Idololatricibus. *Quæ adulteratæ sunt, & cũ Idolis suis fornicatæ sunt*, &c. ad *cap. 23. n. 17.* Hoc loquendi modo Hoseas cap. 2. n. 2. *Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua*, &c. Deinde explicat *n. 19.* se de Idolomania locutum esse. *& visitabo super eam dies Baalim*, &c. Hæc illa est fornicatio, de qua Leuiticus meminit cap. 20. n. 5. *vt fornicarentur cum Moloch*, &c. Idolo scilicet turpissimo. Addit textus *Iudic. 2. n. 17.* aberrasse à vero Hebræos homines. *Fornicantes cum Dijs alienis, & adorantes eos*, &c. Cur textus Idololatram ab adultero non discernit? Sed eodem vtrumque appellat nomine? Adest Tertullianus loco citato. *Itaque mœchia affinis Idololatriæ. Nam & Idololatria sæpe Mœchiæ nomine, & fornicationis populo exprobrata, & sorte illi coniungitur, sicut & serie; & damnatione cohæret illi, sicut & dispositione*, &c. Loco igitur par, & merito adulterium cum Idolomania est; vtrumque suo malo fœdum, & absurdum scelus: adultera enim asina est, adulter verò Idololatres.

2.

Num. cap. 5. n. 15.

Adultera verè asina.

Ezech. c. 23. n. 17.

Hos. c. 2. n. 2. 19.

Leuit. c. 20. n. 5.

Iudic. 2. n. 17.

Adultera Idololatriæ vicina.

Imò

3. Imò si placet, tanta adulteræ fœditas est, vt cùm Matthæus de adulterio dixerit, adulteram non exprimat, cap. 1. num. 6. *Dauid Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ,* &c. Bethsabea hæc est; non tamen à Matthæo nominatur: siue, ne famam terat adulteræ, siue vt ostendat adulteram suo nomine indignam esse. Nomen habet sacro textu Thamar vidua *num.* 3. etsi mulier prostratæ pudicitiæ, *Gen. cap.* 38. *num.* 19. Nomen item habet Rahab apud *Matthæum n.* 5. etsi meretrix dicatur *Iosue num.* 1. Neutra erat adultera, sed Bethsabea nomen perdit, quæ pudorem perdiderat, viro læso. Si absurdum adeò adulterium est, & immane scelus, cur non erubescat Susanna, etsi falsò accusata sceleris? apud *Dan. cap.* 13. vbi textus habet num. 32. *erat enim cooperta*, &c. pudore scilicet contracto, faciem obtegit rapta ad Iudices, cùm dispudeat irrogatam sibi calumniam de mariti iure polluto. sic Tertullianus de Corona cap. 4. *Rea venerat, erubescens de infamia sua*, &c. Meritò Pontifex rem absurdam honesto obnubit verbo, adulteriumque appellat diuisionem vxoris à viro, ne turpes voces ingerat castis animis, ac cœnum moueat. Quare exemplo Sacerdos est,

Matth. cap. 1. n. 6.

Adulterium verè est propudium.

Gen. cap. 38. n. 19.

Iosue cap. 2. n. 1.

Nomen perdit qua pudorem perdit adultera.

Dan. cap. 13. n. 32.

Pudet castam Heroinam de adulterio accusari.

PARÆNET. XIV.

Vt rem turpem honestè pungas.

1. MOnent id graues homines, Salmeron *tom. 1. Prolegom. 15. reg. 33.* D. Thom. *ad Gen. 4.* Abulens. *1. Reg. cap. 24. q. 3.* Gregor. Mag. *1. Reg. cap. 15.* Clemens Alex. *2. Pædag. cap. 6.* obseruant enim, quibus verborum circuitionibus rem absurdam textus sanctus versat, vel cùm mordet reos scelerum. Pulchra est metaphora, qua Syracides pungit turpem fœminam, *c. 26. n. 15.* sic ille, *Contra omnem sagittam aperiet pharetrii, donec deficiat*, &c. Video, quid sagitta, quid pharetra denotet, quibus homo, & mulier pugnant impudicè. Ita rem turpem honestè pungit Magister; quod Hugo aduertit. *Auctor hic turpitudinem rerum, verborum venustate palliat*, &c. Cur non velo obuoluat, quæ facere, & loqui turpe est? Quis nescit honestè à Sara dictum Abramo esse, cùm ageret apud virum de re pudenda. *Ingredere ad ancillam meam*, &c. *Gen. 16. n. 2.* nam, Vatablo teste, *rem turpem honestè exprimit*, &c. pudor scilicet erat loqui apertè de congressu muliebri. Sic & sorores loquuntur mutuo *ad Gen. c. 19. n. 31.* vt rem absurdam honestè moueant. *Nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos*, &c. Peccant sorores impudicè, non tamen audent impudicè loqui. tanta in loquendo honestas commendatur.

Ecc. c. 26. n. 15.

Rem impudicam pudicè tractat bonus quisque.

Gen. cap. 16. n. 2.

cap. 19. n. 31.

Multa in Sara honestas loquendi.

2. Addo, colloqui, & conuersari turpi cum fœmina, sanctè dictum. De colloquio Daniel agit cap. 13. n. 54. *Sub qua* (inquit) *arbore vidisti eos colloquentes sibi*, &c. Græco textu ὁμιλοῦντας. Id verò est, *conuersantes.* quod Augustinus rectè obseruat *q. 78. in Exod.* Vnde Lyra addit, *Curialiter loquitur, sicut homo castus, & verecundus*, &c. Itaque ὁμιλία honestè *concubitus* est, siue collocutionem, siue conuersationem sonet. de qua Hoseas cap. 4. num. 14. *Veloso. in Iudith.*

Dan. cap. 13. n. 54.

De adultero pudicè loquitur castus homo.

Ipsi (inquit) *cum meretricibus conuersabantur*, &c. Hebræo tamen textu honestius multo verbum est יפרדו *iipparedu, separabantur.* Quæ enim impudicitia quærit latebras, latebris honestè significatur. Nec Iudas abest ab hac loquendi forma, *num.* 19. vbi notat. *Qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes*, &c. quibus locis nemo Sanctus est, qui sanctè non loquatur, vel cùm res turpes tundat acerbè ex officio, Rubenum pater ferit maledicto. *Non crescas*, &c. *Genes. 49. num. 4.* Cur id senex faciat, exponit. *Quia ascendisti cubile patris tui*, &c. Rem cum Bala patratam impudicè damnat honestè senex; quod expendit Abulensis. *Rhetoricè loquitur, colorando turpe factum*, &c. Mira Iacobi honestas in flagitio corrigendo. An à Iacobo didicit Iuuenalis, vt pudicè diceret? Satyr. 6.

Latebras petit Venus adultera. Iudas n. 19.

Gen. cap. 49. n. 4.

Honestè inhonesta Iacobus carpit.

Antiquum, & vetus est, alienum Posthume lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri, &c.

Aio, A viro enim casto discas, & castè loqui. Iure id merito, monet Clemens Alex. *2. Pædag. cap. 6.* ac proinde Magister Deus honestis velat nominibus, quæ minus honesta sunt. *Longè ante nos præmuniens aduersùs incontinentiam*, &c. sic ille *citato loco.*

Qui pudicè loquitur, non agit impudicè.

Quòd si doctrina de re turpi explicanda est, eam in docendo moderationem adhibendam esse docet Hieronymus, quam addir Apostolus *ad Corinth. 1. cap. 7.* vbi vsum coniugalem appellat debitum, *num. 3.* Deinde vsum permittens, postquam apud Deum coniuges perorauerint, castè subdit, n. 5. *& iterum reuertimini in idipsum*, &c. Quid idipsum fuerit, nõ exponit, teste Hieronymo, *Quod erubescit vocare suo nomine*, &c. *lib. 1. aduersùs Iouin.* præstat enim minus plenè docere, quàm minus pudicè loqui. Huiusce mentis & Moyses est *ad Num. cap. 25. n. 2.* vbi de Beelphegoro, Deo scilicet turpissimo, sermonem habet. *Initiatus est Israël Beelphegor*, &c. in quo Priapum agnoscunt boni homines. Hieronym. *lib. 1. aduersùs Iouin.* & locis aliis. Isidor. *lib. 5.* Origen. *c. 11.* Theophyl. *ad Hoseam 4. & 9.* Quot in hoc Deo colendo sordes essent, explicat liquidò ara subterranea *ad 3. Reg. c. 15. n. 13.* & patet ex Hebræa radice פעה *Paahar*, quod est *aperire, nudare.* Vnde Beelpeor, *Dominus apertionis est.* quod sonat turpissima quæque. Nihil tamen de turpi cultu Moyses agit. *Honestati, credo, consulens, qui interpretatus est, vti ne auditum pollueret audientium*, &c. sic Origenes *Hom. 20. in Num.* Sed hæc casti viri, cautique Magistri virtus est, scilicet à turpi nominum licentia temperare. quod hortatur Apostolus ad Ephes. cap. 5. num. 3. *Fornicatio, aut immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos*, &c. vt enim hæc agere, sic & loqui turpe est. Vnde Clemens Alex. loco citato. *Securam nominum licentiam, tamquam vsum reprehendit; securam intemperantiæ congressionem amputans, se enim in nominibus insolenter gerere facit, vt meditemur inhonestè agere*, &c. Nemo igitur, necessitate etiam lenocinante, non loquatur honestè; & quæ versat obscœna, innuat potius, quàm exponat. Hac enim

3. 1. ad Cor. c. 7. n. 3. 5.

Pudor Paulo est loqui de re coniugali.

Num. c. 25. n. 2.

3. Reg. c. 15 n. 13.

Latet, natura duce, quod turpe est.

Abstinet castus magister ab explicatu rerum impudicarum.

Ad Ephes. c. 5. n. 3.

Qui loquitur impudicè, meditatur impudica.

mente Ioachimus Pontifex adulterium appellauit diuisionem vxoris. *Ne* (inquit) *darentur vxores eorum in diuisionem*,&c.

Num. 11. **Tunc Eliachim Sacerdos Domini Magnus circuiuit omnem Israël, allocutúsque est eos.**

Commentarius.

32. MAgnus omnino Pontifex, qui populum sibi subditum adit, vt videat, vt alloquatur, vt consoletur. Id si quis præstet, dotes habet,& partes agit boni, magníque Sacerdotis. Quare Eliachimus, non alibi Magnus vocatur Pontifex; sed cùm vrbes, pagos, & prouinciã lustrat vniuersam, amore gentis agnoscendæ, admonendæ:& hæc quidem vno clauduntur in alloquio. Patet ex vtraque schola. Vide interim, quid Muretus putauerit de alloquio *ad 2. var. cap. 4.* alloquium scilicet vsurpatum venustè, ac latinè pro solatio. Ad-

Alloquium latinè solatium.

est Seneca in Troad. Act. 3. *Alios parentes alloqui in luctu decet*, &c. vbi Delrio Nasonẽ addit. Adest Æneas,& Palinurum mulcens, lib. 6. *Sic prior alloquitur*, &c. Quid ad Marciam Senecã? cap. 1. *Fatigata allocutiones amicorum*, &c. Nec aliter *ad Heluiam* cap. 1. Nihil ego curo Horatium *Ode* 13. *Epod.* quanuis suum à vino, cantúque solatium habeat.

Illic omne malum vino, cantuque leuato,
Deformis ægrimonia, dulcibus alloquiis,&c.

Sed ex sacro textu vna hæc alloquio potestas est, doloris scilicet minuendi. Agit Sapiens de fortuna aduersa gentis adulterinæ, ad

Sapient. c. 3. n. 18. cap. 8. n. 9.

Sapient. c. 3. n. 18. *Non habebunt spem, nec in die cognitionis allocutionem*, &c. Græcè, παραμύθιον, *solatium*, Auctore Iansenio. Quod quidem solatium impetrat ab alloquio sapienti Hebræus Magister c. 8. n. 9. *& erit allocutio cogitationis*,&c. Græco textu παραίνεσις, quæ admonitionem sonat consolatoriam. Nec Machabæus aliud, quàm solatium Hebræo offert, cùm sermonem habet publicè, lib. 2. cap. 15. n. 9. *Allocutus eos de lege*,&c. Quasi, admonitio de rebus olim gestis, adhortatio esset ad rem bene gerendam.

2. Mach. cap. 15. n. 9.

Vrget ad rem gerendam admonitio de rebus gestis.

33. Sed quid agit Pontifex, vt tristes à Iudæo pellat morsus animi? Prouinciam obit circuitione amicissima. *Circuiuit omnem Israël*, &c. ac ne desit officio Magni Sacerdotis; quod Lyra docet. *vt ex præsentia sua, & verbo proprio magis excitaret, quàm solo scripto*, &c. Officium inspiciendi, prospiciendíque Rebusp.

Maior vis inest viuæ vocis oraculo.

1. Petr. c. 2. n. 12.

eruas ex 1. *Petr. cap. 2. n. 12.* vbi Petrus monet, quid facto opus est. *In die visitationis*, &c. Græco textu est; ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, *In die Episcopatus*, &c. Quasi Episcopatus, & visitatio amicè conueniant. Vrgent id Pontifices Maximi, ad *cap. decernimus*, ad *cap. Episcopum*, ad *cap. placuit. 1. q. 1.* Deinde Trident. Synod. vrget grauiter *sess. 22. c. 8. sess. 24. c. 3. de Reformat.* Addo ego, quod Salomon,

Peruidere, ac prouidere Episcopi est.

Prou. cap. 27. n. 23.

Prou. 27. num. 23. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, gregésque tuos considera*, &c. Et premo locum, vt inde exprimas suam Episcopo Optimo parœciam omnino obeundam esse, & perquirendum studiosè, quid quisque peccasset, Græco textu habes, γνωσῶς ἐπιγνώσῃ ψυχὰς προμνίου σου. quod bene vertas: *Facie ad faciem agnoscas animas pecoris tui*, &c. vt moneas peragrandam prouinciam Episcopo esse, non amore parandæ pecuniæ, sed parœciæ recognoscendæ. Hæc Bernardi adhortatio ad Eugen lib. 2. *Exi in agrum Domini, & considera: vide regiones, si non siccæ magis ad ignem, quàm albæ ad messem*, &c. Iure igitur merito prouinciam obit Heliachimus Pontifex, vt moneat

Recognoscenda Episcopo est parœcia.

PARÆNET. XV.

Parochiam Episcopo visitandam esse.

I. MAndata Episcopo cura est lege lata, vt inspiciat, prospiciátque Rebusp. si nomen inspiciat suum; quod Græcè inspectorem sonat, à verbo ἐπισκοπέω. Tradunt id interpretes ad 1. *Petr. cap. 2. n. 25.* vbi Pontifex homines bene collectos docet: *Ad pastorem, & Episcopum animarum nostrarum*,&c. Nec vox Hebræa פקיד *Pequid*, à Græco abest sensu; nam in Esdra est, *Episcopus Leuitarum*, &c. lib. 2. *cap. 11. n. 22.* Vnde Episcopus Gentis Leuiticæ, custos, & inspector est. Hoc è sacra, illud è profana schola; Magistratus Græcis, Latinisque missos, causa vrbis inspiciendæ ad sanitatem morum, Episcopos vocari, constat ex Suida: ad verbum *Episcopus*. Constat ex *l. munerum. ff. de muner. & honor. §. Item Episcopi*, &c. Budæus *ibi*. Constat ex Cicerone *ad Atticum lib. 7. Epist. 11.* Vnde *nauis Episcopia*, apud Oratorem, nauis est exploratoria, *lib. 14. Epist. 18.* Vide, quid Rhodiginus senserit *lib. 18. cap. 3.* Addo Præfectum loci Georgium à Magno Gregorio appellatum esse Episcopum Italiæ *lib. 5. Epist. 22.* Magistratus enim,& morum Magister est, & explorator Rerump. Vnde suum Episcopus nomen habet.

Episcopus sua nomenclatura inspector.

Esdr. lib. 2. c. 11. n. 22.

Magistratus Græcu, Latinisque Episcopus.

2. Sed, vt Pontifex inspiciat, ac prospiciat Rebusp. Parochiam obeat necesse est, vti Sacerdos Domini Magnus. *Circuiuit omnem Israël*, &c. vt emissis in vtramque partem oculis, peruideret, ac prouideret. quod Minos fecisse ter in anno, dictus est. Nam legum tabulas pagatim circumferri iubebat; quibus homines sibi subditos formaret sanctè, firmaret promptè. Ita Plato *in Minoe*. Placuit Iosaphato consilium regni administrandi 2. *Paralip. cap. 17. n. 7.* Ac proinde manum mouet aulicam, simul cum Senatu Leuitico. Textus est, *Misit de Principibus suis*, &c. n. 8. *& cum eis Leuitas*,&c. n. 9. *& cum eis Sacerdotes, docebántque populũ, habentes librum legis*,&c. Cur Sacerdotes ferant præ manibus tabulas sacrarum legum? Duplex esse potest ratio ex Abulensi, vt Doctores è sacro textu sermonem concinnarent. *Poterat esse ad studendum in eo, quod dicerent*, &c. *q. 18.* Consilio id optimo. Ne quis sine libro, & studio Magister esse velit. Deinde addit Abulensis Deuteronomium à Magistris exportatum, vt vel ab oppidanis transcriberetur, ad memoriã legum perpetuam. Video necessariam hac via Episcopi operam, vt parœciam obeat cum

2.

Lustranda prouincia explicatis legum tabulis.

2. Paral. c. 17. n. 7. 8.

Discat Magister morum è sacro textu, quid doceat.

cum Magistris, tabulísque sacrarum legum; fiet enim inde, vt minor legum subrepat obliuio.

Recognoscenda prouincia, ne qua lateat hæresis.

Quid si Princeps missos esse voluit Sacerdotes, qui regnum obirent vniuersum: *Ad inquirendum scilicet de hæretica prauitate*, &c. sic Abulensis *quæst.* 14. Nam de textu est, auerruncatam à Iosaphato Idololatriam esse, quam ne ciues reuocarent in animum, piè Sacerdotes legationem obiere. Abulensis iterum, *Ad sciendum qui erant isti, & ad confirmandum in fide, discurrebant Sacerdotes*, &c. Ex rerum summa illud colligas, Parochiam Episcopo lustrandam esse, causa gregis inspiciendi, & admonendi, quod Iosaphatus commendabat Sacerdotibus; nec semel id, sed iterum cap. 9. num. 4. *Rursum egressus est ad populum*, &c. quo ex loco non temerè colligas Regem se ipso officium fecisse visitandæ prouinciæ; vt corrigeret, quidquid à vero, & bono abesset.

2. Par. cap. 9. n. 4.

Regis boni est prouidere moribus publicis.

4.

Sensit Helias id sibi onus inesse, vt amantes homines scholæ propheticæ visitaret, cùm præesset. Agebant viri piè, ac sanctè, domo triplici; quod patet ex 4. *Reg. cap. 2. num.* 1. 2. & 4. Morum Præfectus Helias erat. Quid Prophetes suum è terris itum meditatus? Domos perlustrat, Helisæo socio, quod patet ex locis Regum citatis. *Voluit enim videre loca ista, propter discipulorum suorum congregationem*, &c. sic Lyra. Sed quo id consilio, scitè dedit Abulensis quæst. 13. *Ex quo nunc recedebat ab illis, voluit commendare aliqua, quæ facerent*, &c. Obligatum sese ex officio putabat Helias, ad recognoscendos mores discipulorum, cùm Magister è terris abiret, ac ne deesset officio, parœciam lustrabat Episcopus quodammodo. Hanc profectò curam suis, vanisque Diis tribuit Senatus Poëticus, Philone teste ad lib. de somniis: *Est decantatum antiquis fabulis Numen humana specie ciuitates obire, & obseruare, quid in illis contra ius, fásque fiat. Quod vt verum non sit, tamen vulgatum est vtiliter.*

4. Reg. c. 2. n. 1. 2. 4.

Visitanda morum magistro schola est, & admonenda.

Tributa Diis cura vsitandi.

5.

Si quis id à Christo Domino actitatum velit, cùm vrbes, & pagos adiret, causa docendæ, ac videndæ plebeculæ, non erit à vero alienus. Pastor erat, & Pastor Episcopus humani generis: quod patet ex *Ioann. cap. 11. num.* 14. Necesse erat, vt gregem peruideret, cura pastoritia. *& circuibat Iesus totam Galilæam, docens*, &c. Matth. 4. num. 23. *& circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella*, &c. *c. 9. n.* 35. scitè, ac piè à Christo factitatum. Nam si Dæmon circuit, vt oues rapiat, & perdat; quod fatetur aduersarius Iob 1. num. 7. *Circuiui terram*, &c. *Circuitionibus scilicet iniquitatis, speculans transitu subito*, &c. Quod notat Origenes *lib.* 1. opus erat, vt Pastor Dominus circuiret circuitionibus charitatis, aduersarioque occurreret. Sic Chrysologus serm. 170. *Et quia circuierat, vt deriperet, ac deuoraret aduersarius; nunc necessariò circuit, vt te vendicet, & eripiat Christus*, &c. Quare boni pastoris lex, & vis est, obire parœciam vniuersam, vel pagis lustratis, ne qua legum obliuio obrepat in animos hominum: deinde ne quid peccetur quod non inspiciat: ac tandem, ne quid puniat, quod lentè non expendat.

Ioann. c. 11. n. 14.

Matth. c. 4. n. 23. c. 9. n. 35.

Act. c. 1. n. 7.

Lustrat orbem Diabolus, vt peruideat quid quisque peccet.

Lustrat vrbes Christus, vt miseris consulat.

Veloſ. in Iudith.

Ad legem animo asseruandam, faciunt Sermones Episcopales: ad cognitionem scelerum, prælucent oculi ex nomenclatura Episcopia: ad formulam iuris dicundi, præstat rem manu tentare, & explorare. Nam, de textu Iudicum est cap. 2. num. 1. *Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium*, &c. Puto Angelum in loco Michaelem esse, vtpote qui apud Danielem Princeps est Hebræi populi, *cap. 12. num.* 21. Ac proinde Angelus verè custos adest Galgalis, *vbi erant Idola*, &c. quod patet ex *cap. 3. Iudic. num.* 19. Vnde Hoseas debuccinat aduersùs peccantes homines ad cap. 9. num. 15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgalis*, &c. Sed, cùm vellet custos Angelus à Iudæo lachrymas elicere, improbitate obiectata, (id enim textus habet: *& noluistis audire vocem meam*, &c. *num.* 2.) petit Angelus sedes Idololatriæ, & inde abit ad sedes hominum, vt carpat: sic Rupertus. *Idcirco de Galgalis, vbi erant Idola, Angelus ad eos ascendisse dicitur; vt subintelligas Angelum ad videndas nequitias descendisse*, &c. Verè custos hominum Angelus obit Episcopum: neque enim obiurgat, priusquam sciat certò, & videat, quid quisque peccauit.

Iud. c. 2. n. 1.

Dan. c. 12. n. 21.

Iud. 3. n. 19.

Hos. cap. 9. n. 15.

Vt carpat Idolomaniã Iudex Angelus perscrutatur loca Idolis sacra.

Quòd si parochiam obit, non id præstat, vt numos cogat, sed vt mores corrigat. Dij Magni? quo lucro hominum *visitat Pastor gregem suum*, &c. Timet quisque peccare, si Episcopus in via est, vt veniat, vt videat. Mittit Christus discipulos ex schola ad fidem prorogandam, religionémque promouendam, quod Lucas tradit *cap. 10. num.* 1. Sed quò loci mittit homines? *In omnem locum, quò erat ipse venturus*, &c. Insinuat Historicus dictum discipulis id fuisse: docet Caietanus ita factum. *Ad rectè exequendum iniunctum officium; scientes enim discipuli, quòd subsequeretur Magister, cogebantur omni cura iniuncta exequi*, &c. Non torpet animus, nec languet manus hominum in obsequium, si spes est Dominum maturè adfuturum, si metus est Episcopum citò aduenturum esse, vt morum censuram faciat.

6.

Luc. c. 10. n. 1.

Mores componit metus de morum censura.

7.

Quid hominem adegit, vt subditos sibi homines premeret fuste, & ferro; se foueret cibo, & potu? Sensit Dominum longè abesse, nec aduenturum properè. Parabola est apud *Matth. 24. num.* 49. Nec miror hominem, rapta occasione, *percutere seruos, & ancillas; edere, & bibere*, &c. quod textus obseruat, Luc. 12. num. 45. *Si dixerit seruus ille: Moram facit Dominus meus venire*, &c. Ea enim de absente Domino cogitatio hominem adegit in omnem improbitatem. *Securior factus* (teste Hieronymo) *vacat epulis*, &c. quasi multum sit periculi ab absentia Domini, multum remedij à præsentia. Addo multum solatij hominibus esse, cùm adest bonus Pontifex, & suo populos aspectu recreat; quod Heliachimus rectè probat. Nam *circuiuit omnem Israël*, &c. *& allocutus est eos*, &c. amico scilicet alloquio, vt scias

Matth. c. 24. 49.

Hero absente audit seruus.

PARÆNET. XVI.

Homines à Præfecto comiter habendos esse.

LEgo Præfectum hominibus hominem esse, *vt det illis tritici mensuram*, &c.

1.

Luc. c. 12. num. 42.

Luc. 12. *n.* 42. quæ in loco forma eſt plebeculæ viſitandæ, Caietano Auctore. Neque enim Antiſtes, morúmque Præfectus parochiam obit, vt numos paret, ſed vt præſtet. *Ecce quorſum* (inquit) *Superior conſtituitur, non vt accipiat*, &c. Sed germanè de ſolatio locum explices; vrget enim ratio, vt qui præeſt, proſit; benignè homines accipiat, dolorem minuat; quærat, vt alloquatur blandè, conſoletur facilè, triſteſque à communi grege morſus auertat. Exemplum huiuſce diſciplinæ Aaron eſt. Excuſſa lapillis nomina Gentes Iſraëliticæ humeris geſtabat Pontifex. quod Moyſes tradit Exod. cap. 28. n. 12. *Portabit Aaron nomina eorum coram Domino ſuper vtrumque humerum*, &c. Cur in humeris onus dulce nominum? An ne, vt Aarone ſuccollante, ſedeant molliùs preſſi malis homines? Credit Arnoldus ad tract. de ſeptem verbis. *Eorum enim onera ipſum lege officij ſui ferre neceſſe eſt*, &c. Vrgetur homo grauitate ſcelorum ad ima barathri? Supponat humeros bonus Pontifex, vt hominem erigat, mollique ſermone reficiat oppreſſum malè. Fugam rapit auerſus à vero, & laſſatus erratis homo? Hominem quærat Paſtor, humeriſque ſubiectis reuocet in viam rectè viuendi: quod, oue parta, Chriſtus docet apud Lucam 15. *n.* 5. vbi Paſtor ouem *imponit in humeros ſuos, gaudens*, &c. Et quidem neceſſe erat, vt ſic ageret Paſtor optimus, ouémque reportaret humeris. *Multum enim errando laborauerat*, &c. ex Tertulliani ſchola *ad lib. de Pœnit. cap.* 8. Tanta Deo optimo cura eſt de labore leuando fatigatæ ouiculæ, ſed bonus omnino Paſtor eſt.

Parochiam obeat Pontifex, vt numos diuidat, non vt colligat.

Exod. c. 28. num. 12.

Leuat grauatos homines bonus Pontifex.

Luc. c. 15. n. 5.

Labores mulcet gentis miſeræ Paſtor bonus.

2. Accedit reus ſcelerum vultu in terram depreſſo: reum Pontifex molli recipiat aditu, animóque inſerat facili: quod vt moneret Aaron, inſcripta lapillis nomina Gentis Iudaicæ ad pectus, Exod. loco citato. n. 29. *portabitque Aaron nomina in rationali Iudicij ſuper pectus ſuum*, &c. Habilis ſcilicet admittendis hominibus locus ille eſt, qui à cordis ſinu minus abeſt. *Neque enim aliud, quàm animarum zelus, pectus illud occupare debet*, &c. Hæc Arnoldus cit. Nihil Pontifex de auro parando, nihil de honore augendo, nihil de cibo concinnando curet: quidquid hæret animo, de communi ſalute hominũ ſit. Hoc affectu aduersùs homines ſibi ſubditos bonus eſt Paſtor: quod ex Hebræa ſchola probat Hieronymus *Epiſt.* 125. *ad Damaſ. quæſt.* 2. Nam רעים *Roim* paſtores; רעים *Reim* verò amatores ſunt: à verbo רעה *Rahah* paſco, rego, volo, ac proinde vox eadem parcè detorta amorem inſinuat gregis mulcendi, cùm res id poſcat à vitæ Magiſtro.

Exod. c. 28. n. 29.

Animo foueat homines Præfectus hominum.

Ament Paſtores quem ducunt gregem.

3. Iuuet ille homines dicto, facto, & contendat exonerare potius, quàm onerare. Punitur iure iuſto affinis ſcelerum homo: ſed turpi affectus nota ægrè viuit, reſtim cogitans. Adeat hominem Præfectus morum, ſinúque foueat, & honore reddito, maculam detergat infamiæ. Cùm enim Rubenum pater dictis acerbis egiſſet, ad Gen. 49. n. 4. *Non creſcas*, &c. eóque maledicto doleret tribus reliqua, dolorem Moyſes leuat, bene Rubeno apprecatus. Deut. 33. num. 6. *Viuat Ruben, & non moriatur*, &c. Cur bene Moyſes dicit, quem malè pater dixerat? Emendare fortunam Moyſes voluit, & Rubenum malè mulctatum à triſti morſu, turpíque nota vendicare præfectus morum optimus, ne abundantiori triſtitia abſorberetur: quod vetat Apoſtolus 2. *ad Cor. cap.* 2. *n.* 7. Vnde Theodoretus addit, *q.* 44. *in Deut.* de Moyſe agens, *ſoluit paternam maledictionem, opponens fraternum amorem ſceleri in patrem admiſſo*, &c. Quò enim Rubenus præceps non rueret, ſi turpi ſemper in fama eſſet? Neceſſe igitur erat, vt quem pater deiecerat, Moyſes erigeret, benedictione impertita. quod probat Oleaſtrius. *Munus enim boni paſtoris eſt, conſolari puſillanimes; & quos ſuperior corripit, debet Vicarius demulcere*, &c. Scitè ad morum Magiſtrum Oleaſtrius, ne correptus grauiter homo, ſuo preſſus malo deficiat. Politica eſt de Chriſti ſchola. Puellam acerbè Paſtor corriperat Cant. 1. n. 7. *Si ignoras te, egredere, & abi*, &c. Quæ vox? Quis labor? Quæ acerbitas? Quis dolor? Abire à Deo, à Dei ſinu longè trudi? Abit Paſtor; ſed adſunt familiares, multíſque nominibus puellam mulcent, promiſſis onerant, n. 10. *Murænulas aureas faciemus tibi*, &c. Neceſſum omnino erat, vt virgo dictis acerbis fracta langueret, animúmque malè deſponderet; quare dolorem paſtores mitigant: quod Bernardus ſenſit ſerm. 42. *Etſi pauidior*, (inquit) *vt aſſolet, deiectiórque anima facta eſſet, ſodalium eam conſolationis erigerent*, &c. Tantum Præfectis morum ſtudium eſt de anima lenienda, ſi correpta à Præfecto alio dolet grauiter.

1. ad Cor. c. 2. n. 7.

Fratrem malè deiectum ſolatur bonus frater.

Punitum à Præfecto fratrem alloquatur frater.

Cant. 1. n. 7. 10.

Dolorem mitigant familiares allocutiones.

4. Sic Heliachimus Pontifex Hebræum recreat, quem à Deo mulctatum eſſe dolet. *Et allocutus eſt eos*, &c. Nec alium admittit, alium reiicit hominem à bono ſolatio; ſed communi aduersùs omnes homines affectu eſt. *Et circuiuit omnem Iſraël*, &c. Non placet hac parte Petrus. Agit quidem Apoſtolus Epiſcopum, cùm de Ioanne curat apud Magiſtrum. *Domine, hic autem quid?* &c. *Ioan.* 21. *n.* 25. Magiſter enim Dominus Petrum admonens de Cruce ferenda, n. 29. vrget; *Sequere me*, &c. Tactus amici amore Petrus, Ioãnem à labore, ac dolore abeſſe longè voluit. Sed quo id nomine? Præfectus reliquis, Petrus; quod patet ex n. 15. vbi Chriſtus, *Paſce* (inquit) *agnos meos*, &c. Curam adhibet patientiam de ouicula recreanda: idque aduertit Chryſoſtomus Hom. 87. *Commiſſa ſibi fratrum cura, non modò vicem alteri ſuam non mandat, ſed & ipſe Magiſtrum interrogat*, &c. Placet ne Petri cura? minus placet; vtpote qui de amico priuatim agit.

Ioan. c. 21. n. 15 29.

Curat bonus Paſtor de grege ſublatum.

5. Potior Chriſto Domino cura eſt de grege vniuerſo. Pacem enim impertit ſuam priuatim, & publicè. Videt Magiſtrum Magdalene *Ioan.* 20. *n.* 18. ſepulchro hærens, ac mœrens. Vident & mulieres aliæ, quibus Magiſter, *Auete* (inquit,) &c. *Matth.* 28. *n.* 9. Videt Magiſtrum Petrus, quod iactant reliqui: apud *Luc.* 24. *num.* 34. *& apparuit Simoni*, &c. Vident & alij menſa Emmaunte, vbi panem fregit Dominus, *num.* 31. priuatæ omnino allocutiones erant. Proindéque oportebat, vt ſuam aliis pacem, & ſalutem

Ioan. cap. 20. num. 18.

Matth. c. 28. num. 9. Luc. 24. num. 34.

Præfectus omnibus æqua trutina.

Iutem diceret Magister optimus, ne qua suboriretur inuidentia de priuatis allocutionibus. Gregem igitur adit vniuersum formula solenni pacis communicandæ. Ioan. cap. 20. num. 26. *& dixit: Pax vobis*, &c. Bene de Christo Iustinianus. *Propterea, ne tollendæ pacis materiam Diabolus inueniret, quemadmodum & prioribus, ita & reliquis voluit apparere*, &c. *ad lib. de Christi agon. cap.* 26. Docet facto Magister communicandam esse consolationem disciplinis vniuersis; nec præfectum hominibus Magistrum esse, vt alios admittat homines, reiiciat alios.

Io. 20. n. 26.

6.

Instructus hac de re Pontifex est *Exod.* 28. *num.* 2. vbi vestem capit, vt Deo preces edat. Nam sacris in adytis Aaron Deo intimus, vestitu, quo ad aram ornatur, cælum, ac terram miscet amicè. quod tradit Sapiens Sapient. cap. 18. n. 24. *In veste enim poderis, totus erat orbis terrarum*, &c. Expendunt id Iosephus *lib. 3. Antiquit. cap.* 8. *n.* 11. Philo *ad lib. 3. de Moyse, ad lib. 2. de Monarch.* Hieronym. *epist.* 128. *ad Fabiolam.* Clemens Alex. *lib. 5. Stromat. cap. 3.* Arnold. *ad tract. de septem verbis.* Nam cœlum hyacintho, mare purpura, ignem cocco, terram byssо notari volunt: deinde vestem integram collocari sub Tetragrammato: *Quod est sanctum Domino*, &c. *n.* 36. scilicet, *Nomen, quod inscriptum est in lamina, dignum fuit habitum, quòd esset super omnẽ principatum, & potestatem*, &c. Ita Clemens Alex. *loco citato.* Nunc ad litem. Hac veste Pontifex, (quæ rerum naturam signat vniuersam) adit aram Deo, sacram, & preces inibi mittit humiles. *Vestietur ea Aaron, quando ingredietur & egredietur Sanctuariũ*, &c. *Exod. loco citato n.* 35. Cur id, bene Philo docet ad lib. 2. de Monarch. *Iudæus Pontifex, non solùm pro humano genere, verùm etiam pro naturæ partibus precatur, & gratias agit*, &c. Rectè monet Philo, ne Pontifex priuatim agat pro amico, sed publicè pro cœtu vniuerso; homines consoletur, affectu communi ad quoscumque terrarum angulos. Sed mihi abundè est, si Pontifex pro suo, ac communi agat populo apud Deum. quod Heliachimus fecit, cùm viam rapuit. *Et circuiuit omnem Israel*, &c.

Exod. c. 28. n. 2.

Sapient. 18. n. 24. 36.

Summo in pretio Dei nomen.

Damnatur in Præfecto priuatus affectus.

Num. 12. Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, & orationibus in conspectu Domini.

Commentarius.

34. QVærit in loco Serarius, asseruerit ne id Pontifex luce diuina, an mente humana? sed nihil statuit: scienter admodum. nam res sub dubio adhuc est. Potuit quidem Pontifex piè coniectare, non certò scire, quid bonus Deus, precibus susceptis hominum, esset facturus. Neque enim res, quæ postulatur, ita facit ad salutem animæ, vt necessariò sit impetranda, ex Christi monitis, ad Iohan. 15. n. 7. *Quæcumque volueritis, petetis, & fiet vobis*, &c. Dicas: sed loquendi forma nihil ambigens, imò constans admodum euincit probabiliter oraculum fuisse, quod edicit Pontifex. Id ego pernego. Nemo enim Iudam pari loquendi modo Vatem agnoscit; & si vox prædictionem sonet propheticam rerum prosperrimarum 1. lib. Machab. cap. 3. n. 21. *Ipse Dominus conteret eos, ante faciem vestram*, &c. Quid si Propheres, vsu prophetandi tritus, dicat aliquando, quod propheticum non est, licèt dicendi forma sit prophetica? Videre id in Nathano est.

Impetratur à Deo quidquid ad salutem sufficit intimam.

Io. c. 15. n. 7.

1. Mach. c. 3. n. 21.

35.

Suum de templo exædificando animum Nathano Dauid aperit 2. *Reg.* 7. *num.* 2. Tunc Nathanus: *Vade, fac; quia Dominus tecum est*, &c. Sed vox ad Regem à Deo missa, num. 5. *Nunquid ædificabis mihi domum?* &c. probat liquidò Nathanum, modo loquendi prophetico, propheticè locutum non fuisse. *Credebat enim Deo placere, quod domus à Rege ædificaretur*, &c. sic Lyra: & quod piè credit, certò enuntiat. *Propterea* (Caietano teste) *non est mirum, quòd errauerit*, &c. Quis igitur neget Vates aliquando locutos voce, non mente prophetica? Video, quod videt Magnus Gregor. Hom. 1. in Ezech. *Sciendum quòd aliquando Prophetæ, dum consuluntur, ex magno vsu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt, & se hæc ex prophetico spiritu dicere suspicantur*, &c. Vnde Heliachimus in loco Prophetes non est, licèt à Propheta dictum putes, *scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras*, &c.

2. Reg. c. 7. n. 2. 5.

Irata Deo pietas hominum.

Non semper loquuntur Deo duce, qui loqui videntur.

Sed statuo probabiliter Heliachimum propheticè locutum esse, & luce prophetica enuntiasse. *Exaudiet Dominus preces vestras*, &c. Probat id viri dignitas, morum grauitas, & vox in prædicendo constans. Est enim Heliachimus verè Pontifex, ac proinde Prophetes: nam de Caipha Ioannes, *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit*, &c. *ad cap.* 11. *num.* 51. quasi officium prophetandi summo cum Pontificatu coniunctum sit. Quid negent alij, scio; Caipham scilicet Prophetam esse, vtpote qui nesciret, quid Deus vellet. Sed Prophetis non semper nota erant, quæ dicebant. Probat id Cornel. *in proœmio ad Prophetas.* Augustin. *de Ciuitate ad lib. 7. cap.* 33. Ambros. *lib. 1. de Abrah. cap.* 8. Cyr. *in Iohan. lib.* 8. *cap.* 3. Nec D. Thomas id negat omnino 2. 2. *q.* 173. *art.* 4. licèt addiderit, *Cùm mouetur quis, sed non cognoscit; non est perfecta prophetia, sed quidam instinctus propheticus*, &c. Est igitur Heliachimus, vti Pontifex, ita & Phrophetes ex officio. quod deinde probat Isaias *cap.* 22. *num.* 22. vbi Dominus, *Dabo* (inquit) *clauem domus Dauid super humerum eius*, &c. notiones scilicet mentis propheticæ: quas & Rupertus agnoscit in comminationibus aduersùs Angelum Philadelphicum Apoc. 3. n. 7. *Hæc dicit, qui habet clauem Dauid*, &c. *Qui habet clauem omnium Prophetarum*, &c. sic Rupertus. *lib.* 2.

Io. c. 11. n. 51.

Prophetis non semper nota, quæ dicerent.

Isa. cap. 22. n. 22.

Nec hominem vitæ integrum constanter adeò locutum fuisse puto, nisi afflatu prophetico ageretur, maximè in tanto rerum motu. Inde enim probant viri magni Ionatham à Deo excitatum, vt assereret 1. Reg. cap. 14. num. 10. *Si dixerint: Ascendite ad nos, ascendamus; quia tradidit eos Dominus*, &c. Captare certum omen, imò oraculum victoriæ ex responsis hominum, peccatum esset. id verò interuenisse in Ionathæ facto, negant interpretes, Lyran. Abulens. *q.* 2. Salian.

37.

Loquitur Ionathas afflatu prophetico.

1. Reg. c. 14. n. 10.

tom.3. Anno Saulis 3. num. 51. Addo Tirinum, & Suarium *lib.2. de superstit. cap.10.* Qui tuentur Ionatham, bene adstruunt hasce voces: *Ascendamus, quia tradidit eos Dominus*, &c. voces esse ab spe in Deum concepta. sic Theodoretus in 1.Reg.q.31. *Hæc enim verba sunt animæ, quæ in Deo confidit*, &c. Nec Procopius aliter. Vnde Vatablus addit, *Hoc dixit spiritu prophetico*, &c. Deinde asserunt interpretes constantem Ionathæ assertionem ex Dei afflatu esse : tandem euentum rerum subsecutum ex voto, fidem oraculi fuisse. quod Suarius *cit.* & D.Thom. *22.q.5. art.7.* scienter eliciunt ex Eliezero seruo Abrahæ, *ad Gen. 24. n. 14.* vbi signum capt at vxoris deligendæ ex puellari voce, & constanter dicit, *Ipsa est, quam præparasti seruo tuo*, &c. Nec asserit temerè, qui à Deo poscit opem, vt rem certò sciat; & hæc Eliezero mens erat, cùm precaretur n.12. *Domine Deus, occurre, obsecro*, &c. Itaque, si oratio præmissa, cum partibus cæteris, Ionatham, ac Eliezerum certò prædixisse probat, vti volunt interpretes, Patres, ac Theologi, nihil addubito suggestum à Deo, vt Pontifex diceret: *scito te, quoniam exaudiet Dominus preces vestras*, &c. quippe qui suas cum alienis precibus coniunxisse visus est.

Spes Deo nixa obtinet.

Gen. cap. 24. n. 14.

38. Tanta precibus assiduis vis est, quod addit Pontifex, *si manentes permanseritis in conspectu Domini*, &c. Formula hæc dicendi inducit constans in precando studium. sic repetunt, qui magnum quocumque in officio studium signare volũt. De magno dolo Ieremias, *Omnis frater supplantans supplantabit*, &c. Ierem. *cap.9. n.4.* Isaias. *Præuaricantes præuaricati sunt*, &c. *cap.24. num.16.* De certa rerum scientia, Deus ad Abramum, *scito præscens*, &c. *Gen. 15. num. 13.* Hebræo textu ידע תדע *Iadagh Thedagh, sciens scies*, & Hebraismus est vsitatissimus, quo res abundè exprimitur. De iure agri firmo Petrus ad Ananiam. *Act. c. 5. n. 4. Nónne manens tibi manebat ?* &c. *Act. cap. 5. num. 4.* Hebraismum inibi Lorinus commendat Græcis, Latinisque locis bene excussis : non aggero. Prior tamen Euthymius rem inuenit *Ps. 39.* num. 1. vbi Dauid fatetur, *Expectans expectaui Dominum*, &c. Quare Pontifex, vt suo Hebraismo preces continuò editas significaret, scitè dixit, *si manentes permanseritis*, &c. Nec semel Pontifex vrget homines ad perseuerandum in incepto : sed iterum monet num. 14. *si perseueraueritis in hac ope*, &c. Ac tandem *num. 15.* laudat pios hoc motu affectus hominum : qui quidem hortante Heliachimo, *permanebant in conspectu Domini*, &c. vt eruas ex hisce locis

Vox iterata signat constantiam agendi.

Ierem. cap. 9. n. 4.

cap. 24. n. 16.

Gen. cap. 15. n. 13.

Ps. 39. n. 1.

Perstandum latè in precibus.

PARÆNET. XVII.

Perseuerandum in rectè agendo esse.

1. VArium, & mutabile semper homo quisque est; statuit ille, quod placet, & flatu leui abrogat placita. Insinuat id Epigraphe ad Ps. 44. *Pro iis, qui immutabuntur*, &c. de Angelo sermo est ? nego : an de hominibus textus est ? assentior. Cur Dauid non exprimit homines ? satis exprimit, cùm agit de iis, qui immutantur. Hæc hominum fortuna, hæc & natura est, teste Basilio. *Nos enim alternationibus, & mutationibus sumus obnoxij*, &c. Quis non videt Petrum modò beatum, modò satanam à Magistro appellatum esse? apud *Matth. cap. 16. n. 17.* Textus est, *Beatus es Simon Bar-Iona*, &c. sed beatus iste, cùm Magistrum auocat à cruce ferenda, audit n. 23. *Vade post me satana*, &c. Ita ne Petrus est,

Leues in placitis homines.

Matth. c. 16. n. 17. 23.

Iam subitò coruus, qui modò cygnus erat ? &c. Tam citò Dæmon, qui proximè erat Angelus? sed mutari facilè solent homines. quod Bernardus obseruat ad serm.5. de Eccles. dedicat. *Vnus ergo vtrumque*, &c. Beatus scilicet, & Satanas. Bernardus iterum. *Sic in moribus, sic in affectibus, sic in studiis hominum nõ minor fortè & maior contrarietas inuenitur; inde homo, nunc quidem Bar-Iona, nunc satana meretur audire*, &c.

Facilè mutantur homines.

Quare, si quid rectè incipis, maturè perficias; nec ab incepto desistas, necesse est. Monet id Seneca, & monet seriò, de vita Beata c.8. *Maneant semel placita, nec vlla in decretis litura sit*, &c. Nihil Moyses docet aliud, cùm inscripta lapillis Patrum nomina gestaret Hebræus Pontifex, Exod. 28. num. 21. textus est, ac Deiscitum. *Duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum*, &c. Hisce lapillis Patrum mores, velut tabulis exscriptos, agnoscit Arnoldus. *Quos nulla tribulatio, vel aduersitas, cùm insculpti semel fuerint, eradere poterit, vel delere*, &c. *ad tractat. de septem verbis.* Quod saxo exaratum est, durat perpetuò. Non secus homines, qui perdurant in agendo, homines è saxo dolatos verè dicas. Puto id à Philone acceptum, qui notat veritatem palliolo quadrangulo, vtpote firmitatis figuratæ, insculptam fuisse, ad ornamentum Pontificium. *Exod. loco citato num. 30.* Iubet id Moyses, *Pulchrè subindicans oportere rationem, tum naturæ, tum hominis inconcussam esse, ac solidam*, &c. *ad lib. 3. de Moyse.* Quare laborandum omnino est, vt suo virtus statu vigeat.

2.

Nulla est litura in placitis viri boni.

Exod. c. 28. n. 21. 30.

Si quis enim rem semel aggreditur, & languet, nec vltrà pergit, vt adducat ad vmbilicum, nihil omnino egisse videtur Magistro Domino. Queritur meus Iesus, apud Ioann. cap. 16. num. 5. *Nemo ex vobis interrogat me: Quò vadis?* &c. si tamen textum repetas *cap.13. num. 36.* Petrus inibi. *Domine, quò vadis ?* &c. Sed & Thomas *cap. 14. num. 5.* de via ad cælum rectà quærit. *Domine, nescimus quò vadis*, &c. si discipuli de via Magistrum consulunt, quo pacto verum est hosce discipulos non interrogasse ? Quod Euthymius putat, illud est, Apostolos semel, non iterum interrogasse; ac proinde nihil omnino rogasse. *Oportuit eos iterum rogasse*, &c. Hæc Euthymius; ac si vellet, vt rectè quid effecisse videar, semel, iterum, ac persæpe faciam, necesse est. Hac via abiisse Magdalene visa est. Pergit mulier ad Magistri sepulchrum, manè summo: accedit piè, oculos emittit, vt inspiciat, quid intus lateat. Sed cùm Magistrum non videat, mora nulla, ad Petrum mulier, Ioan. 20. n. 2. *Tulerunt Dominum meum de monumento*, &c. Redit ad sepulchrum iterum mulier; dolet, & queritur n. 11. *Dum ergo fleret, inclinauit*

3.

Constat in rectè agendo bonus Pontifex.

Io. c. 16. n. 5. cap. 13 n. 36. cap. 14. n. 5.

Rogasse negatur qui non perstat in rogatu

Io. cap. 20. n. 2. 11.

inclinauit se, & prosp exit in monumentum, &c. Iam semel, & iterum sepulchrum ingressa viderat: quod Augustinus obseruat, in Meditat. cap. 36. *Sed nimium amanti satis non erat; virtus enim boni operis perseuerantia est*, &c. Docet mulier pretium operæ id esse, cùm perstat quis in agendo, nec difficultate rerum victus mutat animum.

Satis sibi non facit amans in agendo.

4. *Sit sermo vester, est, est, non, non*, &c. quod apud Matth. *cap. 5. num.* 37. Christus docet; & iurandi formam præscribit. Sed Bernardus textum vertit aliò, ac de perseuerantia agendi monet, epist. 108. ad Thom. Scholastic. *Non inueniatur apud vos, est, & non; vt sitis filij Patris vestri, apud quem non est transmutatio*, &c. Acutè Bernardus ex loco eruit, mentem bene firmandam esse, ne quod modò ais, modò neges, & quod negas pertinax, admittas facilè; id enim à Deo, & à viro Dei alumno alienum est. Si quis Deum referre velit, constans in agendo, aget rectè, virtutis amore. Nosti, cur Sacerdotes, ac Iudices audierint? Psal. 81. num. 6. *Ego dixi: Dij estis*, &c. Fortasse, vt constanter agant, quod semel statuunt. Disco id à Nazianzeno ad Orat. 28. *Qui bonum propter se colit, & amplectitur; constantem animi alacritatem habet: adeò vt diuinum aliquid sentiens, his Dei verbis vti possit.* Malach. 3. num. 6. *Ego sum Dominus, & non mutor*, &c. Hæc Theologus: quasi vellet hominem consilij tenacem Deo parem esse. Lego Moysen altè Deum à Deo nuncupatum fuisse, Exod. 7. num. 1. *Constitui te Deum Pharaonis*, &c. Vnde nata fuerit nuncupatio, inuenit Ambrosius ad lib. 1. de Caino cap. 2. *Dei nomine vocatus est, ad cuius similitudinem se perpetuæ virtutis vbertate formauerat*, &c. Illudque insinuat Ambrosius, Moysen, annis plurimis pastorem, Deo se piè consecrasse, constanter adeò, vt Deum videre meruisset in vastis Horebi locis; quod Stephanus obseruasse visus est Act. cap. 7. num. 30. *Expletis annis quadraginta, apparuit illi Angelus*, &c. Homo igitur octogenarius, sed virtutis amans, Deus est, tenax recti custos. Id maiestatis ieiunio, ac precibus inesse voluit Heliachimus, cùm vrgeret homines, vt perstarent in ieiunando, & precando. *Si manentes permanseritis*, &c. Quid moneret? si à meo Christo illud acciperet. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, &c. *Matth. cap. 10. num.* 22. Sciebat tamen animum, vti agrum, opera assidua colendum esse. *Nihil enim* (teste Seneca) *ad fructum peruenit, quod à primo, vsque ad extremum, æqualis cultura non prosequitur*, &c. *ad 2. de Benef. cap.* 10.

Matth. c. 5. n. 37.

Nemo bonus bona animi consulta delet.

Psal. 81. n. 6.

Deus est, qui in rectè agendo constans est.

Malach. c. 3. n. 6.

●

Ex. c. 7. n. 1. *Deo Moysen ob agendi constantiam Deus.*

Act cap. 7. n. 30.

Matth. c. 10. n. 22.

Perseuerando peruenitur ad morum sanctitatem.

Num. 13. & 14. Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, &c. non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit: sic erunt vniuersi hostes Israel, &c.

Commentarius.

39. EXemplo domestico Iudæum excitat Heliachimus in spem auxilij, monétque, meminerint Amalecum præfidentem armis, opibus, militibus, fusum, ac fugatum esse, pugnante Iosue, & Moyse orante. Nota Iudæo erat historia, cùm Deus iussisset, Exod. c. 17. num. 14. *Scribe hoc, ob monumentum in libro*, &c. scilicet, vt literis mandaretur tam pugna cum Amaleco inita, quàm auxilium à Deo additum, ad memoriam sempiternam. De textu est, quid Deus vellet hac commemoratione rerum. Addit enim Dominus exercituum, *Delebo memoriam Amalec sub cælo*, &c. quæ & in Deuteronomio sententia est, ad cap. 25. n. 17. *Delebis nomen eius sub cælo, caue, ne obliuiscaris*, &c. Itaque totus est Deus in Amaleco perdendo, ac dolore puniendo. Id tamen, vt exequatur memor iniuriæ, libello reponit memoriali. Tanta iniuriæ vlciscendæ obliuio Deo est, quod notat Oleastrius, *vt libro, & scriptura sit opus ad memorandum*, &c. Facilius memoriam scelerum Deus, quàm sceleratum delet hominem, tardus ad vindictam. An libellus iste, etsi memorialis, probat hasce moras puniendi? assentitur Oleastrius, *vt nobis ostendat, quàm inuitus punit, & quàm lento gradu*, &c.

Exod. c. 17.

Deut. c. 25. n. 17.

Multa Deo obliuio est de iniuria vlciscenda.

Ingrata Deo est cessatio puniendi.

40. Sed, quod Heliachimo placet, illud est, mandatam literis victoriam de Amaleco partam, vt Iudæus sciret certò, quòd in Deo præsidium haberet, si ieiunaret, si precaretur, si perstaret in studio rerum sacrarum. Alit spem rerum prosperrimarum fortuna domestica. *Familiariter enim domestica aspicimus*, &c. teste Seneca *ad lib. de Tranquillit. cap.* 1. & à bono domestico discimus, quæ spem nostram maximè foueant. Vrget hac via militem ad pugnandum strenuè Machabæus lib. 1. cap. 4. num. 9. *Mementote, qualiter salui facti sunt Patres nostri in mari rubro, cùm persequeretur eos Pharao exercitu multo*, &c. Itaque auxilium à Deo quærendum esse monet Iudas, & exemplo domestico rem conficit, quo argumento Paulus Christianam obarmat aciem, vt vel cum feris pugnam ineant, causa fidei. Postquam enim viros vita integros, fide sanos & manu strenuos laudat quamplurimos, c. 11. ad Hebr. num. 32. *Qui per fidem vicerunt regna*, &c. ac tandem amantes Iustitiæ, *effugerunt aciem gladij*, &c. addit continuò, ad cap. 12. num. 1. *Ideoque & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen*, &c. Quasi vellet Apostolus vrgeri homines facilè, & accendi ad virtutis amores, exemplo sanctitatis, siue alienæ, siue domesticæ: imò leuari, ac mitigari labores qualescumque hominum. Vnde Clemens Alex. Pauli nubem, morum examen appellat, in 4. strom. cap. 6. *Adducit tibi examen diuinorum exemplorum*, &c. hac via pungit Apostolus torpentes homines; addita scilicet exemplorum vetustate, *vt eos arguat, & admoneat*, &c. Quo enim modo apes feriunt stimulis, quos vrgent homines; sic & vires sanctitatis alienæ cogunt validè ad viuendum piè, ac sanctè. Quòd si nubem velis esse vitam hominum sanctissimorum, respexit Apostolus nubem Mosaicam, vt quæ die vmbram, noctu lucem ostentabat, ad iter agendum, *Exod.* 13. *num.* 22. In locis igitur vastis facem præfert Apostolus, virtute laudata virorum sanctissimorum.

Opem Iudæo collatam Deus explicat vt spem faciat impetrandi.

1. Mach. c. 4. n. 9.

Ad Hebr. c. 11. n. 32.

cap. 12. n. 1.

Accenduntur homines ad virtutem exemplo virtutis.

Exod. cap. 13. n. 21. *Quod Hebræo nubes, hoc Christiano gens sancta.*

morum. *Cùm habeamus sanctam, & pellucidam nubem testium*, &c. Ita Clemens *citatus*. Nec mente alia Heliachimus Iudæum monet, vt meminerit, quid Moyses potuerit, Deo exorato; quod nam sibi auxilium homines parauerint, precibus ad Deum infimis: ac tandem argumentum vrget num. 14. *Sic erunt vniuersi hostes Israel*, &c. Illúdque Pontifex insinuat,

PARÆNET. XVIII.

Iuuari homines exemplo virtutis alienæ.

1. VT viuas piè, vt ores sanctè, & constanter vtrumque agas; vrget virtus aliena: & facit ad argumentum apparatus lucernarum de Christi schola. *& lucernæ ardentes in manibus vestris*, &c. *Luc. cap. 12. num. 35.* Nam, qui facem præfert, & sibi, & aliis viam munit, teste Chrysologo, *& opus bonum, dum facto in vno lucet, cunctos illustrat exemplo*, &c. *serm. 22.* Pensitant homines, periculo facto virtutis alienæ quid possunt, quid debent: tanta ab exemplo bono lux est. Prælucere aliis voluere, qui titulos piè erectos suo adornarunt elogio. Excitatus à Iacobo titulus, Gen. 31. num. 48. *Aceruus scilicet testimonij*, &c. quo suam de pacto inito fidem laudat. Lapides à Iordane extrahendos curat Iosue, reponítque loco edito, ad cap. 4. num. 6. *vt sit* (inquit) *signum inter vos*, &c. qua in Deum fide Iordanem transmeastis. Alius à Samuele erectus est lapis, 1. Reg. cap. 7. num. 12. *Lapis adiutorij*, &c. argumentum ingens ad gratias Deo agendas. Mitto reliquos à viris sanctis erectos piè titulos, qui monent homines, vt rectè agant. Vnde quæritur Vrbanus Pontifex lapidem se vitæ agendæ inutilem esse, in Metaphr. ad Psalm. 50. *Cùm deberem esse, quasi lapis in aceruo testimonij, positus iuxta viam, vt eam viatoribus per exemplum demonstrarem, non remansit in me lapis boni exempli*, &c. Modestè se habet Pontifex; ostendit tamen excitatos à viris sanctis titulos esse, vt exemplo virtutis alienæ mores excoleret, quisquis legeret.

Luc. cap. 12. num. 35.

Lucerna est aliis vita sanctè acta.

Gen. cap. 31. n. 48.

Iosue cap. 4. n. 6.

1. Reg. cap. 7. n. 12.

Qui sanctè viuit, titulum erigit ad rectè viuendum.

2. Hosce titulos rectè dixeris scripturas esse, tacentes quidem, sed monentes quodammodo, quid quisque præstare teneatur: quo aspectu erecta est statua, & picta est tabula virtutis alienæ. Ad Gades cùm venisset Dictator Cæsar, animaduersa, apud Herculis templum, Magni Alexandri imagine, ingemuit, ad Suet. *cap. 7.* Sensit inibi Cæsar accendi sibi animum vehementer, ad amorem virtutis bellicæ. Quid inde? addit Suetonius. *Missionem continuò efflagitauit ad captandas quamprimum maiorum rerum occasiones*, &c. Inde probatur vsus imaginum sacrarum: & occasio Paulino sumpta est, vt amicè luderet cum Seuero; quippe qui Paulinum cum Martino pingendum curauerat, & sacro loco exposuerat: addit Paulinus id à Seuero factum esse, *vt beatis pateret exemplum, & miseris; in illo speculum fortitudo, in me solatium haberet ignauia*, &c. *Epist. 12.* Hæc vna Deo ratio erat, vt historiam de Abele scribendam minutè curaret, *Genes. 4.* Lego inibi, quo affectu Abel suam Deo hostiam mactauerit. *De primogenitis gregis sui*, &c. n. 4. *Obserua* (monet Chrysostomus) *quomodo nobis pientissima illius mens significatur*, &c. *Hom. 18.* Video munusculum Deo bene acceptum esse. *& respexit Dominus ad Abel*, &c. Id enim est, approbauit, emissis benignè in aram oculis: quod expendit Chrysostomus *loco citato*, & Magnus Gregor. *lib. 22. Moral. cap. 12.* vbi notat acceptum Deo Abelem, priusquam munusculum, fuisse; quod è textu est. *ex dantis enim corde, id, quod datur, accipitur*, &c. Scio Abelem à Caino cæsum improbè tacuisse, vtpote qui nec vocem ederet, cùm malè premeretur, sed vna tantùm cædes pro querimonia esset, num. 10. *Vox sanguinis clamat ad me de terra*, &c. Hæc ad Cainum Deus; & inde Ambrosius, *Hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, ne videatur parricida*, &c. *ad lib. 2. de Caino cap. 9.* Vides explicatas religiosè dotes, ac virtutes hominis sanctissimi? Vide quid Basilius Seleucien. Orat. 14. *Quem* (inquit) *primum natura iustum genuit, silentio non pressit; sed res Abelis prædicauit, quendam iustitiæ characterem posteritati delineans*, &c. Vis hæc sacris est literis, vt quos virtutis alienæ mores exprimunt, aliis imprimant hominibus. Ostendunt enim, quid quisque debet amare, quid lugere.

Magna ad virtutem fax est imago virtutis alienæ.

Gen. c. 4. n. 4.

Factis probatur mens quæque bona.

Affectu adornatur munusculum.

Fratrem frater etsi lapsus non accusat.

Virtutem acuit virtus aliena.

3. Et verò, si vis me flere, dolendum est tibi. Dolet Orator commotus animo; doleant auditores, necesse est. Plorat Ieremias copiosè fortunam aduersam Hebræi populi: *Quo modo sedet sola ciuitas?* &c. *Thren. 1. cap. 1.* Quid Ierosolyma vniuersa? deuorat ne suam animo ægrimoniam, oculis pumiceis? Vide quid Vates apponat de Ierosolyma num. 2. *Plorans plorauit in nocte*, &c. vbi Paschasius. *Iam non sustinet plorantem Prophetam*, &c. *lib. 1. in Thren.* Ad labores, ac dolores pœnitentiæ trahit vrbem vniuersam Vates piè dolens, habet enim textus num. 11. *Omnis populus eius gemens*, &c. Nec gemeret plebecula, nisi Vates gemitum ederet. Paschasius iterum, *Vide, quid profuerit, quòd Ierusalem Propheta plorauerit*, &c. Nemo igitur negabit fecisse prudenter Heliachimum, cùm Moysen induxit precantem constanter, vt Iudæum vrgeret ad perseuerantiam deprecandi.

Thren. c. 1. n. 1.

Lachrymas eliciunt lachryma alienæ.

4. Quid si Pontifex Iudæum Iudæo voluit fortiùs vrgere? Ea profectò vis est virtutis domesticæ: vnde virgo fortiter vrget virgines ad studium charitatis exercendæ. Quærit virgo Deum, ac Magistrum artis pastoritiæ, idque puellis, etsi rusticellis, exponit, Cant. 5. num. 7. *Quæsiui illum, & non inueni*, &c. Deinde addit, quo flagrat Dei amore, num. 8. *Quia amore langueo*, &c. *& suæ gentis consortes exemplo solicitat*, &c. quod Gilbertus voluit *serm. 45.* Sensit virgo parens iuuari maximè virgines exemplo maternæ charitatis, suum de Christo amando votum aperit: *vt percussa percutiat, vulnerata vulneret, mater filias*: *vnde protinus dicunt*, num. 9. *Qualis est dilectus tuus? quò dilinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum*, &c. sic Rupertus *lib. 5.* An hæc Christo ratio vrgendæ scholæ ad labores deuorandos? *Matth. cap. 5. num. 11.* Inibi Magister. *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint*, &c. sed laborem vt emolliret, *Bene exemplo adhortatus est*, &c. Quod Augustinus obseruat

Cant. cap. 5. n. 7. 8.

Excitat ad sanctitatem fortiter sanctitas domestica.

Matth. c. 5. num. 11.

obſeruat *ad 1. lib. de ſerm. Dom. cap. 5.* Addit enim Magiſter Dom. num. 22. *Sic perſecuti ſunt Prophetas*, &c. Addo ego Chriſtum de choro prophetico meminiſſe, vt exemplo virtutis domeſticæ Apoſtolos excitaret ſtrenuè. Mecum in hanc ſententiam Caietanus abit; mirum enim eſt, quo ſtudio afficitur quiſque ad virtutem gentis domeſticæ, vt rectè agat? Si quis igitur homines bonos æquè, ac malos velit excitare ad ſtudium pietatis, dotes obtrudat auitæ ſanctimoniæ.

Accendunt validè exempla auitæ ſanctitatis.

5. Fecit id Magiſter Deus *Iſaiæ cap. 41. n. 10.* vbi Hebræum metu abſoluit. *Ne timeas, quia ego tecum ſum*, &c. Deinde monet, vt fidem ſeruet. *Ne declines, quia ego Deus tuus*, &c. Inibi enim Patrum mores ſanctos obiicit, n. 8. *& tu Iſrael ſerue meus, ſemen Abraham, amici mei*, &c. ſcilicet, ne ab auita pietate deficiant; quod obſeruat Procopius, *vt Patribus fieri ſimiles, eorumque pietatem imitari ſtudeant*, &c. Sciebat Deus iuuari homines maximè virtute domeſtica; ſed à Cyrillo id exſcripſit Procopius. Nec argumentum Deus vrget aliud, vt hominibus improbis ruborem incutiat, *Iſai. cap. 44.* De textu eſt Hebræum à fide turpiter defeciſſe, idque mali Deus opponit, idolo damnato, num. 20. *Cor inſipiens adorauit illud*, &c. Sed mederi malo conatus, Patres laudat piè ſapientes, num. 21. *Memento horum Iacob, & Iſrael*, &c. Cur hæc in loco Patrum commemoratio? Bene Procopius, *vt ad reſipiſcentiam adducat, grauiter eoſdem perſtringens, Iacobum, & Iſraelem de Patrum appellat nomine*, &c. Et verò, vt ſtimulus filio ingens eſt ad fidem ſanam, & vitam ſanctam auus piè ſanctus; ſic & pudor eſt ingens abeſſe filium à pia auorum generoſitate. Noſti cur *abſcondit Moyſes faciem ſuam*, &c. *Exod. cap. 3. num. 6.* Laudat inibi Dominus Patrum mores ſanctos, ac titulos honorarios, *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*, &c. Id cùm Moyſes audiret, ac reputaret modeſtè, ſe à Patrum affectu pio longè abeſſe, pudore contracto, vultum obtexit: quaſi virtus domeſtica vrgeret hominem vita ſanctum ad progreſſus in ſacra via ſanctiores. Hoſce mores Heliachimus à Iudæo repetit, vbi Moyſen laudat amantem hominem precationis exactæ, & probatæ ſanctitatis.

Is. c. 41. n. 10.

Vrget nepotes auita sãctimonia.

Pudore ſi nepotes ab auita ſanctimonia deficere.

Memores eſtote (*inquit*) Moyſi ſerui Domini, &c.

Commentarius.

41. NOmenclatura, quod patet, eſt nobiliſſima: ſic & Ioſue appellatur, cap. 24. num. 29. *Mortuus eſt Ioſue ſeruus Domini*, &c. ſic de ſe Dauid canit Pſalm. 31. *In finem ſeruo Domini Dauid*, &c. Non aliud à Deo nomen Heliachimus habet, apud Iſaiam cap. 22. num. 20. *Vocabo ſeruum meum Heliacim*, &c. Quid Moyſes de ſe? ad Deut. cap. 39. num. 5. *Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini*, &c. quaſi nihil eſſet aliud, de quo iactare ſe poſſent homines gloriosè. Verè Hieronymus ad Pſ. 15. num. 7. *Grandis dignitatis eſt, & meriti, eſſe ſeruum Domini*, &c. Nouit Nabuchodonoſor blandimentum eſſe Hebræis adoleſcentibus, ſi Dei ſeruos appellaret. *Serui* (inquit) *Dei egredimini, & venite*, &c. *Dan. 3. num. 93.* Qua de re ſcitè Chryſoſtomus Homil. 8. ad Epheſ. cap. 4. *Suauiſſima* (inquit) *voce illos appellauit: & hoc ipſo illos blandiendo veneratus eſt*, &c. Iam verò, ſi de Apoſtolis agam, video Petrum eo ſe nomine adornaſſe, epiſt. 2. cap. 1. num. 1. *Simon Petrus, ſeruus, & Apoſtolus Ieſu Chriſti*, &c. & quaſi maior ſeruo eſſet honor, ſeruum præponit Apoſtolo. Quid Paulus ad Romanos? cap. 1. num. 1. *Paulus* (ait) *ſeruus Ieſu Chriſti*, &c. vt moneret Chryſoſtomus *Hom. cit.* Apoſtolum Romanis Senatoribus ſuam explicaſſe auctoritatem à Chriſti ſeruitute nobili: *Ad magnam vrbem Paulus ſcribens, hoc poſuit, vt quod ad illius dignitatem reſponderet*, &c. Addo Iacobum de ſua ſeruitute meminiſſe, ad auctoritatem literarum Apoſtolicarum, *cap. 1. num. 1.* vbi *Iacobus Dei, & Ieſu Chriſti ſeruus*, &c. *ſufficit enim nobis ad omnem dignitatem, talis, ac tanti Domini ſeruos nos appellari*, &c. quæ Baſilio mens, & vox eſt *Orat. 2. de Principatu.* Quare Magnus Deus, cùm ſermonem dirigeret ad Apoſtolos Iſai. 44. num. 1. *Audi* (inquit) *Iacob, ſerue meus*, &c. ſic Hieronymus ad Iſaiæ cap. 43. num. 12. *Vbi ad chorum Apoſtolorum ſermonem facit, iunguntur & nominum priuilegia: Iacob ſerue meus*, &c.

Grande nomen Dei ſeruus.

Dan. c. 3. n. 93.

Ad Rom. c. 1. c. 1.

Dei ſeruus Romanam ſuperat maieſtatem.

Iacob. c. 1. n. 1.

Illud poſtremò diſquiro, cur homo virtutis amans, Dei ſeruus appellatur? an quia Deum colit vi iuſtitiæ? aſſentior; lex enim hæc ſeruis eſt, vt iuſtè ſe feciſſe credant, cùm ſuum Domino præſtant obſequium. Iuſtus ſacro textu vocatur bonus quiſque. ſic, *Noë vir iuſtus*, &c. *Gen. cap. 6. num. 9.* ſic Deus iubet, Iſai. 3. num. 10. *Dicite iuſto; quoniam bene*, &c. ſic Dauid canit Pſal. 91. num. 13. *Iuſtus vt palma*, &c. & locis aliis. Vt iuſtus dicatur Dei ſeruus, videtur Philo innuiſſe 2. Allegor. *Nemo* (inquit) *ſatis dignè Deum colit, ſed iuſtè tantùm*, &c. Ita vir bonus de ſummo Domino cogitat, vt, cùm maximè laborat, feciſſe ſe putet, quod ius eſt. Doleat intimè, quicumque peccat. Iuſtè id facit. *Sacrificium* (enim) *Deo ſpiritus contribulatus*, &c. *Pſalm. 50. num. 19.* quod Dauid appellat opus iuſtitiæ, num. 22. *Sacrificabis Sacrificium iuſtitiæ*, &c. Ac ſi vellet; quidquid fiat boni operis Deo propitiando, iuſtè fit, ius enim eſt, vt Deum colat dolore intimo Dei ſeruus. *Verè iuſtum eſt, vt de vita veteri in nouam tranſeam vitam*, &c. ſic monet Vrban. Pontifex, *in Metaphr. ad Pſ. cit.* Sed ex rerum ſumma colligo

42.

Pſ. 50. n. 19. 22.

Ius eſt, vt Deo ſeruiat homo quiſque.

PARÆNET. XIX.

Seruire Deo magnificum eſſe.

QVi præſtat obſequium, poteſt ſe iactare gloriosè, Philone teſte. *Nam ſeruire Deo, magna eſt gloriatio*, &c. *ad lib. de Cherubin.* Parat ſibi Dei ſeruus titulos honorarios: ſi Principem dixeris hominem, rectè dixeris. Laudo ego Sacerdotes, & ſacrorum adminiſtros, ex 1. *Paralipom. cap. 4. num. 5.* quos textus vocat Principes maximos. *Erant enim Principes ſanctuarij, & Principes Dei*, &c. Scienter appellat ſacrorum adminiſtros Dei Principes, quaſi magnos

1.

1. Par. c. 24. n. 5.

Dei ſeruus magnus Princeps.

magnos Principes, more Hebræo; quò textus vocat Dei cedros, *Psalm.79. num.*11. Grandes cedros, & Dei montes, *Psalm.*35.*num.*7. Magnos vtique montes; vide Clarium *Orat.* 9. *in Lucam.* Nec miratur Hieronymus Dei administros appellari Dei Principes. *Idcirco dicuntur Principes Dei, Principes Sanctuarij; quia ibi ministrabant*, &c. sic Hieron. *in tradit. Hebr.* Redeat virgo sapiens in frugem melioré, euocata à summo Deo. *Reuertere, reuertere Sunamitis*, &c. *Cant.6.num.*12. Tanta erit maiestas virginis prudentissimæ, vt de rusticella Princeps fiat, ac Dei Princeps. *Quàm pulchri sunt gressus tui, filia Principis*, &c. *cap.7.num.*1. Id enim sibi nomen, ac decus parit, quæ seruire Deo curat. Bene Rupertus ex Christi sententia, ad lib. 6. *& quia iam reuerteris, te appello filiam Principis*, &c. Nónne seruire Deo magnum est?

Pſ.79.n.11. Pſ.35.n.7. Cant.6.n.12. cap.7.num.1. *Princeps est pœnitens quisque scelerum.*

2.

Quis igitur de suo honore altè non cogitet, si Dei seruus appelletur? Probat id Hieronymus in epistol. ad Titum cap. 1. *Nec mirum, quamuis sanctos homines, tamen Dei seruos appellari, cùm per Isaiam Pater loquatur ad Filium: Parum est, vt sis mihi seruus*, &c. *cap.* 49. *num.* 5. vnde patet Dei seruitutem nobilem esse, quæ filium adornasse visa est. Quòd si è Patris affectu prodit ea serui nomenclatura? vti putat Athanasius *Orat.*3. *contra Arianos*, probatque ex appellatione toties iterata *ad Isaiæ cap.* 49. *numero* 4. *ad cap.* 42. *numer.* 1. *ad Zachar. cap.* 3. *numer.* 5. vbi. *Fortasse* (inquit) *serui vocabulum pro animi affectione dictum*, &c. hæc Dei affectio, non parua honoris accessio est. Sentit Grabriel, quid maiestatis habeat Dei seruus ex sua nomenclatura. Nam, vt Sacerdotem promissi faciat certiorem, apud *Lucam* 1. *num.* 19. addit Angelus, *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum ad te*, &c. Seruitutem Angelus fatetur ingenuè, qui se & Deo adstare, & à Deo missum, vti seruum, docet: vt se iactet gloriosè. *dignitatem esse reputans, ipsi ministrare*, &c. quod notat Cyrill. Ieroſolymit. *Catech.* 10. Neque enim venditat Angelus se de Senatu graui, de schola nobili, de primatu augusto esse; sed ab obsequio in Deum edito nomen sibi, ac decus arrogat.

Dei filium adornat seruitus. Iſa.c.49.n.5. c.42.n.1. Zachar. c.3. n.5. *Nata ex affectu nomenclatura seruitutis.* Luc.1.n.19. *Maiestas est Angelica Deo seruire.*

3.

Quare si Deus hominem mulcere velit turbatum grauiter, mulcebit facilè addita serui nomenclatura. Reiicit Magnus Deus templum Dauidicum, etsi Dauid in votis illud haberet, quod patet ex 2. *Reg. cap.* 7. *num.* 2. Res erat, quæ Regem turbaret grauiter, nisi Deus pro Rege seruum appellaret *num.* 5. Ad Nathanum Deus, *Vade* (inquit) *& loquere ad seruum meum Dauid*, &c. Cur in loco Regem non vocauit? Vt hominem fortasse commotum leniret titulo honoratio; sed honoratior est serui titulus, vt lenire possit turbatum hominem, Theodoreto Auctore, quæst. 21. *Primùm quidem eum deliniuit appellatione seruitutis; est enim summus honor, nominari Dei seruum*, &c Quænam maiestas? quale gaudium? vocitari hominem Dei seruum? Altè gaudet, & altè gloriatur, qui frequenter illud vsurpat, *Domine Deus meus*, &c. *Psalm.* 12. *num.* 4. *Psalm.* 29. *num.* 3. *Psalm.* 30. *num.* 6. *Psalm.* 34. *num.*29. Pſ.103. *num.*35. vbi suam Dauid seruitutem iactat, quasi rem magnam, & lætam prodat. Bene Chrysostomus admonet. *Gaudens animus ad eum, qui tantus est*, (inquit) *Domine Deus meus; gloriantis enim hæc vox est*, &c. Regem Maximum colunt maximè Duces, ac Principes; nec se putant deprimi, cùm maximè seruierint; sed, *Quis Deus Magnus, sicut Deus noster*, &c. *Pſ.*76. *num.* 17. Seruias igitur seruitutem, & gaudium gaudeas qui Deo seruis gloriosè.

Post Dei seruum Rex est. 2. Reg. cap. 7. n. 2. *Mulcet virum magnũ, qui Dei seruum nuncupat.* Pſ.12.n.4. Pſ.29.n.3. Pſ.30.n.6. *Dei seruitus gaudendi ratio.*

4.

Quidquid præstiteris, etsi obsequio humili, vt Deum colas, magnum id est. Sensit Virgo Mater, quò se erigeret maiestatis, si pingendam se curaret, suscepto in vlnas Christo puero, id effecit: quod patet ex Lucæ tabulis. Deinde tradit Lucas minutè, quid Virgo fecerit, Christo nato. *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio*, &c. *Luc. cap.* 2. *num.* 7. Ratio ex Bernardo est sermon. 7. ad Psalm. 90. *Cui seruire, regnare est; gestare hunc, non onerari, sed ornari est*, &c. Video Sacerdotibus arcam impositam, Iordane trãsmisso. *Tulerunt Sacerdotes arcam Domini*, &c. *Iosue cap.* 6. *n.* 12. Idque ex Dei iussu, non ex ritu Leuitico; nam arcam portare, Leuitis erat onus: quod patet ex *Num.*4. *cap.*4. *num.*15. & probat Abulensis *quæst.*3. Cur non queruntur Sacerdotes se alieno sub onere pressos esse? Augustinus bene *ad* 2. *lib. de Mirab. cap.*1. Tacent, nec mussitant Sacerdotes, *cùm arcæ onere decorati plebem reliquam præcedentes Sacerdotes ingrederentur*, &c. Abundè se honoratos credebant Sacerdotes, si re sacra onerati pergerent. An lucernam concinnare onus, ac vile onus est, maximè summis Sacerdotibus? Sed in hac cura Hebræus est Pontifex, Exod cap. 27. num.20. De lucerna textus est, *& collocabunt eam Aaron, & filij eius, vt vsque manè luceat coram Domino*, &c. Signanter dicit concinnandã lucernam esse in oculis Domini. *Ne vile officium Sacerdotibus, & Pontificibus imponi videatur; facies enim Iehouah dignitatem maximam confert officio componendi lucernam ad ardendum*, &c. sic Caietanus. vt scias seruire Deo magnificum esse, quod sibi nomen peperit *Moyses seruus Domini.* *Regnum magnæ matris est Christo ministrare.* Luc.c.2.n.7. Ioſ.c.6.n.12. *Gaudent Sacerdotes pia se sarcina grauatos esse.* Exod. c. 27. n.20. *Nulla in Dei aula seruitus humilis.*

*Num.*15. Ad hanc igitur exhortationem eius deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini.

Commentarius.

43.

SAtis fuit Heliachimi adhortatio, Moyse in argumẽtum adducto, vt auditores animum adiicerent precibus faciendis piè, ac constãter. Quare cõcionatorem, morúmque magistrum scienter pædagogum dicit Clem. Alex. 1. Pæd. c. 1. *Morborum animi hinc curatio sequitur, cùm adhibitis imaginum, ac similitudinum solatiis animos confirmat Pædagogus*, &c. Quæ nam viuæ vocis monitis vis, & potestas est? cur non præstiterit morum Præfectus suis monitis, quod Orpheus, siue Amphion præstitisse dictus est, dulci cantilena? Manum mihi addit Apostolus *ad Tit. cap.* 2. *num.* 11. vbi Christum laudat pædagogum humanæ gentis. *Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri, omnibus hominibus, erudien* *Animos ad sanitatem reuocat pius magister.* Ad Tit. c.2. n.11.

erudiens nos,&c. Scienter Apostolus venustatem dicendi pædagogo tribuit,vt noris,quanta in dicendo virtus sit. Quibus tamen Orator monitis homines pulchrè instituit, docet Apostolus, *vt sobriè, piè, ac iustè viuamus*,&c. Senfit Paulus, qua via traheret homines ad bene, beatéque viuendum, adhortatio pædagogica. *Qui vitam semel præbuit à principio,vt opifex, bene viuere docuit, cùm apparuisset, vt Magister*,&c. Hæc Clemens Alex. *ad Gentes.* Iampridem Salomon illud monuit,vrgeri scilicet homines monitis optimis, ad piè, ac sanctè viuendum. *Verba* (inquit) *sapientum, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi*, &c. *Ecclesiastæ cap.12.n.11.* Trahuntur boues stimulis, etsi laborent pessimè:trahuntur & homines acerba paræneſi, etsi virtus sit amara: firmantur asseres gomphis, ne soluantur;firmantur & monitis homines, vt sint tenaces propositi. Laudo, quæ Hieronymus in loco tradit. *& hoc notandum est, quòd dicantur verba sapientum pungere, nec molli manu attrahere lasciuiam; sed errantibus, & tardis pœnitentiæ dolores, ac vulnus infigere*, &c. Dei Verbum, & meus Christus vocat stimulum,quo Saulus vrgetur in Paulum. *& audiuit vocem dicentem sibi*,&c. *Act. cap.9. n.4.* Quid opponit vox cœlò missa? n. 5. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*, &c. Vocem cum stimulo componit Hieronymus. *Hoc* (inquit) *stimulo nec dum Paulum, sed adhuc Saulum puto in via confossum erroris audisse: Durum est tibi calcitrare contra stimulum*,&c. Christus enim voce grãdi Saulum ex equo deiecit, vt erigeret in Apostolum; & fortasse Paulus suo doctus malo, Dei sermonem appellat gladium. *& gladium spiritus,quod est verbũ Dei*, &c. *ad Ephes. cap. 6. n. 17.* Scilicet vim habet gladius, vt discindat tumores animi, & corrodat carcinomata scelerum. Hoc vno gladio Heliachimus Iudæum pungit, timores pellit. Imò spem alit de ope impetranda; si preces constanter ediderit, Moyse Duce, ac Magistro; abundè vt pareat

Vrget magister validè, qui venustè dicit.

Eccles. c. 12. num. 11.

Sana est, quæ & acerba disciplina.

Act. cap. 9. n. 4. 5.

Pungit stimulo, dum minatur bonus magister.

Ad Ephes. c.6.n.17.

Cultellus vt medicus doctrina amara.

PARÆNET. XX.

Iuuari homines sacro sermone.

1. VTiles piis animis adhortationes esse probat Archisynagogus, cùm Paulum monet,& Barnabam, vt in loco doceant auditorium, *Act.c.13.* Commeant Antiochiam boni Doctores, Synagogam adeunt: inibi Principes lectione præmissa literarum sacrarum, vrgent hospites, Paulum, & Barnabam, *Si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem,dicite*,&c. *n.15.* Mos scilicet erat Hebræo populo,vt qui rectè sciret, sermonem texeret, auditoréque moneret piè, ac sanctè; *est enim hortatio,& monitio hospitum gratissima, & vtilissima*, &c. sic Clemens *Rom. 2. constit. cap. 58.* Sed moneat quicumque hominum, vtili semper voce monet, & consolatur. quod vox de textu Græco παράκλησις bene habet; sonat enim exhortationem & consolationem. Et quidem, Oratio exhortatoria ostendit, quid agere,quid vitare quisque debet:firmátque animos auditorum, vel sacro textu, vel exemplo sanctitatis alienæ.

Veloſ. in Iudith.

Act. c. 13. num.15.

Dei sermones verè consolationes.

Quos motus ciet virgo sapiens in schola pia, & casta? vbi monet virgines de Christi venustate,ad Cant.5. n.10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, &c. Neque enim quidquam est boni coloris,quod non adducat, vt Christum verè speciosum dicat præ filiis hominum. Quid inde virgines reliquæ? ardent, cómouentur,proclamant, n. 17. *Quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum*, &c. scilicet mouet auditorium adhortatio panegyrica,& amorem vrget Christi piè adeundi. Putat Gilbertus natũ virginibus Christi amorem esse ex mutua confabulatione. *Vtiliter* (inquit) *adiuratæ sunt, quæ sic animatæ sunt: non exigua sanctæ collationis vtilitas*, &c. *serm. 47.* Bene monet, vt pium cum sociis sermonem texas. Sed Magnus Gregor. locum explicat de sanctis concionibus, additque multam Concionatoribus potestatem inesse,ad persuadendum. *Sed enumeratis tot laudibus, ostensis tot muneribus, quis audiens non concupiscat? Quis intendens non inardescat*,&c. Hæc illa facultas est, qua Ieremias Reges ac populos auertit à luto scelerum, conuertit ad pios mores; sic enim Deus cap.1.n.10. *Ecce constitui te hodie, vt euellas, & disperdas, & destruas, & dissipes*, &c. Scena est de labore vatum vtili, aduersùs opes, ac vires scelerũ. Sed quo hæc ferro? qua manu Ieremias? Id in textu priùs est n. 9. *Ecce dedi verba mea in ore tuo*, &c. Rastrum, quo Vates radices euellit scelerum, & artes euertit Dæmonum,Dei verbum est: ligo,quo Ieremias turres subruit superbiæ, & nubes dissipat ægrimoniæ,Dei sermo est. Vnde Hieronymus. *Ædificatio, quæ supra petram non est, sed in arena extructa, Dei sermone suffoditur, ac destruitur.*

2.

Cant. cap.5. n.10.

Dei amorem excitat pia confabulatio.

Deo iungit auditores pius Concionator.

Ierem. cap.1. n.10.

Multa Dei sermonibus virtus est ad persuadendum.

Si quis à bono, & æquo longè abit,transfuga ad partes Dæmonum, sacro Magistro constrictus piè retrahitur; & hæc Dei verbis potestas est, cùm sponsam laudat sponsus, Cantic.cap.4.num.5. *Sicut vitta coccinea labia tua*, &c. Ac si vellet: vbi sermonem texas de Christi vita, & Cruce, restim bene torques, & qua adstringas animos hominum. Scio placuisse Gilberto,vt sponsa sponsum bene loquendo obligaret,serm. 24. *Nec enim decent sponsam, nisi verba, quæ delicati funiculi vice fungantur; verba quæ sponsum irretiant, & trahant funiculis charitatis*, &c. Sed Theodoretus voluit, vt sponsa, cùm piè diceret, auditores traheret, quibus funiculus Hercules traxisse populos dictus est. *Verba* (inquit) *veritatis profert, quibus, tanquam funiculo quodam capiuntur auditores,& vinciũtur*,&c. Facilè auditor manus inserit funiculis eloquentiæ,cùm orator latè,ac piè dicit. Facilè inflãmatur concio, vbi Concionator flammas ore miscet,ac mittit. Notat Chrysost. librum à Vate deuoratum esse,priusquam mitteretur ad Hebræos auditores. Ezech. 3.n.1. *Comede volumen istud, & vadens loquere*, &c. Scilicet, versandum animo lentè est, quidquid loquendo proferre statuis. Deuorat & Ioannes librum sacrarum legum *Apocal. 10. n.9.* Sic enim Angelus ad Apostolum, *Accipe librum,& deuora illũ*,&c. quo libro opus erat, vt Ioannes populos,Regesque sanctè instrueret,*n.11. Oportet te iterũ prophetare*,&c. Neque

3.

Cant. 4. n. 5.

Bona verba bona retia, quibus Deus ligatur.

Laqueus est pius sermo, quo auditorium sanctè capitur.

Ezech. c.3. n. 1.

Lentè discas oportet, quod semel doceas.

Apoc.cap.10. n.9. 11.

enim ſine labore literario Magiſter docet. Video tamen linguas Apoſtolis igneas ſupereſſe, cùm ſpiritus cœlo miſſus ignes in Chriſti ſcholam vibrat, Act. 2. n. 3. *Diſpertita* (ſcilicet) *linguæ, tanquam ignis*, &c. Vtrumque bene & libris armatur Vates, & flammis Apoſtolus. *Quia ille quidem abiret inſectaturus peccata, calamitateſque Iudaicas ploraturus; hic verò peccata orbis terrarum abſumpturus*; ſic Chryſoſtomus *ſerm. 3. in Pentecoſt.* Legem volo igneam in Magiſtri lingua, & manu eſſe: quod Moyſes probat, Deóque tribuit, Deut. 33. n. 2. *In dextera eius ignea lex*, &c. Quis enim orator non vrget homines ad rectè viuendum, ſi flammas verbis miſcet, & mittit in auditorium?

Et libris, & flammis opus eſt, vt magiſter mores corrigat.

Deut. 33. n. 2.

4.

Senſit Achabus, qua Michæas vi perſuaderet, ſi loqueretur more ſolito. Cùm enim Vates ſermonem inſtitueret: *Audite hæc omnes populi*, &c. 3. *Reg.* 22. *num.* 29. non vltrà pergit, ſcilicet, Michæa tonante, terga vertit Achabus, militem ſecum, & Ioſaphatum abducit. Res de textu eſt. *Aſcendit itaque Rex Iſraël, & Rex Iuda in Ramoth*, &c. Cur Achabe non moraris? cur non audis loquentem Vatem? Senſit Princeps tantam verbis propheticis vim ineſſe ad permouendos animos hominum, vt neceſſe fuerit aliò militem agere, ac diuertere. Dei vox eſt, Oratoris ſacri vox: quæ Deum inſerit in aures, animóſque hominum. Quid non faciat Dei vox? Videt Ioannes Angelum ſub ſpecie Magiſtri concionantis Apoc. cap. 10. num. 2. *& habebat in manu ſua libellum apertum*, &c. Sacrum eſt inſtrumentum, vnde ſermones, ſi quos haberet, ornaret Angelus. *& clamauit voce magna*, &c. *num.* 3. Quid Magiſter Angelus debuccinauerit, habes liquidò *num.* 6. Quid auditores fecerint, conſtat ex num. 3. *& cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*, &c. Verè Dei vox eſt, quæ cælum tonare cogit, & fulgurare, vt ſcias, qua vi vrgent Dei voces, ac ſacrum theatrum moderantur. Si de ſummo Deo tonat orator: tonat & auditor: ſi Dei amore flagrat orator? flagrat & auditor: ſi dolet orator? vrget, & trahit auditorem ad dolores vtiles, etſi morſus triſtes animi. Quò boni Heliachimus Iudæum pertraxiſſe viſus eſt. *Ad hanc enim exhortationem eius deprecantes Dominũ, permanebant in conſpectu Domini.*

3. Reg. c. 22. n. 29.

Qui peccatis indulget, à concionibus longè abit.

Apoc. 10. n. 2.

A ſacro libro ornamenta dicendi.

Quo flagrat ſtudio magiſter, flagrat & auditor.

Num 16. Ita vt etiam hi qui offerebant Domino holocauſta, præcincti ciliciis offerrent ſacrificia Domino, & erat cinis ſuper capita eorum.

Commentarius.

44. MAnum à ſe Aſſyriam deprecatur Iudæus quiſque: Sacerdos ad aram prouolutus, precibus addit veſtem cilicinam, & ſordes cinerum; more ſatis probato, ſiue ſacram, ſiue profanam ſcholam conſulas. Res ſacro textu nota, vt ſaccum ſumat, & cineres in caput iaciat, qui dolorem concepit vel de fortunæ, vel de peccati morſu. Lego Niniuen ſacco veſtitam cilicino doluiſſe apud Deum, ac fleuiſſe, *Ion. cap. 3. n. 8.* vbi Regiſcitum eſt, *Operiantur ſaccis homines*, &c. Quaſi preces habitu iuuentur cilicino. Ad hanc formulam precandi vrget Sacerdotes Ioel Vates cap. 1. n. 13. *Accingite vos, & plangite Sacerdotes*, &c. Hoc dolendi modo Machabæus agitat lib. 1. c. 2. n. 14. *Operuerunt ſe ciliciis, & planxerunt valde*, &c. Nec ſemel id à Machabæo factum eſt. Vide *cap. 3. n. 47.* ſcilicet, vt Deum habitu pœnitentiæ facilè placaret; ſed hac de re dico ad *Paranet.* 10. Illud expendo, cilicium tectè, ac palam geſtari poſſe: vtrumque epiè. Citra periculum vanæ gloriolæ, ſi quis obuelatè gerat cilicium, qualis Ioramus ille 4. Reg. 6. n. 30. *Viditque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus*, &c. Exemplo tamen vtili, ſi quis veſtem ſumat cilicinam, vt Deum ſanctè alliciat, & Gentes piè ducat. Præſtabunt id Henochus, & Helias fidei tuendæ cauſa; quippe qui *prophetabũt amicti ſaccis*, &c. *Apoc. cap. 11. n. 3.* Quod de viris huiuſce notæ exponit Antiſtes Hippolytus ad tract. de Mundi conſummat. *vt vel hac ratione flectant, & conuertant homines ad pœnitentiam*, &c. neque enim viri boni ad oſtentationem virtutis, habitu vtuntur cilicino. Sed res eſt, quæ vanè erigat animos hominum, vtpote ſubiecta oculis ineptæ plebeculæ. Vnde Hieronymus timet virginibus vanam gloriolam, ſi qua tritum, ac fœdum oſtendat palliolum, epiſt. 22. ad Euſtoch. *Veſtis* (inquit) *nec munda ſatis, nec ſordida: ne apud te prætereuntium turba conſiſtat, & monſtreris digito*, &c.

Iohel cap. 1 n. 13.

1. Mach. c. 2. n. 14. cap. 3. n. 47.

Deum placat habitus pœnitentiæ.

4. Reg. c. 6. n. 30.

Apoc. c. 11. n. 3.

Ad cilicium vrgent homines alios, qui gerunt cilicium.

Gignit vanam gloriolam pœnitentia publica.

45. Iam verò cineribus caput turpare, cùm multam innuat mœſtitudinem animi, multam quoque venatur gloriolam. Quis nam dolor, cùm miles obnunntiat captam à Philiſthæo arcam Domini 1. Reg. c. 4. n. 12. *Venit in Silo: ſciſſa veſte, & conſperſus puluere caput*, &c. Vide, quæ inibi Mendoça ex ſacra, & profana ſchola. Trahit Ieremias homines ad rationes pœnitentiæ, cap. 25. num. 34. *Aſpergite vos* (inquit) *cinere Optimates gregis*, &c. Anne cinerum ſparſiones ſacra ſunt piacularia? credo facilè. Quod habet Hieronymus *ad Ezech. cap. 27. n. 30.* vbi textus, *& cinere conſpergentur*, &c. *Velut vitulæ, iuxta legem, vt purificentur*, &c. ſic Hieronymus. Addo Iobum cineribus ſe fœdaſſe, c. 16. n. 16. *Operui* (inquit) *cinere carnem meam*, &c. ſiue fortunæ, ſiue peccati morderetur ſtimulo. Sed quid profana ſchola? In leſſu graui Latinus eſt, apud Maron. lib. 12.

1. Reg. c. 4. n. 12.

Sacra cineralia, ſacra piacularia.

Ezech. c. 27 n. 30.

Iob cap. 16. n. 16.

Canitiem immundo perfuſam puluere turpans, &c.

In Theſei digreſſu dolet pater apud Catullum in Argonaut.

Canitiẽ terra, atque infuſo puluere fœdans, &c.

In Archemori tumulo Sacerdos luget, apud Statium 6. Theb.

Sparſus, & incultam ferali puluere barbã, &c.

Credo ſumptum à Iudæo morem ſpargendi cineris in re aduerſa.

46. Petis fortaſſe, quare affectus homo fortuna qualicumque, iactat cineres, & caput turpat luto humili: ſcilicet ad ſignificationem humanæ infirmitatis. Signat puluis ſortem humilem, ex ſacro textu. *Quid enim ſuperbit terra, & cinis?* &c. *Eccleſiaſt. cap. 10. num. 9.* Idque Syracides hauſit ab Abrahami ſchola, Gen. 18. num. 27. *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis,*

Cinerum ſparſio humanæ ſortis ſignificatio.

Eccl cap. 10. n. 9.

Gen. cap. 18. n. 27.

civis, &c. Ac proinde cinerum aſperſionibus ſuam viri Magni, humilémque ſortem fateantur ingenuè, vt iratum lenirent Deum. Cinis mortem notat, cùm homo facto vltimo ſoluatur in cineres. Facit ad rem Dei
Ezech. c. 28. num. 8. comminatio aduersùs Tyrum, Ezech. 28. n. 8. *Dabo te in cinerem*, &c. ſcilicet, vrbem, ac Gentem ſoluam in nihilum. Nec ſignificatu alio Deus Idolum à ſe premendum eſſe minatur,
Iſa. c. 44. num. 22. Iſai. cap. 44. n. 22. *Pars eius cinis erit*, &c. quo dicendi motu cecinit Virgilius,

—*Cinis omnia fient*, &c.

Cùm igitur Sacerdos caput deformaret ſordibus cinerum, illud innuebat, ſe propè abſumptum, ac proinde memorem ſuæ conditionis eſſe: vt ea profeſſione Deum ſibi conciliaret. Quare illud ex dictis moneas,

PARÆNET. XXI.

Mortis commentationem vtilem eſſe.

1. EX commentario habes, cinerum ſparſiones mortis ſignificatum claudere: coli verò bonos mores, ex mortis meditatione, probat cura Sacerdotum, qui è iactu cinerum videntur mortis meminiſſe. *& erat cinis ſuper capita eorum*, &c. Scio homines mortis memores piè agere. quæ quidem occaſio eſt frontis ſignandæ cruce cinerali. Crediderim ego Sacerdotem aqua, & cinere expurgatum prius, quàm ſacris Iudaïcis operaretur: quod habes Num. cap. 19. n. 9. *Colliget vir mundus cineres vaccæ in aquam aſperſionis*, &c. ſcilicet, vt mortem Sacerdos cogitaret, dum faceret vitula. Video mixtos aqua cineres, mixtionémque rerum vocatam eſſe expiationem *n.* 13. & luſtrationem *num.* 20. qua de re meminit Apoſtolus ad Hebr. cap. 9. n. 13. *& cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat*, &c. Quo hæc merito fierent, docet Philo *ad lib. de ſomn.* Deinde ſui memor addit ad lib. de Victim. offeren. *Hac aſperſione excitamur, & tangimur*, &c. Dedit enim homo quiſque in ſui notionem, quo ex luto factus, quos in cineres deficiat. Et quæ nam inde boni ſpes eſt? Humanarum quidem affectionum curatio. Philo iterum. *Quando hoc ipſum creditur vtiliſſimum ad purgandum, noſſe ſe ipſum; nam hæc reputatio confeſtim inſidiatricem animo arrogantiam eximit*, &c. Pellit igitur aſpectus cinerum tumores animi.

Mortis meditatio bene Sacerdotem parat ad aram. Num. c. 19. n. 9. 13. 20.

AdHebr. c. 9. n. 13.

Aqua cineralis trahitur homo ad ſui cognitionem.

Qui ſe intus nouit, ſuperbiam excutit.

2. Quare multus in ſactis vſus eſt cinerum, Num. cap. 4. n. 13. *Altare mundabitur cinere*, &c. *Leuit. cap. 6. n.* 10. Lego cineres prope aram collocatos. *Tollétque cineres, quos vorans ignis exuſſit, & ponens iuxta altare*, &c. id verò, ne qua mortis ſubrepat obliuio, quod ab Vrbano diſco. Agit cum Deo Pontifex de ritu cinetis ad aram colligendi: ac tandem, *Quod tibi* (inquit) *mandaſti fieri ad reponendos cineres memoriæ noſtræ mortis*, &c. *in Metaphr. ad Pſal.* 50. Conſultum Leuitis Deus voluit, vt inter aras piè ſe haberent, cineres obiecit ad mortis commentationem. Hæc illa eſt cinerum commemoratio Leuitic. cap. 1. numer. 16. *In loco ſcilicet, in quo cineres effundi ſolent*, &c. Locus enim erat ad aſſeruandos cineres victimarum. Vn-

Num. c. 4. n. 13. Leuit. c. 6. n. 10.

Multus in ſacris cinerum vſus, ne qua mortis obrepat obliuio.

Velaſ. in Iudith.

de Rupertus lib. 1. in Leuit. cap. 7. *Locus, in quo cineres effundi ſolent, iuſtam ſignificat hominis humilitatem, qui, ne de accepto munere, vel de reuelationum magnitudine ſe extollat, meminit, quia cinis eſt, & reuertetur in cinerem*, &c. Verè aſpectus cinerum, ex hoc aſpectu mortis commentatio, vrget homines, purgat animos in ſalutem.

Cineres Sacerdos curat, ne officio intumeſcat.

Saulem inungit Samuel in Regem, dato regni ſigno ad Mauſoleum Rachelis, 1. Reg. cap. 10. n. 2. *Inuenies duos viros ad ſepulchrum*, &c. Prudens admodum meminit Vates de monumento muliebri, cùm regnum pollicetur, vt Princeps mortis memor regnū curaret magiſtra æquitate. Neque enim temerè ſepulchrū illud à Moyſe monumentū appellatur, Gen. cap. 35. n. 21. *ſed monumentum eſt*, Abulenſi Auctore, *quaſi monens mentem*, &c. Quæ nam ab illo monumento, & quā ſanæ admonitiones, de iure ſeruando, ac de vita colenda? Vidit Seneca liquidò, quid moneat tumulus, *epiſt.* 26. vbi docet, *Egregia res eſt mortem condiſcere*, &c. Sed iam pridem ab Adami æuo hæc mortis meditatio prodeſſe viſa eſt. Adamum obſtringit Deus eo Legiſcito, *Ne comedas*, &c. *Gen. 2. n.* 27. Deinde minas addit, ne legem frangat. *Morte morieris*, &c. Quare tantus mortis horror in primo vitæ aditu? Litem ſoluit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 4. *Benigniſſimè demonſtrauit exitum tranſgreſſionis, ne ignorantia periculi, negligentiam iuuaret obſequij*, &c. Sciebat Deus in mortis metu frænum eſſe licentiæ, ne quis effusè peccet: ſciebat & ſtimulum eſſe, vt rectè viuat. Vnde, cùm Adamum vrget ad labores pœnitentiæ, Gen. 3. n. 17. *In laboribus comedes*, &c. Cùm addicit ad cœnam tenuem, n. 18. *Comedes herbam terræ*, &c. Diabolo iam infecto, vt triſtes Adamo labores molliret, mortem opponit, ac ſepulchrales cineres. *Puluis es, & in pulverem reuerteris*, &c. Minatur itaque iudex; ſæuit quodā modo, ac debacchatur, cùm leges edit pœnitentiæ. *Non enim ſufficiebat bonum per ſemet ipſum commendari, iam ſub aduerſario laborans*, &c. Sic Tertulliano placet *lib. cit. cap.* 13. Hæc igitur mortis commentatio pungit animum, admouet cilicium, ſæuit flagro, cibos caſtigat, Deum colit, quem timet Iudicem.

Mortis metus ſeruantur bene leges.

Gen. c. 2. n. 27.

Gen. c. 3. n. 17. 18.

Mortis cogitatu mulcentur labores pœnitentium.

3. Præſentiſſimū humanarum actionum medicamentum eſſe mortis, parænéticum docet Eccleſiaſtes *cap.* 3. vbi exponit rationes vitæ agendæ, ſiue pangendis arboribus, ſiue domibus ædificandis, ſiue ſermonibus habendis, ſiue tractandis negotiis operam dederis, *n.* 3. Prior tamen de vitæ exitu vox eſt, n. 2. *Tempus naſcendi, tempus moriendi*, &c. ſcilicet, vt mortis aſpectu vel malus quiſque bene ageret. Sic Olympiodorus. *Sed humanæ vitæ communem mortis cogitationem adiunxit, vt ſcientes, quòd hîc perpetuò futuri non ſumus, æternæ vitæ curā habeamus*, &c. Addo, & humanæ vitæ negotia piè, ac iuſtè moderemur, quo Dauid cōſilio carmen edit, & inſcribit, *In finem*, &c. *Pſ.* 38. vt vitæ exitū non ſemel cogitaret, teſte Baſilio. Et quidem nullū inde lucrū non eſt animi. Nā *n.* 2. Dauid, *Dixi, cuſtodiam vias meas*, &c. Mortem Vates obtrudit iterum num. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum*,

1. Reg. c. 10. n. 2.

Mortis metus Regem monet de regno adminiſtrando.

Gen. c. 35. n. 21.

Monumentum eſt monens mentem.

4.

Mortis aſpectu formantur mores bene.

Eccleſ. c. 3. num. 2.

Pſal. 38. n. 2. 6. 7. 8.

&c. quæ de mortis ſtimulo vox eſt. Nec de breui tacet viuendi mora: quod ſentit num. 6. *Menſurabiles poſuiſti dies meos*, &c. Quare Dauid ex vitæ menſura hominem, vel bullam, vel vmbram eſſe docet. *In imagine pertranſit homo*, &c. *n.* 7. Peracta mortis meditatione Vates animum Deo piè aſſerit, in quo ſpes & opes ſitas eſſe probat, num. 8. *Et nunc, quæ eſt expectatio mea? Nónne Dominus?* &c. Illud Vates voluit mortis commentationem prodeſſe maximè piis affectibus: inde trahi homines ad amores virtutis plurimæ. Nam Auctore Chryſoſtomo, *Inſcriptus eſt Pſalmus, In finem ad noſtram vtilitatem, vt cùm diſcamus vitæ breuitatem, moderatè nos geramus*, &c. Moderatur profectò & malus quiſque licentiam peccandi, ſi mortem in oculis habeat.

Vita ſumma breuior concinnare moues docet.

5. Et hæc omnino ratio eſt, cur vel gens à Deo auerſa tumulos ſepulchrales in monte, in agro, in via, in horto, in domo extrueret. In montis Hori iugo Aaron & vita defunctus, & tumulo eſt: quod tradit Moyſes *Deut. c.* 32. *n.* 50. Sed, Lucano Auctore,

Deut. cap. 32. n. 50.

Et Regum cineres extructo monte quieſcunt, &c. lib.... In agro ſepulchrum Ephron habet, *Gen.* 23. *num.* 9. ſcilicet, *in extrema parte agri*, &c. Nec Ozias, quod patet, ſepultus eſt, *niſi in agro Regalium ſepulchrorum*, &c. 2. *Paralip.* 26. *num.* 23. Addo Mauſoleum ab Auguſto conditum in campo Martio: quod habet Sueton. *c.* 100. In via monumentum Rachel meruit, Gen. 35. n. 19. *& ſepulta eſt in via*, &c. Nec Romanus auertit à via tumulos ſepulchrales: abundè facit Iuuenalis Satyra 1.

Gen. c. 23. n. 9. 2. Par. c. 26. n. 23. Gen. cap. 35. n. 19.

Mauſoleum in via, vt homines viam caperent rectè agendi.

——*Experiar, quid concedatur in illos,*
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Quid ſi in horto geniali ſepulchrum eſt? ſic Iohannes c. 19. n. 41. *& in horto monumentum*, &c. & quidem Manaſſes ad 4. Reg. c. 21. n. 18. *ſepultus eſt in horto domus ſuæ*, &c. Anchiſes licèt non in horto, certè in luco ſepultus dicitur, apud Maron. lib. 5. ——*Tumuloque ſacerdos,*
Et lucus latè ſacer additur Anchiſeo, &c.

Io c. 19. n. 41. 4. Reg. c. 21. n. 18.

In horto geniali ſepulchrum ne quis genio largè indulgeret.

Sed ab agro, via, & horto in domum transmearunt cineres hominum. *Mortuus eſt Samuel, & ſepelierunt eum in domo ſua*, &c. 1. *Reg.* 25. *num.* 1. vide *lib.* 3. *Reg. cap.* 2. *num.* 34. Cur locis tam multis ſepulchra hominum? an ne, vt frequentior vbique luctus, & plurima mortis imago occurrat oculis? Bene Chryſoſtomus. *Eapropter Deus vbique ſepulchra fieri voluit*, &c. *ad ſerm. de Fide, & lege.* Quid altè de ſe cogitet, quid iniuſtè faciat, qui monumentum perſæpe videt. Chryſoſtomus iterum, *Vbique ante oculos eſt noſtræ humilitatis ſchola*, &c. Itaque vel ſuperbiam exuit, qui ſe putat cinerem; vel mores corrigit, qui mortem è cineribus meditatur. Hac vna meditatione ſuum Sacerdotes officium fecere. *Erat enim cinis ſuper capita eorum*, &c. Addit Sacerdos cinerem cilicio, quo ſuccinctus facit ad aram. Credo palàm, non tectè geſtatum à miniſtro cilicium fuiſſe. quod à Lyra diſco, & quod ſummo in luctu vſitatum video. *Ion. cap.* 3. *num.* 1. Et hæc à Chriſto laus eſt de Nina; apud Matth. cap. 11. num. 21. *Olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, &c. Vide Ieremiam *Thren.* 2. *num.* 10. 1. *lib. Machab. cap.* 2. *num.* 14. *&* 2. *lib. cap.* 3. *n.* 19. Vnde illud bene quæras:

1. Reg. c. 25. n. 1. 3. Reg. c. 2. n. 24.

Multa locis multis ſepulchra ne qua mortis imago non occurrat.

Ion. c. 3. n. 1. Matth. c. 11. n. 1. Thren. cap. 2. n. 10. 1. Mach. c. 2. n. 14.

PARÆNET. XXII.

Præſtet ne cilicium tectè, an palàm geſtare?

RES eſt, quæ ſaluam mouet, ſcilicet, quod nam fuerit potius conſilium, abdere, an prodere cilicium oculis hominum? vt cilicium exponas, facit amor ſalutis alienæ. cùm enim vident homines Heliam ſacco, Heliſæum cilicio veſtitum eſſe, mouentur facilè ad ſermones, ac labores pœnitentiæ. Vnde Caſſianus colligit Vates ſanctiſſimos, vti parétes, ac magiſtros vitæ monaſticæ, rectè cilicio indutos eſſe, *lib.* 1. *cap.* 2. *&* 8. De Helia textus eſt 4. Reg. 1. num. 8. *Vir piloſus, & zona pellicea accinctus*, &c. De Heliſæo probat Magiſtri melote, cap. 2. n. 13. *Leuauit pallium Heliæ*, &c. Docent Patres *ad Hebr. cap.* 11. *num.* 37. vbi Paulus de Helia, & Heliſæo meminit, *Circuierunt in melotis*, &c. Vixit hac lege Senatus propheticus, vt monitis pœnitentiæ vim adderent habitu pœnitentiæ. *Hic enim erat Prophetarum habitus, vt quando populum ad pœnitentiam prouocabant, inducerentur cilicio*, &c. ſic Hieronymus *ad Zachar. cap.* 13. *num.* 4. vbi textus eſt de vanis magiſtris, qui habitu cilicino verum mentirentur. Auerſatur Zacharias improbitatem hominum, & addit, *Nec operientur pallio ſaccino*, &c. Credebant mendaces homines conciliari habitu cilicino auctoritatem verbis propheticis. quod adeò verum eſt, vt Iſaias mandatum à Deo acceperit cap. 20. num. 2. *Vade, ſolue ſaccum de lumbis tuis*, &c. Hoc verò eſt: Diſcinde tunicam, & oraculum ede. quo id conſilio Deus iuſſerit, puto, inuenit Hugo, *vt appareret cilicinum, quo indutus erat*, &c. quaſi oporteret, cilicio palàm explicato, vrgeri homines ad amores pœnitentiæ.

1.

4. Reg. c. 1. n. 8. cap. 2. n. 13. Ad Hebr. c. 2. n. 37.

Pœnitentiæ amorem vates excitant habitu cilicino.

Zach. c. 13. n. 4.

Auctoritatem dictis addit habitus cilicinus.

Iſa. c. 20. n. 2.

Cilicium hominum oculis exponendum curat Deus.

Hoc Ioannes habitu traxiſſe ad ſe viſus eſt prouinciam vniuerſam, *Matth. cap.* 3. De conuentu hominum locus eſt, num. 5. *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa*, &c. De habitu cilicino habes num. 4. *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum*, &c. Capit Ioannes habitum propheticum, vt homines moueat facilè, aſpectu vitæ caſtigatiſſimæ: quod Chryſoſtomo placet Hom. 10. in Matth. *Vides ne quantum Propheta præſentia valebat? quemadmodum ad ſe fecit vndique populos conuolare? erat ſiquidem admiratione digniſſimum, tantam in hominis habitu fulgere virtutem*, &c.

2.

Matth. c. 3. n. 4. 5.

Veſtimentum cilicinum morum ornamentum.

Quis neſcit placari Deum vili habitu hominum, & ſpecie externa pœnitentiæ, *Prophetabunt amicti ſaccis*, &c. Henochus, & Helias aduersùs Antichriſtum, *Apoc. cap.* 11. *num.* 3. cùm ſcilicet, *abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas*, &c. apud *Matth.* 24. *n.* 12. Anne metu damni Vates habitum accipiunt cilicinum? fortaſſe obarmant ſeſe aduersùs dolos, ac vires Dæmonum. Sed placet Ruperto macerari cilicio viros pios, vt iratum peccantibus Deum leniant. *Eorum namque eſt in ſacco, & cinere peccata hominum lugere, & tanto magis coram Deo humiliari, quanto maior eſt abundantia*

3.

Apoc. c. 11. n. 3. Matth. c. 24. n. 12.

Stratum nouibus Deum placat bonus quiſquis habitum cilicinum.

abundantia iniquitatis, &c. *lib. 6. in Apoc.* Hoc amore salutis alienæ Daniel ieiunio sacrum addit, & cinerem, cap. 9. n. 3. *Posui* (inquit) *faciem meam ad Dominum Deum meum rogare, ac deprecari in ieiunio, sacco, & cinere*, &c. Erat Daniel vitâ sanctus; erat & populus exilio pressus, ac proinde necesse erat, vt Deũ quis offensum mitigaret: quod à Vate ieiuno factum docet Chrysost. Hom. 14. ad Rom. 8. *Grauissimo* (inquit) *ieiunio se macerãs, vt Deum illis conciliaret*, &c. Sed Tertullianus locum versat de exomologesi vniuersa, monétque Danielem ieiunio, sacco, & cinere depressum esse, *vt Deum inliceret humiliationis officiis*, &c. *ad lib. de Anima cap.* 48. satis insinuans mulieri Deum, licèt iratum læsa maiestate, si viri Magni ieiunio, & sacco se terant publicè.

Dan. c. 9. n. 3.

Lætatur Deus pœnitentia hominum publica.

4. Addo facere habitum cilicinum ad tuendam venustatem morum. Haber in mandatis Moyses Exod. 26. n. 7. *Facies & saga cilicina vndecim ad operiendum tectum tabernaculi*, &c. Quò hæc cilicia operis pulcherrimi? An, vt Deus moneat aurum charitatis, gemmas virtutum, vitam denique sanctissimam tegi, ac seruari maximè sacco cilicino? Assentitur Magnus Greg. lib. 2. Moral. cap. 22. *Quæ dum cautè in tabernaculo, sub ciliciis, & pellibus absconditur, sua integra pulchritudo seruatur*, &c. Nec Salomon sentit aliter, cùm sponsæ genis apponit cortices mali punici; semel c. 4. n. 3. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua*, &c. & iterum cap. 6. num. 6. *Sicut cortex mali punici, sic gena tua*, &c. Erit fortasse, qui velit aptari genis amaros cortices, vt sciat virgo faciem graui pudore tegi oportere, ne videri amet. Habet id Nyssenus *Orat.* 9. ac tandem ex nuce nucleum eruit, saccum scilicet viro sancto sumendum esse, ad tuendam sanctimoniã. *Nam eo pacto fiet, vt virtutis fructus furibus sit inaccessus; nimirum duro continentiæ cortice munitus, & graui, tristique conditione vulnerans eos, qui mali inferendi causa propiùs accedunt*, &c. Valet igitur vestis cilicina, quam viri magni gerunt publicè, ad permouendos auditores, ad Deum mitigandum, ad tuendam sanctitatem morum.

Exod. cap. 26. num. 7.

Tuetur, dum tegit, bonos mores vestis cilicina.

Cant. 4. n. 3. cap. 6. n. 6.

Tegitur virgo sapiens amore pudicitiæ.

Castitatem seruat bene vestitus asperior.

5. Parte alia occurrit, cilicio palàm induto nutriri facilè vanam gloriam: quod Rustico monacho timet Hieronymus epist. 4. *Vilis tunica sæculi contemptum probet, ita dumtaxat, ne animus tumeat*, &c. Ostendit gloriolam cilicio, quasi tineam esse. Nam solet habitus cilicinus oculos ad se hominum trahere: scilicet mirantur homines, quod vident, etsi non imitantur. Quare sordido sub palliolo potest animus esse iactantior. Tritum, conciſumque palliolum obuertit Antisthenes, & exponit oculis hominum. Adest Socrates, & opponit, *Video per pallium tuam vanitatem*, &c. apud Senecam *epist.* 68. Notat Antisthenem Socrates, vtpote qui è vili, tritóque palliolo auram captaret popularem. Pestem hanc vt Ioannes fugiat, vastis se locis condit, longè ab oculis hominum: nec inde auellitur ad Iordanem vsque, nisi Deo trahente: quod Lucas docet cap. 1. num. 80. *Erat in desertis, vsque in diem ostensionis suæ*, &c. Nec miror. *Erat enim Ioannes vestitus pilis cameli*, Veloſ. in Iudith. *& locustas edebat*, &c. *Marc. 1. num. 6.* Syluis igitur, ac scopulis condebat Anachoretes habitum cilicinum, mensam tenuem, duram culcitram, ne vanè efferretur, si testes haberet oculos hominum. Timuisse Ioannes visus est, quod Augustinus timet *lib. 2. cap. 12. ad Serm. Domini.* quo loco, *Maximè* (inquit) *aduertendum est, non in solo rerum corporearum nitore, atque pompo, sed in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam*, &c.

Marc. cap. 1. n. 6.

Vinea ex cilicio vana gloriola.

Syluis se Ioannes abscondit, vt vanos plausus effugiat.

Luc. cap. 1. num. 80.

6. Fugere hanc inanem gloriolam conabantur, qui fide sana *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*, ad *Hebr. cap. 11. num.* 37. Ac proinde vixerunt sanctè. *In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis*, &c. *n.* 38. Ea enim viris optimis insedit opinio, patere scilicet vanis commendationibus habitum cilicinum, si pateat oculis hominum; oportere, vt bonus quisque antris se, & syluis claudat, causa vitandæ gloriolæ, quod obseruat Nigronus ad regulam 19. Nec Bernardus sentit aliter de vita Monastica Serm. 4. in Psal. 90. *Necesse est* (inquit) *abscondere interim, si quid boni habemus: propter quod in claustris, & syluis abscondimur*, &c. Aberrant à vero simplices homines, qui vestitu cilicino, & mensa tenui sanctitatem morum metiri solent: vnde occasio est vel bonis viris ceruicis erigendæ, Nazianzeno teste ad Carmen de præceptis Virginum. *Nam gloria vana interdum tacitè viles irrepit amictus*, &c. Quare opus erat, vt syluis, & scopulis sese abderent, studio vanitatis declinandæ.

Ad Hebr. c. 11. n. 37. 38.

Montes adibant viri magni vt ne elicerent plausus inanes vitæ pœnitentis habitu.

7. Forma huiusce vitæ Christus est, qui locis malè senticosis ieiunat sanctè, ac largè. Marc. 1. n. 13. *Erat in deserto*, &c. Quid agis, mi Domine? cur non ieiunas cum domesticis? Quid vrbem, domum, & parentes deseris? vt syluis te condas, scopulis abscondas motus pœnitentiæ? Cyprianus bene ad Serm. de Christi ieiunio. *Contemptus venerationem venatur, fames laudibus saturatur*, &c. Docet facto Christus, dum ieiunium loco addit, cauendum esse inanem gloriam. *Nulli enim religionis exercitio fraudulentiùs inanis gloria blanditur*, &c. Irerum Cyprianus. Quis igitur neget occultandum cilicium esse oculis hominum; vnde certa est occasio gloriolæ occupandæ?

Marc. cap. 1. n. 13.

Ieiunium alitur vana gloriola.

8. Addo asperitatem vestis cilicinæ absterrere homines à virtute amanda, & paranda, cùm sanctitatem morum ea viuendi forma claudant. Quare viri magni communem, etsi pauperem habitum sumpsere, amore salutis alienæ. Placet admonitio ex Epicteti schola, apud Arrian. lib. 4. cap. 12. *Decet, ne corporis quidem specie vulgus à Philosophia absterrere, sed vt in cæteris hilarem, & tranquillum se præbere, ita & in habitu corporis*, &c. Hæc bonis Magistris lex est, vt homines alliciant ad rectè viuendum; quos si vestium horrore abigis, verè perdis operam. Hac via Seneca suum ducit Lucilium. Epist. 5. *Intus omnia sint dissimilia; frons nostra populo conueniat*, &c. addit causam cur Philosophus habitũ à populo aliũ non capiat. *Alioqui, quos emendare volumus, fugamus*,

Communi habitu inuitantur homines ad salutem.

Auertit molles homines ab virtutis amore, qui vestem gerit cilicinam.

& à nobis auertimus, &c. quæ & Christo Domino lex erat, vt homines ad se traheret, non quidem habitu cilicino, *sed* (quod habet Chrysostomus) *communi hac veste tectus*, &c. *Hom.* 12. *in Matth.* probátque D. Thom. 3. *p. q.* 40. *art.* 1. Opponis, Christi vestes non viles pretio esse, cùm milites de tunica habenda talos iacerent, Ioan. cap. 19. num. 24. Respondet in loco Rupertus lib. 13. *Non vilia putabantur vestimenta, de quorum fimbriis contactis virtus exire consueuerat*, &c. Bene est; constat enim Christi vestes è lino, & lana confectas esse, communes quidem, non cilicinas.

Christi vestes erant in pretio ob virtutem sanandi. Ioan. c. 29. n 24.

9. A Christo Magistro hausit doctrinam adolescens ille, qui *exteriori quidem habitu nihil à cæteris differre videbatur*, &c. sic Chrysostomus *ad lib.* 3. *de Vita Monast.* animo tamen longè alius; vnde socios vrgebat facilè ad amores virtutis intimæ. *quibus rebus factum est, vt facilius plurimos contubernalium intra sua retia concluderet, cùm haberet intrinsecus latentem sapientiam*, &c. Trahit magnes ferrum vi occulta; sed quisnam foris magnes est? Decolor, obscurus, vilis, non tamen fœdus, nec fœtidus lapis est: quod benè quadrat in hominem vitæ integrum, communi habitu, sed non communi virtute, ad permouendos animos hominum. Hæc in vtramque paginam; quid velis, opta.

Ducit facilè ad viam rectè viuendi, qui suam communi habitu vitam agit.

Num. 17. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, vt visitaret populum suum Israël.

Commentarius.

47. MEnte admodum sana factum est, vt Hebræus opem à Deo posceret, totúmque animi conatum adhiberet; id enim est orare *ex toto corde*, &c. quod Græcè habet ἐν ὅλῃ δυνάμει, *ex tota virtute*, &c. Facit ad rem Dauid *Ps.* 128. *num.* 2. qui beatos laudat homines, Deíque amantes, si *in toto corde exquirunt eum*, &c. *non leuiter, neque segniter*, &c. quod habet Hieronymus. Nec Moyses voluit aliud, cùm admonuit Deut. c. 10. n. 12. *vt seruias Domino Deo tuo, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, &c. quod est Deum orare, colere, amare nec simulatè, nec partitè. Colebat Deum simulatè Iudæus ille, qui *dolosè egit in conspectu eius*, &c. *Ps.* 35. *n.* 3. simulabat enim se Deo hærere, qui à Deo procul aberat: eáque nota Iudæus adhuc laborat, si quid Isaias videt, cap. 29. num. 13. *Labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me*, &c. Vnde laus Iudæo magna est à Paulo Magistro, quòd verè fidem colat, 2. ad Timoth. 1. n. 5. *Recordationem accipiens eius fidei, quæ in te est non ficta*, &c. Quare homo verè pius, toto corde, & pleno ore orare Deum, colere, & amare dictus est, non simulatè, non partitè.

Ps. 128. n. 2.

Agenda bonis vita nec leuiter, nec segniter. Deut. cap. 10. n. 12.

Ineunda boni via, nec simulatè, nec partitè. Ps. 35. n. 3.

Isa cap. 29. n. 13.

2. ad Timoth. cap. 1. n. 5.

48. Perfectè Deum colis, si verè id agis, quod monet Iosue cap. 24. n. 14. *Timete Deum perfecto corde, atque verissimo*, &c. Formula hæc est conceptæ pœnitentiæ, lib. 2. Reg. cap. 15. n. 3. *si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum*, &c. Quisnam verè contrahit amicitiam? nónne, qui pleno id corde facit Machabæus? lib. 1. c. 9. n. 25. *Auxilium feret pleno corde*, &c. Itaque fide sana, vera amicitia, & affectu pleno Deum orat, colit, amat, qui toto id corde præstat. Neque enim simulatè, nec partitè amari Deus amat; quod habet Chrysostomus *Hom.* 43. *in Matth.* 22.

Iosue c. 24. n. 14. 2. Reg. cap. 15. n. 3. 1. Mach. c. 9. n. 25.

Hoc affectu si Deum oras, & adoras, parabis auxilium; quod visitandi verbo clausum est: vnde Hebræus Deum orabat, *vt visitaret populum suum*, &c. Græcè additur, εἰς ἀγαθὸν, *in bonum*, scilicet, vt doceat, visitare Deum aliquando in malum. Acerbè visitat, cùm acerbè Deus punit. Exod. c. 20. n. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus, visitans iniquitatem Patrum in filios*, &c. Quòd acerba fuerit ea Dei visitatio, patet ex Leuit. cap. 26. num. 16. *Visitabo vos velociter in egestate*, &c. Hæc & plura minatur Deus, Ps. 88. num. 33. *Visitabo in virga*, &c. Mitto reliqua, vt Amos rem absoluat, cap. 3. num. 2. *Visitabo super vos omnes iniquitates*, &c. vbi Hieronymus ducit metaphoram ab arte Medici, qui ægrotum visitat, cùm potionem miscet, venam scindit, vt & Deus visitare dicatur homines more Medici, cùm punit acerbè. *Pulchrè dixit: Visitabo, & non percutiam; quia Dei plaga, visitatio est, atque curatio*, &c. Vnde quæ in malum videbatur esse visitatio, in bonum, quod patet, versa est. Pergit Mendoça *in* 1. *Reg. cap.* 1. *n.* 21. & multa cogit, quæ ad visitationem Dei bonam pertinent. Illud mihi satis est, ex Ps. 105. num. 4. *Visita nos in salutari tuo*, &c. Quæ enim potior Dei visitatio, quàm vindicare homines à morbo animi? eximere à iugo seruitutis? & hæc à Deo bona fortuna, apud Sophoniam cap. 2. n. 7. *Visitabit eos Dominus Deus eorũ, & auertet captiuitatem eorum*, &c. Hæc illa est Dei visitatio, de qua Iosephus egit apud fratres, Gen. 50. n. 23. *Post mortem* (inquit) *meam Deus visitabit vos*, &c. seruitute scilicet excussa. Quare visitare, sacro textu, opitulari est. Nec Hebræus poscit aliud, quàm *vt visitaret Dominus populum suum*, &c. siue, vt inspiceret, quid auxilio opus esset; nam Græco textu verbum est ἐπισκέπτω, quod est, *viso*, & *inspicio*. Quasi Græcus vellet, non benè visitare, qui non intus inspiciat vim difficultatum, vt festinatò prospiciat, auxilio addito. Sed, vt ad caput redeam, cùm Hebræus Deum orat toto corde, bene video

49.

Acerbè Deus visitat, cùm punit. Exod. c. 20. n. 5.

Leuit. c. 26. n. 16.

Ps. 88. n. 33.

Amos c. 3. n. 2.

Cùm Deus punit, pungit vt medicus in salutem.

Ps. 105. n. 4.

Sophon. c. 2. n. 7.

Gen. c. 50. n. 23.

Satis Deo est vt prospiciat, si inspiciat.

Non benè visitat, qui mores non benè inspicit.

PARÆNET. XXIII.

Deum verè non colit, si non plenè colitur.

1. CVm Hebræus Deum *ex toto corde* orat, & adorat, duplex est parænetica; scilicet, vt Deum nec simulatè, nec partitè colas. Quis enim Deum verè colit, qui externo id cultu faciat, affectu vano? Aliter Paulus docet 1. ad Corinth. 1. n. 5. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & fide non ficta*, &c. Amouet Apostolus simulationes, vti pestes à Dei amore, & honore; ne quis putet Deum simulatè coli posse. Et hæc Dei ministro nota est honoraria, 2. ad Corinth. cap. 6. num. 6.

Simulationes à Dei aula procul. 1. ad Corinth. c. 1. n. 5.

2. ad Corinth. 6. n. 6.

Exhibeamus

Exhibeamus noſmetipſos, tanquam Dei miniſtros in multa patientia, in charitate non ficta, &c. vtique, vt charitas ſit integerrima, quod monet Athanaſius. Abige igitur hypocriſin, *quæ virtutes truncat mucrone virtutum*, &c. vti docet Chryſologus *ſer.* 7. An verè Deum colit, qui ex Dei cultu venatur gloriolam? Hæc Chriſto occaſio deprecandi Ioan. cap. 17. num. 17. *Pater, ſanctifica eos in veritate*, &c. Quo id affectu poſcat, in proximo eſt, num. 19. *vt ſint ipſi ſanctificati in veritate*, &c. Multa Deo cura eſt de auerruncanda ſimulatione, cùm ſciat certò eſſe homines, qui laruam induant ſanctitatis. Alia in loco alij, Caietano teſte. *Quanuis intelligi poſſit, vt ſanctificati ſint non fictè, ſed verè*, &c. Abigit à ſua ſchola Chriſtus homines ſanctitatis affectatæ; abigit & Apoſtolus, cùm bonum laudat virum, *qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis*, &c. *ad Epheſ. cap.* 4. *num.* 24. Et credit Anſelmus pungi, ac morderi à Paulo homines, *qui falſam iuſtitiam, & ſimulatam habent ſanctitatem*, &c. vtpote qui animo alij, habitu videntur alij. Eandem Paulus chordam tangit iterum *cap.* 6. *num.* 14. vbi ſermo eſt de vita caſta. *Succincti* (inquit) *lumbos veſtros in veritate*, &c. Neque enim Apoſtolus ferre poteſt, vt caſtitatem morum quis ſimulet, Anſelmo interprete. *In veritate*, (ait Apoſtolus) *non in ſimulatione; quatenus vera ſit noſtra caſtitas, non ſimulata*, &c. Quid prodeſt virtutem habitu præferre, ſi virtus animo non inſidet? Audias, neceſſe eſt, quod Philoſophus philoſophiam habitu venditans, *Barbam, & pallium video, Philoſophum non video*, &c. Sic enim barbatum magiſtrum tundit Herodes Atticus apud Agellium *lib.* 9. *cap.* 2.

Hypocriſis virtutes pereunt.

Ioan. cap. 17. n. 17. 19.

Quæ Deo placet virtus vera eſt.

Ad Epheſ. cap. 4. n. 24. cap. 6. n. 14.

Mordet Paulus homines virtutis affectatæ.

2. Quæ quidem nota viro bono fœda omnino eſt. Vnde meus Chriſtus hominem, qui Deum ſequi volebat, à parente ſepeliendo auocat Matth. 8. num. 22. *Sequere me*, (inquit) *& dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, &c. Quid peccat diſcipulus, ſi parentibus honores præſtat funebres, vt curam alumno exuendam Magiſter moneat? Erant in domeſticis tibicines, & lamentatrices, Hebræo more, ad leſſum concinnandum: quod patet ex Matth. 9. num. 23. *Cùm veniſſet Ieſus, & vidiſſet tibicines*, &c. & conſtat ex Ieremiæ cap. 9. num. 17. *Vocate lamentatrices*, &c. *Sed vbi verus planctus non eſt, ibi eſt empta, & mercenaria cantilena*, &c. teſte Chryſologo ad ſerm. 19. Quare æquum erat, vt Chriſtus alumnum procul auelleret à dolore ſimulato. Chryſologus iterum, *Chriſtus diſcipulum ſuum profanis luctibus noluit intereſſe*, &c. Verè doleas, verè ames, verè timeas, qui Deo verè placere velis: nec duces quæras virtutis ſimulatæ. *Neque enim eſt apud eos virtutes colere, ſed vitia colorare, quodam quaſi virtutum minio*, &c. Sic Bernardus *ſerm.* 60. *in Cant.* Odit Chriſtus ſimulationes, cane peius, & angue; nec ſinit impunè abire homines virtutis ſimulatæ. Iacit in Herodem Lucæ cap. 13. num. 32. *Dicite vulpi illi*, &c. Mordet ſcribam Matth. 8. num. 20. *Vulpes foueas habent*, &c. Homines ſcilicet doli artifices pungit Magiſter Dominus: vnde victor Antiochenus argumentum conficit aduersùs Ambroſium, Hieronymum, & viros alios, qui volunt iuuenem fictè dixiſſe Marc. cap. 10. num. 17. *Magiſter bone*, &c. Sed verè Princeps bonum appellat Magiſtrum. *Neque enim, ſi adoleſcens callidè animi vitium diſſimulaſſet, Chriſtus eum latere ſineret*, &c. ſic Victor; vt oſtendat, quo Deus odio ſimulatores perſequatur, qui verè Deum non colant; cùm planè id non faciant, nec ex toto corde. Bonus hac parte Dauid, ac Magiſter eſt, qui *Pſ.* 118. ſemel, & iterum, ac ſexties illud ſibi capit elogium, vt Deum, ac bonum Deum verè colat. Nam *num.* 2. beat homines, qui Deum amant. *In toto corde exquirunt eum*, &c. *num.* 10. id laudis ſibi arrogat. *In toto corde meo exquiſiui te*, &c. *num.* 34. addit, ſe de legis ſtudio cogitaſſe. *& cuſtodiam illam in toto corde meo*, &c. *num.* 58. oraſſe ſe docet affectu pleno. *Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo, num.* 69. iterum votum explicat de legis cultu. *In toto corde meo ſcrutabor mandata tua*, &c. tandem *n.* 145. precatur piè, ac verè, *Clamaui in toto corde meo*, &c. Multis ſuum Dauid affectum detegit, vt doceat verè ſe, non fictè permotum eſſe; quippe qui toto corde rem geſſerit. Neque enim temerè canit Dauid Pſ. 110. num. 5. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, &c. Auctore Hieronymo. Nam, *ſi non fuiſſet Dauid ſimplex, & dolum habuiſſet, non dixiſſet: Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, &c. quæ Hebræo virtus erat, cùm Deum oraret, *ex toto corde ſuo*, &c. Dictum hucuſque eſt, Deum verè, non ſimulatè colendum eſſe. Dicendum modò eſt,

Simulationes Chriſtus non patitur.

Matth. cap. 8. n. 22.

cap. 9. n. 23. Ierem. c. 9. n. 17.

Odit Chriſtus dolorem affectatum.

Virtutes colorat qui verè non colit.

Luc. cap. 13. n. 32. Matth. c. 8. n. 20.

Simulatores Deus malè habet.

Pſ. 118. n. 2. 10. 34. 58. 69.

Pſal. 110. n. 5.

Ille Deum verè amat, qui toto amat affectu.

PARÆNET. XXIV.

Deum non partitè obſeruandum eſſe.

QVi verè Deum, ac plenè amat, amorem non partitur in Deum, & hominem. Vt occurras malo amoris diuidundi, eſt in mandatis apud Moyſen Deuter. cap. 6. n. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*, &c. Quid hoc eſt? Verè non diligo, ſi toto Deum affectu non proſequor? id monet Theodoretus q. 3. *Hoc loco docemur, non ſcindere dilectionem*, &c. Minus enim Deum amat, qui partitè amat; & Auguſtino vox apud Deum eſt, in Soliloq. c. 19. *Minus te amat qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat*, &c. Quare Dauid in votis habet, & in precibus: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, &c. *Pſal.* 9. *num.* 1. Sic Dauid Deum obſeruat, vt pleno colat affectu. *Qui enim partitur cogitationes in Mammonam, & Deum, non poteſt dicere: Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, &c. ſic Theodoretus. Solitariè Deus amari amat. *Dominus zelotes nomen eius*, &c. *Exod. cap.* 34. *num.* 14. Quis maritus non ægrè ferat vxorem affectu communicato abire in virum alterum? *Ita & Deus vult ſolus à nobis coli, & ob hoc Zelotes vocatur*, &c. quod Abulenſis notat *q.* 23. *ad* 4. *Reg. cap.* 17. An temerè à Richardo Victorino dictum eſt, *Singularis amor conſortem non recipit, ſocium non admittit*, &c. *ad lib.* 4.

I.

Deut. c. 6. n. 5.

Amorem ne diuidas, affectu partito.

Affectus diſcindit, qui diſcindit cogitationes.

Exod. c. 34. n. 14.

Socium non admittit Dei amor.

lib. 4. de Contemplat. cap. 15. Imò sacrum est oraculum.

2. Quid si meus Christus nec in sponsa contemplanda consortem patitur? Domo egreditur virgo rusticella, vrbem lustrat, forum terit, vt Deum inueniat, *Cant. cap. 5. n. 6.* sed non inuenit. Vnde queritur: *Quæsiui illum, & non inueni*, &c. Addo sponsam velo rapto, malè mulctatam patuisse verberibus, & vulneribus, quæ sic dolet. *Percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum*, &c. Res noua, vt, quæ Deum quærit, sponsa acerbis agatur, & angatur modis. Sed pœnam meruit, quæ domo egressa fecit, ne solus sponsus sponsæ vultu frueretur. Sic Hieronymo visum est epist. 22. ad Eustoch. *Zelotypus est Iesus, non vult ab aliis videri faciem tuam*, &c. Quo enim modo sineret sponsus sponsam ab alieno videri, qui nec de viro alio cogitare vxorem sinit? Id ego ab Hosea disco *ad cap. 2. n. 16.* vbi Deus ad Synagogam, vti ad vxorem: *Vocabit me, אישי Isci, vir meus, & non vocabit vltrà Baali*, &c. Quid monstri in loco est? nónne Baali sonat, habens me? à verbo scilicet, בעל *bahal* quod est, *habere*. Constat liquidò; & inde vxor Hebræa maritum appellat *Baali*; sed quia Baalim, sono simili, Dæmon est, quod è multis patet locis, aliud sibi nomen Deus capit. *Ne, dum aliud loquitur, alterius recordetur, & virum nominans, idolum cogitet*, &c. sic Hieronymus *de Synagoga*. Tantum Deo studium est, ne tuum diuidas animum, amore partito, cogitatuque diuiso: & hæc verè amantibus cura est. Experto crediderim Augustino, in Manuali cap. 20. *Anima, quæ Deum amat, nihil potest aliud cogitare, nihil loqui*, &c. scilicet, vt caueat periculum dilectionis partiendæ: sciens frigere amantem posse, vel Angelum, oculis alium in amorem ducibus. Nosti ne cur Seraphines alis suos tegant oculos? apud Isaiam cap. 6. num. 3. *Duabus velabant facies suas*, &c. sic ex Hebræo textu eliciunt Chrysostomus *Hom. 4. in Isaiam*. Procop. D. Thom. Vatabl. scilicet amantes Angeli, flagrantesque affectu Seraphines, obuoluto amant vultu, ne quid videant, quod amorem auocet aliò.

Videri ab aliis sponsam non sustinet sponsus Deus.

Hos. c. 2. n. 16.

Amans Deus ne vocis quidem sono diuidi amorem tuiũ patitur.

Is. cap. 6. n. 3. Suos obtegũt oculos Seraphines, ne quid à Deo aliud videãt, quo amor intermittatur.

3. Hac mente virgo sapiens suum cubiculo Deum claudit, vbi animum aperiat suum, sine arbitris. Inuentum sponsa sponsum tenet manibus, Cant. 3. numer. 4. *Nec dimittam* (inquit,) *donec introducam illum in domum matris meæ*, &c. satis innuens, quid sibi metuat, si in forum abeat, etsi Deum secum ferat. Metus enim est, ne suum in alios amorem diuidat. Id Gilbertus aduertit serm. 11. in Cant. *Nouit illa dilectum suum non posse foris securè possideri, nec integrè quidem. Et quàm durum est, animum dimidiare cum Christo, & mundo*, &c. Nefas omnino putabat sponsa vel de Rebusp. curare, cum periculo dilectionis partiendæ; & constat, minus amare, qui in amando curam admittit aliam; alterius enim amoris compendium, alterius est dispendium. Illud è vulgo theologico est, non decuisse, vt per Angelum, ne dum per hominem simplicem, homo saluus esset; vnus pro humana salute Deus homo partes egit. *Ne alium nobis Dominum agnosceremus*, &c. hæc Athanasius *Orat. 3. contra Arian.* Ad rem meam potior est Hugo Victorinus, qui Dei laudat consilium de salute procuranda humani generis; probátque eam curam Angelo mandatam non fuisse. *Ne amorem diuideres, idem tibi factus est Creator, & Redemptor*, &c. vt caueret periculum amoris diuidendi Hebræus Deum orat. *Ex toto corde suo*, &c. amans scilicet, & colens, nec simulatè, nec partitè.

Cant. 3. n. 4.

Timet sponsa, ne suum cum hominibus amorem diuidat si domo abeat.

Nullum in sui amore cõsortium patitur Deus amans.

CAPVT V.

Num 1. Nuntiatúmque est Holoferni Principi militiæ Assyriorum, quòd filij Israel præpararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent.

Commentarius.

1. REbus iam paratis, Iudæoque instructo ad hostem arcendum, non defuere, qui Holophernem monerent de consulto Senatus Iudaici, & apparatu bellico, siue monitores fuerint exploratores ab Holoferne destinati; quod Lyra voluit: siue Oratores è vicino legati; quod vox Græca insinuat, ἀγγέλω. Potuit enim vicinus malus, vel metu adulatorio, vel odio Gentis finitimæ, rem explorare, ac deferre ad Holophernem Ducem. Inde tamen eruas, nihil temerè tentãdum esse, nisi via priùs tentata, quà eundum tibi est. Nihil enim homo prouider, si nihil præuidet, missis oculis in terram alienam, qui lentè inspiciant montes, agros, vrbes: ne qua dolus fiat, ne qua vis premat Duces imprudentes rerũ, si quid incõsultò, & festinatò aggrediantur. Vrget motus huiusce prudẽtiæ testudo Aquilã subuehens, quæ lentè festinandum esse docet. Vidit Salomon, quid profuerit lenta hæc, & prudens festinatio, *Prouerb. cap. 9. num. 1.* vbi monet. *Qui festinus est pedibus, offendet*, &c. prudens enim, ac sciens agit, qui ex consulto, non furore cæco, hostem aggreditur: ne cogatur audire, quod opponit Syracides cap. 20. num. 22. *Res fatui facilis in domum proximi*, &c. quò se ingerit mentis ineptæ homo, nec explorat, quà eat.

Consulto priùs, quàm facias opus est.

Prou. cap. 9. n. 2.

Eccl. cap. 20. n. 22.

2. Multo consultius Iosue, qui agrum Ierichuntinum aggreditur, missis in agrum, & vrbem exploratoribus; illud iterans cap. 2. num. 1. *Ite, & considerate terram*, &c. Prudentiæ id est bellicæ videre, scire, & manu premere, quid possit iuuare, quid nocere; ne quid ausis temerè, quod Abulensis obseruat. *& isti exploratores multum proficiebant; quia ex narratu eorum, sciebat Iosue, quo modo populus deberet disponi ad pugnam*, &c. *quæst.* 3. Et verò si Duces furore cæco hostem peterent, malè res cederet. Abulensis iterum. *Si non mitterentur exploratores, interdum bellum periculosè, & malè fieret*, &c. Quid Noë non cauet, priusquam ex arca exscendat in terram? *Gen. 8.* Emittit coruum, emittit columbam, n. 6. & 8. *vt videret, si iam cessassent aquæ*, &c. Sed erat adhuc vis aquarum ingens: ac proinde reuenit columba ore gestãs ramusculum oleaginum. Quid Noë? Exacta priùs hebdomada semel, & iterum columbam mittit,

Ios. c. 2. n. 1.

Malè cedit, quod inconsulto fit bellum.

Gen. c. 8. n. 6. 8. 10. 12.

mittit, *num.* 10. & 12. quod Noë cautè feciſſe viſus eſt; tentanda enim tibi via priùs eſt, qua eas, ne periculũ ſubeas temerè. Auctore Oleaſtrio. *Docemur hìc non ingerere nos periculis*, &c. niſi tentata priùs via, qua occurras. Hac igitur arte Holofernes, miſſis in terram exploratoribus, factus de Iudæo conſilio certus eſt. *Nuntiatúmque eſt Holoferni Principi militiæ Aſſyriorum, quòd filij Iſrael præparárent ſe ad reſiſtendum*, &c.

Vitandum mora periculum.

3. Non tamen diſplicent, qui docent, Legatos à vicina Gente homines malignè de Hebræo renuntiaſſe. Et quidem verbo ἀγγέλω id inſinuatur; factam ſcilicet Aſſyrio legationem, & à Legatis accepiſſe Holophernem, quid Hebræus moliretur. Solent enim hæc patrare, qui gratiam captant Principum; de hoſte malignè referunt, quòd inuidiam excitet, vel ſtudio adulandi, vel affectu nocendi. Magnum enim malum eſt, vicinus malus; ſi velit ſeſe in amicitiam Principum inſinuare. quod Eccleſiaſtes notat, illud ingerens, ne quis Regem, vel abſentem rodat, cap. 10. num. 20. *Quia & aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit ſententiam*, &c. vbi ſermo eſt de malis delatoribus, qui ſubauſcultant more ſycophantico, & ſubodorantur, quidquid dixeris, feceriſque, vt ad Regum aures deferant, adulandi ſtudio, animoſque moueant rebus malignè delatis; quod Lyra, cum Vatablo, notat. Neque enim occultatur facilè quod ſemel dicas, *ſi ſerui taceant, iumenta loquentur*, &c. teſte Laudunenſi. Nec mora accuſandi eſt, cùm delator alas ſibi nectat. *Et qui habet pennas, annuntiabit*, &c. & hæc Lyrano mens in loco eſt. *Quicumque enim relator verborum, velox ad referendum*, &c. Addit ſententiam non ſemel repetitam eſſe. *Ad maiorem confirmationem*, &c. vt cautè agas, & ſtudioſè excipias, quod ſtudioſè monet Sapiens: nec effundas temerè, quod aliò malus deferat adulator.

Adulatores modò placeant, malignè referunt.

Malum ingens vicinus malus. Eccl. cap. 10. n. 20.

Vt noceat, alas delator ſumit.

4. Malignum omnino genus hominum eſt publico exitio repertum; ſi qua Tacito fides eſt *lib. Annal.* 6. quos Titus flagris cæſos, Roma exactos voluit. Laudat id Suetonius *cap.* 8. imò delatores huiuſce licentiæ: *Traductos per Amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſeruos, ac venire imperauit, partim in aſperrimas inſularum auehi*, &c. Et ſi qua Poëtis fides eſt,

Delatores ſeruile genus.

Iam delator habet, quod dabat exilium, &c.

apud Martialem *Epigr.* 4. *ex lib.* 1. Mitto, quæ Traianus in delatores ſtatuerit; vide Pliniũ, & Lipſium *in Panegyrico*. Aduersùs hoſce Patriæ malos genios, acclamatum in Senatu eſt, *Delatores ad metum, delatores ad fuſtem, delatores ad leonem*, &c. quod habet Lampridius *in Commodo*. Vnde non ineptè Domitianus auſpicatur imperium, à delatoribus malè mulctatis. *Ferebaturque vox eius: Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat*, &c. apud Sueton. *cap.* 9. Cur tamen Imperatores non premant abſurdum adeò genus hominum, vt taceat Pontifex criminatores Gentis Iudaicæ? quaſi velit inſinuare,

Delatorum licentia premenda.

PARÆNET. I.

Delatores infimum genus hominum.

1. FLagrant ſtudia ſycophantica; nec deſunt, qui malignè de hoſte referant, vt Regum animos ſibi faciles alliciant. quod 1. *Reg. c.* 19. *n.* 19. textus notat. *Nuntiatum eſt Saul, à dicentibus, Ecce Dauid*, &c. Quinam verò homines? qui more ſolito dicunt aulici, & malè carpunt homines alios, vt in Regis amicitiam ſe ſe inſinuent. Hac tamen de re habes *Parænet.* 2. *ad cap.* 2. Illud in loco obſerues licet, nomen delatoribus inditum non eſſe. Dubium eſt, quibus placuerit Holophernem admonere de Hebræo hoſte; dubium, qui Saulem monuerint de latebris Dauidicis. Neutris enim hominibus nomen eſt, quaſi puderet delatores actionis turpiſſimæ. Et verò turpe eſt deferre homines affectu ſycophantico. Proditorem ſui pungit meus Chriſtus Luc. 22. n. 21. *Ecce manus tradentis me*, &c. Quid enim Iudas fecit aliud, quàm Magiſtrum deferre apud Hebræos Iudices? id cùm acciperent Apoſtoli, proditorem captant, *num.* 23. Deinde addit textus num. 24. *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior*, &c. Contentio, quod patet, importuna: agere diſcipulos de primatu, cùm Magiſter ageret de proditore. Sed voluit bonus quiſque à ſe trudere ſuſpicionem proditionis, cenſu inito honeſtatis domeſticæ: & hæc occaſio, vt certarent Apoſtoli de principatu. *Veroſimile eſt, quod inter ſe dixerint alter alteri: Tu proditurus es, & inde eò peruenerunt, vt dixerint: Ego ſum melior, ego maior*, &c. Sic Theophylactus. Quaſi nota abſurda proditoris non caderet in hominem bonum, vel magnum virum.

1. Reg. c. 19. n. 19.

Flagrat aula delatoribus.

Delatores nomen perdunt, quaſi infames.

Luc. c. 22. n. 21. 23. 24.

Delatorum turpe miniſterium.

2. Delator apud Saulem Doëgus eſt 1. Reg. cap. 22. num. 9. *Vidi* (inquit) *filium Iſai in Nobe, apud Achimelech*, &c. Nec *Pſalm.* 51. titulus eſt alius, *Intellectus Dauid, cùm venit Doëg Idumæus, & nuntiauit Saul*, &c. Accuſatus à Doëgo Dauid tantam contraxit inuidiam, vt Achimelecho amico nocuerit amicitia, num. 16. *Morte morieris Achimelech*, &c. Quis tamen homo Doëgus eſt? id textus habet cap. 21. num. 7. *De ſeruis Saul*, &c. Deinde, erat *potentiſſimus paſtorum*, &c. Itaque homo de ſeruili grege, ac ſeruili geneſi, alumnus artis paſtoritiæ, præfectus mulis paſcendis. quod in Græco textu eſt, νέμων τὰς ἡμιόνους, *paſcens mulas*, &c. Magnus omnino homo eſt accuſator, ſuopte ſcilicet genio, mulio. Non potuit non tam vilis homo ſeruire accuſationibus texendis. Miror, cur appellari ſuſtinuerit, qui fœdis actionibus animum adiecit? Aliam puero fortunam Moyſes proſpexit, quippe qui adoleſcentuli delationem explicat; non tamen delatorem exprimit. Num. cap. 11. num. 27. *Cucurrit puer, & nuntiauit Moyſi*, &c. Edunt in caſtris oracula Eldadus ſimul, & Medadus, ſuſpecti puero homines. Quare viam puer init, & Moyſen adit; ne quid neſciret de re ſuſpecta. *Omnia enim Principibus nuntiantur, præcipuè, quæ ad eorum iniuriam pertinent: ita nuntiat iſte, quæ Rectoris animum poterant mouere*, &c. ſic Oleaſtrius. Quis tamen puer in loco nuntius, niſi ſeruus? modo loquendi

1. Reg. c. 29. n. 9. Pſ. 51. n. 1.

1. Reg. c. 21. n. 7.

Seruus, ne dum mulio, delator.

Num. cap. 11. n. 27.

Apud Regem de ſua iniuria malignè referunt adulatores.

quendi vsitato,& Græco verbo, *νεανικὸς* enim *adolescentulum,& seruum* sonat. quasi accusare homines, de seruili sit ingenio. Addo puerum à Moyse nominatum non fuisse. Fortasse nomen suppressit Moyses, vt puero consuleret; ac si puderet adolescentulum delatorem cognosci,ac nominari.

Accusant homines seruili genio.

Delatorem Moyses tacet, ne inurat notam.

3.

Nota est,quæ in seruum cadit,& in Diabolum. Nam Latinè *delator*,Græcè *διάβολος* est. quod Tertullianus innuit ad lib. de Anima, cap 35. *Legimus Sanctorum criminatorem,& de ipso Diaboli nomine delatorem*, &c. Honesta profectò cura hæc deferendi, & accusandi, quæ in Diabolum conuenit, & in Diabolum multis nominibus infamem. Video appellatum à Iohanne Draconem, serpentem, *Apoc.* 12. *num.* 9. priusquam Diabolum. *Proiectus est Draco ille magnus,serpens antiquus*, &c. Ac tandem addit,*qui vocatur Diabolus,& Satanas*, &c. delator scilicet,& aduersarius.Ac si Ioannes vellet,delatores suapte natura aduersarios esse humani generis, quos vti pestes Rerump. Titus,*partim in seruos subiici, ac venire imperauit*,&c. Sueton. *cap.*8. Pœna iustè decreta accusatores hominum afflixit Titus, illud insinuans, delatores hominum homines esse notæ infimæ, Diabolos scilicet humana specie. Diabolus ille, & Satanas est, qui in Senatu Angelico Iobum mordet. Euocati accessere Angeli,Iob cap. 1. num. *6. vt assisterent coram Domino*,&c.ac de re humana rationes inirent, calculosque mouerent: quod monet Chrysostomus, *Adfuit inter eos etiam Satan*,&c. Eo se loci ingerit aduersarius, quo suam delator artem moueat,*vt accusaret,vt detraheret,vt reprehenderet*,&c. sic Origenes *lib.* 1. quod quidem textus bene aperit *num.* 11. vbi Satanas apud Deum, *Extende paululum manum tuam, nisi in faciem benedixerit tibi*,&c. Hæc Diabolo mens erat, cùm se Angelis insereret. Laudat Iobum Deus, accusat Dæmon, vt hominem Dei intimum suo de loco deiiciat,quæ delatorum vita est, cùm aulam terunt, & Principes captare volunt. Fœda omnino opera, quæ à Satana trahit initium. Abeant delatores improbi, abeant in insulas ferri crepinas insignes dolo homines,quibus nomen in loco non est,cùm deferrent ad Holophernem,quid Hebræus agitaret ad hostem arcendum; quos nam montes occuparet, ad viam intercludendam; quos nam agros impediret, ad equos obterendos. Addit enim Græcus posuisse Hebræum, *ἐν τοῖς πεδίοις σκάνδαλα, in campis scandala*, &c. In scandalis agnoscat Liuius *lib.* 44. *dec.* 4. ceruos ferreos, qui aditu claudant Assyrio: inueniat Silius cæcos stylos, qui lædant equos.

Diabolus verè delator.

Ap.c.12. n.9.

Delator humanæ gentis hostis.

Iob c. 1. n.6. 21.

Angelis se miscet Diabolus,vt malignè deferat.

Delatores apud Holophernem viles, quibus nomẽ non est.

Et stylus occulitur,cæcum in vestigia telum, lib.10. Hoscе stylos Curtius appellat murices *lib.*4. Valer.*lib.*3. *cap.*7. quos vti stimulos Romanis Gallus obiecit, *lib.* 7. Sunt enim impedimenta,quæ vel hostem verant progredi; vel progredi conantem lædunt: de quibus Lipsius accuratè *lib.* 2. *Dialog.* 2. *Polyorceticôn.* Hæc Hebræus,vt Holophernem à se trudat:qua de causa,

Num. 2. Furore nimio exarsit in iracundia magna, vocauitque omnes Principes Moab, & Duces Ammon.

Commentarius.

VErba verbis addit textus:ac si nulla sufficeret oratio ad explicandam vim irarum, quas Holophernes concepit aduersùs Hebræum: modo tamen loquendi vsitato res agitur,quod patet ex *Deut.cap.*3.*num.*13. ex 1. *Reg.cap.*9. *num.*20. ex *Ierem. cap.*33. *num.* 37. Petis fortasse, cur Holophernes excanduerit furore altè concepto? Sed natus è superbiæ tumore furor est; quod Lyra notat. Dolet Holophernes superbè tumens se ab Hebræo contemptum esse. *Superbo enim fastidiri acerbius est, quàm non timeri*, &c. In hac censura meus est Seneca *ad lib.* 5. *de Benefic. cap.* 6. Et verò cùm superbus homo Diis se parem credat,indignatur maximè,si quis obsistat,& iras cum maledictis proflat.Iobum mordet acerbè Magister Suhites, vti laborantem morbo sapientiæ, *cap.* 18. *num.* 2. vbi vrget, *Intelligite priùs,& sic loquamur*, &c. Mitto, quæ in loco plura Suhites iacit. Sed vnde tantus Magistro furor est? Contemptum se à Iobo putat: inde voces tristes aduersùs Iobum num. 3. *Quare reputati sumus,vt iumenta*,&c. Ac deinde probra iactat. *Quid perdis animam tuam*, &c. *n.*4. Id Suhites, more superbi hominis, opponit. *Quia superbi, cùm se despici suspicantur, ad contumelias prosiliunt*,&c. sic Magnus Gregor. *lib.* 14. *cap.* 2. Ægrè patitur superbus homo contemptum sui;iratus obloquitur, ac debacchatur.

5.

Deut. c.3. n. 13.

1.Reg. c. 9.n. 20.

Ier. cap. 33. n.37.

Superbũ contemni, eruciari est.

Iob c.18.n.2. 3.4.

Quàm sæuus in pueros Herodes est?id textus habet Matth.2.num.16. *Iratus est valde,& mittens occidit omnes pueros*,&c.Scio Herodem indignatum, ac debacchatum grauiter, libidine dominandi. Sed quæ Regem vis impulit ad sæuiendum largè, contemptus fuit. *Videns, quoniam illusus esset à Magis*, &c. Ac si Matthæus vellet,Herodem à Persis despectum, ac deceptum ira in furorem versa, ad stragem edendam prouolasse?quæ superbi Regis natura est, & censura Chrysostomi Hom.2. *Contemnentes eum Magi addiderunt causas doloris*,&c. scilicet, Herodes superbè tumens, doluit immanè abiisse Magos clandestinò, & nihil de re mandata retulisse. Mori Herodes maller, quàm à Persis contemni. Hasce dolendi, & sæuiendi rationes exponunt delatores apud Chaldæum *Dan.* 3. *num.* 12 statuam ex auro factam non colunt iuuenes: adsunt accusatores,& Regem vrgent;qua tamen voce? accipe. *Viri isti contempserunt Rex decretum tuum*, &c. Nouerant accusatores bene, Regem sui contemptu excitari maximè ad furorem: quod textus habet. *Tunc Nabuchodonosor in furore, & ira præcepit*,&c.Ad rem Lyra. *Ex contemptu sibi facto, secundùm suam æstimationem*, &c. Ferre non potest superbus homo se ab alio,ne dum à vili mechanico,fastidiri: inde iras trahit, & iras graues. Hasce iras Holophernes accepisse visus est. Nam, *furore nimio exarsit*, &c. cùmHebræus ceruices tolleret,& hostem

6.

Matth. c. 2. n. 16.

Superbus facilè probra iacit.

Superbo contemptus dolorem auget.

Dan.cap.3. n. 12.

contem

contemneret, locis ad bellum instructis. quæ à Lyra disco. *Ex superbia* (scilicet) *credebat, quòd nullus auderet moueri ad resistendum sibi*, &c.

7. Et quidem, ea est natura superbi hominis, vt occidi malit, quàm ab hoste contemni. Mandat Gedeon Iethero, vt Reges interimat. Iudic. 8. num. 20. *Surge, & interfice*, &c. Nihil iste, nec ausus; & ratio de textu est, *Adhuc puer erat*, &c. sensêre se ab Hebræo contemptos esse Reges, ac doluere; proindeque rogarunt, num. 21. *Tu surge, & irrue in nos*, &c. Mortem igitur cùm precantur tristes homines, mortis genus deprecantur, à puero scilicet ferendæ. *Propter honorem* (teste Abulensi,) *quia magis horrebant mori per manum pueri*, &c. *q.* 17. cùm pœna ex contemptu irrogata esset grauior superbis hominibus. Iam verò superbum hominem, vili manu tundi, ac trudi, acerbitas omnino magna est. Id pœnarum, Diabolum quatiens, minatur Deus, Gen. 3. num. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, &c. Bellum omnino sæuum erit, non inter te, & virum: sed inter te, & fœminam, quod notat Abulensis, vt Dæmon grauiùs doleat se à fœmina deiectum esse. *Magna* (inquit) *hæc pœna Diaboli, quia superbus est; superbi enim dolent valdè, quando aggrediuntur & vincuntur, maximè à sexu fragili*, &c. Hoc morsu Holophernes doluisse visus est; cùm enim Hebræum paruj faceret, quod patet ex interrogatiuncula: *Dicite mihi, quis sit populus iste?* &c. *num.* 3. non potuit non indignari maximè, se à vili populo despectum esse. Vnde ira magna, & furor nimius. quo affectus morbo Holophernes senatum cogit.

Iudic. cap. 8. n. 20. 21.

Mori, quàm despici maeult superbus.

Genes. cap. 3. n. 15.

Dolor Diabolo ingens est, quod vincatur à sexu muliebri.

Vocauitque omnes Principes Moab, & Duces Ammon.

Commentarius.

8. SCitè Princeps agit, cùm Duces euocat in senatum, vt consulat de re dubia. sic agendum moneo *ad c. 2. n. 2. in Comment. & Paræn.* 3. scilicet, quæ à consilio iuuantur vires, bene procedunt. Inde est, quòd Isaias virtutem bellicam, & sacrum miscet consilium, virum enim laudat *cap. 11. num. 2.* in quo erat *spiritus consilij, & fortitudinis*, &c. quasi virtus mole ruat sua si desit vis consilij. Sed quos nam homines in consilium adhibet Holophernes? *Omnes* (scilicet) *Principes Moab, & Duces Ammon*, &c. Quis Moabites, quis Ammonites fuerit, & vnde suum quisque genus traxerit, satis patet ex *Gen. 19. num. 37. & 38.* Quid si Ammonites in loco Idumæus fuerit, sub habitu, & vexillo Ammonitico? Id enim fecit Idumæus aduersùs Iosaphatum ne videretur pugnare, iure læso fraternæ charitatis. Textus hac de re est 2. Paralip. cap. 20. num. 1. *Congregati sunt filij Moab, & filij Ammon, & cum illis de Ammonitis*, &c. An Ammonitæ à filiis Ammon alij significantur? Aio cum Serario: docet Hugo ex Ordinaria: putat Hieronymus *in tradit. Hebr.* Idumæos scilicet collectos esse aduersùs Iudæum, sub habitu, & vexillo Ammonitico; inde Ammonitas vocari, non reapse fuisse. Addo ego, coniectura satis probabili, hosce Ammonitas videri Idumæos, de quibus textus agit *cap. 3. num. 14.* Quos inter Holophernes consedisse dictus est. Heliachimus enim Moabitas dicit Principes, Ammonitas verò Duces. quod maximè quadrat in Idumæos, cùm Idumæam Duces tenuerint, non Reges, sub regno Iudaico. Redeo *ad Gen. 36. num.* 15. quo textu censentur priùs Duces, deinde Reges *num. 31.* ac tandem, post Reges exactos, recurrunt Duces alij *num. 40.* quos textus habet 1. Paralipom. cap. 1. num. 51. *Adad mortuo, Duces pro Regibus esse cœperunt*, &c. Vide Abulens. *q. 27. in Paralip. cap. 1.* Durasse Duces Idumæos, quo æuo Iudæi Reges durarunt, colligo ex 3. *Reg. cap. 22. num. 48.* vbi textus est, *Nec erat tunc Rex constitutus in Edom*, &c. Opponis, textum de Iosaphati sceptro esse; quo tamen æuo non defuisse Reges Idumæos, habes 4. *Reg. cap. 3. num. 9.* sic in loco. *Perrexeruntque Rex Israel, & Rex Iuda, & Rex Edom*, &c. scio, quid Abulensis monuerit *q. 7.* Regem scilicet Hedomæum, hoc textu, Proregem esse, & Iosaphato subditum.

Gen. cap. 36. n. 15. 40.

1. Par. cap. 1. n. 51.

4. Reg. c. 22. n. 48.

4. Reg. c. 3. n. 9.

Vrges adhuc, sub Ioramo constitutum ab Idumæa vniuersa Regem fuisse potestatis absolutæ, patet ex 4. Reg. cap. 8. num. 20. *Recessit Edom, ne esset sub Iuda; & constituit sibi Regem*, &c. sed negat Abulensis *q. 33.* & addit, *Vocatur Rex, quia vice Regis fungitur*, &c. Non video, cur id velit Abulensis. Nam si Idumæus à Ioramo defecit, & Regem creauit, non ille deinceps Iorami vices egit. Illud ego puto, tantam ab Idumæo defectionem, à Iudæo compressam fuisse: quod textus fortasse dedit, *num. 21.* vbi Ioramus, *surrexit nocte, percussisque Idumæos*, &c. Ac proinde regnum occupauit Hedomæus, non obtinuit certa, ac stabili possessione. Pergo vltrà, & Reges in Idumæa fuisse, nego, cùm Dauid regnaret, & Manasses regnum teneret, scio enim Adadum à Ioabo occisum; quod habes 3. *Reg. cap. 11. num.* 15. vbi textus est; *cùm esset Dauid in Idumæa, & ascendisset Ioab, & occidisset omne masculinum in Idumæa*, &c. scilicet, quicumque vim vi repelleret. Ac proinde *fugit Adad*, num. 17. filius vtique Regis Adadi à Ioabo interfecti: de quo *ad Paralip. cit.* Quare Adadum II. regno patrio exturbatum appellat textus *Idumæum, de semine Regio*, &c. 3. *Reg. cap. 11. num. 14.* Bene est; vnde tamen eruis Reges Idumæos defuisse Manasse regnante? Nemo nescit Isaiam vatem sub Ezechia, & Manasse vixisse, & propheticè debuccinasse, *cap. 34. num. 5.* aduersùs Idumæos hostes. *Inebriatus est in cælo gladius meus, super Idumæum descendet*, &c. Nemo deinde negat, minatum Deum, quo ferro Duces esset peiturus, ad extremam vsque internecionem, n. 12. *Nobiles eius non erunt ibi: Regem potiùs inuocabunt*, &c. siue desiderabunt; quod ego interpretor: & facit ad interpretationem Hebræa schola. Nam locum vertunt ex Hebræo textu Vatablus, & Oleastrius. *Duces eius ibi Regem non vocabunt*, &c. Ac si vellet: Idumæam vltrà Duces, non Reges tenebunt Vnde probes facilè, sub Ezechia, & Manasse Idumæos

9.

4. Reg. c. 8. n. 20. 12.

Fortuna Regum vitrea varia.

3. Reg. c. 11. n. 15. 17.

3. Reg. c. 11. n. 14.

Isa. cap. 34. n. 5. 12.

Idumæos Reges defuisse, interfuisse Duces rebus Idumæis. Ne quis neget Ammonitam in loco Idumæum esse, cùm Duces, non Reges habeat; Holophernes enim in Senatum, *vocauit omnes Duces Ammon*, &c. Cur Idumæus nomen, habitum, vexillumque mutauerit, vt pugnaret aduersùs Iudæum, ratio est ex Hieronymo. *Quia ex reuerentia paterni nominis, nolebant in pristino habitu arma sumere contra Israël: sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum*, &c. sic Hieronymus *in tradit. Hebr.* quasi puderet homines, quòd fratres armis peterent. Sed ab Hugone disco, Idumæum sacro textu appellatum fuisse Ammonitam, ne famam proderet fraternæ improbitatis. *Maluit Scriptura, quod gerebatur, associatorum vocabulo notare, quàm impietatem impudentium publicè diuulgare*, &c.

Pudet fratrem quod fratrem ladat.

Tegit Deus errata aliena.

10. Exciderat animo, collectum ab Assyrio Senatum, cùm sentiret se ira commotum, vt hostem perderet. Nam Holophernes, *furore nimio exarsit*, &c. Ac deinde, *vocauit omnes Principes*, &c. scilicet, vt iram consilio premeret, quæ in dolore puniendo virtus nota est: si quid rectè monet Seneca *ad 1. de Ira, cap. 14.* vbi docet, *Nihil minus punientem decet, quàm irasci*, &c. Laudo, quæ Salomon, vt iratum moneret hominem, Prouerb. cap. 12. num. 16. *Fatuus statim indicat iram suam*, &c. Parum ostendit prudentiæ, qui lentè non procedit ad vindictam scelerum; facilè enim modum soluit ira præceps. Si quis tamen iram cohibet, verè sapit, & sibi consulit, Auctore Hieronymo. *Hæc enim est iræ natura, vt dilata languescat, & pereat; prolata magis, magisque ferueat*, &c. Seruo Socrates, *Iam te* (inquit) *cæderem, nisi irascerer*, &c. Addit Seneca lib. cit. cap. 15. *Serui admonitionem sanius in tempus distulit; illo se tempore admonuit*, &c. quasi vellet Seneca, Philosophum immodestè puniturum, si consultò iram non differret. Piè Iacobus vrget pietatem hominis in dolore puniendo. *Sit omnis homo tardus ad loquendum, & tardus ad iram*, &c. *cap. 1. num. 19.* Ne, quod iratus aggreditur, sine modo faciat. *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur*, &c. quod Iacobus addit; & interpretatur Magnus Gregorius lib. 5. Moral. cap. 30. *Quia dum perturbata mens sibi iudicium rationis exasperat, quod furor suggerit, rectum putat*, &c. Vides quo cæcitatis vrget hominem furor ingens, vt mero in meridie cæcutiat. Inde est, Augustino Magistro, quòd *nulli irascenti ira sua videtur iniusta*, &c. *Epist. 148.*

Ira consilio dirigenda.

Pr. c. 12. n. 16.

Mora soluitur ira.

Philosophi est iram differre.

Iac. c. 1. n. 19.

Vindictæ iratus iustitiam reputat.

11. Quare Augustum Athenodorus monebat amicè, vt iratus nihil diceret, facerétque, priusquam literarum summam secum supputaret; quo id lucro? *Hac mora pertinax ira residet*, &c. ita Seneca *lib. 3. de Ira cap. 12.* Addo ego, hac vna mora, & quod iustè decernendum est, rectè discernitur. Nemo est, qui tempestate excitata bene philosophetur. *Sic neque in ira*, &c. monet Chrysostomus Hom. 17. in Acta. *Ira enim nihil permittit videre*, &c. Nec alius Ambrosio metus erat, cùm piè admoneret lib. 5. in Luc. *Præclarum est motum consilio temperare: nec minoris virtutis ducitur cohibere iracundiam, quàm omnino non irasci*, &c.

Cæca in decretis ira est.

Cùm saperet Holofernes, ira commotus graui, euocat in Senatum consultores, ne festinaret ad censuram scelerum. Sed quos nam euocat homines? qui se ingerunt in Senatum Principum? qui se insinuant in Regum aulam? non ita. Sed Holophernes cogit potius homines, quàm ducat in Concilium. *Vocauitque omnes Principes*, &c. Probat id signanter vox Græca, καλέω; quæ tam sonat *euocare* in aulam, quàm *prouocare* ad pugnam. scilicet Achior, ac Duces reliqui, dum coguntur in Senatum militarem, cogi videntur ad ludum bellicum. Vnde colligas

Qui sese ingerunt consultores, suspicionem mouent.

PARÆNET. II.

Suspectum, qui se ingerat administrum esse.

I. LAudo Traianum, quippe qui præfectum Prætorio hominem esse voluit; non qui in aulam irrueret importunè, sed qui ab aula procul abesset: vnde natus Plinio panegyricus. *O rem literis commendandam! Præfectum Prætorij nõ ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus eligere*, &c. Eo vtique delectu monet Imperator suspectum omnino esse hominem, qui à Rege petit sellam curulem: quod notat Syracides *cap. 7. num. 4.* Nec meus Christus administrum velit rerum sacrarum, qui locum ambit honorarium; ac sese ingerit, licèt non vocetur. Quæritum multis est, cur Magister hominem, vti ineptum rebus sacris, longè abegerit, fraudes hominis ita vellicans, *Vulpes foueas habent*, &c. *Matth. 8. num. 20.* Certè Legum peritus suam in Christi schola operam latè pollicetur num. 19. *Magister, sequar te, quocumque ieris*, &c. Sed repulsam patitur. Siue quod dolosè promisisset, & placitum commune est: siue quòd scholam ambiisset causa lucri parandi, visum id Hieronymo est: siue quòd suam superbè operam venditasset in virtutum schola, & hæc Tertulliano mens est 4. *contra Marcion. cap. 23.* Tertulliano Rupertus hæret *lib. 7. in Matth.* Addit tamen hominem à Christo damnatum de ambitu honoris Apostolici. Id enim captabat Legum peritus, cùm sese ingereret. *Magister, sequar te*, &c. Vnde Christus abigit hominem, illud regerens, *Vulpes foueas habent*, &c. Abito procul mala vulpecula. *Dum me & fallere, & nimia ambitione sanctus videri cupis*, &c. sic Rupertus. Ferre meus Christus non potest hominem, qui sanctitatem venditat, & honorem ambit Apostolicum. Idque putat Abulensis quæst. 57. *Quia iste non erubuit petere rem magnam, & habere dignitates aliquas apud Christum*, &c. Ineptum muneribus Apostolicis hominem, qui sese ingereret, putauit Christus.

Trahen ds in senatum, qui se modestè subtrahit.

Ecc. c. 7. n. 4.

Qui pro se rogat, suspectus est.

2. A Satana id est vitium. Aderat Senatus Angelicus, vt apud Magnum Deum ageret de rebus ad salutem publicam attinentibus, scilicet Iobo Auctore, *vt assisterent coram Domino*, &c. *cap. 1. n. 6.* quod interpretatur Chrysostomus. Quid inde? *Adfuit inter eos etiam Satan*, &c. Illud sciolus Dæmon curat, ne quid agatur sacra in aula, quod non exploret, quod non excutiat. Accitus in Senatum Dæmon haudquaquam est; sed insinuat sese Angelicum

Iob. c. 1. n. 6.

Quid inter Angelos fiat, malignè explorat Diabolus.

licum in concilium importunè: quo genio homines rimam quærunt, vt se se in Regiam ingerant, monitis in locum datis. Hosce ego homines procul abigerem à Rebusp. euocarem in aulam, quos nulla de honore captando cura mordet. Nam lex à Bernardo est, ad Eugen. lib. 4. *Itaque non volentes, neque currentes; sed renuentes etiam cege illos, & compelle intrare*, &c. Lego seniores suas Deo tiaras detulisse; Apoc. 4. num. 10. *& mittebant coronas suas ante thronum*, &c. Homines erant, qui proiecta cura regni administrandi odores Deo incendebant, cap. 5. num. 8. *Habebant phialas plenas odoramentorum*, &c. Id eo respectu factum credit Petrus Damiani lib. 1. epist. 9. *Quia, vt puriores Deo valeant orationes in odorem suauitatis offerre, à cunctis se mundi huius studeat actibus segregare*, &c. Addo seniores tiaris piè abiectis, adhuc Reges esse, num. 10. *& regnabimus super terram*, &c. Curauit id Magnus Deus, vt sceptrum seniores non deponerent. Ac si vellet dignum honore esse hominem, qui honorem non curat, non ambit, non petit, *Nam qui pro se rogat, iam iudicatus est*, &c. si Bernardo credis, lib. cit. ad Eugenium. *Erat Saul electus, & bonus*, &c. 1. *Reg. cap. 9. num.* 2. Quàm iustus in Saulem honor quadrat regni administrandi! Non qui sceptrum petit, sed qui ad septrum petitur. *Saul interpretatur petitio. Sic Prælatus debet postulari, non se ingerere, vt sit vocatus, tanquam Aaron*, &c. Ita Stephan. Carthus. *in Allegor. ad 1. lib. Reg.*

Apoc. cap. 4. num. 10. cap. 5. n. 8.

Auocat à rebus sacris lègè cura rerum humanarum.

Honores meretur qui reijcit.

1. Reg. cap. 9. n. 2.

Pene Remp. gerit, qui non postulat.

3. Non inuenio, cur Deus Moysen vti refractarium non abegerit ab officio legationis obeundæ. Patet ex 3. *Exod. n.* 10. quid Moyses egerit, ne munus obiret; patet, quid Deus egerit, vt Moysen vrgeret. Quid mi Domine? an tibi desunt homines, qui negotium exequantur? Pertinax sua in hæresi Moyses, abscondat faciem suam: alium tibi hominem inuenias facilè, si te hîc fastidit Amyntas. Sciebat Deus Opt. dignum officio esse hominem, qui officium abnuisset, nec administer nisi vocatus obiret. quod à Ruperto discas lib. 1. in Exod. cap. 13. *Sed sic absconditus inueniri, sic demissus magis merebatur à Domino subleuari*, &c. est enim gradus ad honorem honoris contemptus; iustè magistratum capit, qui non captat, venator honoris publici. Vel meus Christus Pontificatum non prius init, quàm Pater iubeat, Ps. 109. n. 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, &c. Imò Christus Pontificatum non obit, priusquam Pater iuramento concepto adigat, n. 4. *Iurauit Dominus*, &c. *Tu es Sacerdos in æternum*, &c. Vnde Iustinianus, bellè docet *serm. de Euchar.* Si Christus Dominus, *cùm esset sanctus, innocens, segregatus, à peccatoribus minimè Pontificem semetipsum instituit; quid nocentes agere in hac causa debent?* &c. monet Iustinianus suspectum esse hominem, qui Pontificatum ambierit; & hausit mentem ab Apostolo ad Hebr. cap. 5. num. 4. & 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret*, Velos. in Iudith.

Exod. cap. 3. num. 10. 12.

Magistratum iure consequitur, qui repudiat.

Psal. 109. num. 1. 4.

Pontificatum capit merito, qui non captat.

Ad Hebr. cap. 5. n. 4. 5.

&c. Illud in loco docet Apostolus: Qui honorem iustè captat auidè, honorem iustè non capit: sed qui ad honores trahitur manu iniecta. Opponis, Danielem Chaldæa in aula Principem egisse. Nam, *Iubente Rege indutus est Daniel purpura*, &c. *cap. 6. num.* 29. Nihil tamen Vates captauit honoris publici, cùm sellam curulem occuparet iure merito sapientiæ. Inde est, quod Regina monet, vt Daniel accitus in aulam veniat, num. 12. *Nunc itaque vocetur Daniel*, &c. Planumque illud est, abesse ab aula hominem, quem Regina accitum voluit. Sed non erat Daniel de grege hominum, qui frequentant Regiam, causa honoris parandi, & ingerunt sese in Regum oculos: vocatus adest, & vti tractus, vti Achion, ac Duces reliqui in senatum militarem; quod textus insinuat, *Vocauitque omnes Principes Moab*, &c. Deinde consultores parat Holophernes iratus grauiter, ne festinatò pœnas sumat; illud insinuans,

Dan. cap. 6. n. 29.

Iussus magistratum init Vates.

Aulam non amat, quæ vocatur in aulam Vates.

PARÆNET. III.

Morosè in Deo puniendo cunctandum esse.

1. DIsquirit Plutarchus *Problem.* 82. quare lictor ante Prætorem fasces loro colligatos ferret? Sed illud ex facto Græcus eruit, cunctanter puniẽdum esse, lenitate priùs consumpta. *Virgarum* (enim) *solutio mora, & tarditate iram frangit, impetum moderatur*, &c. Dum suis fasces loris soluuntur, furor soluitur, & modestè iudex agit. Quo aspectu suum Seneca Neronem monet, & lenit in iure exercendo, ne festinatò id agat. *propè enim est, vt libenter damnet, qui citò*, &c. *lib. 1. cap. 14.* Suam Augusto laudem cantat Naso, ea de re,

Et piger ad pœnas Princeps, &c.

1. *de Pont. Eleg.* 3. ad Maxim. Quare Pater, Iudex, Princeps lento ad puniendum gradu abeant, necesse est. Lego Deum, vti Parentem hominum, tardè processisse ad minas etiam intentandas. Quòd Parens fuerit Hebræi populi, constat ex *cap. 4. Exod. n.* 23. vbi Deus ad Moysen, (*Filius* (inquit) *meus primogenitus Israël*, &c. Quòd leges condiderit, patet ex *cap. 20. num.* 3. vbi Magnus Parens, *Non habebis Deos alienos*, &c. Sed nihil inibi pœnarum est aduersùs peccantes homines. Leges indicit iterum *Leuit. 20. n.* 8. & vrget, *Custodite præcepta mea*, &c. Mirum, quanto Pater ore tonat, & fulgurat? quid minatur? audit filius *num.* 2. nec semel audit, *Morte moriatur*, &c. Cùm nihil in Exodo, vel parùm certè minarum, ac iratum fuerit, multum in Leuitico veneni est. Cyrillus Alex. rationem elicit è iure œconomico. *Primum* (inquit) *prouocaris, vt filius; quòd si vt filius obediens esse non vis, contemptor plecteris vt seruus*, &c. *lib. 11. in Leuitic.* Bene Cyrillus ad Magni Patris mentem. Qui quidem, teste Chrysologo, *Amari magis voluit, quàm timeri*, &c. serm. 90.

Exod. cap. 4. n. 23.

cap. 20. n. 3.

Leuit. c. 20. n. 8. 2.

Tardo ad puniẽdum gradu progreditur Dei censura.

2. Iudex erat, qui Ephesiũ premebat Angelum

Apoc. c 2 num. 5.

Apoc. 2. n. 5. & tonabat, *Venio tibi citò*, &c. vbi Iudex terret hominem, qui florem decusserat charitatis maximæ. Ne tamen citò punire dicatur, priùs vocem mollit. *Memento vnde excederis*, &c. Deinde medicamentum admouet, *& age pœnitentiam*, &c. ac tandem minatur acerbè, *Mouebo candelabrum de loco suo*, &c. Non ita præceps in puniendo iudex est, vt reo iam peracto secures adigat: adhuc cunctatur, adhuc manum trahit, adhuc secures ligat. quod Rupertus notat lib. 2. in Apoc. *Sed grãde interuallum* (Iudex) *voci suæ, magnumque frænum posuit currenti sententiæ*, &c. Doctus à Deo Iudex Angelus, in causa graui, cunctandum sibi esse existimauit: ne si festinaret ad puniendũ, temerè ageret. Vnde Cassiodorus bonam puniendi sceleris formulam excepisse visus est, qui monet lib. 7. form. 5. *Cunctator esse debet qui de salute iudicat*, &c. Probo, quæ sanxerunt ea de re Tiberius, ac Thodosius Imperatores. Ille, ne reus mortis peractus intra diem decimum duceretur: quod notat Baron. *tom.* 1. *Anno Christi* 20. Suet. *cap.* 75. Iste vt damnatus pœnam capitis Deus solueret, post mensem exactum. quod habes apud Theodoret. *lib. 5. c. 17. Histor Eccles.* Vide *l. si vindicari. C. de pœnis.* Sciebant Principes in reo puniendo iram morosè tenendam esse.

Piger ad pœnam sumendam Princeps.

Cunctatur bene iudex, qui de vita agit aliena.

3. Princeps erat ille, qui de soluenda Ierichunthe cogitabat, Iosuë cap. 6. n. 2. *Dixitque Dominus*, &c. Sed quales in vrbe soluenda moras nectit? Lento procedit gradu Nemesis, & pede claudo, quæ hebdomadam absoluit integram, priusquam ruat ad muros subruendos, n. 15. *Circuierunt vrbem, sicut dispositum erat, septies*, &c. Vel in hostes lentè inuehitur Deus Princeps, & qui hebdomada simplici absoluit opus grande, orbem scilicet vniuersum, *Gen.* 1. Vrbem simplicem, nisi hebdomada integra, non dissoluit. Sed Magistro Chrysostomo, *Inuentus est bonitate tardus*, &c. *Hom. 5. de Pœnit.* Qui tardè punit, rectè probat, se ad puniendũ vi trahi: & consulit, dum cunctatur quo iure puniendum est. Laudat moram Tertullianus, cùm sciat diem recognoscendis, sceleribus diuidendísque hominibus destinatam, esse vltimam rerum humanarum: vnde Paulus, *In nouissima* (inquit) *tuba*, &c. 1. *ad Cor. cap.* 15. *n.* 52. Ea itaque die lego diuidendos esse homines ab hominibus, bonos scilicet à malis: quod Matthæus notat cap. 25. num. 32. *& separabit ab inuicem*, &c. Cur sera adeò censura est; nec iam nunc malos à bonis discernit homines? Tertullianus ad rem. *Qui semel æternum Iudicium destinauit, post finem sæculi; discretionem, quæ est indicij conditio, non præcipitat ante finem sæculi*, &c. *Apologet. cap.* 41.

Iosuë cap. 6. num. 2. 15.

Tardè ferit homines bonus Princeps.

1. ad Corinth. c. 15. num. 52.

Matth. c. 25. num. 32.

Non festinat Deus Iudex.

4. Et qualis in mouendis punitionum calculis Iudex est? sermonem exorditur, non à puniendo, sed ab absoluendo. *Venite benedicti Patris mei*, &c. *Matth. 25. num. 34.* Ita Princeps Christus: eóque vocem prior intendit, quò affectus ducit. *Quia proprium boni Dei est*, &c. Monet Origenes *tract. 34. in Matth.* Deinde obseruat Patrem benedicendo promptum, à maledicendo erasum esse; nam textus habet, *Benedicti Patris mei*, &c. *& num.* 41. vrget Christus: *Discedite à me maledicti*, &c. nec Patrem addit, sed pulchrè. *Nam benedictionis ministrator est Pater, maledictionis verò vnusquisque sibi auctor est*, &c. Ostendit hac via Magnus Dominus, trahi se ad vindictam exigendam; cùm sit Princeps bonus, Auctore Seneca, *& in melius potens*, &c. 1. *ad Neron.* 19. Ex bonitate intima cunctator index: quò textus pertinet *Exod. cap. 26. num.* 1. vbi Deus apud Moysen est, *visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem*, &c. Dubius in textu explicando hæsit non semel Hieronymus: quod ille dolet *ad Ezech. cap.* 18. cùm putaret secta hæretica dari parentibus impunitatem scelerum, puniríque filios innocentes; idque Deo impudens obiiceret. Sed re bene excussa, tandem aduertit Hieronymus, quid textus addiderit Deut. cap. 5. num. 9. *His* (scilicet) *qui oderunt me*, &c. Et quidem locus est de parentibus, ac liberis æquè peccantibus; etsi pœnas dederint tantùm liberi. *Non enim truculentiæ, & seueritatis est, iram tenere vsque in tertiam, & quartam generationem; sed misericordiæ signum est, pœnam differre peccati*, &c. A Deo igitur Optimo discant Patres, Iudices, Principes, cunctandum sibi esse in punitione peragenda. *Virtus enim est ad vindictam necessitate trahi, non voluntate venire*, &c. sic Hildebert. *Epist.* 25.

A' bene faciendo manum Deus mouet.

Pater non audit qui malè dicit.

Trahitur bonus Deus ad puniendum.

Exod. c. 26. n. 1.

Deut. cap. 5. n. 9.

Pœnas differe bonus Deus.

Vindictam suspendit sceterum magna virtus.

5. Duplex ex hac mora bonum est: alterum, vt pereant cæcutiendi occasiones; alterum, vt accrescant iura puniendi. Qui citò punit, iratus grauiter, calore subitò trahit mentis nebulam. Vnde monebat Pyrrhus, quos Gymnico exercebat ludo, ne irascerentur. *Ira enim perturbat artem*, &c. apud Senecam *lib. de Ira, cap.* 14. Lex à Deo hæc vna est, Deut. cap. 20. num. 10. *Si quando accesseris ad expugnandam vrbem, offeres primùm pacem*, &c. Quid vrbem Iudæo obsidendum iubet, si pacem Deus amat? Sed moram armis addit, Philone Auctore. *Ne quid per iracundiam aggrediatur temerè*, &c. *de Creat. Princip.* scilicet, motis calculis pacis conciliandæ, languescit furor, in vtraque fortuna consultor pessimus. Cunctandum igitur Deus Iudæo voluit, priusquam moueret arma, vt furore sedato saniùs consuleret de hoste puniendo. Quid enim temerè non agat iratus homo, qui suo Diabolum sinu fouet? Id monstri ab Epheso, vt Paulus auertat longè, monet cap. 4. num. 27. *Nolite locum dare Diabolo*, &c. Si quæras, quis nam Diabolo rimam aperiat, vt sese intimam insinuet in animam? Vrget Paulus iterum n. 28. *Sol non occidat super iracundiam vestram*, &c. Quo aspectu docet Anselmus bene. *Iratus malè cogitat, & sic se Diabolo prodit*, &c. Nec aliud Cassiano visum est *lib.* 8. *cap.* 8. Nosti Saulem à Diabolo correptum esse? Constat ex 1. Reg. cap. 18. n. 10. *Inuasit spiritus Dei malus Saulem*, &c. Occasione data, res omnino acta est. Sic enim textus num. 8.

Deut. cap. 20. num. 10.

Non punit temere qui tardè punit.

ad Eph. c. 4. n. 27. 28.

Aditum Diabolo ira parat.

1. Reg. c. 18. n. 10. 8.

Iratus

Iratus est Saul nimis, &c. Ira igitur collecta irrepit Dæmon in animam hominis, quod notat Petrus Damiani lib.4. Epist.17. *In Saulis cor ira præcessit, & mox nequitiæ spiritum introduxit*, &c. Imò, *Ira*, quod Nazianzeno placet, *Dæmon est domesticus*, &c. Mentem hominis premat, ne quid rectè videat, necesse est.

6. Hoc metu Balacus vrget Balaamum, vt à se procul abeat. Num. 24. n. 11. *Reuertere in locum tuum*, &c. Furore concepto Moabites hominem à se abigit : nam de irato Rege sermo est n.10. *Iratúsque Balac*, &c. scilicet metus Balaco erat, ne ab irato grauior iusto censura procederet. *Fuge* (inquit) *ne quid indignatione furens, sæuius in te consulam*, &c. Ita Philo *ad* 1. *de Moyse*. Neque enim iratus homo videt, quid iusta velit Nemesis. Videt tamen, si mora interposita, & furore mitigato, quidquam statuit.

Num. c. 24. num. 10. 11.

Grauiorem iusto censuram exercet iratus Princeps.

7. Quid ? si iustè se punire doceat, qui tardè punit ? Id aduertit Hieronymus, euersis Ierosolymis post Christi minas, annis plurimis. De minis textus est, apud Matth. cap. 24. num. 2. *Non relinquetur lapis super lapidem*, &c. Sed euersam vrbem tradit Iosephus, Tito duce, *ad lib.7.de Bello.cap.*16. Addo Pharaonem durè tractatũ, nece illata, *Exod.* 14. *n.* 28. Sed post admonitiones, & comminationes *à cap.5.n.*2. scilicet Magistro Hieronymo, *vt iustius condemnaret, quos tanto tempore sustinuerat*, &c. *tom.*3. *Epist.*150. *ad Hedib.q.* 10. Nec Paulus alio ex loco probat Christi sententiam iustè proferendam esse aduersùs peccantes homines, quàm ex mora puniendi: sic Apostolus ad Roman. cap.2. n. 4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longaminitatis expectas?* &c. Vides, quotannis impunè peccas. Deo ad pœnam conniuente, nec à peccando temperes ? *Thesaurizas tibi iram in die iræ, ac iusti iudicij*, &c. *n.5.* Probat itaque Apostolus iustitiã sentẽtiæ ex tarditate supplicij : quod obseruat Cyprianus *ad lib.de bono patient. Iustum Dei iudiciũ dicit esse, quia serum est: quia diu, multúmque differtur*, &c. Hæc Dei Optimi natura est, serò punire, citò fauere. Hac & Holophernes via abiisse visus est. nec iratus vim parat, nisi Concilio euocato, vt maturè decerneret, & tardè puniret. *Vocauítque omnes Principes Moab, & Duces Ammon*, &c. Idumæos scilicet milites sub habitu, & vexillo Ammonitico. Ac si fœdum esset, pugnare homines, iure læso fraternæ charitatis. quod si probas; dicas piè, sanctè,

Matth.c. 24 num. 2.

Exod. c. 14. n. 28. c. 5. n.2.

Iusta est pœna quæ serò venit.

Ad Rom. c.2.n.4.5.

Probat iustitiam qui serò punit.

Parænet. IV.

Pudeat fratres fratribus infestos esse.

1. Res omnino fœda est, solui nexus fraternæ charitatis, quos Apostolus vrget acerbè, 1. *ad Corinth. cap.6.num.* 6. vbi sic ille. Quò, quò infelices ruitis ? nec fraternam pacem colitis? *Sed frater cum fratre iudicio cõtendit*, &c. Præmiserat Apostolus hasce fratrum simultates, & lites viles adeò, & infames esse, vt pudorem hominibus possent incutere, num. 5. *Ad verecundiam vestram dico*,

1.ad Corinth. c.6.n. 6. 5.

Velos. in Iudith.

&c. Cur non pudeat fratres fratribus infensos esse ? pudorem vrgent naturæ iura, vrget & hominum inuidia; qui enim fraternum abrumpit fœdus, & naturam lædit, & flagrat odio humani generis. Notum satis, quo in metu Cainus erat, postquam fratrem interfecit ; inde factum, vt vrbem conderet primus hominum, Genes. 4. num. 17. *Ædificauit ciuitatem*, &c. quod Rupertus notat lib.3. in Gen. cap. 18. *Quia fratrem suum occiderat, & ob hoc omnibus odiosus erat, vagus, & profugus. Idcirco ciuitatem, quæ se tutaretur, ædificauit*, &c. Tantus de fratricidio patrato metus Caïno erat; tanto hominum laborabat odio. Eo metu, ne dum pudore sceleris admissi, à communi hominum cœtu se se auocabat : quod minatur Deus num. 12. *Vagus, & profugus eris*, &c. Et Lyra monet, Deo tonante, *Omnibus odiosus eris, & ideo nullo in loco securus eris*, &c. Nullo in loco stare Caïnus poterat, metu scilicet pressus graui.

Genes.c.4. num.17. *Qui fratrem ladit communi flagrat inuidia.*

Timet grauiter, qui fratrem pulsat.

Inde voces tristes, & iusta sororis querimonia, quam fratres malè acceperant. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, &c. *Cantic.* 1. *num.* 5. Et eo dolendi vis grauior, quo valentior ad sororem colendam potestas est ex naturæ ductu. Non queritur de turba hominum extera, de fraterna vi queritur ; quod Bernardus notat Serm. 29. *Sed id expressiùs plangit, quod & sentit differentius, quodque vigilantius nobis cauendum est. Quod nam hoc est? malum vtique intestinum, atque domesticum*, &c. Nec minus Dauid queritur de Ziphæo contribule, qui Saulem conuenit, data opera vt frater pereat 1. *Reg. cap.* 23. *num.* 19. vbi habes, *Ascenderunt Ziphæi ad Saul, dicentes: Nónne Dauid latitat apud nos* ? &c. Quòd Ziphæus de tribu fuerit Dauidica, patet ex 1. *Paralipom.* cap. 2. num. 42. vbi de Calebo textus est, *Mesa primogenitus eius, ipse est pater Ziph*, &c. Sed cùm Dauid suam condit næniam, ea de re ad Psal. 53. num. 2. sic dolet, vt cecinerit, num. 1. *In carminibus intellectus Dauid*, &c. Quo titulo monet Lyricus fraudes hominum acutè explorandas esse : proindéque postulandam lucem mentis expromptæ. *Intellectus* (scilicet) *Dauid*, &c. Ziphæos tamen etsi contribules Dauid, quasi exteros, & barbaros notat homines. *Alieni*, (inquit) *insurrexerunt in me*, &c. scilicet, qui proditionem meditantur contribules, aliena in tribu esse videntur: quod Lyra obseruat. tanta hominum premitur inuidia fratet proditor. quæ vna occasio, vt Dauid Nabalem ferro premeret, 1. *Reg.* cap.25.num.13. sic enim Dauid iratus iubet, *Accingatur vnusquisque gladio suo*, &c. Erat Nabal de Calebi domo, quod textus notat *num.*3. de qua domo & Dauid erat; vnde Nabalem verè fratrem vocat num. 6. *Sit fratribus meis, & tibi pax*, &c. Quare peius homo feciisse visus est, cùm addit contemptim num.10. *Quis est Dauid?* &c. Et nata occasio, vt Dauid iustè doleret. *Grauius enim peccauit, ipsum vituperando*, &c. Sic Lyra de Nabale agit ; & quali flagraret inuidia ineptus frater.

2.

Cant. 1. n. 5.

Grauius à domesticis periculum.

1.Reg. c. 25. n. 19. 1.Par. cap. 2. n.42.

Psal.53. n. 2.

Cautè cum hoste domestico agendum.

Qui fratrem malè prodit, barbarus est.

1.Reg. c. 25. num.13.

Peccat grauius qui fratrem pungit.

3. Timebat inuidiam Hebræus miles, quippe qui Deum consultum voluit, an ne pugnam cum Beniamita iniret iterum. Malè Hebræus pugnauerat, etsi bellum mouisset amore castitatis asserendæ, & cura iustitiæ exerendæ, *Iudic.* 20. *n.* 21. Hæret in dubio miles, an vltrà pergat. Deum adit, luctum edit ad noctem vsque; ac tandem rogat, num. 23. *Debeo vltrà procedere ad dimicandum contra fratres meos?* &c. Illud in primis opponit, quod pungit grauiùs, *fratres scilicet meos*, &c. Ea Hebræum cura mordebat, contractamque sibi putabat inuidiam humani generis. Vnde Lyra. *Ostenditur, quòd licèt punienda sint vitia, natura tamen est diligenda*, &c. Quod ego ex dictis eruo, illud est, Hebræum altè cogitasse de fraterno amore, vtpote qui non auderet armis vrgere, vel peccantem fratrem, Deo inconsulto. Tantus de fratre pulsando metus, siue pudor erat.

Iudic. c. 20. n. 23.

Auersatur frater pœnam etsi iustam fraternæ improbitatis.

4. Et verò, cur non pudeat fratres fratribus infestos esse? Viles omnino, & infames dixeris hasce fratrum simultates, & contentiones. Inde est, quòd meus Christus, nec Iudex esse voluit in causa fraternæ dissensionis. Accedit frater, & Magistrum obnixè rogat, apud Lucam 12. num. 14. *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, &c. Multa inter fratres simultas erat, quæ litem mouebat de re domestica. Sed Christus, vultu contracto, litem amouet. *Homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorem*, &c. Abito procul, abito; lites abigo, non foueo. Pudeat fratrem de fratre queri. Et vt scias lites inter fratres viles, ac in fames esse, notat Lucas *num.* 13. litigatorem verè hominem de vili plebecula fuisse. *Ait quidam de turba*, &c. quod expendit rectè Petrus Damian. *lib.* 1. *Epist.* 18. *ad Alexand.* 2. vbi monet figuratè. *Tu itaque, non vt Leuita, vel clericus, sed vt de turba vulgaris, & laicus, roga Iesum, vt tibi cum fratre iubeat hæreditatem diuidi*, &c. Video rem turpem, ac vilem esse, dissidere fratres, hac, vel illa via. Et erit, qui pudorem soluat, causa fratris pulsandi, accusandique? Non ita sese Abel gerit. Occisus à Caino tacet, non queritur, non accusat; permissa agro est accusatio fraterni sceleris; id enim Deus Iudex Caino opponit Gen. 4. numer. 10. *Vox sanguinis clamat ad me de terra*, &c. Non fratris vox est, quæ fratricidam accusat: quasi pudeat Abelem malè à Caino acceptum de fraterno dolo queri apud Iudicem. Pulchrè ad litem Ambrosius lib. 2. de Cain. cap. 9. *Hoc innocentia, & gratia germanitatis in ipsa etiam morte seruat: non accusat frater, ne videatur fratricida*, &c. Valeat igitur, qui pudore detrito fratrem & accusat, & pulsat. Res enim est, quæ pudorem solet iniicere.

Luc. cap. 12. n. 14.

Inepta inter fratres contentio.

Viles omnino homines, qui fraternam soluunt amicitiam.

Gen. cap. 4. n. 10.

Fratrem nec læsus frater accusat.

5. Cautum à Iosepho id est, ne fratres erubescerent de fraterna proditione, quod necesse erat euenire, si publicè monerentur. Quare Iosephus priusquam se detegeret, illud iterans, Gen. 45. num. 3. *Ego sum Ioseph*, &c. & iterum num. 4. *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis*, &c. iubet seuerè, *vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus*, &c. *n.* 1. Acturus de fraterno dolo frater, vt fratribus abscindat occasionem erubescendi, exteros ab aula pellit homines, quod Rupertus sentit lib. 9. cap. 15. *Neque enim sub eorum præsentia pius frater edicere voluit rem tantæ confusionis, quam ferre non potuerunt fratres, remotis etiam arbitris*, &c. Quàm fœdum scelus est rumpi nexus fraternæ charitatis? Rem adeò turpem, ac vilem damnare, pudoris vtique ingenui est, quem vt Ziphæo Hebræus Princeps malè solueret, ad fratrem turpiter obseruandum; probat eo in voto contribules esse. Nihil non mouet Saul, vt Dauid pereat: Ziphæos vrget, homines de tribu Dauidica, vt perquirant, quo frater loco agat. Propudium Ziphæis, vti contribulibus, esse poterat ea explorandi ratio. Quid igitur Hebræus Princeps, vt pudorem abigat ab exploratoribus? *Perscrutabor* (inquit) *eum in cunctis millibus Iuda*, &c. 1. *Reg. cap.* 23. *num.* 22. Ac si vellet: Abite (amabo) & explorate; nec metus obsistat, nec pudor obstrepat: stat pro me tribus vniuersa, latebras penitiores adibo facilè. Cur Hebræus Princeps locatam sibi operam à tribu vniuersa, manúmque datam amicè docuerit, priusquam Ziphæos contribules vrgeret ad negotium Dauidis perquirendi, & prodendi inuenit Abulensis q. 27. *Ne putarent se deteriores omnibus viris Iuda, si soli proderent Dauid, reliqui verò occultarent*, &c. Credebat Princeps pudorem Ziphæo grauem fore proditionis fraternæ; si quod negaret contribules alij, præstaret ipse. Et erit adhuc, qui non moneat? Pudeat fratres fratribus infestos esse. Certè Idumæus Iudæo frater, vt fratrem armis petat, laruam capit, & pugnam init sub habitu, & vexillo Ammonitico: vnde Holophernes *vocauit omnes Principes Moab, & Duces Ammon*, &c. Nisi malis, quòd Hugo voluit, suppressum textu sacro Idumæum esse, appellatúmque Ammonitam, ne fraternum scelus vulgò daret: quod ex commentario satis patet. Est enim virtus nota,

Gen. 45. n. 3. 4. 1.

Clanculo fratres frater admonet, vt pudorem redimat.

1. Reg. c. 23. n. 22.

Peccandi pudorem soluit turba peccantium.

PARÆNET. V.

Fratrum errata piè occultare.

NEmo nescit officium id esse fratris optimi; fraternam scilicet labem tegere, næuum occultare, lapsum tacere. Ab amore nata lex est, qui peccatorum vim plurimam solet obtegere, vel certè peccatorem occultare. *Nolite* (sic Dauid iubet) *annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis*, &c. 2. *Regum cap.* 1. *numer.* 20. Saulem bello fractum voluit Dauid occultatum esse; nam si vulgo daretur, exemplum foret euulgandi leuiter fraternam calamitatem. quod Bachiarius omnino damnat Epist. ad Ianuar. *Prohibetur, ne in terminis Geth, neque in finibus Ascalonis, hoc est, in notitiam sæcularium hominum casus*

2. Reg. cap. 1. n. 20.

Tegi oportet næuum fraterna calamitatis.

casus fratris, vel ruina seminetur, &c. Hæc iubet Dauid, monente Bachiario, illud Deiscitum est *Leuit. cap. 6. n. 25.* vbi Moyses, quæ pro expiando peccato fuerit hostia, exponit: deinde adiicit, n. 26. *Sacerdos qui offert, comedet eam, in loco sancto, in atrio tabernaculi*, &c. Cauet Moyses, ne hostia, quæ pro erratis expiandis offertur, efferatur extra sacram domum. Nam sacrum intra septum cœnam Sacerdos ex hostia piaculari adornat. quod ad mores poliendos trahit Hebræus Philo ad lib. de Victim. *Nihil enim extra fanum effertur, ne pœnitenti exprobrentur peccata pristina, iactata in vulgus inimicorum susurris, & linguis petulantibus*, &c. Sic bonus Deus curabat famam hominis, vt quæ peccasset loco sacro, vti velo obducto, occultaret; & erit, qui fraternum scelus detegat, iure læso fraternæ charitatis?

Leuit. c. 6. num. 25. 26.

Occultanda fratrum scelera.

2. Non ita Ioseph agit. Accusatus ab hera turpi, in neruum truditur, etsi falsò reus: quod patet ex *Gen. cap. 39. n. 19. & 20.* Venditus fraterno dolo Ægyptum adit; quod benè constat ex *cap. 37. n. 28.* Quid Ioseph? Nec heram culpat, nec fratres pungit; suam animo fortunam deuorat; & scenam ita construit *cap. 40. n. 14.* apud homines. *Furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum*, &c. Quidquid est sceleris domestici taciturnitate obtegit Cereali, nec aperit, vel cùm vrget necessitas. quod Theodoretus obseruat lib. 8. de Prouident. *Nec ipsa* (inquit) *necessitate iubente, fratrum malitiam detegit, sed furti prætextum infert: & ingenito sibi pudore, ipsorum tegit iniustitiam*, &c. Sensit adolescens pudoris ingenui fraternã improbitatem tenebris Cimmeriis obtegendam esse. Parum id, nisi & heram malè amantem Ioseph piè taceret. Vtrũque Augustinus laudat ad lib. 1. de Mirab. cap. 4. *Nec fratres solummodo accusare non vult, sed nec heræ suæ nequitiam ignaris manifestare*, &c. Si boni homines antiquo more fraternam famam adeò coluere, vt de peccatis domesticis tacerent; cur auditores optimi, ac de Christi schola scelus fraternum vulgo darent, quibus vna erat anima?

Gen. cap. 37. num. 28. cap. 40. n. 14. cap. 39. n. 19.

Nec læsus fraternam improbitatem aperit vir bonus.

Scelus est aperire scelus alienum.

3. Lego Ananiam furti reum Petri censura exanimatum esse. In Actis res est c. 1. n. 5. *Cecidit* (enim) *& expirauit*, &c. Re acerbè acta, timet auditores, sed tacent. Addit textus n. 7. *& factum est quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius nesciens, quod factum fuerat, introiuit*, &c. Miror ego vxorem de mariti nece nihil omnino resciuisse tribus horis. Nemo domo egressus renuntiauit? nemo; quod planum est. Tantũ de malo domestico silentium erat: si quid aduertit Theodorus Studites *serm. 117.* Inibi Monachus, *Certè acta in publico fabula est, & frequenti vulgi corona: sed erat circunspectio, modestia, ac Dei reuerentia*, &c. In auditorum oculis adornata rerum scena fuerat; sed intra cancellos domesticos: ac proinde nefas duxit vnusquisque mala domestica publicare. Quid mirum si nescit mulier, quid marito factum esset? A Deo Magistro schola mores traxit de curanda fama gentis domesticæ.

Act. 1. n. 5. 7.

A Dei metu est, quod nemo exponat calamitatem alienam.

Veloc. in Iudith.

Peccauerat Sardicensis Angelus: quod iudex opponit, & opprobrat, Apoc. cap. 8. n. 1. *Scio opera tua, quia nomen habes, quod viuas*, &c. Hæc semel; sed iterum accusat n. 2. *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo*, &c. ac tandem addit medicamentum pœnitentiæ n. 3. *Pœnitentiam age*, &c. Lego quòd peccauerit Angelus: non tamen lego, quid peccauerit; id in latrebris adhuc erratum est, nec immeritò. Nam peccatum omnino occultum piè à Deo tacendum erat. *Rectè vt debuit filius Dei: ideo non publica descriptione declamauit nomen operis mortiferi: causa eius occulta est, quam oportet consilio tegi*, &c. sic Rupertus *lib. 2.* Quòd si vrget ratio, vt scelus alienum detegat; sic exponit meus Christus, vt reus lateat. Video, quantum in Iuda tegendo laboret Magister. Proditionem explicat apud Matth. cap. 26. n. 21. *Vnus vestrùm me traditurus est*, &c. Sed proditorem tegit silentio. Quærunt Apostoli reliqui num. 22. *Nunquid ego sum Domine?* Quærit & Iudas n. 25. *Nunquid ego sum Rabbi?* &c. Impudens omnino homo, proditor est: quæris Iuda, quod nosti bene. Quid? si Magister tuo te ore, & publicè tuum prodat nomen? Id quidem Iudas non timet; quod probat Euthymius. *Interrogat & ipse, confidens de præceptoris benignitate, quod palàm non coarguerit*, &c. Sciebat certò Iudas Christum de peccato domestico taciturum, qui docuerat peccantem hominem vulgò exponendum non esse. Erat meus Iesus clauis suffixus trabalibus, cæsus diris colaphis, obsitus sputis sordidis: & scelus erat id hominum sæuissimorum, quod nescire nemo poterat; sed vt malos tegeret carnifices, & à turpi nota vindicaret, tenebras toto offundit cælo; & quod Matthæus notat cap. 27. n. 45. *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, &c. Eo scilicet velo, si non carnificum scelera, certè carnifices tegit Dominus amoris reus, ne quod malè patratum est, notam inurat infamiæ.

4. Apoc. cap. 8. n. 1. 3.

Curanda piè à Præfecto fama gentis subditæ.

Matth. c. 26 n. 21. 22. 25.

Quod occultum est scelus palàm non carpit Magister Deus.

Et quod palam fit scelus, tenebris tegendum curat Deus. Matth. c. 27 n. 45.

A Magistro didicere Historici peccata exprimere, peccatorem silentio premere. Tradit Lucas peccatricem ad Christi genua accidisse, & veniam impetrasse, cap. 7. n. 38. *Stans* (inquit) *retrò secus pedes Domini*, &c. Sed quæ nam hæc fuerit mulier, non explicat Historicus, vno contentus verbo, *Mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*, &c. Si peccatricem appellat mulierem, inde ratio est, cur nomen tacuerit. quod & Caietano placuit. *Huius mulieris nomen tacetur, propter honorem mulieris; quia peccatrix describitur*, &c. Sic de fama aliena curat Historicus. Nec minor Marco amor de occultando adolescentulo, qui Magistro capto, aufugisse dictus est *cap. 14. num. 52.* De reo enim fugæ turpissimæ sic Marcus habet. *Adolescens autem quidam*, &c. num. 51. Accusaturus iuuenem de fuga turpi, rectè, piè, amicè nomen tacet. Sic bonus quisque agit Deo Duce, apud Nazianzenum Orat. 25. *Si quis* (inquit) *reiecta sindone profugerit, eum conteget*, &c. Hæc Dei boni virtus est, tegere scilicet errata hominum, qua dote si quis valeat, nomen, ac decus grande sibi parat. Quis nam homo Ioseph ille est

5. Luc. cap. 7. n 38.

Ne famam lædat peccatricis nomen Lucas tacet.

Mar. cap. 14. n. 52.

Adhuc fama est integra adolescentuli, qui magistrum fugisse dictus est.

Magnæ Matris coniux? Faber quidem est ligno dolando natus, ac tritus; ex *Marc.* Mar.c.6. n.3. *cap.6.num.3. Matth. cap.13. num. 55.* sed ab Matth. c. 13. n.55. Angelo appellatur altè, Regum scilicet genus, cap. 1. n. 20. n.19. *Ioseph fili Dauid*, &c. *Matth. 1. n. 20.* Meruit homo nomenclaturam honorariam, cùm taceret, & suam de vxore suspicionem deuoraret animo intimo. *cùm esset iustus, & nollet eam traducere*, &c. *num.* 19. neque enim ausus est domestica vulgo dare, vnde suum sibi, & decus grande fecit, quod habet Hieronymus. *Blandientis affectu loquitur Angelus, vt silentij iustitiam comprobaret*, &c. Laudat Hieronymus hac dote Fabiolam, quippe quæ maritum, vti adulterum, à se abigit; nec tamen causam apponit diuidiæ, Epist. 29. ad Oceanum. *Maluit culpam subire dissidij, quàm sui corporis infamare partem, & maculas eius detegere*, &c.

Virtus est Regia erratum occultare domesticum.

Casta vxoris est viri scelus occultare.

6. Quare si quis famam lædat alienam, lapsu detecto gentis domesticæ, malè habeat necesse est. Credo Chamum acerbè mulctatum, seruitute in filium irrogata, cùm hæc pater, & hæc filius pertulerint Gen. cap. 9. num. 25. *Seruus seruorum erit fratribus suis*, &c. Non modò, quòd parentem Chamus læserit ioco absurdo; sed, quòd lapsum occultò patrem ad fratres alios detulerit. sic enim textus habet num. 22. *Nuntiauit fratribus suis foras*, &c. Hæc paternis, etsi diris imprecationibus occasio: si quid D. Thomas sentit. *In cumulum sui contemptus lapsum detegit alienum.* Deo cura est de fama gentis domesticæ, vt nec fratres fratribus significare patiatur, quidquid occultò geritur: cur non ægrè ferret carpi Apostolos, & quidem malignè publico in theatro? Erat homo fide tenui, quod ex Christi voce patet. *O generatio incredula!* Marc. cap. 9. n. 17.18. &c. *Marc. 9. num.* 18. Puerum Diabolo obsessum Christo adducit, vt à malo eximat: sed addit temerè num. 17. *& dixi discipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt*, &c. Hæc aduersùs bonos homines malus homo iacit palàm; nec auditores defuere; cùm enim Magister reuenisset, *vidit turbam magnam*, &c. & hæc vna Christo occasio, vt in hominem temerè mordacem inueheretur. *O generatio incredula*, &c. quod scitè Victor Antioch. expendit. *Disce hinc* (inquit) *huius hominis iniquitatem; neque enim secretò, sed turba præsente, & audiente Christum Dominum aduersùs Apostolos interpellat*, &c. Cur Magister non tundat hominem, qui næuos hominum, si quos habent, propalàm explicat; vnde alij de aliis cogantur malè cogitare? Et ratio est, cur Magister excandescat grauiter, cùm videret Apostolos publicè demorsos esse. Victor iterum, *Fit enim probabile multos ex præsentibus ea de illis cogitasse, quæ non satis conuenirent*, &c. Laudo igitur Heliachimum, qui Hedomæum, Iudæo fratrem, bene Ammonitam vocat ex habitu, & vexillo: ne daret literis, quod frater in fratrem gerebat vi acerba, & dolo malo.

Diris subiacet precibus, qui hoc fit peius, quòd rem occultam cæteris detractoriè, ac derisoriè propalauit, &c.

De genio improbo est, vt notes publicè fortunã alienam.

Morsus detractorius sinistrã auget opinionem.

Num.3. Dicite mihi, quis sit populus iste, &c. aut quæ, & quales, & quantæ sint ciuitates eorum, &c. vel quis Rex militiæ eorum?

Commentarius.

MVltiplex interrogatio hæc parit dubiũ. Quis enim sanæ mentis non dubitauerit, vtrùm nesciret Holophernes, quis nam sit Hebræus. Nónne Assyrius Hebræum eduxit, & transportauit in Assyriam paucis antè annis? vide *4. Reg.c.17.num. 3. & 23.* Mitto, quæ de Hebræo populo trophæa simul, & tributa retulere Reges alij *cap. 15. num. 19. & 29.* Ea enim vi Hebræum premebat Assyrius, vt Hebræus mutire non auderet; sed imperatam pecuniam quotannis solueret. Notum satis, quid Sennacheribo factum nuperrimè: quod textus habet *cap.19. num. 35.* An id ignoraret Holophernes, vt rogaret: *Quis sit populus iste?* non adducor, vt credam. Militares sunt interrogationes, siue irrisiones. Quasi miretur Assyrius, & indignetur, tantos hominibus tenuissimis spiritus inesse, vt Holophernem contemnant Ducem strenuissimum. Sic olim Nabal 1. Reg.cap.25.num. 10. *Quis est Dauid? & quis est filius Isai*, &c. Persæpe enim interrogamus, quæ non ignoramus. sic Moyses Num. cap. 16. num. 11. *Quis est Aaron, vt murmuretis contra eum*, &c. Certè Moyses fratrem norat. vide Serarium. Modus loquendi est vsitatissimus; qui ignoratione simulata contemptum sonat. Simulat superbus homo ignorare se se, quæ probè nouit, ne de re alia putetur cogitare.

12.

4. Reg. c. 17. n. 3. 23. c. 15. n. 9. 19. c. 9. n. 30.

Interrogationes contemptum aliquando inferunt.

1. Reg. c. 25. n. 10.

Numer. c. 16. n. 11.

In aula versatus erat Dauid, suáque lyra notus benè, cùm Saulem recrearet cantu ad lyram formato, *1. Reg. cap. 16. num.* 22. vbi Hebræus Princeps iubet: *Stet Dauid in conspectu meo*, &c. Cùm tamen adolescens Philisthæo interfecto reueniret ad Saulem, quærit ille ab Abnero cap.17.n.55. *De qua stirpe descendit hic adolescens*, &c. Nata ab ingenio tumido est interrogatio; qui enim superbè tumet, fingit se ignorare homines alios, quasi viles homines. Vel Deum nescit Pharao nimium sibi arrogans. Contemptim de summo Deo agit Pharao apud Moysen Exod. c.5. n.2. *Quis est Dominus*, &c. & statim Princeps Dei contemptor ignorationem simulat summi boni, illud iterans. *Nescio Dominum*, &c. Quare Moyses, *Fugiens de conspectu eius moratus est in terra Madian*, &c. *Exod.c.2.n.5.* Idque iure merito: docet Philo 2. Allegor. *Fugit morem disperditorium; qui se iactat, quòd nesciat Dominum*, &c. Et verò Pharao de grege hominum homo est, qui apud Iobum improbè iactitant. *Quis est Omnipotens, vt seruiamus illi*, &c. *cap. 21. num. 15.* Absurda omnino vox: sed qui sibi multum arrogant, nescire se iactant Deum etiam Maximum. Facem in loco præfert Magnus Gregorius superbos taxans homines lib. 15. cap. 21. *Dum enim in præsenti vita superbiunt, dum honoribus inflantur, vias Dei sua cogitatione contemnunt*, &c. Hoc tumore Holophernes sciens

13.

1. Reg. c. 16. n. 22.

1. Reg. c. 17. n. 55.

Tumentis est hominis rogare, qua noueris.

Exod. cap. 5. n. 2. cap. 2. n. 5. c. 21. num. 15.

Alium etsi Deum non recognoscit Dominum superbus homo.

sciens nescit, *quis sit populus iste*, &c. quo dicendi colore Dauid Philisthæum pulsat 1. *Reg.* 1.Reg. c. 7. n. 26. *cap.* 17. *num.* 26. inibi enim Dauid: *Quis est hic Philisthæus*, &c. hostem contemptim appellat; quasi ignoret, more Assyrio. Addo Holophernem, etsi multa sciret de Hebræo, plura tamen ignorasse, quæ à consultoribus prudens exquirit, scilicet, quæ vires, & opes hominum? quales vrbes? quæ pugnandi ratio? quis nam militum Princeps? & quàm peritus artis bellicæ? Illud siquidem postrêmo loco rogat, *Quis Rex militiæ?*

14. Græco textu *ad cap.* 2. *num.* 4. ἀρχιστρατηγὸς est *Princeps militiæ*; quod multis locis nomen est officij, *Gen.* 39. *num.* 1. Iosephum emit Gen.c.39.n.1. *Putiphar Princeps exercitus*, &c. 1. *Reg. cap.* 26. 1.Reg.c.26. n.5. *num.* 5. apud Saulem *Abner Princeps militiæ*, 2.Reg. c.10. n.16.18. &c. 2. *Reg. cap.* 10. *num.* 16. apud Syros *Sobach Magister militiæ*, &c. qui *num.* 18. Princeps est militum. Mitto plura, ne actum agam. Illud tero, cur hoc loco non Princeps dicatur, sed Rex, qui quidem militum Dux est? sic enim Græcè habes, βασιλεὺς ἢ ἡγέμενος στρατιᾶς, *Rex, & Dux exercitus*, &c. Fortasse Holophernes suum commendat officium nomenclatura nobili; quæ tumentis animi lex, & vox est, vt suum superbus quisque officium iusto grandius haberi velit. Quis nescit Magistros sapientiæ Regium sibi nomen vsurpasse? apud Isaiam *cap.* 19. *num.* 11. Quo tumore iactitat Is. c. 19. n.11. vnusquisque apud Pharaonem, *Filius sapientum ego, filius Regum antiquorum*, &c. Scholam iusto illustriorem esse volunt magni licèt homines. An ne canendi munus grande est? obeat id vel mastigias; qui tamen præcentor est, suum laudat principatum. Vnde nomen illud 1. Paralipom. cap. 9. num. 33. *Principes cantorum*, &c. Lego curatores fuisse rerum 1.Par. cap.9. n.33. Dauidicarum, asinis, ouibus, agris, vinetis, rebusque aliis rusticis præpositos: quod patet cap.27.n.25. 31. ex 1. *Paralipom. cap.* 27. *num.* 25. & 31. addit textus, *Omnes hi Principes substantiæ Dauid*, &c. Nec miror de re tenui principatum esse, cùm sciam homines qualescumque sua iniustè bona commendare solitos. *De re tenui sese iactant homines.*

15. Quid? si Dæmon principatum sibi arroget inter muscas, viléque vermiculos. Accaronitis Deus erat Beelzebub, de quo textus 4. *Reg.* 4. Reg. c. 1. n.2. *cap.* 1. *num.* 2. Hebraicè, *Deus musca, siuè muscarum Dominus*, &c. & Iupiter ille est Græcis μύαγρος, Iupiter scilicet muscarius, de quo Pausanias in Atticis, & Arcad. Plin. *lib.* 10. *cap.* 18. vtpote qui locis infestis muscas abigeret. Tanta etiam Diabolo fames est commendandi suam opem, & operam, vt de re vili principatum iactarit, suumque officium de muscis abigendis, principatum dixerit, virtutémque humanâ augustiorem. quod item iudices sibi arrogant de potestate censoria. *Videntes filij Dei*, &c. *Gen. cap.* 6. *num.* 2. Hebræa schola, *filij Iudicum*, &c. scilicet virgam censoriam Iudices virgam diuinam haberi, & appellari voluerunt, vt officio adderent lenocinium maiestatis sacrosanctæ. Nec Deus Deos appellat Iudices, Psalm. 81. num. 6. *Ego dixi: Dij estis*, &c. *Exod.* 22. *num.* 28. nisi ex humana opinione: sic Basilio visum est. *Deos nominat, non natura, sed eorum consuetudinem secutus, qui decepti sunt*, &c. Quid igitur mirum, si Holophernes Ducem appellat Regem? verè suum adornat munus, & iusto altiùs erigit. Hæc tamen superbis hominibus lex est: *quia iniusta cogitatio eorum*, &c. *Psalm.* 118. *num.* 118. Sic Ps.118.num. 118. Dauid, vt damnaret cogitatus hominum, qui plura sibi arrogant, quàm reapse habeant: eáque arrogantia lædunt iustitiam, quæ suum cuique ius tribuit. *De arte vili gloriam captat Diabolus.* *Dij haberi volunt Iudices hominum.* Psal 81. n.6. Exod. c. 22. n.28.

Illud postremò discutio, euocatos ab Holopherne Consiliarios, non Assyrios modò, sed Moabitas, & Ammonitas, siue Hedomæos. Addit textus Græcè & Philisthæos: quos appellat σατράπας τῆς παραλίας, *satrapas oræ maritimæ*, &c. Pertinet enim Philisthæus ad mare Phœnicium, vti Idumæus ad sinũ Arabicum. patet ex 3. *Reg. cap.* 9. *n.* 26. quo textu: *Asiongaber est in littore Maris rubri, in terra Idumææ*, &c. Opponit Strabo lib. 16. *Iudææ extrema Occidentalia Casio proxima Idumæi tenent*, &c. Quare Idumæa longè abest à sinu Arabico. Nodus est, quem Pineda soluit facilè *ad lib.* 4. *de Salomon. cap.* 8. vbi constituit Idumæam duplicem fuisse; alteram, quæ ad Solis ortum est, & sinum tangit Arabicum: alteram verò, quæ ad occasum est, & Iudæam attingit: de qua fortasse Marcus agit *cap.* 3. *num.* 8. cùm Mar.c.3.n.8. tradit turbam hominum conuenisse, vt audiret Magistrum Dominum. *Ab Ierosolymis scilicet, & Idumæa*, &c. Vide, quæ aggero in commentario *ad cap.* 3. *num.* 14. de vtraque Idumæa. Vide & Iosephum 3. *de Bello, cap.* 2. etsi iam id pridem tradiderat *lib.* 3. *Antiquit. c.* 10. Cùm igitur Holophernes Philisthæum, & Idumæum interrogat, vicinos Iudæo homines, prudenter agit. Nemo enim tua videt propiùs, nisi qui te propè est. Iocoseria perscrutatur vicinus malus, si tuam tibi fortunam inuideat. quod Salianus obseruat, anno Manassæ 9. *num.* 31. sed à Lyra id excepit. Quod in primis noto, ad mores poliendos, illud est, Holophernem scilicet de se altè, de aliis humiliter cogitasse; cùm Assyrius ex contemptu rogauerit; *quis sit populus iste*, &c. Satis vt noris *Nemo suos honores iusto augustiores non iactat.* *Malus oculus vicini mali.*

16.

PARÆNET. VI.

Superbiam hominum contemptricem esse.

HOlophernes de grege hominum esse videtur, *qui dicunt: Recede à me, non appropinques mihi*, &c. apud Isaiam *cap.* 65. *num.* 5. Is.c.65.n.5. Vox enim est superbiæ intimæ, quæ reliquos à se homines abigit, quasi viles vermiculos, & conditionis sordidæ: lege lata, ne quis de Persis Regem adeat, nisi accitus à Rege. Habes legem Esther 4. num. 11. *Siue vir, siue mulier, non vocatus interius atrium Regis intrauerit, absque vlla cunctatione statim interficiatur*, &c. Impudens omnino, & insolens Regis citum! sed quo animus superbè tumens ostenditur egregiè. *Nimium hoc venerat ex nimia ventositate miseræ vanitatis, vt Rex magni imperij, plusquam homo putaretur habere aliquid: ne vilior fieret ex vsu visionis publicæ*, &c. sic Rupertus *lib.* 8. *de victor. cap.* 10. Altè de se opinatur, qui se ex congressu hominum pollutum credit; nec ad se venire propè sinat homines alios, vt de suis rebus agant. Hoc metu queri- Esth.cap.4. n.11. *Credunt Reges læsi maiestatem, si videri contingat.*

Exod. cap. 6. n. 30.

tur Moyses apud Deum Exod. cap. 6. n. 30. *Incircuncisus sum labiis, & quo modo audiet me Pharao?* &c. Græcè habes, ἐγὼ ἰσχνόφωνός εἰμι, *Ego voce gracili Pharao?* &c. Quid opponis bone Moyses ne Regem legatus adeas, vocem accusas tenuem! an tonare Oratorem necesse est, qui Regem alloquitur? accedas propè, vt possit audire Pharao, nisi homo surdaster est: sed occurrit Augustinus bene q. 16. *An fortè Regius fastus non eos permittebat de proximo loqui?* &c. Id ego puto: nam superbus homo, quidquid humani est, alienum à se putat, & longè arcet.

Regis est tumidi oratores de longinquo audire.

2. *Fuit Moyses vir Magnus in terra Ægypti, coram seruis Pharaonis, & omni populo*, &c. quod habes *Exod. cap.* 11. *num.* 3. Bene est, Cur non excellit Moyses apud Regem? nullam ne in Moyse magno dotem agnoscit Pharao, vt magni virum faciat? nullam profectò dotem in viro magno agnoscit: quæ Oleastrio mens est. *Reges* (inquit) *neminem magnum arbitrantur, nisi se ipsos*, &c. Natus de tumore superbo cogitatus est, vt præ aliis se Reges efferant. Quo morbo laborasse visus est Sennacheribus, cùm iuberet, ministro quidem Rabsace: *Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit Rex Magnus*, &c. 4. *Reg. cap.* 18. *num.* 19. Video Sennacheribum à Magistro militum appellatum esse Regem Magnum; Ezechiam verò interpellatum sine honoris præfatione; quasi vilem præ se Ezechiam haberet Assyrius: neminem præ se magnum virum, nedum Regem esse. Sic vanus homo contemnit homines reliquos. Sed nihil id miratur Hildebertus *Epist.* 31. quandoquidem *superbia natione cælestis sublimes appetit mentes*, &c.

Exod. cap. 11. n. 3.

Aliè de se Reges, de reliquis humiliter cogitant.

4 Reg. c. 18. n. 19.

Superbia Regum tinea.

3. A Magno Angelo morbus iste peruasit magnos homines. Magnus cœlo Cherubinus erat; quod patet ex 28. Ezech. num. 15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te*, &c. Sed cùm resciscere homines Angelis pares fore, Christo Duce, furit, indignatur, hominésque vi, dolo vrget in præceps. *Socios dedignatus*, &c. Quod Bernardus sentit *serm.* 17. *in Cant.* Minus ego miror velle Angelos natura superiores hominibus antestare, ac præire. Illud omnino absurdum puto, homines hominibus præpositos sic efferri superbè, vt suprà homines se haberi velint. De fastu Persico erat, vt Princeps globum stellatem pede tereret. quod notat Chrysologus *serm.* 120. scilicet vani Reges *Polum se calcare mentiuntur*, &c. Cùm sedent, radios toto vultu solares mittunt. *Ne sint homines, Solis residentin figura*, &c. Tanta superbis hominibus insania est, vt se Diis pares esse debuccinent; & inde iniuriam irrogent hominibus reliquis.

Ezech. c. 28. n. 15.

Absurda in Lucifero superbia.

Deo se parem vastat superbus homo.

4. Nam vox Græca ὕβρις vtramque sonat pestem, & superbiam, & iniuriam. Vnde Isaias clamat cap. 28. num. 1. *Væ coronæ superbiæ*, &c. Bene voces consonant. Quæ enim grauior esse potest iniuria, quàm homines de luto factos sic intumescere, vt homines cæteros, quasi vermiculos habeant, & abigant? *Non sum* (iactat Pharisæus Orator Luc. 18. num. 11. *Sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus*, &c. Tumet superbè, qui de cæteris hominibus sinistra sentit. Ita ne reliquis hominibus mores perditi? virtus nulla? Hæc tamen de tumore Pharisæo nata vox est, se gloriosè iactare, pares sibi negare homines reliquos: vnde prosilit in verba aculeata, *velut etiam hic publicanus*, &c. Et verò, qui tantam sibi virtutem arrogat, *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo*, &c. *num.* 12. necesse erat, vt publicanum contemneret: quod Pharisæo Gilbertus obiicit serm. 33. *Pharisæe, non rogas; sed propè adstanti publicano iniurias irrogas*, &c. Quid non audent Oratores in Ioannem, vbi, quæ volunt, non impetrant. Negat Ioannes se Christum esse, *Ioann. cap.* 1. *num.* 20. quo dicto Pharisæum perdit negotium. Quid Oratores? vultu contracto Ioannem carpunt, num. 25. *Quid ergo baptizas?* &c. Agnoscit Caietanus superbiam in cauillis. Neque enim temerè additur num. 24. *& qui missi fuerant, erant ex Pharisæis*, &c. Additum enim id ab Historico est. *Ea ratione, vt eorum arrogantiam insinuet in subsequentibus*, &c. Sic Caietanus rem absoluit. Quasi vellet à tumore Pharisæo Ioannem demorsum esse. Valet in litem textus ille Prouerb. cap. 21. numer. 24. *Superbus, & arrogans vocatur indoctus*, &c. Vbi vox Hebræa לץ *Lets*, non indoctum, sed irrisorem sonat: facilè enim superbus homo erumpit in contumelias, ore plumbeo.

Sui iactator facilè detractor est virtutis aliena.

Ioan. cap. 1. n. 20. 25.

In contumeliam facilè prosilit superbia.

Prou. cap. 21. n. 24.

Sed à verbis ad fustes pergit. Moyses enim in Numeris, cùm exponit, quid sibi mali pariat, *Anima quæ per superbiam aliquid commiserit*, &c. *cap.* 15. *num.* 30. addit textus Græcè ἐν χειρὶ ὑπερηφανίας, *in manu superbiæ*, &c. superbum scilicet hominem manu valere ad pulsandos homines reliquos; vtpote qui putat licere sibi, quidquid lubet, in famam, vitámque hominum. Vnde superbus Nabuchodonosor textu sacro appellatur malleus humani generis, etsi *contritus malleus vniuersæ terræ*, &c. apud Ieremiam *cap.* 50. *num.* 15. De superbo Rege locus est; quem Deus ita pungit *num.* 30. *Ecce ego ad te superbe*, &c. Est enim de superbiæ morbo, vt homo nimium sibi arrogans manu tundat, & terat malleo humanam gentem: vnde vocatur *malleus vniuersæ terræ*, &c. Quanuis Bernardus in Chaldæo superbo, superbum agnoscit Diabolum; qui ex superbiæ vitio malleus est scholæ sanctissimæ; sed fractus malleus, vtpote qui victus ab schola humili victoribus aurum paret coronarium. *Iucundum* (inquit) *iudicium*; *vt superbus ille humilium malleator, ipsis nescientes coronas fabricet*, &c. *serm.* 17. *in Cant.* Inde tamen patet superbos Dæmones, & superbos homines iniuriarum sartores à cauillis ad fustes prouolare; quippequi ius sibi datum putant in famam, vitamque humani generis, vt quærant cum Holopherne contemptim, *Quis sit populus iste*, &c. A quibus id hominibus quærat Holophernes, excussum in Commentario est. Quærit à Philisthæo; quærit ab Hedomæo, qui Iudæum intus nouerat, vtpote vicinus malus. Et quidem nemo nescit,

§.

Num. cap. 15. n. 30.

Colaphis sauit superbia.

Ierem. c. 50. n. 15.

Malleo superbus tundit homines reliquos.

Prodest ad coronam viris optimis Diabolus.

PARÆ

PARÆNET. VII.

Vicinos homines vitæ alienæ quæsitores esse.

1. GRande malum! vt nemo viuat bene, ac beatè, qui non pateat oculis emissitiis vicinæ gentis. Sed ita fit. Lapillus est perpolitus affabrè, apud Zachariam *cap.* 3. *num.* 9. vbi aurificem agit Dominus exercituum. *Ego calabo sculpturam eius*, &c. In lapillo vir bonus eminet. *Lapis* (Hugone Magistro) *per constantiam*, &c. sed multis petitur oculis gemma pulcherrima. *Super lapidem vnum septem oculi sunt*, &c. Hebraismo celebri, oculi plurimi. Quid velint homines, missis in lapidem oculis, habet Hugo, homines scilicet voluisse oculis explorare, quid in gemma esset vitij. Quo metu Bethsabea Regem vrget ad rectè agendum, illud obiiciens, *In te respiciunt oculi totius Israël*, &c. 3. *Reg. cap.* 1. *num.* 20. Hæc Hugo; certò sciens Regem, nedum plebem humilem curiosis oculis patere; qui sese ingerunt in aditus etiam penitiores scholæ sanctissimæ.

Zac. c. 3. n. 9.

Nemo non explorat rationes vitæ aliena.

3. Reg. cap. 1. n. 20.

2. In aula erat intima virgo sapiens, & amans; apud Regem erat, suo cum Deo erat, quo se bono donatam iactat, Cant. 1. num. 3. *Introduxit me Rex*, &c. Sed eo se loci ingerunt oculi gentis proximæ, vt inspiciant, quid virgo faciat; atra ne, an alba fiat ex Regis aspectu: neque enim temere virgo queritur n. 5. *Nolite me considerare, quòd fusca sim*, &c. Malum id à vicino malo est, vt nec Virgo sancta viuat, sine oculis arbitris. Nec id Bernardus miratur serm. 24. in Cant. *Cùm vbique penè in choro adolescentularum inueniam, quæ acta sponsæ curiosè obseruent, detrahendi, non imitandi causa*, &c. Pulchrè Magister docet ex curiosa disquisitione vitæ alienæ captatam plerisque occasionem maledicendi; quod Plutarchus inuenit ad lib. de curiosit. *Nam fieri non potest, vt curiositatem non sequatur maledicentia*, &c. Genus hominum morosum pessimè; quibus studium loca plurima peruagari, vigilare in angulis, delatores parare, domum obire, & quæ inibi quisque egerit, perscrutari, vt referat, vt carpat, vt famam prodat hominis etiam sanctissimi. Faciem induit huiusce curiositatis virgo rusticella, quæ de suo cecinit prædiolo, *Vinea nostra floruit*, &c. *Cant.* 2. *num.* 15. Hæc verò curiosa vt mulier exitum meditata. *Per vicos*, (inquit) *& plateas, quæram quem diligit anima mea*, &c. *cap.* 3. *num.* 2. Sic interpretor, cum Gilberto. Quæram liberè quid quisque agat; disquiram, an officium quisque suum faciat, vt satis Deo faciat. quæ scilicet curiosis vis mala est. Addit virgo num. 3. *Quæsiui illum, & non inueni*, &c. Verè curiosa mulier, quæ detrahendi potius, quàm admonendi studio trahitur in vrbem vniuersam. *Tales multi sunt*, (Gilberto Magistro) *qui omnes perscrutantur professiones, & in illis nulla inueniunt, quæ illos trahant; sed multa, quæ ipsi detrahant, calumniantes, quòd districtio in aliis sit nimia, in aliis minima*, &c. hæc ille *serm.* 1. fortasse, vt morum Magistro experto credas esse homines curiosos, qui sese officinis domesticis, ac publicis inferunt, vicis, foris, ac domibus perlustratis, exploratores rerum alienarum, vt malignè referant, nihil omnino se deprehendisse, quod bene Deum sapiat, buccinare soliti. *Quæsiui illum, & non inueni*, &c. Absurdum profectò genus hominum, & quo domum, vrbem, regnum perite dixerim.

Nec homo vita sanctus viuit sine oculis arbitris.

Cant. 1. n. 3.

Cant. 2. n. 15. c. 3. num. 2.

Curiosus nemo est, qui non carpat mores alienos.

3. Hac arte Senatus Pharisæus Christum petit. Lego venisse homines à Iudæa ad Galilæam vsque, vt Christum exciperent curiosè. Marc. cap. 7. num. 1. *Tunc conuenerunt ad eum Pharisæi, venientes à Ierosolymis*, &c. scilicet, *Vt eius famam denigrarent, & facta*, &c. Quod exponit Abulensis *q.* 6. *in Matth.* 15. & expenderent lenta manu, lauarent ne Apostoli crebrò manus; sed minima quæque rimantur exploratores pessimi. Lego Christum de rebus optimis disputasse, cùm sederent legis Doctores, *qui venerant ex omni castello Iudæa, & Ierusalem*, &c. *Luc. cap.* 5. *num.* 17. Nec puto superbos homines, scholarumque Magistros piè aduenisse, vt Christum audirent, qui malè oderant; sed vt pensitarent, quidquid Magister diceret. Nam curiosi delatores hominum quietem pati non possunt. Eunt, & redeunt, à Iudæa in Galilæam, à vico in vrbem, ab vrbe in vicum frequentes, causa expiscandi, quid Magister dixerit, fecerit.

Mar. c. 7. n. 1.

Explorat malus vt ladat famam alienam.

Minima quæ qui rimatur curiosus detractor.

Luc. cap. 1. n. 17.

4. Quid si à Satana homines morem duxere suum? Adest suo Domino Senatus Angelicus Iob cap. 1. num. 6. *Cùm venissent filij Dei*, &c. Ac ne quid esset, quod non exploraret malus Dæmon curiosè; *Adfuit inter eos & Satan*, &c. fortasse, vt perscrutaretur abdita quæque gentis Angelicæ. Quid enim Satan aliud faceret? *Ingerens se inter bonos, velut improbus comes*, &c. Caietano teste. Sed rogatus à Deo Dæmon, quo, & vnde venisset, *num.* 7. reddit Satanas, *Circuiui terram, & perambulaui*, &c. Abundè ostendit, quo ferretur studio, cùm dicat lustratum à se orbem vniuersum: quod apud Origenem fatetur Diabolus. *Circuiui terram*, &c. *circuitionibus iniquitatis, & speculans transitu subito, quid tractetur in animis*, &c. *lib.* 1. *in Iob.* Iactanter Satanas, vti aduersarius, ebuccinat valere se speculandi arte, vt nihil fiat intimo etiam in animo, quod non intus inspiciat. Falsa tamen laus hæc est; neque enim Dæmon animum penetrat hominis, sed coniectura assequitur, & conatur perpetuò, vt exploret. *Circuitionibus iniquitatis, speculans transitu subito*, &c. Hoc Magistro curiosus quisque fruitur, & rimatur, quid sacra in domo, quid in cœna hospitali fiat, vt in lucem edat malo genio. Scitum enim illud Plauti est, *Curiosus nemo, qui non sit maleuolus*, &c. de ingenio id hæretico est: quo Nouato opponit Cyprianus *Epist.* 1. *ex lib.* 3. Quid igitur Nouatus? *Curiosus semper, vt prodat, ad hoc adulator, vt fallat*, &c. & inde Plutarcho vox nata, *Delatorum genus ex curiosorum gente est*, &c.

Iob c. 1. n. 6. 7.

Malus comes Diabolus.

Stare loco nescit explorator Diabolus.

Curiosus natura delator est.

5. Abeant igitur, & coruos pascant in cruce, curiosi æquè, ac delatores hominum; quos Iustinianus probat *lib.* 12. *C. tit.* 23. *de curiosis, & stationariis*, vbi Imperator. *Curiosi, & stationarij crimina iudicibus nuntiare meminerint*, &c. Nam hosce homines Tertullianus inter viles tabernarios, aleones, & leones collocat, *ad lib. de Fuga cap.* 23. Damnat Apostolus, viduas taxans leuiusculas; vtpote quæ circuire domos soleant. *Verbosæ, & curiosæ, loquen*

1. ad Tim. cap. 1. n. 13. *Sua non curant explorators, qui facta disquirunt aliena.*

loquentes quæ non oportet, &c. 1. ad Timoth. cap. 1. num 13. *id est* (Anselmo Auctore) *inuestigantes aliorum facta, negligentes sua; studentes aliquid semper audire*, &c. Et verò, quæ mulier sui impotens loquitur, percontetur curiosè, necesse est. *Percontatorem fugito, nam garrulus idem est*, &c. Monet Horatius; & meus Christus, vt Petrum à vitio curiositatis abducat; vbi Pontifex de Ioanne quærit: *Domine, hic autem quid*, &c. *Ioann. cap.* 21. *num.* 21. Vrget verè Magister, & curiosum trudit hominem, illud ingerens, *Quid ad te?* &c. num. 22. *His verbis nos erudiens, neque dolendum, neque curiosius præter diuinam voluntatem inuestigandum*, &c. de vita scilicet, & fortuna aliena. sic Chrysostomus *Homil.* 87. *in Ioann.* Quis neget curiosos, natura duce, homines Deo ineptos, & improbos esse? Bene Mathematicus improbè rogatus, qua potissimum re Dij gauderent. *Cætera* (inquit) *ignoro; sed curiosos illi odio esse certò scio*, &c. Et erit, qui aliena timari velit, natura ad id magistra? Erit Philisthæus; erit Hedomæus, Iudæo vicinus malus: à quibus Holophernes exquirit: *Quis sit populus iste?*

Ioann. c. 21. num. 21. 22.

Curiositatem rescindit magister Deus.

De auita domo Hebræi populi quærit Holophernes ex Lyrani placito. Et quidem Assyrius prudenter scisciatur, vt ex Parentum genio filius agnoscatur. Ferè enim

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Vigor, &c.

Bonus à bono parente filius plerumque est.

apud Horat. *lib.* 4. *Ode* 4. Nec mali corui, nisi malum ouum est. Vtrumque haurit filius à parente. *Magnus enim verecundiæ stimulus est, parentum laus; dum illis non patimur esse impares, quos gaudemus auctores*, &c. Sic Cassiodorus *lib.* 9. *Epist.* 2. Quid verò Dido, vt Traianum sæuo, ac immiti genio hominem esse probaret? lib. 4.

——*Duris genuit te cautibus horrens*
Caucasus, &c. Quo aspectu, nemo non dicat,

PARÆNET. VII.

Filios parentum simias esse.

1.

QVod ex loco Holophernes egit, egere nautæ, vt Ionam intus, & in cute nossent. Postquam enim homines sorte ducta deprehenderunt Ionam tempestatis obortæ reum esse: ne decernerent in reum temerè,

Ion. c. 1. n. 8. interrogant, cap. 1. num. 8. *Quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu?* &c. Opportunè satis rogant homines, sumpto iuris dicundi habitu, ac de auita rogant domo, *vt ex communibus Gentis studiis, & institutis hominis vitam agnoscant*, &c. sic Theodoretus. Nota est via hominis cognoscendi, parentes inuestigare curiosè, cùm filius parentum mores plerumque referat. Potéstne arbor mala bonos fructus facere? negat id Christi gnome. Inde Salomon rectè statuit

Facilè à terra patria cognoscuntur mores hominum.

Prou. 13. n. 1. Prouerb. cap. 13. num. 1. *Filius sapiens doctrina patris*, &c. quo dicto probat se à patre sapiente sapientem esse. Et fortasse Princeps paraboliçè prolocutus, ita Patrem inducit Prou. c. 1.

Prou. 1. n. 1. num. 1. *Parabolæ Salomonis filij Dauid*, &c. Deinde Ecclesiastes populi tonat in hanc sententiam cap. 1. num. 1. *Verba Ecclesiastæ filij Dauid*, &c. scilicet commendare scholam voluit à Magistro altè instructo, vtpotè quem Pater Dauid instituerat, *sedens in Cathedra sapientissimus*, &c. 2. *Reg. cap.* 23. *num.* 8. Nec otiosè de patre meminit filius sapiens: sed *vt planè cognosceretur, quemadmodum sapiens erat Salomon ex sapiente patre*, &c. sic Basilius in locum docet. Quàm scitè Magus quisque apud Isaiam cap. 19. num. 11. *Filius sapientium ego*, &c. quasi Philosophiam à parentibus hæreditariam accepissent, & inde artes callerent optimè; quod in loco exponit D. Thomas.

Eccles. 1. n. 1.

2. Reg. c. 23. n. 8.

Parentem filius plerumque repræsentat.

Isai. 19. n. 11.

2.

Quis negat iuuenem strenuum à parente strenuo trahere virtutem bellicam? Hostem de grege Philisthæo premit Ionathanus miles 2 *Reg. cap.* 21. *num.* 21. vbi textus, *Percussit eum Ionathan filius Samaa, fratris Dauid*, &c. traditque Hieronymus *in tradit. Hebr. ad* 1. *Paralipom.* Ionathanum in loco Ducem, verè Nathanum vatem esse, de quo *ad* 2. *Reg. cap.* 7. *num.* 2. Ibi tamen de patre merum est silentium; de quo multa est commendatio, cùm filius hostem premit strenuè, vt virtus à parente ducta in filium probetur. *Idcirco hic patris nomen ponitur; quia inter præliatores describitur*, &c. Ac si textus vellet, filium à parente, Duce optimo, nasci strenuum militem. Vnde patet non ineptè Saulem interrogasse: *De qua stirpe descendit hic adolescens?* &c. 1. *Reg. cap.* 17. *n.* 55. cùm Dauid Philisthæo interfecto, caput hominis secum referret; id enim à Saule quæsitum docet Hebræa schola. *Ad sciendum, si erat fortis pater suus. Quia pater robustus generat robustos filios*, &c. Hæc apud Abulensem q. 41. Et verò, quî fieri poterat, vt strenuè Dauid se gereret, nisi à parente strenuo vires cogeret?

2. Reg. 21. n. 21.

Strenuus à patre strenuo filius.

1. Reg. 17. n. 55.

Fortes creantur fortibus.

3.

Quòd si de morum sanctimonia sermo est, nec Phineas Hebræum ferro perderet, amore castitatis asserendæ, nisi Eleazarum patrem, & Aaronem auum censeret. Turpiter in Venerem Zambri labitur, Num. cap. 25. n. 6. *quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari, filij Aaron*, &c. *num.* 7. stricto ferro Zambrim perdit. Quæris, quò pertinet ea parentum commemoratio, cùm Moyses Phineam laudare vellet de re bene gesta? Succurrit Abulensis, quæst. 6. *vt sciatur, quis iste fuerit, qui pro Deo zelatus erat*, &c. scilicet, vt noris à patre, & auo optimo filium virtutis amantem esse, & castitatis assertorem strenuissimum, quæ à Luca laus est concinnata in Ioannem *cap.* 1. prius enim quàm Ioannem commendaret Lucas, virtutum censu inito num. 15. *Erit magnus coram Domino; & vinum, & siceram non bibet*, &c. Parentes laudat effusè. Nam textus est num. 5. *Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron*, &c. Deinde addit num. 6. *Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela*, &c. Valet hæc parentum commendatio, vt quæ in Ioanne virtus est, credatur facilè, & commenderur largè, quod Paulino placuit *Epist.* 10. sic ille de Luca Historico. *Laudaturus vitam, genus ante laudauit, vt venerabilior existeret, qui sanctis Parentibus respondere sanctitate ingenita*, &c. Non potest non filius parentes sequi æmulatione virtutum, quos, vt morum Magistros, natura constituit. Vnde Cyprianus suam Celerino laudem

Num. 25. n. 6. & 7.

Castos parentum mores imitatur plerùque filius.

Luc. 1. n. 15. 5. & 6.

Parentum mores liberorum laudes.

Satis sibi faciunt Pater & filius, si virtutem colant

laudem parat, quippe quem auo, auunculóque optimo clarum esse docet. *Non inuenio, quem beatiorem dicam, vtrùm ne illos de posteritate clara, an hunc de origine gloriosa*, &c. *lib. 4. Epist. 5. ad Clerum.*

4. Sed pater improbus filium gignat improbum necesse est. Maledicto Noë Chanaanum petit, qui peccasse non probatur, Gen. cap. 9. num. 25. *Maledictus Chanaan*, &c. Quid hoc monstri est? peccat pater, & punitur filius? Nónne, *cùm vidisset Cham Pater Chanaan, nuntiauit*, &c. *num.* 22. sed quod Npë fecit impacto in nepotem maledicto, Oraculum est: apud D. Thomam, *Fuit enim decens, quòd sicut malum se filium fecerat, sic malos haberet filios*, &c. Illud ex D. Thoma elicio, præsensisse animo Noëthum, quisnam esset futurus nepos à patre malo; & quodnam esset maledictum paraturus vita improba. *Chanaan scilicet in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit*, &c. apud Hoseam *cap.* 12. *num.* 7. ac proinde mali corui malum ouum auus diris petit. Et quidem Moyses id videtur signasse, cùm tradiderit semel num. 18. *Ferrò Cham, ipse est pater Chanaam*, &c. & iterum num. 22. *Cùm vidisset Cham pater Chanaam*, &c. Certè illud Theodoreto interpretamentum placet; nihil mirum, si puer adeò malus est, vt maledicto pateat, qui patrem habet improbum. Moyses enim *volens ostendere similitudinem patris, & filij, eum quodammodo à suis fratribus distinguit*, &c. sic Theodoretus *q.* 57. Quasi malus filius, malum ostendat patrem, & à bono grege hominum disiungat. Nónne filia improba à matre improba, ad omnem se accingit improbitatem? Vide quò Dei voces, de matre Heua, & cœtu reliquo fœminarum? Cant. 8. n. 5. *Sub arbore malo suscitaui te*, &c. Scias me nihil non feciisse, vt à pomis rapiendis te auocarem. *Ibi corrupta est mater tua*, &c. Nec miror te furtim poma captare; quæ enim mater furatur natura duce, & furacem non gignit filiam? Hæc si recipis, illud colligas oportet, rectè Holophernem quæsiisse de Hebræo hoste, *Quis sit populus iste*, &c. quos scilicet haberet auctores generis: vt certò sciret, qua virtute potens, ac promptus esset. *Vel quis Rex militiæ*, &c. cùm filius parentes plerumque referat, nunc vitio, nunc virtute.

Gen. 9. n. 25. & 22.

A patre improbo improbus filius.

Hoseæ 12. n. 7.

Gen. 9. n. 18. & 22.

Can. 8. n. 5.

Mater gulosa gulosam pauit filiam.

Num 4. Et quare præ omnibus, qui habitant in Oriente, isti contempserunt nos, &c.

Commentarius.

17. PVgnare Latinus videtur cũ Græco textu; Græcus enim pro *sole Oriẽte* habet, κατοικοῦντας ἐν Ἀυσμαῖς, *habitantes in Occidente*, &c. Hæret in luto animus, quo pacto ad Solem Orientem pergat Holophernes, ab Assyrio iussus abire aduersùs nationes Occidentales, *cap.* 2. *num.* 5. Sic iussa facit Holophernes? & quo id cerebro? an, vt Regis stomachum moueat? saluus tamen locus est: quandoquidem Hebræus aspectu ad Niniuen, Occidentalis est; aspectu ad orbem vniuersum, verè Orientalis: quod Serarius, & Salianus à Lyrano exscripsere. Nec id sacro textu insolens, vt Philisthæa ad Solis occasum sita dicatur. Quid Isaias? Hostes Iudæo infestos esse docet *Syriam ab Oriente, Philisthiim ab Occidente*, &c. *cap.* 9. *num.* 12. Quid si Apostolus Ierosolymis egressus, à Solis occasu ad ortum prouolasse dictus est? Isaias iterum cap. 11. num. 14. *Prædabuntur filios Orientis*, &c. sic enim Thomas Indum, Bartholomæus Armenium, & Persam Philippus deprædatus est.

Isai. 9. n. 12.

Isac. 11. n. 14.

18. Sed recurrunt voces iterum superbi hominis, qui homines reliquos nullo habet in pretio, illud ingerens, *Quare isti contempserunt nos?* &c. Vox est tumentis animi, qui suum hominibus aliis nomen contemptim detrahit. sic de Christo, vti de vili syro, apud Iohannem cap. 9. num. 12. *Vbi est ille?* &c. nata de contemptu vox est. Nec mitiores in Christum, qui rogabant Marc. cap. 2. num. 7. *Quid hic sic loquitur?* &c. Contemptim blateroues Magistrum carpunt. Multus ero, si quæ succurrunt in hanc partem, loca suggeram. Abundè facit Iohannes *cap.* 7. *n.* 15. qui Doctores inducit demiratos latè: *Quomodo hic literas scit?* &c. Nomen à Magistro abradunt tumentes præsuperbia homines, vt Christi auctoritatem eleuent. Quo pacto Holophernes miratur, & scisciatur, *Quare isti contempserunt nos?* &c. Contemptum sui putat, non coli reuerentissimè, non rogari genu flexo. Quæ superbiæ vis vna est, Auctore Seneca. *Ille* (inquit) *rogari, inuidiam indicat; iste non rogari, contumeliam*, &c. *ad lib. 3. de Ira, cap.* 10. vellet superbus homo, vt commearent Gentes locis variæ, ad genua acciderent, veniam precarentur, & pacem. Qui id non fecerint homines, suo satis officio feciisse negat: ac de iure læso queritur; si quod iniustè repetit, iustè non impetrat.

Superbus hominibus reliquis sui contemptim nomen detrahit.

Iohan. 9. n. 12.

Marc. 2. n 7.

Iohan. 7. n. 15.

Contemni se putat superbus, cùm non rogatur.

19. Coli, vti Deus, volebat Amanus, & hæc in mandatis habebant homines cæteri: vnde adulatores, Esther cap. 3. n. 2. *Flectebant genua, & adorabant Aman*, &c. Quòd Amanus religiosam vellet adorationem, decernit Serarius *q.* 3. *ad locum cit.* ex D. Thoma 2. 2. *q.* 8. *art.* 1. *ad* 1. Nec Lyranus sentit aliter. Laudo Tirinum, & quos ille testes laudat, satisque ex Mardochæo patet, quo animo negaret Iudæus adorationem cap. 13. n. 14. *Timui* (inquit) *ne honorem Dei mei transferrem ad hominem*, &c. Itaque Amanus sacros sibi poscebat honores, iure læso Magni Dei: quod Mardochæus iustè negat, & Rupertus obseruat lib. 8. cap. 8. de Victor. *Iustitia namque est, quòd noluit adorare Aman, iustam intuens causam*, &c. Sed quo Amanus dolore tumet, furit, sæuit? cultum iustè negatum, sui contemptum interpretatur; sic enim ad vxorem Princeps fortunæ alumnus c. 5. num. 13. *Cùm hæc habeam, nihil me habere puto*, &c. quasi æstimaret se à Iudæo contemptum, cùm non colerentur impensè. Quis negabit Saulem animo nocendi quæsiisse, quo Dauid antro lateret: sed taciturnitatem hominum ea de re, suam superbus homo calamitatem æstimat, 1. Reg. 22. n. 8. *Coniurastis* (inquit) *aduersùm me, & non est, qui renuntiet mihi*, &c. quod nocere non

Superbus diuinos sibi honores repetit.

Esther 13. n. 14.

Esther 5. n. 13.

1. Reg. 22. n. 8.

non possit, ægrè dolet: quod nihil de bono viro dicant milites, suum putat nocumentum malus Princeps. Hoc iure Nabuchdonosor *cap. 1. num. 12.* curam libertatis asserendæ interpretatus offensionem iustitiæ: *Iurauit per thronum, & regnum, quòd defenderet se*, &c. Quo dolore Holophernes virtutem Hebræi populi appellat sui contemptum: ac proinde rogat contemptim, Senatu hominum collecto, *quare isti contempserunt nos?*

Num. 5. Tunc Achior Dux omnium filiorum Ammon respondens ait: Si digneris audire Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo, &c.

Commentarius.

20. COllectis in concilium tribunis militum, qui de Hebræo hoste certum facerent Holophernem, exorditur sermonem Achior, vtpote Princeps nominis Ammonitici. Valet ad consilium nomenclatura hominis, qui, Hebræa schola, *frater lucis est.* Et verò nemo, nisi lucis alumnus consiliis habendis lucem dare potest. Sed rem premo *in comment. ad cap. 2. num. 2. Paranet. 4.* Nihil moror: vt excutiam, petitam à Duce facultatem veri dicendi in Senatu. Fortasse non auderet, nisi per facultatem loqui liceret. *Monstrabo tibi, cuius rei inopia laborant magna fastigia; quid omnia possidentibus desit? ille scilicet, qui verum dicat*, &c. *ad 6. de Benef. cap. 30.* Bene Seneca adulationes carpit gentis humanæ, quæ nihil non dicit ad voluptatem Principis. An hæc Regum natura est, vt quæ placent, non quæ prosint, audire velint? Aio, quod Achior probat, petita facultate explicandi, quæ senserit. Hoc aspectu addit textu Græco ἀναγγελῶ τὴν ἀλήθειαν, quod bene vertas, *Renuntiabo veritatem*; & germanè, *vagationem*, &c. Quasi Achior veritatem ab aula peregrinari longè queratur; quod & Tertullianus queritur, veritate laudata; hæc enim Apologet. cap. 1. *scit se in terris peregrinam agere: inter extraneos facilè inimicos inuenire*, &c. Quid igitur noui est, si Achior facultatem petat veritatis renuntiandæ? seruat, quod monet Persius, cauetque,

Auriculas teneras mordaci radere vero, &c. *Satyr. 1.* Ne cogatur ad restim; vt Caius Macronem, & socerum, & veri monitorem adegit. *Officium interpretatus contumeliam*, &c. quod Philo notat, *de Legat.* Tam sui impotens, quàm veri impatiens Caius erat, ne à Regum genio descisceret. Cape aculeatum à Seneca iaculum aduersùs hosce homines. *Regalis* (inquit) *ingenij mos est, in præsentium contumeliam amissa laudare: his virtutem dare vera dicendi, à quibus iam audire periculum non est*, &c. *lib. citat. cap. 32.* Molles adeò Regum aures sunt, vt blanda, non vera, audire velint. Vnus tantùm Hephæstion libertatis in admonendo Alexandro ius habet: & hæc summa est amicitiæ, quod à Curtio discas *lib. 3.* Hanc sibi facultatem dari poscit Achior ab Holopherne, vt non quæ vellet, audiret; sed quæ semper audisse vellet bonus quisque. Nam cùm Præxaspes officium admonendi vsurparet, fortunam sensit aduersam. *Accessitque ad eorum numerum, qui magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent Regum amicis bona consilia*, &c. Ita Seneca *ad 3. de Ira cap. 14.* Ne pereat miserè Achior, facultatem sibi veri dicendi permissam ab Holopherne voluit, illud ingerens. *Si digneris audire, dicam veritatem*, &c. Græco textu, *Si digneris obedire*, &c. Nam vox inibi Græca, ἀκούω est *audire*, ac *obedire*; & hæc Græcis, Latinísque trita verbi potestas est. Vnde colligo,

Concilio sapiens interfit.

Ingrata hominibus veritas.

Longè ab aula veritas.

Nemo Regum est, qui vera audire velit.

Vanè audit, qui non obedit.

PARÆNET. IX.

Nec Reges, nec Duces veri patientes esse.

1. STatuunt veri scientes, boníque amantes homines veritatem mordacem esse, & ab aula procul agere. Carpit mores nuda veritas, necesse est, aures lædat, animosque hominum. Fallor, an id asserit Tertullianus plenis buccis? *Apologet. cap. 46.* inibi Magister. *In quantum veritas odio flagrat, in tantum is offendit, qui eam ex fide præstat*, &c. Morsum Pilatus sentit, priusquam veri naturam exploratam habeat. Ad est Christus veri Magister; percontatur iudex. *Quid est veritas?* &c. *Ioann. cap. 18. num. 38.* Sed è vestigio Pilatus abit, aditque accusatores: quod Ioannes obseruat, *Cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos*, &c. Quid hoc est ruris in viro nobili? Quærit de veritate, & suspenso responso, Magistrum fugit? sed metus Pilato erat, ne doleret, si Magister veri naturam explicaret: ac proinde suum fuga dolorem redimit. Hæc à Bernardo habes. *Meritò reuerberata acie protinus resiliunt, & responsum non sustinens, egressus est*, &c. *serm. in Prou. 13.* Laborant hoc vitio Reges, ac Duces: vel enim veritatem ab aula procul abigunt, vel ab aula procul abeunt Principes, ne doleant, ne fleant, veritate explicata. Vnde nemo est, qui veri Magister esse velit, ausit, apud hosce homines.

Offendit, qui vera loquitur.

Io. 18. n. 38.

Amara audientibus veritas.

2. Quo in metu Daniel erat, cùm adigeretur, vt somnium solueret de Rege premendo? *Dan. cap. 4. num. 16.* Accitus enim à Chaldæo Vates, hæret, pallet, friget. *Cœpit intra se ipsum cogitare, quasi vna hora, & cogitationes eius conturbabant illum*, &c. Cunctatio hæc formido erat de vero dicundo apud Regem. Nam Daniel, & Vates, & homo est: si tacet metu, Vatem negat; si Vates dicit, verè perdit hominem; hæret in dubio Daniel, vtpote qui, Magistro Hieronymo, *tacitus intellexit somnium esse contra Regem, & cordis timorem vultus pallore signabat*, &c. mali scilicet metuens, si verum diceret. Non audent Sacerdotes, nec Vates audent, videntes, ac viuentes homines Saulem admonere de suo, tristique fato. Nam textus est de Saule ad 1. Reg. cap. 28. num. 6. *Consuluitque Dominum; & non respondit, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas*, &c. Mittit Deus Samuelem vita defunctum sua num. 16. *& ait Samuel: Quid me interrogas?* &c. Perque Vatem iam demortuum Deus edit sortem oraculi aduersùs Regem. *Quia Sacerdotes, & Prophetæ videntes interitum Saulis appropinquare, nolent denuntiare propter timorem: Samuel verò,*

Dan. 4. n. 16.

Acerba viris magnis veritas.

1. Reg. 28. n. 6. & 16.

verò, qui mortuus erat, non timeret, &c. Hæc Abulensis *q.* 15. Acsi vellet præcidisse Deum Prophetis adhuc viuentibus occasiones timendi, cùm Samuelem veri interpretem è tumulo exitaret aduersùs Regem. Addit Zeno Martyr Samuelem è tumulo excitatum enuntiasse plura, quàm videns, viuensque fecerat. Nam *cap.* 15. *num.* 28. regnum à Saule ereptum iri minatur; nec Dauid vsquam interponitur. *& traditum est illud proximo tuo*, &c. Ad caput tamen citatum *num.* 17. iam Dauid apponitur, *& dabit illud proximo tuo Dauid*, &c. *& liberius canit mortuus, quàm viuus canere consueuerat*, &c. Ita Zeno *ad Serm. de Resurrect.* scilicet Vates è viuis egressus non timet; etsi monendo pungat acerbè.

1. Reg. 15. num. 28.

1. Reg. 28. num. 17.

§.

Nosti puto, cur magnum Christo studium fuerit de admonendo sacrorum Præfecto. Agit Christus de sacro Præfecto, ac de sale Apostolico ad colendos mores hominum, *Luc.* 14 *n.* 34. Deinde morsum Præfecto infigit sub vna salis specie, n. 35. *Neque in terram, neque in sterquilinium vtile est*, &c. & voce profusa addit, *Qui habet aures audiendi, audiat*, &c. Cur ita? an Antistes obsurdescit ad veritatis admonitiones; ac proinde Magister aures quærit faciles? Credo ego; nec vana fides. Neque enim homo est, qui sacros Antistites ausit mordere aceto veritatis. *Sciebat Iesus se loqui de Ecclesiasticis Prælatis, quos nemo corrigit; & propterea saltem scripto excitat*, &c. Bene Caietanus. Et quis Antistites de officio moneat, si monitores malè habent? Vident monitores, quæ moneri poterant, sed tacent metu damni, ne suo malo ostendant magni considerare Antistitum monitoribus sua, & recta consilia. Hoc metu cauet Ezechiel, ne quid renuntiet de Chaldæo premendo, *ad cap.* 31. Agit Vates de Pharaone, ac de Assyrio: minis vtrumque pulsat Regem *num.* 2. *&* 11. vbi Deus ita monet. *Iuxta impietatem eius, eieci eum*, &c. Nihil tamen de Chaldæo agit; etsi Tyrannus graui iugo Hebræum torquet: nec queritur Vates, nec mussitat; & ratio ex Hieronymo hæc est. *Ne videatur contra captiuum populum in Chaldæa positum dominantium, atque regnantium iracundiam prouocare*, &c. Et quidem Vates prouocaret homines rerum dominos ad cladem vltimam Hebræi populi, si quod sciret, verum de Tyranno renuntiaret, cùm nec Reges, nec Duces veri patientes esse velint.

Luc. 14. n. 34. & 35.

Facilè Præfectus obsurdescit ad veri adhortationes.

Eccles. 31. n. 1. & 11.

Tacet cautè vates ne qua regem pungat veritas.

4.

Quòd si monitores velint, quæ senserint, denũtiare, facultate id petita faciunt; quod Achior fecit, vel iuramento concepto, quod Michæas: vel scena adornata, quod Paulus. Quid Achior faceret, si Christum audiret? Nam Magister priusquam Pharisæum admoneret de morbo animi, ius admonendi non sibi vendicat, sed rogat, *Simon, habeo tibi aliquid dicere*, &c. *Luc. cap.* 7. *num.* 40. Docet Christus morderi hominem aceto veritatis, qui, ne auditor verum abnuat, ius sibi voluit à Pharisæo permissum veri dicundi. quod Toletus insinuat. *Ideo consensum illius ad dicendum Christus requirit*, &c. Nec Michæas, quod rogatur, verum dicit, nisi adiuratus ab Achabo, & adactus quodammodo, *ad* 3. *Reg. cap.* 22. *num.* 16. vbi Princeps Vatem vrget. *Iterum, atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi, nisi quod verum est*, &c. scilicet, damni metuens ab Achabo Vates. *Expectauit, vt iureiurando adigeretur, ac deinde verum diceret*, &c. quod Theodoreto placet *q.* 65. Sensit Michæas, quo vultu Princeps verum audiret; periculique metuens suam mordicus linguam tenet: soluit tamen, vbi credit libertatem veri dicundi sibi additam, sacramento concepto. Nam, sine iuramento æternùm fileret, vel certè obducto velo rem innueret. quo pacto id Paulus fecit. Dare vulgo Paulus voluit sortem aduersam Romanæ Gentis: sed non audet, nisi rem tegat, velo mystico, 2. ad Thessalonicens. cap. 2. n. 7. *Mysterium* (inquit) *iam operatur iniquitatis; vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat*, &c. vbi Paulus de Antichristo disputans, ad Neronem digreditur: quod volunt Chrysostom. Theophylact. Lyran. Sed rem rectè Paulus versat. *Ne inuidia laboraret*, &c. teste Ruperto *ad lib.* 13. *Victor. cap.* 13. Oraculum erat poëticum à Ioue tonante. *Imperium sine fine dedi*, &c. Quare Paulus ænigmaticè, & obscurè locutus est de fortuna extrema Romanæ Gentis, *ne inuidia laboraret*, &c.

1. Reg. 22. num. 16.

Verum dicit Vates vi adactus.

2. Thessal. 2 n. 7.

Veri magistri multa laborat inuidia.

Si quis igitur veri Magister monere ausit, & mordere corruptos mores hominum, fortunam extremam subeat, necesse est. Nam Angelis, nedum hominibus, hæc fortuna minatur. Irarum ollas nec effundunt legum Doctores, nec sua populis mala renuntiant, nisi tunica tecti adamantina. Apoc. 25. num. 6. *Exierunt septem Angeli habentes septem plagas, vestiti lapide mundo, & candido*, &c. liceat antiquo textu abuti. Hosce Angelos veri buccinatores esse credunt Ansel. Laudunen. Anselm. Antistes, & Rupertus; qui thorace firmissimo obarmatos milites esse docet, ne ab auditorio veri aduersario malè habeant, si quid veri dicant. quod Rupertus ita monet lib. 9. in Apoc. *Plagas huiusmodi habentes, & sæculo nequam mala ventura opportunè, importunè nunciaturi, oportebat, vt essent inter aduersa securi*, &c. Scilicet, tam multis patent odiis veritatis interpretes, vt nec dicere, nec ausint hiscere. Temere igitur Achior Holophernem admoneret, si veniam dicendi priùs non impetraret. Benè, & cautè Consiliarius. *Si digneris audire Domine mi*, &c. siue ex Græco textu, *si digneris obtemperare*, &c. quod patet ex Commentario. Scio enim certò nihil prodesse veri interpretem, si auditor non obaudit manu facili. Vnde monent viri magni,

§.

Apocal. 25. n. 6.

Pereunt malè qui vera dicunt liberè.

PARÆNET. X.

Sanis monitis obtemperandum esse.

1.

LAborant hoc morbo Reges, ac Duces, vt nolint capere admonitiones vtiles, vel serò admodum capiant; ac tandem si quas serò capiunt, animo non retineant.

Qui monet cautè, facultatem monendi postulat.

Semel, iterum, ac millies verba fecerat Magiſter Dominus ſacra in domo, & publico in foro, apud Senatum, populúmque Hebræum. Sed capto, ductoque ad Caipham Magiſtro, quid Pontifex? *Interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius*, &c. *Ioan. c.* 18. *n.* 19. Cõſtat non audiiſſe Caipham, quid Magiſter diſputaſſet, cùm petat Iudex, quæ nã Chriſti ſchola fuerit: nec hallucinatur Salmeron, cùm dicat tom. 10. tract. 20. *Solent Magni Principes huius ſæculi rarò accedere ad concionẽs*, &c. Addo vellicatum à Chriſto Sacerdotem eo ſtylo, *Interroga eos, qui me audierunt*, &c. & quaſi Pontifex non accepiſſet, quæ palàm diſputarentur: *Taxat ignauiam, quòd doctrinam publicam non audiſſet*, &c. Ita Salmeron loco cit. Hac via Pontifex: quid homines alij? hanc vnam terunt viam. Notant acerbè hanc veri audiendi ignauiam loca multa è ſacro textu. Ignauos enim homines perſanctè Deus vrget, vt audire velint. Deut. cap. 4. n. 1. cap. 5. n. 5. cap. 9. n. 1. *Audi* (inquit) *Iſraël*, &c. Hac etiam via Baruchus agit auditores cap. 3. n. 1. *Audi Iſraël mandata vitæ*, &c. Nec Iſaïas in monendo ignauus eſt, cap. 48. n. 1. *Audite hæc domus Iacob*, &c. quod Vates repetit *n.* 12. & 14. Monuerat id Dauid Pſal. 49. n. 7. *Audi populus meus, & loquar*, &c. Vbi Chryſoſtomus ſcitè obſeruat, poſtulatum perſæpe à Deo ſtudium veritatis audiendæ iure merito. *Erant enim pigri, ac negligentes, & ne tantillum quidem legum lectionibus quietam præſtabant audientiam*, &c. ſcilicet, ne quid rectè facerent, pigebat audire Magiſtros optimos.

Ioan. 18. num. 10. *Rarò Dei ſermones Princeps audit.*

Deut. 4. n. 1. 5. n. 5 & 9. num 1. Baruc. 3. n. 1. Iſai. 48 n. 1. 12. & 14.

Pſal. 49. n. 7. *Concionibus non interſunt negligentes veri homines.*

2. Impudentior hac parte Herodes eſt, qui accepta Chriſti fama, nihil omnino fecit, vt Magiſtrum videret, audiretque. Id Lucas probat *cap.* 23. *n.* 8. vbi Herodes, *erat cupiens ex multo tempore videre Ieſum*, &c. Si videre Herodes auet, & audire, cur miſſo puero Magiſtrum non euocat? an timet, ne Chriſtus venire negligeret? Quod ſi timet, cur non adit, vt quæ Magiſter docet, auditor excipiat? *Sed ad illum videndum exire dedignabatur*, &c. Hæc Salmeron. *lib. cit.* Euincit igitur Herodes ſua ignauia Principes, aut rarò, aut ſerò veri auditores eſſe. In hoc luto Niniuites eſt. Tonat Ionas in vrbe magna, in foro publico, & quæ hominibus fortuna immineat, latè diſputat. Flagrant ciuium ſtudia, verúmque Numen timent, & colunt, cap. 3. n. 5. *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium*, &c. Nihil adhuc Princeps de Iona, ac de iuſto ciuium dolore audit. Tandem nuntius aulam petit, ſed lento gradu, n. 6. *& peruenit verbum ad Regem*, &c. ſcilicet audire Reges negligunt ſalutis monita; quæ ſi fortè capiant, ſerò capiunt. *Ex quo perſpicuum eſt Chriſti prædicationem Reges mundi audire nouiſſimos*, &c. ſic habet Hieronymus.

Luc 23. n. 8. *Superbia eſt verum magiſtrum non curare.*

Ion. 3. n. 5. & 6. *Ignarus ad veri doctrinam Princeps eſt.*

3. Redeat Herodes iterum, & doceat, quo anno acceperit, Chriſtũ humanæ gentis magiſtrum, ac ſeruatorem eſſe. Dictis, factíſque miris vrbes, vicos, Senatum, populúmque Hebræum ſatis inſtruxerat Magiſter Optimus. quod habet Marcus 6. Lucas 8. Matth. 13. Nec Herodes Chriſtum viderat, nec audierat. Addit Matthæus cap. 14. num. 1. *In illo tempore audiuit Herodes famam Ieſu, &c.* ſcilicet poſt Ioannis iniuſtam necem. Quid non eſt? toto vagatur Regno Chriſti nomen, & Herodes Magiſtrum adhuc ignorat? Sed multa Regum eſt ſegnities in adeunda ſchola rerum ſacrarum: monet Chryſoſtomus Hom. 49. in Matth. *Huiuſmodi certè ſunt, qui viuunt in principatibus; quoniam faſtu rerum plurimum ſibi arrogant, parui facientes cætera, ſerò perdiſcunt*, &c. Accedit in litem Feſtus ille auditor ignauus rerum Chriſtianarum, quod ſuo Prætor ore probat, in Actis Apoſtolicis *cap.* 25. *num.* 19. vbi ſe accepiſſe dicit *de quodam Ieſu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere*, &c. Quid Iudex bone! poſt vicennium, ex quo Paulus Ieſum cœlo tonantem audiuit, adhuc neſcis, quiſnam Ieſus fuerit? Neſcis quid Pilatus egerit? Quid pertulerit, Ieſu ad Crucem dãnato? Sed inuenit Chryſoſtomus, cur Feſtus ita loquatur. *Meritò de quodam Ieſu dicit, vtpote principatũ gerens, eaque non curans*, &c. *Hom.* 51. Hæc de Feſto Chryſoſtomus, vt taxatam ſcias ignauiam hominis in adeunda Chriſti ſchola. Neque enim audit Princeps; quod ſi audit, ſerò id præſtat, ac ſegniter.

Torpet ad pietatem malus Princeps.

Act. 25. n. 19

Quæ Dei ſunt non curat Prætor.

Alij, ſi quid audire contingat, animo abijciunt, quod patet. Vnde Moyſes vitio obliuionis, & ſacras legum tabulas, clauſa reponit in arca, *Exod.* 25. *n.* 21. *Deut. cap.* 11. *n.* 3. *lib.* 3. *Reg. cap.* 8. *num.* 9. *lib.* 2. *Paralip. cap.* 6. *num.* 11. Quare Paulus *ad Hebræos cap.* 9. *num.* 9. arcam laudat, *in qua & tabulæ teſtamenti*, &c. Seruatum in arca legum codicem docet Oleaſtrius. *Ne poſtmodum Iudæus pactum mentiretur*, &c. Facilè enim Iudæo eſſet demutare, quidquid in pacto ingratum erat, niſi id conſtaret ex tabulis. Puto ego legem tabulis ſeruatam, & arca occluſam eſſe, ad refricandam memoriam legum ſanctiſſimarum. Tanta de vero addiſcendo ignauia eſt hominum. Sed ignauior hac opera Rex eſſe poteſt: quo aſpectu Deuteronomium à Sacerdote excipit, cùm ſceptrum capit, inauguratione peracta. Ritus eſt, quo Ioaſus Regnum init 2. Paralip. cap. 23. num. 11. *Dederúntque in manu eius tenendam legem, & conſtituerunt eum Regem*, &c. Eo ſcilicet ritu Pontifex Regem vrget ad commentationem legum ſanctiſſimarum: preſſiúſque Regem pungit, qui Rebuſp. implicatus obliuiſci poterat faciliùs.

4.

Quæ ad ſalutem ſpectant, facilè obliuiſcuntur homines.

2 Paralip. 23. num. 11.

A cura ſalutis friget, quem curat publicam.

Hæc hominum ignauia ſuum Deo mouet ſtomachum. Vno, vel altero verbo rem expedio. Librum ſe vidiſſe fatetur Zacharias cap. 5. num. 2. *Video volumen volans*, &c. Sed Græco textu videt πέτασον πετόμενον, ſcilicet falcem volantem, &c. Ita Chryſoſtomus *ad pop. Hom.* 15. *&* 19. Theodoret. Cyr. Græcíque Patres alij: potéſtque duci nomen ex Hebræo textu. Nam מגלה *Megilla volumen* eſt: מגל *Maçal* verò *falcem* ſonat, punctíſque detractis, nomen omnino vnum eſt. Subdit Vates *num.* 3. quantum veneni libro clauditur legum ſanctiſsimarum. *Hæc* (inquit) *eſt maledictio*, &c. Non ego miror librũ in falcem, ac diram precem verſum eſſe, qua legum ſacrarum auditor ignauus premitur. *Quia hæc ſacra eloquia ad æternam damnationem ſunt iis, qui ea vel ſcire nolunt, vel ſciendo*

5.

Zachar. 5. n. 2.

Dolebit grauiter legum ſacrarum ignauus auditor.

ſciendo contemnunt, rectè de libro illo dicitur: Hæc eſt maledictio, &c. ſic Magnus Gregor. *lib.15. Moral. cap.* 8. Minatur Moyſes hæc & plura, *Leuit* 8.*n.* 23. qui extremam Sacerdotis auriculam, extremámque manum ſanguine reſperſam eſſe voluit. Cur ſanguis in manu, & in auricula? manu opus, auricula ſignatur auſcultatio. Illud igitur Moyſes in loco vrget, *vt intelligat Pontifex ſe ſanguinis pœnas daturum, ſi diuina mandata aut non audiret, aut non opere compleret*, &c. ſic Oleaſtrius. Acſi Moyſes Aaronem moneret. Aurem tibi frater vellet Deus magnus, infuſo in aurem ſanguine, auulſurus omnino aures, ſi legum admonitiones animo proiecceris. *Qui enim cognouit voluntatem Domini, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis*, &c. *Luc. cap.*12. *num.* 47. quod meus Chriſtus à bono ſeruo repetit, ſcilicet, vt vero auditor obtemperet, id ab Holopherne rerum domino exigit Achior, vt verum norit conſilium, & manu exequatur. *Si digneris audire, ſiue obedire*, &c.

Leuit.8.n.23.

& Pontifex malè habebit ſi Dei voces neglexerit.

Luc.12.n.47

Num. 5. **Dicam veritatem in conſpectu tuo, *&c.* & non egredietur verbum falſum ex ore meo.**

Commentarius.

21. COmmendat Achior, quidquid in loco dicat, alienum à vero non eſſe. Quæ quidem in aulico virtus rara, vbi omnis mendaciorum copia; definit enim Diogenes curiam, & docet locum eſſe ad decipiendum, & prævalendum, conſutis vtique mendaciis. Bene Philoſophus; ac ſi Philoſophiam è ſacro textu exſcripſerit. Cùm enim Deus Achabum malè deceptum vellet, 3. *Reg.*22.*n.*20. Quærit Iudex Opt. *Quis decipiet Achab?* &c. & mora nulla, ſuam Dæmon addit manum: *Egrediar*, (inquit) *& ero ſpiritus mendax*, &c.*n.*22. Vnde iudex vim mentiendi apprimè ſciens addit: *Decipies, & prævalebis*, &c. Quaſi vellet mendaces in aula valentes eſſe homines; quidquid velint, perficere manu facili. Quod ego à Caietano diſco. *Manifeſtat efficaciam huius medij, nempe mendacij in Curia*, &c. Achior igitur ſuam in vero dicundo curam promittit, ne ſuſpicionem, vt aulicus, moueat de mendaciis conſtruendis. Hæc & Dauid Senatu collecto pollicetur, Pſ.39.n.11. *Non abſcondam veritatem tuam à concilio multo*, &c. Suam Dauid curam intendit, vbi grauius erat periculum de veritate ſupprimenda, ſcilicet hominibus in concilium euocatis. Sed tam Dauid in Senatu verax eſt, quàm Ioſephus in conſilio conſultor bonus. Conſilium, imò ſomniorum interpretamentum capiunt vincti loris homines, *Gen. cap.*40. Pincerna ſcilicet de bona fortuna; quod patet ex *n.*13. Piſtor de nece turpi; quod habes *n.*19. Minatur Philo Ioſephum à Piſtore conſultum pronuntiaſſe liberè, quæ morderent hominem grauiter; ſed inuenit, cur id Ioſephus præſtiterit. *Quandoquidem, mendacium vbique fugiendum eſt, in ſacris etiam conſultationibus religio vetat admittere*, &c. *ad lib. de Ioſeph.* Bene Philo docet, quod Ioſephus rectè

3. Reg. 22. n. 20. & 22.

Valent in Curia mendaces homines.

Pſ. 39. n.11.

Geneſ. 40. n 13. & 19.

Verum etſi mordax, liquidò proferendum.

facit; quare Achior ab Holopherne conſultus nihil edicit, quod à vero abſit. ſciens certò vanos eſſe homines in conſultando, mendacéſque filios hominum in agendo eſſe.

22. Addit Ammonites, ſe & vero dicundo ſtudere, & à falſo miſcendo abhorrere. quæ dicendi forma hominem commendat maximè, vtpote qui nihil falſi veris admiſcet. Id Paulo votum erat ad Rom.cap.9. n. 1. *Veritatem dico, non mentior*, &c. Habes Magiſtrum ſui ſimilem, 1. *ad Timoth.cap.*2.*n.*7. Nec à Paulo Ioannes abeſt, Epiſt.1. cap. 1. n. 6. *Mentimur* (inquit,) *& veritatem non facimus*, &c. Verè aliud eſt mentiendi genus, cùm falſum vero quis addit. Hoc mentiendi modo peccant accuſatores, apud Matth.cap.26.n.61. *Nouiſſimè venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud*, &c. Hæc delatores, vt falsò dicantur accuſaſſe; ſed Ioannem adeo, *cap.*2. *n.*19. vbi Chriſtus Iudæos vrget, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, &c. Verba quidem eadem ferè ſunt, quæ à Chriſto dicta teſtes referunt, niſi quod addiderunt: *Hic dicit, poſſum deſtruere*, &c. Ac proinde falſa veris inuoluerunt, vt falſi teſtes dicerentur. Pulchrè Hieronymus. *Sed in ipſis verbis calumniantur; & paucis additis, vel mutatis, quaſi iuſtam calumniam faciunt*, &c. Verè Hieronymus mentiendi artem damnat.

Rom. 9. n.1. 1. Timoth.2. n.7. 1. Iohan. 1. n.6.

Paucis mutatis verum corrumpit mendax.

Matth. 26. n.61.

Falsò accuant, qui veſtis falſa miſcent.

23. Hæc tamen humanæ gentis natura eſt. Nec mentiar, ſi dicam paſci homines mendaciis, vt pane diario. An eò traxerim bene prouerbium, quo panis mendax notatur? *Dulcis eſt homini panis mendacij*, &c.*c.*20.*n.*17. Quid enim tam dulciarium eſt hominibus, quàm veris falſa miſcere? panem tamen confectum malo ſucco faſtidit Sapiens c.23.n.3. *Ne deſideres de cibis eius in quo eſt panis mendacij*, &c. Scio quid in loco alij. Illud placet interim, vocari à ſapiente panem mendacem, vt planum fiat, paſci homines mendacio, quaſi pane dulciario, ac nutriri delicatè: & vt nullum homines edunt obſonium, niſi pane addito: ſic ne verbum quidem edunt, vt non addant mendacium. *Mendaces filij hominum*, Pſ. 61. num. 10. & fabricatores mendacij apud Iobum *c.*13. *n.*4. Hoſce ego homines dixerim concinnaſſe mendacium, colore veri inducto: quod notat Sapiens Prouerb.12.num.19. *Qui enim teſtis eſt repentinus, concinnat linguam mendacij*, &c. & verò mendax, ne mentiendi artifex deprehendatur, falſa veris adumbrat: vnde veri additamentum, aliquando falſi lenociniũ eſt. Abeant mendaces homines, cùm ſciã,

Prou. 20. n. 17.

Prou.23.n.3.

Mendacio fruuntur quaſi placentula mendax quiſque.

Pſ.61. n.10. Iob 13. n.4

Prouerb. 12. n. 19.

Mendax, ne pateat, veris falſa inuoluit.

PARÆNET. XI.

Mendacium verè humanæ gentis vitium eſſe.

I. LAborat mentiendi morbo gens humana: nec artem dediſcant homines mentiendi; priuſquam naturam exuant. *Omnis enim homo mendax*, &c. *Pſ.*115. *n.* 2. quod an verè Dauid iactauerit, quærit Petrus Damiani *lib.*2.*epiſt.* 14. *ad Deſiderium.* Nónne Dauid homo erat, cùm homines mentiendi vitio flagraſſe dixit? mentitur ergo, qui mẽdaces pungit homines, vtpote homo à quo nihil humani alienum eſt.

Pſal.115.n.2

Tunc homo supra hominem est, cùm vera loquitur.

Negat id Petrus, & argumentũ ex dictis conflat, *Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax*, &c. qui enim Deum altè meditatur, hominem quodammodo exuit, ac proinde non mentitur. *Ac si perspicuè dicat: De falsitate hominum inde veram sententiam protuli, vnde ego ipse supra hominem fui*, &c. Ita Petrus; & probat liquidò hominem, duce natura, mentiri facilè. An homo vita sanctus mentitur. Fortasse Isaias hoc affectus morbo queritur, cap. 6. n. 5. *Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum?* &c. Vnde obserues, licet, mendaciũ id esse vitij, quo gens humana polluitur. Credo Procopio, qui textum eò trahit. *Fortasse* (inquit) *naturæ humanæ morbum confitetur, iuxta illud Dauidicum: Omnis homo mendax; est enim mendaciũ hominibus naturalis morbus*, &c. quo viros etiã sanctissimos laborare volunt homines reliqui: nec Abramum expugnt ab hoc albo. Prædam, hoste victo, captam remittit Abramus victor, & Regem sacramento concepto vrget, vt retineat, Gen. 14. n. 22. *Leuo manum meam ad Dominũ meum*, &c. *quòd à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ non accipiam*, &c. Quid hoc est vir bone? quid sanctè deieras te de spoliis non accepturũ? an fidem non facias, nisi iuramentũ concipias? quis tibi non credat iniurato? Sed premere Abramus voluit conceptã de sua fide suspicionem. *Ideo* (opinor) *iuramentum adhibuit, vt ne putes ipsum ita simulare; quod probabile est sæpe contingere*, &c. sic Chrysostomus *Hom.* 35. Tanta hominibus est licentia mentiendi, vt vel Abramus hoc vitio labi putetur, nisi iureiurando suspicionem amoueat, etsi nemo nescit artem mentiendi turpem esse.

Mendacio, quasi morbo laborant homines.

Isai. 6. n. 5.

Genes. 14. n. 22.

Iuramento fidem Abramus facit de odio mentiendi.

2.

Quæris, cur Moyses pictorem à Rep. & statuarium longè trudit? cùm nec statuam velit, nec pictã tabulam, *Exod.* 20. *n.* 4. Sed Hebræus Plato damnatos putat artifices, ad lib. de Gigant. *quòd veritatem mendaciis vitient*, &c. Mentitur artifex, & fallit arte simplici: quãdoquidem imagines iis absoluit numeris, & coloribus, vt spirare molliter dicantur, & viuere: cùm tamen lapides, & colores vitæ nihil habeant. Inde Moyses exsculpendi, & expingendi operam, quasi mentiendi, & fallendi artem damnat. Sciebat Moyses artem mentiendi non quadrare in virũ pudoris ingenui. Concinit & Hebræa lyra *Ps.* 17. *n.* 41. vbi Dauid, *Filij* (inquit) *alieni mentiti sunt mihi*, &c. Ex Hebræa schola apud Genebrardũ, *Filij adulterini*, &c. & quadrat nota sordida in homines, quibus mentiri pudor non est. Sed quis nam viris magnis pudor est, si mentiendi notam subeant, falsa etiam opinione? Hoc metu Ionas Deo ceruicosus, quàm mendax hominibus haberi maluit. Missus à Deo aduersùs Niniuen terra, marique Ionas fugitat, *cap.* 1. *n.* 2. Quò fugis ah demens! quò te cumque vertas, illic Deus est: quidquid vbique terrarum est, suo quatit nutu: latere non poteris, nedum fugere. Illud tamen curat Ionas sua fuga, ne mendax à Nina existimetur; quod fieri necesse erat, si dolore sceleru conceptο minas effugeret malus quisque. Abiere in hanc mentem plerique Patres. Et quidem Athanasius Ionæ fugam ita lenit. *Timebat, ne mendax haberetur*, &c. *ad serm. de Cruce.* Nazianzenus Ionam, vt fugeret, & timore, & pudore victũ putat. Neque enim Vates fugam capit inuidia salutis alienæ. *Sed mendaciorum ministerium obire præ pudore non sustinebat*, &c. sic Theologus *Orat.* 1. Dubius erat Ionas, vtrũ minaretur Deus conditionatè, & inde comminationes frustrà fierent, pœnitentia scelerum concepta; Deo refractarius esse, quàm hominibus mendax haberi maluit.

Exod. 20. n. 4.

Ingrata Deo ars mentiendi est.

Psalm. 17. n. 41.

Grata notho est ars mentiendi.

Pudor viro bono est, si mendax creditur.

Ion. 1. n. 2.

3.

Factũ, quod timebat, vt Niniue conciperet dolorẽ scelerũ, & pœnã effugeret. Dij Magni! Quo Ionas dolore extabescit! inde moriendi votum improbum, cap. 4. n. 3. *Et nunc Domine, tolle animam meam*, &c. Quod Theodoretus sic exponit. *Vita defungi malo, quàm viuere cum ignominia; vereor, ne mendax habear*, &c. si post minas, ad cap. 3. n. 4. *& Niniue subuertetur*, &c. vrbem ciues seruauerint, venia impetrata. Mortem igitur precatur Vates, ne turpem ferat notam mentiendi. Quam Dauid contraxisse visus est, cũ mentiretur, necessitate etiam lenocinante. Adornata apud Achimelechum Sacerdotem scena hæc est, 1. *Reg. cap.* 21. n. 2. cũ Dauid salutem fuga quæreret, & Achimelechũ adiret, simulato Regis obsequio. *Rex præcepit mihi*, &c. Vnde natus Psalmo titulus, *Cùm immutauit vultum suum coram Achimelech*, &c. *Ps.* 33. *n.* 1. Quid est vultum immutare? an laruam Dauid induit, vt mentiretur facilè? an ruborem contraxit, cũ simulatè egit? Credit Basilius, & à Basilio Theodoretus, aliũ à se hominem defecisse, qui operam dederat mendacio concinnando; inde vultũ omnino mutatum esse. *Vultum* (inquit) *suum mutasse dicitur, & qui non sit vsus veritate consueta*, &c. Esto auos, auosque iactet Princeps quisque, & nomina magna Catonũ: vbi mentitur, alius à se ipso Princeps est, alius & homo est, de vili scilicet grege. *Immutauit enim vultũ suum*, &c.

Ion. 4. 9. 3. *Mortem optat, qui mendax haberi potest Ionas.*

Ion. 3. n. 4.

1. Reg. 21. n. 2.

Ps. 33. n. 1. *Vultum Dauid pudore mutat, cùm artifex simulator est.*

4.

Fœdum omnino vitiũ; quod etsi leuiusculum, à Sara longè Deus esse voluit, *Gen.* 18. *n.* 25. Ridet Sara, & risum negat leui mendaciolo, Vrget tamen Angelus: *Non est ita, sed risisti*, &c. Quare Deus tam seuerus est virtutis exactor, vt de leui piaculo Sarã pungat acerbè? Factum seuerè, id est, *vt à repentino etiam mendacio in posterum redderetur cautior*, &c. Sic D. Thomas, & scitè monet lapsum mentiendi etiã leuiter cauendum seriò esse. Nec Dæmoniarcho parcit Christus, si mentitur. Clamitabãt Dæmones, ac Christũ verè Deũ ebuccinabãt, *Luc. c.* 4. *n.* 41. Subdit Lucas de Christo, *& non sinebat ea loqui*, &c. Ita ne mi Domine laudes reiicis ab hoste commendatiores? Cur non pateris laudantes Dæmones, cùm vnus è multis dicat, Marc. cap. 1. n. 24. *Scio, qui sis*, &c. Caiet. bene ad Lucã cit. *Non sinebat ea loqui, quia dicebant mendaciam*, &c. Neque enim certò sciebant Dæmones, quòd assequebantur coniecturâ, Christum scilicet Christum esse. quod probãt multi Patres apud Barrad. *tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 3. apud Suar. *to.* 2. *in* 3. *p. q.* 44. *art.* 4. *disp.* 31. *sect.* 3. & quidem Chrys. *Hom.* 5. *ad Marc. cit.* sic vrget Dæmonem, *Fingis te scire, quod nescis*, &c. Quare mirum non est, si mendaces Dæmones loqui non sinat verax Deus; qui Dæmones vti mendaces porcis traditos in mare deprimit. Id quidem timebãt Dæmones, qui obnixè deprecabãtur apud Luc.

Gen. 18. num. 25.

Non decet Heroinam sanctam leue mendaciolum.

Luc. 4. n. 41.

Marc. 1. n. 24.

Turpe vel in Diabolo mendacium.

Luc. 8. n. 31. Luc. 8. num. 31. *Ne imperaret illis, vt in abyſſum irent*, &c. Sed Chriſtus ſatis Dæmonibus non facit; ſues enim à Dæmonibus obſeſſos perdit, *& mortui ſunt in aquis*, &c. *Matth. 8. num. 32.* ſcilicet eam Chriſtus pœnam ſtatuit mentientibus: qui opponunt n. 29. *Veniſti ante tempus torquere nos*, &c. Adſtruunt mendaces Chriſtum veniſſe ad torquendum genus Dæmonum, qui ad ſanandum genus hominum aduenerat; quare iratus Iudex premit Dæmones. *Quia mentiti erant, quia ſæuum Dei filium fecerant*, &c. ſic Tertullianus 4. *contra Marcion. c. 15.* Et erit qui neget vere dicturos homines apud Chriſtum die extrema: *Nonne in nomine tuo prophetauimus?* &c. *Matth. 7. n. 22.* etſi Iudex reponat ſeuerè, *Nunquam noui vos*, &c. Quid enim? accuſat Chriſtus homines de mendacio, quos non agnoſcit amicè? Negat Auguſtinus ſerm. 50. *Non enim in conſpectu tanti iudicis mentiri audebunt; aut iactare, quæ non fecerunt*, &c. Tantus de mendacio conſtruendo metus eſt, vbi Deus hominum iudex vrget. Quis ergo magnus, & bonus homo ſimulatè agere, ac mentiri auſit? Non ita Achior; imò iactat, *& non egredietur verbum falſum ex ore meo*, &c.

Matth. 8. n. 32, & 29.

Mendaces Dæmones punit Deus.

Matth. 7. num. 22.

Vel malos homines pudet mentiri.

Num 5. Si digneris audire Domine mi.

Commentarius.

24. PAtet ex loco Iudices, ac Principes Rerump. ſalutandos eſſe obſeruantiſſimè: id verò maximè, cùm verum audire cogantur. Sic Holophernem Achior Dominum, ſe verò ſeruum appellat hominis. ſcilicet, quo textu latinè habes: *ex ore meo*, &c. græcè vertas, ἐκ στόματος τοῦ δούλου σου, *ex ore ſerui tui*, &c. Cur Ammonites Holophernem ſubmiſsè alloquatur facilè eſt inuenire. Nimirum docet Achior Ducem iuxtà, ac Regem obſeruantiſſimè appellandum eſſe. Quo ore Daniel Regem ſalutat cap. 4. n. 16. *Domine mi Rex, ſomnium his, qui te oderunt*, &c. quod te ſomniaſſe doces, omen auertat Deus, errorémque hoſtibus illum inferat. Nam ſomniũ eſt de fortuna Regis aduerſa, quam Vates niſi adactus vi, non ſoluit, *n.* 21. Qua tamen honoris præfatione Daniel Regem appellat? quo ſe Vates ſermone deiicit? *Domine* (inquit) *mi Rex*, &c. fortaſſe veri morſus triſtes lenire voluit. Vnde Hieronymus, *Auſteritatem ſententiæ temperat verborum blandimentis*, &c. Sic Paulus vrget ſchola Corinthiam laude addita cap. 10. n. 14. *Fugite ab Idolorum cultura*, &c. Pungit acerbè homines, qui cibos edebant Diis ſacros: ſed addit n. 15. *vt prudentibus loquor*, &c. Hæc ad laudes hominum pertinent. Vnde Theodoretus, *Vnà cum laude reprehenſionem affert: bonis verbis, vt ea benè accipitur, procurans*, &c. Deinde Vates miniſtrũ agit aulica moderatione. Quid ageret, ſi audiret Paulum tonantem: *Reddite ergo, cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*, &c. *ad Rom. cap. 13. n. 7.* Iuſta hæc eſt officij ratio, vt qui ſubeſt, Præfectum metuat, & ſalutet nomenclatura nobili. Quod in ſchola Apoſtolica benè Magiſter laudat. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis*, &c. *Ioan. cap. 13. n. 13.* Sciebant Apoſtoli

Dan. 4. n. 16. & 21.

Veritas blandimentis mitiganda.

1. Corinth. 10. n. 14.

Seueritas lenitate condienda.

Rom. 13. num. 7.

Ioan. 13. n. 13.

quid honoris deberent Magiſtro optimo qui Dominum appellabant: nec Magiſter honorem abnuit, qui ab amore naſcitur. Probat id Rupertus *lib. 7. in Matth.* ſcilicet, *Bonum, & ſuaue eſt vtrumque dicere, Magiſter & Domine*, &c. Magiſtrum appellare, & Dominũ tacere, appellatio eſt de Iudæ oſculo. Proditorem Magiſter innuit: quid ſchola Apoſtolica? timet, & quærit: *Nunquid ego ſum Domine?* &c. *Matth. 26. n. 22.* Paucis pòſt verbis, quærit & Iudas proditor, voce tamen alia. *Nunquid ego ſum Rabbi?* &c. *n. 25.* quem Petrus Dominum, Iudas Magiſtrũ appellat, animo ſcilicet exulcerato. Id Rupertus obſeruat. *Iudas* (inquit) *ſic appellare potuit, vt cæteris ſingillatim dicentibus: Nunquid ego ſum Domine? ille, quod erat cordis aridi, & perfidi, diceret: Nunquid ego ſum Rabbi?* Tantus Magiſtris, & tantus Magiſtratibus honor debetur, vt ſalutari oportuerit cum honoris præfatione, & homines vice Deos pari honore obſeruari.

Placet Deo blanda ſimul, ac ſeuera nomenclatura.

Matth. 26. n. 22. & 25.

Colendus metu Deus eſt.

Succurrit in hanc litem bene Saulem à Samuele Chriſtum vocari 1. Reg. cap. 12. n. 3. *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius*, &c. Vnde, puto, Dauid excepit vocem, vt militem deterreret à Saule opprimendo c. 26. n. 9. *Quis enim extendet manum ſuam, vt occidat Chriſtum Domini*, &c. Mitto Cyrum ab Iſaia Chriſtum ſcitè dictum, cap. 45. n. 1. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro*, &c. Sed addo, Reges ſacro textu Chriſtos appellari, vt Chriſti vicarios obſeruet religiosè, quicũque ſubeſt. Certè Auguſtinus Saulem inde Chriſtum vocari putat, vt nemo tangat Chriſtũ Domini, *ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decreuit*, &c. *q. 35. in Vet. Teſt.* Diſcas ex ſchola Apoſtolica Præfectos Rerũp. ſuo cultu obſeruandos eſſe, Paulo tonante, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, &c. *ad Rom. cap. 13. n. 1.* Deinde addit, quo id iure præſtandum eſt. *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo*, &c. Dubites, an Pharaonis poteſtas à Deo eſt? an permiſſum à Deo Neronis ſceptrum? an Pilati virga à Deo addita? vt colantur obſeruantiſſimè turpes vita homines? Aio cum Auguſtino ad locũ cit. *Poteſtas enim exigit, quæ meretur honorem*, &c. ſcilicet, vt Princeps, & appelletur obſeruantiſſimè, & obſeruetur reuerentiſſimè. *Quem neceſſe eſt ſuſpiciamus vt hominem, quem Deus noſter elegit*, &c. ſic Tertulliano viſum eſt *Apolog. cap. 33.* Fortaſſe inſtructus ab Apoſtolo Magiſter docet. *Dei enim miniſter eſt*, &c. *Ad Rom. loco cit.* An eo aſpectu Dauid Abrahamo præponitur in cenſu Chriſti genealogico? *Filij Dauid, filij Abraham*, &c. ſic Matthæus habet. Nemo neſcit Abrahamũ præceſſiſſe annis plurimis; cur igitur Dauid loco prior eſt? Reſponſum eſto ex Theophilo Antiocheno in Matth. lib. 1. *Prior deſcribitur Dauid, quod in regno clarus enituit*, &c. Ac ſi vellet Theophilus, Reges, vt honore, ſic & loco præponẽdos eſſe. Quid? ſi Deus Reges honoraſſe viſus eſt.

Christus ſacro textu Princeps eſt, ne quis non colat religiosè.

Rom. 13. n. 1.

& malus Princeps reuerentiſſimè colendus.

Rom. 13. num. 4.

Matth. 1. n. 1.

Religioſius colitur poteſtas auguſtior.

26. Credo Balaamum hoc aſpectu apud Deum egiſſe, *Num. 22.* Nam rogatus à Deo Vates, quò ſpectaret legatio Moabitica, n. 9. *Quid ſibi voluit homines iſti apud te?* &c. Obtrudit Balaamus titulos maieſtatis Regiæ, *n.* 10. Balac Rex Moabitarum miſit ad me, &c. ſcio quid

Num. 22. n. 9. & 10.

Regum preces, vires impetrandi à Mago, à Deo.

Abulensis adstruxerit *q.* 6. Balaamum scilicet obiecisse legatos à Rege Magno homines, vt doceret, quid posset Magnus Princeps apud homines reliquos. *Diligenter personæ rogantis dignitatem expressit, vt demonstraret se rationabiliter ad hoc moueri*, &c. Exigit enim magna potestas ne quid velit, quod non impetret, iure dignitatis. Credo ego Balaamum intulisse, quis nam Moabitis Princeps esset, vt à Deo impetraret, quidquid Princeps vellet: quasi Deus negare non ausit, quod Princeps petit, etsi malus Princeps, ne maiestatem lædat Regiam somnio Pharaonem instruit, ac de fame

Gen. 41. n. 1. Gen. 20. n. 3. sedanda monet, *ad Gen. 41. num. 1.* Abimelechum præsens terret, ne scelus admittat, *Gen. 20. num. 3.* Chaldæum visis recreat, quo

Dan. 4. n. 92. spectante, *species quarti similis filio Dei est*, &c. *Dan. 4. n. 92.* Primúsque Nabuchodonosor

Reges & Deus reuerenter habet. est, qui Dei filium appellauerit, vt Rupertus scitè obseruat *lib. 6. de Victor. cap. 22.* Cur tantum Regibus etsi absurdis tribuit Magnus Deus? Augustinus optimè. *Non vtique suo merito, sed merito Regalis ordinis*, &c. sic Antistes *loco citato.* Tanta Regum maiestas est, vt Deus maiestatis plurimæ Reges venerari non dubitet, suúmque hominibus animum aperire, etsi bonæ mentis ne pilum quidem habeant.

Num 6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est.

Commentarius.

27. SVam Achior orationem orditur à terra patria Gentis Hebraicæ, vt quæ nam sint vires, ac dotes hominum, exponat facilè, cùm filij à parentibus haustam ostendant virtutem, dicto, facto. Scienter Ammonites agit, & vnde Gens Hebræa genus ducat, certò probat. Abramus enim Princeps generis è Chaldæa genus trahit: quod patet ex *Gen. c. 11. n. 28.* ex *cap. 15. n. 7.* ex *Esdr. 2. cap. 9. n. 7.* ex Actis Apost. *ad cap. 7. num. 4.* & res adeò plana est, vt actum agam si probare velim. Vide, quid Interpretes in Iudithæ locum: Salian. *anno Manassæ 9. n. 39.* Lorin. *in Actis.* Nam communi placito volunt Abramum in Chaldæa natum è Chaldæa euocatum esse, vt minus sit necesse Iosephum citare 1. *Antiq. cap. 3.* Vrges, Abramum nõ è Chaldæa euocatum fuisse; quod Stephanus actum docet, *cùm esset in*

Act. 7. n. 2. *Mesopotamia*, &c. *Act. 7. n. 2.* Et fortasse id Leuites excepit à Iosue, qui ad Hebræum auditorium scitè dixit de bono Deo, cap. 24. n. 3.

Ios. 24. n. 3. & 4. *Tulit patrem vestrum de Mesopotamiæ finibus*, &c. Deinde monet n. 4. *Auferte Deos, quibus seruierunt Patres vestri in Mesopotamia*, &c. Quis igitur è Chaldæa veniens, è Mesopotamia venisse dicatur? Maximè cùm Achior asserat *n.* 7. Abramum profugisse è Chaldæa in Mesopotamiam. Sic enim habes Græco textu, καὶ ἔφυγον εἰς μεσοποταμίαν, quod exponunt Interpretes de Abrami itu ad Charras vsque, vbi Thare pater, & Lothus nepos sedem fixere; quibus de rebus Moyses ad Gen. c. 11. n. 31. *Veneruntque vsque aram, & habitauerunt ibi*, &c. Quos verò annos, apponit Achior Græcè,

Gen. 11. n. 31. ἐκεῖ ἡμέρας πολλὰς, & tropus est, qui dies, pro annis, censet.

Stimulus est; stimulum tamen sic vellunt Interpretes, & docent Mesopotamiam latè sumi, & presse. quæ latè sumpta Chaldæam cogit, & Syriam. hoc aspectu locutos fuisse Iosuam, & Stephanum, *cit. locis.* Presse accepta Mesopotamia vnam claudit Syriam: vnde appellatur sacro textu Mesopotamia Syriæ. sic Pater Iacobo. *Proficiscere* (inquit) *in Mesopotamiam Syriæ*, &c. Gen. 28. *n.* 2. sic Dauid canit Ps. 59. *cùm succendit Mesopotamiam Syriæ*, &c. Hæc verò est Mesopotamia ad Austrum sita; quò loci diuertit Abramus è Chaldæa, Borealique Mesopotamia. Sentit mecum Abulensis *q.* 18. *in Gen.* 18. Ribera *ad Hebr.* 11. Lorin. *in Acta, cap.* 7. Quare terra patria Hebræo, & Abramo Chaldæa est, soli vbertate felicissima. Nec id ego miror, cùm sciam esse inibi agrorum vestitus virides, ventorum afflatus lenes, aquarum perennitates, & arborum opacitates. *Agrum vtique totius Orientis fertilissimum*, &c. Quod monet Plinius *lib. 6. c. 26.* Ammian. *lib.* 23. Strabo *lib.* 16. Addit Plinius Chaldæam scholæ Astrologicæ matrem esse: qua de schola Ammianus, *Chaldæorum* (inquit) *Regio est, altrix Philosophiæ veteris*, &c. Inde Chaldæus ritus, apud Claudian. 1. panæg.

Duplex sacro textu Mesopotamia. Gen. 28. n. 2. Ps. 59. n. 2.

28.

—*Armenius, vel Comagenus Aruspex.*

Chaldæa Astrologiæ mater.

apud Iuuen. Satyr. 6.

Chaldæis sed maior erit fiducia, &c.

scilicet ad cuiusque genesim explorandam. Non me latet, quid Rhodiginus viris magnis adiutus affirmauerit: Chaldæum ingenio ad sapientiam facto nõ esse, *lib. 16. c. 4.* Sed fidem hominis premit Cicero *ad 1. de Diuinat.* vbi Orator, *Chaldæi* (inquit) *astrorum cognitione, solertiaque ingeniorum antecellunt*, &c. satis ad litem Daniel est, qui magnis Philosophis Chaldæos addit *c. 2. n. 2.* Iam verò quòd mater sapi- Dan. 2. n. 2.
entiæ Chaldæa multis sit, magnísque oppidis adornata, nemo nescit. Vide Plin. & Strabon. *locis cit.* Nónne in Chaldæa est Babylon illa magna, de qua *Dan. c. 4. n. 27.* hæc Hebræo est terra patria.

De qua meminit Achior, vt doceret, quo 29.
Hebræus constaret genio, quo valeret ingenio, & qua virtute præstaret; signat enim morbos, ac dotes animi terra patria. Hæc loci cuiusque natura est, vt afficiat partes corporis ad functiones animi; salua tamen ratione agendi liberè.

Fecit ad malos, benósque mores terra patria.

—*Non omnis fert omnia tellus*, &c.

Fruges locis aliis bene, aliis malè respondent; tristes vepres alibi, alibi felices arbores latè proueniunt, ex soli, cælíque positione. sic facit ad bonos, malosque mores hominum, quo quisque solo sit natus, & quo cælo animatus. Multis argumentum persequitur Alexander *lib. Genial. 4. c. 13.* Discas id ex verbo Græco, Tit. 1. n. 12.
& veteri, κρῆτα κάκιστα. Inde Creta mendaces edit homines, de quibus Paulus *ad Tit. c. 1. n. 12.* quod adeò verum est, vt verè Naso addiderit, ac parœmiasticè,

——————*Non hoc*

Quanuis sit mendax, Creta negare potest, &c.

ad 1. de Arte. Inde fures gignit Cilicia; quos agitat Epigrammatistes lib. 6. epigr. 71. *Fur notæ nimium rapacitatis compilare Cilix volebat hortum*, &c. Mitto, quid Paulus addiderit; *Natus in Tharso Ciliciæ*, &c. se Ieroso lymis educatum

Act. 22. n. 3. catum piè, *Act. 22. num. 3.* scilicet, vt mores patrios nutritu Ieroſolymæ corrigeret. quod notat Chryſ. Hom. 47. *Ne putent, ob gentem, aliam religionem, addit: educatus in ciuitate hac,* &c. Fortaſſe vrgebat homines.

Et ſoli malè Suada fames, & turpis egeſtas;

Conſtant piè mores nutriti ciuitatis optimæ.

quæ Eugubium vrgebat ad furandum. Vnde luſus Petro Damiani *lib. 1. epiſt. 19. ad Alex. 2.* ab egendo Eugubium denominari videtur. *Hæc enim regio, quò magis inuenitur aliena diuitiis, & copioſiùs abundat vitiis,* &c. Inde Sinones malos nutrit Cappadocia: quos mordet Peluſiotes. Priſcum enim Cappadocem notat reum ſcelerum, quæ vt magna credi non poſſint; ſed addit lib. 1. Epiſtol. 158. *Vnum eſt quod me ducit, vt fidem commodem iis tragœdiis, nimirum prodigioſa Patriæ improbitas,* &c. An hæc tria peſſima cappa? Addit Hoſeas & Cananæum dolis texendis natum, cùm mercaturam facit. *Canaan* (inquit) *in manu eius ſtatera doloſa,* &c. cap. 12. num. 7. Sed Cananæus ab auis, & atauis Cappadocibus morbum contraxit fallendi. *Heuæos enim Cappadoces expulerunt: qui egreſſi de Cappadocia deleuerunt eos, & habitauerunt pro illis,* &c. quod Moyſes tradit *Deuteronom. 2. num. 23.* Quid igitur nepos ab auo diſceret Cananæus, & loci natura paratus ad vim, & fraudem?

Ad furandum vrget inops patria.

Hoſeæ 12. n. 7.

Deut. 2. n. 23.

30. Opponis Barnabam è Creta, vnde vitam hauſit, *Act. 4. n. 36.* Paulum è Cilicia, vbi natus vixit, *Act. 22. num. 3.* Gregorium, ac Baſilium è Cappadocia, vnde parentes habuere: è locis vtique affectis nihil mali contraxiſſe. quod obſeruat Peluſiotes à Deo prouiſum eſſe. *Ne malè feriata natura improbitatem ſibi inſitam ſuis poſſet vitiis prætexere,* &c. *lib. 1. Epiſt. 352.* Occurrit bonus Deus malis hominibus, qui ſuam tuentur improbitatem ex natura terræ patriæ. Addis gigni aurum è terra ſterili. Aduertit id Plinius *lib. 33. cap. 4.* quæ enim frugibus, arboribúſque alendis non reſpondet, auro gignendo abundè felix eſt. Sic & ſolo macro virtus magna, & cælo pingui mens bona venire ſolet. Bene eſt. Nemo tamen negauerit, leniri mores hominum ſolo miti, & leni cœlo; quod Achior inſinuat, cùm Hebræum è Chaldæa bene culta veniſſe probat. *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt,* &c. Scio enim è ſolo miti, cœlóque tenui capi motus faciles ad probitatem morum. An id Ieſus Nazarenus, & hominum floſculus rectè probat, ex Nazaretha; vbi nutritus, vbi moratus, vbi vitam egiſſe dictus eſt? *Matth. 2. n. 23.* Oſtendit trahere homines è ſolo patrio nomen, & omen vitæ gerendæ. Adamum Deus ab agro Damaſceno trahit, & horto claudit geniali; vbi multa ſoli, cælique benignitas, Gen. 2. n. 15. *Tulitque Dominus Deus hominem, & poſuit in paradiſo voluptatis,* &c. Credo, vt Adamus ex loci natura mitiori genium hauriret facilem, & ingenium coleret ad vitæ leges ſanctiores. Adeſt mihi Philo *ad lib. de Opif.* Quærit Hebræus inibi, quare Deus Adamum, niſi orbe condito, & horto extructo, non condiderit, ſed magno id conſilio Deus feciſſe viſus eſt. *Volens, vt recens natus nulla re careret, quæ ad viuendum, atque adeò ad rectè viuendum conferat,* &c. Satis Philo inſinuat iuuari more hominum, ac leniri loci genio, ac rerum ſubſidio.

Non adimet libertatem agendi benè ingala patria.

Matth. c. 2. n. 23.

Iuuatur ſolo patrie virtus animi.

Gen. 2. n. 15.

Nutritur mens bona ſolo mitiori.

Quod adeò verum eſt, vt ſolo aſperiori nata virgo moras nectat, cùm vocatur à Deo ſemel, iterum, ac tertiò. *Veni de Libano, veni de Libano, veni, & coronaberis,* &c. *Cant. 4. n. 8.* Vocatur ad ſceptrum mulier, & cunctatur? Vnde hæc cunctandi ruſticitas, niſi è ſolo patrio nata eſt? In montis iugo ſuam virgo ſedem habet, vitam ibi viuit cum turba ruſticella; è Libano enim euocatur. Loci natura durauit ingenium, ne citò flecteretur ad vocem Domini. Quis neſcit Moyſen à Deo vocatum, vt legationem obiret, cunctatum excuſaſſe difficultatem loquendi, *Exod. cap. 4. n. 10.* Mirum, quàm ceruicoſus Deo Moyſes eſt! Ad hominem Magnus Deus: *Veni,* (inquit) *mittam te,* &c. *Exod. 3. num. 10.* Reddit Moyſes, vt onus abiiciat: *Quis ego ſum, vt vadam,* &c. *num. 11.* Vrget Deus iterum n. 16. *Vade, congrega ſeniores,* &c. Reſpondet Moyſes cap. 4. num. 1. *Non credent mihi,* &c. Perſtat Dominus in iubendo: *Perge igitur,* &c. *num. 12.* Perſtat in negando Moyſes: & precibus infimis legationem auertit in alium. *Obſecro Domine,* &c. Cur Moyſes Deo ceruicoſus eſt, qui magna vixit in aula Regni Princeps? Nam teſte Stephano, *ſuſtulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum ſibi in filium,* &c. *Act. 7. num. 21.* Sed ab aula ad montem abiit Moyſes, dumíſque tritus, *Paſcebat oues Iethro,* &c. *Exod. 3. n. 1.* & ea cura peregit annos plurimos: quod patet ex *Act. 7. num. 30.* Quid igitur mirum eſt hominem dumis tritum, ſolóque duratum cunctari ad voces Domini? loci aſperitas ingenium durauerat, ne Dei iuſſis Paſtor obtemperaret facilè. Quare magnum Ruperto miraculum eſt, quòd Amos è Thecuitis Paſtoribus Dei vatem egerit. Fatetur Amos ſe de vulgi numero, de caſa humili hominem eſſe, cap. 7. num. 14. *Armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros,* &c. E bubulco Deus Prophetam inſtituit. *& dixit ad me: Vade, propheta,* &c. *n. 15.* Ita ne Deus Paſtorem ſolo, cœlóque duratum cogit ad virtutem, ſortémque propheticam? Sed explicatam puto rationem vitæ paſtoritiæ; vt pateſceret, quænam Deo ius eſt in bubulco excolendo. *Magnum quippe eſt præconium gratiæ, ac gloriæ Domini, in eo, quòd paſtorem implendo, Prophetam facere, & dignanter voluit, & efficaciter potuit,* &c. ſic Rupertus *in Proœm.* quaſi tota Dei manu opus eſſet, vt Paſtor Deum ſequeretur. Nemo igitur neget iuuari homines ſoli, cœlíque natura, vt rectè agant. Vnde Achior Hebræum commendat alumnum à Chaldæa benè culta.

31.

Cant. 4. n. 8.

Non citò flectitur virgo ruſticella à Deo euocata.

Exod. 4. n. 10.

Exod. 3. n. 10. 11. & 16.

Exod. 4. n. 1. & 12.

Act. 7. n. 21.

Act. 7. n. 30.

Ingenium durat loci aſperitas.

Amos 7. n. 14. & 15.

Eminet Dei virtus in bubulco piè excolendo.

An mites mores, ac dotes commendat nobiles ab ſchola Academica? Aio. Credo enim Abramum eductum, quaſi è doctrina Chaldaica euocatum, ſcilicet Vr, Abrami terra patria, de qua *Gen. cap. 15. num. 7.* Vox Hebræa eſt, quæ doctrinam ſonat, *Deuter. 33. n. 8. Iſaiæ cap. 24. num. 15.* vbi Vates monet, *In doctrinis,* &c. Hebraicè באורים *Beurrim, glorificate Deum,* &c. vt Abramum ex Vr Chaldæorum extractum dicas, ex doctrina Chaldaica euocatum eſſe Philoſophum nobiliſſimum. Hac via laudem ſibi parat Horatius,

32.

Gen. 15. n. 7. Iſai. 24. n. 15.

Multa meorum bonitas à terra Academica.

Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri, &c.

Nec Paulus aliunde ſuam commendat ſapientiam,quàm à nutricatu Ieroſolymæ, *Nutritus in hac ciuitate, ſecus pedes Gamalielis eruditus*,&c. *Act.cap.22.num.3.* Quis neget ſuam Themanitis Academiam fuiſſe?Id ego probo *ad 1. cap.n. 2. in comment.* ſatísque facit Ieremias cap.49.n.7. *Nunquid non vltrà eſt ſapientia in Theman?* &c. Nec potuit non hæc Academia Themanitis multum conferre virtutis, ac nobilitatis, quibus Themam erat patria. תימן *Theman* enim Hebraicè *dextrum* ſonat; quid verò magnum, fauſtúmque non ſonat dextra,ſacro textu?Themã igitur alumnos edit, ac nutrit virtutis,& ſapientiæ nobiliſſimæ. Lenit omnino mores, & concinnat ſchola Academica. Vnde vox Hebræa בר *Bar Pſalm. 2. num. 12.* & *diſciplinam* valet, & *puritatem*. quaſi Dauid, natam ab ſchola ſapientiæ puritatem morum velit eſſe. *Apprehendite igitur diſciplinam*,&c.Hebræo textu,*Oſculamini puritatem*,&c. Quid tandem nobilitatis addat ſapientia, conſtat ex 5. *Iudic. num. 9. & Deuter.33.n.21*,vbi vox Hebræo textu מְחֹקֵק *mechokek* Princeps eſt & Doctor. ne quis neget Doctores maximos principatu frui maximo, Addo,quod Iſaias cap.43. num.27. *Interpretes tui prauaricati ſunt*,&c. Hebraicè, *Principes tui*, &c. Nam מליץ *Melits* vtrumque ſonat, *Principem* ſcilicet,& *interpretem*,à verbo מלץ *Malats*, quod eſt *dulceſcere*. Ac ſi Deus vellet Magiſtros, & Principes alloquio dulces eſſe, ne auditores à ſe auertant acerbè. Sed, quod meam ad rem attinet, Legum Interpretes ſuo merito vocantur Principes; vt qui Hebræum commendat à Chaldæa patria, commendatum oſtendat ab ſchola Chaldaica Philoſophum nobiliſſimum: ac tandem vitum magnum venire à magna patria.

Act.22. n. 3.

Ierem. 49. n.7.

Ab ſchola Academica morum caſtitas.

Pſal.2.n.12.

Iud.5.n.9.

Deuter 33. n.21.

Doctor verè Princeps.

Iſai.43.n.27.

Leniter docet bonus magiſter.

33. Negant prudentes rerum humanarum Interpretes, poſſe è vili oppidulo venire magnos homines. qua via Nathanael vrget Nazaretham Chriſti patriam,Ioann. cap.1.n.46. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* &c. Ab humili ſcilicet oppidulo (quod exponit Euthymius,) nec Vates optimus, nec Princeps Maximus venire poteſt. Fortaſſe Dauid, vt ſe premeret, de Patre meminit, patrióque oppidulo. Quæſitũ à Saule,quos nam Dauid auos, parentéſque cenſeret; occurrit Dauid modeſtè,1.Reg cap.17.num.58. *Filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum*, &c. Quid ad rem præſentem attinet, meminiſſe de oppido humili? ſed qui ſe deprimit, vt vincat inuidiam, & patrem modeſtè appellat ſeruum, & patriam obtrudit humilem. Crederem magnis rerum æſtimatoribus, niſi meus occurreret Seneca, & moneret Epiſt. 66. *Poteſt ex caſa vir magnus exire*, &c. Nónne Vlyſſem protulit Ithaca ſaxis,velut nidus, affixa? Vnde Samuel vitam hauſit, magnus ille rerum, morumque Magiſter? *Cognouit enim vniuerſus Iſrael, quòd fidelis eſſet propheta Domini*, &c. 1. *Reg. cap.3. num.20.* Nónne Ramatha ad montem ſita, & ſitu modica Vatem edidit? habes id ex *cap. 1. num. 1.* ne quis viros magnos è vico humili venire poſſe neget; quæ Nazianzeno mens eſt Orat. 25. *Parua* (inquit) *magni viri patria: quæ nec illi impedimento fuit; quominus Deo, priuſquam in lucem prodiret,donaretur*,&c.Alludit ad nomenclaturam Samuelis,qui Deo donatus vocatur Hebraicè. *Et tu Bethlehem, nónne paruulus in millibus Iuda?* &c. Vicus terrarum Dominum edidiſſe dictus eſt? ſic Michæas cap.5. num.2. *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator*, &c. Verè magnus vir exire ex caſa poteſt humili.

1.Reg.17.n. 58.

A vili oppidulo viles plerumque homines.

1.Reg. 3.n. 20.

1.Reg.1.n.1.

Samuelem non deiecit obſcura patria.

Sed quis neſcit cogi hominibus laudem maximam ab vrbe nobili?vt qui ſuam Ieroſolymis domum habet, à loco nobili dicatur beatus:apud Iſaiam *cap.31. num. 9.* vbi textus Græcè, μακάριος ὃς ἔχει ἐν σιὼν σπέρμα, *Beatus, qui habet in Sion ſemen*, &c. Et quidem Ioannes, vt oratores ad Præcurſorem miſſos commendaret, legatos à Ieroſolymis dixit homines, cap. 1. num. 19. *Miſerunt Iudæi à Ieroſolymis Sacerdotes*, &c. Addit Caietanus. *Tanto inſigniores, quanto à Ieroſolyma, ciuitate primaria*, &c. Illudque docet magnos viros venire ab vrbe magna. Lego commendari ſacro textu Regum proſapiam à materno genere, *ad 4. Reg.* maternum verò genus laudari ab vrbe patria. Vnde laudatam ſcio Sebiam à Berſabea vrbe nobili,*cap.12.num.1.* Iecheliam à Ieroſolyma,*cap.15. num.2.* Meſſalemetham à Ieteba, *cap. 21. n. 19.* Ididam à Beſecatha, *cap. 22. num. 1.* Amitalem à Lobna, *cap. 23. num. 31.* Commendatur maternum Regum genus ab vrbe patria; vt quidquid magni parentes habent, ab vrbe magna, & nobili veniſſe diſcas. Multum enim honoris confert hominibus maieſtas vrbis patriæ, quam ſibi laudem cogit Apoſtolus à Tharſo,vrbe grandi, & nobili. *Non ignotæ*(inquit)*ciuitatis municeps*,&c.*in Act.cap.21. num.39.* Quare ſciens admodum Achior docet Hebræum Chaldæi generis eſſe, vt probet veniſſe viros nobiles à loco nobili. *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt.*

34.

Mich.5.n.2.

Iſai. 31. n.9.

Io.31. n. 19. *Commendantur homines ab vrbe magna.*

4.Reg.12. n. 1. 15. n.2. 21. n.19. 22.n.1. 23. n.31.

Confert magnis viris maieſtas vrbis patriæ.

Act.21.n.39.

Num.7. Hic primum in Meſopotamia habitauit, quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum,qui erant in terra Chaldæorum.

Commentarius.

35. CHaldæam à Meſopotamia diſtinguit Achior: ſed profligata Commentario proximo res eſt. Addit Ammonites,cur Abramus patriam fugerit cum domo reliqua, & Charras tenuerit annis plurimis. Id enim de Græco textu videtur eſſe, καὶ παρῴκησαν ἐκεῖ ἡμέρας πολλὰς, *& habitauerunt ibi dies multos*, &c. Tropo celebri, *annos plurimos*. Addit Achior profugiſſe homines cauſa tuendæ religionis: *quoniam noluerunt ſequi Deos patrum ſuorum*,&c.Tanta Abramo,ac domeſticis pietas erat, vt paternos mores abnuerint, damnata idololatria; patriamque fugerint; καὶ ἐθυμώθη, ne cogerentur à fide caſta,& mente ſana peregrinari.Eſt enim ſcelus,quod fuga truditur. *Fugite ab idolorum cultura*, &c. Monet Apoſtolus 1.*ad Corinth.cap.10. num.14.* quod aduertit Chryſoſtomus Hom.24. *Multa cum feſtinantia cogit, vt ab huiuſmodi peccato liberentur*, &c. Sed iam id pridem Syracides monuerat de peccati veneno præſentiſſimo, ad cap.21.

Fugam poſtulat Idolomania.

1.Cor. 10.n. 14.

Eccl. 21. n. 2. cap. 21. num. 2. *Quasi à facie colubri, fuge peccatum*, &c. Fugit igitur Abramus patriam, vt Idolomaniam fugiat. Et quidem nocet persæpe terra patria, ne quis piè, ac sanctè viuat: quare necesse est, vt fuga sibi consulat.

Cant. 4. n. 8. Hæc Deo nata monendi occasio, Cant. 4. n. 8. *Veni de Libano, veni de Libano, veni*, &c. In Libani summo iugo, & solo patrio mulier parentes colit, fratres amat, & familiares curat amicè. Inde rusticella euocatur, si aberrare à vero nolit. sic Theodoretus lib. 3. in Cant. *Hæc videntur cum illis congruere, quæ* Ps. 44. num. 11. *ad sponsam dicta sunt: Audi filia, & vide; & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet Rex speciem tuam*, &c. Quid verò est memoriam deponere gentis patriæ, conuersationísque domesticæ? Theodoretus iterum, *Populum eius & domum patris appellat antiquos mores*, &c. Sciebat Deus sponsam à bono, & vero longè abituram, si terram patriam non desereret, nec aliò commigraret. Inde vocat, nec semel, vt Libano exeat, ac mores patrios exuat. Sic & Abramum Deus euocat vt è Chaldæa, ac terra patria fugiat.

Virtus est domesticos pro Deo fugere.

36. Abrami fuga probat certò hominem duriter vexatum fuisse: quod Esdras insinuat Deum piè orans lib. 2. cap. 9. num. 7. *Deduxisti eum de igne Chaldæorum*, &c. Non quòd flammis Abramus torqueretur, quidquid velint alij; sed quòd à domesticis vrgeretur ad Idolomaniam, & dictis, & factis improbis. Quæ bonum Lothum fortuna torsit, *aspectu enim, & auditu iustus erat: habitans apud eos, qui animam iustam iniquis operibus cruciabant*, &c. ex 2. Pet. 2. n. 8. *Pet. 2. cap. 2. num.* 8. Tantus viris optimis dolor est de hominum vita improba; inde sua Abramo tormenta, vt patriam fugeret, dulcésque relinqueret agros. Ex hoc loco bene colligas Abrami auos, imò parentes idolis colendis studuisse: quæ iam dudum Iosue tradiderat, Ios. 14. n. 2. cap. 24. num. 2. *Trans fluuium habitauerunt Patres vestri ab initio, Thare Pater Abram, & Nachor, seruierúntque Diis alienis.*

2. Esdr. 3. n. 7. *Vrgent domestici ne piè viuas.*

Illud in loco discutio, fuerit ne Abramus cum patre, & auo Idololatres? Disputatio est viris magnis agitata, ad Iosuæ locum citatũ. Affirmant non pauci, nec mali homines ex Hebræa schola, quibus hæret Augustin. *de ciuit. lib. 16. cap. 12.* Mas. *in Ios.* Magallian. *inibi annot.* 1. Serar. *quæst. 2.* Cyr. Alexand. *lib. 3. contra Iulian.* Genebr. *Chronolog. lib. 1.* Probant ex Iosuæ loco cit. *Thare Pater Abraham, & Nachor*, &c. Sed Abram, & Nachor Hebraicè in recto casu non sunt; quod obseruare licet ex Hebræa Grammatica, quidquid ex Græca Magallianus eruat. Vrges; Thare pater, & Nachor frater Idolis colendis seruierunt: cur Abrahamus eo in luto non hæsit? sed iam id pridem fecit Deus, quod modò factum Christus probat. *Veni* (inquit) *separare hominem aduersùs patrem suũ*, &c. *Matth. 10. n. 31.* studeat igitur Idolis colendis Thare; quod Iosue docet. Vanos sequatur Deos Nachor, errorem-que nepotibus infundat, quod patet ex *Gen. 31. n. 17.* Alienus ab hæresi domestica Abrahamus est. Opponis adhuc Isaiam tonantem Isa. 42. n. 27. grauiter, cap. 42. num. 27. *Pater tuus primus peccauit*, &c. Communi placito Abrahamus est, pater scilicet Hebræi generis, *ad Isaiæ cap. 51. num. 2. ad Matth. cap 3. num. 9. & ad Ioann. c. 8. num. 39.* Quid tamen Abrahamus peccauerit, dubium est. Taxant alij quòd vocatus à Deo moram in Charris fecerit: notant alij, quòd vanos Deos coluerit. In quibus est Cornelius sui oblitus, qui in Genesi id negauerat. Rectè haberet, si constanter negitaret. Hæc enim potior mihi mens est. Nullo Abrahamus æuo, nullóque loco vanos Deos coluit. Neque id æquum erat, vt à fide aberraret, qui fidem erat prorogaturus in orbem vniuersum. Vide Interpretes *in Gen. cap. 11.* Adest mihi Abulens. *quæst. 6. in Iosue cap. 24.* Caietan. *ibi.* Genebr. 1. *Chronolog.* Salian. *tom. 1. anno Mundi 2051. n. 3.* qui rem versat accuratè. Multa ex loco documenta virtutum eruas oportet. Illud primò, Abrahamum è Chaldæa egressum bene sibi consuluisse, ne laberetur in Idolomaniam, suáque fuga monuisse,

Nusquam Abramus Deos coluit, etsi pater, ac frater voluerint.

PARÆNET. XII.

Occasionem peccandi cauendam esse.

I. AFfricat sua quisque vitia hominibus, quibus cum agit; cùm enim peccare sit facile, natura hominum in præceps lapsa, fit inde, vt homo quisque ex vita aliena sumat rationes viuendi, nec vitiis occludat aditum. quod expendit Seneca *Epist. 7.* vbi morum Magister, *Inimica est* (inquit) *multorum conuersatio. Nemo non vitium aliquod aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus illinit*, &c. Vrgent ad peccandum mali Principes; vrgent vani consultores; vrgent amici faciles: nam quæ scelerum monumenta alienis exponunt oculis, vim monendi, ac nocendi claudunt. In tanto scelerum apparatu nullum, nisi in fuga remedium est. quod sentit Seneca, ac proinde monet, *Subducendus est populo tener animus, & parum tenax recti*, &c. *loco cit.* Sensit plenè Cyprianus hanc nocendi vim scelerum spectaculis inesse; vrget piè. *Cùm mens hominis ad vitia ipsa ducatur, sibi quid faciet, si habuerit exempla naturæ lubricæ? Quæ sponte corruit, quid faciet, si fuerit impulsa? auocandus est animus ab istis*, &c. scelerum scenis improbis. Hanc Abrahamus viam iniit cum domesticis. Abeunt, imò profugiunt è Chaldæa, ἐκ ἔφυγον, *in Syriam; quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum*, &c. Fugiendam consuetudinem gentis improbæ nemo est, qui non videat; nemo, qui non moneat; nemo, qui non ebucciner. Est enim Dei consultum, vt mulier à Dracone longè dissideat. Sic iudex serpentem mordet, Gen. cap. 3. num. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, &c. Quasi Deus vellet bonas aliquando simultates esse: id verò, si testatas habeas cum malo socio inimicitias; fit enim inde, vt bonus quisque vitium caueat, si malum fugiat socium. Hæc Deo mens, cùm inimicitias ponit inter serpentem, & mulierem, *eam scilicet liberans, separat, & redimit ab insidiatore eius serpente*, &c. quod Sinaites obseruat *lib. 11. Hexaem.* Et verò separare à malo, redimere est. Grata Deo inimicita, quæ à malo Diabolo ad bonum Deum piè trahit, vt morsus tristes scelerum vitare quisque possit.

Nocet improbus consuetudine.

Nocet aspectus scelerum.

Gen. 3. n. 15.

Commendata à vitio fuga.

Nemo

Nec cũ Draccone iocus, nec cum improbo lusus.

Nemo enim cum serpente securus ludit; nemo cum Diabolo iocatur impunè, &c. si qua Chrysologo mens est *serm.* 155.

2.

Hæc & mali hominis censura est, quo cum nemo agit, qui non perdat bonos mores. Fugere hosce greges hominum sapientia est: addit Horatius, *virtus, est vitium fugere*, &c. quo pacto Henochus verè sapit, de quo illud est elogium, *Ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit*, &c. *Gen. cap. 5. num.* 24. suam scilicet viam, Deo duce, Henochus egit, vt piè viueret. Inde placuisse Deo visus est, quod Græco textu patet, εὐηρέστησεν ἐνὼχ τῷ θεῷ, *placuit Henoch Deo*, &c. Cur tamen Deo non placeat, qui Deum piè sequitur, & fugit homines? *Et non apparuit*, &c. Sic enim Henochus vitabat cœtus hominum, vt domi se contineret, vel ab vrbe villam peteret. Id verò? *Latere ignotus cupiens, non humanæ societatis odio; verum quia fugitat vitia, quibus vulgus delectatur*, &c. hæc Philo *ad lib. de Abrahamo*. Certus omnino Henochus erat labi homines pessimè, qui non fugiunt socios scelerum: ac ne morbo contracto laboraret, fugam captabat. *Proclivius est*, (sic Lætam monet Hieronymus) *malorum æmulatio: & quorum virtutes assequi nescis, citò imitaris vitia*, &c. *Epist.* 7. quo metu Dauid parentes, ac milites è loco malè affecto euocat, Deo per vatem Gaddum iubente. *Noli manere in præsidio*, &c. 1. *Reg. cap.* 22. *num.* 5. Deposuerat apud Moabitam Dauid parentes, ac milites, amicè rogans num. 3. *Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum*, &c. Sed vrget Deus, vt stationem militarem deserat, parentes, ac milites secum abducat, ne fide laberentur, si cum Idololatris amicè agerent. *Quorum aliqui non erant multum stabiles in fide, & declinarent ad Idololatriam*, &c. sic Lyra. Abeundum igitur ab Idololatra, si quis velit saluus ab hoc morbo esse. Lego conductum ab Amasia militem, quo Idumæum Iudæus premeret 2. *Paralip. cap.* 25. *num.* 6. Samarites erat miles colendis vitulis deditus: sed occurrit Prophetes, & militem amouet num. 7. *Rex* (inquit) *ne egrediatur tecum exercitus Israël*, &c. Cur id moneat, de textu est. Ne putet Amasias vi militum rem benè gerendam esse. Aliam tamen ex Dei iussu mentem Lyra elicit; fugiendos scilicet esse milites, qui fide corrupta peccandi viam poterant aperire. *Quoniam erant Idololatræ: ideo eorum societas magis nocuisset, quàm iuuisset*, &c. ita Lyra.

Deo placet, qui fugit homines.

Gen. 5. n. 24.

Fugit vitiũ, qui malum fugit hominẽ.

2. Reg. 22. n. 3. & 3.

Abeat ab Idololatra, qui velit fidem seruare.

2. Par. 25. n. 6. & 7.

Nocent commercia gentis impiæ.

3.

Cauenda igitur peccandi occasio est, fuga capta: quod Timothæo significat Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. num. 10. *O homo Dei: hæc fuge*, &c. scilicet, quæ nutrire studium solent rerum humanarum. *Fugite fornicationem*, &c. sic vrget Paulus scholam Corinthiam 1. ad Corinth. cap. 6. num. 18. sciens (Theodoreto Magistro) *quàm sit vehemens hoc peccatum*, &c. vt nisi fuga caueri non possit. Quis non videt hac mente mandatum à Christo, vt Apostoli cophinis collectis lacum transmearent? Matth. cap. 14. num. 23. *& statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam*, &c. Sub noctem, puto, confectum epulum: quod apponunt Apostoli n. 15. *Vespere scilicet facto*, &c. Homines in loco plurimi; *exceptis mulieribus*, &c. *n.* 21. Necesse erat, vt occasionẽ Magister

1. Timoth. 6. n. 10.

3. Cor. 6. n. 18.

Fuga seruatur castitas.

Matth. 14. n. 23. 5 & 21.

scinderet tam nequitiæ, quàm infamiæ. Et id Caietano placuit ad Marc. cap. 7. *Quibus tamen cauebat à nocturno mulierum consortio*, &c. Quis ignem sinu fouet, & non vritur? quis picem manu capit, & non sordescit? Fuge igitur, si quà poteris, ansam peccandi, ne turpi labores in Charybdi. Vastis in locis agebat Essæus chorus, ab oppido longè, & ab hominum communi cœtu; nec Philo id taxat, imò laudat. *Vrbes fugiunt, propter vitia ciuibus, familiaria*, &c. *ad lib. Quod omnis probus*, &c. Sciens admodum periculi Ioannes: *Erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ*, &c. *Luc. c.* 1. *n.* 80. Ne, agitans inter homines, traheret morbos humani generis. Quod Theophylactus aduertit. *Ne malitiæ* (inquit) *particeps fieret*, &c. Rem exemplo firmat Seneca. *Quod agris euenit, vt nunquam sine offensa proferantur, hoc nobis accidit*, &c. *Epist.* 7. Quò eat valetudinarius, & non tentetur aura leui, motu lento? Vitrea est sanitatis fortuna, vitrea & animi bonitas est.

Vitanda mulierum commercia.

Sua homines vitia hominibus apprimunt.

4.

Hoc periculi metu Iosephus heram fugit proiecto pallio. *Fugit, & egressus est foras*, &c. *Gen. 39. num.* 12. sed oppono. Quid tibi Iosephe bone consilij est? Vrget hera; prensat manu pallium; & abiicis? quòd fugias, bene est; id Moyses laudat. Quòd pallium abiicias, vel de ignauia est animi, vel de iuris ignorantia. Nescis tuo te pallio reum fieri? *Sed malus videri, quàm fieri peroptauit*, &c. sic Nyssenus de Gregor. Thaumat. Vbi de adulterio patrando periculum est, pallium Iosephus abiicit, vt celeriùs fugiat occasionem peccandi. Miror Christum aliter, atque aliter Magdalenam instruxisse. Patitur, vt cum fœminis reliquis ad Magistri pedes accidat, Matth. cap. 28. num. 19. *Accesserunt, & tenuerunt pedes eius*, &c. Cùm sola est mulier, & sine arbitris ad Christi se pedes abiicit, mulierem à se Magister amouet Ioann. 20. num. 17. *Noli* (inquit) *me tangere. Vade ad fratres meos*, &c. Quid hoc est mi Domine? sed nemo negat te hac fuga non tibi, sed nobis consuluisse, vt occasiones peccandi fugiat, qui peccare nolit. Tangi se non sinit, cùm mulier sine comitatu est, imò abigit à se procul, vt legationem obeat. *Vade ad fratres meos*, &c. Nec mirum id est: notat Chrysologus serm. 76. *Siquidem illud de figura est, hoc de sexu*, &c. Amplexatur Christum Magdalena, cùm signat Christi scholam: arcetur ab amplexu, cùm ostendit fœminam; scilicet ne quis solus cum sola esse velit, metu damni. Fugias igitur occasiones peccandi, necesse est. Sic Abrahamus fugitat, fugitant & domestici, ne fide labantur, μὴ ἔφυγον, *quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum*, &c. Ratio fugitandi aperta est; dissensio inter bonos, & malos orta. Nam ciues Idolomania insignes Abrahamum premunt conterraneum suum; quippe qui vnum, ac verum Deum sequatur, & ab hominibus reliquis piè dissideat; sed Magistro Seneca: *Iniuria in bonos non tentatur, nisi à malis*, &c. *ad lib. de Constant. c.* 7. Quæro ego,

Gen. 39. n. 12.

Trudendum fuga periculum nequitiæ.

Matth. 28. n. 19.

Io. 20. n. 17.

Cauẽda, cùm sola est, mulier.

Bonũ malus pungit.

***

PARÆ

PARÆNET. XIII.

Cur bonum malus vtraque manu persequatur?

1. QVæsitum non semel est, quare tanta bonis, malisque hominibus esset diuidia, quanta lupis, & agnis obtigit discordia? Re excussa lentè, illud Cyprianus definit lib. 2. Epist. 2. ad Donatum. *Malos offendit, quisquis non imitatur*, &c. In bono viro malus quisque testem agnoscit, ac censorem timet suæ improbitatis: inde nata malis occasio est sæuiendi in bonos homines. Et quidem vir bonus, licèt taceat, vita loquitur, monet, accusat homines, reos scelerum. Adscribit Tertullianus pallio philosophico id officium admonendæ, & accusandæ licentiæ, etsi lingua taceat Philosophus. *De occursu meo* (inquit) *vitia suffundo. Grande pallij beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores erubescunt*, &c. *ad lib. de Pallio cap. 6.* Procedit Philosophus, & vrbem lustrat gradu lento: quid agat morum Magister, quò eat, quà redeat, curiosè vident ciues, & obseruant: vnde bene discunt, & facilè, quid facto opus est, ad rectè viuendum. *Sic denique Philosophus auditur, dum videtur: ipsè habitus sonat*, &c. Et hæc à Tertulliano cit. Sed qui bonis viam virtutis bonus aperit, malis, etiam Harpocrates, suam obiicit improbitatem. Inde grauior malis hominibus metus, & pudor est agendi proximè cum viris optimis.

Dissident vt moribus, sic & partibus malus, & bonus homo.

Vocet vita, etsi lingua taceat magister.

2. Timet Hebræus graniter Petrum, & Apostolos reliquos, vtpote qui Ierosolymis sanctè viuerent. *Fiebat autem omni animæ timor*, &c. *Act. cap. 2. n. 43.* Quid Hebræus timet? an virgam censoriam? Sed negata Apostolis virga est: an morsus timet sermonis Apostolici? sed conditos sale sermones habet Apostolus. Vnde igitur *fiebat omni animæ timor?* &c. Tanta erat Apostolis morum castitas, vt qui turpiter viuerent homines, vita morderentur Apostolica: inde tantus malis timor. Nec Cyrillus aliud Catech. 17. *Tanta Apostolis circumfusa erat gratia, vt quamuis mites essent, metuendi tamen viderentur*, &c. Vnde timor, inde pudor vel bonis viris est. Audit Moyses Exod. 3. num. 6. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*, &c. vbi tria videt sanctitatis lumina. Quid inde Moyses? quasi puderet hominem suæ ignauiæ ad commendationem sanctitatis alienæ: *abscondit Moyses faciem suam*, &c. Quis enim vel impudens pudorem non concipiat, quando, qui vita bonus est, ad aspectum bonitatis alienæ minimè bonus æstimatur. Produntur ex congressu viri optimi, quæ latent errata vitæ alienæ. Hac via ludit Paulinus egregiè, & amicè, cum Seuero expostulat, qui Martinum tabula pingendum curauerat, & propè appositerat Paulini tabulam. Inde pius est Paulino lusus. *Euenit, vt peccator iusto compositus magis sorderet*, &c. *Epist. 12.* & piè, & philosophicè Paulinus loquitur. Nam, quæ opponuntur, si iuxtà ponantur, magis eminent. Id Isaias suis probat lacrymis, cap. 6. n. 1. *Vidi* (inquit) *Dominum*, &c. Addit Vàtes audisse se, quo sanctitatis elogio Dominus commendaretur, num. 3. *Sanctus*, (scilicet) *Sanctus, Sanctus*, &c. Factum inde, vt se Vates premeret voce humili, *Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum!* &c. *num. 5.* Tecum mihi res est Vates optime: & vbi illa scelerum censura est Hebræum lacerans? cap. 1. num. 4. *Væ genti peccatrici!* &c. deferbuit calor ille dicendi? qui iam pridem homines reliquos, vti affines scelerum accusabas, modò te accusas reum sceleris? Sed videt nunc Dominum sanctitatis maximæ, & se recognoscit peccantem maximè. Disco hæc à Nazianzeno Orat. 7. *Postquam hæc vidit, ac vocem illam sanctam audiuit, tunc demum velut se ipsum magis dignoscens; me* (inquit) *miserum*, &c. Nemo, quod patet, miser, nisi comparatus. Nec Isaias, nisi Deo compositus, apparet miser: nam rebus inter se collatis, constat liquidò, quæ potiora sunt, quæ deteriora. Et hæc malis hominibus occasio est fugandi bonos homines, quibus cum si componantur, multo apparent deteriores.

Act. 2. n. 47.

Censuram timet improbus à vita boni viri.

Exod. 3. n. 6.

Ad aspectum viri sancti, eminent sordes vitæ alienæ.

Isai. 6. n. 1. & 5.

Isai. 1. n. 4.

Nemo bonus, si bono cum Deo componatur.

3. Pellunt à se Christum Geraseni homines, postquam hominem Diabolo obsessum Christus absoluit, ac Dæmones porcis vectos in lacum trudit Marc. cap. 5. num. 17. *& rogare cœperunt, vt discederet*, &c. An metu damni preces mittunt? id fortasse est. illud Victor Antiochen. addit. *Ne ob præsentis virtutem grauius quiddam pateretur, plurimùm formidabant*, &c. Sciebãt mali homines aduentu viri boni, tanquam luce obortà detegi aliena scelera; ne detegantur, longè Christum submouent, quasi abigant censorem hominũ, si non lingua, certè vita. i Abrahamum Chaldæa abigit, abigit domestcos, κ) ἔφυγον, ne cogerentur pati acerba quæque. Sed quo loco Abramus impunè erit, si Deum à Diis alium sequatur. An Chananæus id ferat animo facili? Abit Abramus è Chaldæa in Chananæam, *Gen. 12.* Aras inibi Deo sacras excitat, preces fundit, & mactat pecudes, n. 7. *Ædificauit ibi Altare Domino*, &c. Sed vrbes fugit, & montes petit. *& inde transgrediens ad montem, tetendit ibi tabernaculum suum*, &c. *n. 8.* Nec id ego miror. cùm enim Abramus esset fide castus, vita sanctus, necesse erat, vt à Chananæo fugatus longè fugeret; sic Chrysostomus Hom. 32. *Quare* (inquit) *illinc discessit? fortè videbat incolis non placere aduentum suum*, &c. Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur bonus, & malus homo. Inde occasio, vt Chananæus Abramo ægrè faceret, Chananæum Abramus fugeret. *Ne cum hominibus aliquid haberet negotij, solitudinem apprehendit*, &c. Hæc iterum Chrysostomus. Abramus igitur fugatus à Chaldæo conterraneo, truditur à Chananæo hospitali. Hæc tamen gentis improbæ natura est, odio persequi viros optimos, quasi testes ac censores licentiæ alienæ. Docet id Sapiens *cap. 3. n. 12.* dictum ab schola improba. *Circumueniamus iustum*, &c. Quibus id nominibus patrandum esset, habes proximè, *Quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris*, &c. Itaque nata malis hominibus occasio grassandi, ac sæuiendi in bonos homines, vita est viri boni à malo dissidens. Hoc saxum Moyses voluit, cùm bonus homo saxis petitur

Marc. 5. n. 17.

Timet semper improbitas.

Gen. 12. n. 7. & 8.

Fugat improbus virum probum.

Abramus pacis amans.

Sap. c. 3. n. 12.

Viri boni vetè testes, ac censores licentiæ alienæ.

Num. 14. n. 10. 16. n. 42.

titur, *Num.* 14. *n.* 10. & à principatu deiicitur, *cap.* 16. *num.* 42. hoc telo petitur Samuel; lego enim Samuelem, & in Samuele Deum ab Hebræo abiectum, 1. *Reg. cap.* 8. *n.* 7. quod Deus notat. *Non enim te abiecerunt, sed me*, &c. Nónne Dauid semel, & iterum tentatur bello, ne sceptrum gerat? 2. *Reg. cap.* 15. *num.* 14. Bellum mouet Seba tuba canente: *Non est nobis pars in Dauid*, &c. *cap.* 20. *num.* 1. Si quis scire auet, cur mali homines viros optimos persequerentur publicè, addit Rupertus de Victor. lib. 5. cap. 8. *Quia peccandi voluntatem habebant, & sub sanctis Principibus peccandi facultatem non habebant*, &c. Negabant scilicet viri optimi, & lingua, & vitâ licentiam peccandi: quod mali homines ferre non poterant, & dolore concepto viros optimos procul abigebant. Hæc Abramo fortuna, & à Chaldæo conterraneo, hæc & domesticis calamitas: vnde salutem fuga quærunt.

2. Reg. 15. n. 14.
2. Reg. 20. n. 1.
Odit bonum Præfectum mala plebecula.

Num. 8. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, &c.

Commentarius.

37. QVantum Abramus, ac domestici virtute præstiterint, ostendit liquidò Achior: quandoquidem mores patrios exuerunt, Chaldæámque oderunt Idolomaniam. Durum omnino bellum est à parentibus dissentire: & Christus, *Non veni*, (inquit) *pacem mittere, sed gladium*, &c. *Matth. cap.* 10. *n.* 34. Ac, ne libera opinandi facultas esset, quid velit, statim Magister exponit. *Veni enim separare hominem aduersùs patrem suum*, &c. Quasi durum esset bellum, & multa difficultas in parentum erratis deserendis: vnde Chrysostomus bellum, & intestinum gladio explicatum esse docet. *Non iucundè rem asperam, sed asperrimè, atque durissimè protulit*, &c. *Hom.* 36. Sed virtus tanto habetur clarior, quanto grauior est rerum difficultas. Quæ nam Leuitis & vis, & laus? *Deut. cap.* 33. *num.* 8. vbi Moyses Leuitam commendat latè. *Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo*, &c. Quasi velit, sanctitatem plurimam inesse viro, qui & rectè agit, & scitè docet: nec non & virtutem bellicam inde precatur Moyses n. 11. *Benedic, Domine fortitudini eius*, &c. vbi vox Hebræa חיל *Chaiil* sonat *exercitum*. Nobiles profectò commendationes gentis Leuiticæ: quippe quæ num. 9. *Dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos*, &c. Pulchrè dictum, ac piè, monet Hieronymus, *cùm odium in suos, pietas in Deum sit*, &c. *in Matth. cap.* 10. Cogit Leuites laudem ex re difficili clariorem, cùm sit durum à parentibus dissentire, & à naturæ affectu temperare: vincit naturam, qui parentes odit fide alios. Id tamen ab hominibus Christus repetit, si Deum sequi velint. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, non potest meus esse discipulus*, &c. *Luc. cap.* 14. *n.* 26. Hæc Abramo fides, hæc domesticis pietas, Deum fide casta sequi, parentes deserere, parentumque leges negligere, *quæ in multitudine Deorum erant*, &c.

Matth. 10. n. 34.
Miles est strenuus, qui patrem pro Deo fugit.
Deut. 33. n. 8. 11. & 9.
Virtus est magna rectè agere, scitè docere.
Fortiter ille facit qui patriis vale dicit.
Luc. 14. n. 26

Vnus est Deus, & inde optimus, vnde vnicus; ac proinde boni homines, *vnum Deum cæli coluerunt*, &c. scilicet, *In multitudine mali sunt, boni in paucitate*, &c. sic Laudunensis; & seriò admonet turbam hominum cauendam esse, quæ nihil veri, nihil sancti habet. Totus in hoc argumento Seneca est ad lib. de Vita Beata cap. 1. *Sanabimur, si modò separemur à cœtu: non tam benè cùm humanis rebus agitur, vt meliora pluribus placeant*, &c. Cur multis labor sit gratus, qui fortes, & inde pauciores citat homines? cur multis virtus placeat, quæ paucis inest hominibus? 38.

Pauci boni, multi mali.

——*Pauci, quos æquus amauit*
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus, &c.

Scio pusillum Christo gregem esse, *Luc.* 12. *num.* 32. vt cœtum hominum delectum scias. *Vine, vt pauci*; instillabat tyrunculo morum Præfectus, apud Cassian. *lib.* 4. *cap.* 47. Et erit, qui tritam multis viam inire velit? caue, moneo, caue, ne aberres in præceps, via lata: etsi enim *multi sunt, qui intrant per eam*, &c. Matth. cap. 7. num. 13. *Argumentum pessimi turba est*, &c. Addit Seneca *loco cit.* quò ducit turba hominum, multa est voluptas, nulla rerum difficultas. Quò igitur ducant Dij multi, & inde mali vitæ duces? Longè alia Abrami domus est, & longè abest ab hac Deorum turba colenda. *Vnum enim Deum cæli coluerunt*, &c. Dissident à parentibus homines, *decernentes ceremonias patrum suorum*, &c. Deinde fugiunt Abramus Nachorem fratrem, Lothus patruum, hominésque reliquos improbitatis Gentilitiæ, & quos proxima attingebant cognatione. Ne quis neget,

Luc. 12. n. 32.
Matth. 7. 13.

PARÆNET. XIV.

Parentes Dei causa negandos esse.

1. PEriculis rerum plurimis abundè probata Christi vox est, domesticos homines verè inimicos esse, quippe qui dictis, & factis noceant, & auocent hominem à bono, & æquo, siue blandè id tentent, siue durè, à quibus, plusquam à lupis cauendum censet Christus. *Mitto* (inquit) *vos, tanquam agnos inter lupos*, &c. *Luc.* 10. *num.* 5. Addit *Matth. cap.* 10. *num.* 17. quid Magister in monitis dederit. *Cauete ab hominibus*, &c. Lupis Christus committit agnos, & homines hominibus cauendos, non lupos monet? Sed Caietanus vulpem, non lupum timendum esse docet. *Homines appellat illos, qui humanitatis officio, & prætextu consanguinitatis consulunt, ne patiamur*, &c. Hosce igitur homines, vti domesticos hostes Christus fugiendos esse rectè monet: *cauete ab hominibus, non à lupis*, &c. addit Caietanus bene. Eruas, oportet, oculum: abscindas, necesse est, manum: si te à Deo auertunt; nam si parcis domesticis, *grandis in suos pietas, impietas in Deum est*, &c. docet Hieronymus *Epist.* 24. *ad Paulam.* Amicum meus Christus non agnoscit, qui amicitia vrget inutili, ne Magister Dei iussa faciat. Agit Christus de sua Cruce, hominúmque salute, de quibus lex erat à Patre addita, *Oportet filium hominis pati*, &c. *Marc.* 8. *num.* 31. Amat Petrus nimium, & dolet

Luc. 10. n. 5. Matth. 10. n. 17.
Mala vulpes, homo qui blandè nocet.
Mar. 8. n. 31. & 32.

dolet nimiũ : quare Magiſtrũ à Cruce ferenda auocandũ cenſet *n.*32. Tunc Magiſter, vultu ad ſeueritatem compoſito : *Vade* (inquit) *retro me Satana*, &c. Quid ita Magiſter optime? Petrus eſt, amicus eſt, qui tui amãs crucem à te amolitur, & iniuriam : qui modò amicus erat, virga donatus Pontificia, tam ſubitò Satanas eſt? *Vocauit Satanam, eo quòd ſaluti neſciens aduerſaretur*, &c. Sic Bernard. *ſer.* 20. *in Cant.* Salus Chriſto erat quodã modo, ſalus hominum; Seruatoris officium, Dei obſequiũ. Qui impedimento eſt, non iam amicus, verè Satanas eſt; dignus omnino homo, qui trudatur longè. *Vade Satana*, &c.

Diabolus Chriſto eſt, qui blandiendo crucem amouet.

2. Nec Matrem agnoſcit Chriſtus, vbi rem diuinam curat. Sua in Cruce meus Ieſus erat, & ſalutem curabat hominũ ex Deiſcito. Matrem diſcipulo commendat : ſed Matrem appellat mulierem. Ioan. c. 19. n. 26. *Mulier* (inquit,) *ecce filius tuus*, &c. Ac ſi non meminerit maternæ appellationis, cùm Dei iuſſa facit: nec quo aduersùs Matrem affectu ſit, meminerit. Solet enim affectus iſte hominem à vero, & bono auocare. Nec patrem agnoſcit filia, cùm Dei cauſam tueri velit. Deos, & vanos Deos quærebat Labanus pater in Iacobi vaſis domeſticis, quod patet ex *Gen. c.* 31. Quid Rachela filia? n. 34. *Illa feſtinans abſcondit idola, ſeditque deſuper*, &c. Nec cùm pater intraret tentorium aſſurgit filia, nec patrem appellat, morbum excuſans. *Ne iraſcatur Dominus meus, quòd aſſurgere nequeo*, &c. Quid Rachela agis? Patrem non agnoſcis, qui Deum non agnoſcis? Id omnino eſt. *Nemo credat læſam eſſe paternam reuerentiam, quòd ſtante patre ſedit; quoniam ſcriptum eſt: Qui amat patrem pluſquam me, non eſt me dignus*, &c. *Matth. cap.* 9. *n.* 37. ſic Ambroſ. *lib.* 2. *de Iacob cap.* 5.

Ioan. 19. num. 26. *Matrem abigit, qui Deum ſequitur.*

Gen. 31. n. 34.

Patrem Deo ingratum abnuit bona filia.

Matth. 9. n. 37.

3. Quantus in Aſa ardor tuendæ religionis, qui nec matrem veretur, nec appellat, cùm reſciſcat matrem Priapo operatam ineptè lucum Deo turpiſſimo conſecraſſe 2. *Paralip. cap.* 15. *n.* 16. Ibi enim textus, quaſi alienam ab Aſa Reginam taxans, *Matrem* (inquit) *Regis Aſa ex auguſto depoſuit imperio, eo quòd feciſſet in luco ſimulachrum*, &c. Multa Aſæ pietas, & ſana fides! Matrem Aſa acerbè habet, nec ſuam appellat matrem; quaſi puderet bonũ Regem matris improbæ. *Idcirco non dixit matrem ſuam, ſed matrem Regis, quia non ambulabat viam rectã*, &c. Sic Hieron. *in tradit. Hebr.* Vt Deũ Aſa piè coleret, extinctũ voluit affectũ maternæ veneration is. *Sed pietatis genus eſt impium eſſe pro Domino*, &c. Hieronymus iterũ *Epiſt.* 22. ad Marcellam. Iam dudũ Pontifex hac de re monitus, nec matrem fato ſublatam videt, nec patrem vita defunctum condit : vetitum id lege lata; Leuit. cap. 21. n. 11. *Super patre, & matre non contaminabitur*, &c. Plenè Moyſes in loco docet, plura à Sacerdote Maximo, quã à Sacerdotibus reliquis poſtulari : ſcilicet ne parentũ metu, & cura malè, aut tardè curet Dei obſequium. Quod Philo obſeruat ad 2. lib. de Monach. *Cùm enim ductor ſit ſacri Ordinis, oportebat illum abdicari omnibus affectibus, vt charitatem in parentes poſthabeat, nec illa retardatus potiora negotia differat*, &c. Sciebat Moyſes parentes etiam vita functos, Dei cauſa & cauendos, & fugiendos

Pudet bonum Regem matris improbæ.

2. Par. 15. n. 16.

Abnuat parentes, qui Deo annuit Sacerdos maximus.

Leuit. 21. n. 11.

Veloſ. in Iudith.

eſſe, ne filius à Dei obſequio retardetur. quo aſpectu Chriſtus hominem auocat ab ſtudio paternæ ſepulturæ. *Sine* (inquit) *vt mortui ſepeliant mortuos*, &c. *Luc. c.* 9. *n.* 60. Diſcipulum Euangelio publicando Magiſter deſtinans, *Vade* (iubet) *& annuntia regnum Dei*, &c. Sed à patre ſepeliendo auertit longè, *cùm etiam ſepelire patrem, tardum ſit fidei*, &c. Hæc à Tertulliano diſcas *de Idololatr. cap.* 12. Trude igitur patrem, & trude matrem, ſi te à Deo colendo abſterrent. Abramum ſequere, ac nepotem; qui *vnum Deum cœli coluerunt*, &c Ac, ne à cognatis retardarentur, è Chaldæa exierunt. καὶ ἔφυγον εἰς μετοικεσίαν. *Deſerentes ceremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine Deorum erant*, &c. Taxantur in loco Dij : vnde multi, inde mali; taxantur & mali homines, quippe qui multis Diis hærent malè : paucis enim curatur, & amatur bonitas. Scitum illud ex Eccleſiaſtæ 1. n. 15. *ſtultorum infinitus eſt numerus*, &c. planum vt fiat

Luc. 9. n. 60.

Feſtinandum ad Dei obſequium.

Eccleſ. 1. n. 15.

PARÆNET. XV.

Paucis bonam vitæ viam patere.

1. EXiguus numero Hebræus populus, cõparatè ad orbem reliquum, lectus à Deo ad ſalutis viam eſt. quod aduertit Moyſes Deut. 7. n. 7. *Cum omnibus* (inquit) *populis ſitis pauciores*, &c. Cur ſibi non cogit Deus Gentes locis infinitas? niſi vt pateat bonos viros numero pauciores eſſe. Nihil tamen id mirum, docet Philo ad lib. *Quod omnis probus*, &c. *Quæ pulchra, hæc & rara ſunt*, &c. Terunt multi viam latã; inde perditi, vnde multi cenſentur homines: quod meus docet Chriſtus Matth. 7. *n.* 13. ſed, *quàm anguſta porta, & quàm arcta via eſt, quæ ducit ad vitam? & pauci ſunt, qui inueniunt eam*, &c. Addit Ordinaria. *Sed pauciores, qui intrant per eam*, &c. Metus ingens bonis viris, paucos ſcilicet eſſe homines, quibus pateat in cælum aditus. Lego patere latam ianuam Hebræo populo, vt templum intraret. Nam in templi introitu, *Oſtia de lignis abiegnis*, &c. 3. *Reg. cap.* 6. *n.* 33. & 34. Latè patebat aditus, quo exciperentur claſſes hominum: vt verò Pontifex intraret ſacrum Deo aditum, & oraculum conſuleret; quid artifex? *In ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarum*, &c. Oliuam miſerendi notam in aditu collocat, vt bonus quiſque putet Dei miſerentis eſſe, quòd ſuo cum Deo agat, ac Deum videat. Sed oſtiola ſunt, non oſtia, quæ pauciores admittunt homines: ſcilicet, pauci homines ſolent eſſe qui inueniunt, & pauciores, qui intrant per anguſtam portam. Nã Theologo anguſta videtur, *quòd non à multis teratur*, &c. *Orat.* 35. Sylueſcit via, & cæca eſt, quam pedibus non premunt homines : inde & anguſta boni via, quod minus trita paucis hominibus.

Matth. 7. n. 13.

3. Reg. 6. n. 33. & 34.

Dei miſericordia eſt, quòd cælum petimus.

Paucis teritur via in cœlum, & auguſta ianua.

Hoc aſpectu Dauid bonos cum paucis viros miſcet *ad Pſal.* 16. *n.* 14. Precatur Vates Lyricus, Domine à paucis de terra diuide eos, &c. Quos verò Dauid paucos dicat homines, exponit Ianſenius bonos eſſe. *Quorum* (inquit) *paruus eſt numerus*, &c. Franguntur enim mali homines difficultate rerum optimarum, vnde

2. Pſalm. 16. n. 14.

Pauci, qui & boni ſacro textu.

latiorem petunt viam, vtpote molliorem, etsi non meliorem. Age, versa, quid Ioannes disserat de Henocho, & Helia, si fortè reueniant ad tempus extremum rerum humanarum, vt Antichristo sese opponant *Apocal.* 11. *num.* 3. Multa quidem virtus erit hominibus, quod latè Christus promiserit, *& dabo duobus testibus meis, & prophetabunt*, &c. Cur Deus Iudex multos non laudat testes? An desunt, qui testari velint, & ausint? desunt omnino, monet Rupertus, tanta bonorum hominum penuria est. Vnde Christus Ruperti ore. *Quid si ita dixi, & verum dixi: Multi sunt vocati; pauci verò electi*, &c. *Matth. cap.* 20. *n.* 16. Percrebuerat hæc opinio inter homines rerũ scientes; quare Magistrum vrget discipulus: *Domine, si pauci sunt, qui saluantur*, &c. *Luc. cap.* 13. *n.* 13. Neque id Magister negat; sed addit *n.* 14. tentandum cœli aditum esse contentione maxima. *Contendit* (inquit) *intrare per angustã portam*, &c. Quis non timeat, quis non expallescat? & quis tandem non extabescat? si paucis contingat adire cœlum.

Apoc. 11. n. 3.

Sub Antichristo nota bonorum hominum penuria.

Luc. 13. n. 13.

Paucis contingit adire cœlum.

3. Pauci omnino sunt homines, quos Deus, sinu conditos, & libro exscriptos habet præmiandos beatitate vltima. Vnus bonorũ thesaurus est, de quo Moyses Deut. 28. n. 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum*, &c. Multi malorum thesauri sunt, de quibus iterum Moyses cap. 32. n. 34. *Nónne hæc condita sunt, & signata in thesauris meis?* &c. Virga nimirum censoria, cum securibus: vnde addit Iudex n. 35. *Mea est vltio, & egoretribuam*, &c. Re igitur excussa, occurrit Philo in litem benè. *Bonorum quidem thesaurus vnicus, malorum verò thesauri multi; quia peccatores immenso numero*, &c. *lib.* 2. *Allegor.* An de malis hominibus multi libri, de bonis vnus tantùm libellus est? Aio. Et rem eruo ex *Apoc.* 20. *n.* 11. ibi Iudex homines euocat ad iudicium: quos signat malos homines, vita defunctos vocat n. 12. *& vidi* (inquit) *mortuos, & libri aperti sunt*, &c. Quos signat bonos viros, viuentes appellat, & videntes. *& alius liber apertus est, qui est liber vitæ*, &c. Patet igitur bonos viros ita paucos esse, vt vno claudantur, simplicíque libello, malos verò homines multis cogi, magníque libris. Cum vitæ libello confero fasciculum viuentium, de quo Abigaille rectè meminit ad 1. Reg. cap. 25. n. 29. Ibat Dauid malè animatus in Nabalem: occurrit Abigaille, hominémque auertit à cæde patranda, salutem bene precata. *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum tuũ*, &c. Quàm pauci vitæ participes homines? qui vnum conficiunt fasciculũ, quàm multi ad ignes fasciculi hominum perditissimorum! de quibus Iudex pronuntiat Matth. cap. 23. n. 30. *Colligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum*, &c. Certè probitas paucis grata viris est; improbitas multis placet. Heu me! *Domine, si pauci sunt, qui saluantur*, quò mea me fortuna vrgebit? horresco referens; nec, quo sim loco, scio præ formidine. Latet adhuc, an de paucis fuerim, multis ne hominibus; nec metu fractus contremisco? turpe caput! triste cerebrum! Sed quod mihi deest, de tuis vulneribus eruo Christe bone: *patent* (Bernardo) *viscera per vulnera*, &c. tua me in vulnera condo. Inde tot scaturiunt fontes pietatis, quot vibices pressit manus carnifex. Inde sumit Augustinus, quidquid deest ad salutem, expandit enim Christus in Cruce manus, *paratus in amplexus peccatorum*, &c. *in lib. Man. cap.* 23. Inde & ego mihi parabo quidquid facit ad bonam vitæ viam, ne cum multis, & malis per eam hominibus, vt nec Abramus cum multis, malísque Diis perire voluit.

Deut. 28. n. 12. & 32. n. 34. & 35.

Multis peccare contingit, ac perire.

Apoc. 20. n. 11. & 12.

Boni libello, mali multis clauduntur libris.

1. Reg. 25. n. 29.

Matth. 23. n. 30.

Paucis bonitas, multis placet improbitas.

Num 9. Qui & præcepit, vt exirent inde, & habitarent in Charan, &c.

Commentarius.

39. OStendit Achior, cur Abramus Chaldæam patriam fugerit, Deo scilicet duce; qui daturus in monitis erat, ne quis parentes, ac fratres plusquam Deum amaret, si bonum sequi ducem vellet. *Finis enim est Deum sequi*, &c. Monet Philo *ad lib. de Abrahæ migrat.* Hanc Abrami fugam de terra patria, exponit Stephanus *Act.* 7. *n.* 2. *&* 3. vbi Leuites de Abramo docet. *Priusquam moraretur in Charan, dixit, ad illum: Exi de terra tua*, &c. Quod sic explicant viri boni. Vt Thare familiæ pater euocatus à Deo, Abramum duxerit è Chaldæa ad Charras vsque, vt Dei iussa faceret. Id Salianus cogit è *Gen.* 11. n. 31. vbi textus, *Tulit itaque Thare Abram filium suum*, &c. Et quidem ius erat, vt pater familiæ euocatus à Deo Abramũ duceret, quò Deus iuberet. Sic Iosepho imperat Angelus peregrinationem Ægyptiam Matth. cap. 1. n. 13. *Apparuit in somnis Ioseph*o, &c. quamuis domi esset magna Mater. erat enim Iosephus paterfamilias; quod notat Abulensis *q.* 56. Sic Petro explicata Gentium fides, linteo cælitus explicato, *Act.* 10. *n.* 11. *& vidit cœlum apertum*, &c. scilicet nemo Petro erat prior in Christi schola: quod obseruat Cyr. Alex. in Leuit. *De quibus cælitus edocetur Apostolus, quia eminentiorem in terris non habebat*, &c. Sic Pharao de fame publica admonetur prius, quàm Iosephus rescisca *Gen.* 41. *n.* 1. meritò quidem maiestatis Regiæ. Sic & Thare Abrami pater, à Deo iussus, Abramus à patre ductus Chaldæam fugiunt. Addit Stephanus, quod Moyses non ediderat, Deũ apparatu glorioso allectasse homines, vt rem bene gererent. *Deus* (inquit) *gloriæ aptauit*, &c. & hæc Caietano mens est, *ad Gen.* 11. scilicet res magna, & dura erat patriam deserere. quæ omnes in se amores complexa est. Vnde fit, vt morari in patria, & pro patria mori dulce, ac decorum sit. Sed Thare affectum vincit, & Abramus, ne Deum lædant, *qui præcepit, vt exirent inde, & habitarent in Charan.*

Bona fortuna Deum sequi ducem.

Act. 7. n. 2. & 3.

Gen. 11. n. 31.

Matth. 1. n. 13.

Cura Deo est de admonendo Patre familias.

Genes. 41. n. 1.

Act. 7. n. 2.

Tenax Patriæ amor est.

40. Hæc si recipis, profligata omnino lis est, vtrum hæc Abrami fuga sit alia ab ea, de qua Moyses ad Gen. 12. num. 1. *Dixit Dominus ad Abram: Egredere de terra tua*, &c. Scio pugnare in loco viros magnos; alij enim Abramum semel vocatum esse volunt, ac proinde Moysen cum Stephano miscent egregiè, docéntque vtrumque hominem de vna, & eadem Abrami fuga dixisse.

Gen. 12. n. 1. & 4.

Vna Abrami vocatio viris magnis.

Sed

Sed Moyſes benè ſe prodit. Cùm enim Abramum dicat à Deo vocatum, oſtendit proximè, vnde vocatus abierit. Deinde exponit ætatem homini, *Cùm egrederetur de Haran*, &c. *n.*4. Scio, quid Auguſtinus oppoſuerit *lib.*16.*de Ciuit.cap.*15.*&* q.24. *in Gen.* quid ad litem Auctores alij neoterici: prolepſin in textu eſſe, abſolutámque ſcenam de Thare prius, quàm de Abramo, vt Abrami res texerentur ductu continuo. Sed non ſoluunt dubium, cùm Thare, non Abramus, abiiſſe dicatur è Chaldæa ad Charras vſque, Dei ſcilicet iuſſu, *Gen.cap.*11.*n.*31.

41. Duplicem igitur Abrami vocationem agnoſcunt Abulen.*q.*1.12.*&* 18.*in Gen.*12. Lyra, Hugo, Oleaſtr. Caiet. *inibi.* Ribera *ad Hebr. cap.* 11. Genebr. *lib.*1. *Chron.* Lorin. & Sanctius *in Acta cap.*7.*n.*2. Salmer. *tract.* 24. Salian. *tom.*1. *anno mundi* 2108.*n.*3. Abundè pro cunctis vnus erat Chryſoſtomus *Hom.* 36. *in Geneſ.* Mitto, quæ Salianus ſcitè verſat. vnum illud promo. Nemo negat Abramum cum patre vocatum à Deo, *priuſquam moraretur in Charan*, &c. Id enim de textu eſt *Act.* 7. *n.*2. & probat certò Achior, cùm docet *n.* 9. Hebræum è Chaldæa profugiſſe Charras vſque, Dei iuſſu. *Qui præcepit, vt exirent inde, & habitarent in Charan*, &c. Meſopotamiam Græcus vocat num. 7. καὶ ἔφυγον εἰς μεσοποταμίαν. Quid? ſi euïnco Abramũ à Deo euocatum iterũ, vt Charris adiret Chananæam. Puto ego rem de textu Græco eſſe: cùm enim priorem Tharæ fugam è Chaldæa explicaſſet; alteram Abrami fugam, & poſteriorem è Charris appoſuit: καὶ εἶπεν ὁ θεὸς αὐτῶν ἐξελθεῖν ἐκ τῆς παροικίας, καὶ πορευθῆναι εἰς γῆν χαναάν. *Et dixit eorum Deus, vt exirent de incolatu ſuo, & irent in terram Chanaan*, &c. Abramus igitur quinquennium Charris exegit; quod Salmeron docet *tract. cit. in Acta.* Tirin. *in Chronico ſacro, ad cap.*15. Salian. ex Genebrardo ad annum mundi cit. *num.* 1. Sic explices, quòd Græcè textus habet de priori Tharæ fuga ad Charras vſque: παρῴκησαν ἐκεῖ ἡμέρας πολλάς. *Habitauerunt ibi dies multos*: tropo celebri, *annos plurimos*; quinquennio ſcilicet confecto. quo vſque tandem ſua Thare vita defunctus eſt. Tunc enim Abramus iugo paterno exolutus, & vocatus à Deo iterum, Chananæam petiit, quod Salianus tenet mordicus, *anno mundi* 2114. *n.* 2. Sed quid è textu lucri ad mores eſt? an illud eliciam, homines ægrè è terra patria dolenterque exire? Dico hac de re *ad cap.*2.*n.* 13. *Parænet.* 19. Cùm tamen videam Abramum è Chaldæa euocatum, vt Deum piè coleret, & ſuos caſtè mores excoleret. inde eruo

Duplex Abrami vocatio placet viris aliis.

Act. 7.*n.*2.

PARÆNET. XVI.

Homines procul à patria rectiùs agere.

1. STatuit Hieronymus profugiſſe Abramum è Chaldæa, vt ſuo ſe Deo piè aſſereret. *Non enim arbitratus eſt poſſe ſe & Dominum, & patriam habere*, &c. *Epiſt.* 26. *ad Euſtoch.* Chaldæam igitur Abramus fugit; quaſi præſentiret animo officere terram patriam, ne quis piè ſe habeat. Vrgent parentes, vrgent affines, vrgent homines reliqui, ſiue preci-

A Deo auocat terra patria.

Veloſ. in Iudith.

bus improbis, ſiue curis popularibus, ſiue officiis publicis, animúmque hominis adigunt, vt nemo ſibi conſtet, nemo ſibi conſulat, nemo ſibi viuat. Quare ſi quis patriam fugit, & minus animo periclitatur, & pleniùs Deo vacat, videas Antonium ſuo cogi rectoque tugurio, Macarium ſua condi caſa, Paulum ſuo morari antro, longè ab oppidis, & procul à parentibus agere homines, quos Apoſtolus bene laudat teſtes vitæ ſanctiſſimæ. *In ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis, & cauernis, terra*, &c. *ad Hebr. c.*11. *n.* 38. Eo tamen conſilio boni viri ſeſe vaſtis locis abdiderunt. *Amantes ſolitudinem, non quidem hominum odio, ſed ad cauendos congreſſus cum diſſimilibus: quos norunt bonis moribus officere*, &c. Hæc Philo *de vita contemplatiua.* Sed mentem à Philone hauſit Nilus, vt adderet *Homines vt inſidiatores euitabant, feris, tanquã amicis fidebant; quòd illæ nec vitia docerent, nec à virtutum cultu reuocarent*, &c. *in lib. Aſcet.*

Hebr. 11. n. 38.

Abeunt ab hominibus homines vt ſanctè viuant.

Sanctior inter feras vita, quàm inter homines.

2.

Abeas igitur à terra patria, & conterraneis oportet, ne animo pericliteris. Abiiſſe Henochus olim viſus eſt ab amicis, à domeſticis, à cura denique rerum humanarum, cùm Deum ſequeretur piè motus. *Ambulauit Henoch cum Deo, & non apparuit*, &c. *Geneſ.* 5. *num.* 24. Eſt ne quòd Henochus timeat à communi cœtu hominum? à grege domeſtico? timet, & perſanctè Henochus timet; ne auocetur à pia Dei cura: quod Philo putat, ad lib. de præm. & pœn. *Si ex animo decreuit homo affectibus, & perturbationibus ſuperior euadere, expediat ſe, ac fugiat curſu continuato familiam, patriam, cognatos, & amicos pariter: conſuetudo enim vim attrahendi habet*, &c. Nemo tam bonus eſt, vt malus non fiat, ſi parentes, patriamque non fugiat; ſi cognatos, & amicos non caueat, vtpote inimicos domeſticos pietatis intimæ. Domum paternam Ioannes timet, & quidem Ioannes ille, quo nemo hominum potior eſt. Ab aula igitur paterna Ioannes abit longè & vaſtis ſe locis condit: Sanctus Deo, cautus ſibi. vnde Lucas 2. n. 80. *Erat* (inquit) *in deſertis*, &c. Nihil puero deeſſe poterat, vbi domus ampla, & mater amans. *Nec tamen matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret caſtitas*, &c. Sic Hieronymus Monachum inſtituit *Epiſt.* 4. Timebat ſibi Ioannes à contubernio familiari, à colloquio domeſtico, ne laberetur, ſi non grauiter, certè leuiter: fuga capta ſyluas petiit, vt lateret inibi notus Deo, tutus ſibi.

A domeſticis abit, qui Deo hærere cupit.

Gen. 5.n.14.

Luc.2. n. 80.

Periculum virtutis alit domus patria.

An metus iſte Abramo erat, cũ Iſaacũ mactare ſacra vellet in ara? Pergit ſenex, vt ſacrum faciat, procul à domo. *Super vnum montium*, &c. *Gen.* 22. *num.* 3. & cùm Sara domi eſſet, Abrahamus de re patranda nihil explicat. Ne ſi negotium vxor etſi pia reſciſceret, Abrahamum ab officio deterreret: quod notat Chryſoſtomus Hom. 59. *Ita purum offerre Sacrificium ſtudebat, non lachrymis, non contradictione polluere*, &c. Quid ſi à ſeruulis cauet dominus? ne quid reſciſcant vel ſub nebula. Inde eſt, quod montem ſubire deſtinãs ſeruulos deponit ad montis radices, offuſa rerum vmbra. *Expectate hîc*, &c. *n.* 5. Ludit

3.

Gen. 22.n.3.

A pia cura vxor auocat.

Gen. 22.n.5.

Auertit seruus Herum à Dei obsequio.

Abramus fraude bona. Id verò? Scitè Ambrosius, *Captiosè loquebatur cum seruulis, ne cognito negotio, aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet*, &c. *ad 1. de Abr. cap.* 8. Sed rem integram exscripsere Patres à Iosepho, qui docet Abrahamum nec cum Sara, nec cum seruulis communicasse Dei scitum, *ne fortè Deo parere prohiberetur*, &c. 1. *Antiq. c.* 22. tantum à domesticis periculum est, ne alij auocent alios à Dei obsequio. Præstant id sibi magni homines, vt de patria, & parentibus minus curent, cùm se Deo piè dedunt. Videas Heliam calore subito erupisse, nulla parentum mentione addita. *& dixit Helias Thesbites*, &c. 3. *Reg. cap.* 17. *num.* 1. Videas Melchisedecum motu repentino ad aram euolasse, nec de patria, & parentibus textum esse. *At verò Melchisedech*, &c. *Gen.* 14. *n.* 18. quod obseruat Apostolus ad Hebr. 7. n. 3. *sine patre, sine matre, sine genealogia*, &c. Heliam cum Melchisedecho bene Rupertus componit; ac tandem addit. *Repentè illatus est Helias, vt quemadmodum Apostolus dixit de Melchisedech, ita de Helia posset dicere: sine patre, sine matre, sine genealogia*, &c. Nihil verò textus habet de Heliæ parentibus, nec de Melchisedechi patria simul, & paterna domo; vt probaret viros magnos hac de re minus curasse, quasi parentes, & patriam non haberent. Et hæc viris bonis virtus est, nec de patria, nec de paterna domo cogitare, scilicet, ne labantur in scelera; deinde vt suum liberè Deum colant.

3. Reg. 17. n. 1.

Gen. 14. n. 18. Hebr. 7. n. 3.

Parentes non agnoscunt, vbi Deum agnoscunt viri magni.

4

Vrbes fugit bonus quisque, & montes petit, vt Deum quærat, inuenturus facilè, si vastis se locis condat. Nosti Helisæum Carmelo addictum? 4. *Reg.* 4. *n.* 25. eò se mulier contulisse dicta est. *Et venit ad virum Dei in montem Carmeli*, &c. Nosti Heliam Horebo abditum? 3. Reg. 19. n. 8. & 9. *& mansit in spelunca*, &c. Cur viri magni à cœtu communi hominum in montes abierint, alij alia; quod Ambrosius de Helia docet, illud est, Heliam Horebo delectatum suo se antro piè clausisse, *vt cognosceret plenius Deum*, &c. *ad lib. de fuga c.* 6. satisque insinuat Ambrosius hominem à conterraneis abstractum, altè de summo Deo cogitare, & agere. Hoc affectu *Moyses pascebat oues Iethro*, &c. *Exod.* 3. *n.* 1. Longè à socero, longè à domo, longè à communi grege hominum. Inde Procopius, *Simulato* (inquit) *gregis pascendi studio, insolitudines secessit, in quibus rerum contemplationibus vacaret*, &c. *ad Isaiæ c.* 1. qui sese à grege domestico abduxerat, vt vastis se locis piè exerceret, non potuit non frui Deo liberè, & plenè, quod patet ex *n.* 3. Notat Cyrillus Alex. Iacobum domo paterna extractum impetrasse, vt Angelos in somnis videret, suóque Deo frueretur. Iussus à patre Iacobus abit Gen. 28. num. 7. *Profectus est in Mesopotamiam Syriæ*, &c. cùm procul à patria mõtem subiret, & quam nox cogebat, sedem haberet, solo cubans, cœlo vigilans; *vidit in somnis scalam*, &c. *n.* 12. Non hæc Iacobus viderat, cùm parentes viderer, ac domesticos. *sed, quòd defuerat fide, cùm esset in patria, discessu suo assequitur*, &c. Ita Cyrillus *in Gen.* Laudat Hieronymus Bonosum, qui Monachum in syluis ageret, insulamque incoleret solus ipse: sed quàm proximè cælum videt, ac rerum maximarum spectaculo fruitur? quasi Apostolus in Ithabirio cœlum videt scindi, ac Deum loqui. Pulchrè Hieronymus Epist. 14. ad Ruffinum. *Solus inibi, imò Christo iam comitante non solus videt Dei gloriam, quàm Apostoli, nisi in deserto non viderant*, &c. *Matth. c.* 17. Video, quid officiat terra patria, scilicet, ne quis piè motus Deum videat, & sanctè colat; solent enim parentes, affines, familiares à pia Dei cura, & schola auocare. Quid igitur mirum est, si Abramum Deus è Chaldæa patria euocatum velit?

Dei maiestatem nisi procul ab hominibus Petrus non videt. Matth. 17. n. 1.

4. Reg. 4. n. 25.

3. Reg. 19. n. 8. & 9.

Qui fugit homines pleniores de bono Deo notiones haurit.

Exod. 3. n. 1. & 3.

Multa vastis in locis Dei contemplatio.

Gen. 28. n. 7. & 12.

A Dei aspectu auocat longè consuetudo cum hominibus.

Et præcepit, vt exirent inde, &c.

Commentarius.

42.

LOcum adhuc premo, duce Chrysostomo; Abramum enim è Chaldæa accersitum Deus voluit, vt Chananæam adiret, ac Gentes immanitate barbaras instrueret de fide, ac religione. *Quasi luminare quoddam, virum qui in Chaldæorum terra delituerat, illinc euocauit, vt eos, qui in errorum tenebris sedebant, ad virtutis viam introduceret*, &c. sic Chrysostomus *Hom.* 30. Quare paucis pòst diebus, quàm Abramus Chananæam adierat, Ægyptum fame gliscente adiit Gen. 12. n. 10. *Dispensabat enim Deus, vt non solùm Palæstinam incolentibus esset doctor, sed & iis, qui in Ægypto erant*, &c. Iterum Chrysostomus. Tanta Deo cura est de salute humani generis, vt morum Magistros hominibus prouideat, siue homines, siue Angelos. An semel Angelos ad Moysen Deus mittit? Addit Apostolus 3 ad Galat. n. 19. *Quid igitur lex? Ordinata per Angelos in manu mediatoris*, &c. Addo ego malos homines ab Angelis correptos duriter, Iud. 2. n. 1. *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium*, &c. Non est cur plura congeram, cùm pateat liquidò, *administratorios spiritus esse in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, &c. *ad Hebr. cap.* 2. *n.* 14. Eunt igitur, ac redeunt virtutes Angelicæ, monent, & minantur, ducunt monitis homines, trahunt minis; quod notat Clemens Alex. 1. strom. c. 1. *Prædicandi quidem scientia est quodammodo Angelica, vtrouis modo iuuans*, &c. Quare malus omnino discipulus malè apud Magistrum audit, *Serue nequam*, &c. *Luc. cap.* 19. *n.* 22. vtpote qui numum, docendi scilicet munus à Christo datum premeret sudariolo, nec moueret parando lucro humanæ salutis. *Prædicatorum siquidem munus est verbum fœnerari*, &c. sic Clemens Alex. *loco cit.*

Patriam fugit bonus quisque amore salutis alienæ. Gen. 12. n. 10.

Iudic. 2. n. 1.

Hebr. 1. n. 14

Monere piè, officium Angelicum.

Luc. 19. n. 22.

43.

Opponis. Si tantum Deo studium est de hominibus piè instruendis, cur Abramus non instruit conterraneos? nam si Chananæus malè sanus est, & Chaldæus insanit altè, aris Dæmonum extructis. Occurrit Chrysostomus. *Sed audi Christum dicentem: Nemo est Propheta absque honore, nisi in patria sua*, &c. *Matth.* 18. *c. n.* 57. Inuident, qui versantur in proximo. Nec sineret Chaldæus Abramũ hisce, nedum monere liberè; sed contẽptũ, vtpote conterraneus conterraneũ haberet. Suspicit, ac veneratur gens humana, quos è longinquo homines suscipit. Nescio quid grãde æstimat in viro qui peregrinatur, & lares terit alienos quasi veneratiõe mutuetur ab hospitio. Homo hominũ

Matth. 13. n. 57.

Patet

Pater Saturnus erat, quod probant & profanæ literæ. Deus tamen habitus ab Idolomania est: cur ira, inuenit Tertullianus Apologet. cap. 10. *Ex consuetudine* (inquit) *humana, qua ignoti, & ex inopinato apparentes, de cœlo superuenisse dicuntur; proinde Saturnum repentino aduentu vbique cœlitem contigi dici*, &c. Tantum venerationis sibi parat, qui minus terris notus est. Vnde patet augeri Saturno famam diuinitatis, cùm procul à patria ignotus Iano esset.

Contemptum parit consuetudo assidua.

44. Minuit præsentia famam, tuetur absentia. quod sensit Tiberius, ac proinde Rhodum petiit ex Augusti aula, *vt vitato assiduitatis fastidio auctoritatem absentia tueretur, atque etiam augeret*, &c. apud Suet. *cap.* 10. Sueronio, & Tertulliano adest Clemens Alex. *Orat.* 1. Probat enim Magister homines ab hominibus Deos haberi, quòd maior è longinquo maiestatis sit reuerentia. *Solent, nescio quo modo, quæ sunt præsentia, despici, propter consuetudinem: quæ autem sunt præterita, separata ab ea, quæ nunc est, probatione propter incertitudinem temporis, in honore esse*, &c. Homines igitur præstantes cœlo adscripsere, qui nescirent, vnde genus traherẽt; quasi maiorem ex peregrinatione venerationem parerent. An ab vno Deo disciplina hæc, vt auctoritatem quæras absentia? Scio, quid Deus iacter, apud Ieremiam cap. 23. num. 23. *Putasne, Deus è vicino ego sum, dicit Dominus; & non Deus de longè*, &c. Scio deinde, quid Græcè textus habeat, illud scilicet. *Deus appropinquans ego, dicit Dominus, & non Deus de longè*, &c. Quod Græcus ait, Latinus videtur negare. Non tamen, si loco adest Clemens Alex. 2. *Stromat. cap.* 1. vbi Magister, *Deus appropinquans ego, inquit Dominus, procul essentia*, &c. Longè ab humano sensu Deus abest; neque enim patet liquidò vnde negitat, *Putasne, Deus è vicino ego sum?* Clemens iterum, *Proximus est potestate, qua suo sinu omnia complectitur*, &c. Vnde affirmat Græcè, *Deus appropinquans ego*, &c. Addo ego Deum hominibus proximum virtute esse. *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus*, &c. quod Athenis philosophatur Apostolus *Act. cap.* 17. *num.* 28.

Veneratinem alit absentia.

Ieremi. 23. n. ●.

Qui natura longè abest Deus, adest propè beneficentia.

45. Appono deinde maiestatem Dei sua nebula abditam esse, vt maior ex obscuro diuinitatis esset veneratio. Cur moner Salomon 3. Reg. 8. n. 12. *Dominus dixit, vt habitaret in nebula*, &c. Neque enim hominum oculis ita se ingerit Magnus, vt non lateat maiore sui parte. Quod Dauid canit Ps. 17. n. 13. *Posuit tenebras latibulum suum*, &c. plenè sonat, Deum non è vicino, sed è longinquo esse. Cur verò id, exponit schola Chaldaica ad Ps. cit. *Collocauit maiestatem suam in caligine*, &c. Quasi probet, quæ sunt proxima, vsu vilescere, quæ procul absunt, absentia eminere: proindeque latere Deum cæca sub nebula, vt quo minus patet, considerativs colatur, claritatem Numinis mutans à tenebris, auctoritatem nominis à latebris; *posuit enim tenebras latibulum suum*, &c. *& maiestatem suam collocauit in caligine*, &c. quod habes ex Chaldæa paraphrasi. *Fuge dilecte mi*, &c. Vrget piè Virgo sapiens, *Cant.* 8. *num.* 14. Quid hoc voti est? Sapisne Virgo, an desipis? mones, vt fugiat speciosus forma

3. Reg. 8. num. 12.

Psalm. 17. n. 13.

Augustior è latebris maiestas est.

Cant. 8. n. 14.

Veloc. in Iudith.

sponsus præ filiis hominum? saperes bene, si quem amplexu tenebas, adhuc retineres: Sed *fuge* (inquis) *dilecte mi*, &c. Sciebat fortasse virgo rerum sciens augendam Christo auctoritatem nominis, si abiret à communi hominum conuersatione, rogat, vt fuga sibi consulat. *Fuge dilecte mi*, &c. scilicet bonus mihi Deus, vt bona plura conferas, & cautus tibi Dominus, vt maiorem ex fuga venerationem impetres. Siquidem *Maiestatis maior ex longinquo reuerentia*, &c. docet Tacitus *lib.* 1. Hac mente Deus Abramum è Chaldæa euocat in Chananæam, *& præcepit, vt exirent inde*, &c. Abunde sciens Chaldæum Chananæo gratum morum Magistrum fore qui è longinquo adueniret. Inde tamen habeas

Abeundum ab hominibus vt sua sibi constet auctoritas.

PARÆNET. XVII.

Curam Deo esse de salute hominum.

NOn dormit noctem solidam Princeps Deus, cura suscepta humanæ salutis: somnos quodammodo abrumpit, excussus lectulo, vt Magistros hominum euocet, bonis, malisque hominibus consulat. quod fecisse dictus est 2. Paralip. cap. 36. n. 15. *Mittebat autem Dominus Deus ad illos per manũ nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidiè commonens*, &. Videbat Princeps Deus ruere in peius Hebræũ malè captũ voluptate peccandi; ac ne officio parentis deesset, vrgebat internuntios, qui monerent; *de nocte consurgens*, &c. Luce adhuc dubia ne opportunitatem admonendi corrũperet mora nocturna. *Ad instar soliciti Patris describitur Deus, surgens diluculo, admittendos nuntios, vt respiscant*, &c. Ita Caietanus. Hæc tamen Deo pietas est, homines è luto sceleti eruere, Magistris ad rem gerendam missis. Vnde queritur Deus hosce magistros Hebræo malè acceptos esse, apud Ieremiam cap. 26. n. 5. *Quos* (inquit) *ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens*, &c. Magnũ Deo studiũ erat de salute humani generis, qui pati quietem non poterat, modò Vates, ac magistros submitteret ad amuletũ scelerũ. *Consurgens diluculo, mittẽnsque*, &c. *Ierem.* 25. *n.* 4. *Et quasi in vigiliis, atque excubiis constitutus surrexit diluculo, vt suum populum commoneret*, &c. Hæc Hieronym. Nec sui oblitus queritur iterũ Magnus Deus Ierem. 44. n. 4. *Misi ad vos omnes seruos meos de nocte consurgẽs*, &c. An hæc Deo cura est, vt hominibus curã imperet humanæ salutis? Aio: & pietas boni Dei est suas cum hominibus partiri curas de salute hominum. Licèt enim Hebræum instruxerit schola prophetica, Gentes non deserit. Ionam siquidem in Ninam destinat, cap. 1. n. 2. *Surge, & vade in Niniuem*, &c. Heliam Sarepranis suggerit 3. Reg. 17. n. 9. *Surge, & vade in Sarepta*, &c. Helisæum Damasco sistit 4. Reg. 8. n. 7. *Venit Helisæus Damascum*, &c. Ieremiam Ægypto donat cap. 44. n. 1. Iudæoque neglecto, benè gentes recreat missionibus propheticis, *vt quia Israël audire contempsit, totus Gentium mundus exaudiat*, &c. Hæc à Hieronymo. Ad rem meam Theodoretus; docet enim facere Deum hisce Vatum missionibus, vt nemo non capiat lucem veri-

1.

2. Paralip. 36. num. 15.

Festinat Deus ad salutem hominum.

Ier. 26. n. 5.

Ier. 25. n. 4. cap. 44. n. 4.

Somnos abrumpit Deus amore salutis humanæ.

Ion. 1. n. 2.

3. Reg. 17. n. 9.

4. Reg. 8. n. 7 Ierem. 44. num. 1.

Salutem Deus curat hominum missionibus propheticis.

tatis. *Sed & hæc, vt de omnibus hominibus communiter benè mereretur, faciebat*, &c. *sic in prolog. ad Ionam.* Non vno contentus Iudæo Gentes quærit Deus Opt. amore salutis humanæ, eóque aspectu Magistros parat, vrget, mittit.

Amans hominum Deus.

2.

Semel, & iterum suam Christus Rusticellam euocat è tugurio ad vineam excolendam, Cant. 2. n. 10. *Surge*, (inquit) *propera, & veni*, &c. Multus Christo ardor est gentis instruendæ sub vmbra virginea. Proinde vox iterum n. 13. *Surge amica mea, & veni*, &c. Nihil vox hæc sonat aliud, quàm ardens Christi votum de salute humani generis: sic Bernardus ser. 61. in Cant. *Quòd rursum ad laborem vinearum solicitat dilectam, ostendit, quàm sit de animarum salute solicitus*, &c. Permittit Magister Dominus fugam Apostolis, si carnifex vrget, & præfectus Idolomaniæ, Matth. 10. num. 23. *Si vos persequentur in hac ciuitate, fugite in aliam*, &c. sed quo id consilio? an vt Apostoli fugâ sibi consulant? negat Tertullianus *ad lib. de fuga, cap. 6.* sed vt occasio offeratur scholæ de fide aperiendæ aliis, atque aliis populis. *Ideo illis fugere tunc præcepit, non propter eludendum periculum proprio nomine persecutionis, sed propter profectum annuntiationis*, &c. Laudo mentem hominis; si fugam non improbet, fide salua; scio enim fugam Magistris permissam, vt quò abirent, homines instruerent plurimos fide, ac religione. Hæc fugiendi ratio viris sanctissimis, cùm sæuirent Nerones. Fugit Athanasius, fugit Blasius, fugit Paulus, fugiunt & homines alij: *vt qui inter fugiendum, Euangelium diuulgarent*, &c. sic Athanasius *de fuga.* Hac via abiere auditores scholæ Apostolicæ Iudæo minante, ac sæuiente post necem Stephani, Act. 8. n. 1. *Facta est in illa die persecutio magna*, &c. sic Lucas; & addit quò loci abirent auditores. *Omnes* (inquit) *dispersi sunt per Regiones Iudææ, & Samariæ*, &c. Quod meus docet Cristus *loco Matth. cit.* id alumni exequuntur, cùm fugam capiũt. Auctore Athanasio ad Hom. de semente: *Non quòd imbecillitate dissecti, sed fidei gratia ita diuisi essent*, &c. Qui mittit homines, vt homines instruãt, mittit & Angelos, vt admoneant. *Angelis enim suis mandauit de te*, &. *Ps.* 90. *n.* 11. Videt Iacobus scalam cælo demissam, Gen. 28. n. 12. *Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam*, &c. qui quidem Iacobum humi cubantem mulcent, ac recreant. Tanta Deo pietas est, vt quos amat homines, modò admoneat, modò corripiat. Bernardus iterum ser. 12. in Ps. cit. *Nequid* (inquit) *in cælestibus vacet ab opera nostræ solicitudinis, beatos illos Angelos mittit in ministerium*, &c. sic Deus bonus instruit homines, ministro Angelo; ac ne quid desit bonæ operæ, ducit, trahit homines sua manu.

Cant. n. 10. & 13.

Suam Deus cum hominibus partitur curam de salute humana.

Matth. 10. n. 23.

Prodest fuga viri magni ad fidem propagandam.

Act. 8. n. 1.

Fugiunt auditores scholæ Apostolicæ, vt vrbes de fide moneant.

Ps. 90. n. 11.

Gen. 28. n. 12.

Homines Deus instruit missionibus Angelicis.

3.

Viśus in terris Deus, & cum hominibus conuersatus vrbes circuit, hominibus piè informandis. Modò Nazaretham adit, *Matth. 23. num. 54.* modò Ierosolymam redit, *Marc. 11. num. 1.* Nunc Ierichuntam petit, *Luc. 18. num. 35.* nunc Capharnaum repetit, *Matth. 8. num. 5.* Iam Sichenam visit, *Ioham. 4. num. 5.* iam & Naim intrat, *Luc. c. 7. num. 11.* montes subit, agros terit pede celeri; nec locus est, quò non eat Magister Dominus: & quidem bono id consilio. *Exultauit, vt gigas ad currendam viam*, &c. ex Ps. 18. num. 6. *Non enim tardauit, sed cucurrit clamans dictis, factis*, &c. Hæc Augustinus *lib. 5. Confession. cap. 12.* Video Magistrum humani generis è cælo solem prælucere hominibus; & quo flagrat amore salutis alienæ, agere, & satagere, ne quis à via veritatis abeat; imò video solem volare equo celeri, & salutem hominum sumptis alis afferre; quod Malachias habet cap. 4. num. 2. *& sanitas in pennis eius*, &c. An bonus Deus talaria nectit, tempestiuè vt aduolet in auxilium gentis vniuersæ? Sentit id Clemens Alex. Orat. 1. *Qui enim omnia obequitat sol iustitiæ, æquè obit humanitatem, imitans Patrem; qui æquè super omnes homines facit oriri solem suum, & rorem instillat veritatis*, &c. Volat igitur Magister Deus Solis equis vectus in orbem terrarum vniuersum, vt veri facem præferat mortalibus. Nihil ego miror, si è cælo deuolat, vt auditores in terris cogat, qui tanto flagrat studio salutis alienæ. Videas fumare Sinam, micare fulgura, mugire tonitrua, & quasi auditores euocare ad veri, ac boni cognitionem, *Exod. 19. num. 16. 18.* & quare Dominus montem occupat vocato in auditorium Hebræo? Nam *Moyses loquebatur, & Dominus respondebat*, &c. *num. 19.* Non potuit se Deus continere, quin homines quæreret, vt instrueret. *Addo erudienda gentis officio descendentem ad terras Deum*, &c. Ita Saluian. *lib. 1.* & monet quo Deus affectu curat salutem hominum. *Addo* (inquit) *discentem populum, docentem Deum, mixtis Angelis, & hominibus, vnam cæli, ac terræ scholam esse*, &c. Inibi enim Dominus, vt morum Magister leges dabat, *cap. 20. n. 1.* Ne quis à vero, & bono aberraret. Tantus Deo amor est de salute aliena. quod Hebræus cùm sciret, Diabolo Magistro, Dominum prouocat vt crucc excussa, vitam miris modis tueri velit: sed quid pollicetur? *Descedat nunc de cruce, & credimus*, &c. *Matth. 27. n. 42.* Pollicetur Hebræus, imò Diabolus, quod sciebat Christum velle maximè, fidem scilicet gentis vniuersæ. Et hæc Bernardo mens est. *Nouerat quantum pro salute illius populi zelum videretur gerere; propterea suggerebat, vt dicerent: Descendat, & credimus*, &c. *ad ser. 1. de Pasch.* Puto Bernardum ab Athanasio excepisse, *ad ser. de cruce.* Sed ex loco patet multam Deo curam esse de salute humani generis. Quo aspectu Abramum conuenit, & piè monet: deinde hominem è Chaldæa euocat, vt homines alios religiosè instituant. *Qui & præcepit, vt exirent inde*, &c. Postremò noto Abramum prius Dei iussa fecisse, quàm Deus iussisse dicatur. Premo textum num. 7. *Hic primum habitauit in Mesopotamia*, &c. & sermo de Charris est. Postquam verò Abramus fecit Dei iussa, addit textus num. 9. *Qui & præcepit vt exirent inde, & habitarent in Charan*, &c. Itaque Abramus Dei nutum prius, quàm vocem excepit; vt probaret celeritatem obtemperandi, quod præstant classes Angelicæ. *Facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum*

Matth. 13, n. 54. Mar. 11. n. 1. Luc. 18 n. 35 Marth. 8. n. 5. Iohan. 4. n. 5. Luc. 7. n. 11.

Ps. 18. n. 6.

Stare loco nescit bonus mãrum Magister.

Malach. 4. n. 2.

& currit, & volat Deus ad curandam salutem hominum.

Exod. 19. n. 16. 18. & 19.

E cælo Deus euolat, vt magistrum agat hominum.

Exod. 20. n. 1.

Matth. 27. n. 42.

Nouit Diabolus quo affectu Christus ardet salutis humanæ.

Qui sanctè obedit mandato præit obsequio.

Ps.102.n.20. *monum eius*,&c. *Psalm.*102. *num.* 20. Quandoquidem prius obediunt Angeli, quàm obaudiant; & exequuntur, quidquid innuitur, prædiuinantes, quid Deus velit: seriò vt dixeris

PARÆNET. XVIII.

Moram in obediendo fœdam esse.

1. FEcit Abramus alacritate obtemperandi, quod Hebræus se facturum pollicetur,
Exod.19.n.8. Exod. 19. num. 8. *Verba, quæ locutus est Dominus, faciemus*, &c. Additum Græco textu, καὶ ἀκουσόμεθα, *& audiemus*, &c. Rectiùs dicerent homines, *Audiemus, & faciemus*, &c. Sed modo præpostero suam pollicentur operam, & se priùs facturos dicunt, deinde audituros esse, quidquid Deus iubeat, Philone teste. *Ad facta magis, quàm ad verba properant*, &c. *ad lib. de confus. linguar.* Quid? si quæ priùs fecerint, postmodum audierint; *vt quæ fecerint diiudicent, vtrùm cum sacris præceptis consonent*, &c. Pulchrè id à Philone dictum; laudat enim Philo censores sui homines, cùm Dei iussa patrauerint. Parendum igitur celeritate maxima, docent Magni viri: nec Deo iubente minus præstant. Si quid à Deo iussum est, non languent, non cunctantur. Virtutem obtemperandi laudat Isaias in bono viro. De quo
Isa.53.n.10. textus Græcè cap. 53. num. 10. βούλεται ἐν κειρὶ αὐτοῦ. *Vult Dominus in manu eius*, &c. Acsi nulla intersit mora inter Deiscitum, & boni viri obsequium: quod enim Deus nutu iubet, id statim manu præstat vir obediens. Hac parte laudo Aggæum, de quo textus, *Factum*
Agg.1.n.1. *est verbum Domini in manu Aggai*, &c. *cap.* 1.
Malac.1.n.1. *num.* 1. Laudo Malachiam Aggæo parem c. 1. num. 1. *Onus verbi in manu Malachiæ*, &c. Laudo patrata Dei consilia, *quæ locutus est in*
Ier.37.n.2. *manu Ieremiæ*, &c. *cap.* 37. *num.* 2. Laudo Heliam huiusce scholæ ducem, 4. Reg. cap. 10.
4. Reg. 10. n. 10. num. 10. *& Dominus fecit, quod locutus est in manu serui sui Heliæ*, &c. Illud ego pensito, vocem Dei exceptam manu prophetica: cur non arrecta capitur auricula? sed monemur hac loquendi forma, perinde esse Deum iubere, ac Vatem obtemperare, cùm Deus vrget dicto, Vatem facto dictum explere, quod ego disco à Hieronymo, ad Malachiam citatum. *Manum* (inquit) *pro operibus accipe: vnde in manu Aggæi, & in manu Ieremiæ factus est sermo Domini*, &c. Laudes igitur viros magnos vti præstantes celeritate obtemperandi, qui Dei voces manu, hoc est, facto capiunt: vnde fit, vt currat perniciter, qui promptè velit obedire.

Quæ à Præfecto iussa facto præuenit alumnus obediens.

Quod Deus iubet citò Vates præstant.

2. Cursu ad Helim contendit Samuel à Deo
1.Reg.3.n.5. vocatus; putabat enim se ab Heli accitum esse. *& concurrit ad Heli*, &c. 1. *Reg. cap.* 3. *num.* 5. Ad explendos numeros obediendi, satis, superque erat, ire Samuelem, ac redire, quò vocaretur; sed qui persanctè obtemperat, cursu id celeri ostentat. Imò equos parat, ne moras nectat. Equis pares dicuntur Angeli,
Zach.1.n.8. & 10. apud Zachariam cap. 1. num. 8. *& post eum equi rufi, varij, & albi*, &c. Hosce equos vidit Ioan-
Apoc.6.n.2. nes *Apoc. cap.* 6. *num.* 2. colore scilicet candido, spadiceo, nigro, giluo nobiles. Hisce vectus equis Magnus Deus orbem percurrit vniuersum: quod explicat Angelus ad Zach. cap. cit. num. 10. *Isti sunt, quos misit Dominus, vt perambulent terram*, &c. Equum Ægypto signum esse celeritatis maximæ, docet Pierius *lib.* 4. Quo signo laudantur obedientes Angeli, apud Areopagitam de cælesti Hierarchia cap. 15. *Equorum* (inquit) *figura obedientiam significat in sanctis Angelis, qua diuinis iussis obtemperant*, &c. Cunctari nescit Angelus, & iussus à Deo, vt obediat, asturcones vrget validè, quanuis exhaustos cursu, stimulisque negantes. quod in Abramo videre, ac laudare est; prius enim patriam fugisse, quàm iussus à Deo fuisse dicitur: quasi Deiscitum facto præcurreret. Sed nec de loco rogat, quo agenda signatè fuga est: cæcus in obtemperando Abramus, & minimè curiosus.

Equo vectus obtemperat Angelus.

Quod præstat Seraphinus senis alis adornatus, apud Isaiam 6. num. 2. *Duabus velabant faciem suam, & duabus volabant*, &c. Quòd volant, celeritas est in obediendo; quòd alis oculos obtegunt, cæcitas, quam vocant, est obtemperantium; qui nihil omnino vident, nihil disquirunt, nihil iudicant de re imperata. Deiscitum citò exequuntur, nec curiosè discutiunt, quo id iure mandatum. Curiosè occepit Isaacus inquirere de victima, cùm montem pater subiret, vt puerum mactaret in ara. *Vbi est* (inquit) *victima holocausti?* &c. *Gen.22.num.*8. Sed curiosum puerum refellit pater ea voce, *Deus prouidebit sibi victimam*, &c. quo responso nihil puer vltrà disputat. Ad litem Chrysostomus Homil. 3. in 2. Corinth. cap. 1. *Simul atque audiuit Deum, nihil postea locutus est, nec amplius erat curiosus: adeò sapiens erat puer*, &c. Sapit igitur, qui iussa facit, nec de mandati vi differit, cùm sciat Deum iussisse. Satis ad commendationem præscripti est, quòd Deus iusserit, vt sanctè amplectaris, & citò exequaris. *Audaciam existimo* (docet Tertullianus,) *de bono diuini præcepti disputare; non enim quia bonum est, auscultare debemus, sed quia Deus præcepit, ad exhibitionem obsequij prior est maiestas diuinæ potestatis*, &c. sic Magister *de Pœnitent. cap.* 4. & fortasse digitum intendit *in Leuit. cap.* 19. vbi Moyses tradit quàm multa ab Hebræo Deus repetat, à num. 2. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*, &c. Nam ad Deiscitum quodcumque apponit Legumlator plusquam decies: *Ego Dominus, ego Dominus*, &c. An rationes congerit, cur hæc, & hæc præscribat? nego. Vna tantùm Dei iubentis est commendatio, *vt diuina auctoritas sit illis continua ratio obediendi*, &c. monet Caietanus in loco. Non est cur inquiras curiosè, & minutè, sit ne præceptum facile, vtile, an non. *Prior est auctoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis*, &c. Addit Tertullianus. Quidquid igitur Deus iubet, id credas vtile, facile, nobile. Satis enim Deo est sapientiæ, ac sanctimoniæ, vt non discutias, quid ille iusserit.

Nemo verè obediens curiosè mandatum expendit.

Curiosus in Dei iussis Isaacus non est.

Satis ad obediendum est, iussisse Deum.

3. Isai.6.n.2.

Gen.22.n.8.

Leuit.19.n.2.

4. Ductus hac via Iosephus est, qui in Ægyptum missus dulci cum Iesu, *Fuge in Ægyptum; & esto ibi, vsque dum dicam tibi*, &c. *Matth.* 2. *n.*13. Dei iussa festinatò exequitur, *accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum*, &c. quod eadem nocte dictum

Matth. 2. n.13.

factum, volunt boni homines. Nec tamen Iosephus de præscripto dubitat, nec disputat, vtrùm conueniant cum Dei puero, cum Regum facto, cum matris honore. *Sed horum nihil prorsus opponit*, &c. teste Chrysostomo *ad Matth. cit. Hom.* 9. Deinde iussus ab Angelo Iosephus vt eat, nec quo loci eundum signatè, nec quotannis peregrinandum monitus: sed, *Esto ibi, vsque dum dicam tibi*, &c. *Nec curiosè reuersionis tempus inquirit*, &c. quod habet Chrysostomus. Id verò Iosephus ex pia schola obediendi. Chrysostomus iterum. *Verum ille ne per hæc quidem factus est segnior, sed obediuit libenter*, &c. Abunde Iosepho erat, ne disputaret de præscripto, scire Deiscitum esse. Fit enim Deo iniuria, cùm Dei mandatum curiosè discutitur. *Dixit Deus*, &c. Verbo scilicet Pater, *Fiat lux*, &c. Gen. 1. num. 3. *& facta est lux*, &c. vtique à Verbo; nam, *sine ipso factum est nihil*, &c. *Ioann. cap.* 1. *num.* 3. Cùm Pater iubet, nemo est, qui differat de modo patrandi operis; cur Verbo res fiat, & Verbum taceat, ita placet: *Nec enim sine iniuria Patris esset, si hac necessitate esset opus*, &c. Quod igitur Pater iubet, Filius exequitur, & tacet; ne, si rationes exigat faciendi, iniuriam Deo faciat. Sic Abramus à Deo iussus vt patriam fugiat, nec cunctatur, nec de modo peregrinandi curiosè disputat; id verò, ne Deo ægrè faciat, *qui & præcepit vt exirent inde, & habitarent in Charan*, &c.

De mandati vi non disputat obediens.

Terminum iussio non præscribit qui libenter obtemperat.

Gen. 1. n. 3.

Ioann 1. n. 3.

Iniuriam Deo irrogat, qui de mandatis rogat curiosè.

Num. 9 Cúmque operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum, illícque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari, &c.

Commentarius.

46. VEntum est ad controuersiam nobilem, de annis scilicet, quos Hebræus exegit, vexatus peregrinatione continua, & afflictus seruitute improba. Nodus est Gordianus, in quo soluendo laborarunt vsque adhuc viri magni, & puto, laborabunt. Rem excutiunt Augustin. *in Exod. q.* 47. *lib. de ciuitat.* 16. *c.* 16. *&* 24. Eucher. *lib.* 2 *in Gen. c.* 20. Procop. *in Gen.* 15. Chrysost. *Hom.* 37. *in Gen.* Abulens. *in Exod. q.* 44. Ruper. *lib.* 2. *c.* 2. *in Exod.* Lyra, Hugo, & Caiet. *vtroque loco.* Hieron. *ad Galat. cap.* 3. *inibi.* D. Thom. Interpretes neoterici *in Gen. & Exod.* Ystella, Corn. Marian. Lippoman. Titin. *in Exod. c.* 12. Iustinian. *ad Galat.* 3. Lorin. & Salmeron *in Act. c.* 7. Perer. *in Exod.* 12. *disput.* 19. Serar. *in proleg. Bibliac. cap.* 17. *quæst.* 23. Salian. *anno mundi* 2119. *num.* 19. *& anno* 2451. *num.* 27. Sanctius *in Iudith. m* late, quò te mitto.

47. Difficultas est in componendis locis, quæ dissidium videntur pati. Nam Deus Abramo, *Scito* (inquit) *prænoscens, quòd peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & affligent quadringentis annis*, &c. Suam Stephanus manum cum Deo mouet, *in Act. c.* 7. *n.* 6. *& malè tractabunt eos annis quadringentis*, &c. Nec Achior, nisi de annis quadringentis meminit. Vnde eruunt alij, Hebræum seruitute Ægyptia laborasse per hosce annos. Abiere in hanc mentem Eugubin. *in Exod. c.* 12. Genebrar. *in Chron. lib.* 1. 3. *ætate.* Maluend. *ad* 1. *de Antichr. cap.* 12. Sed communi placito, & censu annorum inito, Hebræus in Ægypto annos egit multo pauciores: quod probant Tirin. *in Chronico ad c.* 15. Sanctius *in Iudith. n.* 18. Salian. *loco cit.* & firmat Iosephus 2. *Antiquit. cap* 6. Sed parte alia occurrit Apostolus *ad Galat. cap.* 3. *num.* 16. qui legem in Sina datam monet, & annis quadringentis tricenos addit. *Quæ post quadringentos, & triginta annos facta est lex*, &c. Videturque rem à Moyse excepisse, quo teste *habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*, &c. Ac proinde notant alij vnguè presso annorum summam variare, & nihil probare. Deus enim, & Stephanus annos quadringentos computant: quibus cum censet Achior, Paulus, & Moyses annos tricenos addunt. Quod attinet ad Achiorem, facile me expedirem ab Ammonita, & rudi sacrarum literarum: sed vrget Deus in Genesi; vrget in Actis Stephanus. Vnde necesse est, ducam annorum summã ab Isaaci ortu, quod viri boni faciunt. Nec officit, demi ab hoc annorum censu tricenos annos, qui excurrunt ab Abrami fuga ad ortum Isaaci vsque. Scio enim, & probat Augustinus *quæst.* 47. *in Exod. & lib* 16. *de ciuit. cap.* 24. data annorum maiori summa, omitti minorem sacro textu. Vide, quibus id locis firmet Sanctius *ad Iudith c.* 5. *num.* 21.

Annis quadringentis clauduut alij seruitutem Ægyptiam.

Ex. 12. n. 40.

48. Quòd verò necessum fuit supputari hosce annos à promissis Abrahæ, docet Apostolus 3. ad Galat. num. 16. *Abrahæ* (inquit) *dictæ sunt promissiones, & semini eius*, &c. Sed quo ex loco bone Paule eruis promissam Abramo felicitatem esse? ex Genes. 12. num. 7. *Semini tuo dabo terram hanc*, &c. Cùm verò id boni Deus promiserit tricenis annis prius quàm Isaacus nasceretur, fit inde, vt qui ab hisce promissis excurrunt anni ad libertatem vsque Hebræi populi triceni fuerint, supra quadringentos: & hic à Paulo annorum census est, *num.* 17. Accedit textus Græcè, *Exod.* 12. *num.* 40. vbi Hebræus laborasse dictus peregrinatione, & seruitute quadringentos, & triginta annos, ἐν γῇ αἰγύπτῳ, ἐν γῇ χαναάν, *in terra Ægypti, & in terra Chanaan*, &c. Addideris bene Dei oraculum de Hebræo malè vexando, ad vtrumque locum pertinere; cùm dicat Abramo Deus Gen. 15. num. 13. *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua*, &c. Nam Chananæa æquè, ac Ægyptus Hebræo aliena est. Deinde Abramus fame grassante Ægyptum petiit paucis pòst diebus, quàm tenuit Chananæam Gen. 12. num. 10 *Facta est fames in terra, descenditque Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi*, &c. Addo, & haberet malè, Sara in aulam rapta, quo recepto, benè constant anni triceni, & quadringeni. Opponis, peregrinationem de Abrami nepotibus explicandam esse; quod textus probat. *Peregrinum erit semen tuum*, &c. ac proinde annos à nato Isaaco supputandos esse. Occurro. Vt Hebræus Charris sedisse traditur *num.* 7. Abramo locum tenente; sic & nepotes Ægypto peregrinatos, & vexatos esse dicas, Abramo peregrinante,

Gen. 12. n. 7.

Ex. 12. n. 40.

Gen. 15. n. 13.

Gen. 12. n. 10.

Torquetur in patre filius.

nante, ac diuexato. Sed quo tractus malo Hebræus Ægyptum adiit?

49. Ostendit textus Hebræum fame sæuiente fractum à Chananæa Ægyptum petiisse. *Cùm operuisset omnem terram fames*, &c. Res de Gen.41.n.54. nesi est, ad cap.41. num. 54. *& fames in vniuerso orbe præualuit*, &c. Vnde factum, vt Iosephus Patrem accerseret, cum domo reliqua. Gen.45.n.9. & 10. *Descende ad me, ne moreris*, &c. cap.45. num.9. *Adhuc enim quinque anni residui sunt famis*, &c. *num.*10. Iacobus igitur fractus malo inopiæ Ægyptum adiit, cap.46. num.6. *Venitque in Ægyptum cum semine suo*, &c. Cum Moyse conuenit Stephanus *in Act. cap.7. num.*11. Petis fortasse, vtrùm fames hæc afflixerit terrarum orbem vniuersum? Aiunt alij, negant alij; qui aiunt, probant ex Genesi, quæ habet c.41. num. 54. *In vniuerso orbe fames præualuit*, &c. Nec Achior aliud insinuat, cùm dicat, *operuit omnem terram fames*, &c. Qui verò negant, Abulens. Caietan. Corn. volunt Moysen, & Achiorem figuratè loqui: neque enim Ægyptus erat sufficiens alendis hominibus terræ vniuersæ. Deinde Stephanus vnam tantùm Ægyptum, & Chananæam fame laborasse docet. *Venit fames in vniuersam Ægyptum, &* Act.7.n.11. *Chanaan*, &c. Pressior textu Græco Achior est. ἐκάλυψε γὰρ τὸ πρόσωπον τῆς γῆς χαναὰν λιμός. *Texit enim faciem terræ Chanaan fames*, &c. Quidquid ergo terrarum erat Ægypto finitimum, id ego fame oppressum esse statuo: scilicet, vt Iosephus emineret inter consultores, fame publicè imperata: credo enim

Extrudit fames à terra patria.

PARÆNET. XIX.

Probandum esse hominem, vt se prodat.

1. PRobatur miles bello graui, nauclerus mari sæuo, Princeps fortuna dubia. Quo grauior difficultas rerum est, eo clariores eminent artes, ac dotes hominum. *Ingeniosus enim, ac solers esse solet, quisquis premitur*, &c. docet Theologus Nazianz. *Orat.* 18. Quæ ad litem non veniunt, malè torpent ingenia: exci tantur difficultate rerum proxima. Vnde hæc Deo cura est, procurare hominibus occasiones artis explicandæ, rebus trepidis. quod putat Seneca de Prouident. cap.4. *Ipsis Deus consulit, quos esse honestissimos cupit, quoties illis materiam præbet aliquid generosè fortitérque agendi*, &c. Sapientiam animo concepit Salo- 3.Reg.3.n. mon cœlo haustam: quod monet Deus 3.Reg. 12.& 16. cap.3.num.12. *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens*, &c. An donata à Deo sapientia, vt iaceret in latebris? *Tunc venerunt duæ mulieres*, &c. *num.*16. & suam de re dubia litem intendunt apud Regem. Nec viam Deus iure dicundo aperit, nisi *vt ostendat Regis sapientiam*, &c. sic Theodoretus *q.*14. Sciebat certò Deus artem hominis probari, & excitari re difficili. An Iosephi dotes nobiles iacerent, ac latere nt in sordibus carceris, nisi Deus occasiones offerret virtutis explicandæ: id ego puto. Quid igitur? ingenium hominis somnio dubio Deus acuit, castitatem probat animi con- Gen.41.n.1. gressu difficili: quod patet ex *Gen.* 41. *n.* 1. ex 25. cap.39.num.10. *& quem in fœmina explorauit,* Gen.39.n.10. *per somnium erudiuit*; *vt in extera Regione fi-*

Probat mala fortuna vires, & artes hominum.

Torpet malè, quæ ad litem non venit sapientia.

dem, & auctoritatem obtineret, &c. sic Nazianz. *Orat.* 18. Iosephum igitur Deus inserit rebus dubiis, vt tentatus ab hera, & consultus de somnio, ostentaret, quid sapientia valeret, quid pudicitia.

Auctoritatem, conciliat viris magnis res difficiles.

2. Nemo, quod patet, nosset benè, quænam Abramo virtus esset, nisi Deus hominem è Chaldæa Charras inuitaret, è Charris in Chananæam duceret, è Chananæa truderet in Ægyptum, ab Ægypto reuocaret in Chananæam. Abramum Deus terris tam multis duxisse visus est; quod Moyses habet Gen.12. Gen.12.n.1.& n.1.& 10. cap.13. num.1. *vt iustum clariorem* 10. & c.13. *faceret*, &c. Addit Chrysostomus *Homil.* 32. n.1. Certè Abramum Ægypto peregrinatũ Deus voluit, Theodoreto Magistro, *vt Ægyptiis patefaceret viri pietatem, ac religionem*, &c. *q.* 76. *in Genes.* Si Abramus suo se tugurio clauderet, nec Charris pateret, quàm deuotus Deo esset; nec Chananæis, quàm cœlo gratus; nec Ægypto, quàm Dei metuens; nec Pentapoli, quàm belli sciens; nec Hethæis, quàm virtutis amans. Multis Abramum terris Deus egit, & explorauit aduersis, *vt iustum clariorem faceret*, &c. ne tanti viri probitas lateret in tenebris. Quis sciret certò virtutem, qua præstabat, & ingenium, quo valebat Chananæa mulier, nisi Christus preces admitteret, auxilium que suspenderet? Precatur mulier precibus infimis, *ad Matth.* 15. Matth.15.n. *num.* 22. Tacet Christus graui silentio. *Qui* 22. & 23. & *non respondit verbum*, &c. Clamat iterum mulier, & suam Apostoli auctoritatem interponunt *num.*24. sed Christus adhuc negat. *Non sum missus nisi ad oues*, &c. Perstat mulier, & petit genu flexo *num.* 25. Abnuit Christus, & Chananæam trudit. *Non est bonum sumere panem filiorum*, &c. *num.* 26. sed repulsam passa mulier, adhuc precatur, & vrget *num.* 27. victus precibus Deus Opt. *O mulier*, (inquit) *magna est fides tua; fiat tibi, sicut vis*, &c. *num.*28. Miraris fortasse, cur Deus non annuit primis precibus, qui suam pollicetur opem. *Clamabis, & dicet: Ecce adsum*, &c. *Isai cap.* 58. *n.* 9. Isa. 58.n.9. Quòd si tandem cedit, cur suspendit auxilium, & precantem cruciat? Placet Theophilo suspensum à Christo mali remedium esse, vt difficultate impetrandi, & assiduitate precandi, pateret liquidò, quid mulier virtutis haberet. Sic Antiochenus Antistes lib. 1. in Matth. *Dissimulabat, vt fides mulieris omnibus nota fieret*, &c. Vide Chrysostom. *in Gen. Hom.* 44. Sic Deus excitat artes hominum; magna enim mentis humanæ vis est, cùm fames angit, dolor pungit, metus vrget. Vnde hæc Nazianzeno vox excidit Orat. 19. *Magnam ad inueniendum vim habet dolor*, &c.

Premitur à Deo bonus quisque nequa virtus latet.

Ingenium acuit calamitas.

3. In angusto erat Sephora, minante Angelo, Moysénque premente. *& volebat occidere* Ex. 4. n. 29. *eum*, &c. *Exod* 4. *num.*29. Vnde tantus Angelo & 25. ardor esset, non videt Moyses; vtpote qui minus timet; videt tamen Sephora, natum scilicet malum esse à neglectu circunci sionis. Ac proinde, *Tulit illico Sephora acutissimam petram*, &c. *num.*25. Filium circuncidit, & Angelum abigit. Cur vxor, quàm Moyses videt acutiùs, quid facto opus est? docet Peluſiotes *lib.*1. *Epist.* 425. Grauior Sephoram, vti mulierem

Metus in fœmina grauior ingeniũ acuit valentius.

rem premebat metus. *Si quidem mulieres, cùm vrget necessitas, diligentioribus, quàm viri, artibus vti consueuerunt*, &c. Scio tamen Iobum aduersis pressum altè philosophari. Priusquam homo à Satana tentaretur, nihil de cælo, terra, mari, vento agit Philosophus. Nihil de fide, Angelo, Deo philosophatur Theologus. *Testa saniem radit, sedens in sterquilinio*, &c. *cap.* 2. *num.* 8. Iam homo de rerum natura Philosophus, de astrorum cursu Astronomus, de summo Deo Theologus, *ad cap.* 9. *n.* 1. Vnde tanta Iobo vis disputandi est? Rectè dicas, fortuna aduersa, & dolore graui aduocari vires animi, & excitari artes hominis: quod aduertit Nazianzenus Epistol. 66. ad Philagrium. *Neque enim quidquam est, quod inueniendi artem magis valeat, quàm dolor*, &c. Iobum fortasse spectabat Theologus, cùm Philagrium laudaret dolentem malè, & philosophantem benè, illud adiiciens, *velut morbo gestiens philosopharis*, &c. verè Theologus. Vt enim miles probatur congressu difficili, sic & Philosophus exploratur morbo graui; vt ostendant, quid manu valeant, quid ingenio. An hac cura Deus famem inducit, vt aduocet artes hominum? Persio quidem est, *Magister artis, ingeniique largitor venter*, &c. fame scilicet rugiens. Labores hominibus Iupiter imperat; quo id consilio, habet Claudianus ad 2. lib. de raptu,

Iob 2. n. 8. & 9. n. 1. 5.

Artes aduocat hominum dolor ingens.

Prouocet vt segnes animos, &c.

Et erit adhuc, qui notet labores Adamo additos esse, vt cibos quærat? *In sudore vultus tui*, &c. *Gen.* 3. *num.* 19. morbos à Deo inferri, vt doleant homines? Deut. 28. num. 22. *Percutiat te Dominus egestate, & febri*, &c. Hostes immitti à Domino exercituum, vt prematur reus scelerum? Isai. cap. 45. num. 7. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*, &c. Multa ab hisce malis Dei elucet prouidentia: quod obseruat Chrysologus serm. 132. *Quid* (inquit) *mirum est, si Deus, vt hominis honoraret industriam in rebus præsentibus, infirmari voluit & naturam*, &c. Humanam igitur gentem Deus tundit morbo, fame, bello; remediúmque suspendit, quasi non videat malè dolentes homines, vt qua manu valeant, quo ingenio, planum fiat. Hasce verò occasiones patrandi aliquid scitè ac generosè, hominibus Deus prouidet. Sic Iosepho viam aperit, fame inducta, vt suam de regno administrando artem Hebræus ostendat: *cùm operuisset omnem terram fames*, &c. Sed fame publicè grassante, fratres, ac nepotes *descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos*, &c. Video, quot annis Hebræus malè habet, & Ægypto seruit miserè, priusquam terram à Deo promissam repetat. Id tamen Iacobus timet Ægypto proximus *Gen. cap.* 46. Neque enim hominem temere solatur Deus, metu lenito. *Noli timere*, &c. *num.* 3. & metus Iacobo erat ingens: *quia difficilem fore reditum non ignorabat*, &c. sic Rupertus habet 9. *in Gen. cap.* 5. Quid Iacobe times? nónne Iosephus Ægypto præfectus spem bonam alit? Formidat tamen Iacobus malè. *Quia magnus, ac tenebrosus horror malitiæ domesticæ iam præcesserat*, &c. Mitto plura. Abundè erratum est, vbi Iosephus *accusauit fratres suos de crimine pessimo*, &c. *Gen.* 37. *n.* 2.

Gen. 3. n. 19. Deut. 28. n. 22.

Isai. 45 n. 7. *Labores, doloresque Deus miscet, vt artes hominum excutiat.*

Gen. 46. n. 3.

Peccato metus alitur.

Gen. 37. n. 2.

Petis fortasse. Hæc ne vna, an alia est peccati fœditas, quæ Hebræum Ægypto collectum egerit in seruitutem vltimam? Aio. Ius enim erat, vt annis plurimis premerentur, qui multa, & fœda admiserant scelera: in quibus princeps est Idolomania. Probant id Abulensis *q.* 7. *in Exod. cap.* 1. Serar. *q.* 2. *in Iosu.* 24. Cyr. Alex. *lib.* 11. *de adorat.* Lyr. Caiet. Hugo, Tirin. *in Iosuę cit.* Hieronym. Laudun. Theodoret. *sect.* 9. *in Ezech. cap.* 23. Salian. *anno mundi* 2438. *num.* 3. Probant ex Iosuæ cap. 24. n. 14. *Auferte Deos quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto*, &c. Quid enim dici clariùs poterat? Nisi malis Idololatriam in Ægypto, quasi prope Ægyptum in Horebo admissam esse. Sed adest Ezechiel *cap.* 23. *n.* 3. qui in Oolla Samariam, in Ooliba Ierosolymam, & vtramque Idololatricem agnoscit; additque Vates num. 2. *Fornicatæ sunt in Ægypto*, &c. Quod Hieronymus exponit de Idolomania admissa, dum Hebræus Ægyptum incoluit: nec Doctor à se alius *Epist.* 9. *ad Sabin.* Hæret Hieronymo Hector *in Ezech.* Scio sensisse aliter Chrysostom. *Psalm.* 9. Nazianzen. *Orat.* 12. Perer. *disput.* 7. *in Exod.* Mendoç. *in lib. Reg. annot.* 3. *proœm. sect.* 9. Corn. *in Ezech.* Sed bona Magistri mei venia, puto ego probabilius Hebræum Ægypto clausum Idolis seruiisse hominum, *quibus hæc nascuntur in hortis*, &c. *Nec* (argumentatur Laudunensis) *accepissent legem in Sina prohibentem Idola, nisi Idola in Ægypto coluissent*, &c. sed argumentũ à Hier. accepit. Addo Hebræũ à contubernio Gentis improbæ hausisse Idolomani animo facili: quod Hebræo Dauid obiicit Psalm. 105. n. 35. *Commixti sunt inter Gentes, & seruierunt sculptilibus eorum*, &c. Cùm igitur tanta fuisset vis scelerum, licentia peccandi continua, ius erat, Hebræum cogi, ac prẽmi seruitute vltima per annos octogenos quinos, à Leui obitu ad egressum vsque Hebræi populi: quod volunt boni homines, & qui pauciores seruitutis annos computant: vt verè moneas

Ios. 24. n. 14.

Ezech. 23. n. 3. & 2.

Vanos in Ægypto Deos Hebræus coluit.

Pf. 105. n. 35.

PARÆNET. XX.

Angeri punitiones licentia peccandi.

ODit bonus Deus malos homines, qui peccare solent continenter: & quidem iure merito contrahunt Dei odium. *Non enim tam malum est peccare, quàm in peccatis permanere*, &c. Docet Chrysostom. *Hom.* 80. *ad pop. de pœnit.* Peccare humani genij est, natura iam vitiata: peccare, & peccato peccatum assuere, permentis quodammodo emotæ est. Grande malum! & quod premi oportet seruitute vltima. Peccauit liberè Hebræus, vtique pater; patrem æmulatus est filius: auo hæsit nepos. Quibus rectè carmen aptaueris, *Ætas parentum peior auis tulit progeniem vitiosiorem*, &c. Ac proinde ius erat, vt, qui peccata peccatis continuauerant parentes, liberi, nepotes affligerentur annis plurimis. Irritatur enim Deus, tumet, indignatur assiduitate humanæ improbitatis, *Deus vltionum Dominus*, &c. Pf. 93. num. 1 *Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios vsque in tertiam, & quartam generationem*, &c. *Deut.* 5. *n.* 9. Id enim Moyses; acsi vellet, ferre Deum

4.

1.

Absurda in peccando perseuerantia.

Pf. 93. n. 1.

Deut. 5. n. 9.

Deum benignè, vt homo peccet; ægrè ferre, si modum peccatis demat: si à parente filius, ab auo nepos discat modos peccandi latè. *Quia patrum fuerunt amulatores, ac Deum oderunt hæreditario malo, & iure impietatis, in ramos, culpis crescentibus, iustè vindicta peruenit,* &c. Hæc Paschasius *lib. 5. in Thren.* Grande malum! peccare ductu peccandi cõtinuo auos, ac nepotes. necesse est, vt à Christi albo eradantur. Quæsitum multis, cur Matthæus è Christi libro genealogico expũxerit Ochosiã, Ioasum, & Amasiã, scripseritque Oziam à Ioramo genitum, *c.1.n.8.* cùm textus ex 4. *Reg.8. num.25.* tradiderit liquidò, *Regnauit Ochosias filius Ioram*, &c. An quòd Reges Idolis studuerint, à Christi prosapia expuguntur? sed Achaso id errati admissum 4. *Reg.16.num.10.* Nec Amon ab Achaso alius *cap. 21. num. 20.* Accipio. Ochosias tamen, filius, ac nepos continenter Idolis seruierunt, ea continuatione peccandi Matthæum, imò Deum Reges irritarunt, vt de Christi albo extraherentur. *Peius enim à perditione generis exemplum est, quando se iugiter fundit malignitas*, &c. sic Augustino placet *q.36. ad 3. p. noui Testam.* Inde soluas dubium, quod alunt boni Interpretes, cur Samaritis minatur Deus pestem vltimam, qua Reges æternùm exturbentur! Iudæus verò non ita? constat communicatio in Samaritam ex Hosea ad 1. cap. num. 9. *Voca nomen eius, absque misericordia*, &c. constat & Dei bonitas aduersùs Iudam, ex num. 7. *& domui Iuda miserebor*, &c. Nec fides oraculo sua defuit; quod habes 4. *Reg. cap. 17. num. 20. & 1. Esdr. 2. n. 1.* Ratio è re nata. Samarites, vitulis susceptis, verum à sè Deum prorsus ablegauit; Iudæus aliquando coluit, sub pia Regum cura, quales Dauid, Ezechias, Iosaphatus. *cùm tanta fuerit illis, atque illis, distantia peccati: rectè sententia in vtroque debuit dispariter dari*, &c. sic Rupertus *lib. 1. in Hoseam.* & satis insinuat irritari Deum grauiter assiduitate humanæ improbitatis.

Odit malè Deus perseuerantiam peccandi.

Matth 1.n.8. 4 Reg.8.n. 25.

4.Reg.16. n 10.& 21. n.20.

Parentes continenter peccantes à suo Deus albo abradit.

Hos 1.n.6. & 7.

Punitur grauius qui peccãdi studium non intermittit.

2. Grande malum! quod censoriam Dei virgam mouet. Vnde nata querimonia Ierosolymis acerbè vexatis. *Peccatum peccauit Ierusalem; propterea instabilis facta est*, &c. *Thren. 1. num.8.* Mala omnino fortuna! Reginam Ierosolymam de regno in seruitutem cadere, nec suo vrbem loco stare. Id cur factum sit, datum proximè. *Peccatum peccauit Ierusalem*, &c. hoc est, peccato peccatum addit, nec à peccando cessauit. sic Drogo Antist. de Passion. *Instabilis* (inquit) *& vilis facta, nimis iterans vias suas*, &c. Est homo labi facilis natura in pessum data. Si quis peccatum admittit, facilè condonat Deus; si quis tamen peccatum peccato alit, ægrè id Deus habet; imò *Dominus Iustus concidit ceruices peccatorum*, &c. *Ps. 128. num.4.* Trahit iudex gula fracta, homines liberè, latéque peccantes; scilicet, qui peccandi studio, *prolongauerunt iniquitatem suam*, &c. *num. 3.* Quanta Deo bonitas! qui suam patientia iustitiam commendat, teste Zenone ad serm. de Ps. cit. *Iustus* (inquit) *Dominus, patiens scilicet in vltionem, dissimulator ad pœnitentiam; tunc ceruices concidit, cùm peccata in longum extenduntur, cùm iam totum patientis misericordia tempus exclusum est*, &c. Quis ferat hominem suis pollutum vitiis, nihil de abluendo animo cogitare; sed agere, vt sordes sordibus addat, illud propheticum vita ebuccinans: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*, &c. *Apoc. c.22.n.11.*

Thren.1.n.8.

Pestem accersit vltimam qui à peccando non cessat.

Ps.128.n.4. & 5.

Gulam Deus frangit hominibus continenter peccantibus.

Ap.22.n.11.

3. Acerba in hosce homines tuba, Isaia tonante, ad c.5. num. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*, &c. Acsi Vates mordere vellet homines, qui peccant ductu continuo. Hieronymum accipe. *Nec plangit eos, qui peccare cœperint, statimque desierint: sed qui longo funiculo peccata protraxerint*, &c. Et verò Christus cùm venditores è templo depulit, de funiculis hominum flagellum construxit, Iohan. 2. num. 15. *& cùm fecisset, quasi flagellum de funiculis*, &c. ostendit se ægrè ferre homines peccantes cura assidua. Hieronymus optimè. *& Dominus arguens populum delinquentem, qui peccata peccatis sociauerat, fecit flagellum de funiculis*, &c. *ad Isaiam cit.* Itaque funiculis ad flagellandum compositis, ostendit iudex, quid peccauerint homines. Addo hosce homines leniter admonitos de columbis tollendis. *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*, &c. *Iohan. loco cit. num.16.* Anno pòst exacto acerbè appellatos esse, *Matth. cap. 21. num. 13.* Apponit enim, & exponit Deiscitum, *Scriptum est*, Isa. c. 56. num. 7. Ierem. c. 7. num. 1. *Domus mea, domus orationis est: vos autem fecistis illam spelunca latronum*, &c. Verbis acerbioribus pungit homines, & latrones esse probat. Nec id Caietano mirum est. *Prima* (enim) *vice reprehendit illos honesto vocabulo; modò acriùs arguit induratos*, &c. satis insinuãs, quæ nam sit impietas, & absurditas ferri hominem de peccato in peccatum, nec manu de peccandi studio tollere. Auget pœnam Deus, si culpam auget homo.

Timent Vates hominibus, qui à peccãdo non temperant.

Ioan.2.n.15. & 16.

Matth. 21. n. 13.

Isa.56.n.7.

Ier.7.n. 1.

Relapsus in peccatum multo grauiùs punitur.

4. Peccat Hebræus latè *Iud. 3. n. 7.* quid pœnarum dederint infames Idolomania homines, de textu est. Nam sub Chusano Syro *seruierunt octo annis*, &c. *num. 9.* Dura sub hoste infesto seruitus; ac proinde Hebræum Deus recreandum curauit, Othoniele duce *num. 11.* Sed bona fortuna Hebræum induxit iterum in Idolomaniam *num. 12.* Quid verò Deus? trahit peccantes homines in seruitutem humilem: sub Æglone Moabita seruierunt *decem & octo annis*, &c. *num. 14.* Magnum vtriusque seruitutis discrimen est, cùm priorem posterior annis vincat. Sed textus est, *addiderunt facere malum in conspectu Domini*, &c. Quasi Hebræus peccata peccatis assuerit, & longo funiculo substrinxerit. quod Origenes aduertit Hom. 11. in Iud. 3. *Certum* (inquit) *est, quòd secundùm peccati modum, & conuersionis nostræ moram, etiam castigationis tempora temperantur*, &c. Effundit sese Dei ira longè, cùm videat homines latè peccare, & nullum peccatis modum figere: quasi voluptas sit peccare sine modo. Vrget Hoseas Hebræum Ægypti amantem, Deo taxante ad cap. 7. n. 11. *Ægyptum inuocabunt*, &c. Vrget Vates iterum cap. 8. num. 13. *Ipsi in Ægyptum conuertentur*, Vrget tertiò Hoseas cap. 9. num. 3. *Reuersus est Ephraim in Ægyptum*, &c. quo loco Rupertus. *Notanda sunt incrementa mali, secundùm modos cuiusque dictionis*, &c. *lib. 4. in Hoseam.* Quid verò Deus in tanta licentia peccandi? minatur grauiter num. 6. *Ægyptus congregabit eos,*

Iud. 3. n. 7. 9. 11. 12. & 14.

Augetur pœna, ipsi culpa augetur.

Hos 7. n. 11. & 8. n. 13. & &c. 9. n. 3. 6. & 16.

Qui peccat libens, peccatis modum non addit.

eos,& sepeliet eos, &c. Multa irarum vis est! acerba Dei virga! dura punitionum additamenta! num. 16. *Percussus est Ephraim; radix eorum exsiccata est*, &c. Extremam Samaritis fortunam minatur iudex; sed quòd Hebræus tertiò Ægyptum coluerit, apertè ostendit, quanti fecerit, & qua fuerit continuatione peccandi: quare Deus, teste Ruperto, *Peccati, vel apostasia delectationem vehementer coarguit*, &c. Caueas igitur, quisquis cælo studes, ne peccato peccatum addas: nemo iustus, qui septies in die non cadat; inde iustus, quòd surgat. *Surge, & illuminabit te Christus*, &c. Peccat enim granditer, qui peccare solet cura sedentaria. Hæc apud Zachariam cap. 5. num. 8. *Hæc est impietas*, &c. Græco textu, ἀνομία, *legum scilicet transgressio*, &c. Sed vide, quibus coloribus Vates impietatem pingit maximam, & legum transgressionem. *Mulier* (inquit) *vna, sedens in medio amphoræ*, &c. *n.* 7. An tota peccati vis est in cura peccandi sedentaria? Credit Ambrosius in Psalm. 1. *Iniquitas* (inquit) *in talento plumbeo sedet, eo quòd fixa in peccato, se ab eo separare non possit*, &c. O si dictis id Patrum discas, non factis hominum! Sed peccant homines latè; *& quod grauius est*, (addit Ambrosius) *luxuriem corporis, nec albenti erubuere canitie*, &c. Ne igitur pecces continenter, virgam time censoriam: qua Hebræus peccati continuus seruitutem pertulit vltimam annis plurimis. Hæc tamen seruitus, à Deo iustitia est, deinde prouidentia; voluit Deus premi Hebræum seruitute Ægyptia, vt aduertas,

Ingrata Deo peccandi continuatio.

Zach. 5. n. 8. & 7.

Absurda in peccato mora.

PARÆNET. XXI.

Malis misceri vitæ bona, vt ne fallant homines.

1. FAllit malè fortuna bona, tenétque homines risu facili, ne meliora cogitent, velint, parent. Vnde boni Dei cura est malis bona miscere, ne bona malè decipiant. Vrgere homines Deus voluit, & ab Ægypto auellere: quo Iosephus patrem, & fratres sic euocauerat, *& comedetis medullam terræ*, &c. *Gen.* 45. *n.* 18. Quid igitur bonus Deus prouidet? seruitutem Ægyptiam, tristes morsus animi, labores improbos luto subigendo; vt euocatus à Deo Hebræus fugeret properè: quod Theodoretus habet q. 13. in Exod. *vt odio persequerentur non tantùm Ægyptios, sed eorum Deos; & vt diligenter parerent his, quæ mandarentur à Deo*, &c. Id tamen Theodoretus didicit à Chrysostomo, qui *Hom. 6. ad pop.* docet procuratum à Deo, vt Hebræus acerba quæque ab Ægypto ferret. *Lateritio* (inquit) *opere, & luto permisit laborare, vt laborum, & ærumnarum magnitudine cruciati ad Deum de reditu clamarent*, &c. Satis admonens Hebræum de repetenda patria segniter cogitaturum, si Ægypto frui liberè contingeret; nec à Regis administris pulsaretur acerbè. Expertus in Iacobo Deus est, quo nexu tenent homines vitæ bona, scilicet, ne meliora velint; qua vi trahunt vitæ mala, vt potiora malint. Patriam Iacobus cogitat, Labanúmque rogat, vt abire impunè liceat Gen. 30. num. 25.

Genes. 45. n. 18.

Tradit ad Deum homines mala fortuna.

Genes. 30. n 25. 28. 31. & 31. n. 7.

Dimitte me, (inquit) *vt reuertar in patriam*, &c. Negat Labanus, etsi Iacobum inuitat mercede pacta n. 28. *Inueniam gratiam in conspectu tuo*, &c. Acquiescit Iacobus, lege addita n. 31. *Si feceris, quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua*, &c. quod & facit Iacobus: donec tandem Labano absente, fugam capit, redeatque in patriam, cap. 31. num. 17. *Surrexit Iacob, & impositis liberis, ac coniugibus suis super camelos abiit*, &c. Quid tamen Iacobum à socero abegit in patriam, nisi Labani triste supercilium vultu contracto? Sic enim Iacobus ad vxores num. 5. *Video* (inquit) *faciem patris vestri, quòd non sit sicut heri, & nudiustertius*, &c. Tanta vitæ bonis vis est, vt Iacobum teneat: tanta vitæ malis vis inest, vt à socero, abducat generum. quod Rupertus inuenit lib. 7. in Gen. cap. 41. *Cùm adhuc molliter exciperetur, tardauit reuerti, & dixit: Si feceris, quod postulo, iterum pascam*, &c. *nunc autem vbi læsus fuit, surrexit Iacob*, &c. Iacobo procurat Deus occasionem dolendi Labano infesto, vt auellat à terra pingui. Rupertus iterum, *Vt quo Deus vocabat, illuc ipsa aduersitate impellente, citiùs sequeretur*, &c. Nónne orta mari tempestas nauiculam in portum reuocat? *Sic & aduersa mundi plerumque dilectam Deo iuuant animam, vt anhelantiùs tendat ad Deum*, &c. Tantum Rupertus. Nec Deo est mens alia, cùm mala bonis miscet, quàm trahendi ad se se homines.

Longè à patria tenens homines vitæ bona.

Gen. 31. n 5.

Quærit Deum citiùs, qui malis premitur.

2. Nónne abeuntem peregrè adolescentulum traxit ad patrem inopia, & calamitas vitæ abiectissimæ? *Surgam* (inquit) *& ibo ad Patrem meum*, &c. *Luc. 15. num.* 18. Abduxerant longè à sacris paternis filium ingentes opes, quibus profusè dissipatis, qui bene erat numatus victu porcino famem sedare volebat; *& nemo illi dabat*, &c. *num.* 16. qui domo erat nobili Patritius, seruire cogitur eiectus in villam, *vt pasceret porcos*, &c. *num.* 15. Non tamen concinnaret Deus fortunam infimam adolescentulo nobilissimo, *Nisi pater vellet flagellare longinquum, vt reciperet propinquum*, &c. Augustino Auctore *ad Psalm.* 38. Sic vitæ bonis vitæ mala Deus miscet, ne hisce bonis hærere velint homines, & meliora negligant. Hoc iure Deus arborem pangit, quam denominat à boni, malíque notitia, *Lignumque scientiæ boni, & mali*, &c. *Gen. 2. num.* 9. Illud facto dictitans, nec malum sine boni fuco esse; quod Nyssenus docet ad lib. de opif. cap. 20. *Nec contrà, bonum purè bonum, cùm malum sub eo lateat*, &c. Vnde sanitatem morbus, voluptatem dolor, honorem seruitus comes sequitur; & inde homo sciens boni, ac mali est, ne dum vitæ bonis fruitur, potiora malus abnuat, & quæ æternùm durant. Quis terram fugeret, si labore victum non pararet? Scitè Iudex vrget, *In sudore vultus tui vescéris pane tuo*, &c. *Gen. 3. num. 9.* Quis vitam odisset, si tristes morsus animi non sentiret? prouidenter addit Iudex, num. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas*, &c. Adest mihi Chrysostomus *Hom. 6. ad pop.* Vt igitur Deus homines ab huius vitæ bonis auellat, malis vrget; *vt præsenti tribulatione compulsi futurorum desiderium capiamus*, &c.

Filium malè distractum fames trahit ad patrem.

Luc. 15. n. 18. & 15.

Gen. 2. n. 9.

Latet malum sub boni fuco.

Gen. 3. n. 9. & 16.

Vrgent vitæ mala, vt de rebus superioribus agas.

Hac manu Augustinum ducit bonus Deus. 3. Magistrum

Magiſtrum Auguſtinus agit egregiè; ſed minus curatur à diſcipulis. Curam addit honoris appetens; ſed morbo tentatur. Venerem colit malè ſanus; ſed curis mordetur, & torquetur amaris. Gratulatur Deo Auguſtinus haſce rerum vices, quibus putat egregiè ſibi conſultum eſſe lib. 2. Confeſſion. c. 2. *Mixta bonis mala homines à terris auocant.* *Nam tu* (inquit) *ſemper aderas miſericorditer ſæuiens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas iucunditates meas*, &c. eſt enim boni Dei cura hominem voluptatis amantem premere, vt malo preſſus, bonum verè bonum quærat. Quid Moyſen ab aula egit in Abraham? *Fugiens moratus eſt in terra Madian*, &c. *Exod. cap. 2. n. 15.* vt inibi Deũ Exod. 2. num. 15. inſpiceret, & alloqueretur? cap. 3. n. 2. *Apparuitque illi Dominus*, &c. Senſit Moyſes, qua Exod. 3. n. 2. apud Regem laboraret inuidia, cùm ſciret *Domini metus verè Moyſen Deo iungit.* Pharao Ægyptium ab Hebræo interfectum eſſe. *& quærebat occidere Moyſen*, &c. *cap. 2. n. 14.* Metu igitur acerbitatis Regiæ dulces Exod. 2. n. 14 aulæ fauos infecit Deus, vt Moyſes aula abiret facilè, Horebúmque adiret, montem Deo ſacrum, vnde, & quò abire ſit difficile.

4. Non ſemel accidit, vt calamitas domeſtica trudat hominem in Dei obſequium. Filiam mater ſeuerè habet, honeſti cuſtos rigida: inde virgo ad ſacrum fugit velum, vt æternùm Deo ſeſe deuoueat, quod graphicè Cant. 4. n. 8. pingit Salomon *Cant. 4. n. 8.* Audit Virgo Chriſti vocem euocata blandimento nobili. *Veni de Libano, veni de Libano, veni: coronaberis*, &c. Sed cunctatur adhuc; ſi enim venire citò deſtinaſſet, & Libanum, & Matrem fugere, ſemel vocata, euolaret. Quid igitur bonus Deus? Leones, pardóſque immittit in montem, qui metum incutiant, rictu latè *Adigunt Neronem vt Deũ adeas ardeatiùs.* diducto: deinde vocat ad honoris apices. *Coronaberis de cubilibus Leonem, de montibus pardorum*, &c. Nec Leones agnoſcas alios, quàm Nerones, Maximinos, Diocletianos, infames ſæuitia homines. *Videlicet Reges Regnorum, quid niſi Leones, & pardi ſunt; qui tot bellis, tot cædibus orbem terrarum lacerarunt?* &c. ſic Rupertus *lib. 3. in Cant.* Ea tamen rerum fortuna vrgere potuit virginem, vt Deum citiùs quæreret: quæ toties vocata, adhuc cunctabatur. Virum, & filios ſimul amittit Melania. An mulier damno fracta? *Spoliatur mulier domeſticis vt Deo ſtudiat feliciùs.* Negat Paulinus egregiè *Epiſtol. 10. ad Seuer.* neque enim malo victa Melania; *ſed pietatem diuinam per humanæ pietatis damna concepit*, &c. Dei ſcilicet amorem inde traxit mulier nobiliſſima, vnde grauem animi dolorem contraxerat. Hæc enim ad Chriſti pedes aduoluta, *Expeditiùs* (inquit) *tibi ſeruitura ſum Domine, qui tanto me onere liberaſti*, &c. Sic Hieronymus *Epiſt. 25. ad Paulam.* ſatis inſinuans venire à Deo calamitates, vt ad Deum piè adeamus. Inde morbus, fames, & vis calamitatum reliqua: ſi quid Iuſtinianus benè ſentit. *Morbo agitatus Deum adit Hippocratem.* *Quatenus apertis interioribus oculis intelligentes infirmitatem propriam, & præſentis exilij ærumnas, vertamur ad Patrem*, &c. ſic Iuſtinianus *de grad. perfect. cap. 9.* Quis amet etiam domeſtica, vnde triſtes ſentit morſus? Ad Chriſti aram fugiat, ac Dei opem expoſcat, neceſſe eſt. Quæ Deo cura erat, cùm *Voluſ. in Iudith.* Hebræum malè premi ſineret. *Per quadringentos annos*, &c.

Id verò, non quòd Hebræus tot annis 5. ſeruitutem ſeruierit; conſtat enim commoratum Ægypto Hebræum fuiſſe annis quindenis ſupra ducenos; è quibus plures ſub Ioſepho Prorege felices exegit, pauciores à Leui defuncto infelices. Cùm tamen ſer- *Quod quiſque timet, iam patitur.* uitutem ab annis anteactis Hebræus pertimeſceret, ſeruitutem dicitur ſubiiſſe, ac toleraſſe, *annis quadringentis.* Sic Ioſias Iechoniam progenuiſſe dictus, *In tranſmigratione Babylonis*, &c. *apud Matth. cap. 1. n. 11.* Qui Matth. 1. n. 11. ſua defunctis vita eſt annis vndecim, priuſquam nepos Iechonias tranſmigraret ab Ieroſolymis. quod patet ex *4. Reg. 24. n. 12.* ex *2. Paralip. cap. 36. n. 10.* Sed cùm Ioſias tranſmigrationem populi viuens, vidénſque timuiſſet, ſortem acerbam tranſmigrationis pertuliſſe viſus, ac dictus eſt. quod Maldonato debes. *Totum* (inquit) *hoc ſpatium vocatur tempus tranſmigrationis; quia Regnum Iuda non ciderat, nutabat tamen*, &c. ſcilicet ad tranſmigrationem properabat. Tanta in metu damni vis eſt, vt damnum propè dicatur, imò damnum grauius. Fingit metus grauiora, Augur in dubiis peſſimus. *Semper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia*, &c. quòd habet Sapiens *cap. 17.* Sapient. 17. *num. 10.* Laudo, quæ addit Seneca de metu num. 10. grauiora augente; & in locum veniunt genuinè. Sic ille Epiſt. 13. *Nonnunquam nullis* *Grauior damno timor damni eſt.* *apparentibus ſignis, quæ mali aliquid pronuntient, animus ſibi falſas imagines fingit, aut verbum aliquod dubiæ ſignificationis detorquet in peius. Nulla vitæ cauſa eſt, nullus miſeriarum modus, ſi timetur, quantum poteſt*, &c. Hæc Hebræo occaſio vitæ dubiæ, *per quadringentos annos*, &c. metu ſeruitutis Ægyptiacæ. Nequis neget

PARÆNET. XXII.

Mali metum grande malum eſſe.

QVi malum timet, ſi non cauet, multò 1. dolet grauiùs. Nã metu contracto, *aut* *Metu augentur vitæ mala.* *dolorem augemus, aut fingimus, aut præcipimus*, &c. Aduertit Seneca *Epiſt. 13.* Quis negabit metu augeri mala, vbi malum eſt dubium? Nihil non ſæuum exponit Hebræus explorator quod apud Moyſen *Num. cap. 13. num. 33.* illud in primis, *Terra, quam luſtrauimus deuorat habitatores ſuos*, &c. Quis id credat, niſi metus fingat? Deinde apponit Hebræus num. 34. *Vidimus ibi monſtra quædam de ge-* Num. 13. *nere Gigantæo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur*, &c. Quis id putet, niſi metus auctet? & quidem Abulenſis ita cenſet q. 53. n. 33. & 34. *Timentibus enim omnia videntur eſſe maiora, & peiora, quàm ſunt*, &c. Inde metus calamitatis, acerbior multo calamitas eſt. *Plerumque* *Suſpicionibus peius, quàm rebus atteritur.* *enim ſuſpicionibus laboramus*, &c. Senecam audis *Epiſtol. cit.* Quid ſi metus fingit, quod reapſe malũ non eſt? Timet Pater, ne Benjaminus domo extractus in Ægyptum malè pereat: ex mali metu, dolorem præſentit animo. Sed quis nam dolor? qui vitam auferat. Id Geneſ. 44. n. 29. enim mali Iacobus ominabatur. *Deduce-*

tis canos meos cũ dolore ad inferos, &c. *Gen.* 44. n. 29. id verò est: moriar illico, & tumulo condar. Video, quid mali fingat mali metus; putat enim Iacobus se è viuis excessurum, si quid mali Benjamino acciderit. *Perturbati, ac dolentis animi verba sunt, mala sua hinc etiam exaggerantis*, &c. Sic Albinus *q.* 254. Turbatus metu senex id sibi malum putat imminere, quo pereat. *Sapius enim opinione, quàm re laboramus*, &c. quod monet Seneca *Epist.* 13.

Tumulum metus aperit.

2. Addo hominem, metu mali contracto, miserum fieri antequam ruat miserè; grauiusque dolere, vti sui carnificem, cùm timet, ictu mali anticipato. Probatum Nazianzeno id est, Orat. 4. *Nam qua quisque, vt iam, iam perpessurus timet, hæc passus est, etsi non patiatur; grauiusque à seipso fortasse, quàm ab aliis, qui supplicium illaturi sunt, torquetur*, &c. quod si probas, mori præstat, quàm timere; metu grauiora ominante, & comminante. *Nemo enim tam timidus est, vt malit semper pendere, quàm semel cadere*, &c. scitè, ac strenuè Seneca *Epist.* 22. An hæc Caino mens? Cùm reus sceleris Deo opponeret, *Omnis, qui inuenerit me, occidet me*, &c. *Genes.* 4. *n.* 14. Hæc ne ille, quasi optatis potiretur, si mortem breui obiret? Putant id viri magni. Hieronym. *Epist.* 125. *ad Damas.* Ambros. *lib.* 2. *de Caino cap.* 10. Chrysolog. *Serm.* 147. qui docet. *Vbi parricidali cœpit terrore vexari, mortem petit: requiem credit, si pereat*, &c. Erant in oculis dira fugæ mala, dira vitæ, Deo minante. *Nunc igitur maledictus eris*, &c. *n.* 11. graue ex mali metu erat tormentum, n. 12. *Vagus, & profugus eris super terram*, &c. Græco textu στένων, καὶ τρέμων, *gemens, & tremens*, &c. Malebat Cainus mori semel, quàm toties mortem subire, quoties metu premeretur. Non tamen Deo placitum; sed vitam Caino cauet, signo impresso, *vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum*, &c. *n.* 15. Cainum igitur premit Iudex. *non præsenti quidem supplicio, quod illi confestim calamitatis sensum adimeret; verùm mille mortes intentando, vt sentiret alios super alios pauores, acerbitatesque molestias*, &c. Sic Philo *ad lib. de Nobilit.* Vterque de mali metu rectè disputat, reus scilicet mortem precatus, ne timens viuat, & grauiùs doleat. Deinde iudex, cùm vitam reo protrahit, vt viuens timeat, & acerbiùs prematur. Hæc quidem sub Tiberio: *mori volentibus vis adhibita viuendi*, &c. apud Suetonium cap. 61. Sciebat Tiberius puniri grauiùs hominem mali metu. Inde reo mortis maturitatem precanti respondet, *Nondum tecum in gratiam redij*, &c. Quare, si quid Seneca rectè sentit, *Misericordiæ genus est citò occidere; quia tormentum vltimum, finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maximæ venturi supplicij pars est*, &c. *de Benefic. cap.* 5. Dicas, & verè, mortis metum morte grauiorem esse. Heliam Iesabella ad necem exposuit, post cædem hominum ab Helia editam: missóque ad Vatem internuntio. *Hæc* (inquit) *mihi faciant Dij, nisi hac hora posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis*, &c. 3. *Reg. cap.* 19. *num.* 2. Non cunctatur Helias; fuga salutem quærit n. 3. *Timuit Helias, & surgens abijt*, &c. Nec gradum sistit, donec vastis se locis condat, & sub iunipero sedeat. Inibi mortem orat num. 4. *Petiuit anima suæ, vt moreretur*, &c. Mirum id in loco est, vt qui fugitat, mortis metuens; modò subsistat mortis amans? An in mortis metu mors est grauior? Putat id Chrysologus Serm. 147. *Melius existimauit morti succumbere, quàm timori*, &c. Nullum est tormenti genus, quod non accersat metus ingens: quod à se tormentum Helias vt pelleret, mori maluit, quàm timere.

Vita metu acta verè mors est.

Misereturque Iudex qui viam metu grauem adimit.

3.Reg. 19. n. 2. 3. & 4.

Satius mori, quàm timere est.

3. Hoc metu Iosephum Deus absoluit, vt malo grauissimo absolueret. Nosti, quid in somnis puer viderit, solem scilicet, ac stellas adorare sese reuerentissimè. quæ quidem rerum species germanè ostentabat puero Ægypti principatum, & submissionem gentis domesticæ, *Gen.* 37. *n.* 9. Nihil tamen insinuat de fraterna acerbitate, nec de seruitute Ægyptia, nec de neruo carceris: scilicet, ne priùs mali metu, quàm malo Iosephus angeretur; & tormentum foret grauius, quo prius malum timeret. Hanc & in pœna sumenda moderationem Deus adhibet, vt ferrum non suspendat. quod notat Ambrosius. Ierosolymam Deus ferro, & flamma premi voluit; emissis in opus administris iubet, *A Sanctuario meo incipite*, Ezech. cap. 9. n. 6. Quidquid Hebræi generis vbique est, premendum curat: *Senem, adolescentulum, virginem*, &c. Dolor esset ingens reo scelerum, & metus grauior, si quod ferrent alij, ipse non ferret, punitione suspensa. Hoc mali metu absoluit Deus Sacerdores, cùm iubet, vt citò pereant. *Quos enim miseratur, citò castigat; vt non diutius afficiantur futuri expectatione iudicij, nec prolixius misera reatus sorte macerentur*, &c. Sic Ambros. *Serm.* 20 *in Psal.* 118. Tanta in metu vis est ad dolorem augendum, vt malo sit grauior mali metus. Et hæc à Deo pœna Hebræo irrogata, cùm metum incutit seruitute in posterum denuntiata: ac proinde visus est Hebræus seruire *per quadringentos annos.*

Tormenti genus est metus ingens.

Gen. 37. n. 9.

Ezech. n. 6.

Dei misericordia est, citò punire.

Num. 10. Cúmque grauaret eos Rex Ægypti, atque in ædificationibus vrbium suarum, & in luto, & latere subiugasset eos, &c.

Commentarius.

50. ADdit Achior Ægyptum Hebræo infensam esse, cùm Pharao labore imperato aggrauaret seruitutem populi, qui nec luto subigendo sufficeret, nec muris exædificandi. Notum Ammonitis, quid Moyses tradiderit hac de re, *ad Exod. cap.* 1. *num.* 11. inibi Pharo. *Præposuit illis Magistros operum, vt affligerent eos oneribus*, &c. hoc aspectu Achior aggerit vim calamitatis grauissimam fuisse, cùm grauaret eos Rex Ægypti, &c. Græco textu; καὶ ἐπανέστησεν αὐτοῖς ὁ βασιλεὺς, *& insurrexit illis Rex*, &c. quæ vox impressionem militarem sonat. Addit, quò miseriarum deuenissent homines seruitute aggrauata. ἐν πόνῳ ἐταπείνωσαν αὐτὸς, *in*

Exod. 1. n. 11.

Sæuit Princeps cùm labores auget.

in labore, dolore, & morbo humiliauerunt eos, &c. Multa igitur est Hebræo calamitas. Nam Rex verè hostis sæuit: labor figlinæ vrget ad dolorem; ad morbum trahit dolor, cùm vires laboribus tolerandis non sint pares, subeátque seruitutem infimam gens vniuersa. Et quod grauius multo malum est, dolet acerbè, erepta lugendi, querendíque libertate. Notat id Moyses *cap. 2. num. 23.* ingemuisse Hebræum, & clamitasse publicè, postquam Pharao sua defunctus vita est. *Mortuus est Rex Ægypti, & ingemiscentes filij Israël*, &c. Quasi flere Hebræo non liceret, nec queri, dum Rex sceptro, ac vita potiretur. *Videlicet, quia nimietas oppressionis ingemiscere non sinebat, vociferari prohibebat*, &c. sic Rupertus *lib. 1. in Exod. c. 11.* Premit barbarus homines, quibus libertatem adimit texendæ querimoniæ; vnde suam animo deuorant ægritudinem. An ab aula Ægyptia Ariouistus hanc, & sæuam mentem hausit, vt Gallum suo pressum malo non sineret flere, nec queri publicè? Docet id Heduus apud Cæsarem *lib. 1.* hanc scilicet esse miseriorem, & grauiorem fortunam hominum, *quòd soli ne in occulto quidem queri, nec auxilium implorare auderent*, &c. Mitior Hebræo fortuna sub Rege barbaro; sed adhuc misera, quòd lugere, & queri publicè non liceret homines malè tritos, fractósque dolore. Liceat in hanc partem aptare carmen,

O miseri! quorum gemitus edére dolorem!

Quæ enim grauior fortuna esse potest, quàm dolere, sed presso gemitu? Hac etiam via Hebræum Chaldæus malè trahit: quippe qui flere non sinat hominem, quidquid seruitute contracta patitur. Proindéque, si quid luget, noctu luget. *Plorans plorauit in nocte*, &c. Thren. c. 1. n. 2. *Quia in die nulla dabatur illis requies, saltem vt suis consolarentur lachrymis*, &c. sic Paschas. *lib. 1.* Metus Hebræo fuisse videtur ne malè periret, si ex fletu voluptatem publicè captaret.

Exod. 2. n. 23. *Sæuitia est adimere potestatem lugendi.*

Noctem lachrymis desinant, quibus dies ad fletum negatur. Thren. 1. n. 2.

§ I. Cur Pharao oppresserit, quidquid vbique esset Hebræi generis, duplex è sacro textu ratio est, nata ex metu, & odio. Timet Pharao, & consultat aduersùs Hebræum, Exod. 1. num. 10. *Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur; & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris*, &c. De odio in Hebræum concepto agit Moyses liquidò. *Oderúntque filios Israël Ægyptij*, &c. *num. 13.* Sed odium ex metu, & inuidia gentis fortunatæ gliscebat latè. quod Dauid canit Psal. 104. num. 24. *Auxit populum suum vehementer*, &c. ne Deus suis deesse promissis videretur; qui Abrahamo dixit Genes. cap. 22. num. 17. *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli*, &c. Quibus Dauid addit numer. 25. *& conuertit cor eorum, vt odirent populum eius*, &c. Ita ne Deus peruertit homines, vt inducat in odium Hebræi generis? Quis malè sanus id asserat? Augustinus optime *in Psal. citat.* conuertit quidem, vt odissent cane peius, & angue. *Non illos malos faciendo, sed istis bona largiendo, quibus mali facilè possint inuidere*, &c. Ab Augustino stat Rupert. *lib. 1. in Exod. c. 5.* sic & Princeps Hebræum insectatur, cùm videat populum bonis auctum plurimis. Scitum enim illud est:

Exod. 1. n. 10. & 13.

Psal. 104. n. 24. & 25.

Genes. 22. n. 17.

Nata ex metu inuidia.

Inuidus alterius rebus macrescit opimis, &c.

Ardet inuidia, nec extinguitur, nisi felix Sylla altè ruat, & fortunam subeat vltimam: quare docet benè Apostolus dissensiones, ac cædes hominum ab inuidia prouenire. Neque enim addit temerè, *Inuicem prouocantes, inuicem inuidentes*, &c. *ad Galat. cap. 5. num. 25.* Inuidiam (inquit) matrem diuitiæ ineptè alitis. Puto feram induit, qui malè inuidet; nec falsus animi Iacobus est, cùm dolet Iosephum à fera deuoratum esse, Genes. 37. num. 33. *Fera pessima comedit eum*, &c. hæc scilicet fera, inuidia est, qua fratres fratrem videre felicem non poterant. Vide, quid Rupertus docuerit *lib. 8. cap. 25. in Gen.* Feram Iacobus inuidiam non appellat, sed insinuat. *Ne si notam sibi feram, id est, filiorum inuidiam audacem querelis manifestis exagitaret, maiorem in rabiem dentes eius acueret*, &c. Eò tendit inuidia, vt perdat omnino fortunatum hominem; id verò, ne cogatur videre, quod malè cruciat. *Quid istis infelicius? quos dum conspecta felicitas afficit, nequiores pœna reddit*, &c. sic Magnus Gregor. *ad 3. p. de cura pastor. admonit. 11.* Dolent oculi inuidentibus, & pruriunt quodammodo. Nec Ægyptius alio, quàm inuidiæ pruritu Hebræum tundit, ac premit ad necem vsque.

Gal. 5. n. 25.

Inuidia germanè fera est.

Genes. 37. n. 33.

Peccat licentius qui publicè arguitur.

Infelicitas inuidentium felicitas aliena.

52. Egit Pharao suo furore, vt Hebræus Deum pulsaret precibus importunis, auxiliúmque impetraret præsentissimum, ac Ægyptum premeret vniuersam fortuna varia rerum acerbissimarum. quod Achior explicat, *& clamauerunt ad Dominum suum, & percussit totam terram Ægypti plagis variis*, &c. Non expendit Ammonites, quod modò expeditum est, Hebræum scilicet clamasse, ac gemuisse, Rege sublato; expendit tamen clamorem à figlinis tabernis excitatum ad Deum vsque penetrasse. Id in Exodo videre est cap. 2. numer. 23. *Ascendit* (enim) *clamor eorum ad Deum ab operibus*, &c. Constans, ac stitenua apud Deum vox est, quæ à populo iniustè presso missa Deum excitat, vt iras proflet ingentes. Et doctrina est Apostolica, *Iacob. 5. num. 4.* vbi sermo de messoribus malè fraudatis est. *Clamor* (inquit) *eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit*, &c. Altè clamat apud Deum, qui iustè queritur de mercede fraudata, Angelos vti milites, Deo duce, vrget in sui auxilium, quippe quòd preces, adiutrice patientia, apud Deum valent plurimum. Sciebat Dauid, quid hæc apud Deum valeret obsecratio; carmen edit, & titulum præscribit Psal. 101. *Oratio pauperis, cùm anxiatus fuerit*, &c. Bonus precandi Magister, qui suam precibus vim inesse docet, cùm orator in angustiis est: ac proinde orationem verè clamorem vocat n. 2. *& clamor* (inquit) *meus ad te veniat*, &c. sic orans clamat, qui dolens orat, vt clamoribus excitatus aduolet Dominus in auxilium. Nam, si Dauid benè canit: *Dominus de cœlo in terram aspexit*, &c. *n. 20. vt audiret gemitus compeditorum*, &c. *n. 21.*

Exod. 2. n. 23.

Iacob 5. n. 4.

Preces à patientia valentiores.

Psal. 101. n. 1. & 2.

Psal. 101. n. 20. & 21.

53. Sensit Hebræus, quid precatus valeret apud Deũ Ægypto malè mulctata, quã Deus Iudex affecit acerbè: *plagis variis*, &c. Hasce plagas videas,

videas, *ad Exod. cap.7.n.10. Pſal.77. num.43.* Noto morbos, & fortunæ offenſiones reliquas ſacro textu plagas vocari: flagellationes ſcilicet hominum. quippe quòd Deus hiſce rebus, quaſi ſcuticis acerbis ſæuit in homines. Hoc aſpectu Salomon plagam appellat acerbitatem vitæ qualemcumque, 3. Reg. c. 9. n. 37. *Omnis* (inquit) *plaga vniuerſa infirmitas*, &c. Non eſt cur loca locis aggeram. Vnus mihi abundè Marcus eſt, *cap. 3. n. 10.* vbi turba multa ſanitatem à Chriſto impetrat. *Quotquot habebant plagas*, &c. facilè, vt credas, aut morbi vim, aut fortunæ acerbitatem Chriſti ſcuticam eſſe; inde Caietanus *ægritudines appellauit flagella; quia ſunt Dei flagella*, &c. Quibus vtique flagris pulſare ſolet homines bonus Pater, ne à vero, & bono abeant miſerè. Huc vſque dictum, cur Hebræum Deus premi voluerit. vide *Parænet. 20.* Dicendum modò eſt, cur Pharao Hebræum malè oppreſſerit, ſeruitute aggrauata? ſed inuidiam concepit de fortuna gentis induſtriæ. Vt ſcias, ac moneas,

3. Reg. 9. n. 37.

Marc.3.n.10.

Morbo, quaſi toro Deus punit.

PARÆNET. XXIII.

Inuidiam ad necem vſque nocere.

1. INgens oculis pruritus eſt inuidia, Bernardo Magiſtro *ad Pſalm.90. Serm. 13.* Quidquid boni alieni videt inuidens, videre nollet, ne torqueretur acerbè. inde nocet, qua manu poteſt. Erat Hebræus fortunæ alumnus, ex Ioſephi promiſſis, ad Gen. 45. n. 18. *Ego* (inquit) *dabo vobis omnia bona Ægypti*, &c. Quæcumque aggrederetur, benè, ac ſupra votum fluebant. *Videtis* (vrget Pharao) *quòd turba ſuccreuerit*, &c. *Exod. cap. 5. num. 5.* Quid igitur Princeps ardens inuidia? Hebræum labore imperato premit, & ſeruitute grauiſſima, viamque obſtruens gentis promouendæ, Ægyptum obarmat aduersùs Hebræum Exod. cap.1. num. 22. *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proijcite*, &c. Sublatum è viuis Hebræum voluit Ægyptius, ne quid videret, quo dolere cogeretur. Dolorem ſanare natum ex inuidia voluit diues Epulo: amoueri ab oculis iubet Lazarum. Erat pauperculus in Abrahami ſinu lætus admodum: videt Epulo, ſed è longinquo, Abrahamum ſuo cum pauperculo, & ſtatim clamitat Luc. 16. num. 24. *Pater Abraham, mitte Lazarum*, &c. Preces erant, vt Lazarus aquam guttatim inſtillaret in fauces hominis ſitibundi. Non ſuccurrit fortuna; quid inde? Vrget iterum Epulo num. 27. *Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei*, &c. Charitatis ardor eſt, à quo damnatus homo procul abeſt; ſed cùm Lazarum videat feliciter exultantem, laborat, qua poteſt, ne videat inuidens admodum, imò curat, vt hominem à ſua fortuna longè trudat. Inſpexit Chryſologus fraudes inuidiæ, ac proinde monet Epulonem Serm.66. *Patere ſtare vices, iam depone dolos: patet, quia tu Lazarum non potes ſic videre*, &c. Video faciem inuidiæ, quæ videre non poteſt felicem hominem, ſed agit, & ſatagit, vt noceat.

Genes. 45. num. 18.

Exod. 5. n. 5.

Exod.1.n.22.

Luc.16.n.24. & 27.

Videri non poteſt inuidens felicitatem alienam.

Vel Apoſtolis hæc noceret inuidia, niſi Magiſter occaſiones præcideret inuidiæ contrahendæ. Tribus tantùm amicis oſtentat, quidquid habet gloriarũ Ithabyrio in ſcenam adornato, *apud Matth.17.num.1.* vbi Moyſes, & Helias *viſi in Maieſtate*, &c. *apud Lucam 9. n. 31.* Id verò eſt, *In conſortio claritatis*, &c. quod Tertull. dócet *lib. 4. in Marcion. c. 22.* Illud notant alij, imperatum Apoſtolis ſilentium de re vniuerſa. *Nemini dixeritis viſionem*, &c. *apud Matth.cit.num.9.* Et quidem Apoſtoli obſtinatè conticuêre, vt Lucas obſeruat num. 36. *& ipſi tacuerunt*, &c. Cur ita, docet Euthymius. *Quia futurum erat, vt neque ipſi perſuadere poſſent; & Iudæus magis exaſperaretur*, &c. Qui ſuam Chriſto maieſtatem inuidebant, graſſarentur furore concepto, ſi nanciſcerentur occaſionem inuidendi. Addit verò Damaſcenus imperatum à Chriſto, ſeruatum ab tribus Apoſtolis ſilentium eſſe. *ne aut reliquorum pectora mœſtitia perfunderentur, aut proditorem inuidiæ rabies in furorem ageret*, &c. *ad Serm. de Trãsfigurat.* Quid enim Iudas non efficeret, vt noceret Apoſtolis, ſi prælatos ſibi noſſet homines, re feliciſſima? Cauet igitur Magiſter ſilentio imperato, ne amici pateant dolis, ac telis inuidentiæ, certò ſciens mortales quamplurimos inuidia periiſſe, quod monet Seneca.

2.

Matth. 17. n. 1. & 9. Luc. 9. n. 31. & 36.

Tacenda feliciuas ne ſæuire velit inuidens.

Suam Apoſtoli tacent felicitatem, ne Iudas excandeſcat.

Perge, ſi placet, ad terrarum extremos angulos: *Occurrent naufragi, ſimiliaue naufragis paſſi; quos popularis ira, aut inuidia* (*pernicioſum optimis telum*) *inopinantes, ſecuróſque diſiecit, procella more, qua in ipſa ſereni fiducia ſolet emergere*, &c. Ita Seneca *Epiſtol. 75.* Et plenè docet bellum moueri ſæuum hominibus, quibus minatur inuidia. Laudat Chriſtum Diabolus *Luc. 4. n. 41.* Sed Diabolum Chriſtus reiicit. *& increpans non ſinebat ea loqui*, &c. *n. 42.* Deinde addit textus, cur id Chriſtus fecerit. *Quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*, &c. Non diſputo, (quod alibi facio,) ſciret ne certò Diabolus, an coniectura aſſequeretur Chriſtum verè Chriſtum eſſe, datum promiſſis. Quod facit ad litem, illud eſt, imperaſſe Chriſtum Diabolis ſilentium de ſua maieſtate, ne laudatus inuidiam contraheret ab Hebræo. *Rectè non ſinit ea loqui,* (teſte Ruperto) *quia pro malo loquebantur, vt illi inuidiam facerent*, &c. *ad lib.2. de Victor.cap. 3.* Inſpexit Chriſtus, quo affectu Diabolus grandes miſceret laudes, ſcilicet, vt Magiſter inuidia laboraret apud homines, & inde traheret peſtem vltimam: quid igitur? aures laudibus obſtruit, & viam occludit hominibus inuidentibus, ne qua noceant, ſi velint, duce Diabolo. Nec ſemel Chriſtus Diabolos tacere iubet. nam apud Marcum 3. n. 12. *vehementer comminabatur illis, ne manifeſtarent illum*, &c. Iure quidem merito, quod probat Victor Antiochen. *Ne einſmodi vociferatione, Phariſæorum iram magis excitarent, eorúmque inuidiam vehementius accenderent*, &c. Prouidet Chriſtus optimè: nam prouidentiæ officium eſt, præcidere occaſiones & inuidiæ contrahendæ, & necis accerſendæ.

3.

Luc. 4. n. 41. & 42.

Fauat inuidiam laus aliena.

Marc.3. n.12.

Laudat Chriſtum Diabolus, vt laudatus inuidia pereat.

Et

4. Et verò nemo inuidet, qui ad necem vſque non graſſetur, ne videat felices homines. eò tendit Pharao cùm obſtetrices vrget aduersùs Hebræum Exod. 1. num. 6.
Exod. 1. n. 6. *Si maſculus fuerit, interficite eum*, &c. Probat Apoſtolus inuidiam nocendi artificem
Rom. 1. n. 29. eſſe, *ad Roman. cap.* 1. vbi ſcelerum ſocios homines ita collocat, num. 29. *Plenos inuidia, & homicidio*, &c. Quòd ſi inuidiam
Cædes ſpirat inuidia. iuxtà, ac cædem conſtituit, profectò inuidens quiſque ab inuidia ad carnificinam facilè prouolat: & placet Baſilij opinatio. *Quamobrem* (inquit) *inuidiam fugiamus homicidij matrem*, &c. *ad Homil. de Inuid.* Lego Stephanum collegarum manu tentatum
Act. 7. n. 47. grauiter ad necem vſque, Act. c. 7. num. 47. *Eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant*, &c. hæc tamen fortuna ab inuidiæ face eſt. Erat Stephanus ſapientiæ alumnus, ac virtutis cuſtos cum iuuenum manu diſputans, be-
Act. 6. n. 10. & 12. ne victor; quod patet ex cap. 6. num. 10. *& non poterant reſiſtere ſapientiæ*, &c. Neceſſe erat, vt collegarum odium contraheret, num. 12. *Commouerunt itaque plebem,*
Collega collegã premit inuidens. *& ſeniores*, &c. tanta inuidentibus vis ineſt ad nocendum. quod habet Chryſoſtomus Homil. 15. *Per ſigna in inuidiam non ſolùm mouentur; ſed & quoniam legis cognitione ſuperior erat, illíſque intolerabilis, falſos quoque teſtes conſtituunt*, &c. Lego Danielem ſomnio ſoluendo quæſitum non eſſe, cùm ſapientiores Chaldæam in aulam euocaren-
Dan. 2. n. 1. & 13. tur: quod patet ex *Dan. 2. num.* 1. Inuidia hominum factum id eſt; ne quid gloriæ pararet Hebræus apud Regem: cùm tamen coguntur ſapientes ad crucem, ac necem, quæritur, cum ſociis, Daniel, *vt perirent*, &c. *num.* 13. ſcilicet, quos ſchola inuidens ſocios non admittit, ad oſtentandam ſapientiam; hoſce iuuenes, ſecum interfectos eſſe voluit. Laudo interpretationem ordina-
Pœnam alienam quærit inuidens, gloriam obtinebat. riam. *Sapientes* (inquit) *inuidentes ſapientiæ eorum, & gloriæ ingreſſi ſunt ſoli, quaſi ſoli præmia recepturi: ſed pœnæ voluerunt habere conſortes*, &c. Nocet igitur, qua poteſt manu quicumque infelix inuidet. Imò pœnam auget, dolorem aggrauat: quare Dauid Philiſthæo potius, quàm Hebræo militare voluit. A Saule ad Achin Dauid abit 1. Reg. c. 21. num. 10.
1. Reg. 21. n. 10. *& fugit à facie Saul, & venit ad Achis*, &c. An turò Hebræus apud Gethæum ageret? à quo Dauid prædas egerat; quem, vt hoſtem fregerat? Sed grauius ſibi malum à Saule inuido, quàm ab Achi hoſte Dauid timet: ac proin-
Peius, quàm hoſtis, ſæuit inuidens. ue Gethæum quærit, Hebræum fugit. *Malens hoſtibus, quàm inuidiæ ſubiacere*, &c. ſic Hieronymus *Epiſt. 26. ad Euſtoch.* Video ſæuum ab inuidia bellum vrgere; hoc bello petitus Hebræus eſt. *Cùm grauaret eos Rex Ægypti*, &c. Nam laborat, inuidiæ malo tentatus, vt pereat funditus. *In luto*, &c. Græcè ἐν πόνῳ. *in labore* ſcilicet, *ac dolore*, &c. Egit fortuna aduerſa, vt Hebræus Deum adiret, & pulſaret precibus. Nec precatus eſt fruſtrà populus: nam, Deo piè commoto, vis Angelica *percuſſit totam terram Ægypti*, &c. Vt ſcias

PARÆNET. XXIV.

Fortiores apud Deum preces eſſe ab oppreſſo populo.

VIm Deo faciunt preces hominum, adiutrice patientia: quandoquidem ſupplicandi genus eſt, ſupplicium piè ferre. A patientia calamitatum vires capit oratio, legatis ad Deum lachrymis, quæ vim precandi habent. Senſit, quid valerent preces ab offenſo grege hominum Cyprianus, qui Martyres vrgebat, vt è triſti cuſtodia preces mitterent, preces inde fortiores, vnde patientiores probarentur Oratores. *Petite* (inquit) *impenſius, & rogate: nunc enim vobis efficacior in precibus ſermo eſt, & ad impetrandum, quod in preſſuris petitur, facilior oratio eſt*, &c. *Epiſt.* 25. Grata Deo eſt patientia rerum acerbiſſimarum, quæ quidem ſanctè adornat preces. Et fortaſſe eò textus pertinet ex Cant. c. 4. n. 6. *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem Thuris*, &c. Nam Virgo ſapiens vim cogit precandi à vi patiendi: à myrrha pergit ad thura, quaſi Myrrha acerbitatum gratiores Deo incendar odores orationum, Deumque exoret facilè, quiſquis orat mali patiens.

1. *Obtinet Martyr patientia, quod poſtulat.*

Cant. 4. n. 6.

Preces adornat patientia.

Morbo tentatus graui Ezechias, acceptóque mortis oraculo, *Morieris tu, & non vives*, &c. 4. *Reg.* 20. *num.* 1. preces mittit cum lachrymis: *Fleuit itaque Ezechias fletu magno*, &c. *num.* 3. Multo in metu Princeps erat, qui obortis lachrymis orare cogitur: *Orauit Dominum*, &c. *num.* 2. Sed Deo ſtatim iubente, Regem adit Iſaias ac renuntiat num. 5. *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas*, &c. Hebræo textu, *Vidi lachrymam tuam*, &c. Illúdque Vates inſinuat Deum prima lachrymula commotum piè, vt Regem dolentem recrearet. Tanta enim vis ineſt precibus dolentis hominis, vt Deus prima flectatur lachrymula, ad preces excipiendas benignè. *Vidi lachrymam tuam*, &c. Mirum, quænam Pauli, ac Silæ precibus virtus fuerit, cùm eſſent in cuſtodia? cuſtos enim carceris Act. 16. numer. 24. *Pedes eorum ſtrinxit ligno*, &c. Sed nocte intempeſta boni homines precibus ſeſe deuouent. *Paulus, & Silas orantes laudabant Deum*, &c. *num.* 25. Quid inde factum? moueri parietes, turbari cuſtodes, miſceri terram, ac cœlum: *ita vt moverentur fundamenta carceris*, &c. *num.* 26. Non potuit non vis fieri rebus etiam brutis, cùm Paulus, & Silas malè tractarentur, & nihilo precarentur minus. Docet Chryſoſtomus *Homil.* 1. ad illud: *Vtere modico. In ligno erant pedes, in ſæuis manus, & carcer mediam ſub noctem quatitur, ipſis Deum laudantibus. Vides quo modo ipſorum virtus in infirmitate perficitur?* &c. Quaſi verò hominum preces vim habeant perſuadendi ab oppreſſo corpuſculo; nec poſſe Deum negare, quod repetunt ſuo iure patientes calamitatum homines.

Deum exorat vna lachrymula.

2. 4. Reg. 20. n. 1. 2. 3. & 5.

Act. 16. n. 24. 25. & 26.

Patientia vim addit precibus.

Quid non perſuaſerit dictione, qui neruo obligatus patitur ſordes carceris? extractus è cuſtodia Ieremias, quod patet ex *cap.* 20. n. 3. Queritur ſe ad crucem, & necem quæri,

3. Ier. 20. n. 3. 10. 11. & 13.

n. 10. vbi Vates clamitat, *Audiui contumelias multorum, & terrorem in circuitu*, &c. Deinde opem efflagitat, vt pœnas soluat gens aduersaria, n. 12. *Et tu Domine exercituum, probator iusti, videam, quæso, vltionem tuam*, &c. Missis in cœlum precibus, nihil Deo est moræ ad opem ferendam. Nam Vates calore subito inuitat homines, qui Deo applaudant, n. 13. *Cantate Domino, laudate Dominum*, &c. Subuolat Deus Opt. in auxilium, nec cunctatur; quasi negare non possit, quod Vates rogat, iniuriarum patiens. Quid si vel apud hominem valeant preces huiusce hominis? Oret ille, exorabit quidquid velit. In hac sententia Paulus est, qui ad Philemonem, *Paulus* (inquit) *vinctus Iesu*, &c. *n.* 1. nec semel hoc titulo preces adornat; sed addit *n.* 9. *Obsecro, vt Paulus senex, nunc & vinctus Iesu*, &c. Miscet, quod valet ad persuadendum validè, labores scilicet, ac prædores Carceris: & quater meminit de vinculis *n.* 10. *&* 13. vt Philemonem flectat molliter aduersùs Onesimum. *Quantis hunc modis aggreditur? quot ex partibus exorare pergit?* &c. Sic Chrysostomus *Hom.* 2. Multa Paulus infert, ex dignitate, ex ætate, ac tandem *ex eo, quod omnibus iustius, potentiusque persuadet: quoniam vinctus Iesu*, &c. Valent quidem preces, alumna patientia, quam vinctus neruo Apostolus adiutricem miscet precibus. *Rogaturus enim pro Onesimo talis rogare debuit, qui posset impetrare, & mentione suorum cruciatuum Philemonem ad misericordiam flectere*, &c. Tantum Anselmus.

Quod petit, citò impetrat iniuriarum patiens.

Philem. n. 1. & 9.

Homines etsi iratos exorat mali patiens.

Preces concipiunt patientia.

4. Quæ flectit hominem, cur Deum non flectat oratio ab oppresso missa corpusculo? Constat libro integro Iobum patientissimum esse acerbitatum plurimarum. Quo in pretio Deus habuerit preces hominis, ostendit, cùm pœnas Eliphaso, cæterisque remittat, Iobo orante, ac exorante, cap. 42. n. 8. *Sumite* (inquit) *septem tauros*, &c. Quid inde addit? *Et ite ad seruum meum Iob*, &c. An Iobus sacris operabitur? textus in loco est. *Seruus meus orabit pro vobis*, &c. Tanta apud Deum erat auctoritas Iobo patientissimo acerbitatum maximarum, vt quidquid precaretur, iure merito impetraret. Credas igitur, necesse est, preces hominum ab alumna patientia mitti fortiores. Quòd si Deus rogantibus negitat, satisfactionem adhiber, ne credant se contemptim refutatos esse. Iussus à Deo Vates panem confecit, quo traheret potius animã, quã sustentaret, *apud Ezech. cap.* 4. *n.* 9. Addita ad panem aqua, ex dimenso. *Aquam in mensura bibes*, &c. *n.* 11. nec somni satis erat, vtrãque in aurem, sed alterũ in latus, anno integro n. 4. *& tu dormies super latus tuum sinistrum*, &c. quod premi grauiter, non refici est. Mitto, quæ ab Hebræo mala Vates pertulerit, Deo vidente, ac silente, etsi monuerat, cap. 2. num. 6. *Cum scorpionibus habita*, &c. Quod enim malum non pateretur veri Magister à venenatis hominibus. Orat Vates acerbitatum patiens, nec exorat, cap. 11. num. 13. *& cecidi in faciem meam clamans voce magna*, &c. Deus tamen satis viro facit cap. 14. num. 20. *& Noë, & Daniel, & Iob*, &c. *filium, & filiam non liberabunt*, &c. Cur hosce homines Deus refellendos esse monet, etsi orent, nisi vt Ezechielem orantem, nec exorantem molliat, vtpote hominem mali patientem? Sic Chrysostomus tom. 5. Serm. 21. *Nec immeritò hæc ad Ezechielem affatur: fuerat enim ille pleraque passus*, &c.

Iob 42. n. 8.

Valentiores ab alumna patientia mittuntur preces.

Ezech. 4. n 9. 11. & 4.

Ezech. 2. n. 6. & 11. n. 13. & 14. n. 20.

Pressus dolet veri magister.

Satis precantibus facit Deus, cùm negat.

5. Age verò, quisquis dolore attritus, grauique labore preces mittis, fide admodum; erit enim facile Deum allicere in auxilium. quo pacto Hebræus malo pressus diutino, ac dolore maceratus continuo clamitasse apud Deum visus est. *Clamauerunt ad Dominum suum*, &c. Id verò, *cùm grauaret eos Rex Ægypti*, &c. Mirum enim est, quas nam ad Deum voces dolor mittit ab oppresso corpusculo? Inde Ieremias, *Oculus* (inquit) *meus afflictus est, nec tacuit*, &c. *Thren.* 3. *num.* 49. Tantus viro sanctissimo dolor erat calamitatis publicæ, vt solueretur in lachrymas; quod apud Deum clamare est, Ruperto Auctore, *Videns* (inquit) *dolorem suum afflictus est, nec tacuit: grandem quippe vocem habet, & disertam linguam rationis*, &c. *lib.* 1. *in Thren. cap.* 78. scilicet querimonia, animo dolente, & oculo plorante excitata, Dei aures, animúmque pulsat grauiter. Et hæc occasio, vt Deus Hebræum solaretur, Ægypto malè mulctata: Regnum enim quassatum dedit, *plagis variis*, &c.

Thren. 3. n. 49.

Vrgent Deum preces ab affecto corpusculo.

Num. 11. Cúmque eiecissent eos Ægyptij à se, & cessasset plaga ab eis, & iterum eos vellent capere, &c.

Commentarius.

Dolorem minuit dolor assiduus.

54. TAndem aliquando Ægyptus malo admonita, metuque fracta, ne doleret grauiùs, Hebræum à se excussit, post luti labores, post sordes ergastuli. Sed vim fecit quodam modo, vt Hebræus abiret. *Cùm eiecissent eos à se*, &c. Rem illustrat Moyses *ad Exod. cap.* 12. *n.* 33. Textus inibi est, *Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter*, &c. Hebræo textu verbum est פזר *Chazak*: quod est, *inualuit, apprehendit, superauit*, &c. Quasi Ægyptus Hebræum restitantem manu tunderet, vt loco extruderet. Quod ego miror: tantam scilicet Hebræo voluptatem esse luto subigendo exilióque ferendo, vt abire noluerit, nisi vi adacta. Sed *tempus illi fecit ærumnas leues*, &c. Vox è Thyesthæa est. Nec exilium Hebræus oderat, nec armabat patriam, oblectatus malo assiduo. Et id mali bonum commendat Seneca ad Heluiam cap. 2. *Vnum habet assidua infelicitas boni: quos sæpè vexat, nouissimè indurat*, &c. Bonam in mala fortuna sortem agnoscunt homines, qui ab malis absolui nolunt. Quærit à Paralytico meus Christus: *Vis sanus fieri?* Ioan. cap. 5. num. 6. Et quæsitum à Magistro id importunè dixerit, qui humanas versat rationes. Quis enim morbo tentatus sanitatem nolit? Sed rogat Christus, vt pateat liquidò posse hominem de grege hominum esse, qui patientia mali assidua, mali solatium inueniunt, suóque malo fruuntur. Videas Hebræum de cibo Ægyptiaco solicitum maximè,

Exod. 12. n. 33.

Ioan. 5. n. 6.

Mali solatium est patientia mali assidua,

Num.11.n.5. 6.& 21. n.5. ximè, cibo Angelico nauſeaſſe. *Num.cap.* 11. *num.*5. dolet, queritur. *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones*, &c. Deinde addit, quid reſpuerit n. 6. *Anima noſtra arida eſt*, &c. & locus eſt de cibo Angelico. Nec ſemel queritur, ſed iterum, cap.21. num.5. *Anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*, &c. Cur Hebræus nauſeam traxerit ex cibo Angelico, & cucumeres, peponéſque expetierit labore, & ſudore partos, ea ex Petro Damiani ratio eſt *ad lib.*1. *Epiſt.*15. Suo iam malo delectabatur Hebræus. *Leuiſſimum quippe deputant cibum, ſi pondus, atque duritiam contingat deeſſe laborum*, &c. Tanta Hebræo iam voluptas erat ex vita laborioſa, vt cibum labore partum mallet, quàm otio collectum. Si quid enim Seneca rectè ſentit, ad lib. de tranquill. cap.10. *Neceſſitas fortiter ferre docet, conſuetudo facilè*, &c. Addo: Neceſſitas iucundè pati docet, ne quod ex incommodo natum pereat commodum. Hoc fortaſſe morbo animi laborabat Paralyticus, vnde Chriſtus ſcitè rogat, velit ne ſanari? Notũ illud apud noſtrates pauperculi dicterium eſt, de pauperculo alio. Vomicam ſcilicet Caius habet, quæ millenos cogit aureos. An ſanari pauperculus iſte vellet? puto vomicam exulceraret, ne viam obſtrueret numis cogendis facilem. Hanc & Hebræus viam terit, qui ſuum amat exilium, nec abit, niſi vi pulſus. *Cùm eieciſſent eos*, &c. Nec id minatur Seneca. *Inuenies enim in quolibet vitæ genere remiſſiones, ac voluptates, ſi nolueris malam putare vitam*, &c. *loc.cit.*

Mali patiens malo delectatur aſſiduo.

55. Mar.3.n.5. Senſit meus Chriſtus hoc potius morbo, quàm paralyſi laboraſſe hominem, qui ſanitatẽ manu capit, nec à Chriſto repetit *Marc.* 3. *num.* 5. Chriſtus ad hominem, *Extende* (inquit) *manum tuam*, &c. Iuſſa facit homo, & à morbo conualeſcit. *& reſtituta eſt manus illi*, &c. Noto hominem, cùm Hippocratem haberet in oculis, opem non expoſcere. ſcilicet laborare morbo, quàm ſanari maluit: qui de morbi incommodo commodum ſentiret ſtipis emendicatæ. Ac proinde Chriſtus, *Surge*, (inquit) *neque per occaſionem manus aridæ mendica; ſed illam recuperans ſanam, iam deinceps operare*, &c. ſic Athanaſ. *Hom. de ſemente.* Homo fortaſſe erat, qui benè ſuo cum morbo conuenerat, vt ſine labore numos cogeret. In hoc metu Iacobus erat, cùm ad Ægypti fines hæreret, neque enim audet Ægypto inferre gentem domeſticam, niſi Deo cogente, ad Gen.46.num.4. Gen.46.num.4. *Noli timere, deſcende in Ægyptum*, &c. Cur Iacobus loco hæſerit, etſi Ægyptus arriſiſſet rerum copia, metus eſt; quod Ioſephus docet. *Metuens, ne propter Ægypti felicitatem, filiis amantibus prouinciam, ſoboles eorum nequaquam reuerſa Chananæam teneret*, &c. *lib.*2. *Antiquit. cap.*7. Video placere hominibus incommodum, propter commodum; & patriam cum exilio commutari, lucelli ſpe oblata. Pares auis, atauíſque nepotes ſeruitutem Babylonicam non exuunt, niſi Deo excitante. Liberam abeundi poteſtatem Cyrus 1.Eſdr.1.n.5. facit, quod Eſdras habet *lib.* 1. *cap.*1. *n.*5. Nec tamen patriam omnes repetunt; quod patet. Nam exilio damnato reuenit *omnis*, *cuius Deus ſuſcitauit ſpiritum*, &c. Tribus ſcilicet Regia, & Leuitica, Ephraimo addito. Cur non redeunt alij, patriámque repetunt? Sed continuo patiendi vſu, leue fit malum, quod primo ictu durum erat. Ad rem Horatius:

Sanitatem pauper non petit ne cogatur laborare.

Placet incommodum hominibus propter commodum.

Laborem leuat vſus laborandi.

Durum, ſed leuius fit patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas, &c.

lib.1. Ode 24. Cur verò alij patriam non adeunt, niſi Deo validè excitante? fortaſſe amant nocumentum ergaſtuli, propter vitæ commodum. Quare neceſſe eſt, vt homines Deus manu trudat.

Grauiùs multo vrget Pharao, vt Hebræus Ægypto abeat, ne Ægyptus prematur acerbiùs: & quidem Hebræus cùm exceſſit, remiſſa mali vis eſt; malo tamen lenito, ſuum ad ingenium redit Pharao. *Cùm ceſſaſſet plaga ab eis*, &c. Leue omnino frænum, metus eſt; quandoquidem malo pulſo, metúque leuato conatur Pharao Hebræum à fuga retrahere, *& ad ſuum ſeruitium reuocare*, &c. Rex eſt, qui Moyſe in aulam euocato, Hebræum inuitat ad fugam, Exod. cap.12. num. 32. *Surgite, & egredimini à populo meo*, &c. Grandi enim preſſa metu Ægyptus, *Omnes* (inquit) *morimur*, &c. *n.*33. Langueſcit metus lenito malo; nulla eſt mora: indignatur, debacchatur, graſſatur Pharao in Hebræum. *Iunxit currum*, &c. *Exod.*14. *n.*6. Hebræumque manu armata perſequitur, *cùm ceſſaſſet plaga ab eis*, &c. Et hæc inde vox mihi ſonat

56. Exod. 12. n. 32. 33. & 14.n.6.

PARÆNET. XXV.

Metum, boni cuſtodem leuem eſſe.

1. LEui tenetur fræno, qui frænatur metu, ne malè agat. Qui enim metu vrgetur ad rectè agendum, metu pulſo facilè abit à bono, & æquo, cùm boni amor radices altè non figat animo. Habet id Hieronymus de ſeruanda pudicitia. *Infida enim cuſtos caſtitatis neceſſitas*, &c. *lib.* 1. *aduerſùs Iouinian.* Quæ Dei amans eſt mulier, vel timendi occaſione ſublata, pudica eſt: quæ verò metuens eſt hominum, metu pulſo, frænóque rupto impudicè agit; quod probat Apoſtolus lapſu viduæ. Textus eſt de ſacris viduis, ſed impudicè agentibus; ad 1.Timoth. cap.5. num.11. *Cùm luxuriatæ fuerint, in Chriſto volunt nubere*, &c. 1.Timoth.5. n.11. Vnde Auguſtinus argutatur. Si volunt ſecundas inire nuptias, cur non eunt, & nubunt? ſed pudor eſt votum frangere publicè: vrget adhuc. Nónne voti fidem clanculò violant? *cùm luxuriatæ fuerint*, &c. Sic tamen habent, quæ metu infamiæ, continent ſe ſe publicè; *quia formidant magis, quàm Deo, hominibus diſplicere*, &c. Addit Auguſtinus *ad lib. de Virginit. cap.* 34. ſi caſtitatis amore pudicè viuerent, non modò palàm, ſed timendi occaſione ſublata, caſtè agerent. Infirma igitur cuſtos pudicitiæ, neceſſitas.

Leuiter à malo abſtinet, qui metu ducitur hominum.

2. Nec firmior, ad iuſtè agendum, eſt metus, quod Herodes probare viſus eſt. Ioannem Herodes colebat aſpectu quidem pio, ſed affectu leui. Pietas erat, quòd, apud *Marc. 6. cap. num.* 20. Ioannem Herodes metueret. *Sciens eum virum iuſtum, & ſanctum*, &c. ſed affectu leui Princeps *miſit, & decolauit Ioannem*, &c. *Matth. cap.*14. *num.*10. cùm Ioannes Regem moneret: *non licet tibi*, &c. *n.*4. & ratio Marc.6. n. 20. Matth. 14. n.10. 4. & 5.

de textu eſt num. 5. *Volens illum occidere, timuit populum*, &c. Suo Herodes affectu non conſtat, vtpote qui metu potius hominum, quàm virtutis amore ageret. Nam, teſte Chryſologo ad ſerm. 127. *Facile deuiat à iuſtitia, qui in cauſis non Deum, ſed hominem pertimeſcit. Hic timor peccandi facultatẽ auferre poteſt, auferre non poteſt voluntatem*, &c. Cur frænum Herodes non morderet, iuſtitiámque læderet, qui vno tantùm frænabatur metu hominum?

Peccat facile, qui metu non peccat humano.

3. Facile Caino foret, pacem cum Abele ſeruare, ſi Deum, quo parentes, metu coleret. Cur enim Abelem frater ducit, imò trahit in agrum? *Egrediamur foras*, (inquit) *Gen. 4. n. 8.* niſi vt facilè Abelem aggrediatur, longè à parentum oculis? Metus igitur parentum Caino frænum erat, ne fratrem opprimeret; ſed leue frænum. Abit igitur à parentibus, & frænum mordet, vt ſcelus admittat. *Impiiſſimus pariter, atque ſtultiſſimus, qui ad perpetrandum nefas, ſufficere ſibi credidit, ſi aſpectus viuaret hominum, Deo teſte, fratricidium facturus*, &c. Ita Saluian. *lib.* 1. Sed Ioſephus mente longè alia ſeſe habet. Iacobo in tumulum condito, fratres per legatum Ioſepho patris mandatum exponunt, Gen. cap. 50. num. 7. *Obſecro, vt obliuiſcaris ſceleris*, &c. putabant enim Fratres Ioſephum abſtinuiſſe ab iniuria vindicanda, ne patrem læderet; quo tandem ſublato, dolorem puniret ſuum. Quid Ioſephus? ſoluitur in lachrymas? num. 17. *Quibus auditis, fleuit Ioſeph*, &c. Deinde metum abigit, cùm fratres accederent num. 19. *Nolite timere*, &c. Græco textu: τῦ γὰρ θεῦ εἰμὶ ἐγώ. *Nam Dei ſum ego*, &c. Luget quidem Ioſephus, ac ſe Dei ſeruum iactat, vbi creditur bene egiſſe, & iniuriam condonaſſe, metu potius hominis, quàm Dei aſpectu. *Dei* (inquit) *ſum ego*, &c. *Cur geniti patris tantùm meminiſtis? habemus alium ingenitum, inſpectorem, auditoremque omnium etiam, quæ fiunt per ſilentium: hunc ego teſtem inuoco meæ conſcientiæ*, &c. ſic Philo *ad lib. de Ioſeph.* Acſi vellet. *Patris obitus metum vobis renouat, quaſi ad tempus data venia, ne quid ille contriſtaretur; verùm ego non mutor*, &c. Nolite timere: τῦ γὰρ θεῦ εἰμὶ ἐγώ. *Nam Dei ſum.* Qui, Deo magiſtro, amicè agit, non metu hominum, perpetuò ſeruat amicitiam.

Gen. 4. n. 8.

Dei metus homines à peccando continet.

Gen. 50. n. 7. 17. & 19.

Dei reſpectu bene agit bonus quiſque.

Timor recti eſt qui Deum timet.

4. Quid tamen ſi Deus, vel etiam de ſuo, ſanctóque metu minus cogitat, etſi timeri velit? certè Dei metus hominem à peccando lentiùs abigit. Metus Hebræo erat ingens, cùm fumaret Horebus, micarent ignes, mugiréntque tonitrua, terra latè mota cælóque minante. Exod cap. 19. num. 16. *Eratque omnis mons terribilis*, &c. *num.* 18. Maximè cùm Deus mortem intentaret hominibus, brutiſque animantibus, ſi montem adirent temerè, n. 13. *Qui tetigerit montem, morte moriatur*, &c. Bene res habet, vt Hebræus metum concipiat, ac proinde homines *perterriti, & pauore concuſſi ſtabant procul*, &c. *cap.* 20. *num.* 18. Hæc ita, cùm Moyſes adeſt. Abit Magiſter ab Hebræo, montem ſubit, Deo duce; Deum adit, fide ſana: vbi moras ſuo cum Deo nectit Moyſes; metu lenito Hebræus vitulum in Deum erigit, & conſecrat: quod patet ex cap. 32. num. 1. *Videns* (inquit) *populus, quòd morã faceret Moyſes: congregatus aduersùs Aaron, dixit: Surge, fac nobis Deos*, &c. quàm faciles à Deo Maximo deficiunt homines! Hæc Dei dolentis vox eſt, num. 8. *Receſſerunt citò de via*, &c. Sed quid inde mirum: ſi Hebræus Dei metuens, non amans eſt. *Quoties ab illo paululum ceſſauit pædagogi virga, vt ſtultus puer, ad eadem, vel ſimilia ſe conuertit idololatriæ flagitia*, &c. Sic Rupertus *lib. 4. in Exod. cap.* 24. Ad rectam vitæ viam vi trahitur, qui metu vrgetur; ſed quod violentum eſt, perpetuum non eſt. Hæc Deo ratio, vt prius bona promittat, quàm mala intendat legum auditoribus. Inde Moyſes à Deo iuſſus Hebræum monet, Deut. c. 27. n. 12. *Hi ſtabunt ad benedicendum*, &c. Deinde ſubdit num. 13. *& iſti ſtabunt ad maledicendum*, &c. Prius itaque Moyſes de bonis promiſſis agendum cenſet, quàm de malis intentatis. Philo egregiè ad lib. de præm. & pœn. *Prius* (inquit) *honores conſiderandi veniunt, vel quòd vtiliores, vel quòd auditu iucundiores*, &c. Sciebat Deus non durare boni affectum metu paratum. Nam, ſi metu concepto, bonum ſequeris, metu fugato, longè fugias, neceſſe eſt. Et hæc Hieronymo occaſio admonendi Epiſtol. 12. ad Pammach. de Pacatula educanda. *Amet, quod cogitur diſcere, vt non ſit neceſſitas, ſed voluntas*, &c. Illud morum Magiſter inſinuat Hieronymus, labi facile bonos mores, quos, metu contracto, colas. Id verò docet Pharao: qui mali metuens Hebræum abire ſinit, & vrget: metu lenito, inſectatur acerbè, vt à fuga reuocet abeuntes homines. *Cùm ceſſaſſet plaga ab eis*, &c.

Citius peccat Dei metuens, quàm Dei

Deut. 27. n. 12. & 13.

Maior à præmiſſo, quàm à metu vis eſt ad rectè agendum.

Ex. 19. n. 16. 18. 13. & 20. n. 18. & 32. n. 1. & 8.

Num. 12. Fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita vt hinc inde aquæ, quaſi murus ſolidarentur, &c.

Commentarius.

57. PErgit vltrà Achior, & exponit, quid Deus patrauerit, pro Hebræo defenſitando; qua via hoſtes eluſerit, qui Hebræum mari obiecto intercluſum putabant. Nam mari latè diuiſo gens Hebræa in aduerſam euaſit oram, Deo duce, Moyſe adminiſtro. De ratione maris tranſmittendi lis eſt. Volunt alij mare in partes ſectum, vt tribus quæque ſuo abiret loco in littus oppoſitum. Huiuſce mentis Auctores Origen. *Hom. 5. in Exod.* Abulenſ. *q. 7. in Exod. cap.* 13. Caſſiodor. *in Pſalm.* 135. hominesque alij, quos aggerit Perer. *diſputat. 2. in 14. Exod.* Lorin. *in Pſalm. cit.* etſi Rupertum adducat ineptè, ex *lib. 3. in Exod. cap.* 34. Probat aſſertum ſchola Hebræa ex *Pſalm.* 135. *num.* 13. vbi Dauid ſuum Deum canit. *Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones*, &c. Patet igitur Hebræum, mari in partes duodecim diuiſo, trãſmeaſſe. Hoſce tamen homines refutat bene Lorin. *in Sapient. c. 10. num.* 18. Perer. *in Exod. loco cit.* Theodoret. *in Pſalm. cit.* & Caiet. Lyr. *in vtrumque locum.* Nam mari latè ſecto, ſectiones hinc inde agnoſcunt: ac proinde Rupertus ſcitè negat, *loco cit.* placere ſibi interpretamentum de multis diuiſionibus. *Quia certam de Scripturis ſanctis auctoritatem non habet*, &c. Addo viam à Deo factam, vt Hebræus tranſmit

Pſ. 135. n. 13.

Sectum Hebræo mare, vna tantùm via.

transmitteret sinum Arabicum. Sic enim Habacuc rem Deo acceptam refert cap. 3. num.
Hab. 3. n. 15. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis*, &c. neque enim Vates in loco vias agnoscit.

58. Patet igitur ex *Sapient. cap. 19. num. 7.* Hebræum, mari secto vna, sed lata, & sicca via
Sap. 19. n. 7. transmeasse. *Terra* (scilicet) *apparuit arida, & in mari rubro via*, &c. Vnde factum, vt homines *pede sicco fundum maris perambulando transirent*, &c. quod Achior docet. Sed quò id
Ex. 14. n. 21. modo patratum fuerit, habet Exodus cap. 14. num. 21. *erat enim aqua, quasi murus à dextra eorum, & læua*, &c. Canit verò Dauid mare à Deo increpitatum, vt Hebræo facilis esset
Ps. 105 n. 7. transitus, Psalm. 105. num. 7. *Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est*, &c. Illud insinuans vim mari factam, vt staret natura inuita. Etsi
Ps. 113. n. 3. velit *Psalm. 113. num. 3.* mare, Deo viso, procul aufugisse. *Mare vidit, & fugit*, &c. quasi Deum metu concepto coleret. Quid igitur mirum est, si Hebræus sicco per sinum Arabicum vestigio euaserit. Fide sana id boni paratum est, quod monet Apostolus ad Hebr. cap. 11. n. 29.
Heb. 11. n. 29. *Fide transierunt mare rubrum, tanquam per aridam terram*, &c.

59. Hæc Deo cura, vt dilectum sibi populum ab iniuria vindicaret: quod Achior obtrudit in aures Holophernis. *Deus* (inquit) *cæli mare aperuit*, &c. Semel, & iterum Ammonites Deum cæli Deum vocat: neque enim alium gens Hebræa, quàm *vnum cæli Deum coluerunt*, &c. *num. 9.* scilicet, *ad fidem tanto miraculo faciendam*, &c. quod Saliano placet *tom. 4. anno Manasse 9. num. 36.* quasi res magna patrari, nisi à magno Deo non potuerit, maximè ad salutem communem hominum. Commendat miraculum virtus Dei Maximi, qui cælo dominatur. Hæc & Dauid bellè canit Psalm. 112. num. 5. *Quis* (inquit) *sicut*
Ps. 112. n. 5. & 7. *Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* &c. Sed quò diuinæ progressa potentia curæ? *Suscitans à terra inopem*, &c. *num. 7.* Quasi magnæ virtutis opus esset iuuare, ac seruare hominem. Nec suam cælo sedem collocasse visus est, nisi vt res à se gestas commendaret hominibus. Adest mihi Dauid Psalm. 113. n. 3.
Magna virtus iuuare pauperculum. Ps. 113. n. 3. *Deus* (inquit) *noster in cælo: omnia, quæcumque voluit, fecit*, &c. scilicet ad communem salutem humani generis. Ac si vellet, Deum sede altè erecta significasse, quid posset boni aduersùs homines. Præclara siquidem virtus est quæ iuuandis hominibus vim suam exerit; vnde Iupiter ab antiqua Philosophia priùs vocabatur Optimus, quàm Maximus: quasi Deus in melius potens, notat Seneca ad Ne-
Deus in melius potens, vt tantum Princeps faueat, quantum potest. ron. lib. 1. cap. 19. sic ille. *Nónne proximum Diis locum tenet, qui se ex Deorum natura gerit, largus, & in melius potens*, &c. Cogit inde suam Traiano laudem Plinius, vt hominem cum Deo componat egregiè. *Ideo* (inquit) *ille parens hominum, Deorumque Optimi priùs, deinde Maximi nomine colitur: quo præclarior tua laus est, quem non minus constat Optimum esse, quàm Maximum*, &c. *in Panegyr.* Perge igitur, qui magnum tibi decus arrogas: proba, quid possis, bene faciendo, iuuando, seruando, vt monere possis,

Rem bene gestam probat magna potestas.

PARÆNET. XXVI.

Iuuare homines Magni viri, ac Magni Dei esse.

1. PErmissa viris magnis potestas est Rerump. vt gentem inopem auxilij vendicent ab iniuria qualicumque humani (quod aiunt) Ioues. id à Seneca, vt à Vate dictum puto ad Neron. lib. 1. cap. 5. *Seruare, proprium est excellentis fortunæ: quæ nunquam magis suspici debet, quàm cùm illi contingit idem posse, quod Diis*, &c. Iuuare scilicet homines, & aduersa fortuna extractos bene tueri. Lego iudices à Deo lectos, ab Hebræo appellatos esse, non belli Duces, non aulæ Principes; non vitæ Magistros, sed augustiori nomenclatura saluatores: quod patet ex *Iudic. 3. num. 9. & 15.* Adest mihi Esdras *lib. 2. cap. 9. num. 27.* qui Deum laudat
Esdr. 9. n. 27. apud Hebræos homines. *Dedisti eis saluatores, qui liberarent eos de manu hostium*, &c. Illudque textus insinuat moneri iudices, titulo honorario, quid tenerentur agere, & satagere, vt ciues seruarent, cùm id sit proprium excellentis fortunæ.

Deus vocatur qui iuuat, & seruat homines.

Iudex verè saluator hominum.

2. Et quidem Moyses exploratoribus in Chananæam missis, cùm Osuen præficeret, addita literula Iosuen, id est, Saluatorem, appellatum voluit. Num. cap. 13. num. 17. *Vocauitque Osee, Iosue*, &c. quo id consilio, docet
Num. 13. n. 17. Abulensis quæst. 37. *Ad significandum, quòd Moyses præficiebat Iosuen aliis exploratoribus, ideo vocauit Saluatorem: id est, quòd haberet curam de aliorum salute*, &c. quasi præfectus hominum delegatam sibi potestatem habeat, eo titulo, vt seruet homines. Hac abit via meus Christus, vbi Regem agit. *Psalm. 2.* sceptrum
Ps. 2. n. 6. & 8. iactat, & facultatem legum condendarum à Patre datam, num. 6. *Ego constitutus sum Rex ab eo, prædicans præceptum eius*, &c. sed ad sceptri fidem augendam, vrget Pater num. 8. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*, &c. Id verò? vt Gentes locis infinitas iuuet maximè spes vna humani generis: quod ab
Is. 11. n. 10. Isaia disco, ac cap. 11. num. 10. *Erit radix Iesse, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt*, &c. An Pater Filio sceptrum non committit, nisi vt Christus iuuet homines, &
Rex est, qui ciues iuuat ac seruat. hoc Magni Regis argumentum esse doceat? Rectè ad litem Clemens Alex. lib 4. strom. cap. 7. *Petitio maximè Regia, quæ docet hominum salutem peti, sine mercede*, &c. Hæc vna Christo petendi ratio, vt seruator Gentium barbararum, nihil sibi, sed aliis pararet. Addo iuuare homines non solùm magni viri, sed & Magni Dei opus esse. Neque enim temerè additum à parente Deo, num. 8. *Ego hodie genui te*, &c. scilicet id Deus voluit, magnum
Ps. 2. n. 8. hominibus Deum esse, qui seruet homines, & ab iniuria vindicet, & quidem seruare augustius, quàm regnare est.

3. Prius se Christus Seruatorem, quàm Regem hominum agnosci curat. Nam apud Matthæum est, *Liber Iesu Christi filij Dauid*, &c. *cap. 1. num. 1.* Cur Matthæus non opponit titulos honorarios diuinitatis vnicæ? Deus
Matth. 1. n. 1. est optimus, qui laudatur, augustiori se titulo adornatum putat, cùm Iesus, id est, Saluator, appellatur. Adhuc quæro, cur Matthæus Iesum

Præfecti officium est curare de salute aliena.

Iesum Christo præscribit; nec Rex auus inducitur, nisi priùs inducatur Iesus nepos? scitè Chrysostomus Homil. 2. *Saluare* (inquit,) *non terrere studuit: ideo enim hac appellatione continuò nominauit*, &c. Premi Regum titulos Christus voluit in primo libri aditu, & Seruatoris nomen apponi curauit, vt augustius sibi Deus esset à seruandis hominibus, quàm ab auis, atauisque Regibus. Sensit Dauid ornari Deum augustiùs, cùm Seruator hominum appellitatur. *Ex ore* (inquit) *infantium, & lactentium perfeciſti laudem*, &c. *Ps.* 8. *num.* 3. Id verò factum, pueris cantillantibus, apud Matth. c. 20. num. 15. *Osanna, id est, salua obsecro*, &c. Laudauerat olim chorus Angelicus ad antrum Bethleemicum *Luc. 2. num.* 14. & bellè cecinerat, *Gloria in altissimis Deo*, &c. Sed laus adhuc manca erat, vtpote quæ Saluatorem non commendabat: cantat puer, & ebuccinat: *Osanna, salua obsecro*, &c. Laudem perficit diuinitatis, seruatore laudato. Sic Lyra ad Palm. cit. *Diuinitas Christi fuit confessa ab Angelis, confessione laudis, sed laus ista fuit perfecta, quando pueri in templo clamabant: Osanna, salua obsecro*, &c.

Seruare homines Deo augustius, quàm regnare est.

Ps. 8. n. 3.

Matth. 20. n. 15. Luc. 2. n. 4.

Maior Christi laus à seruandis hominibus.

4. Quid si Deus, vt Hercules Alexicacus, vim suam exerat, cùm seruare homines, & ab iniuria vindicare necesse est? vide quo verborum apparatu Dauid canit, Deumque laudat Ps. 146. num. 5. *Magnus* (inquit) *Dominus, & magna virtus est, & sapientiæ eius non est numerus*, &c. Consilio virtutem Deus addit, qua facilè consilium possit patrare. Sed quò tantus rerum apparatus? vt Deus commendetur. *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians peccatores vsque ad terram*, &c. *num.* 6. Vox Hebræa עניים *Hhanauim* pro mansuetis sonat humiles, miserósque homines. Hosce igitur homines malè oppressos, vt Deus soletur, quid non agit? manu exerta iuuat, & seruat. *Vide perfectam in vtroque potentiam, nempe in extollendis humilibus, & in deiiciendis, ac deprimendis arrogantibus*, &c. Sic Chrysostomus. Acsi vellet; Exhaurit quodammodo vires, & opes suas Deus rerum potens, ac sciens, vt manum addat seruandis, iuuandisque hominibus: & tunc se maximè Deum esse probat.

Ps. 146. n. 5 & 6.

Virtus consilio temperata.

Multa Deo virtus in iuuandis misereis, & premendis superbis.

5. Hac arte, par Deo homo, ac Deus Magnus est, qui Dei naturam induens homines vendicat ab iniuria. *Fac calamitoso sis Deus*, (monet Theologus Orat. 16.) *nihil enim tam diuinum homo habet, quàm de aliis bene mereri*, &c. tunc homo homini verè Deus. Nec labore alio suam sibi diuinitatem asseruit Hercules ἀλεξίκακος, & in malis adiutor; quod habet Clemens Alexand. *Orat.* 1. Video, quo iure Deus timuerit, ne Moysen Hebræus diuinis honoribus coleret, vtpote quem sciret seruatorem gentis vniuersæ, assertoremque libertatis Ægypto malè mulctata. Vt igitur arceret Idolomaniam Deus, Moysen condit tumulo, tumulúmque abscondit, Deut. 34. n. 6. *& non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem*, &c. Quid Moyses non patrauerat, manu exerta, virga exprompta, vt Hebræum assereret in libertatem? Opus grande! & virtus humana maior videri potuit! Lateat igitur homines tumulus hominis Seruatoris. *Nam si populus cognouisset, vbi esset, adorasset*, &c. Rectè Augustinus *ad lib. 1. de Mirab. cap. 35.* Nec aliud Deo consilium fuit, vt virgam Mosaicam latebris, ac tenebris damnatam vellet. Collocatam, asseruatámque in arca voluit, quæ fronduerat, virgam Aaronicam: patet ex *Num.* 17. *num.* 10. vbi Deus ad Moysen, *Refer* (inquit) *virgam Aaron in tabernaculum testimonij*, &c. Nec cunctatur Moyses, iussa facit. Arca enim erat auro tecta. *In qua virga Aaron*, &c. si Paulo credis *ad Hebr. cap. 9. num* 4. & virga hæc à Mosaica longè alia, quod volunt Caiet. Lyran. hominésque alij: vbi ergo virga Mosaica? & ea virga, qua Moyses Ægyptum quatit, mare findit, hostem perdit, vt Hebræum seruet? Abducta ab oculis hominum latet virga rerum potens, ne bona Hebræo Dea placeat. Sic Augustinus loco cit. *Vnde & virgam, in qua tot signa fecerat, abstulit, ne adoraretur*, &c. Altè admodum cogitent homines necesse est de viro Seruatore hominum, qui de virga seruatrice altè admodum cogitauerant, vt bonam Deam haberent. Nemo igitur neget, seruare homines magni viri, & Magni Dei esse.

Deut. 34. n. 6.

Deus seruadi potest Seruator hominum homo.

Num. 17. n. 10.

Hebr. 9. n. 4.

Virgam bene iuuantem Deus abscondit, ne Dea credatur.

Num. 13. In quo loco, dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, *&c.*

Commentarius.

60. DEo iustè irato, perit Pharao, & mari suffocata Ægyptus est. Tanta hominum strages edita, vt ne vnus quidem miles cladem effugerit, qui fortunam tristem, ac sæuam renunciaret in posterum. Nec Moyses dissidet, *Exod* 14. *num.* 28. à quo & Dauid exscripsit quod est in Psalm. 105. num. 11. *Operuit aqua tribulantes eos, vnus ex iis non remansit*, &c. Meruit Pharao, meruit Ægyptus vniuersa, vt mari punirentur, ac perirent, qui Nilo perdiderant Hebræos infantes: notat id Sapiens c. 18. num. 5. *Cùm* (enim) *cogitarent iustorum occidere infantes, multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti, in aqua valida*, &c. Quæ quidem iustitiæ norma est, per hæc puniri hominem, per quæ malè peccat, *ex Sapient. cap.* 11. *num.* 17. Peccat Ægyptus ranis, muscis, aliísque bestiolis religiosè adoratis: quod obtrudit Sapiens num 16. *Colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas*, &c. Græco textu κυώδαλα ἐυτελῆ, quæ quidem vox sonat viliores bestiolas, scilicet mures, culices, vespertiliones.

Ps. 105. n. 11.

Sap. 18. n. 5. & 11. n. 17. & 16.

Per hæc punitur homo, per quæ peccat.

Omnigenúmque Deum monstra, &c. apud Maron. *lib.* 8. Ranas Deus, & muscas immittit in homines, ac reliqua huiusce monstri, per quæ pungantur, ac premantur. *& venit musca grauissima*, &c. Exod. 8. num. 24. *& ascenderunt ranæ*, &c. *num.* 6. Addo permissam Magis potestatem, vt ranas ranis adderent *num.* 7. Cur ita, docet Theodoretus q. 18. in Exod. *Sed præcepit in cantatoribus vltionem augere*, &c. *vt scirent, quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*, &c. *Sapient. cap.* 11. *num.* 16.

Ex 8. n. 14. 6. & 7.

Suam sibi pœnam auget malus homo.

61. Capillis appensus malè perit Absalomus, quibus

quibus & gloriolam captasse, & aparitiam aluisse visus est. *Quando* (enim) *tondebat capillum, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis*, &c. 2. *Reg. cap.* 14. *num.* 26. In hac sententia Drogo est ad tract. de Pass. *Crines* (inquit) *suos ponderabat ducentis siclis, vnde eodem crine suspenso ad arborem interiit*, &c. quod patet ex 2. *Reg. cap.* 18. *num.* 9. Nónne qua Amanus cruce in Mardochæum furit, & peccat, suspendium inuenit, & perit? Vide, quid Hesther habeat *cap.* 5. *num.* 14. Quo Perillus tauro mugire homines, ac perire docuit, hoc clausus tauro, mugit acerbè, & perit miserè.

2. Reg. 14. n. 26. *Suo se affectu perdit auarus.* 2. Reg. 18. n. 9. Hesther 5. n. 14.

——*nec enim lex aquior vlla est,*
Quàm necis artifices arte perire sua, &c.

sic Naso *ad* 1. *de Arte*. Iure igitur summo Deus Ægyptum premit, & aquis mergit, ad vltionem Infantiæ Nilo præfocatæ: vnde colligas, peccare hominem suo malo, & instrumenta peccandi verti in tormenta peccantium. Quo Meretrix scypho miscet fæces Idolomaniæ ad perdendos homines, venenum bibit muliercula, Angelo propinante. Ad Apoc. cap. 18. num. 6. *In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum*, &c. vt quo peccat, vasculo tormentum ferat. Hoc iure dives Epulo cruciatam sibi linguam dolet, & inde remedium exposcit, Luc. cap. 16. num. 24. *vt refrigeret linguam meam*, &c. *quia plus lingua sua, & ore peccauerat*, &c. Hæc Cyprianus *lib.* 1. *Epist.* 3. *ad Cornelium*. Et verò dives iste latè peccasse visus est; siue quòd malis in Lazarum dictis, siue quòd bonis in gulam cibis indulgeret. Igni pereunt qui ab ara ignem excipiunt, vt, thure incenso, Pontificatum rapiant. Num. cap. 16. num. 35. *Ignis* (enim) *egressus à Domino interfecit viros, qui offerebant incensum*, &c. Quo tanta Deo ira, vt sacra ab ara ignem excuteret in homines? Abulensis optimè quæst. 23. ad locum cit. *vt appareret manifestè vindicta in eo, in quo peccauerant*, &c. Aram violant homines igni excepto: ad aram igni conflagrant. Pereat igitur mari Pharao, qui suo Nilo Hebræos perdit infantes.

In tormenta vertuntur instrumenta peccandi. Apoc. 18. n. 6. Luc. 16. n. 24. N. 16. n. 35.

62. Sed cur Deus ita sæuit in homines, vt ne vnus quidem Ægyptius euaserit, qui stragem hominum renuntiet? Cur non monet? Cur non parcit Deus Opt. qui iam pridem admoniti, *plagis variis*, &c. non terrentur, sed mente obdurata, & ceruice erecta sacram Deo gentem repetunt, necesse est, vt extrema patiantur. quod aduertit Hieronymus ad Ierem. cap. 32. *Quanto* (inquit) *serior vindicta peccantium est, tanto iustior: in similitudinem Pharaonis, qui decem plagis admonitus, non punitus, & in duritia perseuerans ad extremum rubri maris fluctibus obrutus est*, &c. Sic bonus hominum iudex punit, quos nec Dei patientia, nec Magistri disciplina abstrahit à peccandi licentia.

Qui in puniendo tardus est, & iustior, & seuerior iudex est.

63. Ad caput redeo, vt excutiam, cur Hebræum *innumerabilis Ægyptiorum exercitus persequeretur*, &c. Mitto, quæ alij: illud Rupertus *lib.* 2. *in Exod. cap.* 31. Dolebat Ægyptus suis se diuitiis expilatam esse: id cùm moneret Pharao, *Tanto proniorem ad persequendum haberet exercitum, quanto insanius accepissent auro, & argento suo se esse spoliatos*, &c. Bene habet: quod tamen ad mores pertinet, illud est, fugere Hebræum, instare à tergo Ægyptium, toto belli apparatu; vt scias, quot rerum difficultates, labores, pericula excipiant, more solito, sacrum Deo populum in principiis bene viuendi. Ibat Hebræus suo felix Duce, vt Deum coleret thure, ac vitulo: quod Moyses, Deo iubente, monuerat Exod. cap. 7. num. 1. *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi*, &c. Necesse erat, vt hostem sentiret, & tentaretur grauiter Gens vniuersa Visum id Laudunensi est, addito Pauli textu ad Timoth. 2. cap. 3. num. 12. *Qui enim piè volunt viuere in Christo, persecutionem patiuntur, vt retrahantur*, &c. Accedit Lyra. *Si Moysen, id est, Dei legem sequeris, Ægyptus te insectatur*, &c.

Iacturam verum nemo agrè non patitur.

Tentantur tyrones grauiter. Ex. 7. n. 1. 2. Tim. 3. n. 12.

64. Video, quid timeat, quid doleat, quid queratur Gens Hebræa, fuga capta, cùm videat hostem à tergo instare, extare à fronte mare. hæc tamen vitæ sanctæ fortuna est. Vnde Syracides monet cap. 2. num. 1. *Fili, accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*, &c. Compertum experimento id est, vt qui suam Deo fidem adstringit, acriùs tundatur ab aduersario. Bene Origenes Hom. 9. in Iudic. *Venisti ad aquas Baptismi, istud est certaminis, & pugnæ spiritualis initium*, &c. Addit Hilarius in hanc partem, ad Matth. cap. 4. *Sanctificatis nobis maiora Diaboli tentamenta grassantur*, &c. Agit quidem Satanas vti sciens artis piraticæ, qui nauim non aggreditur nisi onustam mercimoniis plurimis. *Ita sanè Diabolus, cùm videt mentem vigilantem, & quotidie augeri diuitias, quasi pirata circuit, vt si qua inueniat aditum, quidquid in nobis est spiritualium diuitiarum, deprædetur*, &c. Hæc Chrysostomus *Hom.* 3. *in Gen.* Cur verò parata sit tentationum vis auspicantibus vitam sanctiorem, facilè inuenias. Vrget Deus, vt tentatus probetur homo: vrget Diabolus, vt fractus deficiat; mitto plura multo, quæ videas apud Cornelium *in Eccles. cap.* 2. Sed bonus omnino Deus est, qui Hebræum adhuc nouitium vitæ sanctæ sinu fouet, manu ducit, miríque modis solatur, ne reuocetur à via sacra. Ac proinde hostem perdit, mari latè diuiso. Nemo nescit Pharaonem mysticè Diabolum esse: probat id Rupertus *lib.* 2. *cap.* 31. *in Exod. cap.* 14. Interpretésque alij. Nemo negat Hebræum Ægypto extractum, esse hominum cœtum Deo emancipatum, vt sanctè viuat. Sed vrget, vt à vitæ via reuocet Pharao: sed persequitur *innumerabilis Ægyptiorum exercitus*, &c. Illúdque insinuat

Sauit Diabolus in Dei tyrones.

Diabolus virtutum prædo.

PARÆNET. XXVII.

Tentari boni tyrocinia ex Diaboli inuidentia.

1. PArari oportet hominem bello sustinendo, qui Deum sequitur, vt benè viuat, ac beatè. *Semper* (enim) *Diabolus primordia boni pulsat, tentat rudimenta virtutum, sancta in ipso ortu festinat extinguere*, &c. quod sentit Chrysologus *serm.* 11. Artis est bellicæ hostem sub sarcinis aggredi, priusquam sese vallo cingat, & vires cogat. Hac arte Diabolus hominem aggreditur, nouitium boni operis, antequam animo obfirmato vires,

&

& opes colligat rectè viuendi: qua scilicet arte meum tentat Christum, quasi tyronem vitæ monasticæ. *Accedens tentator*, &c. *Matth. 4. n. 3.* siue *simulator*, &c. vtrumque enim sonat, quæ in loco est vox Græca πειράζων. Erat quidem bonum in sui ortu, aduolat è vestigio Diabolus, vt extinguat nunc vi tentator, nunc dolo simulator, *tentat enim rudimenta virtutum*, &c. Gemmascunt vites, emittunt flores, promittunt fructus, quibus signantur boni mores, Cant. 2. num. 13. *Vineæ florentes deserunt odorem suum*, &c. Sed paucis pòst verbis, multa est cura de captandis vulpeculis. *Capite nobis vulpes*, &c. *num. 15.* Nata profectò occasio timendi est, quod in gemmis est vinea, & in teneris anima: cùm boni rudes animos tentare soleat Dæmon, & Leo, & vulpes. Cautè agit, qui citò cauet. Nam Bernardo Magistro, *Necesse est, vt veniant tentationes*, &c. *serm. 64.* Caue igitur, & vigila tyruncule, *accedens ad seruitutem Dei. Certus, omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem passuros*, &c. Addit Bernardus.

Matth. 4. n. 3. *Diabolus tentandi artifex.*

Cant. 2. n. 13. & 15.

Quod tenerum in Dei via est, citò urget Diabolus.

2.

Scias certò conceptum impetum rectè viuendi, susceptam curam esse strenuè pugnandi. Hostis adest, qui bellum mouet, Diabolus: *& tentat rudimenta virtutum*, &c. Adhuc parturit mulier cœlo nota: quod sanè pertinet ad conceptum votum piè viuendi, *Apoc. cap. 12. num. 4.* Sed adest iam Draco, vt vim faciat, ne qua in sæuiendo mora fiat. *& Draco iste stabat ante mulierem, quæ erat paritura*, &c. scilicet, vt infantulum rictu diducto opprimeret. Signanter dictum, obseruasse Draconem, qua hora mulier fœtum esset editura; vt scias Diabolum, hominémque diabolicum insidere principiis rectè viuendi, quod Rupertus notat lib. 7. in Apoc. *Adstabat ergo Draco ante mulierem, quæ erat paritura*, &c. *vt significaret corpus eius vniuersum, generationem Caini aduersantem ab initio generationi sanctæ, generationi Abelis, generationi quærentium Dominum*, &c. ex *Ps. 23.* Premo illud *ab initio*, quod sic explices. Vbi primùm gens Deo sancta boni motum capit animo, sentit morsus Draconis infestissimi. Sensit Abel ab orbe condito, sensit mulier ab infante nato, sensit tyrunculus ab via inita rectè viuendi.

Apocal. 12. n. 4.

Vrgent tentamenta in principiis rectè agendi.

3.

Tenera adhuc erat, nuptiisque agendis inepta virgo, cùm infantiam coleret mentis bonæ. Vnde sponsus, *Soror* (inquit) *nostra, parua*, &c. *Cant. 8. num. 8.* Id verò est: primos concepit boni motus. Hæc dum versat sponsus, statim discutit, quid de sorore statuendum. *In die, qua alloquenda est*, &c. tentante scilicet Diabolo, & quod velit, suggerente. quod Hugo notat. Neque enim cunctatur Diabolus in soluendis auspiciis rectè viuendi. Sed quid sponsus statuit? Muros scilicet extruendos, & turres altè erigendas esse; quibus septa virgo consistat, hostémque trudat, n. 9. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula, &c.* Addit Vatablus, excitandas virtutum arces esse; *vt si sponsus filius subito ingressu occupare velit animum sororis, nitentem ingredi arceant*, &c. Bene est: video tamen, quantus insurgat Dæmon aduersùs infantiam mentis sanæ, vt necesse fuerit, muros extrui, turres erigi, ne pereat virgo tenera. Tentat enim Diabolus, tentat rudes boni animos. Hac manu Pharao Hebræum aggreditur, qui, Deo duce, viam init, vt sanctè viuat.

Cant. 8. n. 8. & 9.

Firmanda benè initia rectè viuendi.

Quòd si Hebræum insectatur *innumerabilis Ægyptiorum exercitus*, &c. vt vim argenti, auríque Ægypto collectam ab Hebræo eruat, quod Rupertus voluit; signat bene Diabolum, qui tentare, ac vrgere solet homines Dei amantes, vt largiores auferat opes animi. Premit hanc metaphoram Hieronymus, vt Eustochium moneat. *Onusta incedis auro, latro tibi vitandus est; non quærit Diabolus homines infideles, de Christi Ecclesia rapere festinat*, &c. *Epist. 21.* Quos à se longè positos videt homines, ardentiùs aggreditur Diabolus, vtpote quos virtutum amantes norit. Addit Tertullianus Diabolum plenè taxans, ad lib. de Pœnit. cap. 7. *Tunc maximè sæuit, cùm hominem plenè liberum sentit*, &c. Videt, Christo piè tincto, scindi nubes, micare cælum, volare è cælo columbam, tonare è nube Patrem, *Hic est filius meus dilectus*, &c. *Matth. cap. 3. num. 17.* Post laudes Parentis optimi, post testes Regis Maximi. *Tunc accedens tentator dixit*, &c. *cap. 4. num. 3.* Rimam inuenit, vt obrepat, ardore tentandi, cùm hominem à Deo laudatum videat. quod notat Chrysostomus *Hom. 13.* & firmat id, Iobo laudato. Commendat Iobum Deus à vitæ sanctimonia, vrgétque Diabolum, cap. 1. n. 8. *Nunquid considerasti seruum meum Iob?* &c. Illico Diabolus Iobum exposcit in certamen. *Extende paululum manum tuam*, &c. *num. 11.* Nescit Diabolus frigere, cùm occasio tentandi est: tunc verò apertam sibi viam grassandi putat, cùm hominem vita sanctum recognoscit. *Propterea contra sanctum Iobum nequitia sua arma commouit: quia vtique videbat illum à Deo coronatum miris laudibus*, &c. sic Chrysostomus *Hom. cit.* Vrget hominem Diabolus stimulis fortioribus, quem cælo notum agnoscit, sciens lucro se magno pugnaturum, si tandem aliquando vincat.

4.

Grauiùs vrget Diabolus virtutum amantes homines.

Matth. 3. n. 17. & 4. n. 3.

Iob 1. num. 8. & 11.

Laude viri magni irritatur Diabolus ad tentandum.

Hoc metu Christus laudat, & terret Pastorem Philadelphicum *Apoc. 3. n. 8.* laudat, cùm dicit: *Scio opera tua*, &c. Deinde apponit, quibus se rebus Pastor exercuisset. *& seruasti nomen meum*, &c. quod ad fidem tuendam spectat. Sed addit Christus, & terret hominem. *Ecce dabo de synagoga Satanæ*, &c. *n. 9.* Signanterque post laudes viri sanctissimi, grassaturum Diabolum docet Magister: quasi dicat, *Gloriam, quam habes, sequitur inuidia*, &c. sic Rupertus *lib. 2. in Apoc.* Tantam de bonis hominum laudibus inuidiam concipit Diabolus. Et quia Pastorem iterum Christus laudat *num. 10. Seruasti verbum patientiæ meæ*, &c. Terret iterum num. 11. *Tene, quod habes*, &c. Ac si vellet, teste Ruperto, *Nemo, dum certat, nimium de corona confidat*, &c. Et quidem Magister scitè monet: grauiùs enim timere potest, qui volat altiùs; cùm Diabolus premat fortiùs homines virtutis commendatæ, vt lapsu grauiore ruant. Ne tamen victor eat Diabolus, oppresso alumno virtutis maximæ, hominem Deus monet, vt turres erigat aduersùs hostem. Scio commendatam esse virginem sanctitatis celebratæ, *Cant. c. 4.* Laudat sponsus oculos, & capillos suo colore, *n. 1.* Laudat genas

5.

Apoc. 3. n. 8. & 9.

Viris magnis inuidet malè Diabolus.

Apoc. 3. n. 10. & 11.

Fide, & time.

Cant 4. n. 1. 2. 3. & 4.

genas, ac dentes ſua venuſtate, *n.* 2. & 3. & quidquid virtutis hiſce rebus clauſum eſt. Poſt laudes virtutum pulcherrimarum, ceruicem virginis erectam, quaſi arcem laudat, n. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum*, &c. Appoſitè dictum; vt quæ tot virtutes coleret, quot laudes paraſſet, timeret, & caueret impreſſiones Diaboli acriores. Vnde Gilbertus: *Liber* (inquit) *effectus libertatis tuendæ tibi de cætero incumbit negotium*, &c. *ſerm.* 26. Acſi vellet, furere Diabolum, ac ſæuire, ſi Deum piè ſequeris, libertate donatus intima, turrimque tibi erigendam eſſe, vt hoſtem ſcitè caueas, & citò abigas. Iampridem id Moyſes admonuiſſe viſus eſt, cùm Hebræum è Rameſſe duxit ad Socoth, *Exod. c.* 12. *n.* 37. Hebraïcè, *de tonitruo gaudij ad tentoria militum*, &c. quod obſeruat Rupertus *lib.* 2. *in Exod. c* 13. Petrus Damiani *lib.* 2. *Epiſt.* 7. Hieronymus *Epiſt.* 127. *ad Fabiolam, manſ.* 1. *&* 2. Satiſque Moyſes inſinuat oportere homines, voluptate concepta libertatis intimæ, cogitare de bello proximo. *Vbi enim magnitudo gratiæ, ibi magnitudo diſcriminis*, &c. Sic Hieronym. *ad* 5. *manſion.* Et quidem poſt tonitruum gaudij, poſt tabernacula tranſmigrantium, occurrit Pharao, occurrit, vrgétque Diabolus; *vnde diſcimus cauendas ſemper inſidias*, &c. quod addit Hieronymus *loco cit.* Non tamen Deus ſuam Hebræo opem negat. Ægyptum, ſecto mari, ita premit, *vt non remaneret vel vnus*, &c. Grande malum! Sed quæ non mollitur *plagis variis*, &c. pereat Ægyptus, neceſſe eſt, ſuóque malo doceat,

Quo maior eſt virtutum copia, magis timendus eſt Diabolus.

Exod. 12. n. 37.

Graſſatur hoſtis in homines grauius, quo maior eſt Dei gratia.

PARÆNET. XXVIII.

Puniri grauiùs, qui non ſanantur punitionibus.

1. PVto ego vexatam *plagis variis*, &c. non deletam omnino Ægyptum eſſe, vt cùm gladius, ac vltionũ Dominus ceruicibus impenderet hominũ, mentem ſanam caperent. Putat id & Macarius Hom. 4. *Clementer cum illis Deus agebat, non tantas plagas infligens, quibus plane delerentur; ſed conuerſionis, & pœnitentiæ gratia longanimiter ferent, & illos ad pœnitentiam expectans, exiguis vulneribus percuſſit*, &c. Sed conſilium fruſtrà ceſſit. Nam animo obfirmato Deum negat Pharao, negat & Ægyptus vniuerſa; quare opus, vt extrema paterentur, exercitu ita mulctato, *vt non remaneret vel vnus*, &c. Facit id iudex iure ſummo: & qui non ſanatur pœna, pœnam ſubit grauiorem. *Non enim veniæ locum habet, qui delinquit admonitus*, &c. Monet Theodericus apud Caſſiod. *lib.* 4. *Epiſt.* 27. *ad Argolicum.* Monetur quiſque minis, plagis; ſi monitiones abnuit, cladem ſentit vltimam. Premo litem ſacro textu. Virgã, & quidem cenſoriam inſpexit bene Ieremias *cap.* 1. *n.* 12. qua ſcilicet iudex feriret peccantes homines, & moneret. *Virgam* (inquit) *vigilantem ego video*, &c. Sed paulo pòſt, ollam pice, & igne oppletam vidiſſe Vates dictus eſt n. 13. *Ollam ſuccenſam ego video*, &c. qua iudex coqueret pertinaces homines ſua in hæreſi. Miror verſam tam ſubitò virgam in ollam. Et quænam occaſio eſt

Ad pœnitentiam ſceleratum expectat Deus.

Ieremi. 1. n. 12. & 13.

Grauius punitur, qui peccat admonitus.

Voluſ. in Iudith.

ſeueritatis augendæ. Bene Hieronymus. *Quibuſdam* (inquit) *gradibus tormenta peccantibus tribuuntur, vt paulatim veniant ad ſalutem. Qui noluerint percutiente virga emendari, mittuntur in ollam ſuccenſam*, &c. Virgam Bernardus cum malleo componit, de quo Ieremias ad cap. 23. n. 29. *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram*, &c. Vnde Magiſter ſcitè monet Serm. 10. in Pſal. 90. *Suſtinete virgam corripientem, ne ſentiatis malleum conterentem*, &c. Inſanum omnino cerebrum hominis, qui plagis non eruditur. nam pedetentim progreditur ad extremam calamitatem. Video & virgam aliam ſubitò mutatam in Draconem: quod Moyſes habet Exod. 4. n. 3. *& verſa eſt in colubrum, ita vt Moyſes fugeret*, &c. Ac inde planum fieret, corripi ſcorpionibus ſolitum hominem, qui non corrigitur virga molliori.

Ieremi. 23. n. 29.

Exod. 4. n. 3

Scorpionibus caditur qui virga non eruditur.

2. Trahit ſupplicium bonus Deus, nec manum addit vltimam peccantibus liberè. quod videre eſt in Aſſyrio, apud Iſaiam *cap.* 37. n. 8. in Chaldæo, apud Danielem *cap.* 5. *n.* 30. in Græco Rege, apud Machab. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 16. Sed cùm peccator obdureſcit, nec minis frangitur, nec plagis mollitur ad affectus pœnitentiæ, premit iudex manu virgam, & homines afficit clade vltima *vt qui longo tempore dilationem acceperunt, grauius condemnentur*, &c. Sic habet Cyrill. Hieroſolymit. *Catech.* 8. Neque enim Sennacheribus perit vi domeſtica, niſi quòd Princeps à Deo mulctatus, in Hebræum ſæuit. quod Iobias tradit *cap.* 1. *num.* 21. Nec Baltaſſar interit hoſte Medo, niſi quòd auo punito, adhuc inſanit in Deum: quod Daniel inſinuat *cap.* 5. *n.* 22. Nec Antiochus morbo confectus exhalat animam; quod patet ex 1. *lib. Machab. c.* 6. *n.* 16. niſi quòd Ieroſolymis acerbè tractatis, quod Græcus agnoſcit, *n.* 12. adhuc graſſatur in homines alios, rerum cupiens, *n.* 3. & verò Deus ſua patientia monet, & vrget peccantes homines, *vt qui longo tempore dilationem acceperunt, grauius condemnentur*, &c.

Supplicium aggrauat Dei patientia.

3. Quæris, cur Deus Noetho permiſerit facultatem arcæ conſtruendæ, ſed annis centenis? Sic intelligas, oportet, *Gen. c.* 5. *n.* 30. vbi Noethus annis quingentis pater eſt: & paucis pòſt verbis *ad cap.* 8. *num.* 14. arcam extruit, Deo iubente. Ac tandem ſenex annum agens ſexcenteſimum, arcam inſcendit, vt ſaluus enauiget, *c.* 7. *n.* 6. *eratque ſexcentorum annorum*, &c. In hanc ſententiam abiere Origen. *lib.* 4. *contra Celſum.* Auguſt. *de Ciuit. lib.* 15. *cap. vlt. & q.* 5. *in Gen.* Rupertus *lib.* 4. *in Gen. cap.* 20. Id verò annorum conceſſum peccantibus, vt admonerentur de clade vltima, cùm reſciſcerent arcam exædificari, ne periret Noethus cum domo reliqua. Nec fruſtrà Deus monuit ſæculum prius, quàm puniret. *Tanto generalius eorum iniquitates vltus, quanto ipſi poſt carnem euagati naturæ legem, & pœnitentiæ tempus contempſerunt.* ita voluit Hildebertus *Epiſt.* 74. Eò reſpicit Deus Iudex cùm ſeuerè minatur, Noetho arcam extruente, *vt veniæ locum non habeat, qui delinquit admonitus*, &c.

Gen. 7. n. 6.

Premitur acerbiùs qui peccando tempus abſumit pœnitentiæ.

4. Nemo neſcit Ieroſolymam, Tito duce, punitam grauius, quàm ſub Chaldæo punita

ta fuerat ; & patet ex longiori calamitate, quæ nunc vſque durat ; ex Chriſti Ieſu apud *Luc.* 19. *num.* 41. ex dictis propheticis. Nam pœna Hebræo irrogata per Chaldæum, ſtilla eſt, ſic Ezechiel cap. 21. num. 2. *Stilla* (inquit) *ad Sanctuarium*, &c. ſic & Daniel cap. 9. num. 11. *Stillauit ſuper nos maledictio*, &c. cùm verò Ieremias exponit cladem à Tito illatam, poſt Chriſti necem, ac crucem, *Tetendit arcum ſuum*, &c. inquit, *cap.* 2. *Thren. num.* 4. Deinde addit, *Effudit, quaſi ignem, indignationem ſuam*, &c. Punitiones peccantium bene componit Vates cum arcu bene diſtento. Eo enim arcus ferit grauiùs, quo trahitur longiùs, ac diſtinetur ; mora vires cogit, vt feriat valentiùs : addit Paſchaſius lib. 2. *Quanto magis ex Dei patientia, tempus extenditur, tanto vindicta durior accumulatur*, &c. Admonuerat Hebræum Dominus per minas, pérque plagas anteriores, ne peccaret; ſed peccat liberè, Chriſto occiſo. An reus tanti ſceleris punitur continuò? Adhuc pœna ſuſpenditur annis quadragenis, vt doleat, vt queratur Hebræus ſe peccaſſe ; ſed perſtat ſua in hæreſi, ac proinde Iudex *effudit, quaſi ignem, indignationem ſuam*, &c. vt quæ modò ſtilla erat, in diluuium ſoluatur punitionum. *Quanto* (enim) *magis ex Dei patientia tempus extenditur, tanto vindicta durior accumulatur*, &c.

Ezech. 21. n. 2. Dan. 9. n. 11. 2. Thr. 2. n. 4. *Durior virga eſt, quam ex mora Deus incutit.*

5. Caue igitur, quiſquis, Deo minante, vel flagellante, moneris, ne irarum fæces bibas, ſi Dei minis, & plagis non cohibes licentiam peccandi. Calicem Deus vltionum manu tenet : quod patet ex Pſ. 74. num. 9. *& calix in manu Domini*, &c. cùm punit grauiter, propinat largè ; cùm punit leuiter, quidquid iratum eſt, ex vno in alium transfundit calicem. *& inclinauit ex hoc in hoc*, &c. ſic de ſeueritate detrahit Iudex Opt. vt multum addat benignitatis : vnde Vates ſuggerit, *verum tamen fax eius non eſt exinanita*, &c. Fæcem iratum in imo ſeruat calice, *vt eam tandem in illos effundat, qui benignitate, & clementia minimè ſanantur, imò obdurantur*, &c. ſic Theolog. *Orat.* 15. Felices omnino homines, qui Deum & cenſorem amant, & parentem timent, minis, plagisque trahuntur ad ſanam mentem ; *prudenter enim faciunt qui ſuis calamitatibus erudiuntur*, &c. Addit Theologus *Orat.* 17. Scitè ageret Pharao, ſi flecteretur *plagis variis*, &c. effugeret proculdubio cladem vltimam, nec miles ita periret, mari latè ſecto, *vt non remaneret vel vnus*, &c.

Pſ. 74. n. 9. *Puniendi tarditatem pœnarum acerbitate compenſat Deus.*

Num. 14. Egreſſi verò mare rubrum, deſerta Sina montis occupauerunt, in quibus nunquam homo habitare potuit, &c.

Commentarius.

65. NOta eſt Dei prouidentia, qua ducit homines ad rerum optatos exitus. Hebræam è maris ſinu extraxit, Ægypto malè perdita, ſed trahit in loca vaſta Arabiæ *in quibus nunquam homo habitare potuit*, &c. Hæc Hebræo erat querendi ratio *Num. cap.* 20. *num.* 5. apud Moyſen. *Quare feciſtis nos aſcendere de terra Ægypti : & adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt*, &c. Nec Moyſes id negat *Deut.* 32. *num.* 10. vbi terram notat ſiticuloſam, & aſperitatis celebratæ. *In loco* (inquit) *horroris, & vaſtæ ſolitudinis*, &c. Addit Ieremias *cap.* 2. *num.* 6. Quid Hebræo Deus fecerit, quid Hebræus Deo retulerit; ſcilicet obliuionem libertatis donatæ. *& non dixerunt : Vbi eſt Dominus ? qui traduxit nos per terram ſitis, & imaginem mortis ; per terram, in qua vir non ambulauit, neque habitauit homo*, &c. Ea erat locorum aſperitas, vt homines arceret longè. Illud in loco dubium, fuerit ne ſolitudo adeò aſpera, vt nemo inibi vel caſam habuerit ; an hyperbolica ſit loquendi forma? qui textum ſimpliciter acceperint, non agnoſcant Hyperbolen : quod videntur probare Moyſes, Ieremias, & Achior. Addit Abulenſis *in Num. cap.* 20. *q.* 2. *&* 3. Arabiam habitari cœptam, poſtquam ſaxo percuſſo, aqua defluxit largè. Vnde Iſaias ceciniſſe viſus eſt cap. 43. num. 20. *Glorificabit me beſtia agri: Dracones, ſtruthiones ; quia dedi in deſerto aquas*, &c.

Num. 20. n. 5. Deuter. 32. n. 10. Ier. 2. n. 6. Iſa. 43. n. 20.

66. Sed nemo negat Moyſen à Iethro delectum in vaſta Arabia ; paſtores à Moyſe pulſos inibi, ne priores vellent partes gregibus adaquandis, *Exod. cap.* 2. *num.* 16. Deinde conſtat ex *Geneſ.* 21. *num.* 21. Iſmahelem conſediſſe in locis incultis Pharaoni. Ac proinde habuere Arabiam, ſi non homines alij, certè paſtores non pauci. Credas igitur tractum Arabiæ, qui à Sina ad Chadesbarnam pertinet, aſperum hominibus, & inde ignotum eſſe : quo de loco Ieremias, & Achior. Deinde credas Hyperbolen eſſe de locis reliquis. Nam quidquid ſit difficulter, id fieri non poſſe docet textus. Sic Hebræus ſanari poteſt animo, *ſi mutare poteſt Æthiops pellem ſuam*, &c. apud *Ierem. cap.* 13. *num.* 23. Verſat loquendi formam Nazianzenus *Orat.* 37. Satis ad litem facit Magiſter Deus *Luc.* 17. *num.* 1. qui rem difficilem dicit impoſſibilem. *Impoſſibile eſt* (inquit) *vt non veniant ſcandala*, &c.

Arabia hyperbolicè inhabitabilis. Ier. 16. n. 23. Luc. 17. n. 1.

67. Miror ego, cur Deus per loca ſenta ſitu, & vaſta Arabiæ Hebræum duxerit, quem vti primogenitum abſtraxerat ab Ægypti fornace ferrea. An ne, vt Deo tantùm fieret gens Hebræa, & ab vno tantùm Deo opem expoſceret difficultatis euincendæ ? Aſſentior. Id enim eſt, è ſumma Dei prouidentia hominem ſcilicet vrgere difficultate rerum, vt diſcat Deo fidendum eſſe. Noſti, credo, Iacobum benedictione donatum abiiſſe peregrè, ſolum pro culcitra, ſaxum pro molli puluino, & baculum habuiſſe pro apparatu reliquo ; hic enim Pater Geneſ. 28. numer. 2. *Vade* (inquit) *& proficiſcere*, &c. Sed iuuenem à materno amplexu abſtractum Deus voluit, vt rebus in aduerſis periclitaretur Dei vires, & quibus fidendum eſſet opibus, ſciret certò. Pulchrè Theodoret. q. 12. *Hac de cauſa Iacobus æuſugit,*

Vrget rerum acerbitas vt Deo fidant homines. Gen. 28. n. 2.

aufugit, & ſolus peregrinatur, vt locupletiſſimus rediens & ipſo experiretur, quanta ſit Dei prouidentia, &c. Pauper igitur Iacobus abit, vt ſuo diſcat malo, vnde feliciter habeat, cùm felix reueniat. *Nam quibus omnia cedunt proſperè, non perinde intelligunt, quibus fruantur bonis*, &c. Theodoretus iterum.

Opes gratiores poſt inopiam.

68. In Abramo Deus probatam voluit opem ſuæ prouidentiæ, cùm eduxit hominem è ſolo patrio in Chananæam, è Chananæa in Ægyptum, multíſque tentauit difficultatibus rerum acerbiſſimarum. Vide, quæ Moyſes exponit *Geneſ.* 12. & 13. Cur Abramo tanta rerum difficultas, ſi Deus amicè euocat hominem? Gen. 12. num. 1. *Dixit Dominus ad Abram*, &c. Si promiſſis amicum onerat, *Faciam te in gentem magnam*, &c. *num.* 2. Cur abire hominem iubet peregrè. Sed peregrinationem Abramo vtilem Deus imperat ſcitè admodum. quod notat D. Thom. *In illa enim plures difficultates, & plures, ac principaliores modos diuinæ prouidentiæ plenius experiebatur*, &c. quaſi vellet Doctor Angelicus tentari hominem peregrinationibus, ac difficultatibus plurimis, vt Deo fidat; quo duce via certa eſt ſalutis parandæ. Hæc Deo cura eſt prouidentiæ commendandæ, cùm Ezechiam morbo premit 4. *Reg. cap.* 20. *n.* 1. vt precibus adeat magnum Dominum. *Obſecro Domine*, &c. *n.* 3. Cùm Ioſuen bello tentat *cap.* 7. *num.* 4. vt opem à Deo expoſcat num. 7. *Heu Domine Deus*, &c. Cùm Moyſen tundit ſeditionibus, *Num. cap.* 16. *num.* 42. vt ad Dei arcam profugiat, num. 43. *Moyſes, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis*, &c. Tentantur difficultatibus rerum magni homines, vt diſcant facilè, quod bene Paulinus canit,

Gen. 12. n. 1. & 2.

Deum ſentit liquidò, qui piè euagatur.

4. Reg. 20. n. 1.

Ioſ. 7. n. 4. & 7.

Num. 16. n. 42. & 43.

Difficultatibus eruditur Iuſtus, vt ſuam in Deo ſpem figat.

——— *Humanis opibus ſperare ſalutem*
Nulla, &c.

Carm. 8. Hac via Moyſes Hebræum duxit in Arabiam, vt Deum ſibi præſentem coleret locis aſperrimis vaſtæ ſolitudinis. *In quibus nunquam homo habitare potuit*, &c.

69. Addo Hebræum benè extractum in vaſta, & inculta Sinæ loca, vbi Deum morum Magiſtrum audiret, ſine tumultu, ac ſtrepitu hominum; & facilè exciperet, quod Magiſter Deus vellet, quid moneret, quid iuberet. Auctor ſententiæ Philo eſt ad lib. Decalog. *Non* (inquit) *mirum eſt, ſi à pernicioſa ciuitatum conſuetudine in deſertum abductus eſt populus, vt animos purgaret ab iniquitatibus, & tunc mentis cibos caperet, leges*, &c. Vnde colligas, oportet, multum praui moris contrahi ex turba hominum varia. Addo

Solitudo morum magiſtra.

PARÆNET. XXIX.

Deo frui hominem, qui fugit homines.

1. VEl Seneca periculis rerum didicit trahi à conuictoribus ſordidis ſordes animi, nec vitari poſſe, niſi fugias homines peccantes liberè: quidquid mali moris ſubiicias oculis, vim grandem habet perſuadendi. Quærit Lucilius, quos fugiat, vt turpes animi ſordes fugiat. Ad hæc Seneca, *Fuge* (inquit) *turbam. Nunquam mores, quos extuli, refero; quod ægris euenit, vt nunquam ſine offenſa proferantur, hoc nobis accidit*, &c. *Epiſt.* 7. Experimento compertum habebat Seneca vrgeri homines vi graui ad prauitatem animi, cùm è domo in forum abeant. *Nemo enim aliquod vitium non commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit*, &c. Ne quis igitur labatur in præceps, & fæces animi concipiat, *ſubducendus eſt populo tener animus, & parùm tenax recti*, &c. Monet iterum Seneca. Id verò, & quòd trahuntur à congerronibus mores, & quo quiſque laborat vitio, conuictores afficit. Secedit Henochus à turba hominum, Deo Magiſtro, & *non apparuit, quia tulit eum Dominus*, &c. *Gen. cap.* 5. *num.* 24 Longè ab hominibus homo vitam inſtituit, qui Dei placitis ſtare voluit, ſatis ſciens quid quiſque ſcelerum concipiat animo, ſi turbis ſe inſerit hominum. *Nam probus, & quietæ vitæ amator ſeceſſum, & ſolitudinem diligit, latere ignotus cupiens, non humanæ ſocietatis odio; ſed quia fugitat vitia, quibus vulgus delectatur*, &c. Sic Philo *ad lib. de Abramo.* Nemo igitur neget, ſolitudinem ſanctitatis matrem eſſe: quo loci fugiunt viri magni, vt rectè ac piè vitam inſtituant.

A turba malè morata tradit quiſque malos mores.

Gen. 5. n. 24.

Fugit vitium, qui fugit homines.

2. Ab aula Ægyptia Moſes fugam capit, & pergit vaſtam in Arabiam, Exod. 2. num. 15. *Qui fugiens moratus eſt in terra Madian*, &c. Græcè vertas, *Secedens in ſolitudinem*, &c. Ibi enim vox Græca eſt, ἀναχωρέω. quaſi Moyſes vitam anachoricam inſtituerit, vt tam longè à magnis vitiis, quàm longè viueret à viris magnis. Pulchrè ad litem Philo, *Receſſit in finitimam Arabiam, vbi tutiùs degere poterat, Deum inuocans*, &c. Addit Procopius Moyſen iam Ducem populi, non ſemel ab Hebræo abſtraxiſſe ſeſe ad loca ſola. Exod. 33. n. 6. *Tollens tabernaculum ſuum, tetendit extra caſtra*, &c. Homo turbæ fugitans æquè, ac nequitiæ. *Humanis enim ſe rebus eripiens, tentorium ſuum fixit extra caſtra; id eſt, vitam ſuam firmam, & perturbationibus vacuam reddidit*, &c. Sic Procopius in cap. Iſa. 7. Virtutis amans amat ſolitudines. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*, &c. *Pſal.* 54. *n.* 8. quo vt volet facilè, alas cupit. *Quis mihi dabit pennas*, &c. *num.* 7. In metu erat Dauid, ne pudorem peccandi tereret, ſi turbis hæreret hominum, n. 6. *Timor, & tremor venerunt ſuper me*, &c. Inde impetus fugitandi in ſolitudines, *vt quàm longiſſimè à malis præſentibus ſe remoueat*, &c. Sic Nazianzenus Orat. 17. ſatis innuens ſolitudinem virtutis ſchola eſſe.

Aula virtutum nouerca, ſolitudo, mater.

Exod. 2. n. 15.

Exod. 33. n. 6.

Turbat piam mentem turba hominum varia.

Pſal. 54. n. 8. 7. & 6.

Fuge mundum, vt immundum fugias.

3. Eò fugit Mulier cœlo nota, cùm Draco furit, ac ſæuit. Apoc. 12. n. 4. *& draco ſtetit ante mulierem*, &c. Sed fœtu edito, & ad Dei ſedem rapto, *Fugit mulier in ſolitudinem, vbi locum habebat paratum à Deo*, n. 6. Quo enim loco potius, quàm ſolo, & inculto ſeruaret mulier pios fœtus animi? Sic Helias, ſic Heliſæus, ſic & homines alij à locis frequentioribus ad aſperrimas ſolitudinum ſeſe conferebant, quod Rupertus firmat *Lib.* 13. *de Vict. cap.* 4. & lib. 7. in Apocal. cap. 12. *vbi habebat locum paratum à Deo*, &c. Mulier, id eſt, Chriſti ſchola. Addit

Apoc. 12. n. 4. & 6.

Bona meditationibus solitudo, bona moribus concinnandis.

Rupertus, *vbi contemplationi vacando posset hunc locum agnoscere, & semper casum suum cauere*, &c. Tanta locis incultis vis ineſt, vt motus ſcelerum quiſque premat. Prudens igitur Deus admodum ab Ægypto Hebræum duxit in ſolitudines, vt procul ab Ægypto, & turba hominum miſcellanea virtutem facilè coleret; deinde facilè perſpiceret, quid Magiſter morum Deus vellet, quid moneret.

4.

Facilè Deus ſe ſe oſtendit peregrinantibus, cùm vrbes fugiunt, & vaſtis ſe locis condunt. Scio Heliam Carmelo, & Horebo delectatum maximè. Carmelum enim incolit 4. *Reg.* 2. *num.* 2, 3. *Reg.* 19. *num.* 8. Profectò ſolitudinis amans erat Helias, qui procul à tumultu hominum Deum quærebat, *vt cognoſceret Deum plenius*, &c. quod monet Ambroſius *ad lib. de fuga, cap.* 6. & erit qui nolit ſolitudinem etiam aſperrimam ſeruire ad notiones Dei penitiores? Certè Helias peregrinatione tritus, ac ſolitudine Deum videt, & audit, 3. Reg. cap. 19. num. 9. *Quid hîc agis Helia?* &c. neque enim ad tantam Dei amicitiam, niſi per ſolitudinem, ac peregrinationem peruenisſet. quod addit Procopius. *Non niſi poſt infinitas ſolitudinum peragrationes Deo dignus eſt habitus Helias*, &c.

4. Reg. 2. n. 2. 3. Reg. 19. n 8. & 9.

Amicè Deus ſe ſe aperit vaſtis locis.

5.

Quónam alio Moyſes loco Deum ſentit? nónne ſuo in Horebo? Exod. 3. num. 2. *Apparuit illi Dominus*, &c. Id verò factum, *cùm minaſſet gregem ad interiora deſerti*, &c. ſcilicet frui Deo non poteſt homo, niſi fugiat homines, & ſolis ſe locis abdat. Benè Magnus Gregor. lib. Mor. 23. cap. 20. *Poſtquam in deſertum fugit, dum illic degit, quaſi ab inquietis deſideriorum terrenorum tumultibus obdormiuit, & ideo vocem diuinam percipere meruit*, &c. Abeſt à tumultu rerum humanarum homo, cùm abeſt ab oppidis frequentioribus, & inde propinquior Deo eſt. Facit ad litem, quòd meus Chriſtus ſuæ maieſtatis amplitudinem alumnis familiariſſimis, niſi in Ithabyrio, non oſtendit. Matth. 17. num. 1. *Duxit illos in montem excelſum ſeorſum*, &c. Cur non media in Ieroſolyma? Cur non in agro Bethleemico? montem ſubit, vt ſolitudinem magnæ ſapientiæ ſcholam eſſe doceret. *Gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtrauit*, &c. ſic Tertull. *ad Martyr. cap.* 2. Si quis igitur demonſtrationes velit conſtruere de viſione beata, montem adeat, & terat ſolitudinem. Inibi Deus ſuam ſcholam aperit, vbi alumnus à cura, & ſtudio feriatur humanarum rerum.

Exod. 3. n. 2.

Propinquior Deo eſt, qui montes præterit.

Matth. 17. n. 1.

Scholam aperit Magiſter Deus vbi nulla hominum turba eſt.

6.

Hoc affectu Abrahamus ſola, & inculta petebat loca. Euocatus à Deo in Chananæam aduolat *Geneſ.* 12. *num.* 1. Pergit ad vallem illuſtrem *num.* 6. nec ſiſtit gradum. *& inde tranſgrediens ad montem*, &c. aras erigit, & preces mittit num. 8. *Ædificauit ibi altare Domino*, &c. Regreſſus ab Ægypto locum Deo ſacrum repetit *Geneſ.* 13. *num.* 4. ac Deum ſibi præſentem allicit. *In loco altaris, quod fecerat priùs*, &c. mira Abramo voluptas ſolitudinis occupandæ. Sed Deo frui largè voluit, & inde fugit homines, ſuámque ſtruit caſam procul ab oppidis. *Solitudo enim propter inuocationem Domini Dei gratior erat, quam ciuitas*, &c. Ita Chryſoſtom. *Homil.* 32.

Gen. 12. n. 1. 6. & 8.

Gen. 13. n. 4.

Non oderat Abramus homines, vt fugeret vrbes hominibus frequentiores, & ſolitudines amaret, eò humanæ gentis odio; ſed putabat minus ſe Deo frui poſſe, quo propiùs adiret, & audiret homines. An Magiſter Dominus montes petit, orandi cauſa, vt homines eam orandi formam ſequantur? Aſſentior. Nam, Luca teſte, Chriſtus *exiit in montem orare*, &c. cap. 6. num. 12. *aſcendit in montem, vt oraret*, &c. *cap.* 9. *num.* 18. ſcilicet vt à diſcipulis Magiſter procul abductus orandi modum inſinuet. Pulchrè in locum Tertullianus lib. ad Martyr. cap. 2. *Ipſe* (inquit) *Dominus in ſeceſſu frequentius agebat, vt liberius oraret, & ſæculo cederet*, &c. Quaſi orandi modum concinnaret optimè receſſus ab oppidis. Neque enim orare Deum poteſt liberè, qui vrbes frequentat: obruatur, neceſſe eſt, curis maximis rerum humanarum.

Minus Deo fruitur, qui propius audit homines.

Luc. 6. n. 12. & 9. 4. 28.

Liberius orat, qui fugit vrbes.

7.

Quantum verò caſtæ voluptatis meditantibus repræſentent intonſi montes, ſaltus obſcuri, & vaſtæ ſolitudines, Magiſter eſt Hieronymus *Epiſt.* 1. *ad Heliodorum.* deinde Bernardus *Epiſt.* 106. ad Henricum magiſtrum ſacrarum literarum. Inuitat Bernardus hominem, vt ſolitudinem petat Claræ-vallis: vnde procul homines, vbi Deus propè. Locus enim ab oppidis longè poſitus, multam è cœlo trahit voluptatem. *Experto crede*, (inquit) *aliquid amplius inuenies in ſyluis, quàm in libris*, &c. quo longiùs ab vrbe viuas, eo propiùs Deum videbis. *Ligna, & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis*, &c. Qui enim Deo Magiſtro diſcit, vel ab incultis locis diſciplinam haurit, *An non montes ſtillant dulcedinem, & colles fluunt lacte, & melle?* &c. Iam id pridem Ioel monuerat cap. 3. num. 18. *Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte*, &c. Sed, quod Vates de Chriſti aduentu, id Bernardus pollicetur de Claravalle. Vbi mens Deo ſacra ex arborum aſpectu, ex aquarum vi, ex montium latebris, Deum iucundè meditatur.

Multam è cœlo trahit voluptatem locorum aſperitas.

Ioel 3. n. 18.

Deum piè repræſentat agri venuſtas.

8.

Cur non ita, ſi villam petit Cyprianus, & procul ab vrbe abit ruſticatum? ſcilicet vt de ſuo Deo loquatur liberè: ſic ille ad Donatum lib. 2. Epiſt. 2. *An ne eloquium noſtrum arbiter prophanus impediat, aut clamor intemperans familiæ obſtrepentes obtundat?* &c. Laudat Cyprianus, quam tenet ſedem, longè à tumultu hominum, vbi lacus, montes, ſaltus, & quæcumque locorum aſperitates Deum exhibent præſentiſſimum. *Animam* (inquit) *ſimul, & auditus inſtruit, & paſcit obtutus*, &c. O ſolitudinem boni ſcholam, Magnique Dei regiam! quò Moyſes abit, cùm aulam fugit, *Exod.* 2. *num.* 15. Deinde ſimulato gregis paſcendi ſtudio, ſecedit in ſolitudines. quod notat Procopius *in* 1. *Iſa. cap.* vnde abduci ægrè poteſt, etſi Deus iubeat; tanta enim viro voluptas inibi, cùm Deum meditaretur, & alloqueretur, vt multis Deum vrgeret, ne legaretur ad Regem Orator, *Exod.* 4. In Horebo Moyſes erat, & ſuo cum Deo ſolus erat. *Vnde ad curam hominum euocatur inuitus*, &c. Sic Procopius. Satis ſciens Deo frui non poſſe hominem, qui amicè tractat homines. Occaſionem igitur meditandi iucundè Hebræo Deus proſpexit, cùm eduxit ab

Ab arborum aſpectu Deo notiones hauriit iuſtus.

Exod. 2. n. 15.

Exod. 3. n. 1.

Exod. 4. 13.

Qui Deo fruitur ægrè curat homines.

ab oppidis ad ſolitudines. *In quibus nunquam homo habitare potuit*, &c. Et quidem Horebus dumis incultus, ſcopulíſque aſperrimus, ſuum Hebræo Deum oſtentauit gloriosè.

Num. 15. Illic fontes amari obdulcati ſunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cœlo conſecuti ſunt.

Commentarius.

70. PErgit Achior, & quæ à Deo bona Hebræus exceperit, carptim exponit. Multa prætermittit: non tamen, quæ Moyſes docet de ſanata amaritudine aquarum plurimarum, *Exod.* 15. *num.* 23. Notum eſt, quo loci Deus Hebræum eduxerit, *& venerunt in Mara*, &c. vbi amaritudines aquæ ſalſæ, & nomen loco inditum ab euentu rerum. Id enim fecit Hebræus. *Vocans illum Marà, id eſt, amaritudinem*, &c. Neque enim Deus homines ad ſe trahit, vt iucundè vitam degant: ſed in labore, ac mœrore. quod notat Hieronymus *Epiſtol.* 127. *ad Fabiolam, manſ.* 5. Agnum Deus, & panem apponit: *ſed cum lactucis agreſtibus*, &c. *Exod. cap.* 12. *num.* 8. quod expendit Hieronymus Epiſt. 18. ad Euſtochium. *Apud Deum* (inquit) *nihil tantum ſuaue placet, niſi quòd in ſe habet mordacitatis aliquid, & veritatis: Paſcha enim Chriſti cum amaritudinibus manducatur*, &c. Qui delicatè viuit, mores non colit, nec virtutem curat, ſed cuticulam; ſed longè id à Dei cultu, qui lucos ab ara longè arcet. Deut. c. 16. n. 21. *Non plantabis lucum, & omnem arborem, iuxta altare Domini Dei tui*, &c. & quidem Hebræus Deo addictus Dei ſcitum piè exequeretur neceſſe erat, Iſaia vate ad cap. 17. num. 8. *& quæ operati ſunt digiti eius, non reſpiciet, lucos, & delubra*, &c. Ius erat, vt arbores ab aris longè homo truderet, qui Deum piè vellet colere. *Ne ſcilicet paſſiua*, (*id eſt*,) *paſſim vaga*) *& voluptuoſa religio auſteritatem vnius, ac veræ religionis euertat*, &c. Sic Hieronym. *ad Hoſeam cap.* 4. Tantum Deus abeſt ab admittendis hominibus, qui ex arborum vel eſu, vel vmbra voluptatem captant. Addit Philo *ad* 1. *de Monarch.* corrumpi caſtitatem morum locis amœnioribus, & ea de cauſa arceri arbores à Dei aris. *Quoniam verum Dei templum non poſtulat amœnitates, ſed ſeueram caſtitatem*, &c. ſcitè admodum Philo monet. Quandoquidem, ſi mites ſunt arbores, & dulces, edunt fœtus. *Parùm cordatos homines à religione retrahunt*, &c. Et quod Deo colendo tempus inſumendum eſt, pomis colligendis inſumunt. *Præterea ſyluarum condenſa maleficis conueniunt*, &c. Neque enim pudet peccare, vbi lucus loco obſcuro peccantem abdit. Itaque ſana fides, & caſta pietas quod volupe eſt, auerſatur, & auertit longè. Et hæc Deo mens, vt Hebræum duceret in Mara, id eſt, amaritudinem.

Exod. 15. n. 23.

Exod. 12. num. 8.

Dei amans non amat delicias.

Deut. 16. n. 21.

Iſa. 17. n. 8.

Procul à Dei ara deliciarum appetens.

Nutrit Venerem locorum amœnitas.

71. Non ego negauerim ſanatam amaritudinem aquæ ſalſæ, ligno in fontem miſſo: quod habes *Exod. cap.* 15. *num.* 25. & inde excepit Syracides cap. 38. num. 5. *Nónne* (inquit) *à ligno indulcata eſt aqua amara?* &c. ſcilicet tentari Deus non ſinit homines ſupra quàm poſſunt. quod Paulus docet 1. *ad Corinth. cap.* 10. *num.* 13. Laudo, quæ monet Hieronymus Epiſt. cit. ad Fabiol. manſ. 5. *Ne terrearis* (inquit) *ſi poſt victoriam venias ad amaritudinem, quia verum Paſcha facientes azyma cum amaritudinibus comedunt; & tentatio probationem, probatio ſpem, ſpes verò parit ſalutem*, &c. Quid ſalutis non oſtendit aqua ligno ſanato? Addit Hieronymus. *Apud Medicos antidotus quædam noxios humores temperans, ex amaritudine nuncupatur, quæ dulcis oſtenditur, reſtituens ſanitatem*, &c. Sic & tentationes animi vertuntur in dulcedines, cùm turpes ſedant motus. Nec Deus pungit homines difficultate rerum acerbiſſimarum, niſi vt punctionibus voluptates animi conciliet. Deinde vices mutat, ne quis ſuccumbat tentationibus ſi pugnet continuò. Benè Philo ad lib. de Abr. migrat. *Non poſſunt cum illis conflictari perpetuò; ne fortè quis aliquam inde peſtem ſibi affricet*, &c. Certè Deus, cùm te diutiùs laborare non patitur, laborem emollit, vt feras leuiùs.

Eccl. 38. n. 5.

1. Cor. 10. num. 13.

Amaritudines iuſta menſura diſpenſat Deus.

Ad ſanitatem morum facit amaritudo tentationum.

72. *Modicum* (inquit,) *& non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me*, &c. *Ioan. cap.* 16. *num.* 16. Sic ſe Chriſtus ſubtrahit, vt redeat iterum; ne quis prematur grauius, quàm par eſt, labore continuo. Vnde virtutis amans rectè habet. *In ſchola virtutum proficiens, faciente viſitatione, ne deficiat; tentatione, ne ſuperbiat*, &c. Hæc Bernard. *Serm. ad Cant. Ezech.* Nouit bonus Deus ingratum omnino eſſe, quòd nimium eſt. Inde vices boni, ac mali verſat: & cum ſinapis grano, fortunam confert beatitatis perpetuæ. *Simile eſt* (inquit) *regnum cœlorum grano ſinapis*, &c. *Matth. c.* 13. *num.* 31. ſcilicet, ad condimentum ſatis eſt ſinapis modicum. *Amarat enim nimietas, quod menſura condire poteſt*, &c. Addit Chryſolog. *Serm.* 125. Hæc in Dei manu menſura eſt, vt ſciat bonis mala miſcere, & ſtatuere, quo Hebræus anno Chaldæum iugum excutiat. Ne quid nimis. Erat Hebræus in ergaſtulo Babylonico: abduxerat è Ieroſolymis Nabuchodonoſor, premebat Baltaſar nepos, apud *Dan. cap.* 5. *num.* 19. & 23. Neceſſe erat, vt Chaldæus puniretur, ne Hebræum puniret ſine modo. Regem bilance Deus appendit, annis expletis, quos Hebræus exegerat patientia rerum acerbiſſimarum. Sic enim Vates legit n. 26. *Mane Thecel, Phares*, &c. quod vertit, *Numerauit, appendit, ac diuiſit*, &c. iudex ſcilicet hominum. Quaſi vellet Daniel, Deum niſi ex numerato, & appenſo, non premere homines. Notat id Rupertus lib. 7. de Victor. c. 3. *Menſus eſt*, (inquit) *tempora eiuſdem Regni, vt tantum, vel tandiu perſequeretur, ſubiceret, ac cæderet*, &c. Neque enim Deus iudex ſinit Reges latè furere, nec populos tentari malo continuo; ſcilicet, ne deficiant. Imò, quæ pungunt acerbè, rollit citò: ſi quid Abulenſis probat. Conſtat Pharani ſolitudinem ſcopulis aſperam, & rubetis incultam, humano cultu vacuam eſſe; de qua Moyſes Deum cãritans, Deut. 8. n. 15. *Ductor* (inquit) *tuus fuit in ſolitudine magna, atque terri-*

Ioan. 16. num. 16.

Alternis Deus abeſt, & adeſt ad morum ſanitatem.

Matth. 13. num. 31.

Nequid nimis.

Dan. 5 n. 19. 23. & 26.

Pœnam metitur Dei cenſura.

Deut. 8. n. 15.

Exod. 15. n. 25.

Veloſ. in Iudith.

terribili, &c. Scio deinde solitudinem castris vicenis perlustratam ab Haserotha ad Cadesbarnā vsque, & patet ex *Num.*33.*n.*28.*&* 36. Sed Moyses *ad c.*13.vbi de locis aliis,nihil agit de vicenis hisce castris,quod aduertit Rupert, *lib.*2.*in Num.c.*31. scilicet parum inibi moratus est populus, vbi vasta erat solitudo. quæ quidem summa Dei bonitas est, mitigatam velle transitu celeri difficultatem rerum, emollitúmque laborem hominum. Abulensis ad litem optimè. *Ob hoc autem fecit Deus, vt Israelitæ transirent velociter, ne fatigarentur*, &c. *q.*4.*in cap.num.*33.Laborem igitur hominum emollit bonus Deus,ne premantur graiùs, si premantur labore continuo; & ex amaritudinibus elaborat dulcitudines bonus Pater:ligno tamen amaram in aquam misso, quod Magni Dei crucem refert, communi placito: vt noris

Num. c. 33. n.28.36. cap.13.n.1.

Emollit Deus labores hominum.

PARÆNET. XXX.

Mulceri Christi labore labores hominum.

1. MOllitur benè cruce Magni Dei, quidquid durum, ac dirum pati est, Augustino teste. *Nihil enim tam amarum ad mortem est, quod morte Christi non sanetur*, &c. in Manua cap. 22. Satis ad permulcendam vim laborum, ac dolorum est, si videas, missis in crucem oculis, quid pati oportet hominem crucis amantem,Christíque discipulum.Nam ex crucis aspectu vires capias, quibus perferas acerba quæque. Sensit id Paulinus; cùm sciret salsam olim aquam,ligno immisso,perpotabilem effluxisse.

Mulcentur hoc Christi cruce cruces hominum.

Quo tristem myrrham sacri dulcedine ligni,
In dulcem potũ crucis immutauit imago, &c. *ad Nat.* 8. Hæc ita Paulino Vate. Ne quis non ferret valenter, ac libenter, quod sciret pertulisse Deum summa lubentia animi. Inde latro Dimas nec tristes sentit clauos, nec turpes cruces. Suo in patibulo erat Dimas, sua in cruce meus Christus, patientiæ spectaculum nobilissimum, cùm preces pro lictore, ac tortore mitteret ad Patrem, Luc.23.num. 34. *Pater dimitte illis*,&c. In hac rerum scena Dimas suam Christo mentem aperit, & veniam à Deo repetit. *Domine memento mei*, &c. *num.* 42. Sed confessione scelerum priùs facta, *Nos quidem iustè*, &c. *num.*41. Petis fortasse, cur latro scelerum reus crucem, ac necem ferat, nec de labore leuando agat apud Christum, sed de conscientia exoneranda? An Christi dolor dolorem emollit hominis? Id certò Drogo putat, cùm disputat de latrone apud Deum. *Pœnam* (inquit) *libenter amplexus est:tu enim admonebas, ne pati abhorreret, quod te secum pati videret*,&c.*ad tract.de Passion.* Verè meus Christus sua cruce dulces hominibus cruces reddit. Tundant Paulinum homines dictis, factis.Non turbatur Antistes,sed perstat animo obfirmato, cùm Deum cruce pressum videt. quod Paulinus canit, ad Ausonium Epist. 41.

Luc. 23. n. 34 42.41.

Christi dolore remolliscunt labores hominum.

——— *Christi sub nomine probra placebunt,*
Nec patitur tenerum mens Numine firma pudorem, &c.

Quanta sacro in ligno virtus est ad amaritiem leniendam,rerum acerbissimarum!

Sensêre Apostoli, quo animo ferendum esset, quidquid acerbitatum iuberet Prætor, lictor inferret; si viderent piè Christum ligno affixum: nam voce exerta respondent: *Possumus*, ad Marc. cap. 10. num. 39. Quæsierat Magister à Iacobo, & Ioanne, possent ne cruces, ac neces tristes pati, Deo ad rem duce?num.38. *Potestis bibere calicem,quem ego bibo?*&c.& signanter apposuit, *quem ego bibo*, &c. se enim in Ducem addito, voluit Magister discipulos vrgere ad patientiam rerum asperrimarum. quod exponit Chrysostomus Hom.66.in Matth.*Perspice,qualiter ipso interrogationis modo,& hortatur,& allicit*,&c. Sciebat Magister Optim. haurire homines facilè difficultates rerum acerbissimarum, Deo in crucem acto. Neque enim temerè additum de haustu amaritudinum. *Quem ego bibo*, &c. Sed,quod addit Chrysostomus, *vt communicatione laborum promptiores redderentur*,&c. sic vrget Christus patiens ad patientiam rerum asperrimarum; quasi leues sua cruce reddat cruces hominum.

2.

Marc. 10. n. 39.& 38.

Libenter iustus crucem ferat,Christo duce.

Ligno suffixus prodigit animam Seruator hominum, vtpote quem lictores interemerunt. *Suspendentes in ligno*,&c. *Act.cap.*5.*n.*30. vt Christi discipulus fustibus exceptus plurimis,nec vim timeat, nec iniuriam. quod Cyprianus laudat lib.3.Epist.25.ad Martyr. *Neque enim ad fustes Christianum corpus expauit, cuius spes omnis in ligno est*,&c. Vepres, ac tribulos edit terra, quibus pungantur peccantes homines,Gen.c.3.n.18.*Spinas,& tribulos germinabit tibi*,&c.Ne tamen vepres lædant grauiter,suo Christus cerebro stimulos gestat,& emollit aculeos. *Exiuit enim Iesus portans coronam spineam*,&c.*Ioan.c.*19.*n.*5. Sic Deus suo dolore dolores hominum mulcere solet, & sanare. quod expendit Tertullianus de Coron. cap.14. *Abstulit virtus crucis omnes aculeos mortis,in Dominici capitis tolerantia obtundens*,&c. & verò,quis inspiciat Deum flagris cæsum,clauis fixum, & cruce turpatum, nec crucis acerbitates, morsúsque tristes ferat strenuè, ac libenter?

3.

Act. 5. n. 30.

Gen.3. n.18.

Quidquid pati durum est, leniuit Christi patientia.

Ioan. 19.n.5.

Inde votum Iosepho Arimathæo audax est crucis ferendæ, si Prætor iubeat. Qui enim Magistrum colebat clanculò,occultus scilicet discipulus, *propter metum Iudæorum*,&c.*Io.*19. *n.* 38. Id verò, an antequam Magister vitam cruce finiret,Magistro ad Crucem, necémque adacto, *Audacter introiuit ad Pilatum*, &c. *Marc.c.*15.*num.*43.vt Magistrum vita defunctum daret tumulo. Vires capit Senator, & metu pulso,magnos sumit spiritus;nec crucẽ, necémque timet,qui Deum cruce pressum videt,& colit religiosè,Lyrano teste. *Sed exemplo mortis Christi animatus, ostendit se publicè Christi discipulum esse*,&c. Sentit Arimathæus emollitos crucis mucrones patientia Magistri Domini, qui nec Prætorem, nec lictorem timet,etsi minas intendant graues; nam crux Deum explicans hominibus, lex est imperans necessitatem patiendi fortiter, ac libenter. Dulce,ac decorum Nazianzeno est,quidquid acerbitatum infert Arianus, si cõferatur cum flagris,ac colaphis Magni Dei. *Quota*(inquit)

4.

Io.19. n.38.

Mar.15.n.43.

Audet iustus ad necem vsque ferendam post Christi necem.

pars

pars eſt, id, quod patior, indignitatis illius, qua Chriſtus conſputus, & cæſus eſt, &c. *Orat.* 25.

Nouit Iſaias, qua vi trahit Chriſtus homines ad crucem piè colendam, & ſtrenuè ferendam. Hac voce Chriſtus, *Ego* (inquit) *Dominus: Primus, & nouiſſimus ego ſum,* &c. *cap.* 41. *num.* 4. & textus eſt de cruce, ac nece Magni Seruatoris, qua nouiſſimum virorum, ac virum dolorum Chriſtum agnoſcit Vates, *cap.* 53. *num.* 3. Video, quæ nam turba hominum Deum quærit, vti primum; ac hominem vti nouiſſimum. *Viderunt inſulæ, & timuerunt; extrema terræ obſtupuerunt, appropinquauerunt, & acceſſerunt,* &c. *cap.* 41. *num.* 5. Abundè ad excitandos crucis amores erat, videre Deum cruce lata preſſum, & ſub iniuſta ſarcina ſudantem largè, quod exponit Gilbertus ſerm. 20. in Cant. *Omnia, quæ inde ſunt, quandam habent alliciendi efficaciam, & cogitantes ſolicitant in affectum,* &c. Modos modis loquendi addit Vates, vt oſtendat quanta ſacro in ligno vis eſt ad homines piè mouendos, trahendóſque religiosè. Quare cerebri malè ſani eſt ſcire Deum flagris, clauis, cruciatibuſque exceptum plurimis, ac de vitæ commodis minutè cogitare. In Ithabyrio erat Chriſtus; aderant comites Moyſes, & Helias, & ſermones cum Deo miſcebant dulces. *Dicebant exceſſum eius,* &c. *Luc.* 9. *n.* 31. Græcè ἔξοδον, Chriſti ſcilicet exitum, *ex hoc mundo ad Patrem,* &c. Vtique viri magni diſputabant de cruce, ac nece magni Dei. Tunc Petrus ad Magiſtrum, *Præceptor* (inquit) *bonum eſt nos hìc eſſe,* &c. *n.* 33. Idque Petrus (teſte Luca) *neſciens quid diceret,* &c. & ſcitè meo à Luca dictum. Nam mentis quodammodo emotæ eſt homines de vita agere, cùm Deus ſua de cruce, ac nece agit. Oportebat, vt cruces infames animo forti, ac lubenti deuorarent homines; quandoquidem crux Dei Magni dulces reddit clauos, dulces cruces, dulces amaritudines rerum aſperrimarum. *Illic fontes amari obdulcati ſunt.*

Isa. 41. n. 4. & 53. n. 3. & 41. n. 5.

Allicit ad patiendum Chriſti patientia.

Luc. 9. n. 31. & 33.

Abſurdum eſt ſub magiſtro malè preſſo diſcipulum agere delicatè.

Et per annos quadraginta annonam de cœlo conſecuti ſunt.

Commentarius.

73. TExtus eſt de Manna in cibos communes dato. quod multis patet, vide Exod. cap. 16. num. 15. Deut. 8. num. 16. Pſalm. 77. n. 24. *& pluit illis Manna ad manducandum,* &c. quot annis id bonus Deus prouiderit, bene Achior exponit, & monet Eſdras lib. 2. cap. 9. num. 20. *Quadraginta* (inquit) *annis,* &c. Illud expendo, panem ſcilicet è cælo datum, vocari annonam ab Achiore, quaſi Deus Hebræum tanquam familiæ Pater nutrierit. Sic Nabuchodonoſor pueros ex dimenſo recreatos eſſe voluit, Dan. cap. 1. num. 5. *& conſtituit Rex annonam,* &c. Nec Deus Hebræum cibo, potúque nutrit, niſi vt paternam aduersùs hominem oſtendat curam. *Vtpote qui tanquam filius à patre nutriebatur; panem enim cælì dedit illis,* &c. Hæc Cyr. Alex. *ad* 1. *Iſaiæ cap.* Et verò, iuſta Deo, ac pia cura eſt de hominibus paſcitandis; ſcilicet, ne laborent in cibo parando: quod probat Chryſologus ſerm. 146.

Pſ. 77. n. 24.

2. Eſdr. 9. n. 20.

Dan. 1. n. 5.

Cibos Deus hominibus, vt Pater, apparat.

Totumque ſeruitutis humanæ ademit laborem, qui blando rore cæleſtem eſurientibus præbuit, & inuexit annonam, &c. Laudo, quæ Deus egerit amore hominum. Scio tamen aliam à Vate Lyrico rationem inſinuatam eſſe de annona conſtituta Pſalm. 77. Suam Deus opem late promittit hominibus: ſed malè Deo fidunt homines. *quia non crediderunt Deo,* &c. *n.* 22. Factum inde eſt, vt panem à Deo Hebræus caperet num. 24. *& pluit illis manna ad manducandum,* &c. An Dei iniuria Deo eſt ratio faciendi bene? putat id Baſilius Seleucien. *Orat.* 19. Ad Hebræos igitur Antiſtites, *Contumaciam* (inquit) *tuam reuerentia mollire machinatus Deus, ſuperne alimentis parandis cælum vocabat, infernè rupes ad inexpectatas aquarum potationes adornabat,* &c. Quàm bonus hominibus Deus! quos lenire ad obſequium aggreſſus eſt menſa extructa; ſciens certò bene factis vrgeri homines fortiter; nam, teſte Seneca, *vincit malos pertinax bonitas,* &c. *ad* 7. *de Benef. cap.* 28. Hac via Deus Hebræum malè diffidentem cibare conatus eſt. Nec maieſtate læſa reos ſcelerum non paſcit homines: *qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos, & malos,* &c. *Matth. cap.* 5. *num.* 45. ſcilicet *more optimorum parentum, qui maledictis ſuorum infantium arridet: nec ceſſant Dij beneficia ingerere, vnam potentiam ſortiti, prodeſſe,* &c. Ita Seneca *lib. cit. cap.* 31. Duplex ex dictis admonitio: altera, Deum prouidentiſſimum adeſſe viris bonis; altera, Deum clementiſſimum non deeſſe malis etiam hominibus. Illud igitur admoneas,

Miniſtrat Angelus ne laborent homines.

Pſ. 77. n. 22. & 24.

Vincuntur dulci pectora dura cibo.

Matth. 5. n. 45.

Bene Deus facit, etſi malè accipitur.

PARÆNET. XXXI.

Prouidere Deum viris optimis.

I. NEgat Dauid apprimè inſtructus periculis rerum plurimis, virum bonum laborare ſolitum inopia ſaltem diuturna: citò enim inuenit remedium inopiæ mitigandæ. Ita Dauid Pſalm. 36. num. 25. *Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem,* &c. ſcilicet, paterna eſt indulgentia liberis conſulere, menſam parare. Filium ex Ægypto Hebræum Deus euocat in loca vaſta. Hæc enim apud Regem Dei vox eſt Exod 4. num. 23. *Dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi,* &c. ſtatim menſam ſtruit Deus cibo Angelico Deum Vates Dauid legumlatorem, morumque ducem laudat Pſal. 22. n. 1. *Dominus regit me,* &c. Ne quid tamen deſit ad officium piè faciendum: vox inibi Græca eſt, κύριος ποιμαίνει με, quod bene vertas, *Dominus paſcit me,* &c. & verò, qui leges imponit Dominus, cibo foueat gregem hominum opus eſt: ſi quid videt Clemens Alex. 1. *lib. ſtrom. cap.* 14. Notat ille cœtum hominum à Chriſto gregem appellatum eſſe, *Luc. cap.* 12. *num.* 32. & addit. *Quòd ſi grex à Domino dicitur allegoricè, idem erit bonus Paſtor, & legiſlator,* &c. Obſtrictus ſuo officio Deus eſt, vt niſi paſcat, non imperet Dominus. Scio Deum, & Regem, & Patrem ſacro textu vocatum eſſe. Regem, ac Dominum exercituum agnoſcit Vates Iſaias *cap.* 6. *num.* 5. Patrem Moyſes laudat Deuter. cap. 32. num. 6. *Nunquid non ipſe eſt*

Pſ. 36. n. 25.

Ex. 4. n. 23. *Qui iubet, paſcat.*

Pſ. 22. n. 1.

Luc. 12. n. 32. *Qui leges imponit, cibos apponat.*

Isa. 6. n. 5.

Deut. 32. n. 6.

Pater tuus, qui possedit te, & fecit te? &c. vt noris quo iure Deus pascendos homines susceperit. *Qui & iustitia regnantis, & generantis affectu in se totam tui recepit solicitudinem*, &c. Hæc Chrysol. *ser.* 163. Hoc aspectu egit Magister, ne discipulus de cibo parando ageret, vel cogitaret. Luc. 12. n. 29. *& vos* (inquit) *nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis*, &c. Quod vt facilè Magister à discipulo impetraret, Deum in loco Patrem laudat. *Pater* (inquit) *vester*, &c. quasi vellet. An pater suam liberis curam, & opem negitet? *& hæc sola ratio sufficit ad confidendum*, &c. Addit Caietanus scitè. Deus bone! quo affectu curas, & alis homines? Pater scilicet tui amans generis! Neque enim paterni erat animi homines à te fieri, ac deinde cibo negato deseri. Hæc Ambrosio vox est, quidquid nolit Philosophus, *& quis sui operis curam negligat? quis deserat, ac destituat, quod ipse condendum putauit?* &c. *ad 1. de Offic. cap.* 13.

Luc. 12. n. 29.

Et Rex, & Pater Deus audit, vt prouideat necessitatibus hominum.

2. Iam verò, si quid laboris imponit, mensam bonus apponit Deus. Petrum labore Apostolico terendum vrget Magister. Vnde multus Apostolo cursus à Ierosolymis in Asiam vniuersam: addo Galatiam, & Cappadociam. 1. *Petr. cap.* 1. *num.* 1. Sed lego cibos à Deo statim appositos esse, cùm Petrus id appeteret *Act.* 10. *num.* 10. linteumque sælo missum n. 12. *In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli*, &c. scilicet, vt quæ Petrus vellet, in cibos conficeret, Dei iussu. *Petre, occide, & manduca*, &c. num. 13. Quis neget Petrum à Deo inuitatum lautè esse? Putat id Chrysologus serm. 163. *Nam quidquid Noë vector noui sæculi, sæculi parauit ad semen, hoc vnam Petri cælitus mactatur, & exhibetur in cœnam*, &c. Laborem imperabat Deus viæ ineundæ num. 20. *Surge, descende, & vade*, &c. oportebat, vt Petrus cibo refocillatus abiret. In hac cura Deus, vti Pater, est familiæ recreandæ, si qua vrget ad laborem. Nec moras Deus patitur in subleuanda fame hominis. Adamum condit *Gen. cap.* 1. *num.* 27. & ad laborem vrget hortuli percolendi, c. 2. num. 15. *vt operaretur, & custodiret illum*, &c. Sed creat hominem, postquam terra Deo iubente, in fructus latè diffunditur. *Germinet terra*, &c. cap 1. num. 11. *Volens, vt recens natus homo nulla re careret, quæ ad vitam, atque adeò ad bene viuendum conferat*, &c. Hæc Philo *ad lib. de Opif.* A quo Nicetas mentem hausisse visus est, vt moneret, parata rerum copia creatum vltimò Adamum fuisse, *vt mundum ingressus inopia minimè laboraret*, &c. sic Nicetas *in Orat.* 44. *Nazianz.* Absurdum enim erat, vt quem Deus ad laborem hortuli creauerat, non recrearet cibo largè parato, *vt communium humanitatis effusæ pondus operis superet, & laborem*, &c. & hæc Chrysologo mens est, *serm.* 170.

Act. 10. n. 10. 12. 13. & 20.

Iuuanda cibo seruitia.

Gen. 1. n. 27. 31. & 2. n. 15.

Seruum pascat herus.

3. Quid si mira Deus edit, vt viris bonis prouideat? video, quo ire dixerit Hieronymus Danielem sua inedia meruisse, ne periclitaretur inedia. Erat Vates inter leones ieiunus, ac siccus fame, siti. *Dan. cap.* 14. *num.* 36. eo loci volat Habacuc, duce Angelo, prandiolumque ferens. *Serue* (inquit) *Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus*, &c. Notum est miraculum, quo Angelus hominem capillis detulit è Iudæa in Babylonem: sed viris bonis ad miraculum vsque Deus prouidet, Angelo subministro. *Talem enim discophorum inedia meruerat hebdomadis*, &c. sic Hieronymus 2. *aduersùs Iouin.* Nónne Christus miris modis famem sedat hominum plurimorum? *sequebatur eum multitudo magna*, &c. *Ioann. cap.* 6. *num.* 2. Affectu scilicet pio Deum viæ, ac vitæ sanctæ ducem amabant homines, sequebantúrque locis vastis, quibus necesse erat prouidere, ne deficerent. Quid ergo meus Christus, nisi mira patraret, vt occurreret necessitatibus hominum? quinis igitur panibus quinque hominum millia recreauit, fame abundè sedata. *Quantum volebant*, &c. *num.* 11. Quid si Christus delicias curasse hominum in loco visus est? Petit Abulensis *q.* 117. *in Matth. cap.* 14. fuerit ne panibus hordeaceis ad gulam sapor, vt mensa à Deo parata lautè homines recrearet? & adstruit panes saporis fuisse optimi. Neque enim vinum ex aqua nisi optimum confecit Deus; quod probat Ioannes *c.* 2. *n.* 10. Nec panes ex hordeo multiplicatos sapere nisi delicatè æquum erat. *Verosimile* (inquit) *est, quòd essent optimi; vt ostenderetur magnitudo Christi in hoc*, &c. scilicet Magnus Princeps, ac Magnus parens videtur Deus esse, cùm viros bonos curat abundè, ac delicatè.

Ioa. 6. n. 2. & 11

Vsque in delicias pascit Deus.

4. Sic amari à Deo homines docet bene Seneca ad lib. 4. de Benef. cap. 5. *Neque enim necessitatibus tantùm nostris promissum est: vsque in delicias amamur*, &c. Et verò vnde hæc, quæ possides? quæ negas? quæ præstas? quæ rapis? Vnde & hæc luxuriam instruens copia; vnde, & quæ oculos, aures, animumque mulcent orbe terrarum vniuerso? Iam id pridem Philo inuenerat explicato Deisceito, quo vetat, ne Hebræus hostem premens, vrbe obsessa, mites, ac felices excidat arbores, Deut. cap. 20. num. 19. *Non succidas arbores, de quibus vesci potest*, &c. Nam præscripti vim ex loco sic Philo eruit, vt nolit Deus carere homines terrarum fœtura dulciori, *vt præstò sit humano generi ciborum copia, non solùm ad necessitates, verùm etiam ad delicias*, &c. *ad lib. de Charit.* Quid viro bono agendum apposita lautè Dei mensa, docet Nazianzenus Orat. 40. *Tam quæ ad necessarios vitæ visus, quàm quæ spectant ad delicias, velut in communi conuiuio natura proposuit, vt ex ipsis beneficiis Deus tibi innotescat*, &c. Larga se manu Deus ostendit, ac docet laborate inopia non posse hominem, qui Deum vti Patrem agnoscit, ac veneratur. Nam sub Deo Parente hominum optimo, *Annonam de cælo consecuti sunt*, &c. Homines boni æquè, ac mali. Ne quis neget

Deut. 20. n. 19.

Delicatiora viris bonis Deus parat.

Extructa à Deo mensa pios acuit affectus hominum.

PARÆNET. XXXII.

Deum malis etiam hominibus prouidere.

1. HEbræum ab Ægypto Deus euocat vastam in Arabiam; erant in castris Moyses, hominesque alij probatæ sanctitatis: erant & Dathanes, Abirones, & turba reliqua mali cerebri; vtrosque tamen homines Deus alit annis plurimis. *& pluit illis manna ad manducandum*, &c. quod Dauid canit *Psalm.* 77. *num.* 24.

Pſ. 77. n. 24. *num.* 24. & quod magis miror, ſapor ille cibi varius, elaboratúſque ad lubentiam vſque, & gulam hominum, communicatus eſt bonis æquè, ac malis. Hoc enim affectu Deus erat
Sap. 16. n. 20. *deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati*, &c. *Sapient.* 16. *num.* 20. vt bonos à malis non excerneret, ſed vtroſque homines indifferēter aleret. quod volunt Cæſar. Arelat. *Hom.* 5. Hugo Vict. *in Exod. cap.* 16. Chryſoſt. *in tract. Quòd nemo læditur, niſi à ſe.* Vide quos Lorinus citat Auctores alios *ad Sapient. locum cit.* Neque enim pulſatus iniuria Deus ſuam à bene faciendo manum retrahit. Vnde Cyrillus addit
Nec tactus iniuria Deus non paſcit homines. Catecheſ. 2. *Negauerunt Deum homines, ſed Deus ſe ipſum non negauit*, &c. Facit ad litem metaphora depluendi, qua Deus vtitur. *Ego*
Ex. 16. n. 4. *pluam vobis panes*, &c. *Exod. cap.* 16. *num.* 4. & qua Dauid ſuam adornat muſam, *Pſalm. cit.*
Mat. 5. n. 45. Nam Deus, teſte Matthæo, *pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*, &c. nec alios ab aliis excernit homines. Peccant in Deum gentes locis plurimæ, Deíque maieſtatem iniuſtè lædunt: ſed imbres Deus mittit in agros, alit ſegetes, nuttit pomos, homineſque bonos iuxtà, ac malos
Larga in vtroſque homines Dei bonitas. bene habet. *Satius enim eſt prodeſſe malis propter bonos, quàm deeſſe bonis propter malos*, &c. admonet Seneca *ad* 4. *de Benefic. cap.* 28. Argumento in hanc partem eſt, quòd bonus rerum Pater hortos geniales, agróſque fertiles æquè, ac rupes ſteriles, vepreſque triſtes alit imbre miſſo; nec minus, quàm felices arbores, infelices iuuat frutices. *oſtentans ſuas diuitias; quod iis etiam ſufficiant, qui non magnam inde vtilitatem capiunt*, &c. ſic Philo 2. Allegor.

2. Rem igitur humanam ea Deus via diſpenſat, vt quæ quiſque velit, à Deo ad vitam obtineat. *Quippe qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*, &c. *Matth. loco citato.* Nec temerè erecta Deo ſedes in ſole eſt: vnde ſuam bonus Pater oſtendat curam de humano genere. Cantat id Vates Dauid Pſalm. 18. n. 6.
Pſ. 18. n. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, &c.: & hæc ita, Bernardo teſte, *vt Scriptura impleretur, quæ dicit: Vt ſis ſalus mea vſque ad vltimum terræ*, &c. *Iſa. cap.* 49. *num.* 6. Scio de qua ſalute textus eſt. Addiderim, extructam Deo Sedem in
Salutem curat omnium bonus Seruator. Iſ. 49. n. 6. ſole eſſe, vt qua via Sol malos, & bonos reſpicit homines, hac & Deus via probos, improboſque homines bonis aleret, & recrearet, omnémque iuuaret nationem, quæ ſub cælo eſt. Tantuſque Deo affectus eſt de paſcitandis hominibus licèt improbis, vt iuramento
Paſcit bonitas, quoſcumque terra capit homines. Deum obſtringat Helias, ne famem ſoluat 3.
3. Reg. 27. n. 1. Reg. cap. 27. num. 1. *Viuit Dominus, ſi erit his annis ros, aut pluuia, niſi iuxta oris mei verba*, &c. Vrget Deum Vates Sacramento, quaſi grauiſſimum Deo eſſet reos punire cibo negato. Ac proinde ſuam Vates interponit auctoritatem: *iuxta oris mei verba*, &c. *Propenſam*
Inuitus manum Deus trahit à largiendo. *Dei in homines beneuolentiam metuit. Ne præmaturum det, ab imbrium carentia laxamentum metuit*, &c. ſic habet *Orat.* 11. Baſilius Seleucien.

3. Quòd ſi Hebræus queritur de communi cibi penuria, tacet Deus, nec queritur de iniuſta querimonia; ſed occurrit neceſſitatibus.
Exod. 16. n. 2. & 4. Fame periclitatur gens Hebræa *Exod. cap.* 16. quare ſuo cum Duce grauiter expoſtulat n. 2. *& murmurauit omnis congregatio*, &c. ſcilicet leges non audit venter fame rugiens. Occurrit è veſtigio Deus Opt. num. 4. *Ego pluam vobis panes de cælo*, &c. Nec de Hebræo pœnas iudex ſumit, quas Hebræus dedit, cùm appeteret irritamenta gulæ ſiculæ, illud obtrudens immodeſtè Num. cap. 11. num. 4. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* &c. Sed tanto Deus
Num. 11. n. 4. 34. motu in homines graſſatus eſt, vt Hebræo malè mulctato appellaretur locus ille, *Sepulchra concupiſcentiæ*, &c. Textum ita verſo. Queritur Hebræus, carneſque petit, & ſtatim punitur: queritur, & panes cupit, nec pœnas ſoluit; quid hoc rerum eſt? Abulenſis optimè q. 11. in cap. Num. cit. *Quia ibi deficiebat panis, & potus; quod rationabilius erat ad formandam querelam*, &c. Sciebat Deus Opt. iuſtam Hebræo eſſe querendi rationem, cùm
Iniſtè dolet, qui annonam ſibi detractam dolet. non haberet annonam: inde tacet ad voces, & non punit; quaſi pater hominum Deus teneretur bene liberis, etſi malis prouidere.

Deinde largus opum Dominus opes effundit in homines, licèt improbos, vt pertinaces euincat animos pertinax bonitas. *Qui enim inſtat, & onerat priora ſequentibus, etiam ex duro, & immemori animo gratiam extrudit*, &c. quod monet Seneca 1. *de Benefic. cap.* 2. Hæc Baſilio Seleucienſi ratio occurrit, vt Deus Hebræum malè diffidentem ſolaretur cibo Angelico. Cùm enim addubitaret gens vniuerſa de ſumma Dei potentia, & altè ebucciPſ. 77. n. 20. & 25. naret Pſalm. 77. num. 20. *Nunquid panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo*, &c. Deo inanes ad voces conniuente. *Panem Angelorum manducauit homo*, &c. *num.* 25. Antiſtes enim Hebræum pulſans, *Contumaciam* (inquit) *tuam reuerētia mollire machinatus eſt Deus*, &c. *Orat.* 19. Sed hac vna voce vrget Hildebertus virum æquè nobilem, ac diuitem *Epiſt.* 32. Sciebat hominem diuitiis ſimul, & vitiis affectum eſſe: inde concepit impetum arguendi. *Iam te blandimentis quibuſdam natura delenibat, gratuitis præueniendum cenſens officiis*, &c. Eò ſpectabat bonus Deus, cùm opes
Blanditur improbo Deus, vt probum reddat hominem. credit hominibus; peruicaces animos trahere conatur ad ſui amorem largitionibus maximis. Quis latro non pararet ſceleribus admittendis patrocinium, ſi quæ bonus poſſidet, malus non haberet fortunæ bona? In hac ſententia Theodoretus eſt lib. 6. de Prouident. *Apertiſſimum* (inquit) *defenſionis campum haberent malitiæ operarij, ſi in hac vita diuitiarum theſauros ſolis iuſtis iudex ille diſtribuiſſet.*

5. Quare malos etiam homines bene numatos eſſe Deus voluit, ne quid opponerent in patrocinium improbitatis. Hac via Iudam Magiſter ducit. Nouit diſcipulum intus, & in cute: quid vellet, quid tentaret, quid raperet.
Io. 12. n. 6. *Occaſiones patrandæ tuendaque nequitiæ ſciat Deus, cùm malos homines bonis affi-cit.* *Fur enim erat, & loculos habens*, &c. *Ioann. c.* 12. *n.* 6. Hæc Magiſter, certò ſciens, adhuc manticulario numos committit, quos diſpenſet, *loculos habens*, &c. Auctore Chryſoſtomo, *vt omnem tolleret proditionis materiam*, &c. *Hom.* 64. *in Ioan.* Quo enim iure poterat diſcipulus Magiſtro infenſus eſſe, à quo offēſus non fuerat, cura numorum mandata? Inde Magiſter facultate permiſſa tractandæ pecuniæ, *& malam obſtruxit cupiditatem, & omnem abſtulit excuſationem*, &c. proditionis ſcilicet patrandæ. Noſti, cùm dives Epulo fortuna proſpera vſus fuerit? Luc. cap. 16. num. 19. *Homo quidam*
Luc. 16. n. 19. *erat*

erat dies, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur ſplendidè,&c. Tantus à Deo rerum apparatus erat;*certè,vt tantis dies bonis fultus Deo gratus eſſet*,&c. Ita Chryſologus *ſer.* 124. Mollire hominem Deus voluit ea rerum copia, ne quid mali tantis affectus bonis ageret. *Neque enim quiſquam tam duri, támque infeſti animi eſt, vt etiam vi tractus non amet bonos*,&c. Hæc à Seneca *ad lib.*7. *de Benef.c.*28. Hoc Deus affectu paſcit homines, & hac via boni, malíque alumni.

Beneficia-rium obligant beneficia.

Annonam de cœlo conſecuti ſunt.

Commentarius.

74. NEmo neſcit panem Euchariſticum Manna adumbratum eſſe. vide Lorinum *in Pſ.* 77. *n.* 24. Satis ad rem facit Magiſter Dominus *Ioan. 6. num* 32. vbi ſacram Euchariſtiam cum Manna ſcitè confert. *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo verum, ſed Pater meus*,&c. Ac proinde Rupertus lib.3.in Exod. cap.6. *Profectò oſtendit alium eſſe panem in Propheta, cuius teſtimonio abuſi fuerant*,&c. Subſequitur Apoſtolus, & Hebræum laudans populum 1.ad Corinth.cap.10. n.3. *Omnes* (inquit) *eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt*, &c. Quaſi Apoſtolus doceat Hebræum vita ſanctum ex Manna dignouiſſe, quo Sacramento Chriſtus homines eſſet laute recreaturus, antequam ad Patrem diſcederet. Neque enim panem ab Angelis formatum verè ſpiritalem diceret, niſi vellet typum eſſe panis Euchariſtici Et hoc Tertulliano argumentum eſt ex lege vniuerſa, quam Paulus ſpiritalem vocat ad Rom.cap 7.num.14. *Si ſpiritalem* (inquit) *legem confirmat, vtique & propheticam, vtique & figuratam*,&c. *lib.5. contra Marcion. cap.*13.Nec Ioannes à Paulo diſſidet, cùm virum piè ſanctum Manna donatum iri adſtruit, *Vincenti dabo Manna abſconditum*, &c. *Apoc. cap.2. num.*17. quæ viris doctis mens eſt apud Virgam *comment. 3. ſect.* 4. Ergo Manna typicè Euchariſtia ſacra eſt : multíſque probatur argumentis.

Eucharistia verè Manna.

Ioan.6. n.32.

1. Cor. 10. n.3.

Rom.7 n.14.

Apoc.2.n.17.

Nam ſi Manna inde nomen ſumit, vnde Hebræus miratur, & clamat, cibo lautè dato, *Manhu? Quid hoc eſt*? Exod.cap.16.num.15. certè vox hæc quadrat benè in ſacram Euchariſtiam,cùm miracula inibi edita tam pariant admirationem, vt Sacramento ritè confecto liceat clamitare *Manhu*: *Quid hoc eſt*? Deinde Manna ſacro textu panis eſt Angelicus è cœlo miſſus; quod Vates Dauid canit Pſ. 77. num.24.& 25. *Pluit illis Manna ad manducandum, panem Angelorum manducauit homo*, &c. vtpote qui Angelis miniſtrantibus confectus Hebræo in cibum apponeretur : eóque reſpexit Chriſtus *Ioan. 6. num.* 50. vbi ſacram Euchariſtiam Sacerdotum, id eſt, Angelorum opera confectam, docet è cœlo miſſam eſſe. *Hic eſt panis de cœlo deſcendens*, &c. vt noris homines verè Angelos fieri cibo Euchariſtico. Addo panem Hebræo datum, è cœlo miſſum in caſtra militum defluxiſſe *Exod.cap.*16. *num.*13. *Num.cap.*11.*num.*9. Argumentum vti foret, hominibus piè militantibus vires addi cibo Euchariſtico. Quòd ſi Manna Hebræo annona eſt,annis plurimis,vti probat Achior: certè annona Euchariſtica viris ſanctè agentibus nuſquam ad vitam deerit ; quod in promiſſis habent apud Matthæum cap. 28. n.20. *& ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*,&c. quaſi Deus tribuat perſeueranter quidquid boni tribuit. Apud Laurent. Iuſtinian. *ſer.de Euchariſt.* Iam verò Manna dulces adeò fauos repræſentat;quod patet ex *Sapient.*16.*num.*20.vbi Sapiens Deo gratus,*Dulcedinem* (inquit) *tuam, quam in filios habes, oſtendebas, & deſerviens vniuſcuiuſque voluntati*,&c.vt quod quiſque vellet, Manna ſaperet ; bonis tamen viris, quidquid nolint alij. Sed abeunt in hanc partem Abulenſ. *q.*13. *in Exod.cit.q.5. in cap.9.& q.*16.*in Num.cap.*11. Lyra *in Sapient.cap.cit* Magnus Gregor. *lib.6. Moral.cap.* 9. Auguſt.*lib.*2.*Retract. cap.*20. Ex rerum ſumma, commendatio de ſacra Synaxi multa eſt.Illud in primis commodum,

Matth. 28. n.20.

Pertinax in largiendo eſt Dei bonitas.

Sap.16.n.20.

PARÆNET. XXXIII.

Euchariſtiam bonæ mentis alimoniam eſſe, ne vires deficiant.

28. LOnga,nec plana via eſt, quæ ducit homines ad benè viuendum, ac beatè. Vrgent in via ſacra morſus affectionum,premunt labores ſanctimoniæ, grauant legum ſcita, viámque reddunt hominibus aſperam,ac difficilem. Quare cibo piè ſumpto opus eſt, ne quis laceſſat difficultate rerum, ne deficiat ab incepto,ne viam deſerat, ſed vires cibo reficiat. Qua enim via profecerit mens quæque pia, ſi viaticum non habeat, epulum ſcilicet Euchariſticum ? vnde *Viaticum* appellatur; quod Paſchaſius voluit, ad lib. de Chriſti corp. & ſang. cap. 9. *Quatenus, ſicut aluntur cibis terrenis ad tempus, vt viuant: ſic alantur ſpiritaliter per hæc ad vitam perpetuam, ne deficiant in via*,&c. Laudat Nazianzenus *Orat.*4. nutrimentum iuxtà, ac oblectamentum menſæ Euchariſticæ:*In qua* (inquit) *reficior,& delicior*,&c. De oblectamento aliud erit parænetícum, Nutrimentum ſtylo perſequor. Nam meus Chriſtus hominibus eſt *Panis vitæ*, &c. *Ioan. 6. num.* 33. An quia panis ſuo ſignificatu claudit, quidquid ciborum vbique eſt ? Conſtat ex Luc.14.num 1.*Cùm intraret Ieſus in domum Sabbato manducare panem*, &c. Patet ex *Prou.cap.* 33.*n.*14. vbi Heroina ſtrenua eſt, *de longè portans panem ſuum*,&c.Liquidum eſt ex 2.*Reg.cap.*9.*num.*7. vbi Dauid Rex Miphibo-ſethum ſolatur. *& tu comedes panem in menſa mea ſemper*, &c. Quibus locis Interpretes panem pro cibatu latè, & lautè datum capiunt. Inde Chriſtus panem ſe vitæ piè alendæ vocat, vt eo cibo clauſum ſcias, quidquid cibi ſanctiſſimi ſumi poteſt ; ne quis à via recta deficiat.

Euchariſtia ad ſalutem viaticum.

Ioan.6.n.33.

Luc.14. n 1.

Prou. 33. n. 4.

2.Reg.9.n.7.

Panis ſacro textu eſt, quidquid à cœna lauta eſt.

2. Metus Chriſto erat,ne Apoſtoli à bono, & æquo deſciſcerent, Magiſtrúmque negarent, vt Petrus,cùm fugam præuideret gentis Apoſtolicæ.Quid igitur?cibum prouidet Euchariſticum, in ſubſidium humanæ infirmitatis. Deinde particulas viritim alumnus diuidit, *Matth.c.*26.*n.*26. quod Paulus expendit 1. ad Corinth.cap.11,n.23. *In qua* (inquit) *nocte tradebatur*,

1. Cor. 11. n.23.

debatur, accepit Ieſus panem, &c. Via ad Magiſtrum piè colẽdum præceps erat; laboréque minabatur, Iudæo malè in Chriſtum animato: quare cibo egebant Apoſtoli, ne laſſeſcerent, quod Bernardo visũ eſt ad ſer. 2. de Ramis. *Expetierat eos Satanas, vt cribraret, opus erat refectionem præuenire*, &c. Franguntur labore vires hominum; franguntur & affectus boni aſſiduitu difficultatum: oportet ali hoſce affectus cibo Euchariſtico, ne langueſcant; quod inſinuat menſa Moſaica. Appoſitos hac menſa panes Deus voluit, ad Moyſen enim, *Pones* (inquit) *ſuper menſam panes propoſitionis, in conſpectu meo ſemper*, &c. *Exod. cap. 25. num. 30.* Sed menſa, non vt arca, velo tegitur: erigendam ſcilicet curauit Deus *menſam extra velum*, &c. *num. 34.* quaſi paratam iter agentibus, & vigilantibus. In hanc ſententiam abiit Petrus Cellenſ. ad lib. de Panib. cap. 1. *Eccleſiæ* (inquit) *extra velum excubias agenti, donec Lucifer oriatur, parauit menſam, ne deficiat in via*, &c. Terenda in tenebris via eſt virtutis colendæ: vigilandum eſt hominibus, & laborandum, ne à via aberrent: ſed vnde vires ſumat vigilans æquè, ac laborans, niſi à menſa Euchariſtica?

Vires piè reficit panis Euchariſticus.

Ex. 25. n. 30. & 34.

Data vigilantibus Euchariſtia.

3. Prouiſa liberis hæc annona à Deo hominum Patre eſt, ſi Chriſto fidis. Nam Magiſter apud Ioann. 6. num. 32. *Pater* (inquit) *meus dat vobis panem de cælo verum*, &c. An hæc Hilarius? can. 30. in Matth. *Volens proprietatis nobis paternæ in ſe ſpeciem ſignificare, ſignatum ſe à Deo ait; & hoc ideo, quia vitæ æternæ eſcam filiis eſſet daturus*, &c. Sciebat paternam Deo curam eſſe de hominibus paſcitandis latè, & lautè, quibus menſam parauerat Euchariſticam: vbi panem, vinum, carnem, & quidquid famem ſedare poteſt ſpiritualiter, inuenit pia quæque, & infans anima. Quandoquidem, *Verbum eſt omnia infanti, & Pater, & Mater, & Pædagogus, & altor. Caro* (inquit) *mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, &c. *Ioann. 6. num. 56.* Scitè Clemens Alexand. 1. *Pædag. c. 6.* Mirum, quo ſucco alit mentes hominum cœna Euchariſtica? inde fides conſtat, ſpes viget, amor flagrat. *Caro ſcilicet Chriſti corpore, & ſanguine veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur*, &c. Apponit Tertullianus *ad lib. de Reſur. c. 8.* Tertulliano hæret Chryſologus *ſerm. 1.* & addit, *Menſa Patris nos alit, virtutis cibo, ſalutis epulo*, &c. Et hæc vna eſt ratio, cur lignum vitæ, myſticè Euchariſtiæ, Hebræo textu eſt, lignum חהיים *Hahaiim, lignum vitarum*, &c. quæ enim vitæ pars, aut ſors eſt, quam non paſcat, non foueat, non producat menſa Euchariſtica? Vixit Hebræus vaſta in Arabia; & quidem vitam produxit valetudine proſperrima. *Nec fuit in tribubus eorum infirmus*, &c. *Pſalm. 104. num. 17.* Quo Hebræus medicamento vitam prorogauerit, ſanus adeò, vt morbo nuſquam tentaretur, inuenit Tertullianus, lib. aduersùs Iudæos, cap. 3. *Manna* (inquit) *cibatus, ad inſtar immortalitatis redactus, nec humanis paſſionibus contaminatus*, &c. Affectio eſt humani corporis, vt morbo nunquam non prematur: ſi tamen Hebræus cibo paſtus Angelico, ita vixit, vt valeret proſperè? Cur non viuat bene, valeatque beatè pia quæque anima, quæ ſacra Synaxi alitur? quando Chriſti panis hominibus eſt *panis vitæ*, & Tertulliano, *Euchariſtia medica*, &c. *ad lib. de Pudicit. cap. 18.*

Ioan. 6. n. 32.

Paterna eſt cœna, Euchariſtia.

Ioan. 6. n. 56.

Sagina virtutum eſt Euchariſtia.

Multiplex cibo Euchariſtico vita.

Pſ. 104. n. 17.

Viuit bene anima, & beatè cibo paſta Angelico.

4. Hoc aſpectu Deus panes duodecim, & pares tribubus duodecim appoſitos ſua in menſa eſſe voluit; quod patet ex *Leuit. cap. 24. num. 5.* Eo enim typo ſignificatum eſt, famem hominum qualemcumque ſedari, & morbum animi curari hac menſa poſſe; eſt enim panis ægroto æquè, ac ſano cibus. Sacram igitur menſam adeat, qui morbo premitur, & qui vrgetur inopia; quandoquidem bonus Deus in hiſce panibus, *Diuerſarum apponit gratiarum panes, ne de inopia alicui pauperum, aut infirmorum iuſtæ ſuppetant excuſationes*, &c. rectè Petr. Cellenſ. *cap. 2.* Perge igitur quicumque ſapis, menſamque Euchariſticam frequenter aggredere. *Non parcè prandendum, vbi cibum inuenis Deum*, &c. Monet Petrus *loco cit.* Quotidianus eſt panis, quem à Patre bono petis, vt dies nullus abeat, quin Euchariſticum panem ſumas. Quòd panes ſemper Hebræa in menſa forent, argumento erat panem Euchariſticum ſemper à bono viro ſumendum eſſe; neque enim ſacra Deo menſa patet, vt manum parcè admoueas. Bardus omnino homo eſt, qui cibo Angelico abſtinet, & non dolet grauiter. Alia Chryſoſtomo vox eſt aduersùs hominem Hom. 60. ad pop. *Vnus ſit nobis dolor hac eſca priuari*, &c. Quid enim proderit multa de vitio pellendo cura, ſi nullus de cibo Euchariſtico flagrat amor? erit quidem homo tenax propoſiti, ſed niſi cibum ſumat, paulatim deficiat à bono, & æquo neceſſe eſt. Iſaias benè de bono viro, *Iſte* (inquit) *habitabit in excelſa petra*, &c. *cap. 33. num. 16.* Arcem textus ſonat munitam ſitu, & manu, qua Deus virum tuetur bonum. Sed addit Vates commeatum à Deo prouiſum in vitæ bonæ ſubſidium. *Panis illi datus eſt*, &c. *Quid enim prodeſt tam munita, & inacceſſa ſublimitas, ſi quæ intus ſunt famis, & faſtidij, vaſtat crudelis egeſtas?* &c. Hac via docet Gilbertus *ſerm. 26. in Cant.* nocere viris optimis abſtinentiam à cibo Euchariſtico. Adeas igitur epulum ſalutare, nec manum ſinu teneas, vt fame pereas. Adeas & conuiuium opiparè inſtructum: ſcio enim, & moneo,

Leu. 24. n. 5.

Medicina morum Euchariſtia.

Iſ. 33. n. 16.

Perit virtus maſcula, quæ cibo caret Euchariſtico.

PARÆNET. XXXIV.

Euchariſtiam piæ mentis cœnam pluſquam ſaliarem eſſe.

1. LAudantur parœmiaſticè dapes ſaliares, vtpote quæ ſapore elaborato concinnarent cœnam Pontificiam. Laudo ego Epulum Euchariſticum pluſquam ſaliare, quo Deus vti *Sacerdos, ſecundùm ordinem Melchiſedech*, cibos tam dulces apponit. *Deſeruiens vnius cuiuſque voluntati*, &c. *Sapient. cap. 16. num. 21.* vt quod pius quiſque velit, id latè ſapiat menſa Euchariſtica. Hominibus enim dolentibus ſapit veniam, timentibus ſapit gratiam, amantibus ſapit lætitiam, omnibus piè agentibus ſapit bona reliqua. *Manna abſconditum eſt*, Apoc. 2. num. 17. Guſtari poſſunt, non poſſunt explicari dulcitudines animi, quibus fruitur mens quæque pia. Quidquid ſaporis

Sap. 16. n. 21.

Ap. 2. n. 17.

saporis optimi est in cœna Eucharistica edendo haurit homo, non exhaurit recensendo: nec libro continentur, quæ ad magnam faciunt voluptatem animi. *Sine causa paginam consulis, experientiam magis require: Manna absconditum est; non illud eruditio, sed unctio docet: non scientia comprehendit, sed conscientia*, &c. Satis ad rem Bernardus, si de sacra Synaxi dictum vellet, quod de voluptate qualicumque animi dixit appositè *serm. ad Cleric. cap.* 21.

Multa è cibo Eucharistico voluptas.

2. Faciunt ad epulum saliare dapes adipales, quæ quidem saporem dulcem elaborant. Sed canit Dauid *Psalm.* 147. *num.* 14. bonum in hac cura Deum esse, cùm hominem recreat cibo Eucharistico. *& adipe* (inquit) *frumenti satiat te*, &c. quidquid enim condit voluptates animi, id Dauid claudit cibo adipali; si quid Paschasius rectè videt, ad lib. de Christi corp. & sang. cap. 9. *Notandum* (inquit) *est, quòd frumentum hoc habeat adipem, & non modò adipem, sed & delicias*, &c. Deus bone! quanta deliciarum vis est, vbi Deus ex æquo reficit mentem quidam saporis Eucharistici! *& adipe frumenti satiat te*, &c. quo versu, Græcè est ἐμπιπλῶν σε, *implens te*, &c. & significatur appetentem hominem voluptatis Eucharisticæ abundè recreari à Deo solitum. Vnde nata Petro Cellensi ratio differendi cap. 2. *Hæc mensa plena visceribus misericordiæ, charismatibus referta gratiæ, edentium penetralia mirabiliter implendo, non explet, appetitus residentium satiando, acriùs, sed sacratiùs urget*, &c. Quàm dulces inibi lachrymæ inter epulas? quàm dulces gemitus inter voces! quàm dulces affectus inter amplexus! quos suo cum Deo ineunt homines, si quos Deus frumenti satiat adipe. Nam, *de petra melle saturauit eos*, &c. *Psalm.* 80. *num.* 17. Manna est, panis Eucharisticus: *deseruiens vniuscuiusque voluntati*, &c. Fauus est vinum Eucharisticum; vti visa Hebræo aqua est. Vitæ pomus, quo Adamus fruitur, *Gen.* 2. *num* 9. Agnus est, quo Hebræus vescitur, *Exod. cap.* 12. *n.* 3. Sacrum de simila, & oleo est, quo Sacerdos gaudet, *Leuit. cap.* 7. *num.* 9. Hostia pro delicto, *num.* 7. Victima, pro victoria, *num.* 11. 29. Mitto plura, quæ saporis sunt dulcissimi, & sacram adumbrant Eucharistiam, vt scias multam Eucharistico in Epulo vim inesse dulcitudinum, teste Paschasio cap. 9. *Quidquid enim prægustare spiritualiter poteris, hoc totum ibi inuenies*, &c. Quinam inibi sapores? quales deliciæ? quàm multa oblectamenta animi! norunt, qui fruuntur lautè, ac latè dapibus Eucharisticis.

Pſ. 147. n. 14.

Epulum Eucharisticum verè adipale.

Pſ. 80. n. 17.

3. Vna satis Eucharistia est, vt quoscumque elaboret sapores animi; nec opus est, Christi scholam tam multis facere hostiis, victimis, holocaustis, quàm multis scaret Leuiticus, & Hebræus operabatur. Vnum pro cunctis sacrum est, epulum scilicet Eucharisticum, *vt vnum sufficiens magis desideretur*, &c. visum Algero id est *lib.* 2. *cap.* 3. Satis igitur ad cibum, satis ad gustum, satis ad voluptatem vna Christi mensa est: satis superque, vt reficiantur vires animi. Nec potest deesse quidquam boni in cœna, vbi Christus multis appellatus nominibus, *Misericors, & miserator Dominus escam dedit timentibus se*, &c. *Psalm.* 110. *numer.* 4. Nam, vt mensam apponat Eucharisticam, Dominus est, misericors est, miserator est. Cur tam multis Deus vrgetur nominibus ad curam Epuli Eucharistici, nisi, vt conuiuium plusquam saliare esse doceat? *Vt enim misericordiarum Deum se ostenderet miserator, & misericors, in vltimo conuiuio escam dedit timentibus se*, &c. Hæc ita Laurent. Iustinian. *ad lib. de triumph. Christi agone cap.* 4. Nec sua Deus misericordia multus est, nisi vt sacra in mensa dulces nostris necessitatibus cibos apponat. Quòd si *aquæ furtiuæ dulciores sunt*, &c. ex Prouerb. cap. 9. num. 17. *& victores exultant capta præda*, &c. ex Isaiæ *cap.* 9. *num.* 3. non alia cibo Eucharistico dulcitudo est, *Psalm. citato.* qui Hebraicè præda vocatur. Inibi enim טרף *Tereph* rapinam, prædámque sonat.

Implet, sed mentem non explet cœna Eucharistica.

Pſ. 110. n. 4.

Multis nominibus ostentat Christus, quid Eucharistia cõferat.

Prou. 9. n. 17.

Iſ. 9. n. 3.

4. Addo nihil deliciarum deesse, vbi Deus conuiuij Rex est. Nónne Rex est qui alumnos euocat ad epulum Eucharisticum? Luc. 22. num. 30. *& ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam*, &c. Rex est, quo duce virgo sapiens vinum hausit Eucharisticum, *Cant. cap.* 2. *num.* 2. sic enim Virgo: *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, &c. Cur non frater? cur non sponsus? cur non amicus? sed Rex est, cùm cœnam parat Eucharisticam Deus Opt. Abstinet ab hisce nominibus Virgo sapiens, & Regem vocitat, vt doceat magnam esse vim deliciarum, ea in cœna, qua Deus rerum potens, ac Rex est. Quapropter sapienter exultans, *Introducit me* (inquit) *Rex in cellam vinariam*, &c. Optimè Chrysologus *sermon.* 95. ad Lucæ textum cit. *qui peruenire Regis meretur ad mensam, manducabit, quidquid Regni dominatio possidet, & potestas.* scilicet nulla non est copia deliciarum in cœna regia.

Luc. 22. n. 30.

Cant. 2. n. 2.

Rex est Christus in conuiuio Eucharistico.

5. Adornant Epulum saliare cantiones; id enim Venus monet,

Post epulas sit grata chelys, &c.

Quid si multa conuiuis cantilena est, quæ voluptatem concinnet Eucharisticam? Certè meus Christus postquam Apostolos recreauit sacra Synaxi, apud Marc. cap. 14. num. 16. *Hymno dicto* abiit in Oliuetum. Græco textu habes, ὑμνήσαντες, alternis enim canentes cum Magistro Discipuli abiere. Video, quo merito dixerit Maldonatus Christum cygneo canore dulciùs ceciniisse. Vt enim cygnus in mortem cantat liberè, ac iucundè, *Cantator funeris ipse sui*, &c. ita & Christus, morte imminente, *cygneum quiddam canens differuit*, &c. Scilicet vrget ad cantiones mensa Eucharistica; priùs enim Christus Sacramentum ritè institutum, & alumnis commmunicatum voluit num. 22. *Sumite, hoc est corpus meum*, &c. ac deinde addit quo hymno, & cantu finita cœna fuerit, viaque in montem inita, *& hymno cantato, exierunt*, &c. sic olim viri boni sacra Synaxi alebantur, & canebant. Quod latè probat Laurentius Iustin. serm. citat. *Corporis* (inquit) *tui pascuntur edulio tam pie, tam deuote, vt in voce Psalmi, in exultatione mentis, & in confessione fidei festiuus cœlesti in aula concreperet sonus*, &c. Hæc in sacra Synaxi cantilena, quid est aliud, quàm

Mare. 14. n. 16. & 22.

Vrget ad canendum piè cœna Eucharistica.

Vna est hostia Eucharistica, vt ardenter vnicam percupias.

quàm gratus, & constans, *In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis*, &c. *Ps.* 41. *num.* 5. Laudat Iustinianus, quod viri Magni colligunt, & probant ex Tertulliani Apologetico *ad cap.* 39. vbi Magister cœnam adstruens Eucharisticam, *Vt quisque* (inquit) *de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere*, &c. ius enim erat vt sacra Dei cœna, sacro finiretur cantu. Prouocat ad canendi certamen multa è cibo Eucharistico voluptas, multa è vino Eucharistico iucunditas: quod Zacharias monet *cap. 9. num.* 19. vbi sacros laudat calices, & vinum appellat *vinum germinans virgines*, &c. Hebræo textu vox est, quæ sonat *vinum cantare faciens virgines*, &c. Cur non cantet homo abundè lætus ebrietate sobria vini Eucharistici? cùm sciat se Christi conuiuam esse, Deo se frui, Deo ali, Deóque amanter hærere. Inde fit, vt à se egressus quodammodo carmen pangat, siue de sacro textu, siue de suo genio, ac Deo piè canter, vino castè madidus, est enim *vinum cantare faciens virgines*.

Zach. 9. n. 19.

Post vinum Eucharisticum multa cantilena.

6. Multa profectò est deliciarum copia in cœna Eucharistica; si, teste Chrysologo ad serm. 1. *mensa Patris nos alit salutis epulo, deliciis honestatis, & gloriæ*, &c. Sed noluit Pater, quibus hominibus communicanda sit voluptas panis Eucharistici. *hunc enim Pater signauit Deus*, &c. *Iohan. 6. num.* 27. Petis fortasse, cur signasse Deus panem Eucharisticum dictus est, & sigillis impressis altè clausisse? Si Pater est, manum porrigat liberis consulens. Panem habet familiæ Pater Opt. & panem claudi sigillis appressis, vt fame pereant domestici? Addit in litem Rupertus lib. 6. in Iohan. *Sed ita signauit, & clausis calorum portis apud se continuit, vt non cum cibis communibus patiatur à canibus, siue porcis inueniri*, &c. Quid hoc est? an non malus æquè, ac bonus panem à Deo signatum edit? sed malus eo cibo haurit amaritudines; nec delicias percipit, quibus pia quæque fruitur anima, & quas hominibus piè agentibus reseruat Pater Optimus. An satis hæc de Epulo Eucharistico? Addo vires conuiuis addi eo cibo, vt dura quæque, ac dira facilè deuorent. Proindeque moneas, licet,

Ioh. 6. n. 27.

Arcet Deus à mensa Eucharistica malos homines.

Parænet. XXXV.

Sacram Synaxim verè mensam Martialem esse.

1. Sæuum, ac continuum cum hoste humani generis bellum gerit Christi miles, dum vitam viuit, Ducemque Deum sequitur. Quid enim Dæmon agit aliud, quàm hominem tentare, vt premat; premere, vt vincat; vrgere, vt perdat. Ne igitur miles pereat, fame victus, & ab hoste fractus, vires capiat à mensa Eucharistica, necesse est; vnde bonus quisque *viuet in æternum*, &c. Scio stipendium militare Romano frumentum fuisse dimensum; quod bene probat Lipsius *ad* 5. *Dial. de Rom. milit.* Veloc. in Iudith.

Ioh. 9. n. 51. & 59.

Hoc & Christiano stipendium Christus metiri voluit, cùm sacram è frumento Synaxim parauit. quod Bernardo placet ad serm. 3. de Eccles. dedicat. *Non desunt nobis alimenta, qui interdum spiritales dulcedinis delicias gustamus. Habemus panem de cælo viuum, corpus Domini Saluatoris, in cuius vtique fortitudine, omnis aduersæ partis deiicitur fortitudo*, &c. siue pugnam ineant Dæmones, siue homines. Accedunt viri militari habitu ad aram, & vmbram aræ Eucharisticæ: quod videt Ezechiel. cap. 9. num. 2. *Vnusquisque* (inquit) *vas interfectionis habebat in manu sua*, &c. Suus cum militibus Sacerdos est, *vir, scilicet, vnus vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius*, &c. fortasse, vt quæ daret stipendia militantibus, in acta referret. *& ingressi sunt, & steterunt iuxta altare*, &c. Iure summo aram milites adeunt, qua Sacerdos sacram mystice parat Synaxim, tanquam annonam Christianæ militiæ, nec mentitur Paschasius, cùm id moneat ad lib. de Christi corp. & sang. cap. 9. *Ideo* (inquit) *bene iuxta illud Altare perhibetur, vt milites ad vitæ stipendia accedentes discernat*, &c. Pulchrè Sacerdos inter milites, pulchrè milites ad aram, pulchrè in ara stipendium, Christi scilicet frumentum, & vitæ subsidium; ne milites fame pereant, cùm hostes vrgent, Dæmones vtique, & homines; sed vires ex frumento sumant Eucharistico: vnde fortes euadunt milites, quandoquidem *panem Angelorum manducauit homo*, &c. *Ps.* 77. *num.* 25. vbi vox Hebræa, אבירים *Abbirim* fortes sonat. Et verò, qua manu pugnet Christianus miles, nisi pastus æquè, ac obarmatus sacra Synaxi? Solebant Amazones suo in clypeo mensam struere, & cibos capere militares. quod poëta canit 2. Achilleid.

Panis est Martialis Eucharisticus.

Ezech 9. n. 2

Homines à Dei ara verè milites.

Ps. 77. n. 25.

Firmantur vires militares annona Eucharistica.

—*Suppositis epulantur Amazones armis*, &c.

Nec Christi miles habet Christi mensam, nisi pro clypeo; vnde cibum capit Martialem.

2. Non pugnant milites, quibus intestina præ fame rugiunt, *asserit vrbes vna fames*, &c. Nec Christianus militat, nisi viuat tritico Eucharistico. Amalecum Hebræus non timet, qui Pharaonem timuerat, *Exod.* 14. *num.* 10. nam textus est, *& timuerunt valde*, &c. An quòd Iosue Duce, *pugnauit contra Amalec*, &c. *Exod.* 17. *num.* 10. metum exuit? Non inde sua Hebræo virtus est, sed quòd pastus cibo Angelico metum animo abigit. Iam tunc Moyses edixerat, Exod. 16. num. 15. *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum*, &c. Nyssenus optimè. *Cùm cælesti cibo vsus fuerit, tunc non per alium fugat hostes; ipse pro se ipso manus cum aduersario conserit*, &c. *ad lib. de vita Mos.* Quæ nam igitur à cibo Eucharistico vis, & virtus erit aduersùs hostes animi pertinaces, cùm panem fortium manducet homo? Facit in hanc thesim, quòd Deus verè sapiens Prou. cap. 9. numer. 3. *proposuit mensam suam*,

Exod. 14. n. 10. & 17. n. 10.

Exod. 16. n. 15.

Pugnat miles bene cibo pastus Angelico.

& misit ancillas, vt vocarent ad arcem, &c. Miror ego mutatam subitò mensam in arcem militum: si mensam struit Deus sapiens, cur ancilla milites ad arcem euocat? Sed Christi aram, & mensam, quæ alit homines, & arcem esse puto, quæ tuetur milites: nisi malis arcem militum tutam esse non posse, quæ mensam militibus non apponat martialem. Hæc Cypriano mens, & vox est apud Corn. *Epistol.* 54. vbi docet Martyrem sacra Synaxi obarmandum esse, *cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus tutela esse: quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento saturitatis Dominicæ armemus*, &c. Sciebat experimento Cyprianus languere militem ad pugnam cum Nerone initam, si non aleretur, nec sacra Synaxi firmaretur. *& mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit*, &c. Quid igitur durum æquè, ac dirum non ferat miles, qui cibo pastus Eucharistico ignes vti leo spirat?

Arcem repræsentat mensa Eucharistica.

Martyres obarmat mẽsa Angelica.

3. Video, qua dicendi copia Isaias Ducem laudat virtutum plurimarum *cap.* 33. *num.* 15. Homo enim est *qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem*, &c. nec à bono, & æquo dissidet veri amans; *qui proiecit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ab omni munere*, &c. scilicet alieni cupiens non est; eóque aspectu nec fraudes struit, nec xenia captat etiam minuscula. *qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum*, &c. Tandem homo est tantæ virtutis, vt quod ad cædes hominum spectat, ab animo procul abigat: nec scire velit, quidquid ad scelus possit vrgere. Vnde tanta viro bono sanctitas, vt scelerum duces vincat Dæmones? Addit textus num. 16. *Iste in excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas eius*, &c. Facilè homo quisque Princeps erit Christianæ militiæ, qui arcem tenet mentis strenuæ: sed quod ad virtutem magis facit, illud est, quod Vates addit, *Panis illi datus est*, &c. Acsi vellet, minus valere arcem mentis, etsi strenuæ ad tutelam virtutum plurimarum, nisi homo cibo Eucharistico vires sumat. Ita Cyr. Alex. in Isaiam lib. 3. cap. 33. *Habitantibus enim in Ecclesia panis vitæ Christus datur, fideles, & stabiles efficiens eos, qui digni habentur*, &c. Et erit, qui neget Christi milites cœna Eucharistica tutos, ac fortes esse, vt dura, & dira quæque deuorent? Quando meus Christus in Sacramento ritè instituendo iactat se Dominum militum plurimorũ? apud Isaiam *c.* 25. *n.* 6. ibi Vates: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ*, &c. & oraculum est typicè de conuiuio Eucharistico. Sed laudat se Deus Principem Christianæ militiæ, cùm Regem ostendit conuiuij lautissimi, & sanctissimi; ne quis hostem animi timeat improbum; sed virtute duce aggrediatur, se piè victo. Bene ad rem Salmeron tom. 9. tractat. 2. *Dicitur hoc conuiuium extructum à Domino exercituum; quia pro exercitibus Ecclesiæ militantis corroborandis, & contra malignorum spirituum exercitus confirmandis institutum est*, &c. Verè obarmatur Christanus miles, si frumentum osculatur Eucharisticum, ac pio sumit affectu. nam à Duce Deo virtutem plusquam humanam capit; ne quà mortem, mortisque artifices timeat Dæmones. Sciebat Christus Epulum Eucharisticum aduersùs omnem mortis metum præsens amuletum esse: non priùs agit de sæuitia hominum, de laniena carnificum, de patientia rerum; ad Ioan. cap. 16. num. 2. *Absque synagogis facient vos*, &c. quam sacram Synaxim instituat; Eucharistia planè cibus est fortium: eam ex quo tradidit Christus, iam non dubitat discipulis aspera quæque prædicere; terreri eos non posse credit tanto aduersùs metum omnem clypeo munitos. quod notat Paschasius. *Ad hoc enim immortalitatis præstitit alimoniam, vt mortem non timeamus*, &c. *cap.* 18. Et verò, cur mortem, mortisque Duces timeat, qui è cibo Eucharistico vitam haurit? Viuet profectò, *qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, &c. *Ioan. cap. 6. num.* 59. Addideris bene, vitam è cœlo haustam durare plurimum; nec ab Epulo cœlitus apposito mores, nisi Angelicos, venire. Quare homines *annonam de cœlo consecuti sunt*, &c. vt certò noueris,

Isa. 33. n. 15. & 16.

Fidem tuetur miles cibo recreatus Eucharistico.

Isa. 25. n. 6.

Ioan. 16. n. 2.

Vis magna à cibo Eucharistico aduersùs mortem.

Ioan. 6. n. 59.

PARÆNET. XXXVI.

Eucharistiam morum culturam esse.

1. SEpties Magister Dominus panem Eucharisticum vocat annonam è cœlo collectam, *Ioan. 6. à num. 32. ad num. 59.* quo ostendat mutari hoc cibo in melius & mentes, & mores hominum: agere in terris qualemcumque hominem, vt agit in cœlo Angelus, castitate scilicet Angelica, charitate Angelica, felicitate Angelica. Laudo Clementem Alex. 1. Pædag. *cap. 6. Caro* (inquit) *Domini, qui est panis de cœlo, eos, qui ex hominibus sunt, cœlestes ad incorruptionem enutrit*, &c. Constat abundè cibis demutari affectiones corporis, & inde functiones animi intendi, imminui: quod probant animantia vetita lege lata, *ad Leuit. cap. 11. n. 4. ad Deut. 14. n. 13.* In hac thesi nobiles sunt interpretes. Vt igitur meus Christus mores hominum demutaret, hominésque è terris ad cœlum vsque traduceret, panem cœlo confectum apposuit hominibus, *qui annonam de cœlo consecuti sunt*, &c. Sensit Apostolus nouos cibo Eucharistico mores indui, nouosque affectus ali. Proindéque monet scholam Corinthiam, *Hic calix nouum testamentum est*, &c. 1. *ad Corinth. cap. 11. n. 25.* An quia mensa Eucharistica nouos poscit mores? Certè nouum quid est vinum Eucharisticum, *vt interior homo per hoc pleniùs innouetur*, &c. quod addit Paschas. *lib. cit. cap. 21.* Videas non semel hominem è cibo Eucharistico eam haurire castitatem morum, eam pietatem animi, eam sanctitatem affectionum, vt nouus omnino homo viuat, improbitate deposita. Sed nata morum demutatio est è cibo Eucharistico; satis enim docet Christus, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*,

Ioan. 6. n. 32. & 59.

Homines à cibo cœlesti cœlites.

1. Cor. 1. n. 25.

Nouos & inde bonos Eucharistia mores alit.

me, Ioan. 6. n. 59. Dij magni ! quàm multa Sacramento ſanctiſſimo virtus eſt ad permutandos mores hominum?

2. Sacerdos erat Melchiſedech *Gen.* 14. Gen.14.n.18 *num.* 18. vtpote qui Deo piè, ac ritè faceret, *proferens panem, & vinum*, &c. Iam tunc Sacerdos inuexerat archetypum menſæ Euchariſticæ. Quis nam verò Melchiſedech homo eſt? vnde ortus? quo patre genitus? quos nam homines propinqua attingit cognatione? Latè id explicat Apo- Hebr.7.n.18. ſtolus ad Hebr. cap. 7. num. 18. *ſine patre*, (inquit) *ſine matre, & genealogia*, &c. Qemadmodum Sacerdos patrem, matrem, & cognatos reliquos non curabat, quaſi ad ſe non pertinerent, ita & Moyſes non recenſet. Eam enim viuendi rationem ſeruat Sacerdos, *proferens panem, & vinum*, &c. vt humanos quodammodo affectus exuat, ſacra paſtus Synaxi ſpiritaliter: & par Deo homo parentes in terris, cognatoſque non habeat. Hæc Chriſto virtus ſacra ſub Euchariſtia. *Per quem ad Patris mam illam, nempe verbum, qua curarum obliuionem inducit, confugimus*, &c. Hæc ita Clem. Alex. 1. *Pædag. cap.* 6. Non igitur poteſt Deus cibo clauſus Euchariſtico homines in Deos non demutare.

Par Deo Sacerdos menſa paſtus Euchariſtica.

3. Hoc cibo vel Iudas affectum improbum potuit exuere, niſi Diabolus hominem præoccuparet. Volunt Patres, Interpreteſque nobiles Iudam menſa Euchariſtica cibatum fuiſſe. quos ſcilicet Auctores Maldonatus & probat, & ſequitur *ad Matth. cap.* 26. *num.* 20. Iudas igitur poſt ſacram Synaxim, bucceam à Magiſtro capit aliam; *& poſt buccellam introiuit in eum ſatanas*, &c. Ioh. 13.n.27. & 30. *Iohan. cap.* 13. *num.* 27. quod volunt Origenes, & Euſebius Emiſſenus, clauſa hac buccea Euchariſtiam eſſe. id ego non probo, nec probant alij. Sed tanta hiſce buccellis vis inerat ex Chriſti manu, & tactu, vt timeret ſibi Diabolus, ne Iudas cibo ſumpto affectum vinceret improbum, ac proinde *poſt buccellam introiuit in eum ſatanas*, &c. ſcilicet vt vrgeret proditionem. *Dubitabat adhuc, & timebat, ne Iudas reſipiſceret, & à proditione quieſceret*, &c. ſic Euſebius. *ſer.* 3. *poſt Ramos.* Quoſnam igitur non demutaret mores hominum ſacra Euchariſtia, ſi buccella ſimplex, ſed Chriſti manu data, proditorem mutare potuit? *Habebat enim hæc vim adiuuandi eos, qui ea vterentur*, &c. ſic Origen. *in Iohan.* Addit Cyrillus Alex. metu concepto egiſſe Diabolum, ne Iudas buccella accepta, moras necteret, proditionemque ſuſpenderet. *cùm accepiſſet buccellam, exiuit continuò*, &c. *num.* 30. Cur Iudas non moratur, vt cœna finita ſuum agat negotium? Sed vrget Diabolus ſibi metuens, ne Iudas cibo, quod Cyrillus putat, Euchariſtico demutetur in melius: *Tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo accenderit, & inde illuminauerit, atque ad meliora retraxerit, magna præcipitem agit celeritate*, &c. Ita Cyr. *lib.* 9. *in Iohan. cap.* 19. Scias igitur magnam Sacramento ſanctiſſimo vim ineſſe, ad mores piè caſtigandos, ad pietatem benè ciendam, ad fidem caſtè firmandam.

Buccella à Chriſto tacta mores poteſt mutare, licèt non ſit Euchariſtica.

Ad peccandum citò, adigit Diabolus.

Monebat Apoſtolus ſcholam Corinthiacam, vt turpes ritus Idolomaniæ longè trudere- 4.
ret. *Fugite ab Idolorum cultura*, &c. 1. *ad Corinth.* 1.Cor.10. num.14. 16. & 20. *c.* 10. *n.* 14. Neque enim Deo ita hærebant homines, vt non curarent cuticulam dapibus ſiculis, quod patet ex num. 20. *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum*, &c. Sed quodnam Paulus remedium prouidet? addit Apoſtolus num. 16. *Calix benedictionis, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* &c. Illudque Magiſter voluit, teſte Anſelmo, *Fugite ab Idolorum cultura; & vt inde fugiatis, loquor vobis altum aliquid: Calix benedictionis*, &c. Hæc Anſelmo vox, & hæc loco mens eſt; trudi facilè ab animo cuiuſque hominis turpes gulæ duces, facileſque Deos, ſi expendat, vinum Euchariſticum ſibi datum eſſe, vt ſanctè bibat, & caſtè viuat, nec gulam foueat, nec foueat diuidiam. Putat D. Thomas nutrimentum diuidiæ venire è faſtidio menſæ Euchariſticæ, & probat ſacro textu. *Litigabant Iudæi ad inuicem*, &c. *Iohan. c.* 6. *num.* 53. & malè diſſidebant in partes diſtracti homines. Qui nam verò homines? Diſſidebant qui panem de cælo datum abnuebant; ſic enim textus habet num. 41. *Murmurabant de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis viuus*, &c. Acſi ratio diſſidendi nata eſſet ex nauſea menſæ Euchariſticæ. Ad rem D. Thomas. *Quoniam concordiæ cibum non ſumpſerunt, ideo ad inuicem litigabant*, &c. Inde Chriſtus occaſionem accepit diuidiæ ſopiendæ. Concertabant diſcipuli de primatu ſcholæ Apoſtolicæ, poſt ſacram Synaxim, *Luc.* 22. *num.* 19. Luc.22.n.19. 24 & 27. Nam Magiſter, *accepto pane, gratias agens fregit*, &c. ſed Apoſtolis diſſidentibus, *facta eſt contentio*, &c. *n.* 24. Malum graue, & quo ſchola vniuerſa daretur in peſſum, niſi Magiſter occurreret, & ſermone protracto adiiceret num. 27. *Quis maior eſt? qui recumbit, an qui miniſtrat? nónne qui recumbit?* &c. Meminit Chriſtus de menſa Euchariſtica, vt diſcipulos malè diſſidentes conciliaret: quod Theophylactus voluit. *Videtur mihi* (inquit) *non obiter huius recubitus, ac miniſterij meminiſſe; ſed reducere illis in memoriam, qui de vno pane comediſtis, ac de vno calice bibiſtis, amicos, & vnanimes vna menſa fecerit*, &c. Quaſi abſurdum reputaret ali homines menſa Euchariſtica, & inter ſe diſſidere.

Idolomaniam frangit Euchariſtia.

Diſſident facile qui Euchariſtiam reiiciunt.

Abſurdum eſt diſſidium poſt cœnam Euchariſticam.

Sanat igitur ſacra Euchariſtia affectus 5.
hominum, vt non diſſideant; ſanat & iure ſacro. Vnde panis Euchariſticus appellatur panis vitæ, & intellectus, *Eccleſiaſt.* 15. *num.* 3. ſcilicet panis iſte vitam piè afficit, & mentem ſcitè inſtruit. Eſt quidem in cœna Euchariſtica, Academia iuris perdiſcendi. quod Ioel monet *cap.* 2. *num.* 23. quo enim loco textus habet, *Dedit vobis Doctorem iuſtitiæ*, &c. Græcè legas, τὰ βρώματα εἰς δικαιοσύνην, eſcas iuſtitiæ, &c. ſcilicet, qui cœnam parat Euchariſticam, iuſtitiæ diſciplinam explicat. Argumento eſt mẽſa Moſaica, vtpote quæ haberet in proximo

Eccleſ.15.n.3

Euchariſtia verè cœna Academica.

Ioel.2.n.23.

candelabrum, scilicet polymyxum, multísque lacernis adornatum, Exod. c. 26. n. 35. *Contra mensam candelabrum*, &c Cur tot lumina, vbi panes duodecim? an vt Sacerdos peruideat, quò manũ porrigat, & religiosè agat? Certè, vt scias, quòd lumina proueniant à Patre luminum Deo, & ab vmbra mensæ Eucharisticæ. Ad rem Cyrillus Alex. lib. 10. de Tabernac. *Declarat nobis hæc figura vbi diuinum lumen illuxerit, tum iis, qui digni sunt, licere Christi, tanquam panis viui, & veri participes fieri*, &c. Valeat sapientia necesse est, qui panem sumit Eucharisticũ, vnde oritur lumen indeficiens *Eccles. iast. cap. 24 n. 6.* quo pulsa mentis caligo. Carmen de cœna Eucharistica Dauid cecinit *Psal. 110.* inibi enim Vates Deum laudat, *n. 4.* quippe qui *memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, etiam dedit timentibus se.* Sed noto carmen literis ordinatim digestis alphabetarium esse, versibusque singulis, singulas Alphabeti Hebraïci literas lego additas. Volunt alij carmen ea literarum serie compactum, vt Dauid ostendat homines, etsi literatos, in explicanda copia voluptatis Eucharisticæ infantes esse balbutientes, nedum pueros elementarios. Addo ego carmen contextum esse ductu literarum alphabetico; aut quia literatos facit, aut quia literatos ad se adducit homines mensa Eucharistica. Et erit, qui nolit homines cibo Angelico Angelos esse? mensáque cœlesti cœlites fieri? Hoc aspectu credo, *annonam de cœlo consecuti sunt*, &c. Magna Hebræo felicitas! qui vnam, & eandem cum Angelo mensam habet. Sed quænam Christiano dignitas? qui suam cum Deo cœnam capit. Dicat, & plenis buccis dicat,

Exod. 26. n. 35.

Considerate sumenda Eucharistia.

Multa à Christi cibo Dei lumina

Ecc. 24. n 6.

PARÆNET. XXXVII.

Homines à mensa Eucharistica nobiliores abire.

1. COEnam viris nobilissimis parat Ardalus, homo nobilitatis celebratæ. Adest Thales, & tanti facit magno cum viro cœnare, vt pecunia id se empturum dixerit, nisi inuitaretur ab Ardalo. Sic Plutarch. *de Conuiu.* *Cœnare cum sapient.* Altè Philosophus cogitauerat de conuiuio nobili; sed ius erat, vt ita cogitaret: nam cibum magnis cum viris capere, magnum est. Capiunt suo cum Deo cibũ viles homines; imò cibum sacra in mensa Deũ inueniunt, quandoquidem *hic est panis, qui de cœlo descendit*, &c. *Ioan. 6. n. 59.* Magna profectò maiestas Epuli Eucharistici, vbi Deus Regum Princeps, conuiuij Rex est. Nec Magister à Ioanne laudatur de sapientia rerum summa, *sciens, quia venit hora eius*, &c. *Ioan. cap. 13. n. 1.* De paterno genere, *sciens, quia à Deo exiuit*, &c. *num. 3.* De potestate hæreditaria, *sciens quia omnia dedit illi Pater in manus*, &c. priusquam de Sacramento ritè instituendo ageret, *cùm recubuisset iterum*, &c. *num. 12.* Nisi vt scires à Magno rerum Domino magnam parari cœnam, ac nobilem. quod à Cyrillo Alexand. disco lib. 9. in Ioan. cap. 2. *Ne quid parum à Christo factum esse quisquam putaret, gloriam eius, & potentiam breuiter posuit ante oculos*, &c. Nemo igitur negitet homines, etsi viles, à Cœna Eucharistica Principes, ac Cæsares abire.

Magna à magno Deo cœna, Eucharistia.

Ioan. 6. n. 59.

Ioan. 13. n. 13. & 12.

Pone mensam, iubet Isaias *cap. 21. num. 4.* & textus est mysticè de mensa Eucharistica. Sed calore subito, Principes à mensa abire cogit Vates. *Surgite* (inquit) *Principes*, &c. *num. 5.* Vnde hæc tam magna repentè demutatio? mensam ne adiere Principes, an cibo capto creati Principes abiere? In hanc partem abiit Hieronymus. Ea enim Sacramento sanctissimo virtus est, *vt comedentes, & bibentes corpus, & sanguinem Domini vertantur in Ecclesiæ Principes*, &c. Sint, licèt, homines è loco infimo piscatores simul, & peccatores, vbi mensam adeunt Eucharisticam, euadunt Principes, Cæsares, magni homines, magni Dij. Hanc Christi mensam potiori iure, quàm Domitiani mensam, Dominam dixeris; etsi poëtes cantauerit,

2. Isa 21. n. 4. & 5.

Principes creat mensa Eucharistica.

—*Dominámque dedit consurgere mensâ.*

Sylu. *lib.* 4. Nam Christi mensa verè homines efficit rerum dominos. Illud apud Ioannem in promissis est. *Vincenti dabo mannà absconditum*, &c. *Apocal. 2. num. 17.* Sacramentum scilicet Eucharisticum; inde absconditum, quòd nemo rerum etiam multarum sciens, opes agnoscat mensæ augustissimæ: volunt id August. Rupert. *lib. 2. Oecumen.* Lyran. hominésque alij. Addit Ioannes dandum Christiano esse; *& in calculo nomen nouum*, &c. Claudi hac nomenclatura magnum decus, putat Rupertus. quod adeò magnum est, vt videri noua possit dignitas, & vti noua miris in rebus collocanda, *& in calculo nomen nouum*, &c. Sigillo adamantino exculptum putes nomen hominis, quasi stemma insigne familiæ nobilissimæ. Nouum est nomen, eo quòd facilè vim concipiat tantæ nobilitatis. Sic Rupertus loco cit. *Nemo scit dignitatem, siue ingenuitatem nominis huius, quantumcumque sciat, & buccis crepantibus perstrepat*, &c. Sed additum Christiano id nominis, postquam ad mensam Eucharisticam accessisse visus est, *Vincenti dabo manna absconditum*, &c. Et verò magna est maiestas hominem Deo assidere, & magno cũ Deo cœnitare. Scio hominem, ac Dominum cœnationis amplissimæ, vbi Sacramentum à Christo institutum est, nec à Matthæo, nec à Magistro nominatum esse; nam meus Christus Matth. 26. n. 18. *Ite* (inquit) *ad quendam*, &c. Quid hoc rerum est? Nomen homo non habet, qui domum habet augustam, vbi Christus magnam parat cœnam? Sed nomen homo non habet priusquam suo cum Deo sedeat, & cibum capiat Eucharisticum. Hæc Hilarius in Matth. can. 30. *Hominem, cum quo Pascha celebraturus esset, non nominauit, cui in tempore Domini nouum nomen esset addendum*, &c. Quanta ab Eucharistico cibo dignitas est scholæ Christianæ, si nouum inde nomen sibi parat!

Apoc. 2. num. 17.

Magnum à cœna Eucharistica nomen capiunt homines.

Matth. 26. n. 18.

Nouum est decus, cibo Eucharistico ministrare.

3. Reges ne sacro ab Epulo abeunt homines? id nemo nescit: quandoquidem meus Christus

Luc. 22. n. 29.

Christus conuiuium liquidò regnum appellat Luc. c. 22. n. 29. *Et ego* (inquit) *dispono, sicut disposuit mihi Pater, regnum*, &c. Et quódnam mi Domine hoc regnum est? An summa in cœlo sedes, ac felicitas? Vellent id alij. Sed addit Magister, *vt edatis, & bibatis super mensam meam*, &c. Cibus vtique Regius est, cibus Eucharisticus, vtpote qui Reges creat, ex conuiuis etiam vilissimis: nam collocatus apud Regem seruus honorem quodammodo Regiũ impetrat: scitè Paulinus Epist. 9. *Regnum, & panis est, quo nos saginamur*, &c. Nec deesse corona in cœna potest cœnitantibus, vbi Deus Regum Princeps est. Agnosco mystica in mensa aurum coronarium, quo triumphantes Reges altè explendescant. *Facies & mensam*, &c. iubet Deus Exod. 25. n. 23. *Faciésque illi & labium aureum, & ipsi labio coronam interrasilem*, &c. *n.* 25. De mensa Mosaica textus est, mysticè de mensa Eucharistica: sed habes textu Græco, στεφάνην παλαιστῆ, *coronam pugilis*, quasi labore parandam. Et quo mensa Mosaïca suam ostentat coronam, scilicet homines ex mensa Eucharistica Reges prodire, significatum hoc typo est. Conueniant in locum homines licèt humiles, nec locus deerit ad hospitium, nec thiara ad honorem. Hæc à cibo Eucharistico fortuna est hominum. E vili solo cœlum tangunt, & summo feriunt sydera vertice. *Hic enim panis est de cœlo descendens*, &c. qui cœlites creat ciues. Hac in cœna bonus quisque Deum cùm edit, propinquus attingit, & alter Deus est.

Reges facit Eucharistia.

Exod. 25. n. 23. & 25.

Paranda labore corona.

4. Ioan. 6. n. 57.

Inde sua Christo vox Ioan. 6. n. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, &c. Quasi homo cibo ritè participato, diuinitatem participet quodammodo: & hæc Ruperto sententia lib. 6. *Hic perspicuè diuinitatem pollicetur cœnam suam manducantibus; quid enim hoc dicto nobis pollicitus est, nisi apertè dixisset: Dij eritis, & filij excelsi omnes*, &c. Quo id pacto fiat, satis constat, scilicet homo Deo piè communicato, Deus est. An Moyses Deo piè degustato ad Horebum, Deus elucet descendens à Patre luminum? Credo facilè. Nam tot ex vultu Soles mittit, vt Hebræus, nisi faciè obuelata loquentem Moysen adire, & audire non ausit. *Propter gloriam vultus eius*, &c. ait Apostolus 2. *ad Cor. cap.* 3. *n.* 7. Diuinitatem Moyses vultu præferre visus est, qui tam multis luminibus exsplenduerit. Sic Macarius Hom. 12. *Ascendit homo, descendit habens Deum*, &c. Sed vnde tanta viro claritas, vt parem cum Deo lucem emittat? An ex Dei gustu, & mensa Angelica? Putat id Macarius. *Siquidem alebatur à Deo, & regebatur corpus eius cibo alio cœlesti*, &c. Nemo Deo propinquior est, quàm Deus; sed hæc certa, & constans Christiano est cognatio, Deo per cibum Eucharisticum participato. Inde sua Christo vox, *Qui bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Deum induit Christi conuiua.

2. Cor. 3. n. 7.

Totus colluceet Moyses Deo pastus, vt Deum referat.

5. Cognatos homines censet Antiquitas à sanguine: vnde Anchises, vt Cæsarem arceret à belli furore,

Proijce (inquit) *tela manu sanguis meus*, &c.

Veloss. in Iudith.

Æneid. 6. Hoc aspectu Gallus domum regni hæreditariam à sanguine Regio transnominat. Quid ergo mirum, si Deus consanguineos sibi dicat homines, quibus suũ propinat sanguinem? Stat pro hac thesi Clemens Alex. 1. *Pædag. cap.* 6. inibi Mercurius Alexandrinus. *Licet eloqui vnumquemque nostrùm*, &c. Et quid eloquatur? *Bono Patre æquè, ac bono sanguine me glorior esse*, &c. De genere nobili potest homo suo cum Deo contendere, postquam Dei vinum, & in vino Dei hausit sanguinem. Quo enim gradu Filius Patrem attingit Deum, eo & homo Deum tangit vino clausum Eucharistico. Si Patrem sibi Deum Christus nectit, illud iterans, *Ego, & Pater vnum sumus*, &c. *Ioan.* 10. *num.* 30. & homo vino recreatus Eucharistico, verè dixerit: Ego, & Christus vnum sumus, Deo per calicem participato: ac proinde, *Bono Patre æquè, ac bono sanguine me glorior esse*, &c. *& calix meus inebrians, quàm præclarus est?* Ita Dauid *Psalm.* 22. *num.* 5. Laudat in loco Vates mensam Eucharisticam, panem Angelicum, vinum mysticum. Vnde sancta piis hominibus ebrietas, & tanta rerum humanarum obliuio est, vt nec sui meminerint homines: quod Nyssenus obseruat *ad Serm. de Ascens.* Sed quàm præclarus est calix vini Eucharistici? Non succurrunt verba, quibus ea nobilitas explicetur. *Præclarus vtique est*, monet Paschasius lib. cit. cap. 10. *quoniam omni veritate clarius splendet*, &c. Nobilitatem sibi parant homines aliquando, cùm se alienam inserunt in familiam; ac proinde igne fatuo explendescunt. Non ita, qui suum à Deo calicem impetrat; cùm enim homo Dei sanguinem ebibat, Dei propemodum sanguis est, & se in magna Triados familia verè censet. *quoniam omni veritate clarius splendet*, &c. Hanc sibi laudem, & honorem parant, qui *annonam de cœlo consecuti sunt*, &c. Illud vltimò obseruandum puto, cibatam Manna gentem vniuersam, vnamque ex dimenso fuisse mensam panis Angelici, quæ solaretur vtrumque sexum hominum. *Gomor* (inquit) *per singula capita*, &c. *Exod.* cap. 16. n. 16. quibus mysticè receptis, facile colligas

Diuini sanguinis est, qui potu fruitur Eucharistico.

Ioan. 10. n. 30.

Psal. 22. n. 5

Germana à potu Eucharistico nobilitat.

Exod. 16. n. 16.

PARÆNET. XXXVIII.

Eucharistiam dari populis vniuersis.

1. PAtent latè Dei benefacta, nec angulo continentur. Parat mensam Eucharisticam bonus Deus, sed populos ad mensam euocat ex terrarum orbe vniuerso, quod Isaias laudat cap. 25. num. 6. *& faciet Dominus exercituum omnibus populis conuiuium*, &c. Nec Princeps Principes sic admittit, vt excludat plebeculam. Vtrumque pascit hominem, & nobilem, & humilem cibo Angelico. Nam si imbres è cœlo mittit in agros iuxtà, ac vepres, in montes æquè, ac valles. Hac manu suum Deus panem benè partitur in homines. *& pluit illis manna ad manducandum*, &c. Quod Dauid cantat *Psalm.* 77. *num.* 24. A Moyse id Vates didicit *Exod. c.* 16. *num.* 4. vbi Deus largè promittit. *Ego pluam vobis panes*, &c. Pulchrè addita depluendi metaphora est,

Isa. 3. n. 6.

Et latè, & latè patet mensa Eucharistica.

Ps. 77. n. 24. Exod. 16. n. 4.

vt noueris latè patere ſacram Dei menſam, nec hominem vel humilem ab hoc epulo ablegari. *Verbum ipſum* (pluo) *quo vtraque ſcriptura vſa eſt, eandem vbique terrarum paratam omnibus puſillis, & magnis copiam ſignificat, vt de ſe ipſo magnus Propheta dicat:* Pſ. 22. n. 5. *Paraſti in conſpectu meo menſam*, Pſ. 22. num. 5. *ac de nobis licèt minimis: Edent pauperes* Pſ. 21. n. 27. *& ſaturabuntur*, Pſ. 21. n. 27. &c. Hæc Rupertus *lib. 3. in Exod. cap.* 10. Quanta vno in cibo vis eſt beneficentiæ, qua Magni Cæſares, vileſque recreantur opiliones ! vtroſque recreat hoſpites menſa appoſita Magnus Deus. Ioan. 6. n. 56. *Caro* (inquit) *mea verè eſt cibus*, &c. *Iohan. cap. 6. n. 56.* Nec excernit ab hominibus homines, quibus datur cibus iſte, vt ſcias menſam omnibus ſtructam eſſe.

Communis eſt pluuia, panis Euchariſticus.

2. Probat id Cyrillus Alexandr. hoc argumento. Aſſeruandam in vrna, & arca Mannæ partem iubet Deus *Exod. 16. n. 33.* quod Paulus expendit *cap. 9. ad Hebr. n. 4.* de arca enim ſacra agitans, *In qua* (inquit) *vrna habens Manna*, &c. ſcio, quod id aſpectu Deus iuſſerit, ſcilicet ad memoriam perpetuam tanti boni, quod textus inſinuat loco Exodi citato, *Ad ſeruandum in generationes veſtras*, &c. Cyrillus tamen ex hoc Deiſcito elicit copiam menſæ myſticæ faciendam eſſe, non Hebræo tantùm, ſed & Græco, & populis terrarum omnium; ſeruatur enim Hebræa in arca Euchariſtia myſticè, *quo cæleſtis panis, non vnius tantùm gentis, ſed totius mundi vita ſignificatur*, &c. *lib. 3. in Iohan. cap. 34.* Panem materna cura ſeruat mater, ne fame pereant liberi; nec maior in hunc, quàm in illum puerum cura eſt. Sic & Deus ſubſidio facit vnus æquo, vt homines qualeſcumque pares ſumant partes; nec Hebræo potius, quàm Græco tribuat de cibo Euchariſtico. Hinc illæ Chriſto voces: *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* &c. *Iohan. cap. 2. num. 4.* cùm vrgeretur à Matre ſanctiſſima, vt vinum conuiuantibus ſufficeret, ſuggeſſit Mater piè commota num. 3. *Vinum non habent*, &c. Reddit Chriſtus in ſeueritatem compoſitus, *Nondum venit hora mea*, &c. ea ſcilicet hora, qua vinum Deus ſuum in ſanguinem demutaret, *ſciens, quia venit hora eius*, &c. *Iohan. 13. n. 1.* & dolebat quodammodo vrgeri ſe ad miraculum de vino patrandum vna in domo, vno in angulo, *cùm eſſet dies in omnes qui inuocant nomen eius*, &c. *ad Rom. c. 10. n. 12.* Hæc in litem D. Maximo vox eſt *ad Hom. 1. de Epiphan.* Durum à Chriſto reſponſum tulit virgo Mater: *Idcirco, reor, quia temerè* (id eſt, ferè) *Mater de defectu carnalis poculi ſuggerebat, qui venerat totius orbis gentibus nouum ſalutis æternæ calicem propinare*, &c. Neque enim anguſta hominibus, ſed anguſta Chriſti menſa eſt, vtpote quæ & bonos, & malos admittat hoſpites. Petrum excipit, nec Iudam eiicit; quod volunt plerique Patres, & Interpretes. Et quidem ratio Deo communicandi ſeſe probis æquè, ac improbis hominibus, eſt apud Laurentium Iuſtinian. ad lib. de caſto connub. cap. 24. *vt iuſtis prodeſſet, non ſe peccatoribus denegauit*, &c. Quàm largus opum Deus eſt in homines, quibus per ſui etiam contemptum fauet; nec læſus iniuriâ menſam, quod aiunt, & ſalem negat. Iuſtinianus iterum, *Si hoc ſanctis concederet, magnum vtique foret; quid ſi hoc etiam tribuit, à quibus indeſinenter blaſphematur?* &c. Sed magna Dei bonitas malos excipit homines menſa Euchariſtica, ne bonos viros deterreat à cibo participando.

Exod. 16. n. 33. Hebr. 9. n. 4.

Aſſeruatur Euchariſtia myſtica, vt proſit Hebræo, & Græco.

Ioan. 1. n. 4. & 3.

Rom. 10. n. 12.

Dolet Chriſtus, quòd vinum Euchariſticum non miſcet.

Bonis, & malis patet cœna Euchariſtica.

3. Addo explicaſſe Chriſtum, ſermone latè protracto, quantum deliciarum offerat menſa Euchariſtica, *ad Iohan. c. 6. n. 27.* & concionem ſacro in loco habuiſſe n. 60 *Hæc dixit in Synagoga docens*, &c. quò ſcilicet ventitaret Hebræus, vt exuperet monita ſalutis intimæ. Vnde Magiſter, *quò* (inquit) *omnes Iudæi conueniunt*, &c. *apud Iohan. cap. 18. num. 20.* Dicere Magiſter voluit de Sacramento ſanctiſſimo ad populum; ſed quo loco adeſſet concio hominum vniuerſa, *vt traheret multitudinem*, &c. Addit Chryſoſtomus *Hom. 46.* Larga omnino cœna ! quæ tot modis inuitat homines, imò tot laudes canit, vt alliciat. Multa, quod liquidò notum eſt, & magna Dei bona è cibo Euchariſtico manant in homines, ac proinde opus erat, vt multis nominibus explicarentur. Inde Manna eſt agnus, panis, caro, vitæ pomus, imò vita, Euchariſtia. Facit verò multiplex nomenclatura, vt nemo non cupiat, nemo non capiat bonum, quod, vt multiplex, multis explicatur nominibus. *Sermonum tamen inculcatio piæ deuotionis eſt excitatio, & ineffabilis ſacramenti commendatio. Non enim vnum aliquod inuenitur vocabulum, quod tantum ſacramentum dignè valeat appellare*, &c. ſic Pontifex Innocent. III. *ad lib. 3. cap. 3. de Cleric. Ordinat.* Et erit, qui cibo abſtineat, vbi tam multiplex cibi nomenclatura eſt? Laudes cibi Euchariſtici Deus iterat, vt animos proliciat hominum ad cœnam cœlitem, nec ſint homines, qui non veniant *ad cœnam magnam Dei*, &c. *Apoc. cap. 19. num. 18.* & quam ſtruxit Regum Princeps ſumptu grandi, & pari comitate.

Ioan. 6. n. 27. 60. & 18. n. 20.

Omnes omnino homines inuitat menſa Euchariſtica.

Apocal. 19. n. 18.

Bona Euchariſtica, niſi multis nominibus, non explicantur.

4. Epulum Domitianus largè, & lautè dedit; inuitatique ad Epulum plerique è ſenatu, & plebe homines; ſed quod auguſtius eſt, aſſidet Princeps maieſtate grandi, nec minori comitate, ſi qua Suetonio fides eſt *cap. 4.* Suetonio accinit Epigrammatiſtes lib. 8. Epigr. 50.

Veſcitur omnis eques tecum, populuſque, Patreſque,
Et capit ambroſias cum Duce Roma dapes.

Adornat conuiuium conuiuarum comitas.

Laudatque adulator comitatem Domitiani, qui Senatum, & plebem ſuo exceperit epulo, dulceſque ſermones cum grauitate miſcuerit. Laudat æquè id Papinius *lib. ſylu. 4.* cùm videret Cæſarem,

Tranquillum vultu; ſed maieſtate ſerena
Mulcentem radios, ſubmittentemque modeſtè
Fortunæ vexilla ſuæ, &c.

Quid meus Chriſtus? vt homines euocaret ſuam in cœnam, maieſtate obuelata, panem apponit: *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit*, &c. Et verò deſcendit bonus Deus in omnem comitatem, ne quis ſibi timeret, ſi Dei menſam adiret. Ægrè acceperant auditores edictum à Chriſto eſſe, Iohan. c. 6. num. 56.

Ioan. 6. n. 56. & 61.

Caro

Caro mea verè est cibus, &c. & quasi esum carnis humanæ auersarentur, abiere à Magistro longè, illud iterantes, *Durus est hic sermo*, &c. *n.* 61. Ne tamen conuiua abhorrens à Cœna abstineat, suam Deus carnem velo obducit triticeo, & apponit: *Ego sum panis vitæ*, &c. Quis cœnam reiiciat, qua suam Deus maiestatem obtegit, *vt sepositio seruili timore ardentiùs sumeretur*, &c. Sic Laurent. Iustin. *ad lib. cit.* Alia incedit via Paschasius, & Deum velo triticeo obductum dicit, vt cibum vtique Deum quærant homines auiditate audaciori. *Auidè capi cœnam Eucharisticam Deus cupit.* *Auidius enim requiritur, quod latet, & pretiosius est, quod cum fide quæritur*, &c. *lib. cit. cap.* 10. Fidem hominum excitare Christus voluit, Deo piè tecto intra velum triticeum, vt augeret pretium operæ obscuritate rerum, & irritaret animos hominum ad cupiditatem latentis boni. Et erit adhuc, qui abstineat à mensa Eucharistica? *Ardentiùs appetitur, quod latet.*

5. O quantis scatet bonis, cœna Dei magna! Quæ nam homines fortuna beat! Quot exponit dulcitudines animi! Quàm certa, & constans hoc in epulo voluptas est! Præsentit meus Iesus hanc felicitatem humani generis; lætitiáque affectus grandi Patrem laudat actis ritè gratiis. Vnde Lucas 22. num. 19. *Accepto* (inquit) *pane, gratias egit, & fregit*, &c. Nec Paulus aliter 1. ad Corinth. c. 11. num. 23. *Accepit panem, & gratias agens fregit*, &c. Mirum cur hoc loco Magister grates Deo soluerit; nisi velis Christum altè gauisum, quòd nata cibo Eucharistico, & multa in homines salus esset, de gratiis ritè soluendis agitasse. quod Anselmo placuit 1. ad Corinth. cit. *Gratias Patri egit de reparatione hominum futura, per sacramentum corporis, & sanguinis sui*, &c. *Gaudet Christus de salute hominum.*

Luc. 22. n. 19. 1. Cor. 11. n. 23.

Perge igitur homo, & qui cœnam capis Eucharisticam, ede carmen, & laudes cane: oblata canendi occasio est, cibo piè sumpto; id enim monet Dauid faciundum esse Ps. 21. num. 27. *Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum*, &c. Sed cùm cibum capis Angelicum, time validè. Nam, quem sumis cibum, Deus est, qui latet in cibo, iudex est; vt scias, & moneas

Ps. 21. n. 27.

PARÆNET. XXXIX.

Eucharistiam reuerentissimè sumendam esse.

1. LEgo, quibus munditiis Hebræus colligeret cibum Angelicum, *Exod. cap. 16. n. 13.* Nam rore priùs in terram misso, mappam quodammodo explicabat Angelus, vt Hebræus panem exciperet operæ Angelicæ. scilicet ius non erat, vt cibum typicè Eucharisticum mappa caperet, nisi mundissima. Quo igitur ore? qua mente? quo affectu? & qua morum censura sumendus cum Deo cibus, imò Deus verè sumendus est? Mensam apponit Apostolus Eucharisticam 1. ad Corinth. c. 11. num. 28. & quo virtutum apparatu adeunda mensa est, scitè monet. *Probet* (sic Apostolus,) *seip sum homo, & sic de pane illo edat*, &c. Quasi absurdum esset, hominem verè hominem magno cum Deo cœnitare, sine morum munditia. *Quia ex eo quod homo est, non sine peccato est*, &c. Addit Anselmus. Sordes vel tenues abluat, ac detergat, necesse est, qui lautitias, cognoscit mensæ Eucharisticæ, si vera, & certa est fides cœnitare hominem cum summo rerum Domino.

Exod. 16. n. 13.

1. Cor. 11. n. 28. *Mores castos poscit mensa Eucharistica.*

Expendit Ambrosius Christum ab Apostolo Dominum rectè appellatum, cùm Sacramentum sanctissimum conficeret 1. ad Corinth. loco cit. n. 23. *Quoniam Dominus Iesus accepit panem*, &c. In cœna charitatis? in Epulo gratiæ? in mensa beniuolentiæ Dominus est? Cur non pater, cur non frater? cur non amicus est? scilicet amari æquè ac timeri Christus voluit, cùm se hominibus communicaret; vt nec timor amorem, nec amor timorem excluderet. Inde Ambrosius, *Deuoto* (inquit) *animo, & cum timore accedendum ad communionem docet: hoc enim debet apud se iudicare: quia Dominus est, cuius in mysterio sanguinem potat; qui testis est beneficij*, &c. Vrget quidem Apostolus argumento duplici, vt cibum quisque sumat Eucharisticum religiosè; tum quòd magnus in cœna Dominus est, tum quòd testis, imò Iudex adest, qui reum sceleris possit facilè punire, perdere. Iam pridem id monuerat vates Dauid *Psal.* 109. *n.* 4. cùm ageret de Christo Sacerdote, *Tu es Sacerdos in æternum*, &c. vbi sacram Dauid Synaxim cantat, qua meus Iesus esset homines recreaturus. Sed quanto Vates ore tonat, vt Sacerdotem verè Dominum ostendat, ac Iudicem? *Dixit Dominus* (inquit) *Domino meo*, &c. *num.* 1. Ac ne de virga censoria silentium esset, addit Vates num. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, &c. Deinde, ne Christo miles desit, quo premat hostem, totus est Dauid in acie disponenda n. 5. *Dominus à dextris tuis confregit in die iræ suæ Reges*, &c. & hæc Dauid, vt metum incutiat hominibus, si minus castè, ac piè cibum capiant Eucharisticum. Neque enim Sacerdos est Christus, vt non sit Dominus æquè, ac iudex hominum. Timeat igitur, quisquis sacram mensam adit, nec temerè, ac metu ineptè pulso adeat: excutiat priùs animum, & rationes suarum ineptiarum à se exigat, qui Deum sua in cœna cibum petit.

2.

1. Cor. 11. n. 23.

Metu pio sumenda Eucharistia.

Ps. 109. n. 4. 1. 2. & 5.

Nemo sine metu mensam adeat Eucharisticam.

An id signabat Hebræus baculo innixus, vt agnum ederet? *Exod. c. 12. num. 11.* Formam Deus edendi ita præscribit. *Renes vestros accingetis, tenentes baculos in manibus*, &c. Quid ad Agni esum facit prensus manu baculus? sed virgam signat baculus, & virgam iuris dicundi, qua suum quisque animum excutit, & quod mysticè capit, sanctè expendit, ne cibum sumat Eucharisticum, *non diiudicans corpus Domini*, &c. sic D. Thom. Opusc. 18. cap. 16. *Significat baculus iustitiam, qua debemus nos de nostris excessibus iudicare ante communionem*, &c. scitè Doctor Angelicus, vt cum Paulo consentiat, qui periculum conscientiæ faciundum esse docet, priusquam sumas Eucharistiam. Nazianzenus mente alia Hebræum suo nixum baculo probat ad agni esum, vt Eucharistiam, metu concepto, sumamus; quasi mors immineat senibus. *victimam enim festinanter absumemus, ac denique senũ more baculum*

3.

Exod. 12. n. 11.

Excutienda prius conscientia, quàm Dei mensam adeas.

Sumenda semper Eucharistia, quasi viaticum ad mortem.

gestantes, &c. *Orat.* 43. Quis verò senex mortem habeat in ianuis, & Eucharistiam sumat, sine pœnitentia scelerum, sine morum munditia, sine virtutum apparatu, sciens Iudicem in proximo esse? Addit Moyses agnum Hebræo bene præcincto esitandum esse. *Renes* (inquit) *vestros accingetis*, &c. vt significaret Eucharistiam castè sumendam. *Quia tanti operis ministros, nec segnes docet esse, nec molles*, &c. sic Arnoldus *ad tract. de sept. verbis*. Clausum, ac notatum cingulo studium castitatis probant interpretes, *ad Luc cap. 12. num. 35.* & Sacerdotes, nisi castos, non probat vana superstitio, ne dum sana religio. In hanc thesim coniurat Paschasius, illud obseruans, primariam de casto affectu legem esse, quæ ministrum vrget agni mystici. Nam Moyses primo loco cingulum petit, deinde pedes calceat, proximè baculos manibus inserit; ac tandem festinationem in edendo postulat, & quod sacro in ministro potius est, id ille priùs commendat, studium scilicet castitatis. *Propterea primùm hoc loco lex castitatis in rebus, quorum scrutator est Deus, assigitur*, &c. Ita Paschasius *lib. 1. cit. c. 22.*

Ad Eucharistiam morum munditia opus est.

Prima ad Dei mensam lex, castitas.

4. Grande malum! Sacerdotem aræ mysticæ, & conuiuam mensæ Eucharisticæ, sua pollutum nequitia tractare, quæ sancta sunt, non Bacchi, Cereríque mysteria, sed Christi Sacramenta. Temerè id quisque faciat, nec sine metu damni grauissimi. Rem Deo sacram lege lata non tangit Hebræus turpiter infectus; Lex enim est Leuit. 22. num. 3. *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra, ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus*, &c. Lego Deum hoc loco Dominum octoties appellatum, & hanc Dei interpellandi formulam esse inductam: *Ego Dominus, ego sum Dominus*, &c. cùm rem sanctam sanctè tractari iubet. *Acsi patenter dicat: Ego sum scrutans corda, & renes Deus; ego qui potestatem habeo animam perdere malè accipientium*, &c. tantum Paschasius *lib. citat. cap. 8.* Et erit, qui sacram mensam adeat, turpi fœdatus næuo alumnus Veneris?

Leu. 22. n. 3.

Dolebit grauiter, qui sanctè sancta non tractet.

O monstrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum!

ne pestem sibi natam videat, *reus corporis, & sanguinis sanctissimi*, &c. Neque enim Deus rerum sciens, falli, nec rerum potens, vinci potest, vt reos scelerum homines impunè abire sinat à mensa Eucharistica. Adest Iudex, adsunt & lictores ad aram; plenus metu locus est. Time Sacerdos, & caue. Describit scenam rerum Ezechiel *cap. 9. num. 2.* Lictores quidem fasces, & secures gerunt. Nam Græco, ἑκάστῳ πέλυξ ἐξολοθρεύσεως ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, *vniuscuiusque securis exterminationis in manu eius*, &c. Notarius deinde est theca adornatus calamaria, qui res vtcumque gestas in acta referat, *& atramentarium scriptoris ad renes eius*, &c. Hoc rerum apparatu sacram Deo ædem adeunt, aramque circunstant, *& steterunt iuxta Altare*, &c. Ad vestibulum Dominus maiestate armatus sua, *& gloria Domini assumpta est*, &c. Video multum sacro in loco terrorem esse, ratióneque multiplices formidandi; scilicet Deum Iudicem, scientem notarium, lictores ferro minantes. Cur ad aram perstant, si petis, accipe. Angelus est notarum sciens, cum atramento, & calamo, *vt omnium peccata describat, maximè, dum veniunt ad altare*, &c. scitè Paschasius *lib. cit. cap. 8.* Deinde adsunt vltores Angeli cum securiculis, & minantur, ne quis Sacramentum augustissimum capiat reus scelerum. Quandoquidem, *Ad istud si quis indignè accesserit, iudicium excipit damnationis*, &c. Paschasius iterum *loco cit.* & Apostolum habet in oculis.

Ez. 9. num. 2. & 3.

Plena metu Dei ara.

Quæ ad aram quisque peccat, libro describit Angelus.

Ad aram terrent secures Angelicæ.

5. Opponis fortasse, multos esse homines, qui sordidè capiunt sacram hostiam, nec tamen securi percussos, nec malo subito perire. Quid igitur minatur vltor Angelus? Scio vitam Mauro ereptam sordidè, vtpote qui viaticum Eucharisticum malè sumpserit, cùm tectum multis annis scelus ægrè fateretur. *Cum felle simul, & animam exhalauit*, &c. Sic Petrus Damian. *lib. 6. Epist. 32.* Scio & fœminam Eucharistia malè participata corruisse; *& quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem*, &c. quòd Cyprianus tradit *ad serm. 5. de lapsis.* Addit Paschasius, *Vltores Angeli nec semel parcerent indignè cõmunicantibus, nisi Christi bonitas gladium suspenderet*, &c. Si Deus Iudex sui sanguinis reos puniret homines malo subito; quis etiam castè agens non timeret? Abirent procul ab ara, & liberè dicerent, *Durus est hic sermo*, &c. Sano igitur consilio patitur bonus Deus malos sacrorum ministros, ne bonos viros damni timentes, ab ara longè extrudat. *& vt iustis prodesset, non se peccatoribus denegauit*, &c. monet Laurent. Iustin. *de casto connub. cap. 24.*

Quòd hominibus indignè communicantibus parcat Angelus, Dei bonitas est.

6. Sed mensam adeat Eucharisticam Sacerdos apprimè castus. Adhuc adire metus est, si affectu non flagrat intimo. Noxa hæc est, quam excludit flagrans agni edendi ardor, & Hebræo imperatus ea lege, *Comedetis festinanter*, &c. *Exod. loco cit.* quod Arnoldus scitè notat, & Paschasius lib. allegato cap. 22. *Alioqui desidiâ torpentes non dignè comedunt*, &c. Quis enim à Deo inuitatus Deum non lædat ignauus conuiua? acceptandum manibus ex promptis congiarium Dei est, vt gratè accepisse videare. Nosti ne cur agni esus à Deo vocatur *Phase*, *id est*, *transitus Domini*? &c. *Exod. cap. 12. num. 11.* Monuerat Dominus esitandum festinanter esse. Addit se, vt videat, quid in cœna fiat segniter, vltrò, citróque transiturum. Ad litem Paschasius. *Putas charissime, quòd lateat Deum conscientia, non dico si criminibus est obuoluta, verùm si torpet ignauia*, &c. *lib. cit. cap. 22.* Indignè ferat Deus necesse est, vt ignauè adeas mensam Eucharisticam, qui damnat ignauiam in agni esu.

Qui affectu ignauus est, ineptus Dei conuiua est.

Ex. 12. n. 11.

Ad aram Deus adest, testis rerum oculatus.

7. Eas igitur affectu pio, fide integra, mente sana, & lachrymis vbertim fluentibus, sacram mensam: quod pulchrè Dauid vrget Psalm. 2. num. 12. *Apprehendite disciplinam*, &c. Hebræo textu, *osculamini frumentum*, &c. scilicet oraculum est de pia cura hominum ad sacram Synaxim, teste Salmerone *ad tom. 9. tract. 23.* Facta enim de frumento exosculando mentio est, *quòd videlicet Christus sub frumenti specie adorandus esset, & osculo amoris puro suscipiendus*, &c. Quid ô homo ignaue, torpes ad frumenti oscula? nescis veneficia hæc amoris sanctissimi benefica esse? quærit aditum

Ps. 2. n. 12.

Amanter Deus in ara communicandus.

aditum Christi amor in pectus hominis, & vt facilè inueniat, nouum sibi vehiculum adornat in cibo. Quid segniter desides? Laboraturos cælo homines suo Imperator excitat congiario; è vite sua vinum piè Deum lætitiæque intimæ datorem propinat Deus: quid moraris turpiter? Calet virtus hominis, etiam Catonis mero immortali; pastósque medullis suis alumnos Leo de Iuda Achilles facit. Et adhuc langues? Perge homo, & cibum cape virtutis Eucharisticæ: facilem sibi viam fecerint ad vitæ pomum, qui *annonam de cælo consecuti sunt.*

Num. 16. Vbicumque ingressi sunt sine arcu, & sagitta, & absque scuto, & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit.

Num. 17. Et non fuit, qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.

Commentarius.

75. LEgisse Achior Iosuen visus est *cap.* 23. & 24. vnde hæc, & plura sumpsit Ammonites. Inibi Hebræus versat argumentum hac de re, multisque docet Deum pro Hebræo depugnasse, ac deuicisse non semel hostes immanitate barbaros; vt quas habebat Chananæus regiones, Hebræus obtineret citra puluerem, incruentaque victoria. Qui enim Deum propitiat vita piè acta, fundit hostes
Ios. 23. n. 10. & 11. sine ferro, fugátque. Id Iosue pollicetur c. 23. num. 10. *Vnus è vobis persequetur hostium mille viros; quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit*, &c. Deinde viam aperit, qua Hebræus rem bene gerat, num. 11. *Hoc tantùm diligentissimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum*, &c. Sed in promissis res erat
Leu. 26. n. 8. & 3. Leuit. cap. 26. num. 8. *Persequentur quinque de vobis centum alienos*, &c. Addit textus promissam rerum tantarum fortunam, quibus hominibus viuendi piè cura esset, num. 3. *Si in præceptis meis ambulaueritis*, &c. Fruere hoc bono Fortunata Lusitania, Deo interim Duce pugnare visa; vnde factum, vt miles vnus septem premat hostes: terrentur Deo auspice, & Lusitano milite. Sed textum repeto. Euertit Ierichuntam Hebræus miles, non manu, sed tuba. Nosti iussum à Deo, vt armatus bene miles progrederetur, nihil tamen ageret, nisi
Ios. 6. n. 15. tuba caneret, Iosue cap. 6. num. 15. *Præcedebant arcam Domini* (Sacerdotes scilicet,) *ambulantes, atque clangentes*, &c. Sacerdote præeunte; *armatus* (inquit) *populus ibat ante eos*, &c.
Facilis Deo duce victoria. Capta hoc modo Ierichunta est, & euersa prorsus. quod patet ex *num.* 20. & exponit Chrysostomus in Psalm. 44. *Iericho* (ait) *saltantium potius, quàm bel antium ritu diruerunt; armati enim non tanquam ad pugnam, sed tanquam ad concionem, & choream egressi sunt*, &c. Pyrrhicam scilicet desaltauit Hebræus miles, cùm vrbem, muro subuerso aggressus est; nec armis, sed tubis rem confecit, vt sciret Deo fortunam tantarum rerum adscribendam esse.

Noto parœmiasticè arcum, & sagittam pro omni armorum vi sumi: quod habet Del Rio *tom.* 1. *Adag.* 49. quò te loci mitto. Non tamen intelligas Deum pro Hebræo ita pugnasse, vt nihil miles ageret. Nam armatus ferro Hebræus plerumque pugnabat; sed Deo potius, quàm ferro nixus pugnam inibat, quod Lorinus aduertit *in Psalm.* 43. *num.* 4. Vnde illud à Lyrico decantatum, *Non in gladio suo possederunt terram*, &c. Quæ nam ergo vis tantum fecit facinus? Addit Vates Deum cantitans: *sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui*, &c. Et verò Dauid bello natus Deo tantum duce patraturum se sperat, quidquid est honesti facinoris. *In Deo* (inquit) *meo transgrediar murum*, &c. *Psalm.* 17. *num.* 30. non vltrà pergo. Vide, quæ aggesserim *Paræn.* 11. *ad* 1. *cap.* & *Paræn.* 9. *ad* 4. *cap.* 76.
Ps. 43. n. 4. *Ferro pugnandum, sed Deo fidendum est.*
Ps. 17. n. 30.

Pergit Achior, & sermone continuo probat Hebræum malè ab hoste qualicumque fusum, fugatúmque non fuisse. *Nisi, quando recessit à cultu Domni Dei sui*, &c. quod excepit à Iosuæ, Iudicum, & Regum libris. Quid enim tam certum, quàm regna euerti facilè hominibus licenter peccantibus? Id ego persequor *Paræn* 9. *ad* 1. *cap.* & *Paræn* 14. *ad cap.* 3. Addo *cap. si gens Angelorum* 56. Quod à Hieronymo in hac litem discas illud est, Epistol. 3. *Nostris peccatis Barbari fortes sunt; nostris vitiis Romanus fugatur exercitus*, &c. Tonat grauiter Hieronymus; sed vera est querimonia. Vnde calor Ambrosio differendi serm. 85. *Desine peccare, & ciuitas non peribit*, &c. Nec aliter suam Niniuites vrbem asseruit ab exitio, quàm peccati pœnitentia. *Ad Ionæ cap.* 3. *num.* 8. & 10. iure quidem summo, *vt quæ ciuium peccatis vexabatur, ciuium orationibus saluaretur*, &c. Addit Ambrosius: Abundè constat ex *Isaiæ cap.* 30. *num.* 17. *Deut.* 32. *num.* 30. frangi vires hominum licentia peccandi; læsoque Deo improbè, hostes, etsi barbaros, impunè victores esse. *Quo enim modo persequetur vnus mille, & duo fugent decem millia*, &c. Vnde hæc Hebræo acerbaque fortuna? addit Moyses in locum. *Nónne ideo, quia Deus suus vendidit eos*, &c. Hebræo textu vox est צורם *Tsurám*, *Petra eorum*, &c. quasi exitium peccantibus euenerit, vnde auxilium cogi debuerat. Moysen Isaias probat voce pari. *Mille* (inquit) *homines à facie terroris vnius*, &c. Sed tota metuendi ratio à peccando est. Terreri oportet ab hoste barbaro, ac premi hominem, qui Deum nec colit, nec timet. Scias igitur, ac moneas,
77.
Frangunntur peccato vires militares.
Is. 30. n. 17. Deut. 32. n. 30.
Deus viris bonis petra est.

PARÆNET. XL.

Peccantes homines animo fracto esse.

QVi peccat effusè, vires sibi adimit, & addit hostibus, nec stare contrà audet, irato Deo. Quid ausit pulchri facinoris, qui Deum erratis lædit? victus ab hoste vel humili abeat, necesse est. Hasce pœnas Romanus persæpe dedit neglectæ religionis. Caput hac de re integrum confecit Valerius *lib.* 1. *c.* 2. Expertus queritur Horatius Romanum bello afflictũ pessimè, additque dolẽter lib. 3. *Ode* 6. 1.

Dij multa neglecti dedêre
Hesperiæ mala.

Deficit igitur miles acie, qui peccat. liberè, & hostem aggreditur; nec manum strenuè mouet, si morbo languet animus. Hebræum Moabites ita reformidat, vt bello se deterendum putet, nisi dolis agat. Metus de textu est. Num. cap. 21. num. 3. *Videns* (inquit) *Balac, quòd pertimuissent eum Moabitæ*, &c. Quid doli non struit Princeps? mitto reliqua. Emittit meretriculas aduersùs hostem, Balaamo consiliario Veneris turpissimæ, *Num. cap.* 31. *num.* 16. Sic Moyses, *Nónne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel, ad suggestionem Balaam*? &c. Factumque hoc dolo est, vt Hebræus peccaret solutè. *Fornicatusque est populus cum filiabus Moab*, &c. *Num. cap.* 25. *num.* 1. Sensit Moabites hostem peccato affectum bello mouendo inutilem esse, ac proinde submittit mulierculas, quæ Hebræum peccato mollem redderent, *vt propter impietatem, diuino denudati auxilio, faciliores captu fierent*, &c. Hæc Theodoretus q. 45. sed à Magistro Chrysostomo didicit vt doceret, *quos arma, & equi, & milites capere non potuere, hos peccati natura vinctos hostibus tradidit*, &c. *Hom.* 14. *ad pop.* Illud igitur in confesso est, vinci Hebræum dolo, non manu potuisse; victorem non armorum, sed morum vi euasisse. Quare, teste Chrysostomo, *& victoria, & clades, exercitatio virtutis, & institutio ipsis erat*, &c.

Num. 21. n. 3. & 31. n. 16. & 21. num. 1. c. 25. n. 1.

Pugnat male, qui peccat liberè.

Bona, & mala fortuna virtutum schola.

2.

Quis bello potens vti Dauid? principem inter Duces principes locum habet, 2. Reg. cap. 23. num. 8. *Qui octingentos interfecit impetu vno*, &c. Peccat Dauid, & Vriam vxore capta, perdit, *cap.* 11. *num.* 4. *&* 15. Quid inde Absalomo in patrem excitato, fugam Dauid capit, & fuga salutem quærit, cap. 15. num. 14. *Surgite*, (inquit) *fugiamus*, &c. Imò titulum sibi erectum de fuga cantat Psal. 3. *Psalmus Dauid, cùm fugeret à facie Absalom*, &c. Mitor ego Regem apprimè strenuum sua de fuga meminisse, & fugam carminibus cantitasse. Sed qui peccat turpiter necesse est, vt sui vmbram timeat, fugiat, rationésque timendi peccantibus quasi pestes adnexas esse discat, & dicat. Inde Chrysostomus ad Ps. cit. *Fugiebat Dauid filium suum, quoniam Dei legem fugerat*, &c. Id verò in Dei minis est, ad Leuit. cap. 26. num. 36. *Terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient, quasi gladium*, &c. Nec grauior esse metus potest, nec ignauia hominum indignior, quàm vt timeant, & fugiant vmbram sonantis arbusculæ: quod in viatore timoris grauissimi signum est.

2. Reg. 23. n. 4. & 15. n. 14.

Ps. 3. n. 1.

Fugit peccator hostem peccato victus.

Leuit. 26. n. 36.

Et mota ad Lunam trepidauit arundinis vmbram, &c.

Iuuen. Satyr. 10. *Sed cùm sit timida nequitia*, &c. ex *Sapient. cap.* 17. *num.* 10. terrentur peccantes homines sono etiam leuiusculo.

Sap. 17. n. 10.

3.

Quid non timet Cainus Abele interfecto? Metus iste à Deo iniectus. *Vagus* (inquit) *& profugus eris super terram*, &c. *Gen. 4. num.* 12. Græco textu, στένων καὶ τρέμων, *gemens, & tremens.* Fratrem à Caino interfectum dolo malo terra queritur apud censorem scelerum Deum. *Quæ suscepit sanguinem*, &c. opus erat, vt formidaret malè vel vmbram commotæ arbusculæ. quo metu *ædificauit ciuitatem*, &c. *num.* 17. ne qua pestem sibi contraheret manu hominum. quod Albino placuit q. 89. *Fortasse ciuitatem condit, in qua saluari possit*, &c. tantus à peccato in Cainum terror erat. Sed Rupertus hac de re significantiùs *lib.* 4. *in Gen. cap.* 10. vtpote qui rationes timendi, & vrbis condendæ Caino asserit ab Abele interfecto. *Quia fratrem suum occiderat, & ob hoc omnibus odiosus erat, vagus, & profugus, idcirco ciuitatem, qua se tutaretur, ædificauit*, &c. & hæc peccato vis inest ad frangendos animos hominum. hoc fortè deriuata clades in Sichimitam est. Vrbem Simeon, ac Leui ferro aggrediuntur; hominibusque ad internecionem confectis additi in auxilium domestici. *Depopulati sunt vrbem in vltionem stupri*, &c. *Gen. cap.* 34. *num.* 26. *&* 27. Miror ego necari ciues vrbis integræ à viris paucioribus. Sed, cùm ratio pugnaret honestæ vindictæ pro Hebræo, victus sua nequitia Sichimites est, *vt cognoscamus meritorum hoc fuisse, non virium*, &c. vox Saluiani est *lib.* 7. *de Prouident.* Verè monet Pelusiotes lib. 1. Epist. 294. *Iniustitia nostra hostium est auxilium*, &c. Vincit hostis VVandalus Romanum militem, non vi, sed causa. Iterum Saluianus, *Nemo sibi aliud persuadeat; nemo aliud arbitretur: sola nos morum nostrorum vitia vicerunt.*

Nullo tutus loco stat peccator.

Gen. 34. n. 26. & 27. 25.

Victoriam peccator amittit facile.

Nemo nescit Ierichuntam solo adæquatam, ciuibus miserè interfectis, & ad vrbis cladem vltimam valuisse clangores tubarum. Patet ex Iosuæ cap. 6. num. 20. *Omni* (inquit) *populo vociferante, & clangentibus tubis murì corruerunt*, &c. Res mira! sed negantibus capi facilè ab hoste vrbem, vbi licentia peccandi est. *Quanuis muros illos nemo contingeret, expugnabantur tamen, forinsecus sono iustorum, intrinsecus habitaculo peccatorum*, &c. sic Augustinus *serm.* 106. Ciuium mores perditi vires addebant Hebræo, ne timeret hostes, vt vrbem tunderet. Hasce enim pœnas exigit ab hominibus læsa fides, neglecta religio. Pugnant infeliciter peccantes homines, ac proinde expugnantur facilè, metu contracto. Hac spe victoriæ Hebræum lactat Moyses, vt Chananæam aggrediatur, armis licèt, & militibus instructam plurimis; docet enim *Gen.* 10. *num.* 15. Sidonem à Chanano genitum, deinde Hethæum, & Chananæos reliquos processisse. Et Chananus à quo parente? nónne à Chamo, eo paternæ venerationis? sic Moyses non semel vtget. *Cham ipse, est pater Chanaan*, &c. Gen. 9. num. 18. *Cùm vidisset Cham, pater Chanaan*, &c. *num.* 22. tandem addit num. 25. *Maledictus Chanaan*, &c. Quæris fortasse, cur tanta de Chanano maledicto mentio est? Responsum esto. Vrget Moyses, hoste damnato, vt Hebræus pugnam audax ineat. Vnde Rupertus, *Hæc* (inquit) *narratio in præsenti dum scribitur, valet illis, quibus scribitur, ad corroborandos eorum animos; scientes, quòd hostem eorum Chanaan iam dudum oderit Deus*, &c. *lib.* 4. *in Gen. cap.* 37. Sacrum Iosue bellum suscipit, vt signis collatis hostes premat. Nam Reges, quod patet ex cap. 9. num. 2. *congregati sunt pariter, vt pugnarent contra Iosue,*

Gen. 9. n. 18. 22. & 25.

4.

Ios. 6. n. 20.

Pereunt vrbes licentia peccantium.

Pugnat audax cum hoste peccatore miles.

Ios. 9. num. 2. & 8. n. 3.

sue, &c. suspicatus id, quod accidit, Iosue, Deuteronomium perlegit, & explicat, Hebræo in concionem collecto, cap. 8. num. 34. *Post hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis*, &c. scilicet, vt sciret Hebræus, & animo retineret, quò vrgerent legum scita, ne peccaret: imò, quod notat Athanasius ad Marcellin. de Psalm. Dauid. *Pro armis Deuteronomium recitans, in omnium aures, legisque verba in memoriam reuocans, iisque populum obarmans, hostes superat*, &c. Docet facto Princeps, vinci facile hostilem aciem, non tam armorum apparatu, quàm legum obsequio, morum vi Hebræo vires augeri, vt Chananæum vincat, & perdat. Quid enim Hebræus non ausit aduersùs hostem maledictum? quid verò ausint maledictis infames hostes?

Addunt vires militares, quæ piè seruantur leges.

5. Nullus cum Magistro Domino miles erat, paucis stipatus, vilibusque discipulis hortum ingressus, Patrem orat, & adorat piè, *Matth. 26. num. 36.* Sed Iudas, vt Magistrum capiat, milites egregiè obarmatos ducit Ioann. c. 18. num. 3. *Iudas ergo, cùm accepisset cohortem, venit illuc cum facibus, & armis*, &c. Timet ne proditor infortunium, si Christum aggrediatur sine manu militari? timet omnino artifex sceleris, & metum ducit à natura scelerum. *Nulla turba, quæ tueri possit, sed discipulis sequentibus in hortum ingressus describitur*, &c.

Io. 18. n. 3.

● Addit Cyr. Alexand. lib. 11. in Ioann. *cap. 32. Vt ignauia, & formido proditoris latere non posset, magna quidem res conscientiæ stimulus est: qui, quando perperam agimus aliquid, etiam nullo præsente, ingenti nos metu exagitat*, &c. Hinc illa Iudæ cura de manu armata, vt metum, si non vinceret, certè mulceret difficultatis proximæ.

Metu victus proditer cogit militas.

6. Vnde natus Iacobo metus, nisi ab vmbra peccati? Hic ille erat fortis cum Deo miles, *Genes. 32. n. 23.* strenuus cum fratre luctator, *cap. 25. num. 26.* qui luctam inierat, priusquam nasceretur, vt fratrem nascendo præuerteret. Sed, cùm Patriam repeteret, scirétque fratrem sibi occursurum cum viris quadringentis, *Gen. 32. num. 6.* metu correptus graui preces apud Deum facit humiles, num. 11. *Erue* (inquit) *me de manu fratris mei, quia valde eum timeo*, &c. Multiplex Iacobo ratio timendi; hæc vna à Lyrano addita. *Quia habitauerat cum Ololatra, ex cuius habitatione poterat aliquam offensam incurrisse; ideo timebat*, &c. Vides hominem sibi timentem pessimè à fraterna manu? Sed cur non timeat, qui suspicatur se apud socerum peccasse? hæc vna peccati suspicio frangit vires in viro etiam strenuo.

Gen. 32. n. 11.

Metus peccati fœtus.

7. Et tu Lusitane time, si pecces liberè, ne Deum tibi infestum reddas. Pugnabis infeliciter, irato Deo; remque publicam in pessum dabis, nisi manu altera ferrum stringas, & pectus cædas manu altera. Iustè, ac piè mores cole, vt timores longè pellas, & hostes procul abigas. Scio quo murorum septo munita perstet ciuitas, cùm Isaias admoneat cap. 54. num. 14. *In iustitia fundaberis*, &c. scilicet vrbem fulcit, ac tuetur potius morum cultus, quàm murorum ambitus. Inibi Procopius, *Docet, non mœnibus tantùm, & custodibus, sed iustitia tutam ciuitatem esse*, &c. Nec Scipio Romam euerti posse putabat, nisi cùm mores ciuium corruptos esse dolebat, addit Augustinus ad 1. lib. de ciuit. cap. 33. *Neque enim ille censebat felicem esse Remp. stantibus mœnibus, ruentibus moribus*, &c. Perge igitur Lusitane, & quod, Deo duce, bellum geris, vita piè acta perage; victoriam animo destinat, qui piè agit. Quod manu strenua erectum est, firmum pio animo regnum stabit. Stantem Deo beneuolentè Lusitaniam tuo ne proruas vitio, & barbaris vires addas, pietate profligata. Quos fortunæ morsus ita dolet Hieronymus Epist. 3. *Infelices nos, qui tantùm displicemus Deo, vt per barbarorum rabiem illius in nos ira desæuiat*, &c. Nec Achior Hebræum ab hoste barbaro victum, & obtritum nouit, *nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui*, &c. & quidem, si Pelusiotes rectè monet lib. 1. Epist. 294. *Iustitia hoc affert, vt quis strenuè, ac feliciter pugnet*, &c.

Io. 18. n. 3.

If. 54. n. 14.

Tuentur vrbem mores boni.

Per hostes grassatur Dei censura in peccatorem.

Num. 18. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.

Num. 19. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi.

Commentarius.

78. MVlta Hebræo clades ob Idololatriam, quæ sacro textu occurrit facilè. Ne ius erat, vt fide violata Deum habere propitium gens improba, opes cogeret, hostes vinceret, & honores sibi pararet. Video, quid Iudicum liber habeat hac de re: quid Regum libris clausum; quid Machabæis notum. Hebræus malè mulctatus ad infamiam vsque (Achiore teste) dolebat. *Dati sunt in opprobrium*, &c. seruitutis scilicet vltimæ. Hæc dolendi occasio apud Regem Vatem Psalm. 78. num. 4. *Facti sumus opprobrium vicinis nostris*, &c. De opprobrio Dauid meminit, nõ de laniena, vtpote quod animum priùs vrget, & angit viri magni. Nec Azarias censet aliter. Precatur ille, ac fortunam aduersam deprecatur ab Hebræo populo, Dan. 3. num. 33. illud Deo obiiciens, *Confusio, & opprobrium facti sumus seruis tuis*, &c. scilicet vident fortunam Hebræo aduersam admissi piaculi censuram esse. Dolet hac fortuna pressus Daniel *cap. 9. n. 16.* quam à peccato natam fatetur ingenuè. *Ierusalem* (inquit) *& populus tuus in opprobrium sunt omnibus*, &c. Et quid mali aliud minatur Ieremias *cap. 23. num. 40.* Inibi Deus Iudex, *Dabo vos in opprobrium sempiternum*, &c. Cur non ita? si peccator peccati seruus est, & natus ad seruitutem vltimam? vox hæc à meo Christo est apud Ioannem *c. 8. n. 34.*

Pf. 78. n. 4. *Grauius ferro opprobrium.*

Dan. 3. n. 33. & 9. n. 16.

Ier. 23. n. 40. *Peccator verè seruus.*

79. Peccati seruitutem opponit Romano Paulus, vt à peccandi reuocet licentia, cap. 6. n. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ*, &c. Parcè à Romano petit Apostolus, qui tantum Deo Maximo postulat obsequium, quantum Diis vanis præstiterat Idololatres.

Rom. 6. n. 19.

latres. Sed obsequium Dæmonum seruitium appellat sordidum, *seruire* (inquit) *immunditia*,&c. quod expendit Chrysologus serm.114.

Fœda seruitus ab impudicitia.

Illecebræ vim beatus Apostolus vno sermone conuenienter aptauit, conuenienter expressit, &c. Pergit vltrà Paulus,& Magistros lucris parandis turpes, tanquam seruos agitat, ad Rom. cap.16. num. 18. *Huiusmodi* (inquit) *Christo non seruiunt,sed suo ventri*,&c. Scilicet docent Doctores lucri spe, & gulæ studio, proindéque hominum aures mulcent, & animos veritate profligata. Hosce ego homines procul abigerem, *quibus ad imperium ventris, & gulæ seruientibus, voluptatum nunquam posset mater deficere,ne desinere seruitus possit*,&c.Hæc Nouatianus *de cibis Iudaic.* vbi copiam rerum matrem appellat voluptatum. Sed nihil est aliud hisce rebus indulgere, quàm seruitutem seruire vltimam. Adhuc Apostolus rem prosequitur Monet ille aniculas de Christi schola,quas esse cupit, *non criminatrices,non multo vino seruientes*,&c. *ad Tit. cap. 2. num.3.* Video quàm turpem seruiendi notam inurit Paulus aniculis,quæ Baccho faciant. *Seruitus enim quædam est*,(Doctore Hieronymo)*& extrema conditio vino sensus hominis occupari*, &c. Vilis igitur res peccatum est, vtpote quod hominem deprimit ad seruitutem vltimam.

Rom. 16. n. 18.

Absurda seruitus à gula.

Tit.2.n.3.

Indigna seruitus à vini vsu.

80. Imò titulos aufert honorarios. Rex erat Ozias, & sceptro potens, sed officij Leuitici appetens, & decus, & nomen perdit maximum,2.*Paralip.cap.26.n.*18. Nam cùm vellet sacris se ministris miscere, vt suos Deo odores incenderet, aduolat illico Pontifex cum manu Leuitica, illudque ingerit: *Non est tui officij Ozia*,&c. Regē Pontifex aggreditur, & alloquitur sine honore præfationis: cur ita? Bellè Chrysostomus Hom.5.ad Is.c.6. *Non appellauit eum Regem, neque titulo principatus appellauit; propterea quòd ipse præueniens,se se dignitate deiecerat*, &c. Cur enim Pontifex Regem appellaret hominem,sua gloriola,peccati mancipium sordidissimum? Addo peccatores suis nominibus fraudatos non agnosci. Helluo ille,ac numatus bene homo, *qui epulabatur splendidè*,&c. *Luc. c.16.n.19.*Peto,quo appellatur nomine?scio pauperculum à Christo Lazarum vocatum; non tamen est sacro textu nomē epulonis.Scilicet peccati reus Deo ita vilescit, vt nomen non habeat. An tibi notus homo ille est, qui nouercam malè cognouerat? Rem turpem carpit Apostolus, vrget scholam Corinthiam, pungit hominem turpiter affectum 1.*ad Cor.cap.5.n.*1.sed non edit nomen hominis,scilicet,ne famam lædat; scilicet vt significet peccantem hominem sine vllo nomine esse:nec in hominibus supputari posse,qui peccat liberè,sed ad bestias detrudi. *quos aut vitæ obliteratùit improbitas, aut deleuit auaritia*,&c.Idque Paulino visum est *Epist.31.*

2.Par.26.n. 18.

Seruit Princeps,cùm ambit honores.

Luc.16.n.19.

Nomen perdit, epulis farcius homo.

1.Cor.5.n.1.

Viles Deo peccatores.

81. Nouum non est,deficere hominem in eam belluam, quam suo exprimit vitio. In lupum abit,rapacitate nimia *Luc.10.n.3.* In leonem, furore insano *Ps.9.n.29.*In vulpem,dolo malo *Luc.c.13.n.32.*In verrem,voluptate sordida,2. *Petr.cap.2.n.21.*mitto reliqua.Nam rem bene versat Clemens Alex.*Orat.1.*Philo *de leg.non scriptis.*Ambros. *serm.10. in Psalm.118.* Addit Chrysostomus hominem vita sanctum verè hominem esse,Hom.23.in Gen.*Cæteri*(inquit) *non homines, sed humanam gerentes formam, & ex hominibus in bestias mutati*, &c. In asinum deficit, qui aliis ad peccandum stimulus est. *Expedit*(Christo Auctore,)*vt suspendatur mola asinaria in collo eius*,&c.*Matth.18.n.6.* Cur non de trusatili sermo est, sed de mola asinaria?Oportebat,vt peccātem morderet hominē pœna vilissima, vtpote qui vilem peccati labem contraxerat. Sic Chrysologus serm. 27. *Inde*(inquit) *sumat pœnam,vnde sumpsit & sensum:& exæquetur iumentis insipientibus, qui noluit hominibus sapientibus comparari*,&c. Chrysologo adest Ambrosius *lib.* 8. *in Luc.* 18. & docet Christum de mola asinaria meminisse, vt à peccando retardaret homines. *Plus enim profuit ad reprimenda peccata, inauditi generis, atque deformis belluina quædam pompa supplicij*, &c. Abeat igitur in pistrinum, qui peccat sensu asinario,nec alia, quàm asinaria fruatur sepultura peccati stigmatias. Quo nam loacimus gaudet tumulo?Id exponit Ieremias c.22. num.19. *Sepultura asini sepelietur*,&c.Cur non occupabit mausoleum dignitatis Regiæ? Ita ne Princeps vili in tumulo, & sepultura asinaria? Sed quadrat benè in hominem mentis asininæ, quod Olympiodorus monet ad Ecclesiastæ cap. 6. *Non habebitur dignus quietè hominum, cùm passiones carnis consectatus instar pecorum vitam finierit*, &c. scilicet in asinum versus abit,qui peccat impudenter, & hac via Israelitæ, Achiore teste, *dati sunt in opprobrium*, &c. seruitutis scilicet vltimæ; sed facti pœnitentia vires à Deo grandes pararunt, vt hostem premerent.

Matth.18. n. 6.

Qui peccare docet asinus est.

Ier.22. n.19.

Qui peccat Princeps in asinum degenerat.

Quotiescumque autem pœnituerunt, &c.

Commentarius.

VIres laudat Achior doloris intimi de Idolomania admissa. Vbi enim Hebræū pœnitebat sceleris, ac neglectæ religionis, Deus Opt. beneuolè acceptum populum recreabat,virtute addita ad hostē premendum, profligandum,interimendum. quo dolore tactus miles, Duce pio, Martem spirabat. Hac vna via monebat Pelusiotes constare victoriam qualemcumque lib.1.Epist.294. *Si hostes cupis vincere, Dei metu exercitum ducito*, &c. metu scilicet Dei iudicis, qui non sinit homines impunè peccare. Quanta pœnitentiæ virtus est! quæ peccatum ab animo trudit, Deumque propitiat, & prolicit in auxilium calamitatis amouendæ. Nec Deus Hebræum hoste infesto pungebat, nisi vt homines ad pœnitentiam scelerum excitaret.quàm multis locis carpit homines Deus Opt. vide Exod. cap. 32.n.33. *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo*,&c.Id verò,quo Deus consilio fecerit,scitè Clem.Alex.1.Pædag.c.7. *Arguit,vt ducantur pœnitentia*, &c. Sciebat Deus a peccati dolore intimo multam hominibus salutem venire. Multus in hoc scelerum dolore ciendo est Dominus,*Deut.*32 Constat sæuire Deum quodammodo aduersùs homines apparatu minarum. *Foris vastauit eos gladius, & intus*

82.

Ducem agit bonum Dei metus.

Ex.32.n.33.

Deut. 32. n. 25. *Ingrato Deus ad hoc seruit.*

intus pauor, &c. *n.* 25. Sed Tertullianus ad litem, de Hebræo agitans: *Ingratissimum toties expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est, & prophetando*, &c. *ad lib. de Pœnitent. c.* 2. Addit Clemens Alex. 1. Pædag. c. 8. *Videte, quo modo Deus propter suam bonitatem, requirit pœnitentiam*, &c. metu scilicet incusso. Agit rhetoricè Deus Optim. & artifex trahendi hominis ad viam rectè viuendi. *Bona*, (inquit) *hæc est ars, terrere, ne peccemus*, &c. Deinde, vt peccatum oderis, dolore concepto.

Qui terret Deus à peccato absterret.

83.

Instat hostis à tergo, à fronte, à latere, & vrbẽ premit; quod in Dei minis est apud Ieremiã c. 6. n. 4. *Sanctificate super eam bellũ*, &c. Inde nata dolendi occasio. *Filia populi mei, accingere cilicio: luctum vnigeniti fac tibi; planctum amarũ*, &c. Clemens iterum, *Vides bonum iustitiæ, quæ consulit moueri pœnitentia*, &c. lib. cit. c. 10. *Ducit verò ad pœnitentiam causa nostræ salutis*, &c. & signãter dicit Iudex: *Sanctificate bellum*, &c. quasi sanctum à Deo bellum instet, quo peccator ad pœnitentiã trahitur scelerũ. Idolomaniã alebat Hebræus animo, necesse erat, vt belli metu vrgeretur ad pœnitentiã improbitatis vltimæ. Et cur me non pœniteat grauiter, si fides sana Deũ agnoscit verè censorem scelerũ? Inde colligas, quo iure doceat Clemens Alex. pœnitentiã à fide natam esse, 2. lib. strom. c. 3. *Fidei officium, & opus est pœnitentia*, &c. Cur de peccato non doleã, si dolore saluté mihi pario. nã puto ego clausam in pœnitentia vitam hominis esse. Hac mente Deus: *Nolo* (inquit) *mortem impij: sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat*, &c. *apud Ezech. c.* 33. *n.* 11. Quod ego statuo, eruit ex loco Tertullianus. *Ergo pœnitentia vita est, quæ præponitur morti*, &c. *ad lib. de Pœnit. c.* 4. Egit bonus Deus, ne peccator de salute desperaret, cùm sciret oppugnatũ esse hominem ab acie Dæmonũ infestissima. Quid egit Deus? *Collocauit in vestibulo pœnitentiã secundam, quæ pulsantibus patefaciat*, &c. *c.* 7. Baptismus primò cœli fores pandit; secundò aperit clauicularia pœnitẽtia. Probat Magister multã à pœnitentia fiduciam nasci peccãtibus: quos vt traheret ad execrationem scelerum, suũ Dauid carmen fecit *Ps.* 50. vbi & peccatum, & peccati remediũ explanauit, teste Chrysostomo. *Psalmum scripsit, vt non remissiores post pœnitentiam efficiantur homines*, &c. Bono id cõsilio factum est. *Ego* (inquit) *saluatus sum, quare non & alij me narrante saluentur*, &c. Hæc & plura Chrysostomus *in Psal. cit.* Nec textus de pœnitentia Hebræi populi meminit; quæ salutem vltimam, & virtutem masculam dolentibus conciliasset, nisi vt scires

Ier. 6. n. 4.

Grata Deo scelerum pœnitentia.

Fidem penè deserit, qui nulla scelerum ducitur pœnitentia.

Ezech. 33. n. 11. *Bona animi anima, pœnitentia.*

Spem facit peccantibus Dauid scelerum pœnitens.

PARÆNET. XLI.

Pœnitentiam Deo propitiato scelerum medicinam esse.

1. NAta à ligno teredo lignum terit, & absumit: *sic tristitia de peccato natæ peccatum comminuit per pœnitentiam inducta*, &c. teste Chrysost. *ad Hom. 5. de Pœnit.* Id è peccato boni peccator cogit, vt dolore animi pharmaco peccatũ egerat. *pœnitentia enim medicamentum Veloc. in Iudith.* est, *peccatum extinguens*, &c. quod addit Chrysostomus. Noxius animi humor est peccati morbus, quem peccator remittit facilè remedio pœnitentiæ bonus animi Æsculapius. Quantus Diabolo metus erat, ne Iudas facti dolore concepto salutem consequeretur? Hoc metu proditorem vrget ad restim properè. Iudas enim, *abiens laqueo se suspendit*, &c. *Matth. 27. n. 5.* Sensit Diabolus hominem de piaculo verè doluisse; quandoquidem *pœnitentia ductus, Principibus Sacerdotum, & Senioribus dixit: Peccaui tradens sanguinem iustũ*, &c. *n.* 3. Quanuis proditor cassa id pœnitentia dixerit, vtpote qui malè desperauerit; si quid boni probant interpretes. Egit tamen Diabolus Iudã festinatò ad laqueum, timens sibi, ne veniam proditor à Christo impetraret, si facti abhorrens viueret, dolẽtérque diceret, *Peccaui, tradens sanguinem iustum*, &c. sic Chrysost. Hom. 10. de Pœnit. *Audiuit hæc Diabolus, nouit in melius viam capientem, & ad salutem tendentem, timuit mutationem*, &c. Quid igitur, vt Iudam sibi retineret? Addit Chrysostomus. *Exterruit eum, & obtenebrauit, mœrorisque magnitudine effugauit*, &c. Vides, quid possit facti pœnitentia, cùm scelus scelerum maximum pellat pharmaco doloris intimi.

Dolor de peccato est peccati antidotum.

Matth. 27. n. 5. & 3.

Aliò de scelerum pœnitentia cogitat Diabolus.

2. Et quod magis placet, festinatò medetur pœnitentia. Tribus quidem syllabis constat salus animi; si quis dolore cõcepto dicat, *peccaui*, salua omnino res est. Peccat Dauid, cùm adulterium admittit, & cædem perpetrat; sed dolore scelerũ concepto fatetur ingenuè: *Peccaui Domino*, &c. 2. *Reg. 12. n.* 13. Quid inde? tanta pœnitentiæ virtus est, vt gratior Deo Dauid placuerit. Sic enim Deus Psal. 88. n. 21. *Inueni Danid seruum meum*, &c. quod Petrus explicat in Act. Apost. c. 13. n. 22. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundũ cor meum*, &c. Hæc ita: *Benignè pœnitentiam honorans Deus*, &c. quod Iustinus probat, *respons.* 78. Velox adeò pœnitentia in animo expurgando est, vt quem peccator ducit colorem, citò aboleat, facti pœnitentia; vnde nec videtur perdidisse colorem mẽtis sanæ. Lis est inter bonos interpretes, an vitulo colẽdo peccauerit Tribus Leuitica? Negant alij, volunt alij, quibus cum ego loquor. Satis mihi textus est *Exod. 32. n.* 29. vbi Leuitam Moyses alloquitur. *Consecrastis manus vestras Domino, vnusquisque in filio, & fratre suo*, &c. Cur tamen legum lator non obtrudit Leuitis peccatum grande? sed grauiter detorquet in populum n. 30. *Locutus est Moyses ad populum, peccastis peccatum grande*, &c. Illud in loco putat Bacchiarius, Leuitã à peccato ad peccati pœnitentiã festinasse, ac proinde peccati notam citò deleuisse. Nam cùm Moyses ad vltionem sceleris veller, & vrgeret socios n. 26. *Congregati sunt ad eum omnes filij Leui*, &c. Modò Bacchiarius Epist. ad Ianuar. *Priores* (inquit) *ad correptionem legislatoris, emendati esse perhibentur: & non tam in illis peccati crimen arguitur, quàm velox conuersio in pœnitentiæ celeritate laudatur*, &c. Laudo ego medicamentum pœnitentiæ, quo peccator ita peccatum exuit, vt facti pœnitens notam exuat sui nominis.

Deum amicè allicit pœnitentia.

Exod. 32. n. 29. 30. & 26.

Peccati sordes festinatò abluit pœnitentia.

2. Reg. 12. n. 13.

Psal. 88. n. 21.

Act. c. 13. n. 22.

3. Constat peccasse, etsi leuiter, Saram, cùm risit, *Gen. c.* 18. neque enim de risu admoneret Angelus,

Gen. 18. n. 13.

Angelus, niſi mulier fidem oraculi riſu læderet, *num.* 13. vnde Angelus: *Quare* (inquit) *riſit Sara?* &c. Sed tradit Apoſtolus Saram fide integra matrem concepiſſe. *Fide & ipſa Sara ſterilis, virtutem in conceptionem ſeminis accepit*, &c. *ad Hebr. c.* 11. *n.* 11. Qua nam fide Sara concipit, quæ in Dei promiſſis riſum edit? an Paulus Moyſen corrigit? Athanaſius optimè. *Riſit quidem, ſed conuicta extimuit; quod vtique præſtitæ fidei argumentum eſt*, &c. Patet Saram ſuo de riſu doluiſſe, timore perterritam, *n.* 15. ac proinde non incurrit notam læſæ fidei, quæ citò ad fidem à riſu conuerſa eſt. Sic latro poſt ſcelerum deteſtationem de ſceleribus non arguitur. Chriſtum vterque latro carpit improbè; quod Matthæus notat c. 27. n. 44. *Idipſum & latrones improperabant*, &c. ſed Lucas id ab vno latrone factum docet c. 23. n. 39. *Vnus autem de his, qui pendebant latronibus blaſphemabat*, &c. Quid alter? facti pœnitens fatetur ingenuè n. 41. *nos quidem iuſtè; nam digna factis recipimus*, &c. Quare Lucas bene tacet latronem bonum maledixiſſe, vtpote qui pœnitentia celeri maledici nomen exuerat. *Nec mirum*, (addit Ambroſius lib. 10. in Luc. c. 23) *ſi conuerſo culpam ignoſcebat*, &c. ſcilicet ne peccator inde tranſnominaretur. Plenius hac de re Hieronymus *in Matth.* Dimam enim maledixiſſe negat quodammodo; *quòd vnus crederit in Ieſum & priorem negationem ſequenti confeſſione deleuerit*, &c. verè Tertullianus monet, de Pœnit. c. 9. *Pœnitentia Deus mitigatur*, &c. Hoc te pharmaco in ſalutem vendicas, hoc & antidoto morbum caues. Vrget litem hac de re Tertullianus c. 4. *Rape occaſionem inopinatæ felicitatis*, &c. Qui ſanitatem conſequuntur, morbum cauent cura ſolicita; & qui naufragium pertulere, nauiculis dicunt repudium. *Dei beneficium, ſalutem ſuam, ſcilicet memoria periculi honorant*, &c. Inde qui peccant, peccato per dolorem animi eluto, deteſtantur adhuc piaculum. *Bona certè ſolicitudine iterũ experiri vetant, quod ſemel dediderunt timere*, &c. Hæc iterum Tertullianus. An hæc à Deo lex pœnitentiæ Hebræo lata? ſcilicet ne Sacerdos peccato affectus ad miniſterium redeat, niſi purgatus hebdomada integra? Conſtat ex *Leuit. c.* 21. *n.* 1. impiari Sacerdotem tactu hominis demortui. Deinde tradit Ezechiel *cap.* 44. *num.* 26. quibus ſacris expiari Sacerdos poterat. *Poſtquam fuerit emundatus, ſeptem dies numerabuntur*, &c. Vnde Hieronymus ſanam eruit pœnitentiam. *Perfectus* (inquit) *numerus pœnitudinis*, &c. ſed exacta pœnitentiæ hebdomada, adhuc Sacerdos Sanctuarium non intrabat, niſi hoſtia ritè mactata. *Offerat pro peccato ſuo, aut Dominus Deus*, &c. *num.* 27. Græco textu, *offerat placationem*, &c. Sed quodnam hoc peccatum eſt, ſi emundatus iam Sacerdos erat? Clemens Alex. *lib.* 4. *ſtrom. cap.* 8. putat ſacrum à Sacerdote faciendum eſſe, vt peccatum caueat, quod patrare poteſt, hoſtia piaculari, & concepta pœnitentia. *Cautio* (inquit) *mutationis adhuc ſeptimum tangit ambitum*, &c. vitæ ſcilicet humanæ circuitum, quo mentem & bonus quiſque demutare poteſt. Et quidem Hieronymus illud ex legiſcito monet: Rectè mandatum, vt poſt expiationem improbitatis Sacerdos mactet hoſtiam: *nec vllum ſit tempus, quo non recordetur maculatum ſe fuiſſe*, &c.

Hebr. 11. n. 11.

Latet peccatum ſub pœnitentia.

Matth. 27. n. 44.

Luc. 23. n. 39 & 41.

Peccator non appellatur, qui peccatum delet pœnitentia.

Valet pœnitentia ad peccatum cauendum.

Ezech. 44. n. 26. & 27.

Placatur Deus ſcelerum pœnitentia integra.

Nulla ſcelerum pœnitentia abundè eſt.

Prodeſt peccati recordatio.

4.

Monebat Chryſoſtomus, vt peccatum quantumcumque in animo, tanquam in libro deſcriptum haberemus, ac dolore intimo perſequeremur. Cur verò id? *Ita & animæ arrogantiam frangeremus, & cautela, ne eadem in ſcelera incideremus, acrior naſceretur*, &c. *ad lib.* 2. *de compunct.* Suo id facto probat Apoſtolus. Nam de vita retroacta pœnitens, obtrudit in aures hominum, 1. ad Timoth. c. 1. num. 13. *Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus*, &c. & proximè ad lit n. 15. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*, &c. Sano ſe conſilio peccatorem vocat Apoſtolus, ſcriptóque teſtatur. Scitè Chryſoſtomus. *Cùm de præſentibus curam non haberet, quoniam recordationes peccatorum, & luctum, gemitúmque ſciebat animæ prodeſſe, etiam illa commemorat, quæ per ignorantiam admiſſa Baptiſmi gratia aboleuerat*, &c. Proſunt quidem pœnitentibus peccati recognitiones crebriores; nec homo vita ſanctus eſt, qui frequenter non meminerit de peccato leui, graui, quod aliquando admiſit in animum.

1. Timoth. 1. n. 13. & 15.

Facit ad peccati amulelum peccati memoria.

5.

Hac mente Habacuc ſuum edit carmen, & præſcribit titulum pœnitentiæ, ad cap. 3. *Oratio* (inquit) *Habacuc pro ignorantiis*, &c. quaſi fateretur magnum ex hac ignorationum recognitione emolumentum venire ſolitum pœnitentibus; & quod metu concepto erratum recognoſceret, addit, n. 1. *Domine, audiui auditionem tuam, & timui*, &c. Sed quodnam hoc peccatum eſt dolore intimo recognoſcendum? ſi redeas ad 1. c. *n.* 2. inibi Prophetes ſuo cum Deo piè expoſtulat: *Vſquequò Domine clamabo, & non exaudies?* &c. Deinde queritur bonum Deum ſua patientia derogare ſibi, n. 4. *Propter hoc* (inquit) *lacerata eſt lex*, &c. Audax quodammodo videri Vates potuit, etſi affectu iuſtitiæ vocem contenderit apud Deum. Hæc dolendi, ac timendi ratio, cùm putaret ſe peccaſſe: hæc occaſio orationis texendæ, *Pro ignorantiis*, &c. *Locutus enim fuerat audacter ad Dominum; pro quo ſe ipſe reprehendens, quòd per ignorantiam ſit locutus, ſcribit cãticum pœnitẽtiæ*, &c. In loco Hieronymus adversùs Pelagian. *lib.* 1. & *in Prologo ad Prophetam c.* 3. addit Hieronymus *Nunc agit pœnitentiam, & plangit, quòd temerè ſit locutus; petitque veniam, vt miſericordiã conſequatur, quia ignorans fecit*, &c. Quod erraſſe ſe dolet, ſcripto reponit Vates facti pœnitens, vt Deum ſibi reddat facilem. Abblanditur enim Deo irato pœnitens, cùm erratum piè recognoſcit.

Habac. 3. n. 1. & 1. n. 2. & 4.

Dolent vates, quòd ignoranter peccauerint.

Suum ſcripto erratum exponit vates amore pœnitentia.

6.

Colligit id Hieronymus ex *num.* 12. vbi Vates poſtquerimoniam de ſumma Dei patientia initam ſubtexit, *Nunquid tu Domine à principio Deus meus, ſancte meus?* &c. Quæ voces? quæ blanditiæ? quæ muſa? quæ lyra? in Dei aures? ita ne ſermonem emollit, qui tonabat proximè: *Vſquequò voci ferabor ad te, vim patiens, & non ſaluabis?* num. 2. ſed blanditur, qui timet, qui dolet, teſte Hieronymo. *Hæc autem loquitur blandientis, & pœnitentis affectu*, &c. Sciebat Vates leniri Deum facilè, pœnitentia cuiuſque hominis; inde vocem flectit humilem

Habac. 1. n. 12. & 2.

Blanditur Deo pœnitentia.

milem: *Deus* (inquit) *méus, ſancte meus*, &c. vt blandimento pœnitentiæ Deum ſibi placatum reddat. Nec temerè addit textus Græcè oraſſe Vatem, cum cantico, μετ' ᾠδῆς, quod Vatablus, & Genebrardus, Hebræaque ſchola eruunt ex שגגות *ſigionot*, quæ quidem vox & *errorem* ſonat, & *gaudium*. Fortaſſe Vates ſignificatum hoc cantu gaudium eſſe voluit, quod altè Deus, Angelíque gaudent, *ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*, &c. *ad Luc. 13. n. 7.* ſcilicet cantus Deo eſt luctus pœnitentiæ: quo iratum numen placare bonus quiſque ſtudet.

Altum Deo gaudium eſt de ſcelerum pœnitentibus.

Luc. 13. n. 7.

7.

Quid Iacobus egit aliud, cùm Deum in ſomnis vidiſſet? Gen. 28. *n.* 17. Metu expergefactus graui, *Quàm terribilis eſt*, (inquit) *locus iſte!* &c. Timuiſſe Iacobum docet Philo, eo quòd magnum Deũ loco definierit, illud iterans, *Verè Dominus eſt in loco iſto*, &c. *n.* 16. Et quaſi doleret de errato, exclamaſſe: *quàm terribilis eſt locus iſte!* &c. Bene Philo de Iacobo, ſed allegoricè; quod ſolet, *In metum incidit iam pœnitens*, &c. *ad lib. de ſomnijs.* id verò Iacobus, vt facti pœnitentia Deum mulceret. Erat hæc Azariæ mens, & vox, placari Deum pœnitentia hominum intima; atque adeò, vt vim flammarum mulceret bonus Deus, fatetur ingenuè, ſe & ſocios peccaſſe: *Peccauimus* (inquit) *& iniquè egimus*, &c. *Dan. 3. n. 29.* hac ſcelerum facta recognitione factum eſt, *vt non tangeret eos omnino ignis*, &c. *num. 50.* Magna profectò vis pœnitentiæ, quæ Deum adeò vſque propitiat, vt miris modis iuuenes eruat. *Iſthic dixerunt pro malorum remedio, peccauimus: & pœnitentia flammas diſſoluit*, &c. Magiſter hac de re Cyrillus eſt Hieroſolym. *Catech.* 1. Noſſe cupis quantum blanditiarum Deo faciat pœnitentia? Vide, vnde Ioannes ſermonem exorditur, apud Matth. cap. 3. n. 2. *Pœnitentiam agite*, &c. Vnde meus Chriſtus ſcholam auſpicatur, cap. 4. n. 18. *Pœnitentiam agite*, &c. Vnde ſumit auſpicium Orator Apoſtolicus Marc. cap. 6. n. 12. *Exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent*, &c. Cur enim prior de pœnitentia vox Magiſtro, ac diſcipulis eſt, niſi gratior eſſet Concionantibus, ac iucundior? Pulchrè Laurentius Iuſtinian. de ramis palm. *Hoc proculdubio pœnitentiæ magiſterium Conditori noſtro gratiſſimum eſt: adeò, vt ab illo ſuæ prædicationis exordium ſumpſerit*, &c. Prudentes igitur, prouidentéſque Iſraëlitæ de Idolomania dolebant, vt Deum propitiarent, ſcelerum deterſa nota: *Quotieſcumque enim pœnituerunt ſe receſſiſſe à cultura Dei ſui, dedit illis Deus Cœli*, &c. Illud in loco notandum, ſemel, iterum, ac millies Deum pœnitentibus exoratum eſſe. *Quotieſcumque* (inquit) *pœnituerunt*, &c. Quaſi paratum erratis condonantis oſtendat ſeſe, *Pater miſericordiarum*, &c. 1. *ad Corinth. c. 1. n. 3.* Cur enim Deus miſericordiæ plurimæ bonus Pater eſt? *Sed miſeria noſtra multiplex non modò magnam miſericordiam, ſed multitudinem quærit miſerationum*, &c. docet Bernardus *Serm. 5 de Natiuit. Dom.* & cùm peccator labatur, ac relabatur peſſimè in flagitium, neceſſe erat parari remedium à Deo multiplex. *Quoniam multus eſt ad ignoſcendum*, &c. *Iſa. cap. 55. num. 7.* vt peccator quiſque norit

Veloſ. in Iudith.

Nullus ſine pœnitentia iuſtus.

Dan. 3. n. 29. & 50.

Pœnitentia à flammis extrahit.

Matth. 3. n. 2. & 4. n. 18.

Marc. 6. n. 12.

Gratæ Deo vox de pœnitentia.

1. Cor. 1. n. 3.

Multa Dei miſericordia aduersùs multam miſeriam.

Iſa. 55. n. 7.

PARÆNET. XLII.

Iterari à Deo veniam ſcelerum iterata pœnitentia hominum.

1.

NOn marcet exhauſta Dei bonitas, iterata ſcelerum venia. Peccet quiſque ſemel, iterum, ac millies; non minus parcit bonus Deus. Inde meus Ieſus ligno fixus hæret, manibus in aduerſum diſtractis: *Paratus in amplexus peccatorum*, &c. quod Auguſtino placuit *in Manuali c. 23.* ne qua hora peccator veniam ſcelerum non obtineat. Quid ſi pedibus ad Crucem fixis perſtat bonus Deus, ne qua via peccantem hominem refugiat, ſi facti pœnitens adeat ſedem gratiæ? Id notat Salmeron tom. 10. tract. 6. *Crucifixus eſt pedibus, vt te expectet*, &c. Addo abiiſſe è terris magnum Deum manibus dirè perforatis, vt ſi manum vellet contrahere, offenſus improbitate hominum, per vulnera paterent viſcera. Vox hæc Bernardo eſt ſerm. 61. in Cant. *Quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant*, &c. Imò, quæ in Dei viſceribus latent opes benignitatis plurimæ clauo aperiam qualicumque. Nam *clauis reſerans, clauus penetrans factus eſt mihi*, &c. Bernardus iterum. Bonum igitur Deum adeas, qui peccati veniam repetis; nec te reuocant à venia repetenda repetita ſcelera. Spem, nec leuem alunt gratiæ impetrandæ peccatores plurimi: quibus oblata perſæpe venia, cùm ſcelera ſceleribus attexerent.

Promptus ad veniam Deus.

De clauo Deus clauum fecit gratiæ.

2.

Peccat Dauid adulterio admiſſo: condonat adulteriũ bonus Deus 2. *Reg. 12. n. 13.* Peccat iterum Dauid cùm numerum hominum ineundum curauit *cap. 24. n. 1.* ſed placatus facti pœnitentia Deus Regem ſuſcipit ab hoſtia piè mactata n. 25. *& propitiatus eſt Dominus terræ*, &c. Relabitur itaque Dauid in ſcelera, minúſque nihilo veniam impetrat: imò totam rerum ſcenam ſacro textu explicatam Deus voluit, *quo peccatores minus de ſuis rebus deſperent; ſed ſi quis peccauerit, quotidie confiteatur peccatum, tametſi millies peccauerit, perſtet millies confiteri*, &c. Tantùm Chryſoſtomus *Hom. 6. de pœnit.* Acerbè Cyprianus inuehitur in hæreſim Nouitianam; vtpote quæ lapſos malè homines poſt Baptiſmi gratiam, remedio pœnitentiæ curari poſſe negaret; quaſi pigeret Deum adeſſe pœnitentibus, ac piè dolentibus, lib. 1. Epiſt. 3. ad Corn *Datur opera, ne ſatis factionibus, ac lamentationibus iuſtis delicta redimantur*, &c. Malum grãde laddit Cyprianus. Quandoquidẽ *primus felicitatis gradus eſt, non delinquere: ſecundus verò delicta cognoſcere. Illic currit innocentia integra, quæ ſeruet; hìc ſuccedit medela, quæ ſanet; quòd vtrumque iſti, offenſo Deo, perdiderunt*, &c. Quaſi lædatur malè Deus, cuius benignitas exhauſta putatur, iterata ſcelerum venia. Multis locis probat Chriſtus pœnitentiam hominum *Matth. 4. n. 18.* clamitat Magiſter humani generis, *Pœnitentiam agite*, &c. *Luc. 15 n. 21.* fatetur Prodigus ſe peccaſſe: quẽ Pater ſinu receptum fouet n. 20. *Vidit illum pater & miſericordia motus eſt*, &c. Nota eſt, & celeberrima toto cœlo ſcena de oue perdita,

2. Reg. 12. n. 13. & 24 n. 1. & 25.

Veniam peccatoribus datam Deus explicat ne quis peccator ſpem amittat.

Hæreſis eſt negare peccantibus remedium pœnitentiæ.

Matth. 4. n. 18.

Luc. 15. n. 20. & 21.

& inuenta, quæ signat hominem & peccati reum, & facti pœnitentem. mitto, quæ sunt reliqua huiusce instituti. Putat Basilius multam esse de pœnitentia mentionem; *vt sapiùs edoctus veritate n agnoueris*, &c. *ad Hom. de Pœnit.* acsi Deus firmare vellet spem hominum, multis ad veniam argumentis additis. Puto ego toties Christum egisse de pœnitentia incunda, vt quot Deus modis egerit, tot vicibus homines veniam peterent; nec suo cum animo reputarent exhaustam Dei benignitatem, iterata scelerum pœnitentia. O quantus in Deo est parcendi affectus! *tam Pater, nemo; tam pius, nemo*, &c. sic Tertullianus habet *ad c. 8. de Pœnitent.*

De pœnitentia Christus meminit ad solatium peccantium.

3. Laudat Ieremias Dei moram in Ierosolymis puniendis, cùm Hebræus malè mulctatus fuerit, postquam læsa Dei patientia in furorem versa est, Thren. c. 2. n. 17. *Compleuit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis. Destruxit, & non pepercit*, &c. Sed mentione annorum facta, qui pestem vrbis vltimam præcesserunt, bene ostendit Ieremias Deum perdiu abstinuisse à puniendo. Cur verò id fecerit, docet Paschasius lib. 2. *Synagoga* (inquit) *Dominum irritans malis suis, iam dudum iustam pœnam promeruisset, nisi Conditoris sui bonitas diu tolerans, diu, & patienter sustinuisset ad pœnitentiam*, &c. An hominibus improbè relabentibus, sed probè dolentibus indulgere piget Deum, ac pœnitet? Imò priorem scelerum veniam subsequitur posterior, ne quis in culpam relapsus spem amittat gratiæ conciliandæ.

Thren. 2. n. 17.

Peccatores Deus sustinet annis multis ad pœnitentiam excitandam.

4. Vide, qua Deus via Pharaonem ducit ad pœnitentiam. Deo se opponit Pharao Exod. c. 5. num. 2. *Nescio Dominum*, &c. Sed malis affectus decumanis semel, & iterum fatetur se peccasse. Nam cælo tonante, ac fulgurante admonitus, clamat apud Moysen cap. 9. num. 27. *Peccaui Domino: Dominus iustus*, &c. Deinde peccator, cùm ad ingenium rediisset, sed afflictus locustis improbis doleret, *cap. 10. n. 6.* Moysen vrget, pœnitentiamque ostentat. *Peccaui* (inquit) *in Dominum*, &c. Cur tam multis peccat Pharao, & tam multis parcit Deus? Potuit quidem iudex hominum vno in homines ferri impetu; *sed conuersionis, & pœnitentiæ gratia benigniter ferens, & illos ad pœnitentiam expectans, exiguis vulneribus percussit*, &c. Bene Macarius Hom. 4. *Multus* profectò *est ad ignoscendum*, &c. qui semel, iterum, ac tertiò Regem facti pœnitentem benignè susciput. Sed quid fieret de hominibus, si quoties peccat, malè desponderent animum veniæ in posterum impetrandæ? mitiora speres, iubent voces iteratæ. *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere*, &c. *Cant. 6. num. 2.* Patet abiisse aliò Virginem, quæ toties reuocatur: nec tamen Deus, læsâ patientiâ curam abiicit reuocandi; sed vrget terque, paterque ignauiam notabilem virginis. *Intuere vtrùm aliquid hunc dilectum auertere potuerit à dilecta, quo minus & peccanti, & auersa perseueraret?* &c. Hæc à Bernardo *ad serm. de natiuit. Virgin. & aquæductu.* Non languescit Dei bonitas, cùm peccator recidit, si cadit homo, manum Deus addit, vt surgat: si recidit peccator in lutum, iterum Deus reuolat, vt è luto peccatorem eri-

Exod. 5. n. 2. & 9. n. 27. & 10. n. 6.

Lentè, ac leniter punit Deus, ne peccantibus locum obstruat pœnitendi.

Cant. 6. n. 12.

Voces de venia Deus iterat, ne quis in peccatum relapsus desperet.

gat; abeat Saulus à Deo perditus, vt reuertatur peccati amans, & amens, voces Deus iterat: quoties peccant homines, toties Deus indulget. *Quoniam multus est ad ignoscendum*, &c. Addit Orgelitanus, vrgetque peccantem plebeculam, ne desperet, etsi peccet iterum, atque iterum. *Idcirco* (reuertere) *tam crebrò dicitur, vt etiamsi conuersa deliquerit, non decidat in desperationem*, &c. Bonus omnino Deus est, qui nec offensus prauitate repetita humani generis suam denegat benignitatem, imò perstat affectu veniæ iteratæ. Parcè cogitant peccatores de Magni Dei bonitate, si delassatum putant vim gratiæ, repetita scelerum venia. Animos erigit Tertullianus ad c. 7. de Pœnitent. *Non statim* (inquit) *succidendus, ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus; sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari; sed non iterum liberari: iterata valetudinis iteranda medicina est*, &c. Putabat Petrus satis esse ad commendationem pœnitentiæ, si peccator septies veniam obineret scelerum. Ad Magistrum enim discipulus Matth. c. 18. n. 21. *Quoties* (inquit) *peccabit in me frater meus, & dimittam? vsque septies?* &c. In causa, *dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies; sed vsque septuagies*, &c. *n. 22.* scilicet, quotiescumque peccator ingemuerit. Larga Dei pietas ad ignoscendum; neque enim vinci patientiam suam patitur erratis hominum iteratis. *Hac constituit in mundo probum peccatorum medicum, videlicet pœnitentiam, quæ potest iis etiam mederi, qui septuagies septies deliquerint*, &c. sic Iustinus *respons. 97.*

Iteranda pœnitentia, non desperanda venia.

Matth. 18. n. 21. & 22.

Non delassatur Dei bonitas in venia iteranda.

Sed tu peccator, ac mei similis, caue, ne relabaris in flagitium, spe conceptæ veniæ obtinendæ. Neque enim viri magni laudant motus Dei faciles sceleribus condonandis, vt alliciant ad peccandum. Vnde Chrysostomus, *Hæc* (inquit) *dico, non vos alliciens ad peccandum, sed peccatores ad pœnitentiam prouocans*, &c. *Hom. 6. de Pœnitent.* Metus Chrysostomo ingens erat, ne argumento diuinæ benignitatis faciles ruerent homines in scelera. Erat & Tertullianus in hoc metu: vnde pœnitentiam laudare iam pœnitebat hominem, scilicet, *ne retractantes de residuo auxilio pœnitentiæ, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur*, &c. *loco citato* Sed occurrit Magister, & rationes subducit fidendi æquè, ac timendi. *Pater quidem misericordiarum Deus est*, &c. 1. ad Corinth. c. 1. n. 3. *quoniam multus est ad ignoscendum*, &c. Isa. 55. n. 7. *dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam*, &c. *Sapient. c. 11. n. 24.* Accipio. Sed, & *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit*, &c. Ps. 93. n. 1. *Visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem*, &c. *Exod. c. 20. n. 5.* Æqua Deo vis in vtramque partem est: inde Tertulliano impetus, vt agitans de vitæ spatio ad pœnitentiam dato, adderet. *Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est; toties delinquendo, quoties ignoscitur*, &c. *de Pœnitent. c. 7.* sciebat malis nostris vinci Dei patientiã. Quid enim est aliud, peccata peccatis addere hominẽ, quã vrgere Deũ ad vindictã scelerũ? Diuidere in homines benignitatẽ Deus nouit, si pertinacesin peccãdo nõ fuerint. Alioqui *thesauro suo Deus prouidet*, nec

Venia iteratæ abutuntur peccatores.

1. Cor. 1. n. 3.

Isa. 55. n. 7.

Sapient. 11. n. 24.

Psal. 93. n. 1. Exod. 20. n. 5.

5.

Qui pareit, & punire Deus potest relapsos liberè.

nec ſinit obrepere indignos, &c. reponit Tertullianus *cap.* 6. Imò reus ſcelerum pertinax *theſaurizat ſibi iram in die iræ*, &c. *ad Rom. c.* 2. *n.* 5. ſcilicet ſtomachum Deo, & grauem mouet, Anſelmo teſte; *quia dum ad pœnitendum tempus accipit, & ad peccandum expendit, ipſum remedium gratiæ vertit in augmentum culpæ*, &c.

Rom. 2. n. 5.

Grauius punitur à Deo relapſus in peccatum.

6. Time peccator Dei faſces, ac ſecures; Pater æquè, ac Iudex eſt. Qui Patrē lædis, ſpe lactatus nimia, iudicem metuas amantem iuſtitiæ. *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* &c. *ad Rom.* 2. *n.* 4. Sed qui largè fidit, vt latè peccet, neceſſe eſt, pereat miſerè, extremámque irarum fæcem bibat, quæ in imo Dei ſcypho eſt, vt veneno tollat præſentiſſimo tenaces peccati homines, ſi quid Dauid rectè admonet *Pſ.* 74. *n.* 9. ſolet enim Deus Iudex ſuam peccantibus ſeueritatem propinare. *Verùntamen fax eius non eſt exinanita*, &c. Id verò eſt Magiſtro Nazianzeno ad Orat. 15. *Extremam iram aſſeruat, vt eam totam effundat in homines, qui humanitate ipſius, & facilitate, adeò non ſanantur, vt etiam obdurentur*, &c. Time peccator, & caue; qui enim peccat, poſt facti pœnitentiam, oſtendit, verè ſe non doluiſſe. *Apparet, non eſt pœnitentia, ſæpe veniam petere*, &c. docet Clemens Alex. *lib.* 2. *Strom. cap.* 6. quod timent viri magni, cū de leuioribus agunt religiosè. Labuntur, dolent: relabūtur facilè, timent grauiter, ne fortè doluiſſent caſſa errati pœnitentia. Quādoquidem *apparet, non eſt pœnitentia, ſæpe veniam petere*, &c. Ille dolet verè, qui lapſu in poſterum cauto dolet, nec eandem in culpā recidit. quod vrget Deus Iſa. c. 1. n. 16. *Lauamini, mundi eſtote*; &c. Eò enim pertinet dictiuncula *mundi eſtote*, vt perſtent peccantes homines in peccati pœnitentia. *Lauatur, & mundus eſt, qui & præterita plangit, & iterum non admittit*, &c. Sic Auguſtinus *ſerm.* 66. Dolorem concipit Dauid de piaculis, nec, quod patet, dolens temperat à lachrymis, vt ſatis Deo faciat. Pſ. 6. n. 7. *Lachrymis* (inquit) *meis ſtratum meum rigabo*, &c. Satis ne? Dolorem ego probo ex errati pœnitentia. Non tamen ceſſat Dauid, pergit vltrà; & peccantes homines à ſe procul abigit, ne relabatur in ſcelera affectu victus malo. *Diſcedite*, (inquit) *à me omnes, qui operamini iniquitatem*, &c. *n.* 9. vbi Chryſoſtomus. *Hic eſt fructus pœnitentiæ; mens enim, quæ ita contrita eſt, nulla deinceps tenetur libidine*, &c. Cauendum igitur peccantibus, ne relabantur in ſcelera, ſpe concepta gratiæ parandæ: quanuis bonus Deus pertinaces peccati homines ſepties, & ſeptuagies ſepties ſuſceperit. *Quotieſcumque autem pœnituerunt, dedit illis virtutem ad reſiſtendum*, &c. Eruas iterum hoc ex loco, licet, homines, quos de peccato verè pœniteat, fortiores videri, ſeruitute addita, ad rem bene gerendam ſiue hominem, ſiue Diabolum velint premere. Hoc ſaxum voluo; ſcilicet

Rom. 2. n. 4

Pereunt miſerè, qui reciduntſcelera.

Iſa. 1. n. 16.

Verè dolet, qui non relabitur in peccatum.

Pſal 6. n. 7. & 9.

Abigendi affines ſcelerum.

PARÆNET. XLIII.

Parari virtutem maſculam ſana pœnitentia.

1. QVemadmodum pulſatus ab hoſte miles pudore agitante pugnam repetit valentior: quod Entellus probat apud Maron. 5. pulſatus enim ab aduerſario, lapſúſque fallente veſtigio,

Velof. in Iudih

Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat ira.

Sic iuſtus à Diabolo peccator, imò victus; ſed errati pœnitens, vires cogit, & virtutem acuit, vt pugnet, & vincat. Totus hac in re Bacchiarius eſt *ad Ianuar.* dolet enim peccator ſe à Diabolo victū, aut certè ictum eſſe. *& contra percuſſorem ſuū magis iratus inſurgit*, &c. Pudet Hebræū armis ſe, ac dolis ceſſiſſe Madianiticis. *Cūque pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent eos, occiderunt omnes mares*, &c. *Num. c.* 31. *n.* 7. Vnde tanta Hebræo virtus, qui à meretriculis victus locū deſeruiſſe viſus eſt? *c.* 25. *n.* 18. Dolebat Moyſes, dolebant & alij, *qui flebant ante fores tabernaculi*, &c. *n.* 6. Profuítque Hebræo ad virtutem animi excitandā ſana ſcelerū pœnitentia; qua piè concepta, *occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum*, &c. *n.* 9. vt ſcilicet ferrum acuerent in domeſticis aduersùs hoſtes. Origenes optimè Hom. 25. in Num. *Qui priùs à mulieribus victi ſunt, nunc expiatione habita, & geſta pœnitentia, etiam Reges vicerunt.* Vires Deus addit pœnitentibus, vt rem bene gerant bello confecto. Certè Hebræus Hercules Samſon *multo plures interfecit moriens, quā antè viuus occiderat*, &c. *Iudith* 16. *n.* 30. Vires amittit, capillis deſectis, captus à Philiſthæo, & obcæcatus, datur in piſtrinum, conſtat ex *n.* 21. Dolet Samſon, & dolet facti pœnitens, quòd victus à muliercula, Dei Sacramentū aperuiſſet: quid enim eſt aliud orare, n. 28. *Domine Deus, memento mei*, &c. quā de facto dolere, ac pœnitere? Creſcit dolor animi, labore diuturno, augentur vires, dū crines renaſcuntur, euocatus in templū Samſon, & columnis concuſſis, ſtragem hominū edit miſeram. Vnde nata Hebræo virtus, niſi ex peccati dolore intimo? id Auguſtinus probat ad lib. 2. de mirab. c. 6. *quod negligens amiſit, afflictus pœnitentia paulatim impetrabat*, &c. Quis igitur Martem non ſpiret, ſi peccati vim pellit auxilio pœnitentiæ?

Maiorè lapſu virtus.

Num. 31. n. 7. & 25. n. 18. 6. & 9.

Vires acuit, non obtundit ſcelerum pœnitentia.

Iud. 16. n. 30. 21. & 28.

Multa Hebræo virtus eſt, vt Benjamitam perdat funditus: ſed pœnitentia iterata virtutem parit. Scelus admiſerat Benjamita *Iudic.* 20. n. 5. Delato igitur ad iudices flagitio, cogitur miles, ac Deo conſulto progreditur ad vltionem ſceleris; ſed pugnat malè *n.* 21. non languet Hebræus ea clade, ſed leſſu apud Deū facto, & collecto exercitu, Benjamitam iterū aggreditur. Iterū funditur à Beniamita Hebræus, & fugatur vindex ſceleris *n.* 25. Semel, & iterū pulſatus, lachrymis obortis Deū orat, ieiunio longè protracto. *ſedentes flebant coram Domino ieiunantes*, &c. Dolorē de ſuo quiſque piaculo conceperant, vt virtutem à Deo maſculam pararent. Tūc data à Deo virtus pugnandi cū Beniamita, oppidíque expugnandi. Vrget enim Deus bene propitiatus *n.* 28. quod reapſe patratū eſt. Nata ex iterato animi dolore poteſtas ad hoſtem frangendū, quā ſimplex non fecerat pœnitentia. Id verò aduertit Petrus Damiani lib. 5. Epiſt. 9. *quòd prius mundandi ſunt à tumore proprij vulneris, qui ferre morbos alienæ geſtiunt prauitatis*, &c. Videbo curatum peccati morbum iterata pœnitentia, ac deinde virtutem Hebræo additam, vt Beniamitam

Grandeſcit virtus maſcula dolore vltimo.

2.

Iud. 20. n. 26

Hoſtem perdit miles ſcelerum pœnitens.

tam bello perdat : quod in promiſſis huiuſce loci eſt. *Quotieſcumque enim pœnituerunt, dedit illis Deus cœli virtutem reſiſtendi*, &c. hominibus videlicet, ac Dæmonibus.

3. Hanc in partem facit optimè Cyprianus, cùm laudat Martyres lapſu valentiores aduersùs Idolomaniam lib. 1. Epiſt. 1. ad Corn. *Steterunt fortes* (inquit,) *& ipſo pœnitentiæ dolore facti ad prælium fortiores*, &c. Neque enim frangit animos hominum mala in congreſſu fortuna ; ſed vires inde cogunt ampliores, vt vincant. De hac ſcelerum pœnitentia textus
Cant. 6. n. 12. & 7. n. 1. eſt *Cant.* 6. vbi Deus ad Virginem peccantem ruſticè, *Reuertere, vt intueamur te*, &c. *n.* 12. Quòd peccatricem Deus euocauerit, volunt Bern. & Apon. ſcilicet, vt ſuam Angelis faciem, nec pœnitendam ſcelerum pœnitens explicaret. Vocata à Deo redit virgo, dolore concepto, & excepta beneuolè, audit
Fortior pugnã repetit, qua malè pugnauerat. cantantem Deum cap. 7. n. 1. *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum* ? &c. Acies quodam modo virgo eſt; quaſi retro abiens, & è fuga rediens, ac dolens, grandiores gerat ſpiritus, vt Diabolum premat, trudat ; quæ Cypriano vox eſt, ad ſerm. de lapſis. *Repetet, & certamen ſuum iterabit miles; & quidem factus ad prælium fortior poſt dolorẽ*, &c. Verè Antiſtes, vtpote qui certò ſciret augeri pœnitentibus virtutẽ pugnãdi aduersùs hoſtes animi.

4 Hæc illa eſt Pauli doctrina ad Rom. cap. 8.
Rom. 8. num. 28. n. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, &c. morbus ſcilicet, fames, & mala beſtia. Quid bone Paule doces? etiam ne ſordes ſcelerum proſunt hominibus? vrgéntque affectum boni? Vrgent profectò, ait Bernardus, & qualemcumque vrgent hominem,
Prodeſt ad cauendum lapſus in peccatum. *qui ex his humilior, ſolicitior, & cautior inuenitur*, &c. *ad ſerm. de fallac. vit.* concipit enim impetum depugnandi fortiter ex pudore, & dolore ſcelerum. Notat Beda *in Eſdr. lib.* 1. *cap.* 4. Sacerdotes in ſacris operandis ardentiores videri, cùm Patriam ab exilio repetiere. Nam ſub Ioſue Sacerdotum Maximo, *ſteterunt Sacerdotes in ornatu ſuo, cum tubis*, &c.
In Eſdr. c. 3. n. 10. *cap.* 3. *n.* 10. eóque affectu canendi officium perfecere, vt voces longè, ac latè perſonarent, *n.* 13. Vnde tantus Sacerdotibus ardor canendi piè Dei laudes, qui Ieroſolymis improbè vixerant? Id enim textus habet 2. *Paralip. cap.* 36. *n.* 14. ſi textum repetas *in Eſdr. cit. n.* 8. Inibi duces erant agendi homines, *qui venerant de captiuitate in Ieruſalem*, &c. quaſi à ſeruitute, ac pœnitentiæ magiſtra, motus caperent ardentiores, vt Deum colerent. *De*
Poſt lapſum peccator vigilantior euadit. *qua eruti tanta omnes contentione, quanta nunquam antea operam dare cœleſtibus obſequiis probantur*, &c. Hæc Beda. Deinde textum vrget, vt euincat peccatores, ne peccent, à peccato abire fortiores, & cautiores. *Sed & hodie multis ſubitò erraſſe, & in flagitia cecidiſſe profuit, dum poſt caſum pœnitendo erecti vigilantiùs Domino ſeruierunt*, &c. Beda iterum *loco citato.* Dolebant homines ſe peccaſſe, & à peccandi licentia euaſere cautiores æquè, ac fortiores, ne relaberentur eadem in flagitia.

5. Hinc illa de Pſalmis canendis religio Hebræo erat: *Quomodo cantabimus canticum Do-*
Pſal. 136. n. 4. *mini in terra aliena?* &c. *Pſal.* 136. *n.* 4. Miraberis fortaſſe, & vrgebis, cur ita Leuites ſacros obſeruat ritus procul à Patria, qui vanos Deo Ieroſolymis colebat improbè? Vnde hæc tam ſancta repentè & pietas, & fides eſt? Ad hæc Chryſoſtomus, *Vide quantam correctionem ce-* *Peccator facti pœnitens timet, ne peccet.* *perunt ex captiuitate*, &c. Ita ne peccaſſe Hebræo pro fuit ad metum peccandi? nemo id neget. Profuit & Petro, ne ſuã temerè virtutem comendaret. Thraſonem agens iactabat Apoſtolus apud Magiſtrum, *Etiamſi oportuerit me mori tecũ, non te negabo*, &c. Matth. 26. Matth. 26. n. 35. 71. & 75. *n.* 35. Negat tamen Petrus, & Magiſtrum lædit fide læſa : quod Matthæus tradit *n.* 71. Sed facti pœnitens, aulam fugit, vt liberè doleat ; neque enim tantum Petri dolorem de Magiſtro læſo capit aula : *& egreſſus foras fleuit amarè*, &c. *n.* 75. Opus erat, vt Petrus de Magiſtri amore ſubiret periculum. Petit Magiſter, *Petre amas me?* &c. *Ioan. c.* 21. *n.* 15. Ioan. 21. n. 15. & 17. Aſſentitur diſcipulus, *etiam Domine*, &c. Sed rogatus tertiò, *contriſtatus eſt Petrus*, &c. *n.* 17. Iam ſibi timet diſcipulus, nec altè iactat vim amoris; quod Magiſtrum negaſſet proximè, *Peccator ſe-ipſo melior timet, canet.* id angit, & vrget, ne ſibi fidat. *Vide quanto melior factus eſt, & moderatior, non ampliùs temerè perſtat in ſententia*, &c. Hæc Chryſoſt. *Hom.* 87. *in Ioan.* Certè metus peccati motum peccandi ſedat, hæc à peccato peccati medicina eſt.

6. Nonnihil virgo ſapiens deſipuerat, cùm ſuũ laudaret amorem, ac peteret. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas*, &c. *Cant.* 1. Cant. 1. n. 6. & 11. *n.* 6. Conſtat peccaſſe, quæ acerbè truditur: *Si ignoras te, egredere, & abi*, &c. *n.* 7. Agit iterum cum dilecto, ſed Regem tranſnominat. *Cauta ex lapſu virgo.* *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*, &c. *n.* 11. Cur ſponſum non vocat dilectum vnicè ? Bernardus optimè ſerm. 42. *Regem denique nominat; nam ſponſum interim non audet, territa correptione*, &c. Ab errato ineptæ fiduciæ didicit virgo, ne erraret iterum, cautior lapſu facta, & fortior aduersùs lapſum. Eſt enim metus pereundi miſerè, ſtimulus ad agendum fortiter. Fortaſſe textus id pœnitentibus auxilium pollicetur. *Quotieſcumque enim pœnituerunt, dedit illis Deus cœli virtutem reſiſtendi.*

Num. 20. Denique Chananæum Regem, *&c.* & omnes potentes in Heſebon proſtrauerunt, *&c.*

Num. 21. Et vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona ; Deus enim illorum odit iniquitatem.

Commentarius.

COmpendio tradit Achior res bene geſtas ſacro bello. Pleni ſunt libri harumce rerum, quò te mitto. vide *Num. c.* 21. 22. 31. *Deut.* 2. *n.* 31. *Pſal.* 134. *n.* 10. Ioſuen ſi legas integrum, nihil omnino deſideres. Illud inde notum, Deo bene propitiato, conſtare bellum proſperè, frangi hoſtes, capi vrbes, naſci fortunam bonam manu militum, quod textus habet, & datum proximè, *& vſque dum non peccarent in conſpectu Dei ſui, erant cum illis bona*, &c. illud ego expendo, quid ſit peccare homines *in conſpectu Dei ſui*, &c. De Hero 84.

Iudæ

Iudæ primogenito docet Moyſes ad Gen. 38. num. 7. *fuit nequam in conſpectu Domini*, &c. De populo vniuerſo habes Iudic. 2. num. 11, *feceruntque malum in conſpectu Domini*, &c. Nec Dauid egit aliud, cùm adulterium admiſit *lib. 2. Reg. cap. 12. num. 9.* Seuerè Iudex ad Regem: Quò tua te egit improbitas, *vt faceres malum in conſpectu meo*? &c. Fortaſſe notantur hiſce, aliiſque locis homines, quos peccare non pudet, vtpote qui Dei oculis peccantes ingerant. Et hæc hominum extrema eſt improbitas; peccare per ſummam impudentiam, nec videntem æquè, ac reprobantem vereri Deum. Hac impudentia peccaſſe ſe dolet Dauid, illud dolenter iterans Pſ. 50. n. 6. *& malum coram te feci*, &c. Nec prodigus mente dolet alia, cùm patrem adit errati pœnitens, *Luc. cap. 15. num. 21.* vbi Adoleſcens, *Peccaui* (inquit) *in cœlum, & coram te*, &c. Quis non videt ſummam eſſe improbitatem, vt peccator malè terat pudorem peccandi? *Senſit Dauid, quantum ſit ſceleris, mali quantum, in ipſo Dei peccare conſpectu, ideo clamat: & malum coram te feci*, &c. Vnde, *& iſte adoleſcentior ſimiliter vociferatur, & clamat: Peccaui in cælum, & coram te*, &c. Ita Chryſologus *ſerm. 1.* Dij magni! quàm lynceos Deus habet oculos, vt peccatum Iudex recognoſcat? Hoſce oculos timet Suſanna caſtitatis celebratæ: quos Heroina ſenibus exponit, vt pudeat peccare. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini*, &c. *Dan. cap. 13. num. 23.* Vbanè admodum ſuo cum Deo Heroina, quæ à Dei oculis rationes colligit trudendæ nequitiæ. Eſſet enim facinus impudens, peccare in oculis Dei maximi, qui ſuapte natura malum oderit. Piè id, licèt impius tradit Achior; *Deus enim illorum odit iniquitatem*, &c. & hæc Dei optimi virtus eſt propria. Vnde Sapiens Sapient. cap. 14. num. 9. *Odio ſunt Deo impius, & eius impietas*, &c. Sed à Patre mentem hauſit, qui cecinerat Pſal. 30. num. 7. *Odiſti obſeruantes vanitates*, &c. Et verò Zacharias *cap. 8. num. 17.* vbi ſordes ſcelerũ ab Hebræo longè abeſſe curat. *Vnusquiſque* (inquit) *malum contra amicum ſuum ne cogitetis, & iuramentum mendax ne diligatis*, &c. Deinde addit, vt auocet à peccandi licentia. *Hæc enim ſunt, quæ odi, dicit Dominus*, &c. Quod ſic intelligas, oportet, vt Deus odio non homines, ſed hominum perſequatur ſcelera. Vnde Chryſologus *ſerm. 66.* rectè monet, Chriſtum *veniſſe vitia perdere, non ſuam diſperdere creaturam*, &c. Cùm tamen dicat bonus Deus improbitatem hominum ſe odiſſe cane peius, & angue: yrget fortiter, ne quis hominum viuat improbè. Et erit, qui malè agat, & impudenter, *in conſpectu Dei, ſui*? Sciat ille, ac moneat,

Gen. 38. n. 7 — Iudic. 2. n 11. — 2. Reg. 12. n. 9. — *Peccat impudens in Dei oculis* — Pſ. 50. n. 6. — Luc. 15. n. 21. — *Grande ſcelus peccare impudenter.* — Dan. 13. n. 23. — *Dei aſpectus eſt bonis ratio non peccandi.* — Sap. 14. n. 9. — Pſ. 30. n. 7. — Zachar. 8. n. 17.

PARÆNET. XLIV.

Peccatum ex impudentia grauius eſſe.

1. SAcro textu peccatum grande eſt, quod in Dei oculis ſcientes, ac prudentes admittunt homines. Inde factum, vt Moyſes de Pentapolitanis dixerit, Gen. cap. 13. num. 13. *Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores nimis coram Deo*, &c. quibus germanè reſpondet Hebræus populus *Iudic. 3. num. 7.* vbi peccantes notantur homines: *feceruntque malum in conſpectu Domini*, &c. Et hæc quidem vox ad inſignem pertinet improbitatem hominum, teſte Chryſoſtomo in Gen. Hom. 33. *Non peccator ſimpliciter*, (inquit,) *ſed coram Domino: hoc eſt, prodigioſa erat eorum iniquitas*, &c. Monſtrum omnino eſt, peccare homines, qui Dei vbique præſentis oculos adeſſe credunt, nec tamen verentur. Præ hominibus huiuſce monſtri, negat Deus peccaſſe homines reliquos, apud Ieremiam cap. 32. num. 30. *Erant filij Iſrael, & filij Iuda iugiter facientes malum in oculis meis*, &c. Græco textu legas: μόνοι ποιοῦντες τὸ πονηρὸν, *ſoli facientes malum*, &c. Quaſi textus inſinuet, peccare graviter, ac ſimpliciter homines, qui ſcientes, ac prudentes in Dei peccant oculis; alios verecundè peccantes præ hiſce hominibus non peccare.

Gen. 13. n. 13. — Iud. 3. n. 7. — *Peccat grauiter qui Dei oculos non reſpicit.* — Ier. 32. n. 30. — *Peccator præ cæteris eſt, qui peccat in Dei oculis.*

2. Quid ſi beſtiam dixerim, non hominem, qui peccat impudenter? Lego notandas eſſe turpi ſigno frontes hominum, iubente Antichriſto Apoc. 13. num. 6. *Faciet liberos, & ſeruos habere characterem in frontibus ſuis*, &c. videlicet, *characterem beſtiæ*, &c. Quod in proximo elogium eſt *num. 7.* vrgebit Antichriſtus, vt nemo vendat, emat, viuat, qui non gerat fronte inſcripta nomen, aut ſignum Idolomaniæ turpiſſimæ. Nota profectò improbitas, quam effrontes exponunt homines ipſo vultu, vt ſcelus admittant publicè; quod non pudet oſtentare; ſed peccare homines pudore exuto pecuinum eſt, non humanum, vtpote qui vultu gerant *characterem beſtiæ*, &c. Cur tamen beſtiam non referat, qui malus eſt, & impudens? Referat profectò, quidquid belluinum eſt, homo ille adeò impudens in peccando, vt à Paulo dicatur *Homo peccati*, &c. 2. *ad Theſſalon. cap. 2. num. 3.* Fortaſſe, quòd peccati amans, ſtare auſit *in loco ſancto*, &c. *Matth. 24. num. 25.* homo iſte vrſum pedibus, leonem rictu, & corporis mole cætera pardum repræſentat, *Apoc. 13. nnm. 2.* ne quid non referat belluinum, qui pudore detrito nihil peccati non admittit publicè? *Per quod ſignificat myſticè apoſtaſia ſpiritus Diabolici, quàm pertinax ſit, mala ſua reciprocando*, &c. Rectè ad litem Rupertus habet *lib. 8.* Quandoquidem peccator impudens, & bellua eſt multiplex, & multorum amans ſcelerum, *in conſpectu Dei ſui.*

Apoc. 13. n. 6. & 17. — *Beſtia, non homo qui peccandi pudorem tergit.* — 2. Theſſal. 2. n. 3. — Matth. 24. n. 25. — *Belluinam eſtentat naturam, qui peccat impudens, & iteratò.*

3. Non patitur Magnus Deus lædi ſe hac hominum impendentia: ſæuit, ferit, perdit homines; quod in Ozia videre eſt. Auſus impudenter Ozias Sacerdotum partes occupare templum intrat, & in Dei oculis rem indignam tentat 2. *Paralip. cap. 26. num. 16.* Non tulit Magnus Deus impudentiam hominis: Regem ferit, *ſtatimque orta eſt lepra in fronte eius*, &c. *num. 19.* Ius enim erat, vt frontem lepra tactam, notatamque ſtigmatias haberet, qui frontem perfricuerat in Dei oculis. *Immiſit illi Deus lepram in frontem, hoc modo impudentem faciem puniens*, &c. ſic Chryſoſtomus *Hom. 3. in Iſa.*

2. Paral. 26. n. 16. & 19. — *Frontem lepra notata gerit, qui frontem perfricat in peccando.*

Grande malum? Sed imprudenter agit, qui impudenter; cùm ſtomachum Deo grauem
Eccl.8.n.1. moueat. Quò facit Eccleſiaſtes cap.8. num.1. *Potentiſſimus* (inquit) *faciem illius immutabit*, &c. de Philoſopho ſciolo textus eſt, qui ſuum ſcitè vultum componit in vtramque partem.
Odio impudens Deo eſt. Græcè legas, ᾧ ἀναιδὴς προσώπῳ ἀυτῦ, μισυθήσεται. id eſt, *Impudens ſuo vultu erit odio*, &c. & quodnam in ſe, niſi Dei odium irritabit impudens? qui ſuam in peccando vim commendat. Hæc ab Olympiodoro.

4. Non alia peccandi via irritaſſe Deum videtur meretrix Babylonica, vt periret funditus. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna*, &c. Clamabat Angelus *Apoc.*18.*num.*2. Sed cladem meruit vltimam, quæ fronte literata ſuam publicauit improbitatem meretricula. Vnde Ioannes, *In fronte eius* (inquit) *nomen ſcriptum: Myſterium, Mater fornicationum*, &c. *cap.*17. *num.* 5. Dubites, an hæc nomina conueniant? ſcilicet *Myſterium*, quod tectum quid ſonat, & *Mater fornicationum*, quod eſt elogium publicum impudicitiæ: ſed reſponſum eſto, mulierculam peſte vltima punitam eſſe, eo quòd patraſſet publicè, quod myſterio, id eſt, occulto, patrandum erat, niſi pudorem exuiſſet meretricula. *Cecidit* igitur, *cecidit Babylon illa magna*, &c. valuitque plurimum ad cenſuram grauiorem ſcelerum, peccaſſe impudenter mulierculam *in conſpectu Dei ſui*, &c.

Ap 18.n.2. & 17.n.5.

Lapſu vult grauiori, qui peccat impudenter mulier.

5. Et verò peccatum grande eſt malos homines Dei aſpectu non terreri; quo terrentur, ne peccent, boni viri. Addit argumento vim Clemens Alex. *lib.* 3. *Pædag. cap.*5. vbi docet ruere in peccatum non poſſe hominem, qui Deum ſibi præſentem eſſe putat. Quàm pulchrè Seneca, *Magna peccatorum pars tollitur, ſi teſtis adſit*, &c. *Epiſt.* 11. Homo ſcilicet vitâ ſanctus, quem vereare; ad cuius aſpectum componas te ipſum. Hoc, puto, conſilio ſacram Deo ædem, ac ſedem appellat Moyſes
Ex.27. n.21. *tabernaculum teſtimonij*, &c. *Exod.* 17. *n.*21. vt ſciret Hebræus, quem nam ſuarum rerum teſtem haberet, ſuamque inde viam piè inſtitueret. quod Philo docet ad lib. de Temulent. *Solet Moyſes vocare tabernaculum teſtimonij: ſiue quòd Deus virtutis teſtis eſt, ſiue quòd virtus confirmat animos, & in veritatem quaſi pro tribunali reuelans*, &c. Felix ille animi, qui Deum ſibi teſtem repræſentat rerum humanarum: viuat ſanctè neceſſe eſt. Adeſt ne Chriſtus, vti Iudex, an vti teſtis luminibus plurimis ſcholæ Aſiaticæ? Lego Dominum curſitare vltrò, citróque: voces deinde excipio ad Antiſtites,
Apoc.2. n.1. Apoc. 2. num. 1. *Hæc dicit, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum*, &c. Cur meus Chriſtus ſtare loco neſcierit, ſed huc, & illuc procurſauerit, inuenit Rupertus benè lib. 2. *Cùm in medio candelabrorum ambulat, ſingulorum lumen intuetur, quantum luceat; ne forte ſine charitatis oleo, ſine dilectionis operibus fides fumiget*, &c. Illudque tonare videtur, quod per Ieremiam
Ier.29.n.23. tonat, cap. 29. num. 23. *Ego ſum iudex, & teſtis*, &c. Quòd ſi Deus adeò ſeuerus diſciplinæ exactor eſt, vt teſtis, & iudex adſit humani generis, quis peccare auſit *in conſpectu Dei ſui*? &c.

Rationes bene viuendi trahit iuſtus à Dei oculis.

Teſtis Deus eſt oculatus, qui res hominum multis inſpicit luminibus.

6. Iure igitur merito Hebræus à Deo Iſraëlites vocatur, videns ſcilicet Deum, Hebræa ſchola. Conſtat è locis plurimis; ſatis ad rem eſt Dei vox ad Moyſen, *Exod.*4.*num.*22. Inibi
Ex.4.n.22. Deus, *Filius* (inquit) *meus Iſrael*, &c. Nomenclatura & nobiliſſima, & vtiliſſima: quod Philo habet ad lib. de Caio. *Nam ſi Præceptorum, aut Magiſtratuum, aut parentum aſpectu mouet ad reuerentiam, ac modeſtiam, ſuáque præſentia vitam, & mores corrigit, quantum putamus ad honeſtatem, ac virtutem contingere præſidium animæ, ſi Deum aſpectare didicerit*, &c. Placere qui Deo curat, Deum ſibi teſtem effingat animo, & quidquid recti, ac ſancti eſt, patrabit facilè. Eò virtutis vt Moyſes traheret iudices, agere voluit homines *in tabernaculo teſtimonij*, quod ibi iudices de iure dicundo ſatagerent, bene probant lites mulierum de hæreditate adeunda. *Quæ quidem ſteterunt coram Moyſe, & Eleazaro Sacerdote, cunctiſque Principibus populi ad oſtium tabernaculi*, &c.
Num.27.n.2. *Num.cap.*27.*num.*2. Ibi loci Iudex lites curabat, vbi Deum adeſſe conſtabat planè, *vt Principes Dei præſentiam verentes, rectè in omnibus agerent negotia populi*, &c. Monet Abulenſis *quæſt.* 1. Neque enim fieri poterat, vt peccarent iudices officio, qui Deum haberent in oculis teſtem ſuarum functionum. Quòd ſi Deus vbique præſens eſt, & fides id caſta monet, quid agis peccator? quid machinaris? quid abſcondis? Cuſtos te Deus ſequetur: hæret tibi teſtis, quo nunquam poteris carere; quid locum peccando abditum legis? & arbitrum remoues? *Beatus, qui in ſenſu cogitat circunſpectionem Dei*, &c. Vrget benè Syracides *c.* 14.
Eccl.14.n.22. *num.* 22. meminit fortaſſe, quo Deus conſilio Abrahamum admonuerat, Gen. 17. num. 1.
Gen.17.n.1. *Ambula coram me, & eſto perfectus*, &c. Vnde Caietanus eruit, Dei aſpectu conſtare Abramo poſſe virtutem plurimam. *Nullum* (inquit) *maius frænum, nulla efficacior ratio componendi geſtus, motus, actioneſque hominis apparet, quàm ambulare ante faciem Principis*, &c. Quid ſi verſetur in Dei oculis? Addit Caietanus in loco, *Huiuſmodi ambulatio ducit hominem ad perfectionem*, &c.

Temperat à peccando facile qui Deum vt teſtem meditatur.

Deum ſibi præſentem effingat Iudex, vt rectè agat.

Coeinnæ mores hominum bene Dei aſpectus.

Qua de cauſa Idololatres, vt multam animo improbitatem aleret, Deos ab humanis rebus abeſſe volebat. Alij enim Solem, & Lunam alij colebant reuerendiſſimè. Diſſipat Ioſuas piè aras Diis infames, & Sacerdotes aris turpes abigit 4. Reg. 23. num. 5. *Qui ado-*
4.Reg.23. n.5. *lebant incenſum & Soli, & Lunæ*, &c. Idque Princeps iure merito, ait Cyrillus Ieroſolymit. Catech. 3. *Alij quidem Solem ponebant, vt nocte ſine Deo eſſent; alij verò Lunam ponebant, vt die Deum non haberent*, &c. Peccare noctu audaces cùm vellent homines, ſolem colebant; vt die impudentes delinquerent, Lunam adorabant: facilè enim peccant homines, ſi Dei oculos à ſe longè abeſſe putant. Hæc Prodigo occaſio aberrandi turpiter. Luc. 15. n.
Luc.15.n.13. 13. *Peregrè profectus eſt in regionem longinquam*, &c. A bono Deo, & Patre bono abit adoleſcens: quid non peccet? quid mali non admittat? quid non perdat boni? *Diſſipauit omnem ſubſtantiam ſuam, viuendo luxuriosè*, &c. Certa ſcilicet clades hominis eſt, qui à Dei oculis procul agit. E loco tamen colligit Chryſologus, quid parentum aſpectus valeat, ne liberi peccent liberè. *Inter propinquorum*

Facile peccat homines, qui Deum abeſſe putant.

7.

lamina

Parentium aspectus adolescentulorum est lumen.

lumina non valent delicta versari: propinquorum quot oculi, tot lucernæ, &c. Et verò, timet puer lapsum, vbi Pater vigilat; timet homo scelus, vbi Deus excubat. *Honestè sub arbitris & videamur varò, & videar*, &c. Addit Hieronymus *Epist. 46. de suspecto contubern.* Sentire id Israëlitæ, Deumque videntes homines, *vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui*, &c.

Num. 22. Nam & ante hos annos, cùm recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis rationibus, & plurimi eorum, captiui abducti sunt, &c.

Commentarius.

85. QVid ærumnarum ferat peccator, in promptu est. Exponit Achior fortunam aduersam gentis Iudaicæ, hoste infesto, bello graui, seruitute humili: quæ peccati sunt stipendia. *Attende* (inquit Hildebertus) *miserias hominis, intuere cineres: vectigalia peccati sunt*, &c. *Epist.* 56. Id in Adamo videre est, qui ex peccato factus malorum Ilias, ab hortulo genialí ad agrum colendum amandatur, vt panem labore partum edat. Sed cur vestitum ge-

Vitæ malæ peccati suæ tributa.

Gen. 3. n. 21. rit pelliceum? Gen. cap. 3. num. 21. *Fecit autem Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas*, &c. Cur non de lana vestes sartor conficit? concinnet è vilo pinguiori, & seuerè agere visus adhuc erit. Sed placet Deo Adamum, quasi reum metallis eruendis addictum, habitu pelliceo malè tegi, & ab hortulo patrio amandari in exilium. Adest mihi Tertul-

Mala peccatis soluta. lianus optimè, ad lib. de Pallio cap. 3. *Cùm de originis loco exterminat, quippe deliquerat; pellitus orbi, vt metallo, datur*, &c. Quæ nam à peccato fortuna, quàm aduersa! vt peccator quasi maiestatis reus, ergastulo clausus, ac pellitus metallum effodiat. Scias persæpe orbem terrarum bellis concuti, quippe pacem æstimat ansam peccandi: *Quasi verò beneficium datæ pacis vacatio sit probrositatis*, &c. Apponit Saluianus *lib. de Prouident.* Hæc illa Hebræo disciplina est ab hoste Chananæo,

Quærimus bellis peccatum, ne peccet.

Iudi. 3. n. 1. Iudic. 3. num. 1. *Ha sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret Israëlem*, &c. scilicet, vt sciret Hebræus quati peccatorem, hoste infesto, ne peccet liberè; quod notat Abulensis.

86. Multa vndique mala è peccato nata frangunt homines; multa senes vrgent, multa premunt iuuenes, adeò vt lacrymas, & quidem vberes à Christo exprimant. Mutum Christus sanat hominem; priùs tamen, quàm sanitatem restituat, *suspiciens in cœlum ingemuit*, &c. Marc. cap. 7. num. 34. *humanæ scilicet naturæ causam dolore, & commiseratione prosequens*, &c. quod bene expendit Victor Antiochen. Lazarum è tumulo Christus excitat, *& lacrymatus est Iesus*, &c. *Ioann. cap. 11. num. 35.* Id verò? *quia mortuum ad vitæ miserias reuocauit*, &c. sic habet Innocentius III. *de contemptu mundi cap. 24.* Assentitur & Rupertus lib. 10. in Ioann. *Vsque ad lachrymas* (inquit) *verè dolentibus condescendit humanitas; pro eo quòd propter ædificandam vi-*

Luget Christus quos male pæ inur.

Marc. 7. n. 34.

Ioann. 11. n. 35.

Iesus multa mala vitare minuendo.

uentium fidem, reuocari illum oportebat ad tolerandas rursus huius vitæ miserias, &c. Vnde constat multam ærumnarum vim esse, quæ tam pias à Christo lachrymas excusserit. Apud Ierosolymam, *videns ciuitatem fleuit super illam*, &c. Occursabat animo quàm aduersa Ierosolymam fortuna maneret. Nec suo fixus ligno tenet lachrymas. Vnde preces mittit, *cum clamore valido, & lachrymis*, &c. *ad Hebr. cap. 5. num. 7.* Non quòd suis victus malis clamaret, ac ploraret; verùm, quod apponit Paschasius, *vt ex hoc cognosceres, quantis malis atterimur, & quantis egemus lamentis*, &c. *lib. 3. in Thren.* Video angi homines, ac frangi stipendiis scelerum acerbitatibus; quas oportuerit deplorari à Deo Maximo. Satis hac de re; non vltrà pergo: ac ne me premat stimulus,

Luc. 19. n. 4.

Hebr. 5. n. 7.

Multis opus est lachrymis, vt peccatum abluatur.

87. Premo, lenta manu, cur Achior apposuit, *Ante hos annos, exterminati sunt à multis rationibus*, &c. Negant alij capi textum posse, nisi de seruitute Babylonica, & inde vires cogunt, vt asserant Iuditham eò æui reuocandam esse, maximè cùm textus addat Græcè, ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ ἐγυμνώθη εἰς ἔδαφος, *Dei templum, vti pauimentum redactum esse*, &c. quod non cadit in Manassæ ætatem. Sed stimulum euellunt facilè Serar. & Tirin. qui quidem argumentum sic retorquent, & quæ nam sunt nationes, à quibus occupata Ierosolyma, captiuies, sacra polluta, sub Chaldæo? nónne vno sub Duce vna est acies militum? multæ igitur nationes, Moabitæ sunt, Amalecitæ, Ammonitæ, & vis reliqua nationum Orientalium; de quibus iudicum libellus agit *cap. 10. numer. 11.* Iungas libros Regum: inibi calamitates plurimæ ab Iudæo, Syro, Damasceno, *ad 4. Reg. cap. 17. num. 20.* Iam verò si de regno Israelitico sermo est, extrema regno calamitas proximè illata per Assyrium est, *num. 16.* Nec leuior in Manassem fortuna: quo miserè capto, & abrepto in carcerem Babylonicum, multa in vrbem, ædemque Deo sacram vastitas *2. Paralip. cap. 33. n. 11.* Et quæ nam templo vastitas si nullus hac de re textus est? Responsum tamen esto, vt Manasses locum Diis vanis commodiorem faceret, templum magna ex parte dirutum esse. quod mihi planum est ex *4. Reg. 21. num. 4.* Nec Iosias Manassæ nepos refarciendum curauit, nisi quòd malè solutum erat *4. Reg. c. 22. num. 5. 2. Paralip. cap. 25. num. 10.* Addo exponi locum posse commodè, si dicas templum solo æquatum fuisse vsu profano rerum sacrarum: quod enim subtractum Deo est, Diisque vanis additum, id periisse videtur bonis hominibus. scilicet Domus Deo sacra, saeris pollutis, facta Dæmonum spe lunca est. Nec grauior templo vastitas esse poterat.

Dei templum sub Manasse diutius magna ex parte.

88. Addit Achior Deum neglectæ disciplinæ vltorem agere, vt sui venerationem, reo punito, multiplicet. *Cùm recessissent à via, quam dederat illis Deus, exterminati sunt*, &c. viam appellat rationem, & artem piè viuendi. Sic Paulus Christi legem vocat: *Si quos inuenisset huius vie viros*, &c. *Act. cap. 9. num. 2.* Sic & Act. 9. n. 2. Pharisæus Christi scholam Dei viam laudat *Matth. 22. num. 16.* Nec Latina alia est loquendi formula. Patrem vita defunctum colebat

colebat Hetruſcus inter Deos Lares, vt in ſomnis caperet rationes bene viuendi: quid ille apud Statium lib.3. Sylu.3.

Inde viam morum, monituraque ſomnia poſcam,&c.

Quis nam Terentio modus eſt adeundi hominis? In Heaut.actu 3.ſcen.3.*Vna accedendi via eſt*,&c.Sacra igitur,& profana ſchola viam agendi appellat rationem viuendi; quam tradit Pater,Magiſter, Pædagogus. Et hæc morum via eſt, quam mali homines deſeruere, *& quam dederat illis Deus*, &c. Agit itaque morum magiſtrum bonus Deus, vt leges viuendi condit, & exponit; ſed & alumnos pungit, punitque, ſi quos à veri, & æqui via trudit improbitas. *Exterminatique ſunt*, &c. Ne quis è Gentiliſmo credat, & dicat Deum vti pædagogum ad prauos alumni mores conniuere. *Cùm ſermo publicus delicta diſcipulorum refundere ſoleat in præceptores*, &c. Quod Plutarchus notat *in Polit. ad Traian.* Puto, noſti quo iure Diogenes Magiſtro colaphum impegerit, cùm alumnus cibum ineptè caperet: *Scitè viro, qui non doceret, non puero, qui non diſceret, peccatum imputans*, &c. Addit Plutarchus *ad lib.quòd virtus docenda*. Quare magna Magiſtro laus eſt,ſi ſchola rectè agat. *Vos eſtis gloria noſtra*, docet Apoſtolus 1. *ad Theſſalon. cap. 2. num.* 20. Nec Magiſtrum Deum ab alia, quàm à bonorum ſchola commendat Theologus Orat. 20. *Ex diſcipulis* (inquit) *magiſtrum ornabo*, &c. Quid igitur nouum eſt, ſi dicas

Pædagogum culpant alumni mores.

1. Theſſ. 2. n.20.

PARÆNET. XLV.

Alumni malos mores Pædagogi næuos eſſe.

1.

ALumnus malè moratus Pædagogo nota eſt, probrum eſt: quidquid enim peccat auditor,facilè recuditur in Magiſtrum, morumque Præfectum; quaſi malè docuerit, aut malè indulſerit.Explicata igitur improbitate hominum, *cùm receſſiſſent à via, quam dederat illis Deus*, &c. neceſſe erat, vt ſciret gens humana, quo aſpectu *Deus illorum odit iniquitatem*, &c. *num.* 21. & qua manu perſequatur malos homines; qui quidem *exterminati ſunt*, &c. *num.* 22. Hac via turpem ſibi notam cauet Magiſter morum,& Pædagogus hominum Deus,quam à malo alumno, Hebræoque populo poſſet contrahere. Queritur bonus Deus hac ſe turpique nota laboraſſe apud Gentes barbaras, cùm Hebræus, Deique populus malè viueret. *Polluerunt nomen ſanctum meum* (inquit) *apud Ezech. cap. 36. num.* 20. & qua id via factum? *Dum dicitur de illis: Populus Domini iſte eſt*, &c. Hæc Idololatres;ac ſi vellet. Praua eſt ſchola hominum,& Deus alumnis prauis adhuc Magiſter eſt. Quid igitur ſupereſt? queritur bonus Deus;*Polluerunt nomen ſanctum meum*,&c. Addit Theodoretus *ſect.* 14.Iacta in me ſcommata, *vt qui talibus inſtitutis gauderem,& adeò ſceleſtos homines meum populum nominarem*,&c. Sic alumnus malè moratus Deo morum Magiſtro næuus eſt;vnde natum putat Anſelmus vt Deus ſe Caini Deum appellari noluerit: qui iure *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*,appellatur multis locis. Cur ita? ſi non minor Deo cura de Caino,aut minor in Cainum poteſtas eſt, iure communi? ſed magnus, ac bonus Dominus eam notam fugit, quam à malo ſeruo contraxiſſe videretur. *Si enim Deus vocaretur Caini Deus, ſicut Abrahæ; non honor, ſed dedecus illi eſſet ex tali ſeruo*, &c. Hæc Anſelmus *ad Hebr.* 11. *n.* 16.

Deum ab alumno improbo culpat gens barbara.

Ezech. 36. n.20.

Deus Caini Deus non vocatur, vt notam fugiat.

2.

Pædagogi æquè, ac magiſtri partes egit Dominus,cùm leges Hebræo daret ex Horebo. *Non habebis Deos alienos*; & quæ ſunt plura,*ad Exod.cap.* 20.*num.*3. Adeſt enim auditorium, è terris homines,è cœlo Angeli, Deut. 33. num. 2. *Dominus de Sina venit, & cum eo Sanctorum millia;in manu eius ignea lex*,&c.vnde Saluianus, *Addo* (inquit)*diſcentem populum, docentem Deum, mixtis Angelis, & hominibus, vnam cœli, ac terræ ſcholam eſſe*, &c. *lib.* 1. Sed fractus mora populus Deum turpiter deſerit, & quæ bene dedicerat, ab animo expungit malè! *Receſſerunt citò de via,&c.Exod.*32. *n.*8. Tunc ad Moyſen Deus bili commota,*Deſcende* (inquit,)*peccauit populus tuus*, &c. Quid mi Domine? Populus modò tuus, ſubitò non tuus? Hic profectò ille eſt,de quo ad Moyſen Exod.cap.4.num.22. *Filius meus primogenitus*, &c.Hic ille eſt,ad quem proximè vox de cœlo miſſa, *Eritis mihi peculium de cunctis populis*,&c. *Exod.cap.*19. *num.*5. Hic ille eſt, quem laudat Muſa Dauidica Pſalm.49 num 8. *Audi populus meus, & loquar: Deus, Deus tuus ego ſum*,&c.Qui tam multis locis tuus erat populus,ac diſcipulus,modò tuus non eſt,ſed ſcholæ Moſaicæ.*Peccauit populus tuus*,&c.Sed iure id ſummo. Peccantem populum ſua ab ſchola ablegat Magiſter Deus, ne ſermo publicus in Magiſtrum, ac Pædagogum refundat populi, diſcipulique mores improbos.

Ex.20.n.3.

Deut.33.n.2.

Magiſter Angelis,hominibuſque Deus.

Ex.32.n.8.

Ex.4.n.22.& 19.n.5.

Pſ.49.8.

Deus mali populi Deus vocari noluit.

3.

Si non placeo, fortaſſe placebit in litem Peluſiotes: quo teſte Magiſter Dominus hominem ſua ſchola non excipit,ſed reiicit,vulpem tundens *Matth. cap.*8. *num.* 20. quanuis ſuam Magiſtro operam auditor polliceretur num.19.*Magiſter ſequar te*,&c. Qua de cauſa Chriſtus hominem repudiauerit, alij alia; vnus mihi placet Iſidorus *lib.*1.*Epiſt.*17. Malus erat diſcipulus, vulpem ſub oue tegebat, non proficeret,cum Magiſtri nota,ſi ſcholam tereret, & fictè ageret; abigit ergo Magiſter diſcipulum. *Ne pertinax illius improbitas, iis, qui fidem amplecterentur,offenſionis cauſam afferret, Domini potentiam calumniantibus, vt qui diſcipulum ad virtutem immutare non potuiſſet*, &c. Deinde ſciebat Chriſtus ſe ab improbo grege hominum grauiter notatum iri, ſi diſcipulum aleret,qui non bene proficeret.Vnde nata loquendi formula apud Ioannem cap.13. num. 31. *Nunc clarificatus eſt filius hominis*, &c. Cùm enim Iudas ſuam Chriſto ſcholam renuntiaſſet,& abiiſſet,*dixit Ieſus:Nunc clarificatus eſt filius hominis*,&c.Acſi honeſtatum ſe Magiſter ſignificaret, cùm diſcipulum à ſua ſchola improbum abegiſſet. Quis enim diſcipulum notæ impietatis Magiſtro næuum eſſe neget?

Matth.8.n. 19.& 10.

Magiſtrum deturpat malus diſcipulus.

Io.13.n.31.

4.

Næuum huiuſmodi vt à ſe pelleret,Magiſter Petro imperat.*Mitte gladium tuum in vaginam*,&c. *Ioann.*18. *num.* 11. Aurem Malcho Petrus ſui impotens reſciderat, Magiſtro ad Crucem,

Io.18.n.11.

Crucem, necemque parato: quid ergo Christus? gladium extorquet à Petri manu. *Mitte* (inquit) *gladium tuum*, &c. scilicet Tertulliano Auctore, *Patientia Domini in Malcho vulnerata est*, &c. *de Patient. cap.* 3. Potuit enim improbus quisque dubitare, an discipulus impatiens à Magistro hausisset impatientiam: ac proinde gladium vagina condendum imperat. *Ne vnius quidem discentis gladium in vltorem probauit*, &c. Premo verbum illud *discentis*; perinde enim valet, acsi dicat: Discipulus sui impotens negat pati generosè? & quæ nam Magistro fama erit patientiæ? Rectè ad litem Septimius, *Patientia* (inquit) *Domini in Malcho vulnerata est*, &c.

Cauet Christus, ne arguatur de alumni impatientia.

5. Hæc Deo occasio comminandi; *non recedet gladius*, &c. 2. *Reg. cap.* 12. *n.* 10. Illud enim adiecit Dominus, vt suum puniret dolorem, n. 14. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini*, &c. Probat Caietanus Rege peccante irritatos fuisse improbos homines, vt assererent Deum peccantibus fautorem esse. *Ansam accepere sentiendi malè de gubernatione diuina, vtpote fouente Regem scelestum*, &c. Id verò Deus tulit grauiter, excitatus inde ad vindictam sceleris; ne fœda alumni vita Deum vitæ Magistrum turpiter afficeret, si peccantem Regem non puniret. Germanè hæc ad Iudithæ locum. Pungit homines, punitque Deus fame, bello, & fortuna reliqua; *exterminati enim sunt*, &c. vtpote qui à via piè viuendi turpiter deerrauerant; *quam dederat illis Deus*, &c. Hac tamen via docet Magister Deus; quo aspectu *odit iniquitatem*, &c. suámque tuetur auctoritatem mulctatis malè discipulis. Neque enim affectu ita labitur, vt alumnis peccantibus vnguem non iniiciat: quasi docens,

2. Reg. 12. n. 10. & 14.

Alumnus malus notam refundit in Dei patientiam.

cap. 6. Stylo Ioannes persequitur, quidquid ærumnarum terra, marique exhaustum est, Deo in homines irato, *ad Apoc.* 8. Corrumpuntur arbores, igne concepto, *num.* 7. Pereunt miserè naues, & nautæ mari turbato, *num.* 9. Turbantur fontes veneno addito, *n.* 11. Horret cœlum tenebris obductum, *num.* 12. Nec sunt homines, quos non premat tempestas rerum sæua adeò, vt gemitum ab Angelo exprimat, n. 13. *Væ, væ, væ habitantibus in terra*, &c. Quò tanta rerum acerbitas? *Ad instruendum quod Deo cura est de peccatis hominum*, &c. sic Rupertus *lib.* 5. *in Apoc.* Duplex igitur Deo ratio puniendi est. Altera, ne credatur lenocinari peccantibus; altera, ne crescant scelera impunitate scelerum.

Ap. 8. n. 13.

Testatur Dei prouidentiam tempestas rerum humanarum.

2.

Non assentitur, & inde non assentatur alumnis peccantibus Magister Deus. Peccat Iudas affectu improbo: peccant alumni reliqui vana gloriola, quod innuitur, cùm dicat Petrus occasione accepta: *Domine, ad quem ibimus*, &c. *Ioann.* 6. *num.* 69. Sed Magistrum laudat Apostolus de Suadæ medulla. *Verba vitæ æternæ habes*, &c. Post laudes Magister acerbè tonat num. 71. *Nónne ego vos elegi, & vnus ex vobis Diabolus est*, &c. Sciens Magister, prudénsque peccantes mordet; nec laudatus blanditur peccantibus, quod perinde est, acsi Christus dicat, Chrysostomo interprete, *Nihil mihi persuadet, ne malos non arguam; nolite putare me laudum vestrarum gratia vobis adulaturum*, &c. sic Chrysostom. *Hom.* 46. Placere sibi peccata hominum innueret Magister optimus, si laudatus non carperet, non puniret. Christo hæret Magnus Ioannes, cùm Herodem pungit acerbè. Ioannem colit Herodes, quod Marcus tradit. *Audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*, &c. *cap.* 6. *n.* 20. Res quidem hæc erat, quæ Ioannem posset retrahere ab Herode obiurgando. *At ille nihil ob hoc parcens: Non licet tibi, ait*, &c. Docet Bernardus *ad serm. de Ioanne* Magistrum nec affectu lapsum, nec cultu mollitum fuisse, quo minus Regem admoneret; ne quis putaret Ioannem peccantibus assentiri, & inde assentari.

Io. 6. n. 69. & 71.

Pungit bonus Magister, etsi laudatus ab schola.

Marc. 6. n. 20.

Non assentatur peccantibus Magister, ne assentiri dicatur.

3.

Addo voluisse Paulum, vt schola Christi Corinthia reum notæ improbitatis censura feriret graui, *in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat*, &c. 1. *ad Corinth. cap.* 5. *num.* 5. & id negotij (inquit) ego fieri volo, *Congregatis vobis*, &c. morum scilicet Præfectus in Senatum collectis. Posset quidem Paulus hominem punire sua manu: negotium tamen aliis, multisque hominibus demandat, *vt conspirantes eiicerent illum de cœtu suo: ne viderentur consentire eius operibus*, &c. quod Augustinus sensit *q.* 39. *ex* 2. *p. in vnum Testament.* satísque insinuat culpari magistros culpa aliena, quasi assentientes; si nolint punire, quod possunt: & fortasse Deus blasphemum damnans iubet Leuit. 24. num. 14. *vt lapidet eum omnis populus*, &c. Cur delata puniendi cura tam multis hominibus? *Ne quis postea admitteret, quòd omnis in vno populus vindicasset*, &c. Hæc Salvianus *lib.* 1. Quod mihi ad litem placet, illud est, mandatam multis hominibus curam puniendi; vt probarent, facto ritè officio, longè se abesse à sceleribus, quæ punirent.

1. cor. 5. n. 5.

Probare improbum Magister videtur qui non punit.

Leuit. 24. n. 14.

Qua quisque punit vitare tenetur.

Ergo

PARÆNET. XLVI.

Peccare, qui peccata non punit, iubet.

1. PAtiens scelerum Deus est, & sua sibi patientia detrahit, Tertulliano teste. *Plures enim idcirco Deum non credunt, quia sæculo iratum tandiu nesciunt*, &c. *de Patient. cap.* 2. Inde nata Hæreticis, Philosophisque occasio tollendæ à Deo prouidentiæ: quasi pigeret Deum cogitare de peccatis hominum, ac de peccantibus pœnas repetere. Vtrosque homines carpunt viri magni. Theodoret. *lib.* 1. *de Prouid.* Saluian. *lib.* 1. Theoph. Antioch. *lib.* 1. *ad Autolyc.* Lactant. *ad* 1. *de ira Dei cap.* 9. & 10. Cyr. *Catech.* 8. Clem. Alex. *lib. strom.* 5. *cap.* 6. Abeant in pistrinum Philosophi, quibus non placet Deus prouidens. *Quæ enim est secundùm traditionem diuinam Philosophia, constituit, & confirmat prouidentiam*; *qua sublata, videtur fabula Seruatoris œconomia*, &c. sic Clem. Alex. *lib.* 1. *Strom. cap.* 4. scilicet, nemo non peccaret liberè, si Deum haberet, cum Epicuro, *neminem humanis rebus*, &c. apud Tertullian. *Apologet. cap.* 47. Necesse igitur erat, vt premeret Deus peccantes homines bello, fame, seruitute: quod è sacra, & profana schola pater, ne quis putaret hæreticus, impunitate scelerum considerata, placere Deo hominum scelera. *Cur enim punit ista, si placent*, &c. Opponit Augustinus *de Continent.*

Prouidentem negãt Deum, qui punientem non vident.

Prouidet, cùm punit Deus.

Ergo ad magnam Magni Dei ſanctitatem pertinet, quòd pœnas exigat de peccatis hominum: *Cur enim punit iſta, ſi placent*, &c.

4. Altera Deo ratio erat puniendæ prauitatis, ne peccarent licenter homines, ſi peccarent impunè. Verè Auguſtinus quæſt. cit. *Qui non arguit, quem poteſt, delinquendi præſtat fomitem*, &c. Nec Demetrianum Cyprianus argumento premit alio, vt bello graſſari hoſtes Deus velit. *Quanto* (inquit) *maior in omnibus eſſet audacia ſcelerum impunitate ſecura?* &c. *lib.* 1. Certè Chriſtus vt audacem peccandi licentiam premeret, iudicem inducit probatæ ſeueritatis, *apud Matth. cap.* 25. *num.* 13. & rem exponit ſcena parabolica, ſcilicet, abit Princeps, vt regnum capiat, ſed pecuniam domeſticis diuidit, illud ingerens Luc. 19. num. 13. *negotiamini, dum venio*, &c. Dum regnum componit, annus eſt, redit tamen: *& rationem poſuit cum ſeruis ſuis*, &c. *Matth. loco cit. num.* 19. Quid peccator? & qui vires, opeſque à Deo acceperas bene agendi? mutato nomine de te fabula narratur. Memineris iudicem eſſe, qui de peccatis hominum curam habet. *Proinde timendum eſt, ne ad iudicium venias, ſine venia: ſi, quod abſit, negotiandi negligentiam oblitione impunitam fore ſomniaueris*, &c. Hac ſcena Hildebertus Reginam admonet de officio, ne ſe putet impunè peccaturam, ſi neglexerit, *Epiſt.* 15.

Bello Deus premit homines, vt à peccando reuocet.

Matth. 25. n. 13.

Luc. 19. n. 13. & 19.

Sera, ſed nota eſt Dei cenſura de peccantibus.

5. Minatur ergo Deus, vt homines contineat in officio: deinde ne alij ſoluantur ſcelera, metu damni, punit alios. Calix ille in manu Domini, de quo Dauid *Pſalm.* 74. *num.* 9. mera hominum cenſura eſt, qua Deus Iudex *hunc humiliat, & hunc exaltat*, &c. Sed minas adhuc intendit. *Bibent omnes peccatores terræ*, &c. Deus bone! quanta in homines acerbitas eſt? & vbi Deus ille *multus ad ignoſcendum*, &c. *Iſaiæ cap.* 55. *num.* 7. ſed premenda aliquando benignitas eſt, quod monet Theologus Orat. 19. *Peccantibus* (inquit) *non omnino ignoſcit, ne benignitate deteriores fiant*, &c. Et erit adhuc, qui dolenter ferat, Hæreticus morderi malos homines malis nominibus? Repetas, amabo, inſtrumentum ſacratum literarum: inibi, Synagoga, modò appellatur meretrix, apud Iſaiam *cap.* 1. *num.* 20. modò arguitur adultera, *apud Matth.* 12. *num.* 39. Iam audit malè nequitia hominum *apud Iſaiam cit. num.* 8. Iam mendax carpitur fœtus Diaboli *apud Ioannem. cap.* 8. *num.* 44. Mitto, quæ locis aliis iacta ſunt probra in populum vniuerſum. Quo id conſilio Deus egerit, ſcitè Auguſtinus Hom. 34. num. 3. *Exclamauit Scriptura valenter, nec palpauit adulando, quos reparare ſanando voluit*, &c. Non blanditur peccantibus bonus Deus, imò quos amat fortiter, pungit grauiter. *Exterminati enim ſunt.*

Iſ. 55. n. 7.

Deteriores fiunt peccatores benignitate Prælati nimia.

Sanat mores cenſura grauior.

6. Inde vox illa, *ſi ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi*, &c. *Cant.* 1. *num.* 7. Ita ne ſponſus ſpõſam & medullitus amatam pungit? ſi venuſtatem commendat, illud ingerens: *O pulcherrima!* cur abire ſponſam cogit, ac ſi neſcierit, quid ad rectè viuendum faciat? *ſi ignoras te*, &c. ſed ſponſus non ita affectu ducitur, vt quod iuſtè corrigendum ſit, non corrigat: cur id fiat, ſcitè Auguſtinus inuenit, *de continent. cap.* 11. ac de Chriſti ſchola ſermo eſt. *Correptionibus eam reprimit, ne impunitate inflata deſiliat*, &c. Quòd ſi ne leues quidem næuos ſua in ſponſa Deus patitur, cur ferat Iſmaeles, & Saules, nec peccantibus grauiter morſus incutiat graues? Lego homines Sacerdotio nobiles igne correptos, & corruptos periiſſe miſerè, ante aras; Leuit. c. 10. n. 2. *Egreſſuſque ignis à Deo deuorauit eos*, &c. Vt peccant Sacerdotes, exemplo Deus punit homines, *Vtrùm, vt hinc ſciretur, quam minus aliis parcat, ſi illis non parcit*; &c. Rectè Auguſtinus monet *q.* 31. *in Leuit.* Quid ergo mirum, ſi Hebræos punit homines Magnus Deus, fame, bello, ſeruitute? *Exterminati quidem ſunt à multis nationibus*, &c. ne quis è grege hominum reliquo putet ſe impunè peccaturum eſſe.

Leu. 10. n. 2.

Homines Deus punit alios vt metuant alij.

Num. 23. Nuper aurem reuerſi ad Dominum Deum ſuum, ex diſperſione, qua diſperſi fuerant, adunati ſunt: & aſcenderunt, &c.

Commentarius.

89. EXponit Achior vires probatæ pœnitentiæ, & quam ſibi fortunam parauere, qui ſuum Deo propitiato animum deuouerunt pœnitentes ſcelerum. Video vrgeri homines ad piè viuendum mala fortuna. Amandatus enim Hebræus in exilium, vt fractus ſeruitute grauiſſima Deum agnoſcat ſcelerum vindicem, veniam poſtulat, & redit ad officium. Sed eo conſilio Deus exegit homines Ieroſolymis in carceres Babylonicos, vbi ciues ſuo cum Manaſſe premerentur acerbè; quod patet ex 2. *Paralip. cap.* 33. *num.* 11. Textus eſt, *Idcirco ſuperinduxit illis Principes exercitus Regis Aſſyriorum, ceperúntque Manaſſen, & vinctum catenis, atque compedibus, dixerunt in Babylonem*, &c. Rege capto, & in carcerem abducto, non poterant non ciues abripi quamplurimi, fugere alij, quò fortuna daret exitum; quæ enim Regem fortuna premit, ciues premat, neceſſe eſt, maximè affines ſcelerum.

In ergaſtulum Hebræus abit, vt redeat ad officium.

2. Paral. 33. num. 11.

90. Ago *ad diſquiſit.* 4. *prologiſt.* quo iure Aſſyrius Manaſſen oppreſſerit, oppreſſis malè Ieroſolymis. ſcilicet Merodachus bello victor ſuam Iudæo amicitiam renuntiaſſe viſus eſt, vt Iudæam occuparet, opibúſque Aſſyriis adiiceret. In hanc partem venit Salianus *Anno Manaſſe* 7. *num.* 15. & quidem potuit Aſſyrium inuitare ad raptum ſceptri Iudaici Ezechias proximè, qui Legatis Babylonicis opes oſtentauerat fortunæ Regiæ 4. Reg. 20. n. 13. *& oſtendit illis domum aromatum, aurum, & argentum, & omnia, quæ habere poterat in theſauris ſuis*, &c. Vnde Legatis nata occaſio, vt Merodachum iam Aſſyrium excitarent, ad regnum occupandum inuidia rerum Iudaicarum: quod volunt Cyr. Alex. & Procop. *ad Iſaiæ cap.* 39. *num.* 4. Hoc Manaſſes fato preſſus doluit, & hæc oraculi fides eſt, quod Iſaias expromit 4. *Reg. cap.* 20. *num.* 17. aduersùs Ezechiam. *Ecce dies veniunt, & auferentur omnia quæ ſunt in domo tua*, &c. Quòd verò multi cum Manaſſe Principes abierint rapti in ergaſtulum Babylonicum, putat Salianus *loc. cit. num.* 40. &

4. Reg. 20. n. 13. 17. & 18.

Mouet inuidiam, qui ſuam oſtentat fortunam.

& 41. clauſumque id eſſe ſacro textu *ad 4. Reg. cit. num.* 18. vbi Iſaias Ezechiam minis terret; *ſed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur*, &c. Sciebat Iſaias capi textum poſſe de Manaſſæ nepotibus, ac pronepotibus, quos vltimò Chaldæus Nabuchdonoſor, captis, ſuccenſisque Ieroſolymis, ſecum abſtulit. hoc enim ſenſu locum interpretantur Procop. Cyr. Alex. Hieronym. *ad Iſa. cap. 20. num.* 7. Abulenſ. *q. 42. ad 4. Reg. cit.* Nazianz. *Orat.* 47. Origen. *in Matth. tract.* 7. Ac proinde addit textus Oraculum eſſe de liberis; *qui egredientur ex te*, &c. & proximè ad tollendam nebulam ſententiæ. *Quos* (inquit) *generabis*, &c. ſic locum premit Salianus, à quo non abeo.

91. Cùm igitur Manaſſes, & Principes alij, ſiue metu, ſiue raptu, diſtraherentur in loca plurima, tandem Ieroſolymam repetunt, ſed poſt facti pœnitentiam, quam in Manaſſe textus laudat 2. Paralip. cap. 33. num. 12. *Orauit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum ſuorum*, &c. Nec preces Manaſſæ irritas eſſe voluit bonus Deus, ſed pœnitentiam amans, *Reduxit eum Ieruſalem in regnum ſuum*, &c. Poſſem ego è loco elicere quantum profecerint homines, quibus mala fortuna verè ſtimulus eſt, ac Dei metum, ad pœnitentiam ſcelerum. Si enim curandis hominum morbis *vtilis eſt medicina de ſcalpello, de cauterio, de amara potione*, quod Tertulliano placet *in Scorp. cap. 5.* Quamcunque velis medicinam credo temperatam Dei manu ſeueriori.

2. Par. 33. n. 12. & 13.

Dolore, quaſi ſtimulo pungitur ad Dei metum malus quiſque.

92. Nónne Dei punitio cultellus eſt medicus? fatetur id Iſaias cap. 27. num. 1. *Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti*, &c. Minarum plenus locus eſt. Sed Græco textu habes, pro duro gladio, μάχαιραν ἁγίαν, *gladium ſanctum*, &c. vtpote quòd dura Dei manus adigat homines ad viuendum piè, ac ſanctè. ſic locum explicat Procopius, *Volunt alij ſanctum gladium appellari à Propheta, partim, vt minarum horrorem molliat, partim, vt demonſtret non perituros, quos vltio apprehenderit: neque enim, vt perdat, caſtigat Dominus, ſed vt reſipiſcentes purget, & ſanctificet*, &c. Itaque pœna tanquam nouacula ſalutem hominum procurat Deus adhuc iudex, hac arte factus Æſculapius ægrotantis animæ. *eſt enim reprehenſio quædam chirurgia affectionum*, &c. docet Clemens Alex. 1. *Pædagog. cap.* 8. Sed plenior hac de re Chryſoſtomus ad Pſ. 7. *Quemadmodum* (inquit) *putrefactiones cedunt amaris potionibus, vſturis, & ſectionibus, ſic & ſupplicio arcetur improbitas*, &c. Ferro igitur ſecat Deus; ſed & vrit cauterio. Certè *Dominus Deus tuus, ignis conſumens* eſt, &c. ait Moyſes *Deut. c. 4. n. 24.* Ab hoc cauterio ſalus eſt in animi carcinomata: nam ſi corpus, dum vritur, bene curatur, ſuggerit Septimius loco cit. *Licebit etiam Deo in vitam æternam per ignes, & gladios, & acerba quæque curare*, &c. Inter ignes Deus ſedet maieſtate armatus ſua, *Exod. p. 3. n. 2.* quod Moyſes vidit, *apparuitque illi Dominus in flamma ignis*, &c. Moyſen Deus curare voluit affectum morbo ceruicis rigidæ, ac terrere, vt lega-

Iſa. 27. n. 1.

Morum cenſura licèt dura, verè ſanctitatem gignit.

Deut. 4. n. 24.

Supplicium affectionum cauterium.

Exod. 3. n. 2.

tionem obiret; ignes admouit, *apparuitque illi in flamma ignis*, &c. & hæc Ambroſio mens in loco eſt, ad lib. 4. Hexaëmer. cap. 3. *Quo eum* (inquit) *ad obediendi ſtudium prouocaret, atque ad fidem inflammaret eius affectum, in igne viſus eſt*, &c.

Inter ignes Deus, vt animos accendat hominum.

Quòd ſi humores pellunt noxios medicamenta catartica, & amaræ potiones, calamitatum calices propinat Deus peccantibus malè habentibus. Hæc Ieremias. *Sume calicem vini furoris Domini de manu mea*, &c. *cap. 25. num. 15.* Addo Iſaiam *cap. 51. num. 17.* Ezech. *cap. 23. num. 33. Pſ. 10. num. 6.* qui quidem Magni Dei poculis minantur acerba quæque, terrentque peccantes homines: ſiquid verè interpretantur Hieronym. Auguſt. Procop. Rupert. homineſque alij: & verò vltio malè pungens, potio eſt bene purgans. Vnde putant interpretes temperari ſeueritatis poculo potionem medicam ſcelerum; *affert enim dolorem Dominus tanquam medicus*, &c. Addit Procopius *ad Iſa. cit.* Quàm bene in Deum quadrat vox illa, *ſuper eum viſitabo*, &c. *Amos cap. 3. num. 14.* & illa altera, *Viſitabo in virga iniquitates eorum*, &c. *Pſ. 88. n. 33.* & vox tertia, *Viſitabit Dominus in gladio ſuo*, &c. *Iſa. loco allegato.* Vox de puniendo eſt: ſed quæ Hippocratem ſonat Deum etiam punientem grauiter, teſte Hieronymo ad Amos cit. *Pulchrè dicit*, viſitabo, *& non*, percutiam; *quia Dei plaga viſitatio eſt, & curatio*, &c. Pungit Manaſſen, ac punit Deus vltor ſcelerum, ſed agit, hac via, vt Manaſſes verè ſcelerum pœnitens, veniam poſcat: *egit pœnitentiam coram Deo Patrum ſuorum*, &c. *2. Paralip. c. 33. n. 12.* Laudata plurimis eſt Manaſſæ pœnitentia, de qua Ioſephus *lib. 10. Antiquit. c. 4.* Hieronym. *in quæſt. Hebr. ad 2. Paralip.* Auguſt. *ſer. 53. de temp.* Cæſar. Arelat. *Hom. 14.* Nazianz. *Epiſt. 81.* vbi Theologus, *Manaſſes* (inquit) *inter Reges ſceleratiſſimus, & ob luctum clariſſimus*, &c. Arnold. *ad tract. de ſeptem verb.* Cyr. Alex. *in Iohan. lib. 5. cap. 17.* Chryſoſt. in Matth. Hom. 23. & Hom. 68. *Quis* (ait) *Manaſſe deterior? ſed facilè conuerſus propitium ſibi Deum largis reddit lachrymis*, &c. Addit *Hom. 1. in Matth.* ideo vocatum Manaſſen Hebræa ſchola obliuionem; quia ex Dei oblito factus eſt Dei memor, & meo cerebro, ſcelerum immemor euaſit. Cur hominem facti pœnitentem Deus Ieroſolymis non reſtitueret? cur ſceptro non adornaret ſuo? *Reduxit eum Ieruſalem in regnum ſuum*, &c. Nec aliud voluit in loco Ammonites, cùm apud Holophernem dicit, *Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum, iterum poſſident Ieruſalem*, &c. Gratus Deo pœnitens ſcelerum homo quiſque, ne dum Princeps eſt. ſcitè moneas,

93.

Vltio malè pungens verè potio eſt bene purgans animum.

Ier. 25. n. 15

Amos 3. n. 14.

Pſ. 88. n. 33.

Iſa. 51. n. 17.

Medetur vitiis, cum punit Deus.

2. Par. 33. n. 12.

Multa lacrymis virtus ad Deum propitiandum eſt.

PARÆNET. XLVII.

Pœnitentiam bonæ fortunæ matrem eſſe.

I. REs omnino bona eſt pœnitentia, quæ dum pungit animum hominis, peccatum expungit; dum pectus quatit, ſcelus excutit; dum piaculum deteſtatur, Deum teſtatur Iudicem, dum errorem piè dolet, Dei dolorem citò delet. & hæc ab affectu pœnitentiæ venire,

Punit pro Deo verum pœnitentia.

vrget Tertullianus optimè de Pœnit. c. 9. *vt de periculi metu Deum honoret, vt in peccatorem ip a pronuntians pro Dei indignatione fungatur*, &c. Hac via hominem bonæ fortunæ alumnum beat pœnitentia, & ab loco humili in gradum erigit antiquæ felicitatis. Non ago de gratia recuperata, de qua scholæ Theologicæ *in 3. p. D. Thom. art.* 1. *&* 2. sed placet agitare, quod *art.* 3. D. Thomas, An pœnitentia honores reddat pristinos?

2. Scio, quo affectu Deus agat, ne de peccati macula næuum ducat pœnitens. Argumento

Leuit. 6. n. 25. & 26. est ritus hostiæ pro expiando peccato, ad Leuit. c. 6. n. 25 *Ista est lex hostiæ pro peccato*, &c. ait Moyses; & proximè docet, quibus hominibus in cibos cedat hostia, n. 26. *Sacerdos, qui offeret, comedet eam in loco sancto*, &c. Nec domi Sacerdos edit hostiam, nec aliis tradit in cibum; sed vnus, & sacro in septo, Sacerdos comedit: quod Hebræus Philo expendit ad lib. de Victim. *Nihil extra fanum effertur, ne pœnitenti exprobrentur peccata pristina, iactata in vulgum*, &c. Hostiam aliis edendã non tradit Sacerdos, ne sit occasio disquirendi, quis, & quæ peccauerit, homi is fama inde læsa. hæc tamen Deo cura est de pœnitentiæ honore seruando: & pergit vltrà. Magdalenam vti peccatricem mordet Pharisæus superbè tumens, illud animo iterans, *Peccatrix est*, &c.

Tegenda peccantium errata, ne rubborem inferant.

Luc. 7. n. 39. & 44. *Luc.* 7. 39. Adest Christus à Pharisæo inuitatus, & ægrè ferens lædi improbè honorem mulieris, quæ dolebat, & flebat, quidquid peccauerat, Pharisæum vrget grauiter n. 44. *Vides hanc mulierem?* &c. Non peccatricem vocat, sed mulierem, ne sua pœnitenti errata videretur obiicere. Deinde aggerit, quo dolore, quo obsequio, scelerum conscientiam expiauerit mulier. *Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos*, &c. Non patitur bonus Deus lædi famam pœnitentis, sed officio commendato bene tuetur honorem discipulæ, Pharisæum arguens. Hæc Bernardus ad serm. 3. de Eccles. dedic. *Errabat siquidem, qui tanquam adhuc peccatricem horrebat; quis enim crimina iam deleta recenseat? quis eam peccatricem censeat, quæ dum commissa deplorat, odit iam iniquitatem?* &c. & hæc pœnitentiæ vis est, qua Deum sui honoris patronum habent homines pœnitentes scelerum.

Qua verè dolet mulier Christo, non peccatrix est.

3. Deinde, si quis honorem peccando amittit, dolendo recuperat, tam citò, vt negetur perdidisse. Nemo, puto, nescit nomen sanctitatis, nomen dignitatis esse. Hoc enim titulo commendatur *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, &c. *Isa. c. 6. n.* 3. Sed

Isa. 6. n. 3. qui peccat liberè, nomen perdat, necesse est, nisi peccati pœnitens doleat. quò Dauid spectat, cùm dicit Psal. 31. n. 5. *Delictum meum cognitum tibi feci*, &c. Nota in loco est formula pœnitentiæ, qua suum quisque scelus detestatur, & veniam postulat. Vnde Vates addit

Psal. 31. n. 5. & 6. n. 6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus*, &c. Sed opponit Hieronymus. *Si sanctus, quomodo orat pro iniquitate? si iniquitatem habet, quomodo sanctus appellatur?* &c. & respondet scitè Doctor lib. 2. contra Pelagian. *Iuxta illum videlicet modum: Septies cadit iustus, & resurgit*, &c. Prou. cap. 24. n. 26. *Iusti enim vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper surgit*, &c. Iterum Hieronymus *Epist.* 45. Quis ergo non videt recuperari pœnitentiâ honorem peccato amissum; vt qui vita sanctus, ac iustus erat, sanctus adhuc, & iustus appelletur, quasi non perdiderit colorem sanctitatis, nec splendorem iustitiæ. *Nigra sum*, (ait virgo abundè sapiens,) *sed formosa*, &c. *Cant.* 1. *n.* 4. Vnde nigra, nisi à peccati colore est? & quod Bernardus aduertit ser. 25. *Tali fortasse modo, potest sponsa næuo non carere*, &c. Quæ enim vel amata Christo sponsa non peccat, dum viuit? si tamen de peccato dolet, pulchra ex nigra virgo euadit, & faciem ciue cælite dignam ostentat. quod à Theodoreto discas. *Nigra* (inquit) *ob superiorem impietatem, pulchra vero propter pœnitentiam*, &c. Gratus de periculi metu color est, quo peccator facti pœnitens faciem Deo Angelicam exprimit. An colorem virtutis Angelicæ perdunt Antistites, quibus imperata à Deo pœnitentia est? Lege Apocalypsin *cap.* 2. *n.* 1. inibi Christus ad Ioannem, *Angelo* (inquit) *Ephesi scribe*, &c. Quid rescribendum? *Mouebo candelabrum de loco suo, nisi egeris pœnitentiam*, &c. Magister iterum ad discipulũ n. 12. *&* *Angelo Pergami scribe*, &c. Deinde vox est de pœnitentia ineunda n. 16. *similiter pœnitentiam age*, &c. Vrget adhuc iudex Antistũ c. 3. n. 1. *&* *Angelo Sardis scribe*, &c. Mentiar, nisi peccati dolorẽ Angelo imperat *n.* 3. scilicet, *Pœnitentiam age*, &c. Tandem Christus n. 14. *Et Angelo* (inquit,) *Laodiciæ scribe*, &c. Nec, quid Angelo sit præscribendum, tacet n. 19. *Æmulare ergo pœnitentiam*, &c. Constat Deum in loco seuerum agere morum exactorem, Asiaticísque Præfectis scholæ Christianæ pœnitentiã scelerum imperare. Id si præstent, nomen, decus, vultum, colorem sanctitatis æquè, ac dignitatis Angelicæ non perdere Antistites, sed retinere Deo ritè propitiato: qua de causa Antistites Christus Angelos vocitat, vtpote errorum pœnitentes homines.

Nec virgo sapiens à peccati næuo sana.

Cant. 1. n. 4.

Multa à pœnitentia venustas.

Apoc. 2. n. 1. 12. 16. & n. 1. 3. 14. & 19.

Angelus adhuc est, qui pœnitentiam agit de piaculis.

4. Quid ego mirer redditum Petro honorem maiestatis Pontificiæ, negatione per lachrymas diluta? quas Magister claues promiserat Matth. 16. n. 19. *Tibi dabo claues regni*, &c. Matth. 16. n. 19. hasce claues tradidisse videtur, cùm moneret Ioan. 21. n. 15. *Pasce agnos meos*, &c. Iam Ioan. 21 n. 15 Petrus suum animo scelus expulerat, vbi dolore tactus intimo *fleuit amarè*, *Matth. c.* 26. Matth. 26. n. 75. & 17. n. 75. Quid si proximè de peccato doluit, rogatus de amore? *Contristatus est Petrus*, &c. *n.* 17. Reddit igitur Magister honorem discipulo, ne minus habeat pœnitens, quàm habuerat innocens. *Respectum Christi sequitur fletus Petri, & lachrymarum amaritudo antiquæ dignitatis dulcedinem instaurat*, &c. Hæc Petrus Damia. *serm.* 56.

Honores non amittit peccator facti pœnitens.

5. Video quo iure Tertullianus parentes humani generis appellauerit *restitutionis candidatos*, *lib.* 2. *contra Marcion. c.* 25. Nouerat fortasse dictum de Adamo, post facti pœnitentiam, Gen. c. 5. n. 1. *Hic est liber generationis Adam: In die, qua creauit eum Dominus, ad similitudinem Dei fecit illum*, &c. Id verò est, teste Chrysostomo, *secundum rationem dominij, & principatus*, &c. *Hom.* 21. Potestas hæc Adamo collata iam pridem fuerat, pari loquendi formula *ad Gen. c.* 1. *n.* 27. vbi

Gen. 5. n. 1.

Potestas Adamo pœnitenti reddita.

Gen. 5. n. 1.

vbi Moyſes, *ad imaginem* (inquit) *Dei creauit illum*, &c. cùm tamen Adamus peccati reus amiſiſſet principatum rerum humanarum, & peccati pœnitens doleret acerbè; quod probant Interpretes *ad Sapient. c. 10. n. 1.* neceſſe erat, vt reddita, per ſapientiam pœnitentia temperatam, poteſtate rerum amiſſarum, nouus quodammodo Princeps renuntiaretur. Hac via ſuum Dauid ſceptrum, ſi non retinet, certè recuperat. Licèt enim Matthæus de adulterio meminerit, *ex ea, quæ fuit Vriæ*, ad cap. 1. num. 6. Dauid adhuc Rex eſt. *Dauid* (inquit) *Rex genuit*, &c. Imò Dauid præ cæteris vnus tantùm Rex vocatur. Erant quidem Reges Thiatæ Iudaicæ, Aſa, Ezechias, Manaſſes, Ioſias: non tamen Reges in loco appellantur. Sed bonus Dauid dolore ſcelerum intimo nomenclaturam meruit nobiliſſimam. Neque enim textus de adulterio meminit, vt peccato obiecto Regẽ lædat, ſed vt facti pœnitentem laudet hominem. Vrges; & Manaſſes verè pœnitens, cur titulo Regio non adornatur? Sed primus Regum Dauid in pœnitentia ineunda, ea de cauſa Rex acclamatur ſacro textu, non Manaſſes, etſi pœnitentia clariſſimus. Quid ſi honorem pœnitens ampliorem obtineat, quàm innocens obtinuerat? Nónne Dauid Abrahamo præponitur in cenſu genealogico Magni Seruatoris? *Filij Dauid, filij Abraham*, &c. *Matth. cap. 1. num. 1.* ſcilicet Abramus, Pater quidem erat credentium, *ad Rom. 4. num. 11.* ſed non pœnitentium. Dauid & fide potens, & notus pœnitentia, primas ſibi vendicat in ſerie genealogica Seruatoris, *filij Dauid, filij Abraham*, &c. Certè peccatum de quo peccantes dolent homines, altè leuat, non premit. Adulteram textus inducit, natumque Regem, *ex ea, quæ fuit Vriæ*, &c. Non deerit fortaſſe, qui Reginæ lapſum conſilio ſaniori tegendum eſſe putaret. Rectè id, ſi peccatum lachrymis dilutum non eſſet: cùm tamen de Regina ad ſcelerum pœnitentiam ſtrenua dicat Sapiens Prou. 31. num. 31. *Mulier timens Deum, ipſa laudabitur*, &c. Nec culpa ruborem parit, nec Chriſtus ea ſe auia turpatum arbitratur; *de qua natus eſt Ieſus*, &c. *num. 16.* quod in ima cera bene reſpondendum curauit. *Benignè pœnitentiam honorans Deus*, &c. ſic Iuſtinus *reſponſ. 78.*

Matth. 1. n. 6.

Regium ſibi nomen parat Dauid per facti pœnitentiam.

Matth. 1. n. 1.

Primas ſibi partes vendicat Dauid ſcelerum pœnitens.

Prouerb. 31. n. 31.

Gaudet Chriſtus Auia pœnitentiæ alumnæ.

Matth. 1. n. 16.

6.

Hac arte molles apud Deum aditus habet pœnitens: nec preces abeunt irritæ, quibus vires addit pœnitentia. *Tribulationem* (ait Dauid,) *& dolorem inueni*, Pſ. 114. num. 4. De animi dolore intimo, & ſcelerum pœnitentia carmen explicat Baſilius; ac deinde quid apud Deum valeat pœnitens, eruit ex verſu proximo, *& nomen Domini inuocabo*, &c. Vnde tanta viro fiducia, vt Deum precibus auſit vrgere? Baſilius pulchrè ad litem, *Mihi* (inquit) *afflictionem ex pœnitentiæ fonte excogitauit; vt maiori cum fiducia nomen Domini inuocarem*, &c. Nullus de repulſa metus eſt, vbi Deum, etſi irratum, orat pœnitens: vincat precibus, neceſſe eſt. Laudo titulum Pſalmo quinquageſimo præfixum, *In finem*, &c. ſiue, quod vertit Theodotio, *εἰς τὸ νίκος, ad victoriam*, &c. In loco Dauid ſcelerum pœnitens dolet, plorat, veniamque precatur. *Dele* (inquit)

Pſ. 114. n. 4.

Homo verè pœnitens Deum exorat.

Veloſ. in Iudith.

iniquitatem meam, &c. Ac proinde quadrat bene victoria in Pſalmum de ſcelerum pœnitentia, quippe quòd Dauid ſua pœnitentia, & Diabolum vincet, peccato deleto, & Deum vincet prece blanda.

Pſ. 50. n. 2. *Ad finem adducit pœnitens, quidquid aggreditur.*

Quàm magnos reſumit ſpiritus peccator ſuo de peccato pœnitens. Nónne regnum ſibi vendicat fidens admodum? Peccatum lachrymis Dimas abluit, dolenter iterans Luc. 23. num. 41. *nos quidem iuſtè; nam digna factis recipimus*, &c. Pœnitentia ritè inita regnum expoſcit num. 42. *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum*, &c. Id verò, ne Iohannes quidem auderet, ſcilicet regnum repetere, quod Abramus, & ab Abramo viri Magni non repeterent. Tam magna pœnitentiæ fiducia eſt; ſceptrum non petit, ſed repetit, iure merito. *Confeſſus eſt, & paradiſum patefecit; & tantam confeſſus fiduciam meruit, vt regnum poſt latrocinium poſtularet*, &c. Hæc Chryſoſt. *Hom. 1. de Cruce, & Latrone.* Deus bone! quantum valet apud Deum pœnitentia! Victus hac arte Deus facilè precibus annuit. *Hodie* (inquit) *mecum eris in paradiſo*, &c. *num. 43.* Feſtinatò ſuccurrit meus Ieſus, nec ſuſpendit veniam rogatus, qui regnum tribuit. *Conſiderare neceſſe eſt, quid poſſit pœnitentia? quando bonus Dominus tribulato corde clamantem ad ſe ſeruum ſuum, etiam in vltimo peccati puncto non negligit*, &c. ſic Arnoldus *ad tract. de ſeptem verbis.* Cur negligeret Manaſſen pœnitentem ſcelerum? Cur Principes de Idolomania dolentes grauiter non reuocaret in patriam? Dicat igitur Ammonitos: *Reuerſi ad Dominum Deum ſuum, aſcenderunt montana hac omnia, & iterum poſſident Ieruſalem.*

Luc 23. n. 41. 42. & 43.

Regnum ſuo merito expoſcit, qui verè dolet pœnitens.

Citò Deus ſuccurrit pœnitentibus.

Num. 24. Nunc ergo, mi Domine, perquire, ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei, &c.

Num. 25. Si verò non eſt offenſio populi huius coram Deo ſuo, &c. erimus opprobrium vniuerſæ terræ.

Commentarius.

EO tendebat Ammonites fortuna celebrata gentis Iudaicæ, vt Holophernem deterreret à conatu pugnæ ineundæ, ſi Hebræus Deum coleret metu religioſo. Patet locus; nec explicatu opus eſt. Illud tamen expendo, meminiſſe Achiorem ſemel, & iterum de piaculo quod admittunt homines *in conſpectu Dei*, &c. num. 24. *& coram Deo ſuo*, &c. *n. 25.* quod placet interpretandum eſſe de fide in Deum læſa. Id enim peccati coram Deo, ac in Dei conſpectu patratum eſſe germanè dixeris. Firmat interpretamentum Deus *Deut. cap. 4. num. 2.* Hebræum tundens Idololatram. *Si feceritis vobis aliquam ſimilitudinem, patrantes malum coram Domino Deo*, &c. Quaſi vnus peccauerit in Dei oculis Idololatres. Labitur Salomon in ſordes Idolomaniæ, aris extructis in cultum Dæmonum.

94.

Idolomania Dei faciem diuerberat.

Fecitque Salomon, quod non placuerat coram
3.Reg.11.n.6. *Domino*, &c. 3.*Reg.c.* 11.*n.*6. & hac loquendi forma textus notat Idololatram, quasi Dei faciem diuerberet, qui Deos agnoscit. Hic profectò ille est, qui Dei ferit oculos; imò pupillam tangit oculi. Sic Hebræum ab Idolomania absterret Deus, *Non habebitis Deos alienos*
Deut. 15. n.7. *in conspectu meo*,&c. *Deut. c.*15.*n.*7. quos vbi cultos voluit gens vniuersa, *fecerunt malum in*
Iudic. 10.n.6. *conspectu Domini, & seruierunt Idolis*, &c. *Iudic.*10.*n.*6.

95. Inde clades plurimæ in cultores Dæmonũ, inde regni calamitates, inde Principum seruitus vltima; neque enim regnum stare potest, religione profligata: & hæc Ammonites docet. *Perquire, si est aliqua iniquitas*, &c. Versat Pineda locum, & locis firmat aliis sacrarum literarum, *ad lib.*7. *de Salomon. c.*21. *n.*5. eò te loci mitto. Vbi Salomonem videas impugnatum manu Syra; cùm Dei maiestatem læsisset, fide læsa, & aris Dæmonum excitatis, in vxorum gratiam, 3.*Reg.c.* 11.*n.*7. Tunc enim Adadus à Pharaone, licèt Idumæus petit, vt patriam liceat repetere. *Dimitte me*, (inquit) *n.* 21. Credebat Idumæus Salomonem, religione deserta, facilè opprimendum esse, ac proinde Hebræum, nisi Idololatram, non aggreditur; quod habet Nauclerus lib.1. generat.37. *Cùm audisset Adad Salomonem infatuatum, egressus de Ægypto infestabat Israël*, &c. Appono, quæ Liuius in hanc partem scribit lib. 5. decad. 1. *Omnia prospera eueniunt colentibus Deos, aduersa spernentibus*, &c. Nam licèt aberraret Senatus, populúsque Romanus in Diis colendis, non erat falsus animi, cùm doceret religionem piè seruatam imperio custodiendo prodesse. *Quapropter non dubitauerunt sacris imperia seruire*, &c. Addit Valerius Max. *lib.*1.*c.*1. Crucem globo impositam voluit Constantinus, scilicet, vt victum hoc signo discas orbem terrarũ vniuersum. vide Eusebium *lib.* 9. *de vita Constant. c.* 8. Puto ego Crucem globo erectam, vt scias fidè in Crucem, ac religione seruandam esse fortunam rerum maximarum. Hac mente Crucem in aula pingendam, & tabulam auro, gemmisque adornandam curauit: quod tradit Eusebius lib. 3. cap. 48. *Imperatori sanctissimo regni firmum videbatur esse propugnaculum*, &c. Verè Achior in loco negat vincendum bello Hebræum esse, nisi trãsfugeret à vero Deo ad vanos Deos, fide violata. *Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis*, &c. *n.*25.

3. Reg. 11. n.11. *Facilè expugnatur Idololatres.*

Regnum seruat seruata religio.

Regni præsidium à cruce piè culta.

96. Obarmat Principes seruata piè religio: quade re Marcianum Leo Pontifex laudat maximè Epist. 42. *Studiosissimos* (inquit) *vos Ecclesiasticæ pacis agnouimus, cui desiderio digna æquitate confertur, vt quem statum esse cupitis religionis, eundem habeatis & regni*, &c. Impetrat fides religiosè culta, vt qua religio manu perstat, perstet & imperium. Fidem à Iuliano labefactatam piè, ac religiosè tuetur Iouinianus Imperator: nec priùs de imperio ordinando cogitat, quàm Episcopos ab exilio euocatos velit. quod bene commendat Theologus Orat. 21. *Vt pulcherrimum imperij sui fundamentum iaceret, rectámque legum sanctionem, vnde conueniebat, auspicaretur, Episcopos ab exilio reuocat*, &c. Sano id consilio fidem priùs colit, & tuetur; addit Theologus, *vt simul illi robur afferret, & vicissim ab illa acciperet, magnificè de rebus maximis cogitans*, &c. Mutuum à fide, & regno auxilium est. Et hæc si placent, mone,

Constat Imperium pietate in Antistites seruata.

PARÆNET. XLVIII.

Religione piè seruata stare imperium:

1. NEmo nescit, nemo negat castam fidem, & sanam religionem facere maximè, vt regno Reges perstent incolumi. Hæc à fide piè seruata vis est ad regni præsidium, si fidem Principes religiosè tuentur. Manu manum fricant & fides sacra, & humana potestas. quod Ioannes Pontifex Iustiniano exponit. *Neque enim parua illi vicissitudo à potentia diuina tribuitur, per quem nullis rugis Ecclesia diuisa secernitur*, &c. vbi notes pulchrè additum, iuuari mutuò Christi scholam, & regni sedem: vt qui fidem castè seruandam curauerit Imperator, imperium ope diuina saluum, firmúmque retineat. Non allego ritum à Deo inductum Regis initiandi, thiara scilicet imposita, & Deuteronomio in manum addito, *Deut.* 17.*n.* 18. quod in Ioaso initiando seruatum est, 2.Paralip.cap.23.n.11. *Dederuntque in manu eius tenendam legem, & constituerunt eum Regem*, &c. vbi obserues, licet, priùs legem manu Regia exceptam esse, deinde Regem à populo renuntiatum: quasi via ad regnum retinendum foret legum seruata religio. *Quibus enim legitimum contigit imperium, ijs bene procedet; & bene procedet, vbi obtinuerit pietas*, &c. Hæc Pelusiotes *lib.* 4. *Epist.* 142. Præsensit id Ioasus, qui regno inito *ad* 4.*Reg.c.*11.*n.*12. Sacerdotes collegit in aulam, quibus curam demandaret templi sarciendi, ad cap.12.n. 4. *Dixítque Ioas ad Sacerdotes*, &c. Id quidem opportunè, quod monet Petrus Damiani lib. 3. Epist. 64. *Sciebat enim, quòd vtraque dignitas alterna inuicem vtilitatis est indiga, dum & Sacerdotium regni tuitione protegitur, & regnum sacerdotalis officij sanctitate fulcitur*, &c.

2. Rar.23. n.11. *A legum cultu vis est ad regnum tenendum.*

4. Reg. 12. n.4. *Iuuantur mutuò Principatus, & Pontificatus.*

2. Quis non laudat pios motus Abrahæ, qui suas Deo colendo aras extruxerit? *Genes.*12. Terram Deo duce promissam intrat: quid in aditu? *ædificauit ibi altare Domino*, &c. *num.* 7. Deinde promissis diues, Chananæámque perlustrans ad Luzam vsque, *ædificauit ibi altare Domino*, &c. *n.* 8. Tandem Hebronem petens, sedem in loco fixit: *ædificauitque ibi altare Domino*, &c. *cap.* 13. *n.* 18. Multus in Deo ritè colendo Abramus est, nec opportunitatem corrumpit aræ excitandæ, & pietatis acuendæ, quo scilicet loco Deus terram Abramo, & neporibus destinat: *Omnem terram quam conspicis, dabo tibi*, &c. *n.*15. Sensit Abramus constare sibi non posse fortunã rerũ Chananiticarũ, nisi Deũ sanctè coleret, aríque extructis, fidem, ac religionem ostentaret publicè. *Dum ergo illic ædificauit altare Domino, hoc iam titulo sese prædicat hæredem totius mundi*, &c. Sic Rupertus *lib.* 5.*c.*10. Itaque nec Abramus, & ab auo nepotes terrarum seruarent imperium, nisi à Dei cultu auspicaretur Pater multarum Gentium. Hoc (puto) consilio Cyrus ille Deo lectus ad imperium, cùm hostem

Gen. 12. n.7. & 13. n.18

Gen. 13.n.15.

Rebusp. consulit, qui sacris bene prouidet.

hostem vinceret, Chaldæumque sceptrum Persis adderet, degustatis regni auspiciis, templum Ierosolymis erigendum curauit, & facultatem Iudæo fecit patriæ adeundæ. *Ascendat Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet*
1. Esd. 1. n. 3. & 1. *domum Domini Dei*, &c. sic Esdras habet *lib. 1. c. 1. n. 3.* Sed quo regni anno id Cyrus iubet? Esdras iterum n. 1. *In anno* (inquit) *primo Cyri*, &c. Putabat Cyrus valere plurimum ad imperium ordinandum, & augendum, si à Dei templo condito duceret auspicium; quare non prius de profanis, quàm de sacris agit, probè sciens mutuum vtrinque auxilium esse. Quòd si magna in aula dominatur impietas, ruit alto à culmine regnum.

Bonum Regni auspicium à sacris benè curatis.

3. Declamat id Angelus apud Danielem
Dan. 9. n. 26. *cap 9. num. 26.* Sed Græco textu, χρίσμα, καὶ κρῖμα οὐκ ἔσται ἐν αὐτῷ. id verò est, *Vnctio, & iudicium non erit in eo*, &c. scilicet Hebræo in populo. Inungitur Pontifex, vt sacris operetur *Exod. 29. num. 7.* & Princeps additur, vt iudicet, 1. *Reg. cap. 8. num. 5.* Si tamen Pontifex in pessum datur, & Princeps in præceps abeat, necesse est, quod Vates insinuat, *Vnctio, & iudicium non erit*, &c. exponitque Pe-
Regni fulturа est seruata Deo fides. lusiotes lib. 3. Epist. 249. *Ac maximè quidem per Sacerdotij extinctionem, regni quoque, & aliarum rerum euersionem simul demonstrat; nam regni basis, pietas in Deum erat*, &c. Vigilet ergo Princeps, & sacris de rebus agat, si regnum velit saluum, & firmum esse: Deum colat, amet, timeat, ne, si neglexerit, indignetur, Magnus Regum Princeps, & vltor latè efficax neglectæ religionis. Lego discissum à
1. Reg. 15. n. 27. Saule Samuelis palliolum 1. *Reg. cap. 15. num. 27.* Deinde lego Samuelem pronuntiasse ex occasione Saulem regno exturbandum esse num. 28. *Scidit Dominus regnum à te hodie*, &c. An quòd Princeps, disrupta lacinia pallioli prophetici, Leuitam, ac Dei hominem læserit quodammodo, perdit imperium? Adest Petrus Dam. *lib. 7. Epist. 3.* ad Henricum malè de Christo meritum. *Christi scinditur*
Suum ladit regnum, qui Dei ministrum ladit. *vestimentum, & licèt non scindentis, scindere tamen permittentis stabit imperium? scissa vestis diuisionem minatur Regiæ potestatis*, &c. Ruere necesse est regnum, vbi pietas labitur, & relabitur casta religio? Vnde à Dei schola malè quassata colligit malam pestem malus Princeps.

4. Mirum, qua celeritate Deus Chaldæum
Dan. 5. n. 30. 1. 3. & 4. Regem, & regno, & vita exuit! apud Dan. cap. 5. num. 30. *Eadem* (inquit) *nocte interfectus est Balthassar*, &c. scilicet, cùm Darius Medus Cyro addito, vrbem, ac regnum occupasset. Constat peccasse Chaldæum improbè qui lentam Dei iram excitauerit ad vindictam scelerum. An Balthassar peccati reus, quippe qui indulgeret conuiuio intempestiuo, vinum largè perpotarit, & locis absurdis tereret noctem solidam? Certè Rex *fecit grande conuiuium optimatibus suis, & vnusquisque secundùm suam bibebat ætatem*, &c. *n.* 1. Non hæc Deum ira tardum excitarunt, adhuc cunctatur Iudex. An Chaldæus citò perit, quia sacris phialis vinum propinauerit viris, ac fœminis? Profectò in cœnam ad bibendum, *allata sunt vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat de templo*, &c. vtique Nabuchodonosor *n.* 3.

Velos. in Iudith.

Quodnam inde periculum? quodnam inde infortunium? *In eadem* (inquit) *horæ apparuerunt digiti*, &c. *n.* 4. quibus lata in Regem est sententia. *Quandoquidem barbarus sacrosancta pocula non modò viris, sed etiam mulieribus ad vsum proposuerat*, &c. Scitè Pelusiotes *lib. 3. Epist. 161.* Neque enim ferre Iudex potuit, vt regno frueretur, qui sacra Deo vasa polluerat, cum summa religionis iniuria. In hoc totus erat Achior, Holophernem admonens: Cum Hebræo, nisi Idololatra ne congrediare; alioqui, si cum religioso pugnam ineas,

Citò perit, qui rem sacram vsu turpat impio.

Erimus in opprobrium vniuersæ terræ.

Commentarius.

97. DOlet Ammonites Holophernem, ac militem patere facilè posse probris, cauillisque hominum, si malè cum Hebræo religioso pugnaret. Non timet crucem, ac necem, fortunam rerum vltimam. Vnum timet opprobrium, quo affectus ruborem vultus ducat; pudor enim viris magnis est, carpi, ac scindi hominũ dictis aculeatis, cùm fortuna aduersa est. Exponit Dauid *Ps. 43. n. 16.* quo Hebræus sensu dixerit, *Tota die verecundia mea contra me est*, &c. Locus est de gente barbara, quæ Hebræum Ierosolymis exactum detriuerat pessimè: vnde querimonia Dauidica n. 15. *Posuisti nos in similitudinem Gentibus, commotionem capitis in populis*, &c. Et quidem necesse erat, vt Hebræus ab hoste captus multis fieret fabula: vnde pudor captis natus, qui Vatem latè pessundat. *Tota die verecundia mea contra me est*, &c. Minus de malis reliquis Dauid queritur: vnum in oculis opprobrium est, quo ruborem contrahit, teste Chrysostomo. *Hæc verecundia supplicia illos magis cruciabant*, &c.
Quòd Hebræus maledictis pungatur, pudor est grauior. Sciebat Deus homines hoc flagro puniri grauius, quàm ferro impacto: quid ergo? testes laudat improbitatis Iudaicæ Angelos, & homines, apud Isaiam c. 1. n. 2. *Audite cæli, auribus percipe terra*, &c. & proximè obtrudit, quid peccasset gens Hebræa. *Ipsi* (inquit) *spreuerunt me*, &c. Quæ Hebræus egisset improbè, recognoscit iudex, contestantibus Angelis, & hominibus; vt inde reus pudefiat. *Quia apud sapientes, honestósque homines grauius est aliqua nota confundi, quàm mori*, &c. Ita Zeno Veron. *serm. 35.* Obiicit igitur Deus Hebræum turpiter lapsum cauillis hominum, dictisque acerbis, quo grauiùs pungat, pudore concepto. Mori enim præstat, quàm fieri hominum fabulam, haberique ludibrio.

Isa. 1. n. 2.

Mori, quàm notari probro malis sapiens.

98. Obsessus ab hoste Chaldæo Sedecias, non tam crucem, necemque timet, quàm turpes irrisiones hominum; vide quid Princeps apud Ieremiam dicat de Iudæo transfuga. Metus (inquit) ingens mihi est. *Ne fortè tradar in manus eorum, & illudant mihi*, &c. *Ierem. c. 38. n. 19.* Quid Sedecia? si Chaldæus tuos tuis in oculis filios internecet? non timet pater. Quid si tuos tibi oculos eruat? non timet Princeps. Quid si te cruciatu grauissimo afficiat? non timet Sedecias. Vnum timet risum hominum, turpemque derisũ: quo metu Princeps torquetur grauiùs. *Viri enim, qui sunt in magno honore, potius*

Ier. 38. n. 19.

Necem potius quàm visum hominum ferus magnus homo. Matth. 27. n. 5.

vellent sustinere mortem, quàm illudi, &c. Sic Abulensis *q.* 3. *in* 4. *Reg. c.* 25. Nostis Iudam Magistro ad Crucem damnato, restim sibi quæsiuisse; quod Matthæus exponit cap. 27. n. 5. *Abiens laqueo se suspendit*, &c. Petunt Interpretes, quare Iudas vitam sibi eripit, & nodum informis lethi trabe nectit ab alta? Sed mœror ingens obruit hominem pessimè. Nam *pœnitentia ductus*, &c. restim cogitauit. An de peccato dolor est? minimè, ait Theophylactus; sed metus de infami nota. *Proinde non ferens ignominias subsecuturas, se ipsum è vita subduxit*, &c. Erant in Iudæ oculis irrisiones hominum, qui ingratum Magistro discipulum damnarent, carperent, lacerarent; hasce irrisiones proditor, & iacta in se scommata ferre non potuit; ac proinde mori voluit sui impotens. Tormenti genus, grande supplicium, malis, damnatisque hominibus! vt Christus ferat sententiam, *Discedite à me*, &c. *apud Matth.* 25. *n.* 41. in oculis hominum, quos diuexauerãt homines perditi. Hæc enim ferendæ sententiæ scena erit: quod textus explicat n. 32. *Congregabuntur ante eũ omnes Gentes*, &c. In hoc, ac pleno theatro hominũ Iudicem Christus implebit iure dicto, *Discedite à me*, &c. Cur verò, Senatu collecto hominum ferat iudex sententiam, nisi vt grauiùs pungat malos homines, pudore incusso? docet id Bernardus serm. 8. in Ps. 90. *Hoc planè illis graue tormentum, & magnus malorum cumulus erit. Fortasse enim quodcumque solatium videretur, eorum, quos malitiosè impugnauerint, in tormentis suis saltem declinare posse conspectus*, &c. Id tamen iudex voluit, premere homines tormento pudoris. In hoc metu erat Ammonites si Holophernes Hebræum vtique religiosum aggrederetur. *Erimus* (inquit) *in opprobrium vniuersæ terræ.*

Restim Iudas petit, vt ne ludus fiat hominum.

Matth. 25. n. 41. & 32.

Acerbius dolet, qui in oculis dolet hostium.

Num. 26. Et factum est, cùm cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holophernis, & cogitabant, *&c.*

Num. 27. Dicentes ad alterutrum: Quis est iste, qui filios Israël posse dicat resistere, *&c.*

Commentarius.

92. QVod timebat Achior, in loco est: scilicet, ne veri magister in aula minus placeret. Neque enim temere facultatem poscit veri dicundi n. 5. *Si dignaris audire, dicam veritatem*, &c. Prudens admodum Ammonites veniam loquendi petit, cùm sciat magnos homines veri patientes non esse. Vnus fortasse & alter est, *Qui habet aures audiendi*, &c. *Luc.* 14. *n.* 35. & agit Christus de Præfecto scholæ Christianæ, qui bene conditur salæ sapientiæ: sed vnus tantùm homo est, qui veri amãs ferat monitorem: *nam propter raritatem dicit: Qui habet aures audiendi*, &c. hæc à Caietano discas. Ex hoc veri audiẽdi odio plerumque fit, vt veri, boníque magister cædatur malè, occidatur improbè. Quod minantur Duces apud Holophernem, furore in Achiorem concepto: *& cogitabant interficere*, &c. Placet in hãc partem Laudunensis mysticè. *Qui enim mundi fastu superbiunt, veritatis praconia audire non possunt: & prædicatoribus mortem minantur*, &c. Nónne Paulus timet, & Crucem turpem, & necem diram, si de Nerone opprimendo egerit liquidò? Obscuris igitur vera inuoluens ab Antichristo pergit ad Neronem; *vt qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat*, &c. *2. ad Thessalon. c.* 2. *n.* 7. Rem velo tegit, ne scilicet Neronem pungens, malè habeat. *Satis nimiumque offenderant illos Euangelij Prædicatores; quanto magis, si iam publicè discessionem illam futuram prædicarent*, &c. Hæc Rupertus *ad lib.* 12. *de Victor. c.* 13. Cæderet Nero Magistros veri Apostolos, & occideret cruciatos miserè, si quid tonarent aduersùs Romanam maiestatem; sed repere *parenet.* 9. hac de re.

2. Thessal. 2. n. 7.

Veri demorsus aceto Nero magistrum perdat.

100. Deinde vide, quo affectu adulantur Duces, & opes, vireſque laudant maiestatis Assyriæ n. 27. *Quis est iste, qui filios Israël posse dicat resistere?* &c. Timebant fortasse Duces, ne malè audirent, si quam Achior laudassent, fortunam, ac virtutem Gentis Iudaïcæ non detererent, Holopherne laudato, celebratóque Assyrio. Inde concipiunt morum adulandi, *Quis est iste?* &c. Iniuriam Assyrio factam putabant Duces commendatione aliena, quã proinde vlcisci volunt, nece in Achiorem excogitata. Id enim de genio adulatorio est. Laudat Sed ecias Dæmonum Pontifex Achabi vires, & opes militares, vrbémque Ramotham facilè occupandam ab Achabo victore canit 3. Reg. cap. 22. n. 12. *Vade* (inquit) *prosperè*, &c. Occurrit Michæas à Rege vocatus, & negat expeditionem prosperè cessuram esse *num.* 19. Quid ergo assentator Pontifex? Accedit Sedecias, *& percussit Michæam in maxillam*, &c. *num.* 24. Officiosè Pontifex Achabo assentatur cùm Michæam veri magistrum pulsat, doctrinam veri interpretatus fortasse Achabi contumeliam. Quo interpretamento Christum pulsat malus adulator, apud Caïpham Sacerdotum Maximum, *Ioan. cap.* 18. *num.* 22. Cùm enim meus Iesus negaret liberè se clanculò docuisse n. 20. *& in occulto locutus sum nihil*, &c. Veri doctorem adulator Sacerdotis calumniatorem reputans, *dedit alapam Iesu*, &c. *num.* 22. scilicet vt suam Domino operam commendaret. *Ecce iste fortis percussor, & mollis adulator*, &c. Sic Rupertus *lib.* 13. *in Ioan.* Hoc & malo genio Duces Holophernem lactant, cùm virtutem, & artem laudant hominis, Achiorémque malè tradunt, vt insanum patronum virtutis Iudaïcæ, oratorémque improbum laudis alienæ.

3 Reg. 22. n. 12.

Veritatem adulator contumeliam interpretatur.

101. Ex dictis colligas bene victoriam veritatis; qui enim argumentis conuincunt Achiorem, Hebræa schola, *Fratrem lucis*, & inde veri magistrum, irati Duces vi, & probro tundunt improbè, *dicentes ad alterutrum: Quis est iste?* &c. Hæc tamen sunt effugia sapientiæ diabolicæ. Vbi vires non suppetunt rationis, vrgent turpes voces, & morsus graues. Sed quid est necesse clamore absurdo aulam personare, si veritas vrget pacatè. Caue igitur quicumque sapis, nec turpi verum probro afficias; certum enim illud est,

Veri magister, lucis frater.

PARENET.

Luc. 4 n. 35.

Pauci, quos non vrat veritas.

PARÆNET. XLIX.

Dei scholam pacatè victricem esse.

1. ILlud intendit vera sapientia, agere argutè, vrgere pacatè, & modestè vincere. Quid est opus trahere contumelia, quem argumento ducas facilè? argumentum victi est, probris agere: nota victoris, pacatè vrgere. *Quæ enim desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica*, &c. Monet Iacobus *cap. 3. n. 17.* &, quod Bernardus explicat serm. 1. de natiuit. *Non abundans in suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio, vel iudicio*, &c. Inde Magister piè sapiens, quòd peruicax suo cerebro non est, pacem colit, nec morsus figit. Idque ab Angelo discit veri magistro, *Habebat in manu sua, libellum apertum*, &c. *Apoc. 10. n. 2.* sacrum docendis hominibus instrumentum. *Sed Iris in capite eius*, &c. *cap. 1.* Quæ quidem pacis cum Deo initæ tessera est Gen. cap. 9. num. 13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis*, &c. Quod verò Angelus Angelorum Princeps, hominumque magister eo signo amicitiæ coronatus dixerit, scitè admonet, Dei scholam pacatè agere; hac via constare facilè victoriam Christianæ sapientiæ. Placet in hanc litem Theodericus lib. 1. Epist. 27. *Si tranquillos optant aduersarios, certè volunt eos esse victores*, &c. Inde factum, vt suam Christus scholam moneret, Marc. cap. 9. num. 49. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*, &c. Nemo nescit sapientiam rerum sale significatam esse; quod Theodoretus explicat, ad *Colossens. c. 4. n. 6.* citato Marci loco. Christus, vt quæ dicant Apostoli, pacatè explicent non tumore Pharisæo, nec bili hæretica. Victum pacatè Nathanaelem scio, etsi legis peritum hominem. Miratur ille se Christo notum *Ioan. c. 1. n. 48.* & Christus, *cùm esses sub ficu vidi te*, &c. vbi Nathanael conuicium Christo dixerat. *A Nazareth potest aliquid boni esse*, &c. *num. 46.* Victus à Magistro pacato Nathanael ait, *Rabbi, tu es filius Dei*, &c. Ita nesciens rerum Nathanael fidem præstat ad vocem Christi simplicem? vnde tanta Christo vis est ad victoriam de Hebræo legum perito? Sciebat Nathanael se Christo conuiciatum; nec posse conuicium Magistro obscurum esse, qui susurronem cum Philippo viderat vmbram sub ficu, & auram captasse. Inde collegit benè, Christum veri magistrum esse, qui acerbè morsus, non morderet susurronem, sed laudaret: *Ecce verè Israelita*, &c. *n. 47.* Chrysostomus Hom. 29. in Iohan. c. 1. *Ex quo maximè illum sibi conciliauit, cùm ex eo non reprehendit, sed laudibus prosecutus est*, &c. Hoc scilicet diuinæ sapientiæ argumentum est, pacatè agere, & vrgere, non contentione, sed ratione.

Sapit benè, qui docet pacatè. Iacob. 3. n. 7.

Veri Magister pertinax suo cerebro non est. Apoc. 10. n. 2. & cap. 1.

Gen. 9. n. 13.

Vincit facilè qui pacatus in docendo est. Mar. 9. n. 49.

Ducit auditores, qui non irritatur iniuria Magister.

2. Longè aliud profana sapientia: quæ quidem laborem, ac dolorem gignit fortasse vi contentionis, *eò quòd in multa sapientia multa sit indignatio*, &c. *Ecclesiast. c. 1. num. 18.* Indignatur facilè, ac debacchatur Philosophus, vtpote qui superbè tumeat, & contentione malit, quàm ratione agere, quidquid agit in senatu Philosophico. Hæc Iacobo sapientia est diabolica, vtpote quæ superbè contendat vinci non patiens. Sic Magnus Gregor. 3. p. Pastor. c. 23. *Sæpe* (inquit) *dum quosdam maior scientia erigit, à cæterorum societate disiungit, & quo plus sapiunt, ea à concordiæ virtute desipiscunt*, &c. inde turpes Philosophica in schola contentiones. Procul hæc à vera Dei schola, quæ non contendit immodestè, sed monet pacatè; quidquid veri sub obscuro, & quidquid sub vero, falsi lateat. Ne, si contendat voce absurda, credatur animum despondisse. Quò pertinet Theodericus *lib. 1. Epist. 27.* vbi victum causa probat hominem, qui magistrum quatit impudens. *Quando ad iniurias tunc prosiliunt, cùm se superatos turpiter erubescunt*, &c. In palæstra literaria vincit gloriosè pacata ratio, non vis bilios a. Hæc tamen Festo vis, vt vocem contenderet, & Paulum carperet. Act. 26. n. 24. *Festus magna voce dixit: Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt*, &c. Disputat Apostolus de fide, ac religione: tonabat Pericles, & fulgurabat Demosthenes, ea vi dicendi, vt victorem in aula Paulum renuntiaret bilis aliena: victum se à Paulo Festus probat, cùm vocem intendit, & contumeliam irrogat. *Quando ad iniurias tunc prosiliunt, cùm se superatos turpiter erubescunt*, &c. id in Christo malè pulsato videre est. Longam Magister disputationem texit de veri schola, de boni via, de peccati fuga, Iohan. 8. à n. 31. ad n. 47. *Ducebat ergo Iesus*, &c. Inibi rem tot argumentis versat vt tandem colligat: *propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, &c. Quid auditores aduersùs Magistrum? n. 48. *Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* &c. Probris, non argumentis secare conantur neruos rationum, quibus satis non possunt facere. Rupertus egregiè lib. 9. in Iohan. *Igitur, quia causa ceciderunt, & ratione superati sunt, furiosè ad conuitia proruunt. Quo modo si Athletam fortissimum victus, & solo deiectus aduersarius, quia ferire non potest armis, petat spumosis dentibus*, &c. Hac arte pugnat Hæreticus. Aliter agas, scitè monet Augustinus lib. 4. ad Cresc on. c. 3. *Certè* (inquit) *in collatione disputationis hoc cauendum est, ne prorumpatur in litem; id caueri à modestis, & mitibus & potest, & solet*, &c. Vincat ergo ratio, non contentio; vincat sapientia, non contumelia; nec Christianus agat Philosophus, quod aduersùs Achiorem egêre irati magnates Holophernis, dicentes, *Quis est iste?* &c.

Quæ malè inflat sapientia, erudit concordiam.

Altè magister clamat, qui argumento vincitur.

Act. 29. n. 24.

Ioan. 8. n. 47. 48.

Christum veri magistrum auditor carpit, vitius momentis virtutum.

Ratione vincendum, non contentione.

Num 28. Vt ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, &c.

Num. 29. Vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchdonosor Deus terræ est, &c.

Commentarius.

PAtet liquidò, quid textus habeat; magnos scilicet Duces auribus parum æquis accipere laudem alienam de virtute bellica, vtpote quæ magno sit in pretio. Lego placuisse Apostolo artem militarem, qui Duces magnos cum viris sanctis, & patientiæ alumnis miscet, *ad Hebr. cap. 11. n. 8.* Abramum laudat; Moysen in proximo, tandem viros alios fide, & patientia nobiles. Deinde apponit Duces manu bonos, & consilio. *Fortes*

102.

Hebr. 11. n. 34.

facti sunt in bello,&c.*num.* 34. Hæc enim belli facinora, & ad fidem sacram pertinent. *Qua vt magna molitur, ita maxima quaque tolerat*, &c. sic Athanasius. Quid si & Deo, exercituumque Domino placeat virtus bellica? Puto, vt accendantur homines ad artem rectè colendam, Dauid, & Iudas commendantur sacro textu. quod notat Abulensis quæst. 5. in 2. Reg. cap. 23. *Ideo Scriptura tradit illos nobis imitabiles laudando. Nam virtus laudata crescit*,&c.

Magni viri est agere, & pati.

Laudata sacro textu virtus bellica.

103. Opponas. Id si verum est, cur Ioabus militum Princeps non est in albo virorum fortissimorum, vt laudatus sacro textu Ioabos gignat alios, commendatione virtutis masculæ? 2. *Reg. citato num.* 8. Sed occurrit bene Rupertus lib. 2. cap. 37. in libros Reg. *Porrò Ioab effuderat sanguinem belli in pace; id est, in pacis simulatione*, 3. Reg. 2. num. 5. *Rectè ergo in numero fortium Dauid conscriptus non est*, &c. Hæc tantùm grata Deo virtus est, quæ viribus, non fraudibus nititur ad re bene gerendam.

2. Reg. 23. n. 8.

Grata militum virtus, quæ dolo non agit.

104. Quid ergo mirum, si Duces Assyrij artem militarem tanti faciant, vt ferant ægrè laudes virtutis Iudaicæ? nec fidem patrono præstent, sed inferant; *vt ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos*, &c. Vnde constat Ducem strenuum mori potius, quàm cedat, laude militari, quippe qui de virtute cum Marte contendat.

105. Inde nata Iosepho occasio, vt sine Iuda pugnaret infeliciter 1. *lib. Machab. c.* 57. scilicet ferebat ægrè miles strenuus prælatum sibi Ducem, quo cum certabat, de laude bellica: patet ex dictis ad Azariam Ducem num. 57. *Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus Gentes*, &c. Nolunt viri fortes virtutis alienæ spectatores adesse: & hæc persæpe via est, vt contendant inter se de primatu laudis bellicæ. Irruit in Annibalem fortiter Latinus miles, accensus facto alieno subsequitur & Romanus, illud ingerens, *Absit istud dedecus à nostro sanguine, vt Romani gloria cedere Latinis velint*, &c. apud Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 2. Quare miror ego pati Banaiam posse, vt viros sibi alios præferret Dauid, illud ingerens 2. Reg. c. 23. num. 23. *Verumtamen vsque ad tres non peruenerat*, &c. Quid bone Dauid? Banaiam laudas, an carpis? si carpis, laude mutilata, cur laudas? si laudas, virtute commendata, cur viros viro alios anteponis? Sed responsum ab Abulensi est, q. 7. *Cùm gesta istorum fuerint inæqualia, voluit Scriptura laudare illos inæqualiter*, &c. Virtus est suum cuique ius tribuere, quod obseruat Dauid, vt quam quisque meretur laudem, colligat. Rectè Abulensis monet; sed non est, qui prælatos sibi Duces ferat virtute bellica, nisi ferat sententiam Princeps, & Vates. *Sedens in cathedra sapientissimus*, &c. *num.* 8. qui æqua trutina virtutem pensitet alienam. Minus id ferat Eliabus, à quo frater Dauid carpitur 1. Reg. c. 17. num. 8. *Ego noui superbiam tuam, quia, vt videres prælium, descendisti*, &c. Sciebat Eliabus, quánam Dauid esset virtute, ad rem bene gerendam: vnde metus Eliabo ingens, ne Dauid, hoste victo, laudem auferret ampliorem de virtute bellica. quod aduertit Chrysostomus Hom. 46. in Gen. *Fratres* (inquit) *eius, non ferentes fortitudinem spiritus, prouocati sunt in*

2. Reg. 23. n. 23. & 8.

Laudes partitur Deus iusta mensura.

1. Reg. 17. n. 8.

Fratribus mouet inuidiam fraterna virtus.

inuidiam, &c. Quid si Duces Assyrios vrit inuidia, cùm dolenter ferant laudari virtutem bellicam gentis Iudaicæ? temerè in hasce laudes erumpit Achior, si ea via odium sibi, & pestem contrahit, *vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est*, &c. *num.* 29.

Non agnoscunt Duces alium præ Merodacho Deum, vtpote qui virtute præstet bellica, & terram vniuersam Assyrio premat imperio. Putat Lyra Duces Assyrios ineptè locutos cum Philosophis, qui cælo claudunt prouidentiam magni Dei, scilicet, vt Deus cælo imperet, Regibusque deferat curam rerum humanarum, de quibus minus ipse curet, imò nihil. In hac thesi Iobum fuisse voluit Eliphazus cap. 22. num. 14. *Nubes* (inquit) *latibulum eius; nec nostra considerat*, &c. Sed improbus in Iobum, & impius in Deum Themanites est, qui à Deo tollit prouidentiam rerum humanarum; quasi Deus, nube interposita, summa curet, ima negligat. Certè Epicurus Deum ponit *otiosum, in exercitum, & neminem humanis rebus*, &c. sic Tertullianus *Apologet.* 47. Aristoteles Deum Angelis prouidentem cælo claudit, nec ad homines deducit. quod notat Clemens Alex. 5. *lib. strom. cap.* 6. Quidquid neget Suares *in Metaph. disp.* 30. *sect.* 15. Accedit Theodoretus, & pungit Aristotelem ad lib. 6. de curat. Græc. *Aristoteles* (inquit) *Lunatenus, putauit Dei prouidentiam rebus præesse*, &c. Qui hac thesi fallunt, abundè videas *parænet.* 5 3. Homines Seneca vt ingratos notat, qui à Deo auferunt rationem prouidendi in vltimo etiam terrarum angulo, ad lib. 3. de Benef. cap. 3. *Dij* (inquit) *omnium rerum optimi Auctores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseuerant. Alius illis obiicit negligentiam nostri, alius iniquitatem, alius illos extra mundum suum proiicit, & ignauos, hebetesque sine luce, & sine opere destituit*, &c. Fortasse Græca Philosophia suam firmauit thesim ex Eliphari cogitatu: etsi Clemens Alex. docet Aristotelem errandi occasionem percepisse ex *Ps.* 35. *num.* 6. vbi Dauid, *Domine* (inquit) *in cœlo misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua*, &c. quasi Deus cœlo clausus terrarum curam solidam Regibus deferat. An hæc Plinio adulandi accasio ad Traianum? Rerum (inquit) humanarum imperium tibi Iupiter demandatum voluit, vt interquiesceret. *Quibus nunc per te liber, solutusque cælo tantùm vacat*, &c. *In panegyr.*

106.

Iob 22. n. 14.

Ineptè docent, qui prouidentiam à Deo tollunt.

Ps. 35 n. 6.

Exciderat Plinio, & Philosopho, Deum à videndo, & prouidendo appellatum esse. θεὸς enim est, à verbo θεάομαι, quod est *video*, & probat Salmer. *tom.* 3. *tract.* 1. Sed mentem hausit à Dionysio, quippe quiad lib. de diuinis nominibus, *Deus* (inquit) *Græcè* θεατὴς, *quòd prospiciat cuncta prouidentia*, &c. Feliciores in philosophando homines, qui Iouem ternis oculis adornarunt, & adorarunt, (quod Pausanias tradit in Corinthiacis) vtpote qui perui-deret, ac prouideret, quidquid cælo, terrâ marique ageretur. Sed & Clemens Alex. 7. *strom. cap.* 1. docet res hominum à Deo oculato dirigi, scilicet à ratione Dei intima. *Nunquam enim à sua recedit specula Dei filius, tota mens, tota lux paterna, totus oculus*, &c. Nec quidquam cœlo, terráque abditum est, quod Mag-

107.

Quidquid rerum est sua Deus peruidet prouidentia.

nus

Cum Patre Deo filius semper agit de rebus hominum.

nus Deus non inspiciat, vt sua dirigat prouidentia. Vide Pined. *tom.2. in Iob cap.22. n.14.* Abeant,& taceant Duces Assyrij,quibus *Nabuchodonosor Deus terræ est*, &c. & à Magno Deo curam ablegant rerum humanarum. Illud ego puto Regem terrarum Deum à Ducibus appellatum, eo quòd terram armis subegisset.

Hac arte Pollux,& vagus Hercules
Innixus arces attigit igneas,&c.

Horat. *lib.3. Ode 3.* Hac via & Romulus abiit, vt Deus fieret.

Bellicus à telo venit in astra Deus,&c.

Deos conflecrat virtus bellica, Gentilissmo adulatorio.

sic Naso 2. *Fast.* Mitto, quos Cerda Reges ab hominibus Deos, & factos, & cultos esse docet,commendatione virtutis bellicæ : lege Magistrum *Eclog. 1.* Quod sibi nomen bello partum voluit Magnus Alexander:nam,hoste excusso,regnóque Persico latè potens,*non salutari, sed adorari se iubet*, &c. apud Iustin. *lib.12.* quo fastidio Curtius, *Iouis* (inquit) *filium non dici tantùm se, sed & credi volebat*, &c. Nata igitur è gentilissmo assentatio Assyrios egit, vt Regem terrarum Deum transnominarent.

108. Addunt tamen, *& præter ipsum alius non est*,&c. quo affectu Nabuchodonosor abundè impudens videri potuit,vt diuinitate vsurpata,socium non ferret. Melior hac parte Iupiter(vt clauum clauo trudam,)quippe qui sinit Deos alios cœlo,terra, marique haberi, coli, nec detractum sibi honorem putat, quem

Non inuidet virtus magna.

Diis aliis additum agnoscit. *Neque enim licescere fas est,aut nocuisse Deos*,&c. Infert Iupiter *ad 3. de raptu.* Inde Theologus argumentum construit, vt Diuinitatem æquè tribus personis communicatam adstruat. *Vnitate nimirum ob diuitias mota*, &c. *Orat. 13.* Longè à bono Patre inuidia est ; ac proinde pares sibi, & personis aliis opes inesse amat. Quid si & suam Adamo fortunam communicat? Gen.1. num. 27. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creauit illum*,&c. Pulchrè, & scitè repetit, vt noris Deum inuidia non flagrare, sed honore communicato socium velle hominem. *Arguit locus iste superbiam hominum,qui nolunt hominem sibi similem, aut æqualem habere*, &c. sic Oleastrius. Vnde non Dij boni, sed vani homines ; quo elogio notes Assyrium æquum est.

Largitur natura duce Dei bonitas.
Gen.1. n.27.

CAPVT VI.

Num. 1. Factum est autem, cùm cessassent loqui,indignatus Holophernes vehementer dixit ad Achior.

Num. 2. Quoniam prophetasti nobis dicens, quòd gens Israël defendatur à Deo suo, vt ostendam tibi, &c.

Num. 3. Cùm percusserimus eos omnes, sicut hominem vnum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis,&c.

Commentarius.

AVDIT Holophernes indignanter, quod viri magni dolenter audierant, Hebræum scilicet bello victorem fore, si Deum haberet propitiũ. Non tamen Princeps militum iras proflat, nisi poitquam Duces acerbè iratos videt, ne imprudens abeat in partem, quam non probent multi, magnique homines. Sed non semper sanum multis in hominibus consilium est : quod monet Syracides *cap.6. num.6.* illud ingerens, *Consiliarius sit tibi vnus de mille*, &c. Pauci enim sunt homines,quibus fidas cautè, pauciores verò quos scitè consulas. Corrumpunt consilium rationes adulandi,occasiones dolendi, quo morbo laborant Duces Assyrij, & inde suo Holophernem perdunt consilio. Id ego non disputo, ne actum videar agere. Vide commentarium *ad cap. 2. num.4. & paranet.7.* I.

Eccl.6.n.6.

Sed expendo libens, quam sibi pestem conciliauerit Achior,licèt consultus suo consilio. Holophernes enim *indignatus vehementer*,stomachum euomit in Consiliarium,& risu Vatem excipit num.2. *Quoniam prophetasti nobis*,&c. Additque minas graues num.3. *Tunc & ipse Assyriorum gladio interibis*, &c. Sic veri amans consultor aut contemptum sibi parit,aut odium, & sapiẽtis probata gnome est, Prou.cap.9. num.7. *Qui derisorem erudit, ipse sibi iniuriam facit;& qui arguit impium,ipse maculam sibi generat*,&c. Nam,pro macula, vox Hebræa מאום *Mum*, *contemptum* sonat. De genio est humanæ superbiæ Consiliarium risu excipere, ac derisu. Læsus hoc malo Ioannes est,& ab scribendo abstinet Epist.3.ad Caium num.10.*Scripsissem Ecclesiæ*(inquit,) *sed is,qui amat primatum gerere in illis, Diotrephes, non recipit nos, verbis malignis garriens in nos*, &c. Putant boni interpretes blateronem mutato nomine Diotrephen, quasi Iouis nutritium, bene significatum; solent enim homines superbè tumentes ridere Consiliarium, quasi Iouis nutritius consilio non egeat.Vtrumque miscet Holophernes, & contemptim Achiorem haber,& minas parat bardus,& barbarus. An bonus Consiliarius fustem, restimque meretur?

2.

Veri Magistet aut contemptum sibi parit, aut odiũ.

Prou. 9. n. 7.

Contemnit homines cateros, qui se Diis parem ineptè putat.

Ioan. epist.3. n.10.

Certè consulere, & mox respondere licebit,

addit Horatius *lib. 2. Satyr. 3. Sed non recipit stultus verba prudentiæ*,&c.*Prou. cap.18. num.2.* & inde stomachatur, debacchatur, grassatur improbè,Darius in Charidemum,apud Curt. lib. 3. Xerxes in Artabanum, apud Herodotum *lib. 7.* Holophernes in Achiorem ; vera enim Consiliarius quisque, *& suæ sortis, & Regiæ superbiæ oblitus*, vera dixit,& mala tulit. Nec satis est euocari hominem in Concilium, vt sit dicendi libertas.

Prou.18.n.2.

Laborabat hac inuidia Michæas genio bonus,& consilio. Euocatur ab Achabo Vates, vt dicat liberè de belli alea,*ad 3. Reg. cap.22.* sic enim Princeps ad aulicum,*Festina*(inquit) *adducere Michæam*,&c.*num.9.* Adest Vates,& acerbum, sed verum edit oraculum : *Dominus locutus*

3.

3.Reg.22.n. 9.23.24.27.

locutus est contra te, &c. *num.* 23. Pro oraculo tulit Michæas & colaphum à Sedecia,& carcerem ab Achabo. *Mittite*(inquit)*virum istum in carcerem,& sustentate eum pane tribulationis*, &c. *num.*24. & 27. Conueniunt Principes Ieremiam , precantur obnixè , vt edicat liberè, quid Deus velit,Ierem.cap.42.num.1. *Accesserunt omnes Principes*,&c. Promittunt se facturos,quidquid Vates monuerit,*siue bonum, siue malum , voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te,obediemus*,&c.*num.*6.Cùm tamen Ieremias,Deo consulto,verum diceret, indignanter id ferunt Principes, cap.33. num. 2. *Dixit Azarias , & omnes viri superbi ad Ieremiam: Mẽdacium loqueris*,&c. Spes erat hominibus, vt Ieremias adularetur ; sed spes mentita stomachum detegit. *Non dubium , quin aduersùs istum insanierint ; quemadmodum insanierunt aduersùs Michæam*,&c.hæc Rupertus *lib.*1. *in Mich.*Sciebat quidem Michæas,quod nam se in periculum abiicerer, si verum diceret ; virtutem à Deo exposcit loquendi liberè. *Ego* (inquit)*repletus sum fortitudine spiritus Domini, vt annuntiem Iacob scelus suum*,&c. *Mich.c.*3. *num.* 8. Quid enim Vates Deo fretus non auderet? & quid auditores veritatis impatientes non agerent , vt Vatem perderent? Pulchrè à Valerio Maximo dictum est , libertatem veri dicendi parcè,& cautè vsurpari oportere;*nam vulgi auribus gratior , quàm sapientissimi cuiusque animo probabilior est , vtpote frequentiùs aliena venia,quàm sua prouidẽtia*, &c. *lib.*6.*c.*2.

Ier.42.n.1.6. & 43.n.2.

Nemo non mordetur veri aceto licèt magistrum consulat.

Mich.3.n.8.

Tuta dicendi libertas affectu alieno.

4.

Fallor ? an timet Ieremias,ne malè pereat, si verum dicat vel rogatus à Sedecia ? Vatem Princeps in aulam accersit.*Misit enim Rex,& tulit ad se Ieremiam*,&c.*cap.*38.*num.*14. Deinde inuitat hominem vt verum,Deo consulto, reddat oraculum.*Interrogo*(inquit)*ego à te sermonem*, &c. Sed cunctatur Ieremias periculi metuens, & illud inferens.*Si annuntiauero tibi,nunquid non interficies me*,&c.*n.*15. Quid Ieremia times ? Si Princeps rogat , verum scire auet?ac proinde nullum est periculum.Negat id Vates.Nam Princeps etsi veri amans, cùm audit , veri morsu pungitur , læditur,deinde stomachatur , debacchatur. Verberat aures, vulnerat animos veri dicundi libertas, *vtpote frequentius aliena venia , quàm sua prouidentia, tuta*,&c.

Ier.38.n.14. & 15.

Ladit & consulentes veritas.

5.

Scientes ergo rerum Vates,si quid veri instillandum esset in aures Regum molles , id scena tegebant composita. Inde Nathanus Regem pungit argumento constructo raptæ ouiculæ 2.*Reg.cap.*12.*n.*2. sciebat enim Vates certò Reges indignari , ac debacchari facilè, veritate rerum liberè explicata.Sic de Nathano Chrysostomus ad Psalm. 50. *Intrauit portans gladium , vt vulnus secaret ; sed infirmanti non ostendit , ne abhorreret medicinam* , &c. Et quis nam Vates ille alius , qui Achabum vrget, & carpit de hoste malè seruato?*ad* 3. *Reg. cap.* 20. *num.* 39. Inibi Vates argumentum componit, de hoste in custodiam accepto , ac per negligentiam elapso,ne Princeps veri impatiens monitorem submoueret à se longè. *Velat Propheta simul & faciem suam, & negotij narrationem , vt & ipsi contingeret potestas dicendi,quæ volebat* , &c. Chrysostomus iterum *Orat.*1. *aduersùs Iudæos.* Nuda in Consiliario veritas negotium perdidisse visa est apud Holophernem. Hac & Achior via perit , Duce minante:*Tunc & ipse Assyriorum gladio interibis*,&c.vide *Paranet.*9. *ad cap.*5.*n.*4.

2. Reg. 12. n.2.4.

Temperandum veritatis acetum,ne pungat.

3. Reg. 20. n.39.

6.

Vnum illud adhuc premo , Achiorem minis pulsatum,& verbis prociſſum tacuisse.An silentio Holophernem taxat?quippe qui malè adimat Consiliario libertatem veri dicundi? more id barbaro:quod Ambrosio placet.*Neque enim imperiale est libertatem dicendi negare*,&c. *Epist.*29.*ad Theod.* Lego Theodericum eo elogio commendatum,de quo Athalaricus apud Cassiodor.lib.8. Epist.9. *Patiebatur inuictus ille præliis, pro sua fama superari , & dulcis erat iusto Principi rationabilis contrarietas obsequentis*, &c. Hanc terunt viam Reges optimi, non Holophernes,quo minante silet Achior. Sed puto silentium aliquando increpatorium esse rerum pessimarum. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam* , &c. & nota est gnome *Prou.c.*26.*n.*4. quæ silentium imperat increpatorium insani cerebri. Hanc loco animam inesse putat Cyprianus, vbi Demetrianum silentio grauius , quàm responso mordendum probat. *Oblatrantem* (inquit) *te , & aduersùs Deum ore sacrilego , & verbis impiis obstrepentem frequenter Demetriane contempseram verecundius,ac melius existimans errãtis imperitiam silentio spernere quàm loquendo dementis insaniam prouocare:nec hoc sine diuini magisterij auctoritate faciebam, cùm sit scriptum* Prou. loco citato,*Ne respõdeas stulto iuxta stultitiam suam*, &c.*ex tract. ad Demetrian.*Qui tacet,obloquẽtem vincat facilè, cùm despexerit.Hoc morsu carpit Helicidium Hieronymus. Abstinuerat enim à rescribendo, diuturnúmque silentium seruauerat. *Ne respondendo dignus fieret , qui vinceretur* , &c. Hoc fortasse consilio tacet Achior,& duriùs silentio tundit oblatrantem Holophernem;quasi neget ingratum Deo cauillatorem respõso dignum esse. Discas igitur

Prou.26.n.4.

Laudatur alitè Princeps veri patiens.

Silentium aliquando increpatorium.

Silentio contemptus claudit.

Parænet. I.

Silentium cauillantibus responsum grauius esse.

1.

CVm res id postulat , silendum in loco est : ne te putes causa victum,si prudens obtices,cùm blatero nimis obstrepit. Silentio vincit Harpocrates coaxantem ranam , & quod pudor est , responso obterere , silentio rectè vincas. Silentium sibi Deus imperat, ductus in aulam,raptus ad iudicem. Multa, & fœda opponunt delatores. Vnde sua Pilato vox est Matth.27.n. 13. *Non audis quanta aduersum te* , &c. Sed constans suo in silentio Christus est,*& non respondit ad vllum verbum*, &c. *n.* 14. Fortiùs multo respondisse visus est, qui immerenter accusatus responsum non reddit, silentio refutans accusationem indignissimam. Rectè Augustin. serm. 118. *Taceat lingua,necesse est,vbi ipsa veritas sibi adest;sciuit enim Saluator , quo modo tacendo vinceret , quo modo non respondendo superaret* , &c.Plura Augustinus ; sed hæret Ambrosio *in Luc. lib.*10. Feliciùs respondet , qui tacet , vbi sana est conscientia:quæ honestiùs reum tuetur , dum tacendo contemnit morsus obloquentium.

Matth. 27. n.13.& 14.

Victrix aliquando taciturnitas.

Tuta

2. Tuta silentio merces est, & certa victoria, quod Michæas docet raptus in ergastulum.

3. Reg. 22. n. 27. & 28. Vrget Achabus 3. Reg. c. 22. n. 27. *Mittite virũ istum in carcerem*, &c. Raptus à lictore Vates, Regem quidẽ pungit oraculo; *si reuersus fueris in pace, non est locutus in me Dominus*, &c. *n.* 28. sua iniuria non agit, sed addit, *Audite populi omnes*, &c. Sic Michæas parat auditorium, & sermone intermisso tacet. Satius tacere, quàm loqui putabat, cùm affectus iniuria loqueretur: & quamuis naturâ duce ad loquendum inuitatus, addiderit: *Audite populi omnes*, &c. Vocem contraxit, & sermonem intermisit, contumeliam refutans silentio. Nam, quod Magno Gregorio notum est, *Glorioſius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare*, &c. *Hom.* 18. *in Euang.* Monet Magnus Basilius vincendum silentio conuitiatorem esse: quo grauius pulsetur, quàm tristi responso. *Contumeliam* (inquit) *iratus intulit: vince, & amoue silentio malum: certè si despexeris, acriùs illum vindicas*, &c. *ad Hom. de ira.* Addit Tertull. de Patientia c. 8. *Fatigetur improbitas patientia tua: plus improbum illum cædis sustinendo*, &c. Prudens admodum Saul in regni auspiciis, & comitiis. Fuere quidem homines, qui de Saule iam Rege dicerent 1. Reg. c. 10. num. 27. *Nunquid saluare nos poterit iste?* &c. Sed Princeps regno aptus, & natus, *Dissimulabat se audire*, &c. Græco textu: ἐγενήθη κωφεύων, *factus est obmutescens*, &c. Prudentiæ id est Regiæ, multa dissimulare, multa silere, ne affectus iniuria cogatur iniuriam regere. *Hæc enim tacendi prudentia respondet tribus iniuriis*, &c. Monet Caietanus; quasi velit optimum respondendi genus tacendi consilium esse.

Tacet prudẽs quisque tactus iniuria.

Silentio conuitiantem punis grauius.

1. Reg. 10. n. 27.

Respondet grauiter sapiens taciturnitas.

3. Luc. 10. n. 40. Magdalenam soror pungit, Magistrum piè interpellans, Luc. 10. num. 40. *Non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare?* &c. Sed Martham criminantem ridet soror, dum tacet. Prudens admodum Magdalena, quæ tacendo cauillos auertit feliciter, Deo patrocinante. Tacet calumniæ patiens, quia secura mentis integræ. Tacet & Ieremias, qui pro oracuło tulit colaphum, tulit & ergastulum. Cùm enim Vates Dei sermones sereret, & insereret in aures hominum, cap. 20. num. 2. *Percussit Phassur Ieremiam Prophetam, & misit in carcerem*, &c. Nihil Ieremias grauiter offensus queritur, nihil omnino loquitur, dum in neruum trahitur: sed extractus è neruo Ieremias Phassurum pungit liberè: *dixit ad eum Ieremias*, &c. *num.* 3. Satis ostendit Vates, quo magistro vteretur, qui maledictis, factisque affectus silentio tacet, plusquam cereali, vt se iniuriæ victorem ostendat. *Aduertenda Prophetæ patientia, atque prudentia; quòd missus in carcerem tacet, & silentio vincit iniuriam*, &c. Hæc à Hieronymo. Quid sic hac vna laude fruitur Achior, vt probro affectus abundè prudens taceat?

Tacet feliciter victrix innocentia.

Ier. 20. n. 2. & 3.

Hostem vincit iniuria patiens.

4. Si Achior verè Iudæus esset, putarem ego tacendo curasse hominem, vt ne Holophernes in Deum liberiùs diceret; scio enim hanc persæpe fuisse rationem tacendi viris optimis. Tacuit Cyprianus, diuturnóque silentio Demetrianum repulit, *verecundius & melius existimans errantis imperitiam silendo spernere, quàm dementis insaniam respondendo prouocare*, &c. *loco citato.* satis insinuans solui impudentes homines in Dei iniuriam licentia disputandi. Vanos Rabsaces Deos laudabat improbè, ac de vero Deo malè opinatus obtrudebat Isa. c. 36. n. 18. *Nec conturbet vos Ezechias, dicẽs: Dominus liberabit nos: Nunquid liberauerunt Dij Gentium, vnusquisque terram suam*, &c. Fœda est verum in Deum contumelia. Non tamen obloquitur Senatus Iudaicus, & *siluerunt, & non responderunt verbum*, &c. *n.* 21. Silentium imperauerat Ezechias, sano consilio, quod obseruat Procopius. *Nihil ad blasphemias istas Rex pius responderi passus est, ne ad maiores prouocaret*, &c. Mederi se credebat Ezechias probris in Deum iactatis, si Iudæus tacendo occasionem Assyrio subtraheret detrahendi. Multis egere hostes, vt Iudæus bello captus, ad Euphratem scitè caneret; quod saluis Ierosolymis cecinerat; sic enim vrgent, *Hymnum cantate nobis*, &c. *Ps.* 136. *n.* 3. Negat Hebræus pertinaciter, illud subiiciẽs n. 4. *Quo modo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* &c. scilicet id Hebræo non licet, procul à patria formare diuinum carmen tormentis musicis. Piè Iudæus facit, ne legem frangat, cùm hostes cantionem poscerent, Hugone interprete, *Tentantes, ac deridentes*, &c. quasi vellent de sacris hymnis ludos facere. Quid ergo mirum, si neget Hebræus, *Quomodo cantabimus?* &c. Pulchrè Euthymius, *& consonat dicto illa Christi verba: Nolite sanctum dare canibus*, &c. *Matth.* 7. *n.* 6. quod Interpretes capiunt de vera, sanáque sapientia; & negant hominibus peruicacibus explicandam esse, ne, quod non percipiunt, malè carpant, cum summa Dei iniuria. Tacent igitur capti Ierosolymis homines, vt tacendo occasionem Chaldæo tollant malè de bonis rebus opinandi, & loquendi.

Isa. 36. n. 18.

Qui tacet, obloquentibus occasionem subtrahit obloquendi.

Ps. 136. n. 3. & 4.

Satius tacere est quàm ridentibus sacra succinere.

Matth. 7. n. 6.

5. Scio Christum auditorio sanctè instructo, sed Iudæo malè animato, subtraxisse se se, & Galilæam petiisse. Quid Magister docuerit, habes *Ioann. c. 5. n.* 19. ad imam vsque lineam. Quòd se ab auditorio abstraxerit, patet ex *c.* 6. *n.* 1. Inibi Ioannes, *Post hæc* (inquit) *abiit Iesus trans mare*, &c. An metus Christo est de contemptu diuinæ sapientiæ, si perseueret Magister explicare? Aio. Abit igitur, & Pharisæos deserit, ne, si pergat docere, occasionem inde sumant homines doctrinæ carpendæ. Scitè Chrysostomus, *Maledicos* (inquit) *& feros, repugnando, magis exasperamus, cedendo, mitigamus facilè, & eorum mollimus insaniam, ideo Christus abiit*, &c. *Hom.* 41. Doleas igitur, si te loquente, vel agente, homines alij capiant impetum obloquendi, & oblatrandi per summam Dei calumniam: vnde nata Iobo occasio dolendi, ac dicendi, *Pereat dies, in qua natus sum*, &c. *c.* 3. *n.* 2. Aderant amici Reges: sciebant, quid Iobus fecisset, oppressis liberis. *Scidit enim vestimenta sua*, &c. *c.* 1. *n.* 20. Videbant quo in loco amicus esset, *& non loquebantur verbum*, &c. *c.* 2. *n.* 13. suspicatus, quod erat, Iobus ex Regum obstinato silentio; homines scilicet malè de viro amico, ac bono Deo opinatos, ac subinde locuturos: quod opponit Deus cap. 42. n. 7. *Non estis locuti, coram me, rectum*, &c. Dolet Iobus, & dolorem altè pressum

Ioan. 5. n. 19. n. 6. n. 1.

Truditur calumniator taciturnitate seruata.

Iob 3. n. 2. & 1. num. 20. & 2. num. 13. & 42. n. 7.

sum exprimit ea voce, *Pereat dies, in qua natus sum*, &c. In loco Anastasius Nicæn. ad q. 39. *Propterea tadebat Iobum viuere, vt qui aliis inuentus esset causa peccati*, &c. Video, quo Iobus ore tonat, vt amicis præscindat occasionem oblatrandi, Maiestate Dei læsa. An hac mente silet Achior acerbè tactus, quòd Hebræum Deo placato, inuictum dixerit? Potuit quidem Ammonites affectu Iudæus tacere, vt Holophernem latè furentem leniret, & malè cauillantem sedaret.

Dolet iustus, quòd hominibus sit aliis occasio peccandi.

Num. 4. Et probabis, quoniam Nabuchodonosor Dominus sit vniuersæ terræ: tuncque gladius, &c.

Num. 5 Porrò autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, & pallor, &c.

Commentarius.

7. PEr stat Holophernes in Rege laudando, & Duce premendo. Quid possit Nabuchodonosor, iterum explicat; vbi hominem appellat terrarum Dominum. Sic Horatius Romanos commendat Imperatores, ac *Terrarum dominos euehit ad Deos*, &c. lib. 1. Ode 1. Nec Virgilius dissidet *lib.* 1. vbi dicit, *Romanos rerum Dominos*, &c. Vide, si placet, quid in loco Cerda, quid Raderus ad Martial. 8. *Epig.* 2. Inibi enim Epigrammatistes blanditur Domitiano, *Terrarum Domino, Deóque rerum*, &c. Inde colligas Principes bello nobiles, & terrarum, & rerum dominos, Deosque vocari solitos. Credebat Holophernes patere armis Assyriis, quidquid vbique terrarum, ac rerum esset; quare Nabuchodonosor adulationibus Dominus, ac Deus erat. Minus est quod in aula Gethæa Dauid audit, sed eodem fortasse aspectu dictus *Rex terræ*, &c. 1. *Reg.* 21. *num.* 11. scilicet Hostis felicem agnoscit Ducem, qui terram armis concuteret, Auctore Abulensi q. 25. *Viderant Dauid Principem esse omnium bellorum; ideo reputabant eum, tanquam Regem*, &c. Hominem vtique hominum felicissimum, *Rex sum* (ait Lycus) *si ego illum hodie hominem allexero*, &c. Hæc à Plauto *in Pœnu act.* 3. Ad litem igitur: Nabuchodonosor armis potens, Holopherne adulante, *Dominus est vniuersæ terræ*, &c. Quidquid neget Achior, suo tamen, grauique malo: quod Holophernes minatur n. 4. *& confixus cades*, &c.

Duces bello nobiles terrarum domini.

1. Reg. 21. n. 11.

Dux bello felix Rex appellatur.

8. Ad hasce minas Achior non respondet: Prudens admodum, quod proximè disputatum; & laudat Euripides. Si qua enim Plutarcho fides est, ad libr. de vitioso pudore, *Silentium sapientibus dixit Euripides responsum esse*, &c. Nec aliud à Iobo responsum abstulit, quàm silentium Buzites ille tumentis animi, licèt petierit, ac repetierit. Nam *c.* 33. *n.* 32. Iobum vrget, *si habes, quod loquaris, responde mihi*, &c. Deinde addit c. 34. n. 33. *Si quid nosti melius, loquere*, &c. Iobus verò ne verbum quidem reponit. Quippe quod, *pretiosi spiritus vir eruditus*, &c. *Prou.* 17. *num.* 27. Hebraicè, *frigidus spiritu vir intelligentiæ*, &c. Et verò, qui maledictis pulsatus friget ad respondendum, & obloquendi calorem extinguit, magister est sani, magníque cerebri. Hac mente Achior siluisse visus est, *paranet.* 1.

Iob 33. n. 32. & 34. n. 33.

Pr. 17. n. 27. *Qui dicto pulsatus non respondet, alsè sapit.*

Illud tamen ex loco genuinè elicio, tacuisse præ metu hominem. An Achior metum animo conceptum vultu pallente signabat? Id quidem Holophernes obiicit n. 5. *& pallor, qui faciem tuam obsidet, abscedat à te*, &c. Erat Ammonites, colore perdito; nec vbi esset, præ metu, nouerat; vnde nec mutire audebat, nec hiscere. *Tacere multis discitur vita malis*, ait Atreus *in Thyesten act.* 2. scilicet metus ingens vocem intercludit. Quod monet Theodericus lib. 5. Epist. 22. ad Senat. Rom. *Libertas verba nutrit, metus copiam frequenter intercipit*, &c. Quid sibi non timeret Achior ab Holophernè irato, & ceruicoso Duce? quid auderet in litem pulsatus minis, & probris affectus Ammonites? silent quidem leges inter arma, & patet

9.

Silet, qui timet.

PARÆNET. II.

Homines præ metu silere solitos.

1. FRequenter occurrit sacro textu silentium pro metu positum esse. Habet id Habacuc 2. n. 20. *Sileat à facie eius omnis terra*, &c. silentióque imperato Vates significatum Dei metũ voluit: quo facit textus Græcè, ἐυλαβῆσθω, id est, *reuereatur*, &c. Adest Sophonias cap. 1. n. 7. *Silete* (inquit) *a facie Domini Dei*, &c. Græco textu, ἐυλαβῆσθε, *Timete silentes*, &c. & quo iure timendum, silendúmque sit, in proximo est. *Quia iuxtà est dies Domini*, &c. Iudex scilicet humani generis, & metum ingerit, & silentium imperat. Zachariam addo *cap.* 2. *n.* 13. quo magistro, *sileat omnis caro à facie Domini*, &c. Hisce, aliisque locis verbum est, ἐυλαβέομαι, quod est *timeo, sileo*. quasi natum è metu silentium fuerit. Quis enim metuat, & vocem præ metu non contineat? Illud Machabæus Magno Alexandro, *siluit terra à facie eius*, &c. *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 3. Id è Græco textu est: sub Alexandro terrarum Domino Gentes barbaræ timere iuxtà, ac silere cogebantur. Vbi enim metus ingens, merum inibi silentium est: *& vox faucibus hæret*. Cur id, monet Aristoteles *problem.* 6. *&* 7. Timent grauiter cælites, orbe concusso; sciunt enim, quo metu, *Reges terræ, & Principes, & omnis seruus, & liber absconderunt se in speluncis*, &c. *Apoc. cap.* 6. *n.* 16. & res est, quæ timorem potest incutere: eo enim die *virtutes cælorum mouebuntur*, &c. *Matth.* 24. *n.* 29. Vnde Laudunensis admonet, *Timebunt Angeli, quanto magis homines*, &c. Quid ergo post metum grauem? *Factum est silentium in cælo*, &c. *cap.* 8. *n.* 1. Produnt silentio metum virtutes Angelicæ, quæ orbe quassato grauiter contremiscunt. nam timor tremore addito vocem intercipit. Deprehensus homo ille, sine veste candida, & rogatus à Rege: *Quomodo huc intrasti?* &c. *Matth.* 22. *n.* 12. qua mente, & qua voce fuerit, addit textus: *At ille obmutuit*, &c. Cur suam paupertatem, cur suam rusticitatem non excusat? grauior de summa potestate metus & mentem, & vocem adimit. *Dicunt alij, quia timuit, & erubuit vultum Regis commoti ad iram, & non habuit quid loqueretur*, &c.

I. Hab. 2. n. 20.

Soph. 1. n. 7.

A metu silentium.

Zach. 2. n. 13.

1. Mach. 1. n. 3.

Ap. 6. n. 16. & 8. n. 1.

Timenda grauiter dies vltima.

&c. Hæc Abulensis *q.* 26. Quis enim metu perditus mutire ausit ? Aditus ad silentium metus est.

2. Tacebat virgo sanctissima, cùm videret Angelum & audiret, *Turbata est, & cogitabat*, &c. *Luc. cap.* 1. *n.* 29. Nec oratione Angelica mouetur ad respondendum, nisi legatione lentè discussa. *Quomodo fiet istud?* &c. *n.* 33. Silet virgo sapiens, & periculi metuens; metus iste vocem contrahit, teste Hieronymo, *Consternata, & perterrita respondere non potuit*, &c. *Epist.* 20. *ad Eustoch.* Quantum silet virgo alia, quæ iubetur canere! Cant. 2. num. 14. *Sonet vox tua in auribus meis*, &c. Quàm pertinax in silendo virgo est! quæ iterum inuitatur ad loquendum, ne dum ad canendum! cap. 8. num. 13. *Amici auscultant, fac me audire vocem tuam*, &c. Tacet vti virgo, taciturnitate plusquam Cereali: quæ haberet sponsum Regem. *Dum esset Rex in accubitu suo*, &c. *Cant.* 1. *n.* 11. Itaque virgo piè metuens latè silet, quod notat Origenes Hom. 4. *Quia præ multa reuerentia taceret sponsa, desiderat sponsus aliquando vocem eius audire*, &c. Vis hæc in metu est, vt silere cogat.

Luc. 1. n. 29. & 33.

Vocem metus intercipit. Cant. 2. n. 14. & 8. n. 13. & 1. n. 11.

Tacet virgo reuerenter.

3. Quòd si loqui, in metu, necesse est, ita fit, vt mali metuens loquatur impeditè, & sermone ecliptico. Tactus metu Dauid, grassante pestilentia, quid ferat, anima intercluſa, explicat Psalm. 6. num. 4. *& anima mea turbata est valde*, &c. Deinde malam à plebecula fortunam deprecatur. *Sed tu Domine vsquequò ?* &c. Pendent quidem verba, deficit cantilena: quid velit Dauid, nec plenè docet, nec planè. Sed quid mirum ? non succurrunt verba, vbi metus est ingens: necesse est, orationem eclipticam esse. quod Lyra infert. *Et modus loquendi est decurtatus: sicut homo anxiatus, & territus non profert suam intentionem completè, sed truncatè*, &c. Addo in scenam, qua via Nabuchodònosor ille alius Magos traxerit ad soluendum somnium Dan. 2. num. 1. *Vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius*, &c. Hoc rerum aspectu acciri iubet in aulam Magos, & Ariolos, qui somnium & referant, & soluant. Dura omnino prouincia, scire hominem, & explicare, quid somniauerint homines alij: an hæc turbatæ mentis nota est? Id ego puto, & quod addit Nabuchodonosor num. 3. *Vidi somnium, & mente confusus ignoro, quid viderim*, &c. Rectè habet, si quod intendit Chaldæus, enuntiaret; ecliptica enim est oratio, pendetque sententia; nec, quid sibi velit Princeps de re somniata explicat. Sed,

Pſ. 6. n. 4.

Qui timet, nec planè loquitur, nec planè.

Dan. 2. n. 1. & 3.

Ille timet verè, qui sua verba vorat.

Mali metus & mentem, & vocem obturbat.

Nec suam liquidò mentem aperit Nabuchdonosor, quandoquidem *& conterritus est spiritus eius*, &c. Mali metus verè lupus est, qui vocem obtundit, & sermonem interscindit: imò & vulpes est, quæ linguam contrahit muliebrem.

4. Sensit virgo sapiens vinetis vulpes hærere: metu damni concepto clamitat Cant 2. num. 15. *Capite nobis vulpes*, &c. & proximè suam commendat curam de sponso colendo, illud ingerens num. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi*, &c. Nomen sine verbo mancum est carmen: sed amoris carmen est, qui dum nimis flagrat, minus loquitur. Ita Philippus Abbas lib. 3. in Cant. c. 16. *Amor* (inquit) *intemperans verba sæpe non inuenit affectuum suorum pleniùs expressiua: & ideo nonnunquam inuenitur eius locutio breui supellectile defectiua*, &c. à Bernardo id accepit *ser.* 67. *in Cant.* Puto ego sermonem sponsæ demutilatum, metu damni contracto; cùm sciret adesse vulpes infames vinetis dissipandis: *Capite nobis vulpes*, &c. Nam, Theoderico Auctore, *Metus frequenter copiam intercipit*, &c. *loco cit.* Quantum sibi defuerit eloquentiæ, agnoscit Moyses, Deo viso, & fatetur ingenuè Exod. 4. n. 10. *Non sum eloquens*, &c. Ac ne quis nesciret, vnde Moyses tantum damni excepisset, addit; *ex quo locutus es ad seruum tuum*, &c. Deus in rubo Iudex est: quod Hebræo textu patet n. 4. *Vocauit eum Iudex*, &c. Iudex igitur è rubo Hebræum Ducem ita exterret, vt desiderari in se putet Moyses eloquentiam pristinam: scilicet aspectus iudicis grauissimi, aut tacendi leges imponit, aut loquendi filum abrumpit.

Affectu nimio truncatur oratio ac deficit.

Exod. 4. n. 10. & 4.

Obmutescit Moyses apud Deum Iudicem.

Num. 5. Porrò autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, &c.

Num. 6. Vt autem noueris, quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, &c.

Commentarius.

10. AChiorem Holophernes vatē contemptu vocitat *n.* 2. *&* 5. quippe qui Hebræum Assyrio inuictum fore dixerit, Deo duce. Non placet Ammonitam in loco Dei Prophetam esse. Quanuis non sit nouum Idololatris indi à Deo præsensiones rerum maximarum: quod non pauci, nec mali putant Theologi de Sybyllis, scilicet Clem. Alex. 1. *strom. cap.* 6. Hieronym. 2. *contra Iouian.* D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 3. Suarez *de Incarnat. disput.* 3. *sect.* 2. Probant id & somnia prophetica Ægyptio, & Chaldæo iniecta, Deo Magistro, quod volunt Iosephus *Gen.* 41. *num.* 25. Daniel *cap.* 2. *num.* 28. Nec opponas malos esse homines, quibus non congruat diuina prædicere; nam Balamum, vti Magum, carpunt Basilius *Epist.* 80. Chrysost. *Hom.* 21. *in Gen.* Origen. *Hom.* 13. *in Num.* Augst. *serm.* 103. Procop. Lyra *ad Num. cap.* 22. *num.* 5. vbi Moabites legatos voluit homines. *Ad Balaam Ariolum*, &c. Theodoret. *q.* 40. Cyr. *ad* 1. *de Adorat.* Ambrosi. *lib.* 6. *cap.* 6. *Epist.* 37. Nyssen. *de vita Moys.* D. Thom. 2. 2. *q.* 172. *art.* 6. & tamen Deus Balamum ex Mago Vatem fecit diuinarum prædictionum de Christo Domino *ad cap.* 24. *num.* 17. *Numer. Orietur stella ex Iacob*, &c. Deinde Caiphas minimè bonus; *sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit*, &c. *Iohan. cap.* 11. *num.* 21. Quòd si damnati ad ignem homines apud iudicem clamitent: *Nónne in nomine tuo prophetauimus?* &c. *Matth. c.* 7. *n.* 22. Constat ergo posse malos homines præsensionibus propheticis insignes esse, quippe quæ non postulent Dei

Sibylla prophetides.

Numer. 22. num 5. & 24. n. 7.

Balamus ex Mago Dei Prophetes.

Io. 11. n. 51.

Matth. 7. n. 22.

Veloſ. in Iudith.

charitatem, vti disposition em. In hac thesi Suarez est *ad tract. de Fide disput.* 8. *sect.* 7. *n.* 2. Vide, quos inibi Auctores addit Hieronym. *ad Matth. c.* 7. August. *ad Simplician. q.* 1. Abulens. *ad Iosuë c.* 13. *q.* 14. *& Num.* 22. *q.* 3. Nullum tamen argumentum est, quo euincas, Achiorem in loco propheticè præsensisse, ac prædixisse, quod humana coniectura assequi potuit.

11. Illud tamen excutio: quare Holophernes Achiorem vrget? *Non concidat vultus tuus*, &c. Victus ne timore Ammonites, ac dolore affectus caput ad pectus vsque deprimit? &c. Puto vtroque malo pressum caput hominis. Caïnum vbi natus de inuidia premit dolor, vrget Deus, Gen. 4. n. 6. *Quare concidit facies tua?* &c. Achabus peccati reus dolore, ac timore tactus, *ambulauit demisso capite*, &c. 3. *Reg.* 21. *num.* 27. Nec exerrauero, si velim Achiorem, cùm timeret, vultu deiecto fuisse. Nam mulieres *declinauerunt vultum suum in terram*, &c. quod Lucas notat c. 24. n. 5. *Timebant enim*, &c. viso Angelo, quod textus addit. Timore igitur, ac dolore, victus Achior, vultu in terrā demisso tacebat latè. Cùm Holophernes minis minas aggereret, & Achiorem, quasi patronum gentis Iudaïcæ, transcribi iuberet ab Assyriis ad castra aliena, vt Ammonitam cum Iudæo captum perderet, Bethulia occupata, & dissipata. Vt *ipse* (inquit) *simul vltioni subiaceas*, &c. Quid non conatur Princeps fastu, & ira tumens? Quid non minatur sui impotens? Quid non quatit sceptro potens? verbis verba miscet, quibus stomachum detegat, & effundat suum, ac inde ostendat,

Pressum timore ac dolore caput. Gen. 4. n. 6.

3. Reg. 21. n. 27.

Luc. 24. n. 5.

PARÆNET. III.

Iram maiestate armatam grassari latè.

1. Vires à sceptro capit furor, & opes auget in sæuitiam: nihil non audet, qui nihil non potest, potestate in carnificinam irritata, quo furor vrget, eo Princeps grassatur, natura duce, fortuna comite; mutuam sibi præstant operam, & ira genio adiuta regio, & fortuna sæuo læta negotio. Mirum, quas nam hominum strages edit Princeps offensus æquè, ac infensus! Nihil est mali, quòd sibi Dauid non timeat ab iniqua potentia: inde preces addit precibus. *Saluum fac* (inquit) *filium ancillæ tuæ*, &c. *Psal.* 85. *n.* 16. & proximè exponit vim periculi, vt Deum alliciat in auxilium. num. 14. *Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentum quæsierunt animam meam*, &c. Quasi vellet Dauid: *Ex eo duplex timor obortus est*, &c. sic Basilius exponit. Nec cuncteris Domine, ô & præsidium, & dulce decus meum! si enim iuncta nequitiæ potestas est, nemo vim vi pellat, nisi Deus manum addiderit.

Psal. 85. n. 16. & 14.

Sæuit potestas adiuncta nequitiæ.

2. Iam verò, si qua Princeps via offensus queritur, qua in hominum laniena infensus non erit? *Fient nouissima hominis illius peiora prioribus*, &c. docet Christus *Luc.* 11. *n.* 26. De sæuo Diabolo sermo est, qui à bono viro pulsus redit iterum, eo infensior, quo se grauius offensum putat. *Tunc vadit, & assumit septem spiritus nequiores se*, &c. Cur tanta Dæmonum vis aduersùs hominem? scilicet iratus venit, ab repulsa vires capit, & milites à principatu. Sic Imperator Valens aduersùs Basilium, veri assertorem, pugna victus hæretica vires parat valentiores. quod monet Theologus Orat. 20. *Huius ille discipulum se præbebat, tum, vt cladem priùs acceptam sarciret, tum, vt paribus palæstris aliquid adderet*, &c. Magna Basilio Magno virtus, qui Imperatorem non timet, à quo grauiter offenso grauiora posset timere.

Luc. 11. n. 26.

Princeps offensus in omnem se effundit sanitatem.

3. Minatur id Moyses Hebræo in Deum improbo. *Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus*, &c. *Deut.* 28. *num.* 48. Non potuit grauior esse comminatio, quàm vt Hebræus ab hero irato seruus ferret iniuriam. quod Philo exponit, ad lib. de Execration. *Nam quoties idem & hostis simul, & dominus imminet, quis sustinere queat? Quando potestas illi præbet lædendi licentiam*, &c. Profectò punit acerbè, qui potestate abutitur in vltionem offensus rerum dominus. Hosce homines docet Angelus Reges cornibus, & viribus insignes esse, Apoc. cap. 17. num. 12. *Decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt*, &c. Negat tamen Angelus regno Reges adhuc frui: *qui nondum regnum acceperunt*, &c. Scilicet Reges erant, quibus vna, & sæua bellua vires suffecerat, ad belli aleam, & lanienam hominum, cornibus exertis, armatisque manibus. *Decem cornua, decem Reges sunt*, &c. Ad litem Rupertus lib. 10. in Apoc. *Quia potestas bestiæ, verè non est ad regnandum, sed ad insaniendum, ad effundendum sanguinem; pulchrè dictum est: quia nondum regnum acceperunt*, &c. Hæc vna boni Regis nota est, posse in melius: hæc vna Tyranni potestas, regnare in lanienam hominum. Ac proinde, quo maior Tyranno potestas est, eo grauior in homines carnificina. *Cornua decem, decem Reges sunt*, &c.

Deut. 28. n. 48.

Addit potestas nocendi licentiam.

Apoc. 17. n. 12.

Rex non est qui ad nocendum potens est.

4. Et erit, qui neget, demutilandam Tyranno esse facultatem, nocendi potestate demutilata? Vires Deus Tyranno adimit, qui natura sæuit in pestem alienam. *Periret enim innocentia, si semper nequitiæ iuncta esset potentia: & in totum, quidquid cupit, calumnia præualeret*, &c. Sic Hieronymus ex *Apolog. in Rufin. lib.* 2. Quo non grassaretur bellua cornibus, & viribus arrogans sibi, quidquid vellet, ac tentaret? Dan. 7. n. 24. *& putabit posse mutare tempora, & leges*, &c. quod benè de Antichristo explicat Theodoretus *Orat.* 7. Ne tamen pestis latè serperet, *Iudicium sedit, vt auferatur potentia, & conteratur*, &c. *n.* 26. Scilicet, quassatus à Christo Antichristus erit, ne quidquid percupiat, conficiat impietas ferro obarmata. *Videte, quemadmodum ea, quæ Angelus ænigmaticè interpretatus est, apertè Paulus edocuerit*, 2. ad Thessalon. c. 2. n. 8. *& Dominus* Matth. 24. n. 22. *Erit* (dicebat) *tribulatio magna; & nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro*, &c. Hæc à Theodoreto cit.

Dan 7. n. 24. & 26.

Malum Deus regem tollit vt premat vires nocendi.

5. Scio Nabuchodonosorem ab aula electum, vt herbam cum boue carpat in agro, Dan. 4. n. 30. *Ex hominibus abiectus est, & fœnum, vt bos, comedit*, &c. quo id consilio Deus tentauerit, scitè inuenit Theodoretus Orat. 4. *Expulsus primùm est propter ipsum morbum: furore*

Dan 4. n. 30.

furore enim, & rabie correptus infinita mala perpetraret, si modò facultas illi data esset, &c. Grassatur latè furor manu armatus Regia, nec acerbi quidquam est, quod non tentet genio indulgens Princeps. Necesse igitur est adimi potestatem hominibus improbis; ne eò progrediatur improbitas, quò potestas vsque porrigitur. Vrbem condunt præcipites in omnem improbitatem homines, ídque Nemrodo in Regem delecto: quod Moyses insinuat Gen. 10. num. 10. *Fuit enim principium regni eius, Babylon*, &c. Multa in vrbem conuenerat hominum colluuies. Quis enim foret populus, vbi Princeps malus, *& robustus venator*, &c. *n.* 8. hominum scilicet; quod volunt Interpretes. Ne potestas Nemrodo addita latè debaccharetur, homines dissipauit, & milites eripuit Magnus Deus. *Di persit eos Dominus super faciem cunctarum regionum*, &c. *Gen. c.* 11. *n.* 9. Factum benè: ait D. Thomas *Sicut enim superbis ad omnem machinationem intentis magnitudo potestatis est nociua: sic etiam quàm plurimum expedit, quòd talis potestas, aut omnino tollatur, aut saltem confringatur, & diuidatur*, &c. Vires igitur suas Deus Nemrodo abstulit, ne potestate abuteretur in pestem extremam humani generis: satis insinuans, quid ab irato rerum Domino timeri possit, vbi voluntas pro ratione est.

Quo magis potest, magis sauit tyrannus.

Gen. 10. n. 10. & 11. n. 9.

Temperat à sauiendo tyrannus potestate demutilata.

6. Nemo in reum, de quo læsus, queritur, seuerus iudex non est. Tuam igitur virgam tibi iudex time, ne iusto grauius decernas, si offensus à reo, causam infensus peragas; quo enim potestas agendi securior est, eo facultas nocendi promptior. Timet sibi à sceptri licentia bonus Dauid, ne iratus Semeium feriat iusto acerbiùs; litem integram filio committit 3. Reg. c. 2. n. 8. *Habes quoque apud te Semei*, &c. De textu est Semeium à Rege punitum non esse vt promissis iuratis staret. Addo ego abstinuisse Regem à Semeio puniendo, ne potestate Regia suum Rex dolorem puniret acerbiùs. quod fit plerumque, vbi offensus iudex in reum animaduertit. Nihil disco aliud à Salomone, qui ad Ioabum occidendum non opponit Absalomum à Duce interfectum, sed Abnerum, & Amasam malè occisos esse, 3. *Reg. cap. 2. num.* 32. Suppressum à Salomone fatre Absalomum docet Abulensis q. 40. *Ne videretur procedere ex zelo vindictæ*, &c. Rectè id habet. Illud mihi placet, Regem de Absalomo tacuisse, vt mitiùs cum Ioabo ageret, si fratrem improbè occisum animo abiiceret: timuit sibi Salomon à licentia Regia, si haberet in animo, quidquid Ioabus in Absalomum admiserat, per summam iniuriam.

Potestate Princeps abutitur in vindictam.

3. Reg. 2. n. 8. & 32.

Iustitiam, non vindictam exercet bonus Iudex.

7. Caueas igitur, ne Regem veri morsu pungas: nam Princeps, quacumque læsus via pœnas sumit, & grauiores regni licentia. In hoc metu erat, qui sententiam tulit aduersùs Chaldæum Regem. Quanuis enim *apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis*, &c. Dan. cap. 5. n. 5. *Manè, Thecel, Phares*, &c. *n.* 26. quibus literis sceptrum Baltassaro adimendũ esse constabat; qui aduersùs Regem scripserat, latebat; manu exerta, vultũ occultabat manus in propatulo, vultus erat in latibulo. scilicet dura in Regẽ erat cõminatio, ac proinde necesse erat, saxum manu iaci, faciem velo tegi;

Velos. in Iudith.

Dan. 5. n. 5. & 26.

Latet prudenter verè magister, lictet Angelus.

ne Baltassar saxo petitus fureret, ac sæuiret in Angelum. Iam id pridem in auo pungendo cauerat, qui Regem damnauit ad bestias, *Dan. cap.* 4. *num.* 27. cùm enim Princeps gloriatum plenus vrbem à se conditam laudaret effusè, *vox de cælo ruit*, &c. *num.* 28. quæ in Chaldæum pronuntiat, *Regnum tuum transibit à te*, &c. Regem quidem Iudex punit, sed quo sit colore, atro ne, an albo, Rex nescit. An timet Iudex Regem audacem regni licentia? timorem exprimit, actáque timendi scena probat sæuire Reges latè in homines, à quibus se læsos putant. Hac fortuna Achior malè mulctatus & timet, & tacet.

Dan. 4. n. 27. & 28.

Audet in vindictam Princeps regni licentia.

Num. 7. Tunc Holophernes præcepit seruis suis, vt comprehenderent Achior, & perducerent in Bethuliam, &c.

Num. 8. Et accipientes eum serui Holophernis profecti sunt, &c.

Num. 9. Illi autem diuertentes à latere montis ligauerunt Achior ad arborem, manibus, & pedibus, &c.

Commentarius.

12. Dictis facta miscet Holophernes; & qui in Achiorem benè monentem inuectus fuerat, ministros vrget, vt vinculis tractum hominem dedant Bethulienſibus. Negat hæreticus Bethuliam esse; vnde fictam putat vrbem, & confictam Iudithæ fabulam. sed rem committo Serario *q.* 1. & Tirino *in Iudith.* Inibi legas vrbem esse Bethuliam de tribu Zabulonia, & quo montis iugo sita Holophernem repulit; quod Brocardus tradit, & Andrichomius. Nec ideo Bethulia non erat, cùm Iuditha viueret, eo quòd modò nusquam nota; pari enim argumento negabis cum Iudæo Euangelium, eo quòd Nazaretha modò non sit: id tamen Serarius benè refutat *in proleg.* 4. Addo Bethuliam bonis Auctoribus acceptam esse, vide Suidam, & Zanaram *tom.* 1.

13. Quòd verò Bethulia sonet Dei virginem, placet & hæreticis. Nam בתולה *Bethulah* Hebræo *virgo* est, *Deut. 22. num. 22. Exod. 22. n. 16. Iudic. 19. num. 24. 2. Reg. c. 13. num. 2. Iob cap. 31. num. 1. Ierem. cap. 2. n. 32.* hisce enim, locisque aliis *Bethulah* germanè virgo est. Quare Bethuliam à *Bethulah* nuncupatam, constat Dei virginem esse. Eo loci missus ab Holophernе Achior, *lucis frater* ex Hebræa schola, quò enim lucis splendorem mitti oportebat, nisi ad Dei virginem? Philosophus (ait Theologus *orat.* 40. φῶς Græcis dictus, vtpote qui mente valeat Philosophica, lucémque possit dare hominibus reliquis. Huiusce lucis frater laudatur Achior, & missus in Bethuliam Dei virginem bene docet, virginitatem multis, magnísque luminibus explendescere; siue honore honestatem, siue sapientia illuminatam dicas virginem. Sibyllis profuit ad nationes sapientiæ nota, & celebrata virginitas: monet Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinian.

Deuter. 22. n. 22. Iudic. 19. n. 24. 2. Reg. 13. n. 2.

Bethulia Hebræo virgo.

Homo Græcè lux.

Castitas sapientiæ mater.

quarum insigne virginitas, & virginitatis præmium diuinatio,&c.

14. Quid agant, non vident, obsequio adulatorio infames homines: iussa peragunt, catenisque pressum abstrahunt Achiorem ad radices vsque montis, quo sita Bethulia, inibi hominem illigant trunco arboris; nec vltrà pergunt, cùm Hebræus fundis instructus premat vndique, & vndique trudat. Sed Assyrius, miles audax, seruus improbus, quippe qui iniusta Domini mandata fecerit, & suam præstiterit operam in re turpi, *Accipientes eum serui Holophernis profecti sunt*, &c. *n.*8. Fortuna seruitiorum misera! Si, quæ velit improbus dominus, cogantur patrare. Cur obsequuntur satellites? an spectant bolum, & obolum? nec vnde famem tolerent, facilè habent? an timent fustem, ac renstim, si manum subducant suam Holopherne imperante? Vtroque, puto, vrgentur malo tristes homines. Nisi malis improbo domino seruos improbos adesse facile, vt quæcumque agat herus, sua seruus manu peragat. Aurum sitit herus! ad furtum seruus vrget. Venerem quærit herus! concinnat seruus: cædem alienam tentat herus! regit seruus heri latus. Indulget itaque seruus domino sciens, ac volens: quò pergat herus ire, morem seruus gerit. Hoc rerum aspectu adulatorem Aristoteles ἄψυχον vocat, & à seruo nomen deflectit *lib.* 3. *Ethic.* quasi hero seruus nunquam non aduletur, in omnem improbitatem. Quid si velim, trahi seruis mores ab hero, & dictum benè verbo veteri: *ποῖα ἡ δέσποινα, τοῖα καὶ θεραπαινίδες, qualis hera, tales & ancillæ*,&c. Accedit & Clemens Alex. *lib.*3. *Pædag.c.*11. vbi heram vrget ad ancillam castè inhibendam, ne quod ancilla scelus admittit, in heram facilè recidat. Illud enim prouerbio iactatum: *Qualis hera, talis & catella*, &c. quod Plato docet *ad lib.* 8. *de Rep.* Vt quo furore Holophernes in Achiorem sæuierat, ea seruiles manus immanitate grassarentur.

Spe, & metu adulatur in malum seruus.

Ab hero moues seruus trahit.

15. Multa quidem perpessus Achior, tacet obstinatè, nec de vinculis queritur, nec de lateronibus. Satellites barbari *vinctum restibus dimiserunt*, &c. *n.*9. Achiorem scilicet veri Magistrum. Merum in Magistro nobili silentium est. An quæ vinculis inest dignitas, recognoscit Achior? Profectò, qua sapiens erat mente, ac luce, honestatum se vinculis existimauit, quæque pro vero dicundo ferret. Hæc fortasse tacendi occasio, ne suam obloquendo gloriam deterreret. Nec id ego miror, cùm sciam pati, & agere strenuè, eiusdem virtutis esse. Quare fortes æquè vires, ac mulieres cùm laudasset Valerius, patientes acerbitatum plurimarũ, editurus lib.3.cap.3. *Egregijs* (inquit) *pariter virorum, ac fœminarum operibus fortitudo sese oculis hominũ subiecit, patientiamque in medium procedere hortata est*, &c. id verò vt cũ ea, vel ex ea nata videri possit, &c. Hæc vna patiẽtia Achiorem fecit potentiorem metu, ac dolore; qui nec tractus à lictore excussit nexus catenarum, nec suum vinctus dolorem explicauit; etsi *calamitas querula sit*, &c. quod Cymæus probat apud Curtium *lib.* 5. Sed Bethuliam repeto, & Achiorem Bethulienſibus deditum: vt asseram,

Pulchra pro vero dicundo vincula.

Virtus est nota pati dura quaque.

PARÆNET. IV.

Virginitatem sapientiæ magistram esse.

QVicumque velit altè sapere, & notiones rerum nobiles haurire, castitatem sanctè colat: nota hæc ad sapientiam via est. Nónne præfecta scholis Athenienſibus Pallas celebratæ virginitatis satis innuit Dei virginem esse Deam, nedum magistram sapientiæ plurimæ? Quare schola Gymnosophistica mentitur consultò Buddam sapientiæ huiusce Principem de latere virginis prodiuisse, apud Hieronymum *lib.* 1. *aduersùs Iouinian.* scilicet, ne quis negaret Hæreticus Magni Dei sapientiam partu virginis editam, virginitate post partum integra: quod Isaias insinuat *c.*7. *n.*14. Quis enim Consiliarius ille est apud Vatem *cap.*9.*n.*6. Puer quidem paruulus, sed Deus Maximus; nisi *magni consilij Angelus?* &c. Quod Græcè textus habet, τὸ ὄνομα αὐτῦ, μεγάλης βυλῆς ἄγγελος, quasi non posset consilium rectè dare, nisi amans virtutis Angelicæ. *Quanto castior moribus, tanto vinacior sensibus*, &c. Si Paulino credis *Epist.* 33. eo aspectu Sibylla Æolicè Θεοκλὴς appellatur: & quidem, *rectè Dei consilium sola scribitur nosse virginitas*, &c. ait Hieronymus *loco cit.* Video, quo iure Paulus virgines assessores esse doceat, quibus cum sua Deus, & intima communicauerit, 1. ad Corinth. cap. 7. n. 25. *De Virginibus* (inquit) *præceptum non habeo, consilium autem do*, &c. Rationes deinde aggerit, quibus deuotam Deo virginitatem probat, ac tandem addit *n.* 35. *Porrò hoc ad vtilitatem dico; non vt laqueum vobis iniyciam, sed ad id quod honestum est*, &c. Græcè habes, πρὸς τὸ εὔσχημον, καὶ ἀπαρεδρεύειν τῷ κυρίῳ. *Pro vt decorum est, ac Deo assidens*, &c. Qui enim castè viuit, paredrus vocatur, tanquam Dei assessor. Adstat Deo Angelus. *Apoc. cap.* 14. *n.* 15. Virgo Deo assidet, quod multo grandius est.

1.

Isa. 9. n.6.

Castitas Dei consiliaria.

Dei Senator est castus homo.

Par erat Angelo, imò Angelus, Magister ille, qui *habebat in manu sua libellum apertum*, &c. *Apoc.cap.*10.*n.*1. vtpote qui benè de sacris literis meritus, librum haberet pro insigni, & explicaret: sic Rupertus *lib.6.in Apoc.* de Christo magni consilij Angelo; quod ego de Magistro qualicumque dictum vellem, modò virtutis Angelicæ custos sit, rigidúsque satelles. *Vidi Angelum fortem*, &c. ait Ioannes. hunc ego Magistrum magni cõsilij Angelum dixerim, vt ebuccines, quantum faciat ad sapientiæ apices culta virginitas. Multis luminibus fulgurant virgines; quibus tanquam vincentibus tradit lãpades Magister Dominus *Matth.* 25. *n.*1. & quæ *accipientes lampades suas exierunt*, &c. Nec immeritò lampades virginibus dantur: quod obseruat Clem. Alex. lib. 5. Strom. cap. 2. *Prudentes enim animæ, & mundæ, vt virgines, cùm intelligant sitas se esse in mundana insciti, lumen accendunt, & mentem excitant; tenebras illuminant, & ignorationem expellunt*, &c. Sui similis hasce virgines benè prudentes Magister laudat lib. Stromat. 7. *cap.* 6. *Nam virgines quidem sunt, vt quæ à malis abstinuerint, & suum lumen accendunt*

2.

Apoc. 10. n.1.

Facit ad sapientiam culta virginitas.

Matth. 25. n. 1.

Illustrantur mentes dono castitatis.

ad

ad rerum contemplationem prudentes virgines, &c. docetque liquidò virgines altè sapere. *Quibus intima casti vena animi sola Christi de lampade feruet*, &c. Vide Prudent. *in Psychom. de pugna Pudicit.* & erit adhuc qui nolit pelli nebulam animi bono celebratæ virginitatis.

3.

2.Cor.6.n.6. Hæc profectò ad scientiam rerum plurimarum via est: quod monet Apostolus 2. *ad Cor.c.6.n.6.* vbi Dei ministros bene iustructos esse iubet *in castitate, in scientia*, &c. Quis non videt castitatis priorem, deinde sapientiæ locum posteriorem esse. *In qua virtutum coniugatione euidentissimè nos voluit erudire, de castitate ad scientiam peruenire*, &c. sic Nesteros *apud Cassian. collat. 14. cap. 16.* Quasi velit, frustrà conari homines ad scientiam rerum comparandam, nisi mores castè, ac piè colant. Quid non videt castus oculus? *Videbimus eum, sicuti est*, &c. ait Ioannes *Epist. 1. cap. 3. num. 2.* Quidquid enim boni Deus habet, id bonis hominibus explicabit, cùm victores è terris cœlum repetant. *& omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se*, &c. *num. 3.* Græco textu, ἁγνίζει ἑαυτὸν, *castificat se ipsum*, &c. Quasi tota viri cuiusque sanctitas de castitate æstimetur, vnde multa nascitur sapientia; quod apponit Clemens Alex. lib. Strom. 3. c. 4. *Mens enim, quæ est munda, & ab omni vitio libera, est quodammodo apta ad potestatem Dei suscipiendam; & quicumque habet hanc spem in Domino, se ipsum* (inquit) *mundum, castumque facit*, &c. Experimento Iohannes didicit, quod in loco docuit, quantùm scilicet proficiat ad contemplationem rerum sacrarum nota, & culta virginitas. Cùm enim Matthæus, & Historici reliqui de Christo Domino tradiderint quæ ad hominem pertinent, Iohannes de paterno sinu hausit, quæ Deum sonant, *& Deus erat verbum*, &c. *Iohan. c. 1. n. 1.* Donatum id bono celebratæ virginitatis: quod Rupertus notat *in prologo ad Euangelium*, & inde monet: *Omnes carnalium sordes affectuum à cordis oculis abstergendæ sunt iis, qui in Christi schola venerabilibus student literis, vt hanc aliquatenus æquilam prosequi valeant; quam cordis inuit munditia, vt claritatem Solis æterni plus cæteris diuinæ visionis animalibus, irreuerberata posset mentis acie contemplari*, &c. Aduolat igitur ad virginem sapientia cœlo nata; missus Achior lucis frater ad Bethuliam Dei virginem. Et fortasse, vt inde eruas

A mente casta vires capit sapientia.

Ioh. cap. 1. n. 2.

Vna castitas est tota sanctitas.

Ad Deum plenè videndum via est castitas.

Ioh. 1. n. 1.

Prodest castitas ad interpretationes sacrarum literarum.

PARÆNET. V.

Virgines assensu publico illustres esse.

1. MIsso in Bethuliam Achiore, luciscque fratre ad Magni Dei Virginem delegato, nescit Holophernes, quid intenderit Deus mysticè. Insinuat enim virgines illustrari luce hominum publica, fruique honore maximo. Honestas honoris quidem status est, teste Guarrico; hæc humanæ, ac deinde vitæ beatæ fortuna: quod Abbas apponit. *Nullus enim tunc, sicut nunc, cernitur honoratus, sine honestate*, &c. *ser. 1. de nata Virg.* Quàm magnus virginibus splendor est, cùm Magister Dominus lampades commiserit virginibus? *Veloss. in Iudith.*

Honestas honoris status.

Quæ accipientes lampades suas exierunt, &c. *Matth. 25. num. 1.* scilicet eo luminum apparatu significatur magna virginum claritudo. Quæ enim laterent mulieres de vili plebecula, & iacerent in tenebris, cùm virginitatem colunt, multis fulgent nominibus, & multis gaudent luminibus celebratæ nobilitatis. Video mulierem sole indutam, Luna calceatam, astris coronatam pulchrè, *Apoc. 12. num. 1.* & virginem Christi matrem accipio, communi interpretamento. Hæc enim mulier est, quæ apud Isaiam virgo concepit, & filium peperit, virginitate post partum integra *c. 7. n. 14.* Proindeque necesse erat præfulgere virginem, multis, magnisque luminibus: ne quis negaret virgines cælo, terráque illustres esse: quod Bernardus voluit, *sic in his sydereum planè decus irradiat, quod virginitatis primiceria*, &c. *ad ser. de verbis Apoc.*

Matth. 25. n. 1.

Apoc. 12. n. 1

Isa. 7. n. 14. *Virgo terris, astrisque illustrissima.*

Lateat obscura domo, quæ mores castè non colit; dum custos virtutis Angelicæ luminibus plurimis suum effudit splendorem. Inde natum credit Cyrillus Ierosolymit *Catech. 15.* vt Magister Dominus virgines Angelis pares dixerit Matth. 22. n. 31. *Neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei*, &c. Luc. c. 20. n. 36. *Æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei*, &c. Magnum Virginum decus, & ornamentum, quæ Angelum, ac Deum propinqua attingunt cognatione! Ad virginem igitur Cyrillus. *Cuius gratia lucebis sicut Angelus*, &c. Lucent Angeli, quasi *astra matutina, cùm Deum laudant, & iubilant omnes filij Dei*, &c. *Iob c. 38. n. 7.* Prælucet Magnus Deus, vtique *amictus lumine, sicut vestimento*, &c. *Ps. 103. n. 2.* & quidem pertinent ea lumina ad maiestatem Dei, & Angeli explicandam: sed quæ nam tam sacra, & tam augusta maiestas est, quæ non conueniat in Virginem Magni Dei filiam? *Æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei*, &c. *Luc. loco cit.* Ergo (Synagogam Deus, quasi virginem adhortatur,) *Saltem amodo voca me, Pater meus, & dux virginitatis meæ*, &c. *Ierem. 3. n. 41.* Ostendit bonus Deus, quanti virginem fecerit, qua cum sermones serit, & quam bene filiam appellat. Bono virginitatis donatum credit Philo, vt suo cum Deo virgo amicè colloquatur. *Decet enim impollutam, intactam, puramque animam, vt verè virginem cum Deo colloqui*, &c. *ad lib. de Cherubim.* Regis continuus ille est, à secretis notus quo cum ioca, seriaque Princeps communicat. Nec alia Deo virgo est, vnde iussa à Deo, *Voca me Pater meus, dux virginitatis meæ*, &c. Hoc titulo, & quidem honorario dolentem malè virginem linire conatur bonus Deus. *Consolabor te*, (inquit) *virgo filia Sion*, &c. *Thren. cap. 2. n. 13.* Inibi Hieronymus, *Quam filiam dixerat, appellauit & virginem; ne, si tantùm filiam nominasset, arbitrareris & nuptam*, &c. *lib. 1. aduersus Iouinian.* Acsi vellet honoratam filiæ nomenclatura Ierosolymam, quasi virginem; vt quo in pretio Deus virgines habuerit, facilè dignoscas. Et verò grandis honor est, virginem à Deo filiam nuncupatam esse.

2.

Matth. 22. n. 31. *Pares Angelo, Deoque virgines de honore contendant.* Luc. 20. n. 36.

Iob 38. n. 7. Ps. 103. n. 2.

Virginem vti cognatam Deus alloquitur.

Thren. 2. n. 13.

Hoc fortasse aspectu virgo à cœlo cælebs. quod Paulus insinuat 1. ad Corinth. cap. 15. num. 47. *Primus* (inquit) *homo de cælo cælestis*, &c.

3.

1. Cor. 15. n. 47. & 48.

Virginitas Dei cognata, & continua.

Cælebs à cœle denominatur.

&c. ac de Christo Domino sermo est. Deinde addit Apostolus n. 48. *Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes*, &c. Quinam verò cælites homines? an ne cælibes? Fortasse non mentior, maximè, si Bernardo fidem adhibes. Inde ille ser. 27. in Cant. *Quod* (inquit) *euidentius cæleſtis inſigne originis, quàm ingenitam retinere ſimilitudinem, gloriam vitæ cælitis in terra? in corpore denique beſtiali viuere Angelum?* &c. Nomenclatura hæc est, quæ virgines diuidit ab hominibus, tanquã Angelos celebratæ nobilitatis. Quare Magister Dominus benè coniuges de temporario sæculo homines esse docet Luc. cap. 20. num. 54. *Filij huius ſæculi nubunt*, &c. Quid ergo virgines, quæ *neque nubent, neque nubentur*, &c. *Matth. 22. num. 30.* an è cælo cælites, vtpote cælibes? aio, cum Cypriano ad *lib. de habitu virginum.* Virgines Antistes alloquitur. *Et vos* (inquit) *per ſæculum ſine ſæculi contagione tranſitis*, &c. Videturque Cyprianus torum maritalem præ munditia virginum, immundam mundi cogitationem & æstimare, & appellare! Deinde probat virgines cœlo viuere, non sæculo temporario: etsi Deus viam faciat, vt multis, magnisque terrarum honoribus perfruantur. Monet Apostolus Thessalonicenses 1. Epist. c. 4. n. 3. vitam in terris castam viuant, *vt abſtineatis à vos fornicatione*, &c. Vrget negotium spe addita n. 4. *vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore*, &c. corpus scilicet mundum, licèt immundum conceptum semine. Sed cur honoratum iri corpus dicit? Athanasius optimè. *Tunc verò id corpus in honore habetur, cùm ſe continens, & purum præſtiterit*, &c. Vel enim honestas ipsa honoris status est, vel ad honores ducit via facili; quod Anselmus apponit. *Nam hoc etiam ſæculo honoratur, qui mundam, & caſtam vitam ducit*, &c.

Coniugium temporarium virginitas æterna.

Luc. 20. n. 54

Matth. 22. n. 30.

1. Thess. n. 3. & 4.

Castitas suo merito honorata.

4.

Ioseph castitatis assertor maximus, vinculis detractis in aulam ductus, ac proximè regni Prorex, magna dominatur in aula. Nam Pharao ad Iosephum: *Vno* (inquit) *regni ſolio te præcedam*, &c. *Gen. 41. n. 40.* Id verò Iosephus audit, postquam heram impudentem repulisse visus est pudicitia nobili, *Genes. 39. n. 98.* Vnde curauit bonus Deus, vt Iosephus sui victor, & impudicitiæ regium quodam modo imperium ageret: quod Zeno Martyr expendit, ad serm. de Pudicit. *Rex* (inquit) *ſecundus iure factus eſt, qui Rex erat iam antè pudoris*, &c. Facilè virgo honores sibi parat, vel etiam ab hominibus immanitatis barbaræ. Addo cautum à Chaldæo, ne virgo cum maritatis premeretur. *Præceperat enim Nabuchodonoſor de Ieremia*, &c. *Ierem. cap. 39. n. 11.* Multa de Ieremia cura, in tanto rerum tumultu, satis ostendit, quo in pretio vatem, ac virginẽ habuerit Nabuchodonosor. Cur de sacra Dei domo id non mandat? Cur de magna Regum aula? Cur de Ierosolyma vniuersa? Quidquid grande in Ierosolyma est, damnat flammis, & donat; vnum seruat Ieremiam? Sed Ieremias, & vates, & virgo est; quod obseruat Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinian. *Hoc enim verum Dei templum eſt, & hæc ſancta ſanctorum, quæ virginitatis puritate Domino conſecrantur*, &c. Iam tunc ab hoste, & barbaro virginitas honores parauit, quos à choro Angelico deinceps parasse visa est. Christo nato, accurrunt, imò aduolant Angeli, choros cœlo ducunt, & cantus edunt, Luc. 2. n. 13. *& ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium Deum*, &c. Constat Angelos ceciniſse præ lætitia, ac toto cœlo saltitasse, cùm Deum hominibus natum, datúmque largè viderent: sed Arnoldo placet cantum cum saltu compositum ab Angelo, quippe qui virginem partu edito integram demiraretur. *Imò tota cœleſtis militia multitudo admirans, quòd ſic integram in terris inueniſſet, circumfuſa vndique cognato cœlibatui reuerentiam exhibebat*, &c. *ad tract. de sept. verbis.*

Luc. 2. n. 13.

Aliè gaudet Angelus seruari in terris virginitatem.

Quo igitur, nisi obscuro mulier loco erit, si qua minus casta vixerit? Hæc enim se à Dei aula alienam credat, necesse est. Vide, quid Ierichuntina dixerit meretrix, exploratores adhortata Iosue c. 2. n. 11. *Deus veſter, ipſe eſt Deus in cœlo*, &c. Cur se abducit mulier à Dei familia, si Deus humani generis Deus est? Est quidem meretrix hæc mulier, exploratores enim *ingreſſi ſunt domũ mulieris meretricis*, &c. *n. 1.* Creditque meretrix gaudere Deũ meximè casto obsequio virginũ; quare Deũ *ſuum dicere non audebat, eo quòd ſe impuram ſentiebat*, &c. Ita Cyrillus Ierosolymit. *Catech. 2.* Quid si & virgo, pudore leuiter detrito, iam non ausit Deũ adire, sed patrocinium quærat alienum? Domo exierat virgo malè sapiens; sed fide sana Deũ quærens *Cant. cap. 5. n. 6.* addit querebunda, *Inuenerunt me vigiles*, &c. *n. 7.* & exponit, quid fleuerit. *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me*, &c. Satis hæc cum hominibus conuersatio, vt videri possit minus pudica virgo; inde opem quærit alienam quo Deũ sibi placatum reddat. *Adiuro vos* (inquit) *filiæ Ieruſalem*, &c. *n. 8.* Timet virgo, ne Deum grauiter accendat, si minus casta accedat ad colloquium; vrget virgines, ac Dei familiares, vt preces amicè fundant. *Nec tamen per ſe accedere præſumit ad Deum, quaſi impudica: ideo ſupplex ante ſe interceſſores adiuratos ardenter dirigit, & exoptat*, &c. Hæc Paschasius *lib. 2. in Thren.* Cæcutit ergo, qui non videt illustres communi hominum assensu virgines esse. Qui velit plura nosse hac de re, adeat Hieronymum *lib. 1. aduersùs Iouinian.* videat, quo laudum prologio Valerius pudicitiam humanæ gentis gloriam commendauerit *lib. 6.* inibi Valerius proloquitur. *Vnde te virorum pariter, ac fœminarum præcipuum firmamentum pudicitia innocem?* &c. Dictum de bona virginum fortuna: progredior ad seruitiorum malam sortem; constat enim liquidò

Ioſ. 2. n. 11. & 1.

5.

Procul à Deo meretrix, quasi aliena.

Cant. 5. n. 6. 7. & 8.

Deum ladit grauiter, detrita leuiter virginitas.

Firmum virtutum caſtrum eſt caſtitas.

PARÆNET. VI.

Hero improbo ſeruos improbos non deeſſe.

1.

IN procliui eſt vitium, etiam nullo trahente, &c. Ait Theologus *Orat. 14.* Quid? si nec desint manus auxiliares ad improbitatem? eò te seruus subsequitur, quò præis: non cunctatur metu, nec moratur pudore. Facilem præstat operam, qui suo ducitur genio; cur enim faciat ægrè, quod fieri voluptas est. Tot ad peccandum comites, quot & duces; vrget, quæ in peccandi licentia dulcitudo est. An Holopherne

pherne furente deessent lictores, qui ex æquo furerent in Achiorem? *Tunc Holophernes præcepit seruis suis*, &c. *n.* 7. Ardent, & audent satellites, adulatione seruili: *& accipientes eum serui Holophernes*, &c. *n.* 8. Manum heri fricat serui manus. Sæuit Chaldæus Princeps in Hebræos iuuenes, Dan. cap. 3. n. 19. *Tunc Nabuchodonosor repletur furore*, &c. Ardent satellites pari sæuitia n. 21. *& confestim viri illi vincti*, &c. Graſſatur Pharao in populum vniuersum Exod. c. 1. n. 10. *Venite, sapienter opprimamus eum*, &c. Graſſantur & Prætores pari immanitate n. 13. *Oderántque filios Israël Ægyptij, illudentes illis*, &c. Idolomaniam inducit Antiochus *lib. Machab. 1. cap. 1. n. 43.* lege lata, *vt esset omnis populus vnus, & relinqueret vnusquisque legem suam*, &c. Quid Prætores? Quid lictores? Quid familiares cæteri? n. 53. *& præposuit Principes populo*, &c. Facilè ad improbitatem volat seruus, si herus præuolat. quod Saluianus obseruat lib. 8. *Promptum est intelligere, quales illic familiæ omnes fuerint, cùm seruiles animos per se malos etiam dominorum fecerit nequitia peiores*, &c. Quæ enim difficultas est facere seruum improbum, quidquid iubet herus improbus, si conueniunt pari genio? Scitè Hieronymus Epist. 4. ad Rustic. *Procliuis est malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia*, &c.

Dan. 3. n. 19. & 21.

Exod. 1. n. 10. & 13.

2. Machab. 1. n. 43. & 53.

Herum improbum subsequitur seruus improbus.

Dolent homines pungi se, morderi, lacerari à brutis animantibus, quæ suum Adamo debent obsequium. Nónne Adamo donatum, *vt præsit piscibus maris, volatilibus cœli, & bestiis*, &c. *Gen. c. 1. n. 26.* de textu id est. Peccat Adamus, lege fracta. Nec aues aucupatur, nec pisces expiscatur, nec feras venatur, sine labore, sine sudore, sine dolore. quod minatur Ecclesiasticus cap. 39. n. 36. *Bestiarum dentes, & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium, impios*, &c. Ab Adami igitur peccato natus belluis furor aduersùs hominem. nam malus seruus ab hero malo malam haurit mentem. Pulchrè Theophilus Antiochen. lib. 2. ad Autolyc. *Si herus peccauerit, dubium ne est, quin & seruus delinquat? sic contingit in præsenti negotio*, &c. Suum Deo obsequium Adamus negat, suum belluæ ministerium Adamo negitant: hausit familia ab hero desidiam obtemperandi. Metus Caino ingens est, postquam fratrem interficit, ne vi aliena occisus pereat. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me*, &c. *Gen. 4. n. 14.* Insanus Caini metus videri posset; si enim vnus tantùm Adamus in terris est, Pater, & Princeps humani generis, cur necem Cainus timet? quis manum iniiciat? quis ferrum acuat? quis vindictam sumat? an bellua perimat hominem? & inde suus Caino metus est? ait Ambrosius lib. 2. cap. 9. de Cain. *Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis diuinæ iura violauerat, nec præsumere de subiectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi*, &c. Dominus quidem belluarum Cainus erat, cum Parente Adamo; postquam tamen Abelem frater interfecit, belluarum dentes, & vngues in se acuit, quippe quòd herus suam seruis, & malam indit mentem, vsa facili.

Gen. 1. n. 26.

Eccles. c. 39. n. 36.

Ab Adamo pero turpes trahit notas bellua.

A sæuo Caino sæuitiam discat fera.

3. Nec officit, quòd naturâ dissideant homines; adhuc conueniunt ad improbitatem, quòd Bernardus notat ser. 24. in Cant. *Ineunt familiaritatem ad maledicendum; concordes ad discordiam*, &c. quo morbo laborabant Pharisæus æquè, ac Ioannis auditor, *Marc. c. 2. n.* 18. Adeunt homines vno animo Christum Dominum, discipulosque taxant, quippe qui non ieiunarent. *Erant discipuli Ioannis, & Pharisæorum ieiunantes, & veniunt, & dicunt illi: Quare*, &c. Noto homines scholis dissidere: neque enim Ioannes cum Pharisæo, nec Pharisæus cum Ioanne conuenire poterant; nam Pharisæus malè animatus in Ioannem iactabat: *Dæmonium habet*, &c. quod Iudæo Christus opprobrat *Matth. cap. 11. n. 18.* cùm tamen locus esset ad Christum oppugnandum, facilè conueniunt dissidentes scholis homines: quod expendit Chrysologus serm. 31. *Iunxerat inuidia, quos disiunxerat disciplina*, &c. Nulla ad vitium difficultas est: eò conuolant, qui genio dissentiunt, & secta; quod naturâ dissidium est, improbitatis commercio temperatur. *Sic vtrique in Christum fremebant liuore communi*, &c. Constat Herodianos Pharisæis infectos esse: vel enim Herodiana secta erat, quæ Herodem pro Christo permisso colebat, Pharisæo negitante; quod volunt alij. Vel Herodianis potestas erat, de tributis colligendis; quod Pharisæus lege vetitum contendebat. Litem bene profligatam vide apud Maldonatum *Matth. cap. 22. n. 16.* Hæc cùm sic habeant, video Herodianum cum Pharisæo conuenire, vt Christo Domino decipulam tendant, necem intendant. Marc. 3. n. 6. *Exeuntes Pharisæi statim cum Herodianis consilium fecerunt aduersùs eum*, &c. id verò, postquam pauperculo suam Christus manum restituit. Iam pridem consenserant vulpes, non homines, vt consilium patrarent suum de Christo perdendo, Matth. 22. n. 16. *& mittunt discipulos suos cum Herodianis*, &c. Cur homines sectis dissidentes aduersùs Christum facilè conueniunt? Sed qui suopte genio malus est, dissutam sarcit amicitiam, quæ ad improbitatem via est. *Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam*, &c.

Marc. 2. n. 18.

Scholæ dissident maledicenta, conueniunt homines improbi.

Matth. n. 18.

Facilis ad vitium via est.

Marc. 3. n. 6.

Improbe dissimprobus.

Matth. 22. n. 16.

4. Ne via ad peccandum facilè pateat, diuidi necesse est bonos à malis homines. Nec Hebræus agros Abramo promissos colit, nisi Chananæo priùs eiecto. Deus enim, *Eiiciam*, (inquit) *Chananæum*, &c. *Exod. 33. num. 2.* & cur ita? num. 3. *vt intres in terram fluentem lacte, & melle*, &c. Nec Dauid alia Psalm. 103. num. 44. *& dedit illis regiones Gentium, & labores populorum possederunt*, &c. Satis docuit antidotum aduersùs venenum moris pessimi in fuga esse hominis improbi. quod obseruat Basilius ad Ps. citatum. *Per ea quidem edocuit, quæ Iudæis præceperat, vbi eos caueri iussit, ne illorum politicam imitarentur*, &c. Si Hebræus sub Chananæo terram coleret, & vitam ageret, facilè in Idolomaniam laberetur: neque enim hero impio seruus pius esse potest; ac proinde mali remedium in mali fuga est. Iam verò si Princeps vita malus est, quò scelerum non trahit senatum, ac populum? *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua*, &c. *Luc. 13. n. 6.* Sed cùm fructus non ederet: *Succide illam*, &c. ait herus *n.* 7. Iure id merito; ne ficus vmbra noceret, quæ fructu non prodesset. Chrysologus bene serm. 106. *Sicut infœcunda arbor,*

Exod. 33. n. 2. & 3.

Ps. 103. n. 44.

Sumuntur à familiaribus mores.

Luc. 13. n. 6. & 7.

In mali fuga mali medicina est.

arbor, dum fundit mortiferam ſubiectis vitibus vmbram, inimica non ſibi ſolùm, ſed & palmitibus fit: ſic homo deſes, & ignauus, ſi præſit populis, non ſibi ſolùm ſit noxius, ſed & multis, &c. Quid igitur? aut ferro, aut flamma opus eſt, vt ſuccidatur, vt ſuccendatur; alioqui Princeps ignauus ſuam populis ignauiam affricet.

Quod malus iubet Princeps bonus id negat aulicus.

5. Patet liquidò, quam vrgendi vim habeat honorata improbitas, ſi laudem parat egregiam, qui ſub hero malo bonus eſt. Ad hanc morum laudem ſpectat, quod Zacharias ſuum fecerit officium, piè ſacris operatus, cùm Herodes ſceptrum occupaſſet. Rem Lucas exponit cap. 1. n. 5. *Fuit in diebus Herodis Regis, Sacerdos quidam,* &c. *& vxor eius,* &c. Quid inde addit? num. 6. *Erant iuſti ante Deum,* &c. Dura omnino prouincia, Sacerdotem, & vxorem iuſtè agere, ſub Rege iniuſto. Solet enim Princeps trahere ſecum Senatum, ac populum, quocumque velit. Sano igitur conſilio Hiſtoricus, *Tempus memorat Regis nefandi, & hoc accedit ad meritum Zachariæ,* &c. Optimè Chryſologus *ſerm.* 89. Ea ſcilicet virtute Sacerdos erat, vt quod Herodes iuberet, facilè reiiceret; nec iret vi tractus, quo Herodes præiret ſciens, & volens. Hac mente ſana, & ſolida Saulem reiiciunt laterones aulici, cùm Sacerdotes improbè necandos Princeps curaret, ac iuberet 1. Reg. 22. num. 17. *Noluerunt ſerui Regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini,* &c. Deus bone! quæ nam virtus hominum? quæ nam pietas animi? quæ nam religio? vrget Princeps imperio, vrget præſentia, num. 16. *Conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini,* &c. & manum à cædendo abſtinent ſatellites? ardet furore Saul in cædem Sacerdotum, & Regem contemnunt milites? Sciebant Regem improbè iubere, ac proinde non obtemperant. Grande miraculum! ſeruos improbos hero improbo deeſſe: quod benè Caietanus laudat. *Timentes Deum renuerunt parere tam iniquo mandato; dando exemplum miniſtris Principum,* &c. Fortius adegit homines Dei pietas, quàm Regis impietas. Longè ab hac via abiere milites Aſſyrij, qui graſſante in Achiorem Holopherne, graſſantur immanes, *& accipientes eum profecti ſunt,* &c. Tacet Achior, licèt adſtrictus vinculis, ſed dictum non reuocat; nec triſtem à ſe fortunam deprecatur. fortaſſe pati amans veritatis amore, tacet. Quid ſi Achior docet patiens, & tacens?

Luc. 1. n. 5. & 6.

Laudem meretur potiorem bonus ſub malo hero ſeruus.

1. Reg. 22. n. 17. & 16.

PARÆNET. VII.

Bonos viros pro vero dicundo agere fortiter.

1. PVlchra veri amore pugna, honeſta patientia: quidquid boni geſſeris, & quidquid mali tuleris pro veri ſchola, elogium eſt, monumentum eſt ære perennius. Cicatrices nobiles ex hac pugna, nobiles carceres pro hac ſchola. quod Tertullianus voluit Apologet. cap. 1. *Quid enim hoc mali eſt, cuius reus gaudet; cuius accuſatio votũ eſt, & pœna felicitas,* &c. Errat turpiter, qui dulces hac cauſa labores, carcereſque nobiles eſſe negat, quæ enim pati dolor eſt aliis, veritatis magiſtro honor æquè, ac voluptas eſt. Ieroſolymam grauiter obſidendam, ciuéſque bello captos inde abſtrahendos eſſe minatur Ezechiel, Deo iubente, *Ordinabis aduersùs eam obſidionem,* &c. *cap. 4. num.* 2. Sed vrget Deus iterum num. 3. *Sume tibi ſartaginem ferream,* &c. qua te, ſi velit contemptor veri improbus, vrat, & perdat. Nam tormenti genus erat, fixio in ſartagine, quod patet ex *Ierem. 29. num. 22. Amos 4. n. 2. ex 2. Machab. cap. 7. num. 3. & 5.* Iuſſa facit Vates, & tantum abeſt à dicti pœnitentia, vt ferrum, flammamque non timeat; ſed iratis hominibus ſartaginem offerat, & machinam ſæuiendi: ſatis inſinuans dulce, ac decorum ſibi eſſe pro veritate pati, ac mori, ſi res tulerit.

Ezech. 4. n. 2. & 3.

Dulce, ac decorum eſt pro veritate pati.

2. Generoſi ſpiritus veritas eſt, & ſuæ tenax ſententiæ, quæ ſuam patiendo vim exerit, nullo pulſata metu, vt taceat, niſi tacendo verum firmet. Pulchrè virgo ſapiens, quæ malè vexata ab vrbano cuſtode, verberibus, vulneribuſque excepta, & rebus exuta domeſticis; quæ ſumma eſt querendi ratio, Cant. c. 5. n. 7. *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meũ,* &c. Adhuc perſtat veri magiſtra, & quæ Deum fruſtrà perquiſierat: *vocaui, & non reſpondit mihi,* &c. *n. 6.* Requirit iterum *n. 8.* quæſitúmque Deum laudat cantilena pulchrè addita num. 10. *Dilectus meus candidus,* &c. Vſque adeò vrget veri dicundi amor, fortuna etiam reflante, vt perſeueret adhuc virgo, quæ ſentit, de bono Deo renuntiare, etſi malis tacta modis: *vt inſinuet Eccleſiam in his perſecutionibus conſtitutam, ineffabili in Deum dilectione feruentem,* &c. Hæc Iuſtus Orgelit. In neruo Paulus eſt, manúque pulſatus Romanæ ſeueritatis: inde tamen Philippenſes, Epheſios, & Coloſſenſes literis ſolatur Apoſtolicis. Audit Epheſius cap. 3. num. 1. *Ego vinctus Chriſti,* &c. Quid ad Philippenſes? caſtos mores, & ſanam laudat fidem hominum, quod Paulo altum eſt gaudium; vnde illud cap. 1. num. 7. *Eo quòd habeam vos in vinculis meis,* &c. Vrget Coloſſenſes ad viam vitæ rectam *cap. 1. num. 10.* & vrget fortiter, cùm ſuum commendat carcerem, cap. 4. num. 18. *Memores eſtote vinculorum meorum,* &c. Iam verò Oneſimum Chriſto conciliat, ſtrenuè patiens ſordes, ac pædores ergaſtuli; vnde Philemonem admonet de re piè geſta num. 1. *Ego* (inquit) *vinctus Chriſti,* &c. Pertinax in vero dicundo magiſter eſt, qui ſuæ oblitus iniuriæ, aut fouet diſcipulos, aut parat, miſſis literis. *Non ſentit iniuriam, nec cruciatur dolore; nihil nouit aliud, niſi de Chriſti Euangelio cogitare,* &c. Hæc Hieronymus *in Philemon.* Altè Paulus cogitat de ſchola Chriſtianæ veritatis, qui ne in vinculis quidem verum tacet. Quid Ioannes in vinculis? ſuos Chriſto diſcipulos conciliat. *Mittens enim duos è diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es, qui venturus es?* Matth. c. 11. num. 2. & 3. Nihil Ioannes de ſua monet iniuria: vnum de veritate Euangelica eſt negotium, nec metu frangitur, nec terretur iniuria, quo minus auditores Chriſto veri magiſtro aſſerat. Sentit id Chryſoſt. ſerm. 9. ad Epheſ. c. 4. *Vinctus erat ille propter Chriſtum, Deique legem,* &c. An ne languet Magiſter? *Itaque & illic docuit: erat enim ſine ſolicitudine,* &c.

Cant. 5. n. 7. 6. & 10.

Non tacet malis actus modis, quæ ſentit, veri magiſter.

Epheſ. 3. n. 1.

Philip. 1. n. 7.

Col. 4. n. 18.

Ad Phil. n. 1.

Nulla calamitas bonum virum deterret à vero dicundo.

Matth. 11. n. 2. & 3.

Valeant cæteri, vnum mihi Deum veri magiſtrum laudo, qui ſua in cruce verè ſcholam aperit.

3.

aperit. Inibi sputis illitus, spinis punctus, clauisque fixus adhuc loquitur, Abele sapientior, & eloquentior Nam lictoribus veniam conciliat, latronem cælo donat, matrem discipulo credit, patrem amicè conuenit. *Ex illa crucis cathedra quoddam Deuteronomium dictatum est*, &c. Ait Arnoldus *ad tract. de sept. verbis.* Nec Magistrum à dictando legum compendio retrahunt dolores plurimi, cauillationes plurimæ, tormenta plurima. *Non possunt impedire tormenta doctrinam*, &c. addit Arnoldus. quæ veritatis vis summa est, vt fortes reddat viros contemptu iniuriæ, doloriſque patientia.

Veri doctrina fortes reddit homines ad dicendum.

4. Dij boni! quàm magnum sibi nomen, ac decus parat, qui sustinet agitari se grauiter causa tuendæ veritatis? Hanc sibi laudem peperit Hildebertus. Nam coniectus in carcerem Antistes, ac de sua lætus iniuria, *Feliciter* (inquit) *sunt miseri, quos certò constat non meruisse. Hinc est, quòd gloriamur in vinculis, quorum causa nobis est pro solatio, non conscientia pro flagello*, &c. *Epistol.* 39. Pulchrè dictum; quando honoris appetens videri voluit, qui pro veritate iniuriæ patiens esse potuit. Hoc honore Nabuchodonosor Hebræos affecit iuuenes *Dan. 3. n. 93.* inibi Chaldæus: *Serui* (inquit) *Dei altissimi egredimini, & venite*, &c. Blanditur barbarus titulo honorario: quod obseruat Chrysostomus serm. 8. ad cap. 4. Ephes. *Hoc ipso illos potissimum blandiendo veneratus est*, &c. Miratur ergo Barbarus, ac veneratur, quos pro tuenda veritate fortes, ac pro ferenda iniuria lætos videt. Iuuenes enim *ambulabant in medio flammæ laudantes Deum*, &c. *num.* 24. Inter ignes pueris erat oratio de fide sana, de veritate integra. *Postquam vidit generosè stantes, prædicat, & coronat; propter nihil aliud, nisi quòd se contempserunt, ac Dei legem audierunt*, &c. hæc Chrysostom. *Hom. 24. ad pop.* Certè grandis viro sancto honor est pati, ac mori pro schola veritatis. Quid si vel ignis reuerenter habeat iuuenes, quos strenuè constare videt pro fide, ac veritate? *Ambulabant* (quod proximè datum est) *in medio flammæ laudantes Deum*, &c. hymnóque in Deum piè compositio, profitebantur publicè, quid animo crederent: *Optimam symphoniam & admirabilem hymnorum cantum concentui, qui statuæ adhibebatur, opponentes*, &c. Auctore Theodoreto *Orat.* 2. Quid in hoc rerum cursu ignis? Erumpit in satellites, & qui Hebræos iuuenes fugitat, Chaldæos milites persequitur num. 48. *& incendit, quos reperit, iuxta fornacem, de Chaldæis*, &c. *quasi pœnas ab ipsis pro Domini cultoribus exigens*, &c. sic Theodoretus. Senserat ignis, quantum iniuriæ ferrent iuuenes pro tuenda veritate; qua oratione fidem, ac religionem commendarent, testes veritatis, quasi augustiores, venerabundus aufugit. *Quasi facto impetu sermonis, tremula flamma subducitur*, &c. ait Chrysostomus *ad Hom. de tribus puer.* Inde colligas testes, ac internuntios veritatis sua patientia illustres reddi. Truditur in exilium Lucius Pontifex, quo id consilio Deus voluerit, scitè probat Cyprianus lib. 3. Epist. 1. *Non, vt Episcopus relegatus, & pulsus Ecclesiæ deesset, sed vt maior ad Ecclesiam rediret*, &c. Re enim vera, qui pro veri schola patitur, augustum sibi nomen, ac decus parat.

Conscientia in agendo, solatium in patiendo est.

Dan. 3. n. 93. & 24.

Magnus tyranno magister est, qui pro veritate patitur.

Vera falsis opponit, etsi malè pressus magister.

Dan. 3. n. 48.

Viri boni iniuriam fornax vlciscitur.

Veri magistros flamma veneratur.

Quid ergo mirer, si veritas à magistri iniuria auctoritatem colligat? Passus iam olim Deus, vt Phassur Ieremiam pulsaret colapho, & in carcerem coniiceret: quod patet ex Ier. cap. 20. num. 2. *Percussit Phassur Ieremiam Prophetam, & misit in neruum*, &c. Vrget Phassurem proximè, vt Vatem educat è custodia, ac deinde Ieremiam adigit, vt dicat liberè n. 4. *Hæc dicit Dominus*, &c. satis insinuans, quantum fortunæ aduersæ ferat Vates, tantum auctoritatis accedere verbis propheticis: & verò, qui pro veritate colaphos, carceres, iniuriamque vltimam patitur, veritatem rerum, de quibus agit, augustiorem esse probat. Fidem, & auctoritatem literis Apostolicis, vt Paulus adderet, illud addebat prologium ad Ephesios loco cit. *Ego vinctus Christi*, &c. ad Philemonem: *Paulus* (inquit) *vinctus Christi*, &c. Ad litem Ambrosius, *Vt dignitatem Epistolæ à se missa faceret, ab iniuria sua cœpit*, &c. Tanta hisce vinculis honestas, ac maiestas est, vt ab hac magistri iniuria ducat opes, animosque veritas. Faciunt ergo ad vim vrgendam argumenta, quod versat Achior, & quæ docens loquitur, & quæ tacens patitur. Quæ nam in patiendo vis est, vt persuadeat? addit patiens dictis fidem, & auctoritatem. Quo Paulus artificio Hebræum ducit ad veri notiones. Priùs exponit, quæ bonus quisque mira patrauerit fide in Deum recta, ad *Hebr. cap. 11. num. 2.* Deinde apponit, quæ viri magni mala pertulerint num. 36. *Alij* (inquit) *ludibria, & verbera experti*, &c. Quò hæc patiendi ratio? nisi vt constaret Dei scholam augustiorem esse, & veritatem scholæ probatiorem, quippe quæ ab iniuriarum patientia auctoritatem parat, ad persuadendum. Certè ad Romanos Prætores Tertullianus, *Illa* (inquit) *ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est*, &c. *Apologet. 50.* Quo enim Martyr acerbiora sustinet, eo fides eminet augustior, & veritas elucet clarior.

5.

Ier. 20. n. 2.

Veritatis magister auctoritatem dicendi cogit à patientia.

Eph. 3. n. 1. Ad Philem. 1. n. 1.

Dictu fidem conciliat magistri patientia.

Hebr. 11. n. 2. & 36.

Veri scholam probat firmatque magister patiens.

Num. 10. Porrò filij Israel descendentes de Bethulia venerunt ad eum: quem soluentes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, &c.

Num. 11. In diebus illis erant illic Principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.

Commentarius.

16. A Chiore ad arborem delegato, aduolat illico Hebræus miles, Ammonitamque ruptis vinculis adducit in vrbem, & in medium hominum conuentum. Accurrunt Bethulienses, hominémque circunstant cupidi rerum nouarum homines, & manu lenta negotium excutiunt. Quisnam? Vnde? quare eò sit loci adductus. An hæc perquirunt Bethulienses morbo humanæ gentis,

gentis, quæ rebus plerumque nouis studet? Profectò scire auet corycæus auscultans, an ex Africa noui quid aduenerit? Hæc Athenis vita: quod Lucas notat in Actis c. 27. n. 21. *Athenienses enim omnes ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui*, &c. Hoc morbo laborasse Gallum notat Cæsar lib. 4. *Est hoc*, (inquit) *Gallicæ consuetudinis, vt viatores etiam inuitos sistere cogant, & quid quisque de quacumque re audierit, & cognouerit, quærant; & mercatores in oppidis vulgus circumsistit, quibus è regionibus veniant; quascumque res ibi cognouerint, pronuntiare cogant; & his rumoribus, atque auditionibus permoti de summis sæpe rebus consilium ineunt*, &c. Morbus igitur Gallicus est vitium humanæ curiositatis: & hæc ratio perquirendi, quid quisque faciat, dicat, vel etiam cogitet in extremo terrarum angulo. Vitium ab Hebræo vt Moyses procul abigeret, tabernaculum Deo sacrum ita constituit, vt velo oppanso, nesciret populus, quid in intimis fieret adytis, ad Exod. 26. num. 33. *Inferatur velum per circulos, intra quod pones arcam testimonij*, &c. Oculis emissitiis occurrit Moyses, quibus rimantur homines curiosè, quidquid aliena in domo latet: velumque oppandit, ne sit locus perscrutandi. Nemo igitur scire velit, quid Ægyptius velo vectum ferat; illud enim responsum auferat, necesse est; nónne tectum, ne resciscas? Teste Plutarcho *ad lib. de Curiosit.*

Act. 17 n. 21.

Athenienses Gallia nouis student rebus.

Exod. 26. n. 33.

17. Ex hac perquirendi cura malum duplex; alterum mordendi, alterum accusandi. *Neque enim fieri potest, vt curiositatem non sequatur maledicentia*, &c. quod Plutarcho visum *lib. cit.* Si mentitur Philosophus, dic, amabo, cur interrogas curiosè, quis nam homo? vbi natus? à quo genitus? quæ nam viuendi ratio? an vt laudes palchra; certè fœda carpat vultur, ac è domo efferas in forum. Scitè Plautus, *Curiosus* (inquit) *nemo est, qui non sit maleuolus*, &c. Curiositatem maledicentia, maledicentiam alit curiositas. Inde est, quòd à Paulo mordentur viduæ, quæ non modò terunt otium, *sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes, quæ non oportet*, &c. Mordax fœminarum genus est, ac ne qua desit copia mordendi, curiosè perquirunt, quid aliena in domo fiat. *Et ideo loquuntur, quæ non oportet, quia omnium facta diiudicant*, &c. sic D. Thom. Præscribit Apostolus 2. *ad Thessalonic. c. 3. n.* 11. quid hominibus curiosis agendum est, & causam addit præscribendi. *Audiuimus enim quosdam inter vos ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes*, &c. Locum sic interpretor, vt blaterones vel quietem pati non possint, nec vno stare loco: vel non sinant conquiescere homines reliquos dictis aculeatis. Et vnde tantum est malum Rerump? satagunt blaterones, *nihil operantes, sed curiosè agentes*, &c. *Necesse enim est, vt cùm nihil peretur, quod sit vtile, disquirat & aliorum vitam; deinde ad detractiones præceps feratur*, &c. nota Athanasio gnome est. Laudo cum Plutarcho Locrensium legem, quæ hominem mulctari volebat, si reuersus in vrbem peregrè interrogaret: *Nunquid noui?* Timebant fortasse Locrenses, ne curiositas hominis vrbem turbaret, dictis, quod solet, acerbis agitans, quidquid mali sciret, vel deferens ministerio sycophantico. Plerumque enim curiosus explorat mala quæque hominum, vt deferat. scilicet Plutarcho Magistro, *Delatorum genus ex curiosorum familia est*, &c. *lib. cit.*

Curiosus aquè est malodicus.

Nata ex otio curiositas.

Curiosus vere delator.

Quales Darius aures, oculosque habuisse dictus est? nónne, ὠτακουστὰς, *auscultatores* scilicet, *& exploratores*? curiosos æquè, ac delatores scias. Quis nescit ex curiositatis vitio natũ sycophantis cognomentum esse? explorabant maligné quis ficos exportaret, ac de ferebant ad Prætorem. Turpe ministerium: de quo plura habes *parenet. 7. ad cap. 5. n. 3.* Non hæc Bethulienſibus occasio, vt senatus, populusque in forum conuenirent, Achioremque interrogarent: *Quid rerum esset, quod illum vinctum Assyrij reliquissent?* &c. Rogant igitur, vt ex dictis colligant quid ad vrbem tuendam faciat.

18.

Delator, ocnus est oculus.

Explorare, quid hostis agat? quo sit loco? & quo valeat militum apparatu? de schola militari est. Fecere id Magni Duces. Quid enim aliud Holophernes cap. 5. num. 3. *Dicite* (inquit) *mihi, quis sit populus iste?* &c. Ostenditque Assyrius pertinere ad scientiam militarem, vt norint Duces, quæ nam sint vires, opes, & artes hostium. Hac arte Magnus Alexander. *Omni cura vestigans quam regionem Darius petiisset*, &c. *lib. 4.* Inquirendum igitur in omnia. *Tuum, & hostium exercitum, locorum situm, regionisque naturam nosce*, &c. ait Liuius *lib. 22.* Grande illud Annibalis elogium est, loco cit. *Omnia illi hostium haud secus, quàm sua nota erant*, &c. si plura velis, perlege Lipsium *lib. 5. cap. 16. de ciu. doctr.* Sciunt Duces, quantum sit momenti hac in re; scilicet, ne resciscat hostis, quid agant. Deinde quid hostis faciat, vt resciscat. Hæc occasio explorandi. Bonus hac parte Iosue. Prius enim quàm hostes aggrederentur, *misit duos viros exploratores in abscondito*, &c. *cap. 2. n. 1.* Absurdum arbitratus, si hostes peteret cæco impetu. Quid ergo mirum, si de hoste Assyrio scire velint seniores Bethulienses? *Ozias filius Micha, & Charmi, qui & Gothoniel*, &c. *num.* 11. Additus à Iuditha socius Chabri, scilicet *cap. 8. num. 9.* vbi Iuditha; *misit ad Presbyteros Chabri, & Charmi*, &c.

19.

Ad bonum Ducē pertinet nescire quid hostes agant.

Iosu. 2. num. 1.

Disquirunt Interpretes, qui nam fuerint homines? Sacerdotes ne, an Principes? Alij contendunt Sacerdotes esse; probant ex cognomento: cùm pateat Sacerdotes sacro textu seniores vocari. Satis ad litem facit Lucas *in Actis Apost. cap. 20. num.* 17. inibi Paulus, *A Mileto mittens vocauit maiores natu*, &c. Græcè πρεσβυτέρους, *seniores*. Hosce verò seniores fuisse Sacerdotes, constat ex *num.* 28. vbi Paulus homines admonet de grege curandando. *In quo* (inquit) *vos Spiritus sanctus posuit Episcopos*, &c. Nec Petrus aliter Epist. 1. cap. 5. num. 1. *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro*, &c. Ac ne qua opinandi liberè daretur occasio, addit *num.* 2. Petrus, *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*, &c. Quod æuo prisco notum est adeò, vt probari non egeat? Vrget argumentum Serarius *q.* 3. probatque seniores Bethuliæ Sacerdotes esse, ex bello difficili, ex more veteri, ex officio magni Sacerdotis, qui minores Sacerdotes præficeret Rebuspub.

20.

Act. 20. n. 17. & 18.

Epist. 1. c. 5. n. 1. & 2. Seniores sacro textu sacerdotes.

Non tamen euincit nomenclatura, vt Oziam,

21.

Oziam, & ſeniores reliquos hoc loco Sacerdotes agnoſcam. Magnates, ac Principes rectè dixeris, qui Remp. adminiſtrarent. Vide ad
1.Reg.c.30. n.26. Ruth c.4.n.2. *Seniores ciuitatis*, &c. ad 1.Reg.
3.Reg.c.21. n.8. cap.30. num.26. *Seniores Iuda*, &c. ad 3. Reg. cap.21.num.8. *Maiores natu, & optimates, qui erant in ciuitate*, &c. Quiſnam Ieſſe apud ſeniores Bethlemites? Non quidem Sacerdos.
Seniores ſacris literis ciuium prætores. *Erat vir ſenex, & grandæuus inter viros*, &c. 1. *Reg. cap.17. num.* 12. quaſi Remp. ſenex gereret, ac Senatus Princeps. Nec ſeniores aulæ Ægyptiæ dixeris Sacerdotes, ſed Principes: ad hoc enim officium delectus aliquando Io-
Pſ.104.n.22. ſephus eſt, *vt ſenes eius prudentiam doceret*, &c. *Pſalm.* 104. *num.* 22. Rem conficiat Ioannes *Apoc.4. num.* 4. qui quidem inſpexit *viginti quatuor ſeniores ſedentes*, &c. Scena eſt de Chriſto Regum Domino: inibi ſedes altè erecta; circumſiſtunt Principes, ſua nomenclatura ſeniores; vnde *Senhores* Hiſpano, ſcilicet Principes notæ dignitatis: quod Ribera acutè inſpexit. Hoc titulo gaudent ſeniores Bethulienſes, Chabri, & Charmi: gaudet & Ozias, qui quidem *ad cap.8.num.* 34. appellatur *Princeps Iuda*, &c.cap.13. num.23. *Princeps populi*, &c. Video ſeniores ciuitatum Principes eſſe Rerump. quibus permiſſa poteſtas, vt
Seniores rebus gerendis habiles. ſano cerebro ſtatuerẽt, quid eſſet è bono communi. Et verò moris erat Perſici, ſeniores emeritæ militiæ Rebuſp. adeſſe, vrbaniſque negotiis conſulere; quod tradit Xenophon. *lib.* 1. *Cyrop.* Abeunt meam in partem Serar. *quæſt.* 3. Tirin. *in Iudith*, Salian. *anno Manaſſæ* 9. *n.*44.

22. Difficilior explicatu nodus eſt, quî fieri potuit, vt Ozias, quod patet, Simeonites vrbem tenuerit Zabuloniam, & inibi principatum geſſerit? ſed argumentum ſi vrget, Iuditha item Simeonitis procul abeſſet à Bethulia. Res tamen ſecus habet: quod patet ex *cap.*8. *num.*1. *& 3. ex cap.9.num.1. & 3.ex cap.9.n.2.*
Alienus à populo, non alienus à principatu, ſi cerebrum habeat. Reſpondent Serar. Salian. Tirin. interpreteſque alij, Oziam, etſi aduenam, vtpote virum magni cerebri, ciuitate donatum, præfectúmque Bethulienſibus. Addunt, abrepto in Aſſyriam populo, homines inde quamplurimos furtim in patriam reueniſſe, quibus liberum erat, quo vellent domum parare, turbatis malè rebus: ſic Oziam, & comites ſeſe in Bethu-
4.Reg.c.17. n.28. liam recepiſſe. legas 4. *Reg. cap.17. num.* 28. Vnde conſtat Sacerdotem ſanguinis Iſraelitici miſſum ab Aſſyria in Samariam, vt doceret, quo Deus metu colendus eſſet. Puto ego, cum Sacerdote Iſraelitico homines alios eò loci conueniſſe, quos inde Ezechias accitos voluit in Ieroſolymam, miſſis literis; quarum
2.Par.c.30. n.6. hæc ſumma erat ſententia 2. *Paralipom. c.* 30. *num.* 6. venirent, Deóque ſeruirent ſpe concepta veniæ: Deus enim piè commotus, *reuerteretur ad reliquias, quæ effugerunt manum Aſſyriorum*, &c. Ergo homines alij, vel ab exilio in patriam furtim rediere, vel, ne caperentur ab Aſſyrio, ſubtraxere ſeſe in ſolicitudines, regioneſque exterarum nationum; vt inde ſuam quiſque vrbem, aut alienam repeteret, tumultu belli ſedato. Hoſce inter homines fortaſſe Ozias, Chabri, & Charmi, ſeniores populi, hoc eſt, Principes Rerump. Nec immeritò ſeniores appellantur, qui rebus prouident publicis. Nemo enim erit, qui neget,

PARÆNET. VIII.

Senectutem vrgere maximè ad bene agendum.

SEniores vulgò vtiles eſſe rebus publicè gerendis, probo latè *parænet.6. ad cap.*2. ſcilicet ex rerum periculis haurit ſenex multum ſapientiæ. diſcuſſum id inibi. Via nunc alia terenda eſt, ac docendum, qua vi ſenectus vrget hominem, vt ſanctè prouideat, quod ſcitè præuidet. Ad conſcientiam, non ad ſcientiam ſpectat paræneticus. Nam ſenectus aperit tumulum, & animo inſerit Deum Iudicem; vnde metus ſenibus eſt malè agendi: & verò conſcientiam vereri ætatis prouectæ officium eſt. Accuſant delatores adulteram apud Ma- 1.
giſtrum Dominum *Ioann.* 8. vrget delatores Io.8.n.7.&6.
iudex num.7. *Quiſine peccato veſtrûm eſt, primus in eam lapidem mittat*, &c. Sed non audent accuſatores iuſſa facere: imò abeunt pudore contracto, *incipientes à ſenioribus*, &c. Obiecerat accuſatoribus conſcientiam ſcelerum iudex, ac conſcientiarum inſpector Chriſtus, cùm ſcriptitaret, terram digito exarans. Nam *Senioris eſt conſcientiam vereri maximè.* textus eſt num.6. *Digito ſcribebat in terra*, &c. Neceſſe erat, vt doctrinam morum ſeniores faciliùs exciperent: vnde fugam priores capiunt. quod Ambroſio placuit Epiſt. 51. *Qui priores vim intellexerunt ſententiæ, quaſi prudentiores; & cœperunt ſua magis peccata deflere*, &c. Quid agat ſenex aliud, quàm deflere errata prioris ætatis? & metu contracto ſpectare Deum Iudicem humanarum actionum? ne quid non agat piè, ſanctè. Scienter admodum Paſchaſius tractu vitæ extremo Ieremiæ lamentationes verſat, animumque emollit pia commentione: vbi nulla non eſt deflendi ratio; cur id fecerit, addit Paſchaſius ætatis, ac *Quæ ad conſcientiam ſedandam faciunt bene ſenex verſat.* virtutis exactæ vir, *Et quia hæc ætas alios poſcit mores, licèt ſerò, quia ſemel domum luctus intrauit, propoſui tanti operis ſtudia non tranſire*, &c. Sic præfatur ſenex, monetque ſeriò ſanari homines morbo ſenectutis, ne quid peccent liberè; ſed abluant lachrymis ſordes animi, & abſtergant ſacco cilicino.

Quid verò peccet? quid piè non agat? qui 2.
mortem videt ſenex in ianuis? Priores ad Magni Dei aram, ad piam curam, ad ſacrum leſſum Iohel ſenex euocat, cap.1. num.2. *Audite* Iohel.1.n.2.
(inquit) *hæc ſenes*, &c. Nec ſui oblitus addit & 14.
Vates num.14. *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate ſenes, omnes habitatores terræ*, &c. Prior de ſenibus vox eſt, quàm de hominibus reliquis: & quidem iure merito priores euocantur ſenes, *quorum ætas vicina morti,* *Senectus Dei metum prius concipit.* *maturæque ſententiæ, magis timorem, ac Dei cultum ſuſcipit*, &c. Tantum Hieronymus. Vitæ breuitas cogit hominem piè viuere, & rebus ſanctè gerendis inſtare. Quos enim alios, quàm ſanctos mores colat ætas prouecta? quas nam preces, niſi graues mittat? quoſnam fletus, niſi pios edat? Id adeò verum eſt, vt ſenem Moyſes perinde, ac hominem vita ſanctum dicat. Lego Adamum, & viros ab Adamo alios annis plurimis vixiſſe, quod patet
Geneſ. cap. 5. num. 5. nemo tamen ſenex au- Gen.c 5.n.5.
dit. Lego Noethum, & ab Noetho homines c.8.n.29.
plurimos vixiſſe longiſſimè, quod habes

Gen.

Geneſ. 8. *num.* 29. *& cap.* 11. *num.* 13. Nemo tamen dictus ſacrò textu ſenex eſt. Primus hoc titulo Abramus gaudet, etſi minoris ætatis homo, Gen. cap. 25. num. 8. *& deficiens mortuus eſt in ſenectute bona*, &c. Cur ita? Pulchrè Hieronymus ad Pſal. 91. *ſed propterea ſenex dicitur, quoniam ſenectus ipſius inuncta fuit oleo vberi*, &c. ſenectus ſcilicet ad honeſtum ſui finem prouecta commendatur pia cura animi, & boni Dei indulgentia. Si quid enim Philo rectè ſentit ad lib. de Noë, *Cùm à benigno Deo bene afficitur anima ratio, ſimiliter ſapit, & ſit ſenior*, &c. Addo Iſaacum, Abramo iam laudato ſenem appellatum eſſe, Gen. 35. num. 29. *& appoſitus eſt populo ſuo ſenex*, &c. Quid Iacobus? Nónne captus oculis ſenectutem probat ſuam? certe *oculi caligabant præ nimia ſenectute*, &c. *Geneſ.* 48. *num.* 10. Senes Moyſes inducit hoſce homines; reliquos vita defunctos dicit, non tamen ſenes deceſſiſſe. Nec ego id miror; conſtat enim Abramũ, Iſaacum, & Iacobum piè admodum vixiſſe, Deo familiares homines: quæ ſeniorum nota eſt intima, teſte Hieronymo. *Qui enim ſimul Domino ſeruierunt, rectè ſenes Domini ſimul nuncupantur*, &c. Illud Moyſes voluit ea, ac nobili nomenclatura ſenectutis ſignari homines virtutis exactæ, vtpote quo vitæ breuitas impellat in omnem ſanctitatem.

Gen. 25. n. 8.

Senex ſacro textu, bonus homo, ac pius.

Gen. 35. n. 29. & 48. n. 10.

Senex eſt, qui Deo piè vacat.

3. Inde Seneca ad Lucilium Epiſt. 32. *Multum nocet, qui moratur, maxime in tanta vitæ breuitate*, &c. quò ſpectat Chriſti adhortatio Matth. 4. num. 17. *Pœnitentiam agite*, &c. Cur id monuerit Magiſter Optimus, apponit proximè. *Appropinquauit enim regnum cælorum*, &c. Id verò eſt. In ſenium mundus vergit, & prope interitum eſt: inſtat mors, vltima linea rerum, vt è viuis abſcedat gens humana. Quid igitur faciundum eſt? *Pœnitentiam* (inquit) *agite*, &c. Textu ſic excuſſo, monet Chryſologus ſerm. 167. *Pœnitemus fratres, pœniteamus citò; quia ſpatium temporis iam negatur, iam nobis ipſa hora concluditur*, &c. Quòd ſi inter vitam, & mortem vna tantùm hora intereſſe viſa eſt, vrget mundi ſenectus ad piè viuendum, ac dolendum. Mentior impudenter, ſi meus Chriſtus ex vita horaria non vrgetur ad ſcholam piè inſtruendam? *ſciens, quia venit hora eius*, &c. *Ioann. c.* 13. *num.* 1. Pio ad Crucem affectu properat amans humani generis: prius tamen quàm *tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, &c. Magiſter ſermonem texit latè *num.* 33. & vox ad auditorium prima eſt, *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum*, &c. Meminit de vitæ exitu Magiſter Deus, quaſi expurgaret ſeſe de ſermone longiori, *vt ipſum diligenter attendant, incitans; quippe qui iam ad Patrem properaret*, &c. Hæc ita Clemens Alex. 1. *Pædag. cap.* 5. Nec Magiſter ad ſermonem texendum, nec ad excipiendum torpere auditor poterat, cùm tempus adeò breue eſſet. Vel à ſeceſſu Magiſtrum euocat hæc temporis breuitas ad homines admonendos. Longè ab vrbe Chriſtus in locum abierat, *ibique orabat*, &c. *Marc. cap.* 1. *num.* 35. Aduolant Apoſtoli, auditorióque parato Magiſtrum inuitant ea voce, *Omnes quærunt te*, &c. *num.* 37. Tunc Magiſter, vt ſatis diſcipulis faceret, *Eamus* (inquit) *in proximos vicos, & ciuitates, vt ibi prædicem; ad hoc enim veni*, &c. Quò tantus amor docendi, vt vicos iuxtà, ac vrbes percurrat bonus Magiſter? Victor Antiochenus optimè. *Peregrinationis ſuæ tempus breue futurum ſciens, doctrinaque ſuæ theſauros cum aliis communicare volens, ait: Eamus in proximos vicos*, &c. Quantus à vita breui ſtimulus eſt ad rectè agendum? Agamus, quod inſtat, neceſſe eſt, ne opportunitatem agendi mors corrumpat: & quo ad tumulum propiùs accedunt, eo vehementiùs accendantur ſenes ad bene viuendum.

Mart. 4. n. 17.

Vrget ad pœnitentiam ætas vltima.

Ioann. 13. n. 1. & 33.

Adigit ad concionem verſandam mors immineus.

Mar. 1. n. 35. & 37.

Multus à vita breui ſtimulus eſt ad rectè agendum.

4. Fit plerumque: & inde eſt, quòd ſenes rebus adminiſtrandis ſeligantur, vtpote defæcatiores ſenſu homines, & vita ſanctiores. Senes Moyſes, Deo iubente, deligit, qui tractare poſſint lites populi, & negotia reliqua. Num. cap. 11. num. 16. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus*, &c. Non ſunt iuuenes in hoc albo, quaſi rebus iuſtè agendis ineptiores: viros Deus auitos voluit ætatis æquè, ac virtutis exactæ. *& factum eſt hoc propter honeſtatem*, &c. teſte Abulenſi *q.* 38. ſcilicet cùm Hebræus ſenes videret, viros vtique bonos eſſe crederet, & reuerenter haberet. *quos proſtatu etiam præterito reliqui venerarentur*, &c. & quidem ſenectus vitæ ſanctæ plerumque nota eſt, quæ non ſinit homines agere improbè. Quis nam Iudex ille eſt humani generis apud Danielem cap. 7. num. 9. *& antiquus dierum ſedit*, &c. Hæc verò ſchema eſt iudicis, qui reos damnat ex ſyngrapha, *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt*, &c. *n.* 10. Sed quos nam iudex peragit reos ſcelerum? *Vidi* (ait Vates) *quoniam beſtia interfecta eſſet*, &c. *num.* 11. Auctoritatem iudicis, imò ſanctitatem probat, vbi ſenectutem laudat, cuſtodem iuſtitiæ. Video, quo iure Eccleſiaſtes c. 10. n. 6. *Væ tibi* (inquit) *terra, cuius Rex puer eſt*, &c. Cùm arcet iuuenes à regno adminiſtrando, laudat ſenes, ait Hieronymus. *Lege Danielem, vetuſtum dierum inuenies Deum. Lege Apocalypſim* c. 1. n. 14. *& caput Saluatoris candidum, vt niuem, reperies*, &c. Laudata in ſene rerum ſcientia: probata morum caſtitas, iudicem commendant celebratæ iuſtitiæ, quem ſenectus à bono, & æquo non ſinit abire.

Num. 11. n. 16.

Præſtant ſenes ad ciues regendos ex honeſtate & veneratione.

Dan. 7. n. 9. 10. & 11.

Seniores ſapiori cerebro cenſores.

Eccl. 10. n. 6.

Num. 12. In medio itaque ſeniorum, & in conſpectu omnium, Achior dixit, &c.

Num. 13. Et quemadmodum ipſe Holophernes iratus iuſſerit eum Iſraelitis hac de cauſa tradi, &c propter hoc, quod dixiſſet: Deus cæli defenſor eorum eſt.

Commentarius.

23. PRudentes admodum Principes, vti ſeniores, excipiunt Achiorem pleno Senatu, & plebecula in concilium euocata. Ne, ſi Principes hominem audirent clanculò, venirent in ſuſpicionem proditæ Bethuliæ: quæ quidem ſuſpicio negotiis gerendis peſtis eſt. Nec Achior Bethulienſibus ſuſpectus de perfidia eſſe voluit: ac proinde luce palàm, & pleno concilio

concilio rem explicat vniuersam. *In medio senatorum, & in conspectu omnium*, &c. Habebat in oculis susurrationem omnino suspectam esse; hæc occasio Bernardo nata, vt admoneret Eugenium lib. 4. *Clandestinas, & susurratas delationes non recipias, maximè detractiones censueris*, &c. Et verò, qui palàm non dicit, dicam plerumque dicat necesse est, & administrum falsò reum peragat. Vrget Bernardus iterum. *Hanc velim regulam tibi constituas, vt omnem, qui palàm veretur dicere, quod in aurem locutus est, suspectum habeas: quod si te iudicante, dicendum coram ille renuerit, detractionem iudices, non accusationem*, &c. Dolo inuadit hostem, qui pugnam detrectat, aperto Marte. Vnde scitum illud Christi Domini apud Ioan. c. 3. num. 20. *Qui malè agit, odit lucem*, &c. Malignè susurrones vrgent negotium. Nam Paulus *ad Rom. c. 1. n. 29.* vbi mordet homines plenè affectos *dolo, malignitate*, &c. appellat proximè n. 30. *susurrones, detractores*, &c. Scitè ait Ambrosius, *subiecit, malignitate, quæ gignit susurrationes, atque detractiones*, &c.

Differt occulto detractor administrum iuris publici.

Io. 3. n. 20.

Rom. 1. n. 29. & 30.

Susurrones maligni detrahunt.

24. Quid inde mali Rebusp. malum, si non multiplex, certè duplex est. Quandoquidè, & reus agitur bonus quisque, aditu obstructo calumniæ amouendæ; & Princeps fama periclitatur, & vita. Cautum id suo Traiano voluit Plinius, planè excitans, *Ne respexeris clandestinas admonitiones, nullisque magis, quàm audiẽtibus insidiantes susurros*, &c. hæc in panegyrico. An Apollo veriora dixerit? facit delator clancularius, vt Princeps credat facilè, quod minus placet, & quasi maiestate læsa in omnẽ abeat lanienam hominum. Tectus susurro clancularius dolus est. Hosce delatores arcebat Dauid procul ab aula, ad Ps. 100. n. 5. *Detrahentem secretò*, (inquit) *hunc persequebar*, &c. Cur enim via clandestina delator vrget? Ad litem Chrysostomus apponit. *Illud* secretò, *declarat facti incertitudinem, vnà cum diffidentia loquendi*, &c. & satis admonet secretis criminationibus eò spectare susurrones, vt & reum tutò premant, & Regem cautè fallant. Hac se nota exutum voluit Achior: ac proinde, quæ de Assyrio senatu dicit, palàm docet, *& in conspectu omnium*, &c.

Principem inuertebat oculus delator, & cum populo miscet.

Ps. 100. n. 5.

Dictis diffidit, clandestinus delator.

25. Non tamen denarrat Ammonites, nisi quæ Hebræo placent, studio quidem gentis allectandæ, vt benignè excipiant hominem, qui vitæ periculo defendisset, & laudasset populum Deo familiarem. Accipiunt libenter homines, & credunt facilè, quæ ad laudem pertinent domesticam. Inde Cæsar ad lib. 3. de Gallic. *Libenter homines, quod volunt, credunt*, &c. A quo Chrysostomus rem fortasse excepit, vt moneret populum Antiochen. Hom. 50. *Quæ quisque vult, hæc & existimat, & expectat*, &c. Quis enim laudum suarum studio non tenetur? quis ab adulantibus non lactatur ad fraudem vsque? *Facilè impostoram facit, quidquid delectat*, &c. ait Theologus *Orat. 4.* hac via Bethulienses captat Achior, non vt fallat, sed vt alliciat. maximè id, cùm dicat se vita periclitatum, suscepta defensione populi Iudaici. *Qualiter populus Holophernis voluisset propter hoc verbum interficere eum*, &c. Multa hisce dictis vis inest ad persuadendum, ad amorem con-

Quod placet, libenter accipit, & credit auditor.

ciliandum. scilicet tueri laudem gentis alienigenæ vitæ periculo, grande facinus! Gratum opus! *Vix enim pro iusto quis moritur: quoniam pro bono forsitan quis audeat mori*, &c. opponit Apostolus *ad Rom. c. 5. n. 7.* Sed nodus in loco difficilis: vt obiter solu ã, paucis, aduerte, monebo. Nam interpretes alij iustum à bono distare negant; quare si quis pro viro iusto vix pati, ac mori velit, pro bono vix crucẽ, necémque ferat, necesse est. Pulchrum enim est facinus celebratæ amicitiæ; quo tria tantùm amicorum paria commendantur. Diuidunt alij iustum à bono, & iustum accipiunt pro viro exactæ iustitiæ: bonum verò sumunt pro viro notæ beneficentiæ. Claudit significatum, *Bona Iuno*, &c. apud Maron. lib. 1. *& bonus Acestes*, &c. Deinde Parœmiastes beneficium appellat bonum hominem, *Prou. 22. n. 9.* Inibi enim, *Bonus ad misericordiam*, &c. Hebraicè טובעין *Tobain.* Id verò est, *bonus oculo*, &c. Quos nam sibi milites profuisse asserunt Nabalis seruitia, nisi bonos homines? 1. Reg. 25. n. 15. *Homines isti boni satis fuerunt nobis*, &c. Nam pars bonitatis est à vi abstinere, cùm locus est, & potestas. Hoc igitur significato dixeris bene homines beneficiarios fortius adesse beneficis, quàm viris celebratæ iustitiæ: *quoniam pro bono quis forsitan audeat mori*, &c. vtrumque tamen est plenum opus aleæ; scilicet, vt quis pati, ac mori velit pro domestico, ne dum pro alieno.

Rom. 5. n. 7.

Bonus vtraque schola beneficus.

Prouerb. 22. n. 9.

1. Reg. 25. n. 15.

Allicit beneficentior potius, quàm iustitia.

Auget gloriam amicitiæ grauior occasio patiendi: quod in Caligula commendat Suetonius *c. 15.* cùm in Insulas ad transferendos matris, fratrisque cineres, festinasset tempestate turbida; *quo magis pietas emineret*, &c. Hæc profectò tessera est exactæ amicitiæ, vt aduersis rebus caput obiicias, ne amico desis. Laudatus hac fide Blosius est, quippe qui maluerit damnatos à Senatu Gracchi mores tueri apud Lælium, quàm suum silentio periculum cauere, cum turpi nota desertæ amicitiæ. Vnde Valerius, *Blosius* (inquit) *nec silentio honesto, nec prudenti sermone salutem tuam tueri voluit; ne qua ex parte infelicis amicitiæ memoriam desereret*, &c. *lib. 4. c. 7.* Hoc amicitiæ numen Achior piè coluisse visus est, qui ne graues quidem minas timuit, *propter hoc verbum*, &c. Verbum pro re sumi, planum sacro textu est. Satis mihi facit Moyses *Exod. c. 2. n. 14.* Cùm enim sciret cædem à se patratã circumferri sermonibus hominum, timet, & ait: *Quomodo palàm factum est verbum istud?* &c. Addo Senatum ab Petro collectum, vt disputaret de re dubia: quod ita Lucas explicat Act. c. 15. n. 6. *Conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*, &c. Non aggero, quæ passim occurrant: sed expendo, dixisse Achiorem apud Bethulienses, quidquid apud Holophernem dixerat de Magni Dei indulgentia aduersùs Hebræum populum: quod in laudem cedit Gentis vniuersæ; & facit maximè ad gratiam conciliandam hominum: scilicet vt pateat

26.

Probatur aduersis amicitia.

Exod. 1. n. 14.

Verbum sacro textu, res est.

Act. 15. n. 6.

Paræn. IX.

Alienam gratiam parari laude composita.

1. NEmo non tenetur laudis studio, proindéque laudatus homo cedit facilè adulationibus; vel hostem, si laudes, blandiendo vincas:

ſcilicet, quam quiſque laudem cupit, libenter excipit. Popiſmo lenitur equus; tinnitu mulcentur apes; Muſica trahuntur Delphines; paſtor arundineo carmine paſcit oues; ducit homines quocũque velis, amor gloriæ, laudúmque arrecta cupido: quibus prudens quiſque mercatur gratiam hominum. hac via ſuam à conuentu Bethulienſi gratiam captat Achior. Quare Holophernem taxat, qui veri magiſtrum, *diuerſis iubeat interire ſuppliciis; propter hoc, quod dixiſſet: Deus cœli defenſor eorum eſt*, &c. *num.* 13. Deum laudat, quo Hebræus vno fruitur; Hebræum commendat, quo Deus piè colitur. hanc ſibi viam terendam eſſe dixit Gabaonites *Ioſuæ c.* 9. *n.* 6. Fractus metu Senatus Gabaoniticus Legatos mittit, qui pactum cũ Hebræo feriat amicitiæ perpetuæ. Abeunt Oratores, Senatum conueniunt, populúmque Iudaicum: deinde laudes texunt de Magno bonóque Deo; ac de populo Dei familiari

Ioſ. c. 9. n. 6. & 15.

n. 9. *Venerunt ſerui tui, in nomine Domini Dei tui*, &c. quaſi Oratores ex pio Dei cultu laudem eruerint Ducis, ac militis, vtpote qui

Laus gentis Iudaica à Deo piè culta.

Deum colerent Maieſtatis vnicæ. *Nam magna laus ipſorum erat, quòd haberent meliorem Deum, quàm Gentes aliæ*, &c. Sic Abulenſ. *q.* 15. Addunt Oratores, quo metu Deum exercituum recognouerint. *Audiuimus enim famam potentiæ eius*, &c. hæc pro ſuo modulo in Dei, populique laudem concinnarunt, vt ſuam allicerent in ſententiam. Abulenſis iterum. *Hîc captant beneuolentiam laudantes Iſraëlitarum*, &c. Nec fortuna malè ceſſit:

Captatur beneuolentia auditorio laudato.

quod patet n. 15. *Fecitque Ioſue cum illis pacem*, &c. Tanta in laudum cantico vis eſt, ad parandam gratiam vel gentis alienigenæ. Et verò, *cùm Iſraëlitæ deſiderarent cultum, & gloriam Dei ſui: quando audiebant aliquem laudare Deum, gaudebant, & inclinabantur magis ad faciendum benè*, &c. Hæc ab Abulenſi.

2.

Facilis ad impetrandum via eſt laus virtutis, aut maieſtatis alienæ. An peccet Apoſtolus Philemone laudato? Lego quid Magiſter ſcripſerit diſcipulo n. 5. *Audiens charitatem* (inquit) *tuam, & fidem*, &c. Eò tamen ſpectat Apoſtolus, vt hominem illiciat ad piè agendum. *Obſecro te* (vrget Apoſtolus) *pro Oneſimo*, &c. *n.* 10. Certè cùm laudes recenſet, non fallit Paulus, ſed lactat; & quod optat, laudando parat; Auctor eſt Hieronymus. *Vt Philemon ille prudenter, ac diſpenſatoriè laudatus, non auderet negare; ne ſuis laudibus videretur indignus*, &c. Cedat laudibus neceſſe eſt, qui laudibus aures non occludit. An adulatur Abigailla, cùm Dauidem ſalutat vti Regem? 1. Reg. 25. n. 25. *Ne ponat* (oro) *Dominus meus Rex*, &c. Quærunt interpretes vnde nouit mulier Dauidem regno potiturum eſſe? an à Samuele? reſpondent, id fortaſſe eſt: an à fama publica? addunt, nec id à vero alienum: quod probat Abulenſis *q.* 7. Placet, quod alij voluere, Dauidem ſcilicet Regem ab Abigailla ſalutatum, vt altè laudans impetraret veniã marito facilem. Habent id viri boni apud Abulenſem, *loco citato*, probantque

Ad Philem. n. 5. & 10.

Laudat Apoſtolus, & lactat ad perſuadendum.

1. Reg. 25. n. 25.

Laudibus cedit ſuis iratus homo.

Abigaillam ſcitè feciſſe, *vt eum inclinaret ad clementiam, vocauit Regem*, &c. quaſi virtus hæc Regum eſſet nota genuina. Prudens admodum Abigailla, quæ gratiam ſibi facilem à Duce laudato pollicetur. Gratè ſe loqui putant Salphatides Virgines, cùm Moyſen Dei amicũ dicunt? & continuum *Num. cap.* 27. *n.* 3. Damnant Virgines ſeditionem Core Auctore excitatam; & patrem laudant. *Nec fuit in ſeditione quæ concitata eſt contra Dominum*, &c. Si textum repetas *cap.* 16. *n.* 3. tota in Moyſen, ac fratrẽ debacchata eſt tempeſtas. *Cùm ſtetiſſent aduersùs Moyſen, & Aaron, dixerunt*, &c. Dicãt alij lædi grauiter Deum, cùm viri boni lædũtur: quod à Saulo diſcas *Act.* 9. *n.* 5. tanta Dei cum viro bono eſt amicitia. Cùm verò ſorores virgines hæreditatem adire paternam vellent, Auctore Moyſe, *Date nobis poſſeſſionem*, &c. Laudant Moyſen à Dei amicitia, vt faciliùs obtineant. Id quidem Abulenſis q. 1. *In quo* (inquit) *ſe habent rhetoricè ad perſuadendum; cùm enim dixerunt contra Deum eſſe, quod erat contra Moyſen, magis illius mouerent animum*, &c. Quod ſic explices, neceſſe eſt. Laudari Moyſen commendatione auguſtiore; vel quòd vehementius Dei iniuria quàm ſua, & fratris contumelia commotus eſſet; vel quòd tantum cum Deo commercium haberet, vt qui Moyſen læderet, Deum læſiſſe videretur. Vtramque verò laudem inducunt Virgines Salphatides, vt flectant iudicem. *In quo ſe habent rhetoricè ad perſuadendum*, &c.

Num. 27. n. 3. & c. 16. n. 3.

Præfecto læſo Deus laditur.

Flectit facilè, qui præfectum laudat.

Quid ſi Magiſtrũ Deum ea laudũ cantilena mulcendũ eſſe putant homines, ac Dæmones? Hac via Nicodemus Ioan. 3. n. 2. *Rabbi* (inquit) *ſcimus, quia à Deo veniſti Magiſter*, &c. Titulo nobili Phariſæus Chriſtũ afficit, quo doctrinã Magiſter ſuam exponat, certò ſciens titillari homines laudũ amore; & facile impetrari, quidquid petitur laude compoſita. Caietanus pulchrè. *Dicit hoc, quia diſcendi cauſa veniebat: vt hac profeſsione Ieſum inuitaret ad docendũ*, &c. Errat Nicodemus, ſi putat Chriſtũ laudum blandimẽto excitari ad agendũ; non tamen errat, ſi credit magnã in laudum lenocinio vim ineſſe ad contrahendã gratiam hominũ. Hoc lenocinio Diabolus Chriſtũ mitigare voluit, & arcere à ſuo corio manum acerbam *Marc. c.* 5. *n.* 7. ſic enim ille, *Quid mihi, & tibi, Fili Dei altiſſimi?* &c. Hæc Diabolus in Chriſti laudem, cùm hominem obſideret; ne laudatus hoſtem Chriſtus pelleret, quem vrgebat n. 8. *Exi ſpiritus immunde*, &c. Laudo teſtem Chryſologum ſerm. 17. *Credit infelix, vt quem tentatione vincere, quem muneribus nequiuit inflectere, poſſit adulatione pulſare*, &c. Fidit maximè laudum blanditiis Diabolus ad conciliandum animum cuiuſque hominis.

3.

Ioan. 3. n. 2.

Ducuntur homines laudis amore.

Marc. 5. n. 7. & 8.

Hac arte Deus vtitur, vt Virginem ducat in virtutis amores. *Surge*, (inquit) *propera, amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni*, &c. *Cant.* 2. *num.* 10. Et quaſi laus hæc ſimplex minus vrgeret, laudes multiplicat, num. 13. *Surge amica mea*, &c. Totus in laudum blanditiis Chriſtus eſt, quì ſponſam velit inſtare agris colendis, vitibus putandis, vulpibus capiendis: certus omnino Deus ea laudum vi trahi animos humanæ gentis. quod Philippus inuenit lib. 3. in Cant. c. 11. *vt poſſit magis voluntariã promouere, ſtudet eam blanditiis, blandiſque nominibus demulcere*, &c. Placet in hanc litem, quòd Angelus Dei matrem laude prius mulcet compoſita, quàm aſſenſum exprimat.

4.

Cant. 2. n. 10. & 13.

Vrgent laudes ad rem bene gerendam.

exprimat. Prius enim quàm dicat matrem cœlo quæsitam, *& paries filium*, &c. *Luc. 1. n. 31.* laudat virginem, & in aures ingerit quidquid virtutis habeat, & gratiæ, n. 30. *Aue gratia plena; Dominus tecum*, &c. Sapiens admodum Angelus! qui eo laudum cantico virginem allicit, vt dicat liquidò, *fiat mihi*, &c. *n. 38.* Illud secum Angelus, cùm vellet oratorem agere. *Commodus mihi sermonis ingressus fuerit, salutatio: nam hæc vox eius mentem priùs demulcebit*, &c. Sic Antistes Andreas *ad tract. de salut. Ang.* Multam igitur vim tribuit Angelus laudum blandimentis, qui vel magnam Dei matrem hac duci via posse credit ad effectum obaudiendi. Nec Achior sentit aliter, qui Hebræum laudat, vt alliciat. Deinde apponit se vita periclitatum, ob id maximè, quod apud Holophernem, & hostem dixit pro Deo tuendo, Hebræóque laudando, nimirum: *Deus cœli defensor eorum est*, &c. *n. 13.* & hæc quidem satis erant, vt Hebræus Achiorem verè amicum reputaret, exciperétque molli hospitio. Qui enim absens absentem colit, ac tuetur hominem, homo est exactæ amicitiæ. Vnde probes

Luc. 1. n. 30. 31. & 38.

Assensum laudes exprimunt.

PARÆNET. X.

Constantem amicitiam probari absentia.

1. QVicumque amicum agit, in amici tantùm oculis, absens verò silet, imò negat, hic niger est, & personatus amicus; nec colit verè amicitiam, quæ propè, & longè suum facit officium, tenétque tesseram: nec, quod præstat adulator, coram laudat, & colit; à tergo silet, & negat. Vitium hoc est amicitiæ temporariæ, vt soluatur absentia: quod à Chaldæo Vates sibi metuens, *Daniel erat in foribus Regis*, &c. *Dan. 2. n. 49.* Receptus in Regis amicitiam Hebræus timet, ne flaccescat vis amoris, si abscedat ab aula, sedem inibi suam figit, scilicet illud ingerens:

Dan. 2. n. 49.

Amicus verè non est, qui friget absens.

Quantũ oculis, animo tam procul ibit amor, &c. quod Lyra notat. *Vt enim teneret Regem in amicitia, ideo non recedebat de latere eius: ne inuidi homines in eius absentia odium seminarent*, &c. Tam vitrea est Regum amicitia, vt momento soluatur, si amicus abscedat ab oculis: neque enim desunt, qui ex abscessu componant calumniam, præterquam quòd absentia deferuescit amor. Id sibi cautum volens, *Daniel erat in foribus Regis*, &c. An & Petrus id sibi timet à Ioanne, si procul abeat? fortasse non fallo. Petro iubet Christus Dom. *Sequere me*, &c. *Ioan. c. 21. n. 19.* Vocatus à Magistro Petrus, & penè secutus, quærit à Domino, quid fiet de Ioanne, *Domine, hic autem quid?* &c. *n. 21.* Amat Ioannem Petrus, nec amicum à se longè abesse patitur: quod probat Chrysostomus, Hom. 87. *Cùm vellet Petrus socium, ac collegam, inquit: Hic autem quid?* &c. Addo ego Petrum sibi cauisse, ne Iohannes absens absentem amicum obliuisceretur. Hoc metu socium sibi Iohannem voluit, poëticum illud animo repetens,

Horaria est regum amicitia.

Ioh. 21. n. 19. & 21.

Amicus longè ab amico esse nescit.

Quantũ oculis, animo tam procul ibit amor, &c.

2. Amicus Dei Abramus erat, quod Iuditha nouit *cap. 8. n. 22.* Sed erat absens quodam-

modo, cùm Deum non videret, & nata occasio amicitiæ dissuendæ. Quid ergo Deus? modò Abramum alloquitur amicè *Gen. 13. num. 14.* modò sese viæ præstat socium *Gen. 12. num. 1.* nunc suam opem, operamque pollicetur, *Gen. 15. num. 1.* nunc vrget amicè ad viam sanctitatis *Gen. 17. num. 1.* tandem Abrahami domum intrat, vt cibum capiat. *Apparuit illi Dominus in conualle Mambre*, &c. *Gen. 18. n. 1.* Contubernalem sibi Abrahamum Deus voluit, quem amabat; nec ab amico sustinebat abesse, *solicitus, dum ad Ilicem visitat*, &c. ait Saluianus *lib. 1.* Et quæ nam Deum cura solicitat? vt Abramum suo in luco velit adire, ac videre? Suo actus amore Deus, ac de Abrahami amore satagens quietem pati non poterat, erat enim Deo cura, ne Abrahamus ab amico absens, frigeret ad amicitiam: è cœlo adulat, Abrahamum conuenit, amanter alloquitur, hæret socius, domum, ac mensam petit: *Solicitus, dum ad Ilicem visitat*, &c. vt Abramus Deo præsens amicitiam focillaret, quam absens à Deo fortasse dissueret. Tanta in absentia vis est ad soluendam amicitiam: vnde natum Regis scitum, Prou. c. 27. num. 10. *Melior est vicinus iuxtà, quàm frater procul*, &c. scilicet frater à fratre seiunctus facilè deponit animo fraternam charitatem: nec amicum Lucas agnoscit, nisi vicinum *c. 15. n. 6.* nam oue recuperata pastor *veniens domum conuocat amicos, & vicinos*, &c. quasi amicitiam non possit alere, qui longè abest.

Gen. 18. n. 1.

Absentia deferuescit amor.

Prou. 27. num. 10.

Amicitiam absens ægrè alit.

Ergo, qui amicum absens absentem colit, ac tuetur, amicus verè omnium horarum, homo est celebratæ amicitiæ. In hoc albo Achior est, in hoc Achimelech. Pontifex *ad 1. Reg. c. 22. n. 13.* Accusatus apud Saulẽ Achimelech, vti homo suspectæ perfidiæ, eoquòd Dauidem cibo reficeret; id enim Rex opprobrat, *Quare coniurastis aduersùm me, & filius Isai?* &c. Ad hæc Pontifex, cùm Dauid fuga saluus procul abesset; *& quis* (inquit) *in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis*, &c. *n. 14.* Totus est Achimelech in amico laudando, ac tuendo; nec absens amici famam prodit apud Regem, & hostem, ne videretur personatus amicus; vtpote qui amicitiam præsens venditaret, absens malè renuntiaret. Pulchrè Ambrosius *lib. 3. Offic. c. 15.* Qui amicum absens absentem defendit facto dicto; nec timet periculum capitis, verè amicus est. *Qualis fuit Achimelech, qui pro hospitalis gratiæ officiis necem potius sibi, quàm proditionem fugientis amici subeundam esse arbitrabatur*, &c. Ab Achimelecho fortasse hausit Achior impetum tuendi, laudandique populi apud Holophernem, Ducem barbarum, hostem improbum. Factum ea via, vt Hebræus dignosceret, quàm certus, & constans amicitiæ custos fuerit Achior. Quod Nazianzenus, sua in solitudinem fuga, probatum bene, testatur Orat. 17. *Hactenus* (inquit) *inter nos disiuncti, ac diuulsi fuimus, vt desiderium, & amorem nostrum vtrimque agnoscere, atque ipsò locorum interuallo explorare possimus*, &c. Acsi vellet Theologus sanam esse amicitiã, quæ nõ frigeret absentia.

1. Reg. 22. n. 13. & 14.

Vera amicitia absentem tuetur amicum.

Amicitiam explorat absentia.

3.

Probatum Deus voluit amorem virginis castissimæ, modò adest, modò abest; nunc amanter alloquitur, nunc alloquium intermittit, & fugit. Adest sponsus, cùm sponsã laudat.

4.

Cant. 1. n. 9. & 2. n. 8. 10. 17. & 7. n. 1. & 8. n. 14.

Pulchræ ſunt genæ tuæ, &c. *Cant.* 1. *n.* 9. Abeſt verò, cùm venatum abit quodam modo, *ſaliens in montibus, tranſiliens colles*, &c. *c.* 2. *n.* 8. Alloquitur ſponſus, cùm vrget ad negotium ab otio. *Surge propera amica mea*, &c. *n.* 10. ſed alloquio intermiſſo, fugit, cùm virgo à fuga reuocat. *Reuertere dilecte mi*, &c. *n.* 17. Laudes iterat ſponſus amans, cũ percurrit, quidquid pulchri habet virgo caſta: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui!* &c. *cap.* 7. *n.* 1. Sed poſt laudes, abit illico; vnde virgo clamat cap. 8. n. 14. *Fuge, dilecte mi*, &c. Multæ omnino rerum vices, modò ſponſam ſponſus adit, modò abit; nunc accedit, nunc abſcedit; quo id conſilio? Bernardus optimè. *It, & redit, pro beneplacito ſuo; quaſi viſitans diluculo, & ſubitò probans*, &c. *ſerm.* 74. Quòd igitur Deus ſe toties ſubtrahit ab colloquio virginis caſtiſſimæ, eò ſpectat, vt exploret, creſcat ne ardor amoris, an decreſcat ſponſi abſentia. Nam verus amor abſentem necat amicum; & quo magis abeſt amicus, eo vehementiùs æſtuat: quod certò ſciens ſponſus Deus ab ſponſa procul abit; *& frequenter abſens videtur, vt ſponſæ amor acriùs inflammetur*, &c. docet Paſchaſius *lib.* 3. *in Thren. Ierem.*

Verus amor excitatur abſentia.

5. Nec Dei conſilio defuit exitus. Lego, quid virgo dixerit, fecerítque abſens, & ab ſponſo diuulſa. Clamat æſtans, ac deſideriis icta fidelibus, *reuertere, dilecte mi*, &c. *c.* 2. *n.* 17. Gemit piè dolens, ac ſponſum inuitat in hortum genialem, cap. 5. n. 1. *Veniat dilectus meus in hortũ ſuum*, &c. Norunt cuſtodes quo affectu ſponſa ſponſum requiſierit, à quibus petit: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis*, &c. *cap.* 3. *n.* 3. Itaque dum ſponſus adeſt, latè ſponſa laudat cap. 1. n. 5. *Ecce tu pulcher eſt*, &c. Cùm abeſt ſponſus, in ſponſi laudes ſponſa largè cantat cap. 5. n. 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, &c. & tota in amore oſtentando virgo eſt, cùm abeſt longè ab ſponſo. Id verò? vt conſtans in Deum amor probetur. Gilbertus optimè ſerm. 40. *Falſus amor, & ſimulatorius abſentem obliuiſcitur, præſenti blanditur; non ſic ſponſa, non ſic: ſed abſentem deſiderat, præſente lætatur*, &c. Quàm certa caſti amoris cuſtos virgo eſt, quæ non friget abſens, imò ſponſum colit, & laudat. Quàm bonus amicitiæ cultor Deus, qui Moyſen coràm pungit, *Num. cap.* 20. *n.* 12. *Deut. c.* 1. *n.* 37. Sed laudat clanculò apud fratres, à quibus Moyſen abeſſe iubet. *Vocans Aaron, & Mariam*, &c. *Num.* 12. *n.* 15. Moyſe amoto, quid inibi Deus? n. 7. *ſeruus* (inquit) *meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt*, &c. Scio, quid Abulenſis addiderit, vt probaret, Moyſen à loco ablegatum eſſe, cùm Deus amicum laudare vellet q. 17. *Ne Moyſes* (inquit) *ſuperbiret ex iis, quæ dicebantur*, &c. Ego tamen credo amotum à loco Moyſen fuiſſe, & cùm abſceſſiſſet, laudatum à Deo hominem, vt ſcires, quàm bonus exactæ amicitiæ Magiſter Deus eſſet, qui amicum abſens abſentem coleret, tueretur, laudaret apud ſuſurrones criminantes. Et verò, ea demum eſt ſana amicitia, quæ pro tuendo, laudandóque amico laborat amicè, ac ſtrenuè; ſiue ille præſens, ſiue ſit abſens. quod Achior feciſſe dictus eſt, Hebræo apud Holophernem laudato; etſi periculum immineret capitis. *Propter hoc, quod dixiſſet: Deus cœli defenſor eorum eſt*, &c.

Cant. 1. n. 17. & 5. n. 1. & 3. n. 3. & 1. n. 5. & 5. n. 10.

Verus amor & præſentem, & abſentem laudat amicum.

Num. 12. n. 15. & 7.

Abſentem Deus amicũ laudat vt tundat vanam gloriam.

Num. 14. Cumque Achior vniuerſa hæc expoſuiſſet, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum & communi lamentatione, & fletu, *&c.*

Num. 15. Dicentes: Domine Deus cœli, & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem Sanctorum tuorum attende, *&c.*

Commentarius.

27. Achiore dicente appoſitè, aures dedit faciles Senatus, populúſque Iudaicus, Dei fortaſſe laude oblectatus, & commendatione gentis vniuerſæ: quo affectu Stephanum dicentem latè, puto, accepit Senatus Ieroſolymis collectus. Cùm enim pleno concilio orationem bene longam Orator habuerit, *Act. cap.* 7. n. 2. ſic attendit auditor, vt ne mutiret quidem, *ad n.* 54. *vſque*. Volunt alij auditorem Stephano beneuolum fuiſſe, vtpote mollitum laude compoſita; illud enim Orator in principio dicendi: *Viri Fratres, & Patres audite*, &c. Laudata hominum dignitas, Senatorúmque maieſtas facilè adduxit auditores ad patientiã audiendi: quod Hugo monet. *Blandè loquitur, vt libentiùs audiatur*, &c. ex Ordinaria, *vt diutiùs audiatur*, &c. Addiderim ego mitigatum auditorium oratione contexta in Dei, populíque laudem; agit enim Orator de Abramo, Abramíque Deo; agit de Moyſe, Ægypti metu; agit de Hebræo in libertatem aſſerto: quæ placent maximè. Hoc ſtudio exceptus bene Achſor, licèt Hebræus, metu cõcepto ad Holophernis minas graues *cecidit in faciem*, &c. Modus eſt probatæ reuerentiæ, vt pius quiſque ſolo caput apprimat. Hoc metu *cecidit Abraham pronus in faciem ſuam*, &c. *Gen. c.* 17. *n.* 3. Quid Moyſes, & Aaron, Deo in refractarios homines irato? *Ceciderunt proni in faciem*, &c. *Num. c.* 16. *n.* 23. Plura occurrant facilè, non aggero. Cur tamen homines affectu reuerentiæ adhibendæ facilè demittunt oculos, & faciem ſolo affligũt? Tanta in metu religioſo vis eſt, vt ceruices hominum premat quodam modo. Addo Chriſtum hoc metu proſtratum bene peroraſſe, qui, teſte Matthæo, *procidit in faciem ſuam*, &c. *cap.* 26. *n.* 34. Peccãtem hominem repræſentabat eo habitu. Qua enim erit facie, niſi deiecta, peccati reus, ſi pudorem non profligauit? *Audiat hæc laborans, qui ſarcina premitur, & oculos ad cœlum non audet leuare, percutiens pectus ille peccator, & appropinquãs de longinquo*, &c. *apud Luc.* 18. *n.* 13. Sic Auguſtinus *de Virginit. cap.* 36. Vtroque metu ſeſe Bethulienſes in terram deiiciunt; *communi lamentatione, & fletu.*

A&t. 7. n. 2.

Venatur auditorem nomenclatura honoraria.

Gen. 17. n. 3. Num. 16. n. 23.

Conſtat reuerentia preſſo in terram vultu.

Matth. 26. n. 34.

Metus eſt, qui peccatorem ſolo affigit; pudor eſt, qui vultum deprimit.

Luc. c. 18. n. 13.

28. Leſſum agunt homines, metu contracto. Holophernes ſcilicet terror hominũ, lachrymas à Iudæo excuſſit vberes. Erit fortaſſe, qui velit, Hebræum hoc leſſu malè audire: quaſi fractus metu ploratũ ediderit. Vitiũ id ignauis mulierculis tribuit Horatius in Epod. Ode 6.

Vos

Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum, &c.

In Hebræo notat Abulensis. Renuntiant exploratores in conuentu Iudaico, vidisse se
Num.14.n.1. monstra hominum teterrima, *Num. c.13. n.33.* in hanc vocem, *Vociferat omnis turba, fleuit nocte illa,* &c. *c. 14. n. 1.* Certè ignauum pecus est Hebræus seruitio natus Ægyptio. *Ideo ad quæcumque æstimata mala, solo timore concussi muliebriter lachrymas effundebant, in quo infames sunt; nam virum non decent lachrymæ,* &c. sic Abulens. *q. 1. in Num. c. 14.* Turpe viro flere est: quod fecisse pudet Herculem, in OEt. Act. 4. *Pudet: iam flere didici,* &c. victus fortuna acer-
2. Reg. 15. n.30. ba fugit Dauid. 2. Reg. cap. 15. num. 30. *scandens, & flens; nudis pedibus incedens, & operto capite,* &c. Faciem obuelat Dauid, *ne videretur flere,* &c. ait Laudunensis. Quasi puderet virum strenuum lugere malo victum. Suo victus
4. Reg. 20. n.2. & 3. metu Ezechias, *conuertit faciem suam ad parietem,* &c. commotus piè, *fleuit Ezechias fletu magno,* &c. *n.3.* sed faciem auertit à conuentu aulico, vt ruborem abstergat. *fortè erubescebat flere coram illis,* &c. sic Abulensis *q. 5.* & verò id virtutis est masculæ fortuna aduersa non flere. sed luget Hebræus, *communi lamentatione, & fletu.*

29. An ab ignauia fluxisse lachrymas dixerim? credo hasce lachrymas fonte pio excidisse. cùm enim Hebræus acciperet ab Ammonita, edixisse Holophernem improbè n. 2. *Non est Deus, nisi Nabuchdonosor,* &c. Suam homines fidem, ac religionem explicant liquidò, ac publicè, *dicentes: Domine Deus cæli, & terræ,* &c. *n.15.* ac pro immanitate sceleris alieni, preces cum lachrymis piè mitrunt. *communi lamentatione, & fletu,* &c. Nouit pius quisque dolere ac deflere vicem alienã, maximè, si quam subeunt peccantes homines. Rubenum vocat Iacobus Pater, *Principium doloris mei,* &c. *Gen.*
Gen.49. n. 3. & 4. *49.n.3.* Ac, ne quis nesciret, vnde nata Iacobo dolendi occasio; statim suum Rubeno scelus opprobrat n.4. *Qui ascendisti cubile patris tui,* &c. Doluit Iacobus non semel, priusquam Rubenus peccaret, cùm fratrem sibi infestum
Gen.27.n.41. c.31.n.2. sensit *Genes. cap. 27. num. 41.* cùm socerum dolo ingratum pertulit *cap. 31.n.2.* sed grauius multo doluit, cùm Rubenus Deum, & Patrem læsit. & hoc dolendi initium est, scilicet pro erratis alienis. sic Rupertus lib. 9. c. 26. *Non quòd in nullo antè doluerit, sed quia verus dolor de peccati plaga, primùm in domo eius de isto accidit,* &c. Hoc dolore tactus deflet Hebræus Holophernis insaniam, Dei iniuriam. Sed inde capit impetum excitandæ pietatis, Deum inuocans n.15. *Domine Deus cæli, & terræ,* &c.

Luget vilis homines difficultate opposita.

Flere viro strenuo turpe est.

Dolet pius homo de nequitia aliena.

Luget bonus improbitatem malè capitis.

30. Non friget bonus quisque ad aspectum improbitatis alienæ, sed accenditur vehementiùs ad pietatem, quod Cyprianus laudat in schola Asturica Epist. 4. ad Felicem. *Nec Christianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam; sed magis excitat, & exaltat ad gloriam,* &c. Imò strenuus Christi assertor ex impietate aliena vires colligit pietatis acuendæ. Addit Antistes Paulum sententiæ auctore esse ad
Rom.3.n.3. Rom. c.3. n. 3. *Quid (inquit) si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas errum fidem Dei euacuabit? absit,* &c. Neque enim Hebræus à bono Deo perfidiosè deficiens effecit vt homines alij frigerent ad fidem, ac religionem. Quæ & Bethulienſibus laus est, Holopherne in Deũ grassante. Opem exposcunt, & ingerunt. *Intuere superbiã eorũ,* &c. Magni Dei est terrere superbos homines, humanosque Ioues premere nictu, & ictu oculi: qui *respiciens super castra Ægyptiorum interfecit omnem exercitum eorum,* &c. Exod. 14. n. 24. *Qui respicit terram, & facit eam tremere,* &c. *Ps. 103. num. 32.* Qui tandem *aspexit, & dissoluit Gentes,* &c. *Habac. 3. n. 6.* Cùm enim Deus vultum contrahit, eo aspectu deruit sublimes de sella curuli homines, scilicet, *in peccatores respicit ira illius,* &c. ait Syracides *cap. 5. n. 7.* Hoc Dei supercilio territos esse voluit gens Hebræa superbos homines. Addit pro conuentu Bethulienſi, *& facies Sanctorum tuorum attende,* &c.

Exod. 14. n.24. Ps.103.n.32. Habac.3.n.6. *Superbos homines ferit oculo magnus Deus.* Eut.c. 5. n.7.

31. In loco alij alia. Sunt, qui viros iam olim vitâ sanctos esse velint; Patres scilicet è Choro prophetico. Ita Lyra, Hugo. Nec desunt, qui pro Sanctis accipiãt sacra Deo loca, vasa, ornamenta: vide Serar. *q. 5.* Alij Bethulienses modò ieiunantes, ac deprecantes in Sanctis numerant. quod probat Sanctius ex *Zachar.* Iohel cap. 1. *c.7.n.3.* & quidem Iohel ieiunium Hebræo seruatum bene sanctificatum dicit *cap. 1. n. 14.* tanta enim ieiunio virtus est, vt vitam viri cuiusque sanctificet. Adest textus Græcè, ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸ πρόσωπον τῶν ἡγιασμένων σοὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, *Intuere in faciem sanctificatorum hac ipsa die,* &c. n.14.

32. Quod mihi placet, illud est, sanctos hoc loco homines esse, qui sese Deo e mancipârunt, fide piè hausta, ac religione suscepta. Hæc verò interpretatio claudit gentem vniuersam, Deo scilicet addictam, selectamque sacris Iudaicis, vt à profano conuentu procul absit: quæ sanctificandi verbo potestas est. Occurrit Moyses Exod. 13. numer. 2. *sanctifica mihi omne primogenitum,* &c. Inibi vox Hebræa קדש *Chadas* valet separare à profano ad sactum vsum: quod volunt Oleastr. Vatabl. Lyran. Addunt cap. Exod. 20. num. 8. *Memento, vt diem sabbati sanctifices,* &c. *& Deut. cap. 1. num. 12.* Inde sanctificati milites, à Deo sunt destinati, ac selecti ad bellum vrgendum, Isa. c. 13. n. 3. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos,* &c. vbi Chaldæum verè sanctificatum à se, id est, separatum dicit ad sacrum bellum: quod habent Oleastr. Vatabl. & Theodoret. *ad Ierem. cap. 51. num. 27.* vbi Vates, *Leuate* (inquit) *signum in terra, clangite buccina, sanctificate Gentes,* &c. sæuit Iudex admodum in Chaldæam, vtpote quam signis collatis petendam, premendamque esse velit; facto enim militum delectu Dominus exercituum sanctificabit, ac separabit Gentes immanitate barbaras ad hoc bellum. Ergo, cùm Hebræus à turba hominum reliqua selectus ad Dei cultum, seiunctusque fuerit ab Idololatra; perinde est sanctus, siue sanctificatus populus, ac selectus, & separatus ad Dei fidem ac religionem.

Exod.13.n.2. & 20.n.8. Isa. 13.n.3. *Sanctitas à vulgo seiuncta.* Ier.51. n.27.

33. Necesse erat, vt Hebræus multam à Deo opem impetraret, quasi populus Deo addictus per sacra, & legum scita. Addit enim

Impietas aliena viro bono stimulus est ad pietatem.

Impietas aliena viro bono stimulus est ad pietatem.

ſpem impetrandi ſancta Dei ſeruitus. Argumentum vrgent Bethulienſes apud Deũ, *Non derelinquis præſumentes de te*,&c. Non vna verbo eſt notio. quod à textu patet. Video præſumptionem & bonam, & malam eſſe. quæ de bono Deo præcogitatio ſpem acuit Bethulienſibus, præſumptio bona eſt: quæ de ſua virtute præmeditatio fiduciam alit Aſſyriis, præſumptio mala eſt. *O præſumptio nequiſſima!* Prou.37.n.2. *Occlamat Syracides cap.37. n.2.* Græco textu ὦ πονηρὸν ἐνθύμημα! *O prauam argumentationem!* O præſumptam de bono Deo opinionem! quæ bene alit ſapientiam. Fatetur pudore ingenuo ſapiens ſe per Deum profeciſſe? qui de magiſtro optimo, quidquid haberet, præſumpſiſſet animo. *Mihi* (inquit) *dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum,* Sap.7.n.15. *quæ mihi dantur*, &c. *Sapient. 7.n. 15.* Pulchra hæc de Magiſtro Deo præſumpta opinio, ad ſapientiam comparandam. Hæc Dario digna præſumptio de Deo, apud Tertullianum *in ſcorpia. cap. 8.* Quínam igitur præſumentes de bono Deo Bethulienſes, niſi præfidentes homines? Addo præſagientes, Deum peccantibus adfuturum; hæc enim verbo vis eſt Sapient.c.17.n. 10. Sap.17.n. 10. *Præſumit ſæua perturbata conſcientia*, &c. Quid in loco præſumat improbus quiſque, niſi præſentiat animo, ac præuideat, quæ torquent hominem malè ſibi conſcium! Bonam certè ſpem concepêre Bethulienſes de ope impetranda præſumentes animo, ac præuidentes liquidò certum eſſe Dei auxilium præfidentibus piè, ac religiosè. Sed ex fletu communi Bethulienſium ad Holophernis vocem improbam, ſatis conſtat,

PARÆNET. II.

Deflere viros bonos, quæ peccent alij.

1. EA eſt à peccato Dei iniuria, hominiſque miſeria, vt lachrymas excutiat à bono viro improbitas aliena. Peccet malus quiſque, Deũque lædat grauiter; Deo offenſo, lancinat viros optimos; qui dolenter ferunt, Deum lædi erratis hominum: & illud in primis curant, vt ſuis lachrymis Deũ flectant ad indulgentiã, peccantéſque ducant homines ad pœnitentiã ſcelerum. Hoc affectu luget Paulus ſcholam Corinthiam. Nemo enim tam ſua, quàm Paulus errata deflet aliena. *Scripſi* (inquit) *vobis,* 2. Cor. 2. num. 4. *per multas lachrymas*, &c. *2.ad Cor.c.2.n.4.* papyrum ſcilicet madefaciens, & lituras conficiens lachrymis. Eò tendit Apoſtolus, cùm luget, vt alienam premat improbitatem, ſiue Deo ritè propitiato, ſiue auditorio piè cõmoto. *Quoniam de ſuis nõ habebat, quid lugeret, hoc pro alienis agebat*, &c. Sic Chryſoſt. *Hom.66.ad pop.* Hinc illæ erant, multæque lachrymæ, de quibus ad conuentum Epheſinum agit Apoſtolus; *ſeruiens Domino, cum omni humilitate,* Act.20.n.19. *& lachrymis, & tentationibus*, &c. *Act.c.20.* num. 19. Græcè μὴ πολλῶν δακρύων, *cum multis lachrymis*, &c. Duplex boni magiſtri nota eſt; altera, quòd faſtu non turget; altera, quòd auditorum lapſus deflet, Auctore Oecumenio. Id tamen à magiſtro hauſit Chryſoſt. *Vides, quod dolet in his, quæ fiunt? afficitur enim pro his, qui pereunt*, &c. *Hom. 44. in Act.*

Dolet pius Magiſter de erratis auditorum.

Nata ab amore eſt ratio dolendi; qui enim amat ſalutem alienam, dolet grauiter perire homines ſuamet improbitate. quo affectu commendatur Ieremias 2. *Machab. cap. 15. numer. 14.* Videt in ſomnis Iudas Oniam Sacerdotum Maximum; in proximo, 2.Mach. 15. n. 14. Ieremiam, de quo Onias ad Iudam. *Hic eſt* (inquit) *fratrum amator*, &c. Deinde monet Ieremiam factis apud Deum precibus, ſuam de fraterna ſalute curam ſanctificaſſe, *Hic eſt, qui multum orat pro populo, & ſancta ciuitate Ieremias*, &c. Sed Paſchaſius addit videri Ieremiam, ac dici fratrum amantem, hominem, threnis compoſitis ad fortunam deplorandam vrbis, ac gentis vniuerſæ; inde probat Vates, quo flagraret amore aduersùs Senatum, populúmque Iudaïcum. *Quia hic eſt* *Qui largè amat, largè dolet de malo alieno.* *fratrum amator, meritò vincit lamentationibus omnium lamenta lamentationum*, &c. Sic Paſchaſ. *lib.5.* Quis enim amat, & non dolet fratrem malè prolapſum in ſcelera? Dij magni! Quantus dolor Vatem angit? quo affectus malo plorat? Ieroſolyma ſcilicet euerſa *ſedet Ieremias flens, & planxit lamentatione hac, &* Thren.1.n.1. & 8. *amaro animo ſuſpirans, & ieiulans*, &c. hæc ad Threnes præfatio eſt. Deinde ſuam texit næniam de vrbe ſubuerſa: *Quomodo ſedet ſola* *Auditorum culpa, & pœna torquetur bonus magiſter.* *ciuitas?* &c. *ad 1. cap.n.1.* De immanitate ſcelerum, *Peccatum peccauit Ieruſalem*, &c.*n.8.* & hæc viris optimis erat dolendi ratio, ac deflendi: *ita vt omnium cauſas, ſuas facerent*, &c. addit Paſchaſius *lib. 2.*

2. Dolet Apoſtolus, dolet Ieremias, dolet & Daniel, etſi euectus ad honores maximos Cyro charus; *In diebus* (inquit) *illis ego Daniel* Dan.10.n.2. & 3. *lugebam*, &c. *cap.10.n.2.* Si quis rem expendat accuratè, rationes inueniat fortaſſe potiores, vt Vates gauderet, cùm ſciret Deum promiſſis ſtetiſſe. Regem Hebræo bonum eſſe, viros optimos de patria cogitaſſe. Quid ergo dolet, ac luget Vates? *Ego* (inquit) *lugebam*, &c. Sed erant homines amantes conſuetudinis Perſicæ, qui redire in patriam negligerent, nec Dei voces audirent. Ac proinde, addit Theodoretus Orat. 10. *Ipſum grauiter angit populi contumacia, & ſanctæ ciuitatis obliuio*, &c. Pertinax in peccando populus Danielem pungebat maximè, ſed precibus lachrymas, lachrymis ieiunium miſcebat Vates: *pa-* *Deum hominibus conciliat menſa caſtigata.* *nem* (inquit) *deſiderabilem non comedi*, &c. n.3. Quòd iam pridem ſeruauerat cap. 9. n.3. *Vt Deum illis conciliaret*, &c. teſte Chryſoſtomo *ad Rom. c. 8. Hom.14.*

A bono viro lachrymas excutit peccator.

3. Fœda à peccato Dei eſt iniuria, quam nemo bonus ferre poteſt, niſi dolens, ac lugens. Plorat meus Chriſtus, Luc. 19. n. 41. *Videns* Luc.19.n.41. *ciuitatem, fleuit ſuper illam*, &c ſcilicet præſenſit animo quæ nam Ieroſolymam latè peccatricem fortuna maneret. Hoc tactus affectu in amicum Lazarum, *lachrymatus eſt Ieſus*, &c. *apud Ioan.c.11.n.35.* Satis inſinuans mor- Ioan.11.n.45. tem peccati prolem eſſe. Peccant latè carnifices: veniam à Patre Deo expoſuit Chriſtus. *Cum clamore valido, & lachrymis*, &c. *ad Hebr.c.5.n.7.* Quo tantus Chriſto dolor eſt, vt Hebr. 5. n. 7. ploratum edat? *vt ex hoc cognoſceres quantis malis atterimur, & quantis egemus lamentis*, &c. *Luget Chriſtus vt peccator norit, quo vrgeatur facto.* Hæc Paſchaſius *lib. 3.* Peccant homines, & ex peccato contrahunt peſtes adeò graues,

vt

vt à Deo lachrymas eliciant: deinde peccati vis ita constans est, vt non remittat nisi Deo per Christi lachrymas propitiato. Inde tanta Christo est vis lachrymarum.

5. Explicat liquidò se à discipulo proditum iri *Ioann. cap. 13. n. 18.* deinde conceptum animo dolorem prodit n. 21. *Cùm hæc dixisset, turbatus est spiritu*, &c. Non timet crucem, ac necem Christus, abhorret Iudæ peccatum; monet Euthymius. *Præ nimia compassione turbatur; vehementer enim super eo dolebat*, &c. Nec à lessu temperabat vt patrem discipulo placatum redderet, discipulusque ad pœnitentiam conuerteretur. quæ viris magnis ratio deflendi est. Peccat Hebræus cum mulierculis Moabiticis: nec peccandi pudor est, Num. cap. 25. n. 1. *& fornicatus est populus*, &c. Quid Moyses? quid Aaron Pontifex? quid senes reliqui de grege pio, & casto? *Flebant ante fores tabernaculi*, &c. *num. 6.* Ad aras sanctè plorabant, quæ malus quisque peccaret. *Flebant, vt conuerterent Deum ab ira*, &c. Sic Abulensis *q. 6.* Neque enim gens pia comploraſſe visa est, nisi vt Deum Hebræo iratum mitigaret, peccantésque homines prouocaret ad lachrymas. Plorant ergo viri boni pro erratis alienis. Dolet Ieremias, luget Apostolus, gemit Daniel, dolent, ac lugent viri alij, Deo improbè offenso, & populo turpiter lapso, vt suis lachrymis, hominum, quos piè deplorant, lachrymas exprimant: *vt singuli discant sua deflere, quomodo ipse deflet aliena cuiusque delicta*, &c. Hæc Paschasius *in præfat. ad Thren.*

Io. 13. n. 18. & 21.

Ad peccati, non ad crucis aspectum Christus mouetur.

Numer. 25. n. 1. & 6.

Placatur Deus lachrymis.

Fletus viri boni fletum exprimit à viro malo.

6. Scilicet magna est hominis miseria, cùm peccat liberè, proindeque lachrymis etiam alienis curandus est, si qua possit via. Scio, quantum Dauid plorauerit Absalomum à Ioabo interfectum 2. *Reg.* 18. *num.* 33. Hæc inibi est Regis nænia. *Fili mi Absalom, Absalom fili mi! quis mihi tribuat, vt ego pro te moriar?* &c. Audit Pater Amnonem ab Absalomo occisum esse; dolet quidem, non tamen lamentatur, cap. 13. n. 36. *Sed Rex, & omnes serui eius fleuerunt ploratu magno nimis*, &c. Perit Absalomus telis confixus *cap. 19. num. 4.* semel, & iterum Dauid *clamabat voce magna: Fili mi Absalom!* &c. Totus in lachrymis Dauid est, natura pater. *Ad hæc accedebat, quòd tanquam pius luxit eum, qui non poterat curari per pœnitentiam*, &c. Sic Theodoretus *q. 36. in 2. Reg. lib.* & hæc dolendi vis est in patre valentior. *Planxit meritò Dauid super filio, cui perpetuò sciret obstructum exitum de ventre mortis, mole criminis*, &c. Ait Bernardus *serm. 26. in Cant.* Grande adeò malum est peccatum, vt vel ab hoste Saule Dauid procul abesse voluerit. Abit è viuis hostis peccati reus, vtpote qui sua se manu confecerit 1. Reg. cap. 31. num. 4. *Arripuitque Saul gladium, & irruit super eum*, &c. Id cùm Dauid resciscat, suum testatur dolorem musa tristi. *Planxit Dauid planctum huiuscemodi super Saul, & super Ionatham*, &c. 2. *Reg. cap. 1. n. 17.* Quòd Ionatham, vita defunctum sua, Dauid piè defleuerit, amicitia est: quod Saulem deploraverit, mœror est de hoste salutis deploratæ; qui sanari non poterat, remedio pœnitentiæ. Ait Magnus Basilius. *Namque hunc vt peccato immortuum luget*, &c. *Hom. 4.* Alioqui Saule, & hoste sublato occasio erat, vt Dauid altè gauderet. Ea peccati natura est, vt viros bonos adigat ad lessum, & eiulatum improbitas aliena.

Deflendus largè homo est, qui sine pœnitentia decedit.

2. Reg. 18. n. 33. & 13. & 19. n. 4.

1. Reg. 31. n. 4.

2. Reg. 1. n. 17.

Fletus aliena cuiusque delicta.

7. Sed magna inde laus viris bonis est. Nemo nescit notatos salutari litera viros esse, qui dolerent, ac lugerent. Quare Dominus ad Angelum, *Signa* (inquit) *thau super frontes virorum gementium, ac dolentium*, &c. *Ezech. cap. 9. num. 4.* Quid verò dolerent, ac lugerent viri magni, apponit subinde textus, *super cunctis abominationibus*, &c. Verè magni, boníque homines, qui dum suis lachrymis salutem curant alienam, suam cauent salutem, signata cruce nobiles. *Qua iubentur omnium gementium, ac dolentium frontes consignari, & consecrari*, &c. Docet Paschasius *lib. 1. in Thren.* Fortasse accepit à Hieronymo, quo Magistro, *extrema thau litera crucis habet similitudinem, qua in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur*, &c. *apud Ezech. cap. 9.* Benè est; quid inde colligis Doctor maxime? Apponit Hieronymus. *Gementes igitur, dolentésque saluantur: qui non solùm malis non consenserunt operibus, sed & aliena planxerunt peccata; inde & ipse Paulus dicebat: Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus*, &c. 2. *ad Corinth. c. 5. num. 4.* Noueris ergo, necesse est, homines piè dolentes de suis, alienisque peccatis, cruciferos esse nobiles; deinde Magistros notæ sapientiæ, quæ extrema ת *Thau* litera denotatur, *vt perfectam in viris gementibus, ac dolentibus scientiam demonstraret*, &c. Pulchrè Hieronymus. Quis enim verè sapit, & non dolet, non gemit, non plangit suam æquè ac alienam improbitatem? Hæc, puto, illa est doctrina, quam Ieremias scitè claudit prima ad Threnos litera, Aleph scilicet, Hebræo, *doctrina.* Magna in lugendo sapientia est; *quam bene Propheta doctrinam perceperat, qui mœrens dicebat: Quomodo sedet sola ciuitas*, &c. sic Paschasius *lib. 1. in Thren.* Duplex igitur piis lachrymis lucrum est; alterum, quòd Deus iudex flectitur ad veniam scelerum; alterum, quòd malus homo trahitur ad pœnitentiam. Addo notatam, nostris lachrymis, peccati cuiusque immanitatem: quæ quidem Bethulienſibus ratio dolendi est, *communi fletu, & lamentatione*, &c. cùm audirent Holophernem Deo improbum, ac ceruicosum fuisse. Sed Assyrio malè opinante perstat Hebræus, fide sana, illud iterans publicè: *Domine Deus cœli, & terræ.* Eóque Dei magni elogio trudit longè Idolomaniam Assyriam; satis vt noueris

Fletus ab offenso executit, qui moritur peccati reus.

Ezech. 9. n. 4.

Cruce nobilitantur, qui alienas deflent scelera.

Suam cauet salutem, qui aliena deflet piacula.

2. Cor. 5. n. 4.

Ad sapientiam mysticam facit luctus, scelerum pius dolor.

PARÆNET. XII.

Non frigere bonos viros aliena improbitate.

1. MVlta vitio vis inest, vt transuersos agat homines, si quis adsit Magister, & admoneat exemplo moris pessimi. Sunt tamen homines probatæ virtutis, qui à via rectè viuendi

uendi non dimouentur, etsi malis agantur hominibus. Addo accendi hosce pios homines vehementiùs ad probitatem morum, quo solutiores offendunt nepotes. Erant quidem Romæ, cùm Magister inibi Cato viueret, boni, malique homines, Lælius cum cœtu optimo; Clodius cum grege pessimo. Sed, quod notat Seneca, *vtraque turba opus erat, vt Cato posset intelligi*, &c. *ad lib. de tranquillit. cap. 5.* Nam comparatus viris bonis Cato, longè eminebat, *velut inter ignes Luna minores*, &c. & improbitate septus aliena, accendebatur ad rectè viuendum. Adigit improbus, vt probè agas, si qua tibi virtutis cura est. Quantus hac laude Ezechias! Mittit Sennacheribus epistolam, quæ tumore Assyrio Idolomaniam continet improbam, Deique Magni insignem iniuriam. *Non te seducat Deus tuus*, &c. inquit

4 Reg. c. 19. n. 10. & 19.

4. *Reg. cap.* 19. *num.* 10. Non tulit Hebræus Princeps superbè tumentem hominem, cùm acciperet literas, piè templum adiit, Deo se deuouit, precibus infimis. *Domine Deus Israel, tu es Deus solus Regum omnium terræ*, &c. *n.* 19. Illum Hebræus cuneum duxit aduersùs Assyrium, affectum scilicet de fide seruanda, & religione tuenda: secum reputans ostentandam esse bono viro pietatem, vbi malus homo

Ad fidem bonus accenditur Idololatra oblatrante.

profitetur impietatem publicè. Cùm enim sua Deus gloria periclitatur apud homines improbos, necesse est, vt pius homo Deum iactitet gloriosè; & quæ altè de suo Deo cogitat, professione exponat publica. Inde est, quòd Ezechias epistolam à Sennacheribo missam Deo expandit: *vt tanta blasphemiæ testem adhibeat, eiusque dominium in omnes, & falsos esse Gentium Deos profiteatur*, &c. sic Procop. *ad Isaiam cap.* 37. Piè, ac scitè Hebræus Princeps Deum Diis opponit, verum vanis; nec friget ad fidem Sennacheribo malè opinante: sed diuinitatem vnicam vendicat ab iniuria.

2.

Audit Iacobus Labanum de vanis Diis di-

Gen. 31. n. 53.

centem improbè Gen. 31. num. 53. *Deus Abraham, & Deus Nachor iudicet inter nos*, &c. Hebræo textu, *Dij iudicent*, &c. quos scilicet, & auus, & pater coluerant. Patet id ex *Iosuæ cap.* 24. *num.* 14. Hosce ergo testes Labanus adhibet, vbi pactum cum Iacobo init. Quid verò Iacobus? *Iurauit Iacob per timorem patris sui Isaac*, &c. *num.* 53. Tactus metu religioso vnum, ac verum opponit Deum, quasi aduersarium Diis vanis; ac ne fides malè habeat, quid animo credat, voce expromit libera, & publica. Id sui officij esse putarunt iuuenes, cùm Idolomaniam statua dedicatam nossent.

Deum Dijs, verùm vanis Iacobus opponit.

Dan. 3. n. 5. 12. & 18.

Dan. 3. num. 5. clamitabant tubicines ad gentem vniuersam. *Cadentes adorate statuam*, &c. Quid iuuenes fide integra? accusantur apud Regem de contemptu sanctionis Regiæ n. 12. *Viri isti contempserunt, Rex, decretum tuum, & Deos tuos non colunt*, &c. Benè delatores mali; nec id negant iuuenes num. 18. *Notum tibi sit Rex, quia Deos tuos non colimus*, &c. In tanto Idolomaniæ studio, quo flagrabat gens vniuersa, necesse erat, vt fidem boni iuuenes tuerentur elogio publico, licèt ignes haberent coram. Et hæc Tertulliano interpretatio est, in Scorpia. cap. 8. *Proinde* (inquit) *trina fraternitas, cùm dedicatio imaginis Regiæ vrbem vrgeret officio, non ignorauerunt, quid fides exigeret; moriendum scilicet aduersùs idololatriam*, &c. Calent Dei cultores, etsi frigent homines alij: vrgétque pietas grauiùs, vbi obtinet impietas.

Vrgetur bonus ad fidem tuendam Idolomania aliena.

Quòd si idololatres modos inuenit musicos, *vt omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, & vniuersi generis musicorum, prosternat se*, &c. *num.* 10. faciliusque homines Idolomaniam concipiant, ait Chrysostomus *ad Hom.* 4. *de Patient.* Inde enim est, quòd Nabuchodonosor ignes coniungit musicis, *vt & voluptas, & terror assistentium animos obsideret*, &c. Canunt Deo iuuenes, musicisque tormentis, & profanis cantionibus sacram opponunt cantilenam: *laudamus Deum, & benedicentes Domino*, &c. *num.* 24. Totus est chorus in agendis piè gratiis, bonisque explicandis, quæ ad vnum, verumque Deum, maximè pertinent; & ea de re benè longum texit carmen. Id verò? *vt flagrantius ob beneficiorum memoriam hymnum perficerent; deinde quod & Chaldæos foris audientes docere conabãtur*, &c. Sic Theodoretus *Orat.* 3. An hæc viris bonis cura est, stare, non labi ad aspectum improbitatis alienæ? Aio. Adsunt Principes, & gentes locis innumerabiles; cadunt metu concepto, & cadunt in venerationem Dæmonum; scilicet,

3.

Dan. 3. n. 19. & 24.

Nocet profana cantilena.

Vrgent ad canendum piè Dei beneficia.

Dan. 3. n. 7. & 18.

adorauerunt statuam, &c. *num.* 7. Sed perstant iuuenes fide sana: imò flagrant ad pietatem exercendam; clamitántque publicè num. 18. *Deos tuos non colimus*, &c. In locum bene Chrysostomus, *Hoc* (inquit) *maximum est, quòd cadentium multitudo ipsos non terret, non soluit*, &c. *Hom. citata.* Puto ego accensos piè iuuenes Idolomania aliena, vt fidem tuerentur sanam; vim enim, & artem cogunt, cùm affines scelerum agunt licentiùs: *Nam bene vti pugnes, benè pugnans efficit hostis*, &c. & ignem excitas, gutta iniecta.

Non cedit bonus exemplo moris pessimi.

4.

Credo Lothum improbitate septum aliena, captasse inde occasionem vitæ religiosiùs instituendæ. Apud Abramum Lothus rerum cupiens est: quod notant Interpretes *ad Gen.* 13. *num.* 10. & 11. Neque enim Abramo, licèt patruo, potestatem facit deligendi, quæ placerent. Inuidet Lothus, & minus cum patruo, ac sene sentit: vnde nata dissidia. *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul*, &c. *num.* 6. Sedem Lothus figit in Sodomis *n.* 12. ibi loci pius admodum homo est. Hospites inuitat reuerendissimè, cibátque mensa apposita: peccantes ciues monet sanctè, auertítque à peccando. Quid multa addiderim? Totus est Lothus in vita piè colenda. Vnde tantus Lotho amor viuendi rectè, disco à Petro. *Aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui animam iustam iniquis operibus cruciabant*, &c. 2. *Petr. cap.* 2. *num.* 8. Illud ex loco eruo, curam Lotho susceptam, bene agendi, ex quo nullus malos homines contineret pudor peccandi, accensúmque piè virum ad pietatem ex impietate aliena, quod solet.

Gen. 13. n. 6. & 12.

2. Petr. 2. n. 8.

Cogit virum bonum ad rectè viuendum improbitas aliena.

5.

Athenis Paulus Deos videt cultos maximè aris, & statuis pulchrè erectis, quos inter, aram notat consecratam *Ignoto Deo*, &c. Act. 17. num. 23. *Prætereuns*, (inquit) *& videns simulachra vestra, inueni aram*, &c. Ex occasione Magister hominum Paulus concepit impetum differendi, quæ de Christo, Magnóque

Act. 17. n. 23.

Deo

Deo ſentiret. *Quòd ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*, &c. quaſi nota Athenienſium Idolomania gradus Apoſtolo fuerit, vt vnum, verúmque Deum piè cogitaret, ſcitè aſſereret, ſtrenuè commendaret. In locum Cyr. Alexand. *Ibi aras etiam Gentium luſtrans, in ſanctis poſitus erat, quia ſancta cogitabat; & ex hoc verbo prædicationis ſumpſit exordium*, &c. *lib. ad Leuit.* Hæc Cyrilli dicto ſubeſt anima, Paulum ſcilicet, nota Athenienſium Idolomania exiſſe ſeſe, vt fidem tueretur, ac religionem induceret, verumque Deum ab iniuria vindicaret: nec vano Dæmonum cultu retardatum, vt frigeret ad pietatem, inter aras, turpeſque Dæmonum titulos de Magno Deo piè cogitaſſe. Intendunt vires animo boni viri ad fidem ſeruandam, & mores colendos, cùm ſeptos ſe vident improbitate aliena. Chananæam, Deo duce, perluſtrat Abramus, aras vbique ſacras erigit. Sichimam adit Gen. 12. num. 7. *Ædificauit ibi altare Domino*, &c. Luzam inde petit num. 8. *Ædificauit ibi altare Domino*, &c. Pergit ad Hebronem cap. 13. num. 18. *Ædificauitque ibi altare Domino*, &c. Multus Abramo ardor, & cura pertinax eſt pietatis oſtentandæ, inter aras Dæmonum, & cultores Idolomaniæ publicæ. Neque enim temere inuexit Moyſes *cap. 12. num. 6.* priuſquam de Abrami pia cura diceret, *Chananæus autem erat in terra*, &c. ſcilicet populus Diis vanis deditus. Vtique monere voluit Moyſes irritari bonos viros ad fidem piè ſeruandam aſpectu improbitatis alienæ: Chananæo idolatriæ Magiſtro, Abramum non frigere, ſed calere ad religionem tuendam: quæ Bethulienſium laus vna eſt. Nam Holopherne minante: *Non eſt Deus, niſi Nabuchodonoſor*, &c. Dolent quidem inſaniam vani hominis, ac deplorant Magni Dei iniuriam, *communi fletu, & lamentatione*, &c. Sed fidem tuentur ſanam religioſa profeſſione, & publica, dicentes: *Domine Deus cæli, & terræ*, &c. Quid tamen agat gens Deo ſacra, eóque ſancta, quòd ſemota ab hominibus; hæc enim ineſt anima hiſce precibus: *& faciem Sanctorum tuorum attende*, &c. Non repono, quæ ex loci commentario elicias facilè, homines ſcilicet vita ſanctos Hebræa ſchola, ſeparatos dici; quo pareat

Dæmonum cultu vano irritatur Apoſtolus ad fidem Chriſti aſſerendum.

Gen. 12. n. 7. 8. 6. & 13. n. 18.

Inter Dæmonũ aras pius homo Deum cogitat, & colit.

PARÆNET. XIII.

Longè à vulgo hominum agere viros bonos.

I. COnſtat ſanctitatem morum ali ſeceſſu, ac proinde homines vitæ integros procul agere à vulgo hominum, à foro ad cubiculum abire, ab vrbe ad ſolitudinem profugere. *Vſque adeò conducit ad ſalutem ſeceſſus ab vrbanis tumultibus, vt & Dei filius, relictis vrbibus, eos, qui purè viuunt, in montis iugo beatos prædicauerit*, &c. ſic Peluſiotes *lib. 1. Epiſt. 77.* eóque ſpectat, quòd Magiſter Deus in Ithabyrio ſcholam aperuerit, theſeſque propoſuerit de re beata, apud Matth. cap. 5. num. 3. *Beati pauperes, beati mites*, &c. Quaſi vellet ſeceſſum à commercio humanæ gentis percommodum eſſe ad viuendum bene, ac beatè. Scio chorum propheticum inire ſola, & vaſta loca: vnde Helias ſuum colit Horebum 3. *Reg. 19. num. 8.* Heliſæus Carmelum habet 4. *Reg. 2. num. 15.* Sed & homines alij Deo familiares, quàm paupertas cogeret, ſedem figebant. *In ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis*, &c. quod Paulus monet *ad Hebr. cap. 11. num. 38.* vnde Paulinus vim concepit admonendi, quid Monachis agendum eſſet Epiſt. 29. ad Aprum. *Educentur, ſicut Prophetarum filij, qui tumultuoſam ciuitatis habitationem, ad componendam pacem ſilentij, declinantes, iuxta Iordanis alueum habitacula ſibi ſecreta metati ſunt*, &c. Et quidem Nilus in Aſcetico putat viros bonos abiiſſe à domeſticis ad ſolitudines, vt piè viuerent. *Idcirco relictis hominibus, in loca ſolitaria ſe ſe conferebant, procul ab eorum interpellatione*, &c. Hæc Chriſti vox ad virginem eſt Cant. 2. num. 14. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua*, &c. Poſtulat Chriſtus antro ſe ſe virgo abdat, & ſyluis condat, vbi commercium hominum modicellum eſt, Auctore Theodoreto. *Vult illam etiam à præſenti vita remotam eſſe*, &c. Id verò, ſi velit ſuo virgo Deo frui, & ſuos piè mores colere: inibi enim & facies pulchra, & vox Deo grata eſt; quod ſponſus teſtatur, ſcilicet virginem curis exutam, & forma venuſtam eſſe cupit, qui procul ab hominibus eſſe iubet. Id ſi præſtes, Chriſtus iterum, *Decoram tu mentem habes, nullis huius vitæ ſolicitudinibus contaminatam*, &c. ex Theodoreto. Vnde audit: *Vox tua dulcis, & facies tua decora*, &c.

Beatus, qui montes piè colit.

Matth. 5. n. 3.

Hebr. 11. n. 38.

Procul ab hominibus rectè agit bonus homo.

Cant. 2. n. 14.

Mentem piam interturbat turba impia.

Abeas igitur à contubernio hominum, domumque repetas, & clauſo cubiculo, vitam ſanctè inſtituens, Deũ piè colueris. Perdis mores, ac Deum à te lõgè fugas, niſi fugis vrbem, ac ciues, aulã, & Principes. *Quos nimirum dum proſequimur, quid aliud, quàm monachonoſtro, qui latebat intrinſecus, damus repudium*, &c. Ait Petrus Damiani *lib. 2. Epiſt. 27.* officiunt tibi conſuetudines hominum familiares, ſi quos officio curas aulicè, cùm te longè à Deo curando reuocent. Domo exit virgo affectu pio mota, vt Chriſtum adeat, *Cant. 3. num. 2.* ſed vrbem percurrit, non agrum petit, vt inueniat. *Per vicos* (inquit) *& plateas, quæſiui, & non inueni illum*, &c. Quæſierat iam pridem lecto affixa Deum: ſed abeſt à lecto geniali Deus. *& non inueni*, &c. Per vrbem virgo curſitat, forum intrat, in foro mercatum terit; quod textus Græcè habet, ἐν ᾗ ἀγορᾶις, ſcilicet, *in nundinis*, &c. ſed nuſquam Deus eſt. Quis enim Deum inueniat in vitæ otio, & fori negotio. Bene Paſchaſius lib. 3. in Thren. *Requirendus eſt modus, vt inuenire queas, videlicet, non cum deſidioſis in lecto, neque in nundinis, vbi ſæculi negotia meditantur, aut laſcinia peruagatur*, &c. Illud Paſchaſius; vrbes fugito, ciues, actioneſque forenſes, à quibus Deus longè abeſt, vt vitium fugias, virtutem ſequaris, ac tuo fruaris Deo. Cur ſacris è locis abeat Monachus, licèt adigant parentur negotia? cautum id lege lata eſt Leuit. 21. num. 11. *Super patre ſuo, & matre non contaminabitur*, &c. ſcilicet Pontifex; neque enim parentum curabit cineres, ac tumulos, ſine graui piaculo. Addit textus

Curia morum incuria.

Cant. 3. n. 2.

Nec in vita otio, nec in fori negotio Deus inuenitur.

2.

tus num. 12. *Nec egredietur de Sanctis, ne polluat sanctuarium Domini*, &c. Video quàm longè Deus vellet à domesticis, nedum ab hominibus reliquis Sacerdotum Maximos, Deóque familiares homines. *De Sanctis enim Sacerdos egreditur, cùm ecclesiastica disciplina postposita, transeuntium causarum negotiis immoderatiùs implicatur: vbi apte subiungitur, ne polluat sanctuarium Domini*, &c. sic Petr. Dam. *lib. 3. epist. 9.*

Rebus forensibus ineptè adest Pontifex.

3. Sensit Nazianzenus solitudinem sibi perutilem fore, ad mores piè colendos. Vrbem fugit, agrum petit, imò secessum Deo familiarem init, *vt ab omni* (inquit) *feriatus negotio, tranquillè philosopher mecum ipse, & cum spiritu colloquium habeam*, &c. *Orat. 5.* Inanes æquè, ac tristes curas alit, qui sese negotiis curandis inserit, cùm suum, ac iustum Deo obsequium debuerit. Hasce ineptias hominum piè Ieremias dolet, ac deflet *Thren. 4. num. 7.* Nazaræos Vates laudat à vita piè inita. *Candidiores* (inquit) *niue*, &c. sed hoste fremente, ac premente, *denigrata est super carbones facies eorum*, &c. Vnde tanta est rerum, & hominum demutatio?

Thren. 4. n. 7.

——— ——— ——— ———*euadat*

Vt subitò coruus, qui modò Cygnus erat?

Addit Vates, *& non sunt cogniti in plateis*, &c. Nemo agnoscit, nemo veneratur in plateis, quos à plateis reuocat instituta vitæ ratio: eóque ignobiles, facie denigrata, quòd ignoti profanis etiam hominibus homines. Paschasius benè loco citato. *Frequentia platearum dedecorat Nazaræos, & peregrinam inducit faciem*, &c. Ne laboraret Debbora hac morum, nigráque nota, vrbem fugit. *& sedebat sub palma*, &c. *Iud. cap. 4. num. 5.* scilicet tectum casulæ è palma appensum optauerat mulier oppidò sapiens, vbi factus erat locus vitæ sanctè excolendæ; solet enim solitudo vitam bene iuuare, & mentem scitè instruere. Sic Hilarius lib. aduersùs Arian. & Maxent. *Montes mihi, & syluæ, lacus, & carceres sunt tutiores; in his enim Propheta Dei spiritu prophetabant*, &c. Sciebat Hilarius, quid Ieremias sciret cap. 32. num. 1. *Factum est enim verbum Domini ad Ieremiam*, &c. Quid edixisset, quàm scitè, quàm piè Vates, benè tenebat Hilarius: *& Ieremias erat clausus in atrio carceris*, &c. Quo in loco Helias agebat, cùm imbres à Deo missos Achabo prædiceret? 3. Reg. c. 18. num. 44. *Iunge currum, & descende, ne occupet te pluuia*, &c. In Carmelum Vates abierat, vt Deum oraret, ac exoraret; quod habes *num. 42.* sua sub quercu Abrahamus sedem habebat, cùm Deum piè coleret, hospitésque ad fidem, ac pietatem inuitaret; Gen. 21. num. 33. *Plantauit Abraham nemus, & inuocauit ibi nomen Domini Dei*, &c. Procul à conuictu hominum abierant viri magni, studio vitæ religiosiùs excolendæ, in solitudines; *in his enim Propheta Dei spiritu prophetabant*, &c. Rerum scilicet diuinarum auditores, & cultores optimi.

Monachum denigrat congressio cum hominibus.

Iud. 4. n. 5.

Ier. 32. n. 1.

3. Reg. 18. n. 44. & 42.

Solitudo rerum maximarum schola.

Genes. 21. n. 33.

4. Nosti vitam rusticam priscis mortalibus actam esse. fatentur id ingenuè apud Pharaonem Patres gentis Iudaicæ, Gen. 46. num. 44. *Viri pastores sumus nos, & Patres nostri*, &c. Nec hac de re mentita est iniquitas sibi, *& ratio esse potest*, ex D. Thom. in Gen. *quia istud officium est aptum simplicitati, & orationi: vbi propter pastorum multitudinem, magna est sequestratio à plebe, & turba*, &c. Quis suo cum Deo loqui potest liberè, si frequentes cum hominibus sermones conferat? Patrem oraturus, & montem, & hortum petit Iesus Optimus. Longè à discipulis Magister est Luc. cap. 6. n. 12. *Exiit in montem orare*, &c. Deinde post mensam turbis appositam, Matth. 14. n. 23. *Dimissa turba ascendit in montem solus orare*, &c. Nemo in hortum penitiorem abit cum Magistro, vt Patrem alloquatur, sed, quod patet, *Auulsus est ab illis, & positis genibus orabat*, &c. *Luc. 22. num. 41.* Docuerat Magister Opt. apud Matth. 6. num. 6. orandum clauso cubiculo, ne quis orationis esset arbiter: *Ora Patrem tuum in abscondito*, &c. Dictum facto probat; sic Bernard. serm. 40. in Cantic. *Quod dixit, fecit: solus in oratione pernoctabat, non modo se à turbis abscondens; sed nec vllum discipulorum admittens*, &c. Cur ita? Bernardus iterum, *Ergo & tu fac similiter, quando orare volueris*, &c. scilicet, effugies & homines, & curas hominum. Addit Bernardus, *O sancta anima, sola esto, vt soli omnium serues te ipsam?* &c. Fortasse Deum fugabis à te procul, nisi effugias sermones hominum, consuetudinésque familiares. Prior in sententia Tertullianus *ad Martyr. cap. 2.* Vide, quæ assuo, *parænet. 28. ad cap. 5.*

Multa virtutum messis à secessu.

Luc. 6. n. 12.

Matth. 14. n. 23.

Luc. 22. n. 41.

Matth. 6. n. 6.

Orat liberiùs qui secretiùs.

Negat virgo sapiens suo se cum Deo agere, nisi clanculum, Cant. 2. num. 4. *Introduxit me* (inquit) *Rex in cellam vinariam*, &c. Imò negat se à Deo quæritando cessaturam esse: *Donec* (ait) *introducam illum in domum genitricis meæ*, &c. *cap. 3. num. 4.* modò inuitat in hortum genialem, cap. 5. n. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c. Modò in montem accita audit: *Vadam ad montem Myrrhæ*, &c. *cap. 4. num. 6.* Iam tandem virgo Christum euocat in agrum, & villam, procul ab oppido: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*, &c. *cap. 7. num. 11.* Itaque multis ostendunt virgo æquè, ac Deus secessum rebus piè agendis aptum, natúmque esse; quod à Gilberto disco. *Nouit illa, quàm durum est in dilectionis iura peregrinas admittere curas, & cæleste secretum sæcularibus infestare turbellis*, &c. *serm. 11.* Norum Gilberto, quantum nocuerit precibus piè faciendis, & moribus castè poliendis, sermones hominum faciles, & familiares necessitudines. Nouit & Hebræa schola, quæ viros sanctos ab hominibus seiunctos ac semotos esse docet, vt Deus suam rebus trepidis manum addat: quod repetunt Bethulienses, *& faciem Sanctorum tuorum attende*, &c. Deinde exponunt, quid à Deo velint, scilicet, *Ostende, quoniam non derelinquis præsumentes de te*, &c. & hæc iustis precibus fortuna est perpetua, vt spem faciant impetrandi à Deo, quæ poscas. Dicas ergo,

Cant. 2. n. 4. & 3. n. 4. & 5. n. 1. & 4. n. 6. & 7. n. 11.

Nocent precibus faciendis sermones cum hominibus, facilésque necessitudines.

PARÆNET. XIV.

Orationem verè præsumptam de bono Deo opinionem esse.

1. ROgari ab hominibus Deus amat, vt quæ præstiterit, Deum ostendant, argumento notæ

notæ bonitatis. Et verò Deum probes, si quid à Deo petas, spe concepta obtinendi; professus latè facultatem Deo esse, ac voluptatem dilargiendi. Certè,

Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit, &c.

Sic Epigrammatistes Deum colit, dum rogat Cæsarem *lib.* 8 *Epigr.* 24. Nec sibi cōstat Origenes, si Christum verè Deum fatetur, & orandum piè, negat impiè. *Cassum illi nomen diuinitatis indulgens*, &c. Ait Theophilus Alexand. *Epist.* 2. *Pasch.* Quis enim Deus esse potest, qui rogari non debuerit; cùm nota sit quidquid rogatur, eroget facilè. Probat id Ambrosius *ad Ps.* 37. Angelum Deus inhibet à Ierosolymis diuexandis. *Sufficit*, (inquit) *nunc contine manum tuam*, &c. 2. *Reg. cap.* 24. *num.* 16. sed instat adhuc Angelus, nec abstinet à feriendo. Nam proximè, *Dixit Dauid ad Dominum cùm vidisset Angelum cædentem*, &c. *n.* 17. Deinde aram extruxit, hostiámque mactauit n. 25. *Ædificauit ibi altare Domino*, &c. Quibus sacris postquam Dauid operatus est, totus in salutem hominū Deus redit. *Propitiatus est Dominus terræ*, &c. Hæc ita. quasi Deus preces à Deo exigeret, quibus res plenè ageretur. *Quia Dominus, etsi vult ignoscere, vult rogari; & vt rogetur, hortatur*, &c. scitè Ambrosius.

Rogari Deus amat.

2. Reg. 24. n. 16. 17. & 25.

Deum Deus agit cùm erogat, quidquid rogatur.

2.

Sciebat Christus, quibus hominibus opus esset, vt fructum cogeret probatæ sanctitatis. *Messis* (inquit) *multa*, &c. *Matth. cap.* 9. *num.* 37. Decreuerat mittendos esse messores, quod in proximo factum est. *Conuocatis duodecim discipulis*, &c. *c.* 10. *n.* 1. non tamen vrget homines, sed rogat, vt rogent. *Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios*, &c. scilicet rogatus cupit facere, quod in votis, ac decretis habet. sic Lyra. *Ex quo patet, quòd licet Christus velit aliquid facere; tamen vult à iustis exorari*, &c. tantum iustis precibus tribuit Magnus Deus. Quod Abulensis probat *quæst.* 10. sed à Magno Gregorio doctrina est 1. *lib. Dialog. cap.* 8. Notat Pontifex, nato Isaaco, promissam Abrahamo prosapiam generis nobilissimi Gen. 21. num. 8. *In Isaac vocabitur tibi semen*, &c. firmatamque fidem oraculi promissis multiplicatis, ad cap. 22. num. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes*, &c. Scio tamen, Rebecca sterili, excitatum virum, ad Deum piè orandum, exorandumque, vt promissis staret suis. *Deprecatusque est Isaac Dominum pro vxore sua*, &c. *Gen. cap.* 25. *num.* 21. Rogari Deus voluit, ne differret beneficium. quod expendit Gregorius. *Sed nimirum constat, quia prædestinatio precibus impletur: quando is, in quo Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit, vt filios habere posset*, &c. Rerum scilicet magnarum capaces precibus fiunt homines. Ius erat, & quidem hæreditarium, vt Christo cederent Gentes locis infinitæ. quod Pater explicat Psalm. 2. num. 8. *Dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam*, &c. Sed iuber, vt exigat quod suum est. *Postula* (inquit) *à me*, &c. Sed dulce, ac decorum Deo est, dare, quod rogatur, solito citiùs, vt sit meritum, non gratia, quod acceperis.

Matth. 9. n. 37. & 10. n. 1.

Lenocinatur Deus iustis precibus.

Gen. 21. n. 8. & 22. n. 18. & 21. n. 21.

Precibus hominum firmantur Dei promissa.

Ps. 1. n. 8. *Rogatus erogare Deus amat, vt sit meritum, quod impetraueris.*

3.

Inde est quòd preces ab hominibus exigant Magister, ac discipulus. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, orationes*, &c. ait Paulus 1. *ad Timoth.* 2. *num.* 1. Vrget Petrus 1. cap. 4. num. 7. *Vigilate in orationibus*, &c. Monet Christus Luc. 18. num. 6. *Oportet semper orare*, &c. qui præceperat Matth. cap. 6. n. 9. *Sic itaque orabitis: Pater noster*, &c. Nouit quidem bonus Deus, quid velimus, antequam petamus; cur iuber, vt oremus? Augustinus optimè; *Nisi velit exerceri orationibus desiderium nostrum, vt possimus capere, quod præparat dare*, &c. *ad Probam Epist.* 121. *cap.* 8. Vrgetur Deus Magnus iustis precibus, vt quod rogatur, celeriter, ac lubenter faciat; imò vigilat, & imminet occasionibus gratiæ communicandæ. Vide, qua id musa Dauid canit Ps. 13. num. 2. *Dominus* (inquit) *de cælo prospexit*, &c. Bene est; & quid è summa cæli aula Deus bonus despicit? *vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum*, &c. Tanta Deo cura est de salute humani generis, vt præueniat preces hominum, paratus, & excubias agitans, ad opem ferendam. Vnde Magnus Basilius: *Disce hinc Domini philanthropiam*, &c. scilicet amorem hominum. *Prospicit de cælo, vt succurrat, & videat, num sit ægrotans medicum requirens*, &c. Qui toto cælo vigilat, in salutem hominum, facilè preces excipiat necesse est.

1. Tim. 2. n. 1. 1. Petr 4. n. 7. Luc. 18. n. 6. Matth. 6. n. 9.

Precibus affectus alitur quo citius obtinetur, quod petitur.

Ps. 3. n. 2.

Vigilat Deus in salutem hominum.

4.

Mirùm, quàm promptus adest precantibus Deus Optimus? In excubiis erat ille, qui pueris in lectulos collectis, summam sine somno ducebat noctem: cùm adiret Amicus *ad illum media nocte*, &c. paneisque peteret *Luc. c.* 11. *n.* 5. Quod verò pueri lectulis decumberent, & vtramque dormirent in aurem, patet facilè, cùm non accurrerent, pulsata ianua, sed Pater familiæ. *Et ille deintus respondens*, &c. *num.* 7. Certè Dominus famulis dormientibus non dormit; lecto cubat ad ianuam, sed excubat inibi ad salutem hominum, oratione piè suscepta. Bene Chrysolog. serm. 39. *O quàm pulsanti iste gestiuit occurrere, qui sic secreti sui cubile collocauit ad ianuam: qui dormientibus seruulis, pulsantis necessitatem solus & primus audiuit*, &c. Amanter Deus egit, ne quis pulsaret ostium precibus, & non citò auferret, quod precaretur. Quæ vna Magistro est ratio texendæ breuiter oratiunculæ, Matth. c. 6. num. 9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster*, &c. vbi taxat homines, qui longiores texunt orationes. *Orantes* (inquit) *nolite multum loqui*, &c. Consultò Magister formam inducit orandi breuiter, quod notat Chrysologus ser. 67. *Breuiter Christus orare docuit, qui citò vult postulata præstare*, &c. Quid si formulam præscribit orandi, vt scias, quisnam cælo modus precandi valeat, & Patrem facilè allicias? Placitum Cypriani est serm. 6. *Amica, & familiaris est oratio, Deum de suo rogare; agnoscat Pater Filij sui verba cùm precem facimus*, &c. Nec postulata negabit Pater quibus dicta à Christo orandi ratio patrocinatur, ac lenocinatur. Tertullianum Cyprianus emollire visus est, quo Magistro, oratio Deum pulsat. *Commendans Patri, quæ Filius docuit*, &c. *ad lib. de Orat. Domin. cap.* 9.

Luc. 11. n. 5 & 7.

Excubat, vt adsit precantibus Deus opt.

Matth. 6. n. 9.

Adulat Deus vt precibus annuat.

Artem precandi Christus docet, vt citò precator obtineat.

Quid orator à Deo non obtineat; si quot preces facit, tot clamores edit; cùm orat piè, tonat latè in Dei aures? Orat Dauid Ps. 16. n. 4.

5.

Ps. 26. n. 4. & 6.

Vnam

Vnã petij à Domino,&c.oratione habita apponit,quo affectu orauerit. *& immolauis hostiam vociferationis*, &c. *num.* 6. Deinde infert se à Deo canendo cessaturum non esse. *Cantabo,& psalmum dicam Domino*, &c.Vociferatio clamorem sonat militarem,indicemque virtutis masculæ, ait Magnus Basilius. *Eiusmodi verò est hymnodia*, &c. Testatur Dauid hoc affectu orationem victoriæ matrem esse, quippe quæ hostes frangat, Deo in auxilium exorato. Ac proinde orationem rectè dixeris hostiam militarem. Quantus oratione, tantus virtute bellica Iabes est,1. *Paralip.cap.4.num.9.* Textus inibi : *Fuit Iabes inclytus præ fratribus suis*, &c.& textus est de fortuna militari, qua hostes detriuerat,vrbes occupauerat,& rem gesserat gloriosè. quod patet ex *num.*10. vbi Iabes Deum orasse, ac exorasse dictus est. *Inuocauit Iabes Deum*, &c. Caietanus optimè. *vt hinc cognoscamus, quòd non solùm fuit potens, sed & religiosus*,&c. Cùm verò Iabes non audet in hostes, nisi oratione priùs apud Deum habita? sciebat quantas vires habeat oratio piè concepta, & ritè confecta; vt quid velit Orator, Deus præstet,supra votum hominis.

Deum vincit oratio, vincit hostes.

1.Par.4. n.9. & 10.

Pius in castris miles.

6. Tres tantùm panes mutuari ab amico voluit amicus ille,de quo iam pridem.Petit ille: *Accõmoda mihi tres panes*,&c.*Luc.*11.*n.*5.Cunctatur iste,sed victus precibus tandem præstat, quod rogatur, & plura multo. quod in scena Christus explicat *n.*8.*& dabat illi,quotquot habet necessarios*, &c. Scio, quid in loco addiderit Caietanus,Deum persæpe dare plura,quàm petantur. *Tres* (inquit) *panes mutuo petierat; victus importunitate, dat, non mutuo; quotquot indiget, non tres panes*, &c. quæ quidem iustis precibus virtus inest.Petas sanctè, obtinebis largè, rebus supra votum fluentibus.Quid boni Dauid non obtineat,precibus religiosè confectis?Ps.120.num.1. *Leuaui*(inquit) *oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi*,&c. Hæc à Deo tantùm Dauid. Accurrit, aduolat bonus Deus; & quod rogatur, citò præstat auxilium,Vate gratulante. *Auxilium meum à Domino*,&c.*n.*2.Benè Deus,sed pergit vltrà, & auxilio miscet plura. Illud in promissis est,num.6. *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem*, &c. Ab hoste Hebræum Deus eripit,quod rogatur; à Sole, & Luna tegit,quod non postulatur. Magna Dei bonitas, ait Chrysostomus, *quæ non pro modo nostræ necessitatis suum præbet auxilium, sed remunerationibus nostra quoque postulata superet*, &c. Cur ergo Bethulienses non præsumant animo grande à Deo præsidium,si preces mittunt,Deúmque piè vrgent? *Ostende,quoniam non derelinques præsumentes de te*, &c. Plura quàm petunt, facilè obtinebunt ad belli aleam. quod Ezechias rectè docet. Obsessus ab Assyrio opem à Deo exposcit, quæ soluat obsidionem 4.*Reg.cap.*19.*num.*4.Hæc enim ad Isaiam vox est,quem Deo oratorem Princeps legat.*Fac orationem pro reliquiis*, &c. satis sibi esse insinuans, si vitam seruaret Deo benè orato,& exorato, reddit Vates pro Hebræo: *Noli timere*, &c. *num.*6. Deinde pungit Assyrium num.7.*Reuertetur in terram suam, & deiiciam eum gladio, in terra sua*,&c. Quod quidem oraculum est de Sennacheribo malè mulctando.Quis te mi Domine,hac de re vrget? vrbem, ac Regem vendices ab iniuria; omittas dare,quæ de Sennacheribo perdendo sunt. Sed,teste Chrysologo,*semper Deus plura tribuit, quàm rogetur*, &c. *serm.* 95. Nemo igitur neget orationem sanctæ fiduciæ matrem esse, vtpote quæ iusta de bono Deo sit præsumptio. Rogatus enim piè Deus,erogat citiùs,& largiùs solito, quod rogatur.

Luc. 11. *n.*5. & 8.

Plura Deus tribuit,quàm rogatur.

Ps.120.n.1.2. & 6.

Preces hominum Deus bonis superat.

4.Reg.19. n. 4.6.& 7.

Solemne Deo est, plura, quàm rogatur,dare.

Num. 16. Finito itaque fletu,& per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt Achior, dicentes :

Num. 17. Deus Patrum nostrorum, cuius tu virtutem prædicasti,ipse tibi hanc dabit vicissitudiem,&c.

Num. 18. Cùm verò Dominus Deus noster dederit hanc libertatem seruis suis,sit & tecum Deus in medio nostri,&c.

Commentarius.

34. PReces lachrymis adornarunt Bethulienses, quod patet, diémque solidam hisce rebus dicatam esse voluere. Qui preces cum fletu miscent, bene credunt, suam lachrymis vocem esse Deo gratam? Vnde canit Dauid Psalm. 6. num. 9. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei*,&c. Verè loquuntur lachrymæ quæ apud Deum pro hominibus eloquuntur.

Ps.6.n.9.

Interdum lachrymæ pondera vocis habent, ait Naso. *quæ*, teste Laudunensi, *impetrant, non supplicant*,&c. Hæc ita:ne metus esset admonendi, vt quæ peccaueris, granditer defleas, lachrymásque Deo oratrices offeras. *Mittant Legatos pro suis delictis lachrymas; aduocatione fungantur prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis, & pudorem*,&c.Sic Roma Cypriano rescribit *lib.*2. *Epist.*7. Satis Deo facit lessus pœnitentiæ, & legationem pro latrone reo obit. quo affectu monet Ieremias Thren. cap. 2. num. 18. *Neque taceat pupilla oculi tui*, &c. Loqui probatur quæ tacere non debet pupilla dolentis oculi. *Quia ipsa, dum compungitur, magis, quàm loquentis verba,impetrandi effectum habet*,&c. sic Pasch. *lib.* 2. *in Thren.* scilicet lachrymis sua inest eloquentia ad persuadendum, sine dictione. Dauid iterum,*Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,dicentes*, &c. *Psalm.*118. *num.* 82. Quid enim dicentes oculi, nisi deflentes? mirum, quàm latè docent! quàm scitè loquuntur! quàm bene orant, dum plorant, oculi! quo amantiùs deficiunt, expressis lachrymis, eo eloquuntur loculentiùs:*defecerunt* (ait Dauid) *oculi mei, dicentes*, &c. Hac vna valent eloquentiâ apud Deum Bethulienses, qui quidem, finito fletu,& oratione completa;*consolati sunt Achior.*

Suam fletus vocem habet Deo gratam.

Thren. 2. n.18.

Ps.118.n.82.

Dicit oculus vbi deflet.

Addit textus Græcè, καὶ ἐπῄνεσαν αὐτὸν, 35.
& laudauerunt eum,&c. Magnum est,solatium laudum prologium, ad ignauiam animo abigendam.Quos nam addit animos laus addita,

vt

vt bellum ineas generosè. Laudo Angelum,
Iud. 6. n. 11. qui Gedeonem laudat à virtute bellica, *Dominus tecum vir fortissime*, &c. Iudic. 6. n. 11. Vrgere hominem volebat Angelus, vt hostem frangeret, laudes addit, quibus sese Hebræus erigat ad virtutem exerendam strenuè. scilicet,

——— *immensum gloria calcar habet*, &c.

4. de Ponto 2. Laudat ergo Hebræum Angelus, teste Abulensi, *ad consolandum eum; nam Deus missurus erat ipsum ad pugnandum contra Madianitam*, &c. q. 11. Hac via Bethulienses *consolati sunt Achior*, καὶ ἐπῄνεσαν αὐτὸν, *& laudauerunt eum*, &c. Nec Iacobum mulcet Angelus, nisi virtute laudata. Redit in patriam Iacobus, sed metu tactus fratrem adesse dolet. Postquam tamen luctatus cum Angelo Iacobus est, nomen capit, ac titulum virtutis masculæ; sic enim Angelus,
Genes. 32. n. 28. *Metum abigit nomenclatura nobilior.* *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*, &c. Id verò est, *fortis cum Deo*, &c. *Gen. 32. num. 28.* Iacobum, metu lenito, abire iubet Angelus, & nomenclatura solatur nobili. *Et vt Deus consolaretur eum, postea subditur, quid Angelus diceret: Non vocaberis Iacob, sed Israel*, &c. Abulens. *citatus.* Magnum à virtute laudata solatium est, magnúmque irritamentum ad sanctitatem morum piè alendam. *Non secus ac arbor, laudata virtutis crescit*, &c. ait Clem. Alex. lib. 1. Pædag. c. 10. *Qui enim fidem attendunt, tanquam per se docti, ac libero mentis arbitrio impulsi, laude augentur*, &c. Bene est, & à Dei schola est laudum solatium, quo tyro quisque virtutis viã terit facilè. Addo quæ Seneca ad 2. lib. de Ira c. 21. *Crescit licẽtia spiritus: assurgit, si laudatur, & in spem sui bonam adducitur*, &c. Hac via Bethulienses Ammonitam duxerũt ad fidem sanam, religionemque Iudaicam, *& laudauerunt eum, dicentes: Deus Patrum nostrorum*, &c.

36. Melius de rebus suis Achiorem sperare iubent homines, quàm minaretur, & cogitaret Holophernes, quippe qui Dei causam non frustrà apud hostem suscepisset, etsi vita periclitatus, officio enim Deus alienum vincit obsequium. Sed quare Bethulienses auspicantur sermonem ab hoc titulo? *Deus Patrum nostrorum*, &c. Modus sacro textu notus,
Exod. 3. n. 15. *Exod. 3. num. 15.* Moyses ad populum, *Dominus* (inquit) *Deus Patrum vestrorum misit me ad vos*, &c. *Deut. cap. 1. n. 11.*
Deut. 1. n. 11. Precatur Moyses, *Dominus Deus Patrum vestrorum addat*, &c. Vrget homines Iosue ad Chananæam occupandam
Ios. 18. n. 3. cap. 18. num. 3. *Quam Dominus* (inquit) *Deus Patrum vestrorum dedit vobis*, &c. Rem Petrus absoluit, auditorio ita conciliato, *Deus Patrum nostrorum glorificauit Filium suum Iesum*, &c. *Act. 3. n. 13.* Credo He-
Act. 3. n. 13. bræum hac loquendi forma laudatum ab antiqua fide, ac monitum, ne à sacra parentum via abeat. Quæ enim ab auis, atauisque hausta est religio, & radices altè figat, & honorem addat nepotibus, necesse est. Quid non prosit nepotibus antiqua Patrum fides? qua & vita sanctè acta commendatur, & schola pulsatur suspectæ nouitatis; *semper enim viris sanctis suspecta nouitas*, &c. Monet Augustinus *ad lib. de Anima.* Et quidem sana doctrina, prisca, & cana est, à Magistro dierum antiquo ducta, de quo Dan. cap. 7. num. 9.

Vrgetur filius parentum factis ad virtutem.

Velos. in Iudith.

Hoc telo Marcionem Tertullianus impetit, & iugulat, ad lib. 4. cap. 4. Lis est inter Catholicum, & hæreticum de vera, sanáque schola. *Quis* (inquit) *inter nos determinabit, nisi temporis ratio prascribens auctoritatem?* &c. Hoc argumento pungit Cresconiũ Augustinus lib. 2. cap. 35. *Sola* (ait) *catholica doctrina, per excellentiam vera, & antiqua dicitur, ad inuidiam falsæ, quæ noua appellatur*, &c. Hærent Patres Apostolo, à quo instructus bene Timotheus, vt fidem seruet: *Deuitans profanas vocum nouitates*, &c. 1. *Epist. c. 6. n. 20.* Græco textu, κενοφωνίας, *vocũ nouitates, & inanitates*, &c. Nota hæreseos intima est, noua doctrina: vnde Hæretici, Patrũ notâ appellantur Nouatores. Caue igitur vocum nouitates, quæ nouam, non quæ priscam inferunt doctrinam, & ab antiqua Patrum schola dissident. Ab hac prisca, & sana fide laudem sibi colligunt Bethulienses, cùm docent, *Deus Patrum nostrorum*, &c.

Auctoritatem scholis conciliat antiquitas.

1. Timoth. 6. n. 20.

Addunt bonum Deum Achioris obsequio 37.
gratificaturum largissimè. *Ipse tibi hanc dabit vicissitudinem*, &c. Quis enim Deo tribuit, & non recipit? ait Syracides cap. 35. num. 13.
Prou 35. n. 13. *Quoniam Dominus retribuens est*, &c. Tam certa Deo, & constans est ratio gratiæ reddendæ, vt monuerit Theologus *Orat. 16.* Deo offerendum, quidquid habueris. *Nam hoc ipsum accipere est, nempe Deo donare*, &c. Iam id pridem insinuans iussit Deus Exod. c. 23. n. 15.
Exod. 23. n. 15. *Non apparebis in conspectu vacuus*, &c. quo textu clausam Dei benignitatem putat Lippomanus. Acsi Deus vellet, *Non frustrà venies*, &c. Neque enim, si quid in aram attuleris, à me abibis tristi vultu, manu vacua. Et verò, nemo Deum suo colit officio, qui non auferat beneficium. Ac proinde contingat, necesse est, vt qui pro Dei causa, vitæ periculum subierat Achior, hostes videat malè mulctatos, Deo irato. Hac spe solantur hominem Bethulienses, & manum addunt, si velit à Gentilismo ad Iudaismum transire.

Officiũ Deus suo compensat beneficio.

Sit & tecum Deus in medio nostri, &c. Quod, 38.
puto, valet: Ius habeto nostræ ciuitatis. Diceret Troianus, more Latino ad lib. 2. Maron. *Noster eris*, &c. quæ quidem à iure ciuitatis ad ius amicitiæ ducta est locutio, si credis Lipsio *ad lib. 4 antiq. lect. cap. 20.* Hebræus id, forma loquendi alia: *sit & tecum Deus in medio nostri*, &c. Quo iure dictum de muliercula Ierichuntina, & paterna domo, ad Iosuæ c. 6.
Ios. 6. n. 25. n. 25. *Habitauerunt in medio Israël*, &c. Auctore Abulensi: *Transeuntes in nomen, progeniémque Israëlitarum*, &c. q. 11. Nec Moyses dissidet cùm dicat, Gen. 23. n. 10. *Habitabat Ephron in medio filiorum Heth*, &c. Græcè ἐκάθητο ἐν μέσῳ, *sedebat in medio*, &c. quæ loquendi forma Delrio sonat domicilium viri continuum, sedemque fixam iure ciuitatis. Vide Adagium 33. Eò traxeris, quæ
Exod. 29. n. 45. Deus addit, Exod. 29. n. 45. *Habitabo in medio filiorum Israël*, &c. Et textus est de sacro tabernaculo, Dei scilicet Magni domicilio; quod placet Oleastrio: nam Deus cum Hebræo, *Quasi vicinus cum vicino loquebatur, & communicabat*, &c. Hoc iure donatum volunt Achiorem Bethulienses, studiúmque intendunt religionis explicandæ, si velit proselytus aures dare; quæ & huiusce loci

Deus cum hominibus agit, vt amicus.

est explicatio. *Sit tecũ Deus in medio nostri*, &c.

39. Cura hæc Iudæo constans de hominibus ducendis ad Iudaismum. *Circuitis mare, & aridam*, (ait Christus) *vt faciatis vnum proselytum*, &c. *Matth.* 23. *num.* 15. Obiicit tamen Iudæo Christus studium malè sanum à vana gloriola. An Iudæus terra, marique laborauerit pro aduenis ad Iudaismum adducendis, lis est. Aiunt alij, negant alij; qui prouerbium in loco agnoscunt, negant Maldonat. & Salmeron *tom.* 4. *tract.* 33. ac Christus vellet: omnem mouetis funem, vt aduenam à Gentilissimo ad Iudaismum conuertatis. Sed quocumque abeam, certum illud est multos homines à gentilismo pertractos ad Iudaismum aduenisse; qui quidem proselyti dicerentur, hoc est, aduenæ, à verbo Græco προσηύδω, *aduenio*: quod habes 1. *Paralip. cap.* 22. *num.* 2. 2. *Paralip.* 2. *num.* 17. Ab Abramo hausta cura de fide explicanda, qui scholam videtur publicam hac de re aperuisse. *Ad conuallem illustrem*, &c. *Gen.* 12. *n.* 6. Hebræo textu: עד אלון מורה *Had Elon Moreh, ad quercum Doctoris*, &c. Nam *Moreh* à radice ראה *raah*, quod est *videre*, siue *monstrare*; *videns*, siue *monstrans est*; proindeque Doctor, quod in Abram quadrat. Nam cùm locum mutaret, domum erexit, agrumque adornauit arboribus; *& inuocauit ibi nomen Domini Dei*, &c. *Genes.* 21. *num.* 33. quo loci cogebat hospites scena, & cœna inuitatos basilicè. *Nihil exigens aliud pro pretio, quã vt orbis conditorem cognoscerent*, &c. Id ex Hebræa schola. Quis enim Dei amans, & non cogat hominis in huiusce Dei obsequiũ? Hæc Bethulienſibus cura, & vox est: *sit & tecum Deus*, &c. Disquirunt in loco interpretes, fecerint ne cautè Bethulienses, cùm Ammonitam ab Assyrio transfugam susceperint, & tractauerint facilè: rem versant Tirin. *in Iudith*, Serar. *q.* 4. Salian. *tom.* 4. *Anno Manassæ* 9. *n.* 46. quò te mitto. Sed Achiore laudato, aio,

Matth. 23. *n.* 15.

Aiunt alij, negant alij Iudæum curare de Iudaismo promouendo.

Gen. 12. *n.* 6. & 21. *n.* 33. *Abramus veri Magister.*

Deum hominibus explicat Dei amãs homo.

PARÆNET. XV.

Laudes rebus piè gerendis faces esse.

1. ASsurgit laude animus probatæ generositatis, & sese altè accingit, spe sui bona, ad virtutem exerendam. Ab equo discas laudandos esse, quos velis homines fortiter agere; si enim bona equo nota est, dolor, cùm victus abit:

Tum magis, ac magis blandis gaudere Magistri
Laudibus, & plausæ sonitum cernicis amare, &c.

quòd Maro notat 3. Georg. quas nam vires sibi parabit miles, animosque agendi strenuè à virtute laudata? Certè Fabij votum est, de puero in Oratorem deligendo: *Ille mihi puer detur, quem laus excitet, qui victus fleat*, &c. *lib.* 1. *c.* 3. Erit quidè puer iste de schola Rhethorica bene meritus, si laudum popismo tactus, rem aggreditur. Nec minor ad mores bene colendos stimulus est, laudata virtus. Sunt laudum popismata virtutum onera, quibus se Paulinus obstrictum fatetur. Laudatus à Seuero amicè rescribit, vrgeri se ea laudatione ad morum sanctitatem *Epist.* 2. Sic ergo ille: Quid me laudas, improbe, *onera rerum iniustis laudibus cumulans*? &c. Scio, scio, quò tua te ducit pietas: laudes ingeris, *vt dum nobis aliena bona indulges, stimulum pudoris suggeras; & lugentes, quod esse debemus, boni esse discamus*, &c. Sapienter sapiens laudat virginem, vtpote quam flagrare velit ad vitam piè agendam. Erat quidem virgo nouitia; quod patet ex *Cant.* 1. In hoc agendi principio, laudatur à Christo; & laudes cogit à pudore ingenuo. *Pulchræ sunt genæ tuæ*, &c. *n.* 9. à loquendi vsu. *Collum tuum sicut monilia*, &c. Nec vno contentus laudum prologio, laudat Christus iterum n. 15. *Ecce tu pulchra es, amica mea*, &c. Et hæc virtutis laudandæ ratio (teste Nysseno) vrget virginem ad virtutum castos amores. *Nam præclarè factorum prædicatio vehementiorem illis, à quibus sunt gesta, cupiditatem ad potiora indit*, &c. *Orat.* 3.

Ad virtutem accedunt virtutum laudes.

Cant. 1. n. 9. & 15.

Stimulis agitur ad potiora laudatus homo.

2. Quis nescit laudatos à Christo seruos esse de pecunia scitè mouenda, mysticè de vita sanctè agenda, apud Matth. cap. 25. n. 21. *Euge* (inquit) *serue bone*, &c. & cùm seruus adesset alius, suamque probaret curam de re bene gesta; Christus iterum, *Euge* (inquit) *serue bone*, &c. *num.* 23. Ita ne laudat publicè Christus homines? an ingrata Deo vox est, qua monet Syracides c. 11. n. 2. *Non laudes virum in specie sua*, &c. Quid si laude homines superbè tumeant? sed nouit Magister quos laudet homines, scilicet, qui laude parta, *ibunt de virtute in virtutem*, &c. *Ps.* 83. *n.* 8. In locum Hieronymus, *Vtrique* (inquit) *seruo Paterfamilias sermone blanditur*, &c. Propiùs meam ad rem adderet, laudatos à Christo seruos; quo deinceps meliora cogitarent, cuperent, agerent. Sic Paulum Christus laudat *in Actis*, vt excitet in studium veri dicendi, *cap.* 23. *n.* 11. Coniectus in carcerem Paulus erat, sed fide integra, & virtute nobili. Aduolat summa nocte Christus, & Paulum recreans, *Constans* (inquit) *esto: sicut enim testificatus es de me in Ierusalem; sic te oportet & Romæ testificari*, &c. Ingerit Magister in Pauli aures, quidquid Ierosolymis Apostolus fecerat, quasi rem dicto probans. *Vide, quanta consolatio! primò laudat illum*, &c. ait Chrysostomus *Hom.* 49. cur verò Deus rem à Paulo gestam laudet, nisi vt acuat ad rem benè gerendam? *sic te oportet & Romæ testificari*, &c. Planum omnino id est; sed Paulum Christus solatur, dum laudat; & hac via Bethulienses, *consolati sunt Achior, & laudauerunt; eum*, &c.

Prou. 11. n. 2. *Laudatus à Christo seruus, quo meliora cogitans agat.*

Ps. 83. n. 8.

Act. 23. n. 11.

Rem bene gestam laudat magister, vt auditor bene rem gerat.

3. A Magistro Deo hausit Apostolus rationem adhortandi à virtutum cura laudata. Romanam gentem afficit laude plurima ad c. 16. num. 3. *Salutate* (inquit) *Priscam, & Aquilam*, &c. Addit, cur salutem dicat plurimam, num. 4. *Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt*, &c. Deinde mulieres, viroſque alios suis auget titulis, & à virtutum laudat studio. Ratio ad gentem laudandam Apostolo duplex. quod Theophylacto placet. Nam Apostolus. *Quemlibet pro dignitate notat, tum ipsos alacriores reddens, tum alios ad æmulationem excitans*, &c. Et quidem virtutum custos vel optimus accenditur laudum cantionibus

Ad Roman. c. 16. num. 3. & 4.

Proficit in virtutũ studio laudatus à magistro discipulus.

Bona pueri virtus, si victus fleuerit, victor exultauerit.

nibus ad bene agendum. Putat Chysologus & Christum à Patre laudatum patrasse libenter, quæcumque pia sunt, & mira. Laudem Christus à Patre cogit ad Iordanem. *Hic est filius meus dilectus*, &c. *Matth. 2. num.* 17. laudatus à Patre Dominus pergit ad solitudinem, orat inibi, teritur ieiunio, tentatus à Diabolo, victor est; quod patet ex *cap. 3. num.* 1. Tandem Magister hominum scholam aperit, num. 17. *Cœpit Iesus prædicare*, &c. Et miris se modis explicat Iohann. cap. 2. num. 11. *Hoc fecit initium signorum Iesus*, &c. quod simpliciter intelligas. Docet igitur Chrysologus Christum laude paterna excitatum ad res benè gerendas: *vt quem Pater voce Filium probauerat, Deum se virtutibus approbaret*, &c. *ser.* 160. Hoc laudis titulo sese Christus accingit strenuè ad crucem ferendam. Laudatus in Ithabyrio Christus est Matth. cap. 17. num. 5. *Hic est filius meus dilectus*, &c. Laudatione peracta, montem deserit, Apostolosque monet de sua cruce, ac nece patientiáque nobili. *Sic & filius hominis passurus est ab illis*, &c. & iterum eandem tundit incudem num. 21. *Dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum*, &c. Iacere quodammodo laus à Patre addita videretur, nisi Christus suum de cruce ferenda votum exprimeret: quod satis insinuat Chrysostomus Hom. 58. *Quando* (inquit) *prædicatus fuit Christus, & filius Dei esse, tunc apertiùs de passione prædixit*, &c. quasi laus à Patre ingesta faceret ad agendum strenuè.

Matth. 2. n. 17. & 3. n. 1. & 17.

Ioan. 2. n. 11.

Laudibus annuendum, ad rectè agendum.

Matth. 17. n. 5. & 21.

Laudatus à Patre Deo Christus excitatur ad crucem ferendam.

4. Sed modum in laudando adhibendum esse monet Plutarchus rectè. *Cauendum* (inquit) *ne laudationibus immodicis intumescant*, &c. de liberis educandis sermo est. Nouit Philosophus, qua nam via ducantur bene iuuenes: & addit, *Obiurgationibus ad pudorem sunt redigendi, & laudibus inde reuocandi*, &c. Erigunt ceruices altè præfidentes sibi iuuenes; obiurgationibus premantur, necesse est. Friget ad virtutis amores tactus metu animus: in hoc rerum motu laudes erigant animum. quæ virginis dilaudandæ ratio Christo est, Cant. loco citato, *Pulchræ sunt genæ tuæ*, &c. Nec occasio adolescentulis alia de munusculis aggerendis. *Muranulas aureas faciemus tibi*, &c. *num.* 10. Correpta à Deo virgo animum quodammodo proiecerat. Dei vox hæc ad virginem; *si ignoras te, egredere, & abi*, &c. *num.* 7. Res mala! crux mala! cùm virgo iubetur abire à bono Deo. Non poterat non animo cadere, aditu ad regressum intercluso. Ergo accurrunt adolescentulæ, & matrem solentur metu perditam. hæc in loco rerum scena est. Abest ab sponsa Christus, adsunt virgines, & blando virginem solantur alloquio, *vt si pauidior, quàm oportuerit, ac deiectior animo facta esset, sodalium eam consolationes erigerent*, &c. sic Bernard. *ser.* 42. An laudes cum muneribus consolationes putat? Id ego puto. Nec Christus id negat solatij. Prius enim, quàm abeat, laudes ingerit, & aggerit. *Pulchræ sunt genæ tuæ*, &c. Erat in metu, & fletu virgo correpta grauiter: ac *ne fortè abundantiori tristitia absorberetur*, &c. quod Paulus non patitur 2. ad Corinth. cap. 2. num. 7.

Cant. 1. n. 9. 10. & 7.

Mœsta lætis, & læta mœstis intermiscenda.

Veloſ. in Iudith.

Temperari decet laudes obiurgationibus.

Non ante se absentauit, quàm ex abundantia cordis prorumperet in laudes eius, & genarum, collique ipsius pulchritudinem commendaret, &c. Bernardus iterum, *loco citato.* Video sponsam metu contractam laudari, ac leniri, vt ingentes sumat animos ad rectè agendum.

An hac via Samaritanam Christus ducit, vt à muliercula exprimat confessionem scelerum? Aio. Eò tracta mulier, vt fateretur pudore ingenuo, Ioan. c. 4. n. 17. *Non habeo virum*, &c. quod gratiæ parandæ auspicium erat. Cũ tamen peccatrix esset mulier, nec sibi fideret, manum Christus addit, confessione probata. *Benè dixisti; hoc verè dixisti*, &c. n. 18. Semel, & iterum Magister morum Deus eandem premit chordã, & laudem canit: quo mulier animum, timore pulso, erigat, scelerũ pœnitens. Laude opus est, cùm spes in tenui premit animum, & hostis vrget. Vrget mulierem Iudas, & schola reliqua; alij motu, & morsu alio damnant effusum à Magdalena vnguentum ineptè. *Vt quid perditio hæc?* &c. *Matth. c. 26. n.* 8. Multa hominũ erat indignatio; facilè mulier à pia cura frigeret, nisi Christus occurreret, & curam muliebrem laudaret. *Opus* (inquit) *bonum operata est in me*, &c. *n.* 10. Scitè Pelusiotes lib. 2. Epist. 88. *Mulieris fidem per obiurgationem extinguere absurdum erat*, &c. Nata importunè pietas, de Christo in tumulum inungendo, opportunè laudatur à Magistro, ne deferuescat obiurgatione. Quantum in opera laudata solatium; quo excita mulier benè procedat, necesse est. Iure merito Bethulienses, *Consolati sunt Achior*, &c. καὶ ἐπῄνεσαν αὐτὸν, *& laudauerunt eum*, &c. cùm Ammonites à Gentilismo transire ad Iudaïsmum vellet, *dicentes: Deus Patrum nostrorum*, &c. quo textu laudant homines antiquam Patrum fidem, & canam, proindéque sanam religionem. Hæc enim ab schola prisca suam cogit auctoritatem: si persæpe impugnata adhuc perstat, nec expugnatur. quod stylo prosequitur Mendoça Magister meus *tom. 1. in lib. Reg. annot. 2. proœm. sect. 2.* Eóque spectãt Tertulliani voces aduersùs Marcionem lib. 1. c. 13. *Omnino res Christiana sancta antiquitate stat*, &c. At proinde Bethulienses Patrum fidem, inde sanam, inde canam probant, & docent,

Ioan 4. n. 17. & 18.

Samaritanam laudes erigunt ad scelerum pœnitentiam.

Matth. 26. n. 8. & 10.

Auertit à bono mala obiurgatio, continet commendatio.

PARÆNET. XVI.

Ornari pios nepotes auita pietate.

1. NEmo nescit nobilitatem, quo est antiquior, eo augustiorem esse. Quandoquidem eminet altè, & elucet latè ducta per titulos, memoréque fastos maiestas generis; vires, & opes sumit ab antiquo Patrum censu. Te ego testem laudo huiusce mentis.

Æli vetusto nobilis ab Lamo, &c.

Horat. *lib. 3. Ode* 17. Sed manum tollo ab hac tabula, cùm Tiraquellum adire liceat *tom. 1. de Nobilit. cap.* 19. Non minor tamen ab auis, atauísque venit in nepotes maiestas morum; quippe quæ iure hæreditario parta, & radices figat animo altiores, & laudes cogat à fide prisca augustiores.

2. Suam sibi laudem parat Dauid à seruitio nobili, Ps. 115. n. 6. *Ego* (inquit) *seruus tuus, ego seruus tuus*, &c. Constans virtutum cura mihi est, nec à bono, & æquo abscedo facilè; eà tamen boni cura materno lacte hausta vires paranit, & radicos meo fixit animo, *Ego enim seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, &c. sic boni homines, Auctore Theodoreto, *seruitutem confitentes, & hanc ex maioribus habere gloriantes*, &c. scilicet, nulla Dei seruis maior est dignitas, quàm bonos à bonis atauis mores colere. quo titulo bene Timotheum Paulus admonet. Probat Magister discipulum vita sanctum, & fide sanum esse, illud ingerens 2. ad Timoth. cap. 1. num. 5. *Certus sum, quòd & in te*, &c. scilicet dominatur fides, & obtinet pietas, de quibus sermo est. Vrget Paulus argumentum ex auita fide, & materna pietate. *Quæ* (inquit) *habitauit in auia tua Loide, & matre tua Eunice*, &c. Quasi vellet Apostolus probitatem hæreditariam durare, probari nepotes argumento auitæ probitatis. Bene Athanasius. *Cùm recte se gesserint progenitores, si tales non ipsi præstiterimus, gloriam nobis ex illorum gestis haud dubiè vindicabimus*, &c. Quàm certa nepotum virtus ab atauis optimis! Quàm vera laus, & constans gloria! hanc sibi laudem Paulus voluit qui plenis buccis, *Gratias* (inquit) *ago Deo meo, cui seruio à progenitoribus meis*, &c. *num.* 3. Iactat se Paulus gloriosè, non quòd Deo præstiterit obsequium, sed quòd hausta ab atauis pietatem coluerit: *à progenitoribus* (inquit) *meis*, &c. scilicet, iure hæreditario Paulus Deum timere, & amare didicit: & quidem, si credis Horatio lib. 3. Ode 24.

Dos est magna parentium virtus, &c.

Hærent nepotibus altè, quæ ab atauis fluunt dotes probatæ spectatæque virtutis.

3. Quas nam laudes ab auita pietate non cogit Lucas in Ioannis parentes, à parentibus in Ioannem! Inducit Lucas Elisabetham piè institutam, *de filiabus Aaron*, &c. *c.* 1. *n.* 5. meminitque Sacerdotis optimi & ataui maximi, vt neptis laudem augeret, quæ pietatis auitæ custos erat. *Meritò eius filia dicitur, cuius in se memoria prætulit sanctitatem; quam tanti generis pia custos glorioßissimè transfudit in filium*, &c. hæc Chrysolog. *sermon.* 89. Nec minor Lucæ cura de Zachariæ ceusu genealogico. *Sacerdos* (inquit) *nomine Zacharias, de vice Abia*, &c. Tradit Historicus Sacerdotis sortem ab auis, atauisque ductam, quo Sacerdos apparet augustior, vtpote qui auitam coluerit fidem, ac religionem, *Quia vsque ad ipsum ab atauis, & patribus transfusum genus mansit Sacerdotij, & sacrificandi seruata est disciplina*, &c. Chrysologus iterum *serm.* 85. Hæc à proauis ducta virtutis curandæ ratio multam nepotibus gloriam conciliat. Quid Ioannes ab atauis, parentibúsque laudatis non colligat? Non laudat textus hosce homines à fide cana, & sana; à religione prisca, & casta, nisi vellet Ioannem latè commendare. Paulinus egregiè ad Seuerum Epistol. 10. *Laudaturus vitam, genus antè laudauit, vt venerabilior existeret, qui sanctis parentibus respondéret, sanctitate ingenita*, &c. Clara Ioannis virtus probatur suffragio parentum optimorum. Neque enim minor à maioribus morum auctoritas diffunditur in nepotes, quàm maiestas generis.

Gloria nepotum est pietatem ab atauis haurire.

2. Timoth. 1. n. 5. & 3.

Durat fides ab atauis hausta in nepotibus.

Vrget nepotes auita pietas.

Auita sanctitas multam nepotibus laudem parit.

Luc. 1. n. 5.

4. Id verò, si nepotes rectè viuant; quandoquidem Maiorum virtus posteris malè agentibus probrum est ingens, ait Chrysostomus Hom. 1. in 2. ad Timoth. c. 1. *Maiorum quippe merita, cùm eorum studemus esse participes, nostra etiam sunt: sin verò ab illis aberrauimus, non modo nihil ornamenti, sed dedecoris plurimum ex illis acquirimus*, &c. Inde est, quòd Deus, vt pungat acriter homines, de parentum meminit gestis clarissimis. *Videntes filij Dei filias hominum, acceperunt sibi vxores*, &c. *Gen. 6. n. 2.* A Setho Dei viro, tanquam à Deo, geniti hominesin mores hominum improbos defeceruut, addiatáque Dei nomenclatura est, vt morderentur grauiùs, qui ab auo Dei viro mores non hauserint, *vt magis amplificaret eorum reprehensionem, eorum honorem reuocauit in memoriam*, &c. sic Chrysostomus *in Ps.* 4. Queritur de Hebræo Deus, quippe quòd suo defuerit officio apud Isaiam cap. 48. n. 4. *Neruus ferreus, ceruix tua, & frons tua ærea*, &c. Deinde apponit, quos nam sibi parentes Hebræus censeret, & iactaret, n. 12. *Audi me Iacob, & Israël, quem ego voco*, &c. Appositè de parentum sanctimonia Deus admonet, cùm liberos mordet pecccantes liberè: *Ad pudorem eorum, qui lapsi sunt*, &c. ait Cyrillus Alexand. Est enim propudium maximum, cùm nepotes ab auis optimis turpiter deficiunt.

Turpe est nepotes ab auita probitate aberrare.

Gen. 6. n. 2.

Censentur parentes optimi, vt liberi improbi pungantur acerbius.

Isai. 48. n. 4. & 12.

5. *Nam quanto vita eorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior*, &c. Vrget Marius *apud Salust. in Iugurth.* Quisnam sacro textu Nabal est? 1. *Reg. cap. 25. num. 3.* Vxorem textus laudat. *Porrò vir eius durus, & pessimus, & malitiosus* &c. Et quo peior appareret Nabal, Calebi nepos vocatur. *Erat autem de genere Caleb*, &c. scilicet de tribu Dauidica. Sub auo igitur optimo Nabal est pessimus. Quis enim Calebum à Deo laudatum nescit? *Num. cap. 14. n. 24.* Acsi ad mentionem aui optimi ingraueseeret nepotis impietas. Signanter notat Moyses, vnde Corè auos censeret. *Corè* (inquit) *filius Isaar, filij Caath, filij Leui*, &c. *Num. cap. 16. num. 1.* Hæc Moyses, priusquam seditionem à Corè excitatam explicet. Fortasse grauitatem sceleris auget proaui sanctitas: qui enim à Leui notæ sanctitatis viro genus ducet malus nepos, non laudem inde capit, sed turpem notam. Pulchrè Marius loco citato. *Maiorum gloria posteris quasi lumen est; neque bona eorum, neque mala in occulto esse patitur*, &c. Epulonem carpit Abrahamus pater, eo quòd Lazaro famem non leuasset; & vt notam inurat grauiorem, infamem vitiis, diuitiisque hominem sic interpellat. *Fili recordare*, &c. *Luc. 16. num. 25.* Miror ego hominem cul- Luc. 16. n. 25. patæ auaritiæ filium ab Abrahamo appellatum; maximè cùm iudex sententiam diceret. *Sed vocat filium, vt magis, ac magis filij prodatur impietas*, &c. ait Chrysologus *serm.* 123. Apparent fœda ad pulchri aspectum, grauiúsque notantur: & collatus bonis

1. Reg. 25. n. 3.

Aspectu auitæ probitatis ingraueseit nepotum improbitas.

Arguitur filius improbus probitate patria.

bonis atauis malus quisque nepos multo peior esse videtur. Viderint Bethulienses, an dissenserint ab antiqua Patrum sanctimonia, & dicant adhuc : *Deus Patrum nostrorum*, &c. *Ipse tibi hanc dabit vicissitudinem*, &c. Hominibus Deus gratificatur, officiúmque rependit beneficio. Infestum sibi Assyrium videt Achior, cùm Dei causam tuetur : infestum Assyrio Deum videt sui causa. Quo, si placet, admoneas

PARÆNET. XVII.

Deum ad gratiam referendam festinare.

1. IVstum est officium, quo Deum colis : Deus tamen debere se fatetur hominibus, quidquid accipit; & quasi aliena accipiat, hominibus accepta refert, confértque beneficium titulo gratificandi. Quòd si, Auctore Seneca, *qui meminit, sine impendio gratus est*, &c. *ad 3. de Benefic. c. 1.* Credas gratum hominibus Deum esse, qui libello condit memoriali, si quid accipiat ab hominibus. Quidquid auri de præda Madianitica paratum erat, consecrant Deo Principes militū ; addúntque, id mentis gratæ officium esse, pro bello prosperè confecto. Ad Num. c. 31. n. 50. *Suscipiunt aurum Moyses, & Pontifex, susceptúmque intulerunt in tabernaculum testimonij, in monumentum filiorum Israël coram Domino*, &c. *n.* 54. An ea Principum munera Deū admonerent de vice reddenda? Ait Abulensis q. 11. *Monumentum enim dicitur recordatio, quasi monens mentem*, &c. Non quòd obliuiscatur Deus, quid acceperit ab hominibus : sed, vt doceat curam sibi multam esse de beneficio referēdo, quidquid præstent homines. De libello memoriali textus est apud Malachiam *cap. 3. n. 6.* Bonos inibi viros laudat Vates, qui Deum colerent fide bona, & mente sana, factísque dicta exæquarent. *Et scriptus est* (inquit) *liber monumenti coram eo : timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius*, &c. Verè libellus est memorialis, quo Deus & dicta, & facta condit hominum, ait Rupertus *lib.* 1. ne quid boni, malíve elabatur animo iudicis, *vt videlicet cuncta in iudicio recitentur*, &c. Diuersus à Ruperto Theodoretus abit, quo teste *Deus, Bonorum* (inquit) *meorum sponsionem perscriptam facio*, &c. Tanta Deo cura est de gratia referenda, vt ex syngrapha velit gratificari. Festinabit ergo, vt satis hominibus faciat.

Num. 31. n. 50. & 54.

Quidquid offeras, monumentum Deo est gratificandum.

Malach. 3. n. 6.

De scripto iudicat Deus homines.

2. Christum Pharisæus inuitat hospitio, mensámque apponit : inde Christus *ingressus domum pharisæi discubuit*, &c. *Luc. cap. 7. n. 36.* Inter cibos accurrit mulier in ciuitate peccatrix, veniáque expostuit lachrymis. Turbatur Pharisæus ea rerum scena : sed Magister docet, quantum gratiarum meruisset mulier scelerum pœnitens. *Simon* (inquit) *habeo aliquid tibi dicere*, &c. *num.* 40. Pro hospitio Christus soluit Pharisæo beneficium, quod Augustinus obseruat Hom. 23. c. 3. *Ne gratis apud eum panem comederet*, &c. Absurdum putabat Magister Optimus, á mensa exceptus pretium non solueret. *Hoc Veloſ. in Iudith.*

Luc. 7. n. 36. & 40.

Gratus inuitantibus Christus est.

affectu Pharisæum monet alium : *cùm intraret Iesus in domum cuiusdam Principis sabbato manducare panem*, &c. *Luc. cap. 14. num. 1.* scilicet inuitatus accumbit : neque enim Christus obreperet temerè in domum alienam. Sed inter cœnandum Magister ita monet hospitem num. 12. *Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos*, &c. & sermo est de pauperum inopia subleuanda. An Magister Pharisæo opportunè importunus esse voluit? Aio. & cibo capto docet hominem, *vt pro refectione corporali rependeret spiritualem, scilicet documentum pietatis*, &c. Hæc Lyra; sed à Theophylacto exscripsit. Vnum illud inde colligas, collatum à Deo beneficium titulo gratificandi : quæ quidem magna Dei virtus est ad alendam spem hominum. Certè multa Zachæo spes erat de Christi gratia, cùm vrgeretur à Magistro, vt pararet hospitium. *Hodie in domo tua oportet me manere*, &c. *Luc. 19. num. 5.* Hæc Christus : vnde Zachæus altè gaudet, *& suscepit illum gaudens*, &c. *num. 6.* Præsenserat animo, quid hominibus se colentibus Christus rependat; vicariam scilicet gratiam, titulo gratificandi : vnde altum Zachæus capit gaudium. quod notat Chrysologus serm. 54. *Gaudet, quia reus iudicem suffragio humanitatis inclinat, quia cibi, & potus fœnore debitorem suum sibi facit, & acquirit. sic fit, vt quæstum sibi non perdat publicanus iste, sed mutet*, &c. Pronus ad gratiam referendam Christus est : si quid ab hominibus accipit, statim repensat. Hac spe Zachæus Magistrum excipit altè gaudens, & lucrum auget vsura pia.

Luc. 14. n. 1. & 14.

Humanæ Deus officia diuinis rependit beneficiis.

Luc. 19. n. 5. & 6.

Flectitur Iudex obsequio.

3. Quid si laudatus piè Christus, laudat, vt vicem reddat; video quas nam in Virginem laudes congerit. *Cant. 4. num. 1.* Cantionem inibi orditur suam, illud iterans, *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* &c. Ac plura deinde addit, quæ totius corporis habitum pingunt pulcherrimum. Totus in hoc laudum cantico Deus est, cùm sponsam commendat, sed gratus, quod apparet, vicem rependit. Nam *cap. 3. num. 11.* multis virgo Deum laudat, Salomone laudato; imò virgines inuitat, vt aduolent, inspiciant, ac suspiciant, quantū venustatis, & maiestatis habet Princeps iuuentutis pulcherrimæ : *Egredimini, & videte Regem Salomonem*, &c. Quid faceret hac oblectatus laudum catilena, Deus, nisi virginem piè canentem caneret, & multis cō nendaret? quasi laus Deo addita laudem à Deo vicissim pareret. sic Magnus Gregor. *Quia ab sponsa laudatur, & ipse vicissim sponsam laudare dignatur*, &c. Multus in Deo colendo, & explicando Abramus erat, cùm prædam reiiceret hoste victo partam; & Regem ab Idolomania ad fidem sanā inuitaret, manu altè erecta; qua Dei Magni causam tuebatur, Gen. 14. n. 22. *Leuo manum meam ad Dominum Deum possessorem cœli & terræ*, &c. In loco Idolomaniā Abramus pungit, ac Regem monet, quod placet Chrysostomo ad Hom. 35. *Pietatis Doctor illi fieri studet*, &c. Nec Deus cunctatur in gratia reddenda. Nam addidit textus c. 15. n. 1. *Factus est sermo Domini ad Abram*, &c.

Cant. 4. n. 1. & 4. n. 11. c. 6. n. 3.

Laudatus piè Christus laudat affectu gratificandi.

Gen 14. n. 22. & 15. n. 2.

Curat bonus de salute aliena.

Moras abrumpit omnes Magnus Deus, vt Abramum promissis oneret: *Ego protector* (inquit) *tuus, & merces tua magna nimis*, &c. Chrysostomus appositè Hom. 36. *Post doctrinam illam, quam donis reiectis pronuntiauit, vt pietate, & agnitione conditoris Regem initiaret post hæc verba: Factum est verbum Domini ad Abram*, &c. Notat Chrysostomus Deum non modò fuisse Abramo gratificatum, sed festinasse, vt referret gratiam. *Vide* (addit) *misericordiam Domini, quàm statim, & è vestigio sequens beneficiis suum athletam remuneret*, &c. sic Deus; ne quis frustrà suum, ac iustum præstet obsequium, fide laudata.

Festinatò Deus gratificatur.

4. Laudes Magno Deo Hebræus canit sub Isaia Coryphæo. *Ecce Deus* (inquit) *Saluator meus; fidicialiter agam, & non timebo*, &c. *cap.* 12. *num.* 2. suam Hebræus spem collocat Magno in Deo, qui metum pellit ab animo, idque laudat, qui poscit opem. Quid pio oblectatus officio Deus? post laudes, magnis homines promissis recreat. *Hauritis aquas in gaudio*, &c. *numer.* 3. Et vnde hæc aquarum vis erit, gaudiorumque scaturigo? *De fontibus* (inquit) *Saluatoris*, &c. Quod in loco notat Procopius, illud est, Deum ad beneficium referendum maturasse; quæ quidem celeritas in vice reddenda, magna est gratia. *At Deus, qui in reponenda gratia minimè cunctator est, si quando afficitur digna gloria, spiritualibus confestim donis respondet*, &c. Properat Dei benignitas, cùm honores, & laudes impetrat ab hominibus; largitiones ingentes facit rerum diuinarum, iure quasi gratulatorio. Scio, quid Magnus Ioannes de Christo dixerit ad turbam plurimam, Ioann. cap. 1. numer. 29. *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi*, &c. Locupletissimum est testimonium, quo Ioannes Christum verè Deum probat; *Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* &c. *Luc. cap. 5. num.* 21. sana omnino fides, casta religio, & iusta in Christum pietas. Non tamen Ioannes frustrà Deum laudat. Erat *Ioannes in vinculis*, &c. quod apparet; Dei causa, virtutis amore, cùm id ferret occasio totus in Ioanne laudando. Christus est Matth. cap. 11. num. 7. *Cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne*, &c. Grata Christo aduersùs Ioannem laudum vicissitudo est. quod Rupertus notat lib. 9. in Matth. *Præterire non libet, quia testimonium testi suo Ioanni pulchra vicissitudine reddens testis iste congruum initium sumpsit*, &c. Quàm largus vicaria in opera Christus est! si quo hominum colitur officio, reponit beneficium; & quod magis placet, titulo gratificandi. Laudat Achior Deum optimum, & Maximum, *cap. 5. num. 9. cap. 6. numer.* 13. multisque probat Hebræum Deo charum esse: vnde infestum sibi Holophernem reddit. Quid Bethulienses pollicentur? nisi Dei opem, & pro officio beneficium? num. 17. *Deus Patrum nostrorum, cuius tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem*, &c. Dolebit hostis, gaudebit Achior, Deo propitiato; qui tandem, si tuo libuerit animo, Deus tibi erit: idque, precamur, fiat. *Sit & tecum Deus in medio nostri*, &c. Agunt Bethulienses, quod bonus quisque solet, & amans salutis alienæ. Deum laudant, fidem explicant; vt sine vi, sine metu, volens, ac lubens Achior Iudaismum suscipiat; vnde constat

Isai. 12. n. 2. & 3.

Non cunctatur Deus in gratia referenda.

Ioan. 1. n. 29.

Luc. 5. n. 21.

Matth. 11. n. 7.

Nullo Deus colitur officio vt non reponat beneficii.

PARÆNET. XVIII.

Flagrare viros bonos affectu humanæ salutis.

1. ADmonet homines, viamque ostendit recte viuendi, bonus quisque virtutis affectu, Dei amore. Inde est, quòd multam Deo gentem prospiciat, improbitate longè profligata. *Nullum enim tale est omnipotenti Deo sacrificium, quale est zelus animarum*, &c. Ait Magnus Gregor. *lib. 1. in Ezech. Hom.* 12. Ardet Helias, flagrat Paulus, calent homines alij hoc affectu salutis alienæ; & quo magis Deum amant, eo ardentiùs vrgent populos ad obsequium Magni Domini. Amore in Deum intimo Dauid æstuat, & totus abit in laudes Regis optimi, ac maximi: imò suam intendit curam *Psalm. 33. num.* 5. ac proinde, *semper* (inquit) *laus eius in ore meo*, &c. Multus in Deum amor est, qui Dei laudes serit; nec minor, qui homines vrget alios in obsequium; addit enim Dauid num. 4. *Magnificate Dominum mecum*, &c. quæ quidem summa zeli vis est apud Basilium. *Non patitur, vt ipse solus hymnum texat*, &c. Chorum scilicet Vates cogit, & præcinit, vt succinant alij, Deúmque suis alliciant cantionibus. Multus sacræ virginis ardor est, ne quis à Christi schola procul absistat. *Egredimini* (inquit,) *& videte Regem Salomonem*, &c. *Cant. 3. num.* 11. Quæ te Virgo sapiens cura mordet? si tuo in sinu Christum retines, fruere tuo bono: *Inueni* (ait) *quem diligit anima mea*, &c. *n.* 4. & adhuc cogis virgines, quæ sponsum diligant? caue, ne si videant, tibi inuideant.

Grata Deo cura de salute aliena.

Ps. 33. n. 5. & 4.

Qui Deum amat, solus amare non amat.

Cant. 3. n. 11. & 4.

Qui sapit (monet sciens quisque) *in tacito gaudeat ille sinu*, &c.

Quid in amoris negotio consortium quæris alienum? *Egredimini, & videte*, &c. sed nodum Nyssenus soluit Orat. 7. *Quemadmodum magnus ille Paulus pro damno ducebat, si non cum hominibus vniuersis bona sua communicasset; Opto* (inquit) *non tantùm te, sed etiam omnes, qui audiunt, tales hodie fieri, qualis ego sum*, &c. Act. cap. 26. num. 29. *Sic & benignissima hæc sponsa*, &c. Quali bona virgo flagrat studio salutis alienæ! Quali Paulus affectu ardet, vt ducat homines ad Christi obsequium?

In Deo amãdo comites Dei amans cogit.

Act. 26. n. 29.

2. Hæc Apostolo dolendi erat occasio, cùm sciret Epaphroditum morbo tentatum graui: *nam infirmatus est vsque ad mortem*, &c. *ad Philippens. cap. 2. num. 2.* Sed Paulo bene precante, sanitas Epaphrodito reddita; inde Paulus: *Deus* (inquit) *misertus est eius, non solùm autem eius, verùm & mei*, &c. Sed quisnam Epaphroditus erat, vt morbo laborans, & labor, & dolor Paulo esset? Hominem Philippensibus commendat Apostolus num. 25. *Vestrum Apostolum, & ministrum necessitatis meæ*, &c. Apparet, cur Paulum inquietauerit Epaphroditi valetudo: erat enim adiutor in Christi

Philip. 2. n. 2. & 25.

Socios quærit Apostolus ad fidem propagandam.

sti schola, socius in studio veri dicendi, & Magister in cura salutis alienæ; quod expendit Augustinus ad 2. p. q. 11. ex vtroque Testament. *Nam propter solatium adiutorij eius, quo vtebatur in Euangelio, si mortuus esset, contristandum se dixit*, &c. Ad Christi fidem explicandam, cogebat Paulus administros; necesse erat, vt, sublato Epaphrodito, doleret maximè, quippe quòd non facile Magister daret operam hominibus instruendis.

3. Vbi primùm Apostolus quisque est, & gradum obtinet, statim motum capit de salute humanæ gentis. Magistrum cœna excepit Matthæus à Christo lectus: *& factum est, cùm accumberet in domo illius, multi publicani, & peccatores discumbebant cum Iesu*, &c. *Marc. c. 2. num. 15.* inuitatos à Matthæo iam Apostolo publicanos arbitror; sed quo nam consilio? *Ne ipse solus beneficium acciperet*, &c. Hæc Victor Antiochen. *in Marc.* Iá ne Matthæo amor est humanæ salutis, vt hospitio cogat homines, inuitet epulo, mensáque excipiat, qui magistrum piè monentem audiant? Aio: erat enim Matthæus iam Apostolus, & flagrabat studio salutis alienæ. Quo flagrasse visus est Cornelius, cùm enim Petrus, hominésque alij è Christi schola adirent hominem, *Cornelius expectabat illos: conuocatis cognatis suis, & necessarijs amicis*, &c. *Act. 10. num. 24.* Meam ad litem Chrysostomus Hom. 23. *Hoc* (inquit) *amici officium, hoc pij est, in tantis bonis amicos facere socios*, &c. Perge igitur, quicumque Dei amore cales; & quæ cœlo hausta retines, effunde libens in aures hominum. Otium in hoc negotio absurdum est. Nosti, quæ nam Apostolis fames erat de Iudæo ad fidem attrahendo? Obiurgauerat Magister homines, multis in medium prolatis sceleribus, apud Matth. c. 15. num. 3. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei*, &c. Addiderat improbitatem hominum ab Isaia iam olim explicatam, cùm Iudæus fide minus sana videretur Deum colere. *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias*, &c. *cap. 29. num. 13.* Vox erat, quæ auditores arcebat à Christi schola, & dolorem Apostolis ingerebat grauem. Quid ergo? *Tunc accedentes ad eum discipuli eius, dixerunt: Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* &c. *n. 12.* Auertunt Magistrum discipuli ab hominibus obiurgandis, ne auditores Magistrum auersentur, & salutem negligant, teste Caietano. *Discipuli curam habent ne Pharisæi, qui cessitauerant, ruerent*, &c. Manum igitur supponunt Apostoli, ne Iudæus, qui à Christo abierat, grauiori lapsu corruat. Et erit adhuc, qui sibi tantùm viuat, nec viuat aliis sciens veri magister?

Marc. 2. n. 15. *Saluus à turpi quæstu Matthæus saluos esse voluit comites.*

Act. 10. n. 24.

● *Christi schola, commune bonum.*

Matth. 15. n. 3. & 12.

Metus Apostolis ingens de periculo salutis alienæ.

4. Alia Moyses via fratrem ducit; monet enim Sacerdotem de officio veritatis enuntiandæ, cùm talarem adornat tunicam, *mixtis tintinnabulis*, &c. *Exod. cap. 28. num. 33.* Cur tot in tunica sonant crepitacula? an voces denotant, quibus Pontifex necesse est, admoneat Senatum, populúmque Iudaicum de officio legis obseruandæ? Id Arnoldo est. *Nec enim magnum est sibi viuere, nisi etiam satagat alios secum viuere*, &c. *ad tract. de sept. verbis.* Suos igitur mores ita colit bonus quisque, vt mores coluerit alienos, quò Dei vrget amor.

Ex. 28. n. 33.

Viam Deus aperit ad id operis, qui de cœlo in Sinam deuenit, vt Hebræo legem daret. *Dominus de Sina venit*, &c. ait Moyses Deut. 33. n. 2. *In dextera eius ignea lex*, &c. Tintinnabulis Pontifex, tonitruis Deus auditores euocat ad scholam veri: nec cælo conquiescit Magister hominum. *Addo erudiendæ gentis officio descendentem ad terram Deum*, &c. Ita Saluian. *lib. 1.* Quantus Deo amor est humanæ salutis, vt quietem pati non possit, nisi de cælo in terram deuolet, causa legis explicandæ? Metus erat Diabolo, ne Christi nece, ac cruce victus periret: omnem mouet funem, vt clauis excussis Christus è cruce exscendat. Hac mente vrget homines, quo suam adstringant fidem, Matth. 27. num. 32. *Descendat nunc de Cruce, & credimus ei*, &c. Quod in votis Christus habet, fidem scilicet, ac salutem plebis Iudaicæ, pollicetur Diabolus. *Si fortè credulitatis pollicitatione obtineret, quod volebat*, &c. sic Athanasius *ad tract. de Cruce.* Addit Bernardus feciſſe Diabolum, vt suam homines fidem obligarent. *Quasi nihil obstaret, quin descenderet, qui eorum credulitatem tantopere desiderauit*, &c. *ad serm. 1. de Pascha.* Tantus Christo amor erat de salute aliena, vt crediderit Diabolus, hac vna re vinci Deum posse, ad crucem deferendam.

5.

Deut. 33. n. 2.

Matth. 27. n. 32. *Ardet Christus affectu salutis humanæ.*

Non tamen deserit, qui molli amplexu crucem capit, quanuis sua defunctus vitâ ad Abrami sinum prouolauerit, & Patribus inibi, aliisque hominibus dixerit, salutem humani generis peractam esse; *& his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicauit*, &c. Hæc Petrus 1. *cap. 3. num. 19.* Lorin. *ibi*, boníque interpretes. Festinasse Magister hominum Deus ad salutandos homines visus est, causa veri dicundi. *Ne vel eo momento vacaret ab opera charitatis*, &c. Ait Bernard. *serm. 75. in Cant.* Non alij à Deo Bethulienses: Achiorem ducunt ad fidem, & religionem; quo affectu, monet Isaias c. 2. num. 3. *Ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini*, &c. Quibus satis non fuit abire ad montem Deo sacrum, nisi adducerent secum homines alios, amore salutis alienæ. Quod Hieronymo placuit. *Gentes* (inquit) *& populi, nequaquam propria salute contenti, sese mutuò hortabuntur*, &c. Ammonitam igitur Bethulienses alliciunt admonitionibus, non vrget comminationibus, vt Iudaismum suscipiat: *vt sicut placuerit tibi*, &c. vident homines,

6.

1. Petr. 3. n. 19. *Festinat Christus ad salutem communicandam.*

Isai. 2. n. 3.

Multus bonis amor est de salute aliena.

PARÆNET. XIX.

Voluntatem rerum optimarum pretium esse.

I.

QVod piè facis, affectu adornatur officium; quidquid enim Deo placet, ab animo, vnde vim capit, gratum est. Censet id Chrysologus serm. 8. *De cordibus Deus, non de manibus facta metitur*, &c. Id verò est. Si facias animo, vel thurea mica placebit: magnus à pio animo census est, etsi parua sint munuscula, mola tantùm salsa litabis. Video Christum piè captum Zachæi promissis magnis. *Dimidium* (inquit) *bonorum meorum do pauperibus*, &c. *Luc. 19. num. 8.* Nam Zachæum Magister salute donat plurima; *eo quòd & ipse sit*

Luc. 19. n. 8. 9. & 21. n. 33.

filius Abrahæ,&c.*num* 9. Sed & numos viduæ minusculos non reiicit; imò laudat pretium operæ, Luc.21.n.33. *verè dico vobis;plusquam omnes misit*, &c. Magna æquè,ac parua ab affectu animi æstimantur; quod Hildebertus probat Epist.61.ad Virg.sacr. *Pariter acceptatur,si par est affectus offerentium: Deus enim,non quid,sed qualiter offeras,attendit*,&c. In Dei ara nec preces valent,nec pecudes, nisi adsit animus sacris operans. A Diis vanis discant homines, quid ab hominibus Deus exigat. Vrget argumentum Hildebertus Epistol. 16. ad Reginam. *Illi siquidem non hostiam, sed affectum considerant. Purus, & integer animus eos, quocumque velit,inclinat; nec minus quadrante, quàm talento, cælestem mitigat indignationem*, &c.

Affectum in officio Deus expendit.

2. Vnguentum peccatrix effundit ad Christi pedes; capillis expansis detergit, lachrymis profusis abluit, oculis impressis adorat. An hæc Christus magno æstimat? quis nescit? Luc. cap.7. num.38. *Vides*(inquit) *hanc mulierem?* &c. Deinde laudes serit de toto rerum apparatu:ad extremam tamen lineam, apponit Magister, *Quoniam dilexit multum*, &c. *n.* 47. scilicet pretium operæ voluntas est. Inde placent opera; inde sua operibus forma est, laudaturque mulier, *quæ non tam pretio munerum, quàm obsequio placuit affectu*, &c. Docet Paulinus *Epist.4.ad Seuer.* Minus valere apud Deum voluntas hominum videretur, nisi rebus etiam minimis augeret pretium. Herba est nardus aspectu fœda,thyrso parua,& pretio minor. quod notant Interpretes. Sed Regem capit, Deúmque propitiat odore incenso:quod Virgo sapiens explicat 1. Cant.n.11. *Dum esset Rex in accubitu suo,nardus mea dedit odorem suum*, &c. & textus est Vatablo,Clario, aliisque Magistris notus de suffitu Iudaico.Vide,quos herba suos emittat odores,tam grata Deo nardus, vt Regem licèt Regum Maximum pellexerit. Sed pretium illud herbulæ à voluntate amorem imperante est; addit enim virgo num. 12. *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi*,&c. Acsi voluptas amanter affecta odores Deo Arabicos scitè concinnauerit. Video locis plurimis odorem Deo gratum esse,qui ex mactata exustáque hostia expirat Gen.cap.8.num.21.*Odoratus est Dominus odorem suauitatis*, &c. mactauerat Noë pecudes mundi generis. Addit Moyses quo ritu faciendum esset,Num.cap.15. num.3. *Adolentes* (inquit) *odorem suauitatis Domino, siue de bobus,siue de ouibus*,&c.Sed quis nam odor est cinis vitulæ ab exusta pellicula? illum ego odorem procul abigerem, ne bilem mihi in nasum conciret. Vide tamen quanta est virtus voluntatis affectæ,quandoquidem gratissimum Deo miscet odorem ex nidore ambustæ pecudis.Sic Abulensis q.17.in Num. c.cit. *De illa exhalat odor suauis Deo,ex deuotione offerentium*, &c. Voluntas est, quam Deus spectat,& qua sacram metitur hostiam. Hæc piè affecta voluntas hominum voluptatem Deo concinnat, quæ si desit, nullum magnis in muneribus munus est.

Placet Magdalenæ prius affectu,quàm officio.

Luc 7. n.38. & 47.

Cant.1. n.11. & 12.

Placet Deo suffitus ab amore impetratus.

Gen 8.n.21.

Num.15.n.3.

Ab affectu odores Deo grauissimi.

3. Scio,quid, Moyse duce, fecerunt iuuenes. Exod.cap. 24. num.5. *Misitque iuuenes,& obtulerunt holocausta; immolaueruntque victimas Domino, vitulos*, &c. Lego, quot in Numeris sacra addiderint Principes, *cap.7. num.2.* Toreumata ex argento facta. pecudes in ara mactatas videas. Sed negat Deus Hebræum sacris operatum esse, *Amos cap.5. num.25.* Quod vi,non gratia, metu, non animo factum est, factum negatur, cùm Deus ab affectu animi factum æstimet. Pulchrè Hieronymus, *Quod Domino quædam eos obtulisse legimus, non voluntate, sed pœnarum fecerunt metu: Dominus autem non ea, quæ offeruntur, sed voluntatem respicit offerentium*, &c. Qui factum sibi sactum negat, in tanto sacrorum apparatu, voluntatem in sacris desideratam probat. Quid prodest cantus, si præcentor à choro exulat animus? Vrget Dauid cantores, vt Deum concinnant. *Laudate*(inquit) *Deum*, &c. *Ps.* 150.*num.*1. In proximo, quæ sunt tormenta musica, scitè expedit, scilicet, *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio*, &c. *num.* 3. mitto versus reliquos. Illud extrema linea carmen inest num. 6. *Omnis spiritus laudet Dominum*, &c. & textus est, de pio motu animi,vnde suam cantiones virtutem habent, quasi non cantent benè, qui pio non cantant animo. Absurda enim Deo est cantilena, vbi voluntas piè affecta deest. *Auferà me tumultu n carminum tuorum*,&c. Ait Deus *Amos c.5. num.*23. & Hebræum ob Odeo abigit,qui licentia peccandi Molochum adorabat, *n.* 26. & *quia non est pulchra laudatio in ore peccatoris*, &c. testatur Rupertus *lib.*3. *in locum citatum*; & quia Hebræus laudes alieno canebat animo. Quantum valet apud Deum voluntas sanctè affecta! sine victima Deum vincit, sine hostia facilè propitiat.Hæc vna voluntas hominum voluptatem Deo conciliat; vtque præstiterit bonus quisque,accipiat Deus vultu placido. neque enim ab inuito repetit obsequium.

Num.7. n.2.

Amos 5. n.25.

Factum Deus negat, quod metu factum est.

Ps. 150. n.1. 3.& 6.

Cantionem Deo voluntas piè concinnat.

Amos 5. n.23.

4. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*,&c. ait Iacobus *cap.*1.*num.*18. quod ego sic interpretor; ductos à Deo, non tractos homines ad fidem, ac religionem. Vnde Petri scitum est ad sacrorum Antistites Epist.1.cap.5. num.2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei,non coactè, sed sponte*,&c. Quàm sana in loco doctrina est! ne quis ad Christi scholam trahatur, sed ducatur: *quandoquidem neminem vi duci lex nostra vult*, &c. ait Nazianzenus *Orat.*8.Volûtate duce,& pietate comite ineunda Christi schola est.*Volentium enim est pietatis sacramentum*, &c. apponit Theologus. Argumentum premit Christus, cùm monet iuuenem: *Si vis perfectus esse,vade*,&c. *Matth.cap.*19. *num.*21. vbi voluntatem Magister pulsat auditoris ad benè, beatéque viuendum; *quia ex voluntate est*, &c. ait Laudunensis. Nec vitæ huiusce via, nisi affectu pio, iniri potest. quo affectu Apostolos ardere Magister voluit,vt crucem ferrent volentes æquè, ac valentes. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem*,&c.*Matth cap.*16. *num.*24. Vrget Magister hoc pacto, si velit; *Neminem inuitum cogit*, &c. teste Euthymio. Hæc Christus; certò sciens adduci homines facilè ad fidem piè colendam, si Magister hominum arbitrio permittat,quid facto opus sit. *Qui vim affert plerumque auertit*, &c. monet

Iacobi c.1.n. 18.

1.Petr.n.15.

Coli Deus amat voluntate, non necessitate.

Matth 19. n. 21.& 16. n. 24.

Affectu sumenda rectè viuendi via est.

Matth. c.16. n. 24.

Auertit homines seuerior iubendi ratio.

net Chryſoſtomus Hom. 56. in Matth. *Ideo non cogit, ſed hortatur, indulgens nobis*, &c. Hac via Bethulienſes Achiorem ducunt, illudque iterant: *ſicut placuerit tibi*, &c.

Num. 19. Tunc Ozias, finito conſilio, ſuſcepit eum in domum ſuam, & fecit ei cœnam magnam.

Num. 20. Et vocatis omnibus Presbyteris, ſimul expleto ieiunio, refecerunt.

Num. 21. Poſtea verò, conuocatus eſt omnis populus, & per totam noctem, intra Eccleſiam, orauerunt, &c.

Commentarius.

40. REbus ſcienter excuſſis, quæ ad hoſtem malè trudendum facerent, & ad transfugam bene colendum vrgerent; Achiorem Ozias amplexu excipit facili, & hoſpitio ſatis nobili. Vnde Princeps *fecit ei cœnam magnam*, &c. Video fortunam viri magni variam eſſe: nunc enim gaudet, nunc verò dolet. Lectus ab Aſſyrio Princeps militum altè gaudet; ſed bonus conſilio malè dolet, ad reſtim vſque. Tractus à lictore reus, & ad arborem deligatus dolet: ſed, ruptis vinculis, ductus in Bethuliam, gaudet, cùm placet Hebræo. Sic alternis agit fortuna varia, cùm dolor voluptatem comes ſequatur, doloremque voluptas. Hoc aſpectu Dauid, Pſ. 38. num. 6. *Vniuerſa* (inquit) *vanitas, omnis homo viuens*, &c. Quaſi res fluxa, & vana homo ſit, imò ipſa vanitas. Agnouit hanc vanitatem rerum humanarum Heua Mater, quæ filium parit, *Gen. 4. num. 2.* & Habelem vocat, ſcilicet vanitatem; הבל *Habel* enim à radice הבה *Habal* vapor eſt in nihilum abiens; vnde Ioſepho, *Habel* ſignificat *nihil hoc*, &c. *lib. 1. Antiquit. cap. 4* Hac radice dixit Eccleſiaſtes: הבל הבלים *Hebel Habalim, Vanitas vanitatum*, &c. ſcilicet ſtare loco neſcit, quidquid humani eſt; quippe quod vanum ſit. *Quid igitur criſtas erigis homo fumus, & vanitas!* &c. ait Chryſoſtomus *Hom. 4. in Iſaiam.* Ergo nec bonis erigi, nec malis deprimi oportet hominem; quandoquidem & bona, *& mala fortuna habet leuitatem*, &c. Rectè Seneca *Epiſt. 13.* Conuenit cum Seneca Seneca, & monet choro 3. in Thyeſt. *Nemo confidat nimiũ ſecundis: nemo deſperet meliora lapſis*, &c. Inuenit Bernardus id conſilij Deo eſſe, vt breues, ac mutabiles rerum vices fieri iubeat, & virgo iam nigra, iam pulchra ſit, Cant. 1. num. 4. *vt inter mundi huius varietates, & ſublimitas erigat humilem, ne deficiat in aduerſis, & ſublimem humilitas reprimat, ne euaneſcat in proſperis*, &c. *ſerm. 27. in Cant.* Scenam hanc rerum humanarum confecit Achior; conſtat enim hominem laboraſſe fortuna varia, proiectum ab Aſſyrio miſerè, ſuſceptum à Iudæo benignè.

Variat fortuna hominum.

Pſ. 38. n. 6.

Gen. 4. n. 2.

Vanum omnino quidquid humanum eſt.

Cant. 1. n. 4. *Mores concinnat fortuna varia.*

41. *Et fecit ei cœnam magnam*, &c. Quæ nam tamen cœna in tenui rerum annona, magna eſſe potuit? in magno ieiunio? Magnam igitur cœnam dixeris, non ciborum apparatu, ſed conuiuarum numero; ſcilicet, *vocatis omnibus Presbyteris*, &c. quod ad conuiuium adornandum pertinet, ſic Auguſtus, etſi conuiuaretur aſſiduè, cœnitabat *non ſine magno ordinum, hominúmque delectu*, &c. ait Sueton. *c. 74.* Sed quod meam ad litem facit, *cœnam præbebat, vt non nimio ſumptu, ita ſumma comitate*, &c. Hoc delectu euocati ad cœnam ſeniores, in qua Iethro conuiua erat. *Veneruntque Aaron, & omnes ſeniores, vt comederent panem cum eo, coram Domino*, &c. *Exod. cap. 18. num. 12.* Cur tantus hominum Senatus cœnam adornat, Iethro amicè recepto? Lyra bene, *vt eum honorarent, maximè, quia erat de nouo conuerſus ad fidem, & ritum Iudæorum*; *vt in fide magis ſolidaretur*, &c. Id Salianus factum probat cœna Bethulienſi. *vide tom. 4. Anno Manaſſæ 9. num. 47.* Eóque ſpectat Lyra cùm docet euocatos ab Ozia ſeniores, *vt cœna eſſet magis honorabilis*, &c. Nec textus Græcè magnam apponit cœnam; ſed addit potum ſenioribus datum ſimpliciter: καὶ ἐποίησε πότον τοῖς πρεσβυτέροις. Et quidem abſurdum eſſet, vt in communi fame hominum ſeſe Principes darent epulis, & cibata miſerè plebecula, conuiuarentur ſeniores delicatè. Non ita bonus Imperator; ſed communi militum cibo, ac veſtitu vtitur: ne grauius obtemperantibus ſit imperium. Hac via laudatur Hadrianus apud Spartian. *Cibis caſtrenſibus libẽter vteris in propatulo*, &c. Addit Spartianus, quo Hadrianus magiſtro vteretur huiuſce diſciplinæ. *Exẽplo* (inquit) *Scipionis, Metelli, & auctoris ſui Traiani*, &c. Honorium Theodoſius hac, & vili menſa recreatũ voluit. *Inuentis vtêre cibis*, &c. *ad 4. conſulat. Panegyr.* ſcilicet communi vitæ cultu conciliat Princeps amorem hominum.

——*ſolabere partes*
Æquali ſudore tuas, &c.

Mitto, quæ Alexandrum commendant apud Curt. *lib. 4.* & quæ Annibalem, apud Liui. *lib. 1. decad. 3.* Laudat Plutarchus Marium, ac tandem, *Iucundiſſimum* (inquit) *ſpectaculum eſt, Dux in oculis militum, eodem pane veſcens, aut in vili toro quieſcens, aut in foſſa facienda communem præſtans operam*, &c. Hac ergo laude commendatum latè Oziam volo, qui cœnam ſenioribus lautam non apparauerit, ſed tenuem, ne doleret, & indignaretur macerata ieiunio plebecula.

Lautam adornat cœnam conuiuantis comitas.

Ex. 18. n. 12.

Conuiuium adornant ſeniores.

42. Addo ieiunium Iudaicum ſeuerè initum, & protractum, cibo frugali ſolui. quod notant Interpretes *num. 20.* vbi textus eſt, *expleto ieiunio, refecerunt*, &c. Ieiunium enim adeò tetricum erat, vt nec cibum, nec potum Iudæus attingeret, niſi ad ortum veſperi: nec ſolueret, niſi menſa (quod aiunt) terreſtri, & cibo arido. Conſtat ex *cap. 12. num. 9.* ex Suet. *ad Auguſt. cap. 76.* ex Philo *ad lib. de vita contemplat.* Adeſt in locum Mendoça Magiſter meus *tom. 2. in 1. Reg. cap. 7. num. 6.* Puto ego ſuam Iudæo xerophagiam placuiſſe; qua vtebatur latè Chriſtiana ſchola. Vide Caſſian. *lib. 4. cap. 22.* Satis mihi Tertullianus erat *ad lib. de Ieiun. cap. 1.* vbi xerophagiam laudat, quam ineptè obirent Hæretici hoc ritu. *ſiccantes cibum ab omni carne, & omni virulentia, vuidioribus*

Cõmuni vita cultu ciues allicit Princeps optimus.

Cibo ſoluitur arido ieiunũ Iudaicum.

vuidioribus quibuſque pomis,&c. vide quid aggerat Pamelius.

43. An hæc fuerit cœna pura,Iudæo nota, dabit facilè Tertullianus lib. 5. aduersùs Marcion.cap.4. *Dies*(inquit)*obſeruatis,& annos, vt arbitror cœnas puras*,&c. Id verò eſt,cœna ſine obſonio,& menſa(quod aiunt)ſine ſanguine. Tertullianus iterum *ad lib. de Pœnitent. cap.9.* docet Magiſter homines ſcelerum pœnitentes, *Paſtum, & potum purè noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa*,&c. quo loco,etſi Pamelius obmutuerit,non tacet, quæ ſentit benè, Cerda. Addunt Philonem plerique interpretes lib.citat. *Menſa*(inquit) *pura eſt à cruentis dapibus*, &c. Verè Hebræus deſcribit xerophagiam quæ polenta, & ſale conſtat. Ab Apuleio vis argumento magna. Illud in Aſclepio.*Hoc optantes conuertuntur ad puram,ſine animalibus,cœnam*,&c. Scio non deeſſe,qui de menſa pura ſenſerint aliter. non adduco: videas interim Baron.*tom.*1.*ad annum* 34.A quo multa Rangoli.*tom.*1. *in lib.Reg.*1.*cap.*7. Cœnam ieiunio exacto puram obiere ſeniores apud Oziam,menſáque remota.

Cœna eſt pura,qua ſine dapibus.

44. *Conuocatus eſt omnis populus, & per totam noctem orauerunt*, &c Precatur, & ieiunat tetricè Iudæus, cùm fortuna rerum acerba eſt: probant latè Interpretes, quòd precibus ieiunium merus addiderit, vt Deum facilè alliciat:vide *comment. ad cap* 4.*num.*8. Qua de re erit ſermo *ad cap.*8. Illud non prætermittam, cibum à Bethulienſibus ſumptum ita, vt à cœna prodierint ad proſeucham, orandi gratia, noctémque ſolidam precibus impenderint. Ritu id antiquo factum, vt ieiunantes noctu vigilarent,Deumque orarent, cùm res id poſceret. Meminit hac de re Baſilius *in Pſalm.* 114. Hieronymus *contra Vigilant.* qui negabat precibus nocturnis vigilandum eſſe. Vnde locus Hieronymo,vt Vigilantium ioco pungeret, Dormitantiumque vocaret. Non abeſt Hieronymo Tertullianus *lib.*2 *ad vxor. cap.*4. hominesque alij, quos tibi dabit Serarius *quæſt.* 6. vbi haſce vigilias à Tertulliano conuocationes nocturnas vocari docet, cùm euocati populus ſoleret in Eccleſiam, vt fieret comprecatio: & conuenit Eccleſia, ab ἐκκαλεῖν, quod eſt *euocare*. Vnde Bethulienſes, *per totam noctem intra Eccleſiam orauerunt*, &c. vbi vigiliarum dies, & ſolennes pernoctationes celebrare ſoliti; quæ loquendi forma placuit Hieronymo *Epiſt.* 7. *ad Lætam.* Nec opponas vnum Ieroſolymis templum orandi,adorandíque gratia erectum eſſe; quod Samaritis Chriſto opponit, Ioann. cap.4.num.20. *Vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus,vbi adorare oportet*,&c. Erant enim & lege veteri loca Hebræo deſtinata, vbi precationes, ac Dei ſermones fierent, quæ modò Synagogæ vocabantur, *Luc.cap.*7.*n.*5. modò proſeuchæ. Ioſeph. *de ſua vita.* Nam proſeucham Iudæus Philippis habuiſſe viſus eſt. Vnde Paulus ab vrbe ad amnem abit,*vbi videbatur oratio eſſe*,&c.*in Actis ad* 16.*num.*12. Græcè προσευχὴ, locus ſcilicet deſtinatus precibus agendis.Quod volunt Corn.Sanct.Lorin.Nec Romæ deeſſe Iudæo proſeucham putant alij; quò Iuuenalem trahunt *Satyr.* 3. ille ad pauperculum:

Ede vbi conſiſtas, in qua te quæro proſeucha.

Solennes in Chriſti ſchola pernoctationes.

Ioan.4.n.20.

Proſeucha orandi locus.

Act.16.n.16.

Locum orando factum credit Aſcenſius: Aſcenſio Turnebus adeſt *lib.* 1. *aduerſ. cap.* 19. Nec omnino diſſident,qui proſeucham mendicabulis diuerſorium eſſe volunt, ſi velint pauperes ſacris locis adeſſe ſolitos,ſtipis corrogandæ cauſa. Deſcribit Philo proſeucham ad lib. 3. de Moyſe. *Apud Iudæos* (inquit) *deſtinata oppidatim ſacris precationibus loca ſunt, quæ proſeuchas vulgus nominat*, &c. Eo loci conuenerunt Bethulienſes, ſoluto ieiunio; *& per totam noctem intra Eccleſiam, orauerunt*, &c.

45. Ex loco eruit Serarius cœnam ab Ozia ita curatam, vt non impediret orandi curam. Mouebat id Hieronymus Epiſt. 19. ad Euſtoch. *Ita tibi ſemper comedendum eſt, vt cibum & oratio ſequatur, & lectio*, &c. Iam ea de re Lætam monuerat,vt filiolam rectè inſtitueret Epiſt. 7. *Sic comedat,vt ſemper eſuriat, vt ſtatim poſt cibum poſſit legere, & pſallere*, &c. Hieronymo hæret Chryſoſtomus *ad concion.* 1. *de Lazaro*; & vrget ex Chriſti facto, qui fame hominum ſedata, ſermonem habuiſſe viſus eſt. Cur enim præmittit diſcipulos Matth.14.n.22.*Donec dimitteret turbas*,&c.niſi vt ſermone habito doceret homines, *qui venerant, vt audirent?* Sic Chryſoſtomus. *Non enim diſtenderat illorum ventres; verùm vbi ſaturaſſet illos, quantum exigebat neceſſitas, ad ſpiritualem adduxit alimoniam*, &c. Prior, quàm Chryſoſtomus,eſt in hac ſententia Clemens Alex. *ad* 2. *Pædag. cap.* 5. vrget, ne quis epulis ſe lautis oneret. *Sed ſit nobis* (inquit) *cœna tenuis,& expedita,apta ad vigilias: & quæ à Pædagogi diſciplina minimè ſit aliena*.&c. Scitè Bethulienſes legem ſeruarunt, qui à cœna ad comprecationem tranſmeant.Sed Achiore bene recreato, vtpote quem fortunæ ludum, & domo, & menſa nobili Ozias exceperat, propè admonens,

Cibum faciles ſequantur preces.

Matth. 14. n. 22.

●

Homines Chriſtus & cibo, & doctrina reficit.

PARÆNET. XX.

Fortunam hominum variam à Deo morum Magiſtro prouideri.

I. DOlor, *& voluptas inuicem cedunt*, &c. ait Seneca *in Thyeſt.chor.*3. Sed morum Præfectus Deus trahit homines ad rectè agendum hac via fortunæ variæ. Cùm Princeps altè gaudet, & tumet; occurrit Deus è veſtigio,ac deiicit hominem,vt timeat,ne tumeat:cùm fractus metu Princeps iacet,aduolat è cœlo Deus,ac erigit hominem, vt metum animo abigat, & ſui ſpem ſinu foueat, breuéſque rerum vices eſſe Deus iubet,vt homo,paruus ſcilicet mundus, ſuam voluat rotam, *vicibus temperatus*, &c. Quod teponit Tertullianus *de Pallio c.*2. Nemo ferret hyemem,niſi verna leniret temperies: nemo triſtem obiret noctem, niſi dies nocturnam triſtitiam temperaret: proindéque *dies, & nox inuicem vertunt*,&c.addit Magiſter; *cùm habitum vertere,naturæ totius ſolenne munus ſit*,&c. Sic mundus iſte,ſic ille ſuum obit curſum,*vicibus temperatus*, &c. Nata bene curando eſt fortuna hæc rerum varia: vrget Chryſoſtomus *Hom.*54.*in Matth.Eodem*(inquit)*nos modo*,

Ad mores poliendos facit benè fortuna varia.

do,& dolòr vexat,& voluptas mulcet, &c. Quò tamen tot rerum humanarum, breuéſque vices? *vtriſque remediis mens hominum indiget*, &c. Voluptatem metus abigit, ne quis inſoleſcat; metum voluptas pellit, ne quis deficiat. Sic fortuna Lentulum vice alterna verſauit: *neque bonis eum perpetuis frui, nec malis aternis ingemiſcere patiendo*, &c. quæ cenſet Valerius *lib. 6. num. 11.* Par Lentulo Achior, vtramque alit fortunam, *vicibus temperatus.*

2. Quantum è fortuna varia lucrum eſt! cùm Deus vrget hominem mixtis bonis, maliſque. Videò vno ſub pomo boni, ac mali ſpeciem ſubeſſe. Hortum Adamo genialem ſi
Gen. 2. n. 9. adeas, Gen. 2. n. 9. *Lignum* (inibi) *ſcientiæ boni, & mali*, &c. Et hæc magni, boníque Dei ſcientia eſt, vtramque fortunæ paginam facere, vtrumque miſcere antidotum curandis morbis humanæ mentis; cùm enim homo quiſque bonis inſoleſcat, premitur malis, ac ne malis opprimatur, bonis lenitur; ſic malum bono, & bonum malo temperatur. Notat Chryſoſtomus vitam viri etiam optimi alternis agi, proſperis ſcilicet, & aduerſis, nec vno, & eodem ſemper aſtro duci, *Hom. 9. in Matth.* Id verò curat Deus, certò ſciens vtraque fortuna opus eſſe, vt homines rectè agant. *Noſtræ* (inquit) *vitæ labores conſtituit, laſciuiam reprimens*, &c. *Hom. 64. ad pop.* Malis bona miſcet, ne mala feras ægrè. *Neque enim in doloribus quiſquam ſemper eſſe poteſt, cùm ipſa natura id ſufferre nequeat*, &c. *Hom. 54. in Matth.*

Mores componit hominum fortuna varia.

3. An hac via ſponſus ſponſam ducit, cùm agit blanditiis, vt ianuam aperiat? Cant. 5.
Cant. 5. n. 2. & 7. num. 2. *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea*, &c. Deinde patitur virginem aduerſis premi, ac manu pulſari: quod virgo queritur n. 7. *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me*, &c. Verè Deus humanarum affectionum bonus eſt Hippocrates: blanditur dicto, ne virgo timeat; & premit facto, ne ſuperbè tumeat; ſic fauo, & abſinthio miſcet antidotum, quo peſtes curet humanæ mentis. Vnde
Humanam mentem bonis, ac malis vrget Deus. Auguſtinus ad ſerm. 4. de verbis Dom. *Blandiris* (inquit) *ne fatigemur in via; corripis, cædis, ac dirigis, ne aberremus à via*, &c. Grates Deo ſoluit Antiſtes, quòd modò valeret, modò langueret; & ſubiret haſce rerum, mutabiléſque vices. Fortaſſe non legas canticum ſacro textu, quod non agat de re acerba, triſtíque fato hominum. *Cecinit Moyſes carmen*
Exod. 15. n. 1. *Domino*, &c. *Exod. c. 15. n. 1.* Sed Regem malè mulctatum explicat. *Equum, & aſcenſorem dejecit in mare*, &c. Gratias Deo egerunt; &
Iud. 5. n. 1. & 11. *cecinerunt Debbora, & Barac*, &c. *Iud. 5. num. 1.* Sed hoſtem acerbè pulſatum dicunt, num. 11. *vbi colliſi ſunt currus*, &c. Quò me Iuditha
Iudith 16. n. 1 & 11. rapis tuo cantico? cap. 16. n. 1. *Cecinit canticum Domino Iudith*, &c. Sed Holophernem ſua manu obtruncatum docet num. 11. *Amputauit pugione ceruicem eius*, &c. Mitto re-
Luc. 1. n. 46. & 52. liqua. Vna mihi ſatis eſt Virgo mater *Luc. 1. num. 46.* vbi illud, *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Sed addit compreſſam Dei manu ſuperbiam hominum. *Depoſuit potentes de ſede*, &c. num. 52. *Quia ſicut nulla ſine miſeriis plena ſunt gaudia; ita vix, aut nulla ſine lamentis ſunt cantica*, &c. ait Paſchaſius
Nullum ſine luctu gaudium. *lib. 5. in Thren.* Sic variat fortuna hominum, Deo iubente; ſed medicina eſt humanarum affectionum, morderi aduerſis homines, leniri proſperis; dolere, ne gaudio efferantur, gaudere, ne labore deprimantur.

4. Satis, ſupérque argumento Abramus eſt; qui nunc Deo canente mulcetur, ad Gen. 12. num. 3. *Benedicam benedicentibus tibi*, &c. Nunc fame graſſante agitur in Ægyptum *n.* 10. Iam rapta Sara maritus angitur, num. 15. *& ſublata eſt mulier*, &c. Iam vxorem ab iniuria vindicatam, Deo gratulatur n. 17. *Flagellauit Dominus Pharaonem*, &c. Modò ſenex benè numatus gaudet, cap. 13. num. 2. *In poſſeſſione auri, & argenti*, &c. Modò tentatus dolet rixa paſtoritia *num. 7.* Mitto plura, quæ ad Abrami ſpectant fortunam variam. *Multa quidem mala, ſed paria ſolatia*, &c. ait Saluianus *lib. 1. de Prouid.* Quo id conſilio? Saluianus iterum, *Sed ne hæc, quæ data à Domino fuerant muneris tantùm, & non meriti, viderentur fuiſſe; qui lætatur proſperis, probatur aduerſis*, &c. Germanè meam ad mentem adderet, affectum mixtis bonis, maliſque Abramum vixiſſe, vt lætitiam triſtitia nimiam dilueret, triſtitiam lætitia nimiam decuteret; ſolet enim Deus, ac Dominus, vtramque fortunam miſcere, bonam ſcilicet, & malam, ad ſalutem hominum. Ac proinde, nec inſoleſcunt proſperis, nec aduerſis cõcidunt. Solennem hanc fortunæ varietatem Iacobi ſcala ſignificatam eſſe tradit Philo *ad lib. de ſomn.* cùm enim Iacobus in ſomnis peruideret *Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes*, &c. *Gen. c. 28. n. 12.* præuidiſſe viſus eſt homines modò ſublimes erigi, modò humiles deprimi, nec vno ſemper loco ſtare. Sed permutat ima ſummis, & ſumma imis Deus prouidens, vt homo quiſque paruus vtique mundus, ſuum agat orbem *vicibus temperatus.*

Mala bonis mixta induxit Deus.

Homines Deus premit, vt faueat ex merito.

Gen. 12. n. 3. 10. 15. 17. & 13. n. 2. 7.

Genes. 28. n. 12.

Aduerſis formantur vicibus mores hominum.

5. Addo mali vim breui ſolui: quod probat Achior. Nam ſi metu vrgetur acerbitatis Aſſyriæ, metus die truditur. Adit Princeps Bethuliam, ſolatiumque parat: inibi per dies, & annos ſuo fruitur bono. Eóque ſpectant voces Bethulienſium num. 18. *vt ſicut placuerit tibi, ita conuerſeris nobiſcum*, &c. More ſuo Deus aduerſa in diem contrahit; proſpera in annum erogat. quod Iſaias explicandum ſuſcepit cap. 61. num. 2. *vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro*, &c. ſcilicet nemo mali perferret, ſi diuturnum eſſet. Minuit Chriſtus mali vires, & grano ſinapis claudit: *minimum quidem eſt omnibus ſeminibus*, &c. *Matth. 23. num. 31.* Puto ego morſus legum ſacrarum ſinapi notatos eſſe. Granum tamen eſt, quod vt minimum, ſic & breui coquitur, & ſoluitur, vt ferant homines animo facili quidquid acerbum eſt.

Premunt breui mala, ne perimant.

Iſai. 61. n. 2.

Matth. 23. n. 31.

6. Agnoſcit prouidentem Deum hyemali viciſſitudine Cyrillus Ieroſolymit. *Catech. 9.* Cùm enim dies in hybernis ſint grauiores, aut imbre perpetuo, aut gelu continuo, noctem die longiorem fecit Opifex: quò Cyrillus trahit illud ex Iſaia ad cap. 45. num. 6. *Ego Dominus, formans lucem, & creans tenebras*, &c. Additque dies hybernis contractos eſſe, *vt frigoris tempus longius non videatur: ſed noctes*

Iſai. 45. n. 6.

Labores doloreſque hominum Deus minuit.

Etes longiores iuuent homines requie, &c. Bonus omnino Deus, quo Auctore cursus humanæ vitæ breuior est, quàm vellent homines; experimento id patet, præterquam quod tonat Syracides cap. 10. num. 11. *Omnis potentatus vitæ breuis*, &c. Sed malè de suo Deo merentur, qui vitam multo longiorem esse vellent, cùm sit malis affecta plurimis; *nam ideo breuem Deus fecit, vt molestiæ eius, quæ prosperitate non poterant, temporis exiguitate finirentur*, &c. ait Maximus *ad Hom. 1. de non timendo.* Abire Deus voluit fortunam aduersam Achioris: nulla est mora; video enim hominem ab Holopherne proiectum miserè, sed ab Ozia exceptum benignè; video carcerem cum domo nobili commutatum, nec longa in vtrumque mora est, vt verè dixeris,

Prou. 10. n. 11.

Quem premit vna dies, erigit vna dies.

Sed laudo cœnam, scilicet frugalem, & quæ deceret viros optimos in communi rerum inopia; quandoquidem, *expleta ieiunio refecerunt*, &c. ne doleret plebecula, si videret,

PARÆNET. XXI.

Seniores, quæ non fecerint, ineptè iubere.

1. BOnum, & grauem se hominibus morum Magistrum approbat, qui, quæ iubet, iussa facit; & Catone Magistro, patitur legem, quam ipse tulit; nec ieiunium imperat bene pastus, pingui aqualiculo; nec laborem imponit laboris fugitans, turpi desidia. id enim propudium esset ingens. Adstrictum lege alia Adamum scio. Creat hominem Deus Principem hominum, rerumque Dominum, Gen. 1. num. 22. *vt præsit piscibus maris, volatilibus cæli, & bestiis*, &c. cibos deinde apponit, quibus Adamus victitet. *Dedi* (inquit) *vobis omnem herbam, & vniuersa ligna*, &c. *num.* 29. In hac mensa Adamus est, & Leo Adamo subditus, *vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus*, &c. Consultò Deus vnam hominibus, eandémque brutis animantibus mensam apposuit, ne putaret Præfectus aliis homo cibis se delicatis alendum esse, domesticis, licèt animalibus, miserè cibatis. Inde est, quod cœnam terrestrem Deus priusquam lautam apponit num. 11. *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum*, &c. Nec, nisi triduo pòst exacto greges inducit pecudum, *num.* 25. nec facultatem permittit carnis edundæ, nisi multis pòst annis, *ad cap. 9. num.* 3. quod expendit Ambrosius *lib. 3. Hexaëm. cap. 7.* scilicet communem mensis reliquis mensam anteponit. *Hic enim sobrietatis est cibus, reliqui deliciarum, ac luxuriæ: hic communis omnibus animantibus, ille paucorum est*, &c. Rectè Deus communes Præfecto, domesticisque cibos commendat; quæ enim lex est Præfectum largè cibari, domesticos parcè refici? maximè in graui rerum annona?

Gen. 1. n. 22. 29. 11. 25. & 9. n. 3.

Princeps, ac ciues communi mensa.

2. Iosephum laudat Philo, quippe qui cœna parum lauta fratres aluerit. *Ponite* (inquit) *panes*, &c. *Gen.* 43. *num.* 31. An polenta, & aqua fraternam Prorex famem sedat? scio quantum cibi textu sacro, panis tegat. Sed, quod loco seruit, parca adeò Iosephi cœna erat, cùm fames vrgeret Ægyptum vniuersam, quod patet ex *num.* 1, vt ad panem, & salem ægrè adderetur plusculum. Absurdum putauit, sciens homo sese epulis plurimis, ac delicatis dare, cùm terram sibi subditam fames premeret. Optimè Philo ad lib. de Ioseph. *Interim* (inquit) *non admodum lauti apponuntur cibi, quoniam non liberet conuiuantem vti deliciis, in publica penuria*, &c. Non propudium modò, sed & scelus esset, si quis indicta publicè inedia, cœnaret lautè, & latè gauderet. non id Iohel tulerit. Lego auitam plebeculam ad ieiunium publicum, *sanctificate ieiunium, vocate cœtum*, &c. *cap. 1. num.* 14. Addit Vates, *Congregate senes*, &c. quibus potestas, à senatu commissa in populum. Vates iterum cap. 2. num. 15. *Sanctificate* (inquit) *ieiunium, vocate cœtum*, &c. sed ostendit *num.* 17. quo se luctu, & sacco macerarent Sacerdotum Principes. *Plorabunt Sacerdotes*, &c. Eadem prorsus fortuna laborant Senatus, & populus; Sacerdos, & Pontifex. Lugent pariter, iciunant pariter; nec Princeps, nec Pontifex pro suo libito secum dispensant. quod laudat Theologus *Orat. 1.* & Vates vrget, *Tantum abest, vt in aliorum calamitatibus, eos deliciis indulgere permittat*, &c. Miror ego esse homines qui ieiunium imponant alij, & se pascant basilicè.

Ni lauta se Præfectus, & parca domestitos cœna pascat.

Iohel. 1. n. 14. & 2. n. 15. & 17.

Senatus, & populus eadem ad luctus via abeant.

Non id Moyses audet; vrget Magister Hebræum, ne gulam foueat, quod textus insinuat Deut. 8. num. 3. *Non in solo pane viuit homo*, &c. & Christus explicat *Matth. cap. 4. num.* 4. Potuit quidem Moyses ea de re admonere Senatum, populūque Iudaicum iure summo. Iã enim se afflixerat inedia quadragenaria: quod Rupertus obseruat lib. 3. in Exod. cap. 45. *Sic enim in semet ipso meruit experiri, vt veraciter diceret, quòd non in solo pane viuit homo*, &c. Quasi nemo crederet ieiunandum esse, etsi Moyses diceret, nisi Magister dictum facto probaret: *panem*, scilicet, *non comedens, & aquam non bibens*, &c. *Deut. c. 9. n. 9.* Audax igitur Moyses scholam de ieiunio aperit, inediæ custos tetricæ, rigiduſque satelles. Quid si & Sardanapalo pudor fuit ieiunare ciues, & se pergræcari mensa basilica? Ion. 3. n. 5. *Crediderunt Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis*, &c. Multus est pœnitentium apparatus. *& peruenit verbum ad Regem Niniue; & indutus est sacco, & sedit in cinere*, &c. *num.* 6. Non sibi Princeps, etsi mollicellus, parcit; in publico hominum ieiunio, obit ieiunium. Deinde ieiunio piè susceptо, legem Princeps imponit ieiunandi, num. 7. *& clamauit, & dixit in Niniue: Ex ore Regis*, &c. quod aduertit Maximus ad Hom. de Niniuit. *Vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi Rex primus indixit*, &c. Eat igitur Præfectus hominibus homo, & cœnam sibi delicatam paret, cœnatis ægrè domesticis, vt patientiam abrumpat, & obsequium deneget domus vniuersa. Neque enim stomachus Præfecto, quàm domesticis laxior est, nec iure gaudet meliori. Scientes huiusce iuris Bethulienses, qui agunt? Ieiunat Senatus æquè, ac populus: dolore pari, pariique labore; nec laborem fugiat populus, si laborem Senatus fugiat.

3. Deut. ● n. 3. & 9. n. 9. Matt. 4. n. 4.

Ineptè ieiunium imperat, qui se largè pascit.

Ion. 3. n. 5. 6. & 7.

Facto Princeps trahit ciues.

Abeant turpiter, qui labores imponunt aliis

4.

aliis, nec laborant; sed altè sedent, & contracto supercilio spectant laborantes homines, latè iubent, quod ne minimo quidem attingunt digito. Documento ad laborem meus mihi Iesus est. qui delectis ad missionem discipulis, missisque ad fidem explicandam, *Euntes* (inquit) *prædicate*, &c. Matth. 10. num. 7. sed qui labores indicit concionandi, concionibus habendis natuat operam; quod Matthæus addit cap. 11. num. 1. *Præcipiens* (inquit) *duodecim discipulis suis, transiit inde, vt doceret, & prædicaret*, &c. Bonus omnino Magister hominum, qui quæ iubet, iussa facit; nec sese laboribus ferendis abstrahit, cùm labores domesticis imperat. Caietanus in loco, *Non misit discipulos ad prædicandum, vt ipse desereret prædicandi officium: seruat quod seruandum præcepit*, &c. Malo quidem genio Præfectus laborem fugitat, laborem imperans. Dubito an peius peccet, cùm labores, & honores diuidit concionandi, si Conciones sibi capit notæ melioris: & quod abiectum est, facilè diuidit in domesticos, turpi delectu. Sed meus Iesus, quod Apostolis indicit, vt dicant, id ipse dicit. *Misit illos prædicare regnum Dei*, &c. Luc. 9. num. 2. id & Magister explicandum susceperat cap. 8. num. 1. *prædicans & euangelizans regnum Dei*, &c. Ius enim erat, vt bonus hominum Præfectus, nisi pares, concionum partes sibi, ac domesticis non diuideret. Caietanus iterum, *Quod ipse prædicat, Apostolis prædicandum mandat; non reseruans sibi altius aliquid*, &c.

Matth. 10. n. 7. & 11. n. 1.

Labores docendi sic imponit, vt sub eo à Præfectus est.

Luc. 9. n. 2. & 8. n. 1.

Pares sibi, ac domesticis honores diuidit Præfectus opt.

5. Homo erat, imò Princeps hominum, ac *Rex Regum*, &c. Sed quid supra homines sibi vsurpat? vitam agit, pari cultu, loco, cibo, labore; *sic decet nos implere omnem iustitiam*, &c. Ait Magister morum Dominus *Matth. 3. num. 25.* sciebat Ioannes Christum humana sub natura Deum esse, qui nec ablui, nec pati, nec mori deberet: cùm tamen Deus hominem induisset, quæ sunt humani iuris, agere, & pati voluit, illud iterans, *sic decet nos implere omnem iustitiam*, &c. quod Maximus sic interpretatur Hom. 6. hyem. *Hoc est iustissimum, vt qui totum suscepit hominem, per omnia hominis transeant Sacramenta*, &c. Vellem ego sic agere cum Præfecto qualicumque hominum. Heus tu, Deum te, an hominem esse putas? Fortasse infimus hominum summum Dei locum tenes. Sed caue, ne quid humani à te alienum putes; vt quæ iubeas, non agas, nec attingas: age, quod iubes, illudque tibi dictum à Christo putes, *sic decet nos implere omnem iustitiam*, &c. Absurdum est, vt alio te, alio homines reliquos iure habeas. *Rectorem te posuerunt; esto in illis, quasi vnus ex ipsis; curam illorum habe*, &c.

Matth. 3. n. 15.

Deus homo nihil humani alienum à se esse voluit.

Eccl. cap. 32. n. 1. & 2. Hæc Syracides, *cap. 32. num. 1. & 2.* Sed premit Hugo textum lenta manu, fortasse Præfectum expertus, qui benè suum curaret genium. Vnde vrget, *Esto vnus ex ipsis*, &c. Id verò est, Hugone teste, *Ita vestitus, ita procuratus*, &c. scilicet, communi Præfectus vtatur panno, cibo, potu, ius est. *Curam illorum habe*, &c. Addit Syracides, & Hugo, *Non tui tantùm*, &c. Sanus ille cerebro, & animo sanctus est, qui domesticos sibi pares facit, domo, cibo, & cultu reliquo. Hæc Principes Berhulienses præstitere, cùm hostis premeret, & fames vrgeret: nam senatus, simul cum populo, ieiunasse visus est, *& simul, expleto ieiunio, refecerunt*, &c. Parcè, quod videtur, sumpta cœna est; cùm à cœna ad preces commeauerint homines, comprecationemque produxerint ad lucem vsque: *& per totam noctem, intra Ecclesiam, orauerunt*, &c. Non expendo, quid valeant communes preces in labore communi Rerump. Id habes *paræn. 10. ad cap. 4.* Noto facilem cursum esse à cœna tenui ad rem qualemcumque piè gerendam: & inde moneo

Sanctus vita Præfectus est quem nullus cultus à domesticis diuidit.

Paræn. XXII.

Ita cœnandum, vt è cœna, quidquid sanctum est, agas facilè.

1. MOdum in cibo, & potu adhibendum esse monet bonus quisque, ne mensa lautè extructa, onerato corpusculo, functiones premat animi, quod Tertulliano visum est, ad lib. de Ieiun. cap. 6. *Conscientiam* (inquit) *communem consulamus; ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum, virgine adhuc saliua, exhibere consueuerit, rebus duntaxat sensus agendis, quo diuina tractantur; si multo pollentioris mentis, si multo vinacioris cordis*, &c. Et quidem, nemo ab epulis basilicis ad Deum festinat facilè; nemo à cœna sicula ad preces abit festinatò; mensa frugali opus est, vt preces, & sacra fiant, si quid Cyprianus à Magistro didicit lib. 4. Epist. 4. ad Clerum. *De victu* (inquit) *parco, & potu sobrio diuinis dignationibus admonemur; scilicet, ne largioribus epulis mens grauata minus ad preces orationis euigilet*, &c. & hæc vrget Syracides, cùm dicat, *Ante orationem præpara animam tuam*, &c. *cap. 18. num. 23.* & quisnam ad orandum apparatus, nisi à ieiunio est? id apponit Chrysostomus, *Ieiunium* (inquit) *adiutorium est orationis; quia oratio sine ieiunio gracilis est, & infirma*, &c. *Hom. 15. in Matth.*

Precibus agendis nocet mensa lauta.

Eccles. 18. n. 23.

2. Multam ieiunio vim inesse, vt res sacra benè fiat, nouerant Petrus, & Isaacus. Nam Petrus ante cibum precatur, in Actis cap. 10. num. 10. *Cùm esuriret, voluit gustare*, &c. sed in proximo est, quid egerit num. 9. *Ascendit Petrus, vt oraret circa horam sextam*, &c. quasi pinguiores à ieiunio preces Deum vrgerent. An hora tantùm nona? *Atqui facilius inuenias Petrum hora sexta, cibi capiendi causa, ad orandum ascendisse*, &c. Ait Tertullianus *ad lib. de Ieiun. c. 10.* Cur verò Isaacus pactum cum Abimelecho init, & iuramentum addit manè summo? cœnam Isaacus apparauerat nocte proxima; Regem ac Principes recreauerat, *Gen. c. 26. n. 30.* sed luce appetente, fœdus initum. *Post cibum* (inquit) *& potum, surgentes manè iurauerunt mutuò*, &c. Id verò, quod Lyra interpretatur, *Ieiuna salina propter iuramenti reuerentiam*, &c. Vnde enim

Act. 10. n. 10. & 9.

Aluntur preces inedia.

Gen. 26. n. 30.

melius, quàm à ieiunio constaret iuramenti religio. Quare si quis à cœna ad preces abeat, parcè admodum cœnasse visus est.

3. Ita cœnandū vrget Anna suo facto. Textus
1.Reg.1.n.9. & 10. est 1.Reg.cap.1.n. 9. *Surrexit Anna postquam comederat, & biberat in Silo*, &c. & quò abit mulier? *Cùm esset amaro animo, orauit Dominum*, &c. *num.* 10. An mulier à cœna ad risum? ab epulis ad iocos euolat? Ita se refecerat, vt cibus non impediret studium orandi: id aduertit Chrysostomus ad Hom. de Anna, tom. 1. *Quòd* (inquit) *omnes facerent tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis, post conuiuium accurrens ad supplicationem*, &c. Claudit sermonem Chrysostomus. *Si tam instanter orauit post cibum, & potum, qualis erat ieiuna?* &c. Mentem parasse Anna visa est, cibo modestè sumpto, vt preces castè ederet. Ab Abramo forma hæc piè agendi. *Sedebat ille ad ostium tabernaculi sui, in ipso meridie*, &c. Nam textus Græcè planè tempus notat, illud ingerens, μεσημβρίας, scilicet Abramus piè affectus sub meridiem, & prandium obseruat, an viatores illac transirent. Quæ nam Abramo pietas, vt cibo capto adhuc operam daret hospitibus recreandis? nec æstus, nec cibus id operis impedierit? Patet hominem cibatum parcè esse, qui à cibo ad pium opus vigilauerit, μεσημβρίας.

Cibo tenui constant bene preces.

4. Hac, vt planum est, pietate, Deum sibi
Cant.1.n.6. sponsum virgo rogat, Cant. 1. 6. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie*, &c. Meridiantem Deum adire virgo cupit, ne qua hora pium quid non agat. Deinde parcè virgo cœnasse visa est, quam à Deo quæritando nec meridies retardaret. Quantum cibi caperet, quæ sic precata Deum vrgebat, mero meridie? *Vbi pascas, vbi cubes in meridie*, &c. Sic tamen se reficit, quæ de Christo adeundo, & adorando cogitat. Disco à Christo cibum ita sumendum, vt à cibo sanctè agam. Cœnam peragit agno ritè mactato: quod habes Luc. cap. 22. n. 14.
Luc.22.n.14. & 19. *& cùm facta esset hora, discubuit*, &c. Post cœnam Iudaicam de cœna agit Eucharistica; textus enim est n. 19. *& accepto pane gratias agens*, &c. Cur Magister Deus post cœnam Iudaicam instruxerit cœnam mysticam, inuenit Caietanus; eo enim modo cœnandum esse docet, vt à cœna rem sacram facias, si placuerit. *Inter comedendum Eucharistiæ sacramentum celebratur: ad instruendum cœnæ temperantiam talem esse debere, vt Sacramentis etiam cœnantes idonei simus*, &c. Addit Ioannes sermonem à Christo productum, de rebus ad salutem attinentibus. *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum*, &c. *c.* 13. *n.* 33. Deinde sermonem Magister adornat precibus, vt Patrem alliciat in auxilium hominum, cap. 17. n. 1. *Hæc locutus est Iesus, & subleuatis in cœlum oculis, dixit: Pater*, &c. Sic Magister cœnat, vt inde sacrum faciat, & sacramento Eucharistico discipulos reficiat. Neque enim Christus homines cibo appositio recreauit, vt sermonem audire, orationem habere, & Sacramentum capere grauarentur. Puto ego seniores ita cum Iethro cœnasse *Exod. cap.* 18. *num.* 12. quos Moyses accersitos vo-
Exod. 18. n.12. luit, *vt comederent panem cum eo, coram Deo*, &c. Quid enim est cœnare homines in Dei oculis? an ne ad ianuam tabernaculi? Id volunt alij: negat Augustinus *q. 66. in Exod.* Cùm enim credat arcam à Moyse nondum factam, addit, *Igitur ante Deum id accipere debemus factum, quod factum est in Dei honorem*, &c. Nulla in conuiuio pietas non est, vbi conuiua Deum cogitat: longè aberit leuitas à conuiua, qui ab epulis se ad preces accingit. Scitè Chrysostomus ad Hom. cit. de Anna. *Qui se* (inquit) *ad orandum conuersurus est, non audet quidquam absurdè loqui, ne in medio quidem conuiuio*, &c. Legem seruarunt Bethulienses, quandoquidem à cœna ad proseucham abiere; *& per totam noctem orauerunt*, &c.

Multa in conuiuio pictas est vbi conuiua Deū cogitat.

Multa viro bono pietas à cibo sumpto est.

CAPVT VII.

Num. 1. Holophernes autem altera die præcepit exercitibus suis, vt ascenderent contra Bethuliam.

Commentarius.



On cunctatur Holophernes in vrgenda Bethulia: nam postridie, quàm Achior suam, & luculentam de magno Deo orationem habuit, Hebræumque Deo clarum dixit, equitem, peditémque expediuit Assyrius ad vrbem obsidendam, & capiendam, vi, dolo, & qua posset via. Quòd verò dies altera soluatur in diem posteram, habet Salian. *tom.* 4. *Anno Manassæ* 9. *n.* 48. à Lyra, Vatabl. hominibusque aliis. Sed abundè est textus Græcà τῇ χ^ῃ ἐπαύριον. Firmo locum loco simili ad Iud. c. 21. n. 4. *Altera autem die*, &c. Græcè τῇ ἐπαύριον, *die crastina*, &c. Virtus est Ducis optimi, *celeritas in conficiendo*, &c. quam laudat Cicero. Hæc Alexandro tessera, vt multa præclarè gesserit μηδὲν ἀναβαλλόμενος, *nihil scilicet procrastinando*, &c. Erat enim Leo vi mascula, ceruus celeritate addita, ne quod celeritate conficiendum erat facinus, mora interposita solueretur, ac periret. Sic Apelles, vt Ducem probaret notæ celeritatis. *Alexandrum manu fulmen tenentem pinxit*, &c. ait Plinius *lib.* 35. *c.* 10. Quasi volaret Macedo aduersùs hostem, vt subitò premeret, *& fulminis ocyoralis*, &c. An Madianitam Moyses terendum putat hac celeritate? Aio. Dei scito legit militem, ac Ducem Moyses, qui rem gerant, *Num. cap.* 31. Cùm enim Deus iuberet n. 2. *Vlciscere priùs filios Israël de Madianitis*, &c. vrget Moyses negotium n. 3. *Statímque Moyses: Armate* (inquit) *ex vobis viros ad pugnam*, &c. Tam promptus ad obtemperandum, quàm certus ad hostem opprimendum celeritate.

Maturè facto opus est ad belli aleam.

Num. 31. n. 2. & 3. *Nulla in obediendo mora, & multa in conficiendo celeritas.*

2. Non ego laudo ausus temerarios, ne à Sallustio dissideam, qui rectè monet in Catilin. *Vbi consulueris, maturè facto opus est*, &c. & hanc Augusto mentem esse probat anchora Delphino addita; deinde Epigraphe

Lentè nandum

parœ

parœmimastica, *Festina lentè*, &c. Quadrat in litem & vox frequens, *Sat celeriter fieri, quod fiat satis benè*, &c. apud Sueton. *cap.* 25. Scio ego, quid in Iuliano probauerit Ammianus lib. 16. *Erat prouidus, & cunctator; quod præcipuum bonum in magnis Ductoribus, opem ferre solet exercitibus, & & salutem*, &c. Hac via fregit Annibalem cunctator Fabius.

3. Sed tunc prodest celeritas, cùm res in dubio est: quod aduertit Seneca Act. 2. Agamemn. *Capienda rebus in malis præceps via est*, &c. quid enim cuncteris, vbi celeritas viam salutis aperit? Laudo ego Titurium disputantem benè, de Gallo prius, quàm senserit, occupando lib. 5. de bello Gallic. *Si Gallia* (inquit) *omnis cum Germanis consentiat, vnam esse in celeritate positam salutem*, &c. Non auertis periculum, si moram nectis in ope ferenda. Cunctari Saulem puduit, in auxilio deferendo aduersùs Ammonitam, hostem scilicet gentis Iudaicæ. Premit vrbem Ammonites, aduolat ad Saulem cursor, & rem exponit. Accensus dolore Hebræus opes cogit militares 1. Reg. c. 11. n. 7. *& egressi sunt, quasi vir vnus*, &c. Bene est; sed quo die abeat Princeps in auxilium? Illud in promissis. *Cras erit vobis salus*, &c. *n.* 9. *De proximo tamen*; addit Lyra. Nouerat Hebræus malum vrbis capiendæ vna celeritate, vitari posse: inde volat in auxilium. Hostem non vincis, si pateris, vt vires colligat. Id miles ad Cæsarem.

Laudata in dubiis celeritas.

1. Reg. c. 11. n. 7.

Auget mora periculum.

Dum trepidant nullo firmata robore partes.
Tolle mora, semper nocuit differre paratis, &c.

apud Luc. lib. 1. Hæc vna Chaldæo laus à Deo est. *Habac. 1. num. 6.* hostem Ierosolymis Deus agitat. *Ego* (inquit) *suscitabo gentem amaram, & velocem*, &c. Celeritatẽ pugnandi cum mali acerbitate componit Deus; quasi grauiorem Chaldæus stragem minetur celeritate pugnandi. Qui enim subitò vrgent hostes, vrgent grauiùs. *Volabunt, quasi Aquila festinans ad comedendũ*, &c. *n.* 8. Sic & Holophernes vrget Bethuliam, celeritate, quàm potest maxima, *Altera scilicet die*, &c.

Habac. 1. n. 6. & 8.

Premitur hostis celeritate.

4. Festinasse mente alia Holophernem putat Lyra; *vt citiùs impleret crudelitatem, quàm prædixerat*, &c. Tanto Holophernes ardebat furore sæuiendi, vt moram nox patrando cõsilio videretur attulisse. Barbarum omnino ingenium. *Propè enim est, vt libenter damnet, qui citò*, &c. monet Seneca *lib. 1. ad Neron. c. 14.* Hoc tamen laborant morbo homines: *veloces enim pedes eorum ad effundendum sanguinem*, &c. *Psal. 13. n.* 3. Imò ad mala quæque pernices admodum: quod à Patre Sapiens accepit, & exscripsit in Prouerb. c. 6. n. 18. *Pedes* (inquit) *veloces ad currendum in malum*, &c. Immane! quantum festinant ad stragem hominum infames sæuitia homines! Sed videt in Assyrio Holophernem mysticum Laudunensis, qui furore concepto Bethuliam Dei virginem obsidet; *Ecclesiam scilicet, quæ Dei domus est*, &c. Fortasse id excepit à Cardinali Iacobo Vitriaco, *ad serm. 2. in Domin. 16. post Pentecost.* vbi Iudithæ librum explicat. *Bethulia* (inquit) *Dei virgo interpretatur, Ecclesiamque signat, quam Diabolus nititur obsidere, & capere*, &c.

Festinat ad carnificinam sæuus homo.

Pf. 13. n. 3.

Prouerb. 6. n. 18.

Furit Diabolus in Christi scholam.

Velos. in Iudith.

Placet in loco Iacobus, vtpote qui vim, & artem notat Diaboli, de quo dicam plusculà. Certum enim illud est, quod Petrus opponit Epist. 1. c. 5. n. 8. *Diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret*, &c. Nec cunctando vim perdit suam, qui festinat ad prædam; imò volat ad sæuiendum, & potentior, & celerior ictu fulmineo. *Videbam Satanam, tanquam fulgur, cadentem*, &c. ait Christus *Luc. cap. 8. n.* 18. Liquidóque Magister exprimit, quàm festinat Diabolus ad stragem humani generis, cùm Diabolum fulminantem pingit. Sed redeo ad Holophernem; à quo disco

1. Petr. 5. n. 8.

Luc. 8 n. 18.

Prouolat ad sauitiã Diabolus.

Parænet. I.

Festinare homines ad malè agendum.

I. Runt in scelera, currunt, volant præcipites homines; & lucrum mentis insanæ ponunt in celeritate peccandi: eóque feliciùs se feciisse putant, quo citiùs properant ad improbitatem patrandam: quandóquidem rebus suis detractum arbitrantur, quidquid non addunt rerum, vel Deo irato. Expressit Chrysostomus ingenium hominum, Absalomo damnato, *Properanti ad nefas, tarda sunt cuncta; festinanti ad facinus videntur remorari dispositæ*, &c. *tom. 1. ad serm. de Absalomo.* Inde est, quòd scelerum affines vrget Chrysostomus iterum. *Timet differre modicum; ne aut ira remorata deficiat, aut furia dilata langueſcat*, &c. Festinat igitur Holophernes ad vrbem tentandam, ad prædam agendam, ad cædem patrandam: *altera, scilicet, die*, &c. postquam Achior dixit liberè, quid sentiret de Magno Deo, & Hebræo populo. Sed furor est insitus barbaris hominibus; quibus id, quod volunt, statim exequi, Regium videtur.

2. Festinat ad Idolomaniam Hebræus, motu celeri, de quo Deus ad Moysen, *Recesserunt citò de via*, &c. *Exod. 32. n.* 8. Meminit Moyses de hac Dei querimonia *Deut. c. 9. n. 12.* notat in Hebræo festinationem peccandi, *Deseruerunt velociter viam*, &c. Græcè ἐπάχυναν, *festinauerunt*, &c. Neque enim pensiculatè, ac maturè, sed calore animi subito homines quasi leues rem absurdam confecere. Videó, qua Deus re pungatur acerbè; queritur Hebræum festinatò ad Idolomaniam defeciisse. quod & Dauid notat Pf. 105. n. 13. *Citò fecerunt: obliti sunt operum eius*, &c. Et ad cultum vituli trahit Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 24. *Plana* (inquit) *res est: quia citò fecerunt, imò defecerunt, faciendo vitulum*, &c. Deus tamen eo maximè nomine indignatur, quòd festinasset Hebræus ad malè agendum. Rupertus iterum, *Celeritatem defectus & ipse Dominus, quasi admirans, citò* (inquit) *recesserunt*, &c. Præceps in Idolomaniam Hebræus abit; & cursu ad peccandum celeri. Vnde somnum excussit, vt diluculo vitulum coleret, facerétque mactata vitula. *Surgentesque manè, obtulerunt holocausta*, &c. *n.* 6. si cunctantur, dum vitulum ex auro faciunt; vitulo elaborato, sacra non differunt; sed luce adhuc tenui rem aggrediuntur Oleastrius in loco.

Exod. 32. n. 8.

Deut. 9. n. 12.

Præcipitant homines in scelera.

Psa. 105. n. 13.

Exod. 32. n. 6.

Vigilant homines in flagitium.

Festinant peccatores vitiorum suorum consummationem, ne fortè impediantur, &c. Rectè monet Oleastrius, ferri homines ad malè agendum impetu admodum celeri.

3. Multus Deo est dolor de hominibus, qui pati quietem non poterant; sed excusso lectulo, Bacchum & Cererem largè colerent, suúmque genium lautè alerent. *Va, qui consurgitis manè ad ebrietatatem sectandam*, &c. *Isa. c.5.n.11.* epulis scilicet intempestiuis diem terebat Hebræus, ac ne qua deliciis vacaret hora, horam statam anteuertebat, festinabátque ad rem absurdam helluo maximus. Quid Balaamus, vt Moabitam solaretur diris in Hebræum iactis? Deo exorato, & facultate expressa, *surrexit Balaam manè, & strata asina sua profectus est*, &c. *Num. cap.22.n.21.* Ostendit Magus, quo abiret studio, ad Hebræum malè agitandum, ad pretium operæ colligendum, qui manè id summo aggrederetur; obseruat Rupertus, & carpit studium hominis lib.2. in Num.c.16. *Adeò munerum cupidus, & maledicendi fuit, vt dimissus sub hac conditione, si vocare te venerunt homines isti: surge, & vade*, &c. *surrexerit protinus manè; id est, cum festinatione*, &c. Quàm pernix ad malè agendum Magus abit, qui molles abrumpit somnos, & pergit sua vectus asina. An metus Balaamo erat, ne Deum pœniteret de facultate permissa? Aio. & hæc occasio exsurgendi manè summo.

Vigilias Bacchus imperat. Isa.5.n.11.

Num.22. n.21.

Promptus ad aurũ cogendum Magus est.

4. Quis furtum animo destinat, & non procurrit ad flagitium? vrget Dauid, & furem pungit acerbè Pſ. 49. num. 18. *Si videbas furem, currebas cum eo*, &c. In cursu audacem notat hominem Theodoretus. *Multa* (inquit) *abs te peccata audaciter patrata sunt*, &c. Agnosco ego in cursu ad furandum, hominis festinationem ad malè agendum: qui non cunctatur vt rem suam furtis amplificet. Leuiùs peccasse videretur malus quisque, si lento gradu ad peccandum progrederetur; constaret enim peccasse hominem meticulosè; sed, quod Eliphazus Iobo opponit, cap.15. num.26. *Cucurrit aduersùs Deum, erecto collo*, &c. Impudens adeò in Deum peccator est, vt effuso cursu ad improbitatem prosiliat. Pulchrè Hieronymus, *Abruptam, & præcipitem superbi indicat mentem, qui contra Deum insanus audacia, non lentis gressibus processit*, &c. Festinat, qui viam capit, equo vectus, sed peccator verè equus, non eques, ruit in scelera, & pernix currit.

Pſ.49.n.18.

Audax festinat ad improbitatem furandi.

Iob 15.n.26.

5. Quid si volat? Ferri sublimes alis mulieres vidit Zacharias cap.5. num. 9. *Mulieres* (inquit) *egredientes: & habebant alas, quasi alas milui; & leuauerunt amphoram*, &c. Quid verò amphora, nisi capax scelerum sentina est. *Hæc* (inquit Angelus) *est impietas*, &c. *n.8.* Alas sibi nectunt mulieres vitiis notabiles, quibus significatur volare fœminam ad quæcumque scelera, nec vno stare loco posse, quousque tandem prorumpat in extremam improbitatem. Quod obseruat Cyrillus Alex. *Alas vpupæ habuisse affirmat, vt earum ad quæcumque nefaria facilitatem appositissimè declararet*, &c. Iunge pares homines, alis insignes, & vitiis. Videt Ioannes *similitudines locustarum*, &c. *Apoc. 9. num. 7.* Deinde videt *facies earum, quasi facies hominum*, &c. Alatos in locustis agnoscit homines; addit textus esse locustas, *similes equis paratis ad prælium*, &c. Quos nam verò dentes habent? *sicut dentes Leonum erant*, &c. *num. 8.* Vides quibus verbis Ioannes feritatem, fœditatemque hominum conatur exprimere, nec tamen exprimit? Equis procurrentibus, locustis volantibus, Leonibusque sæuientibus pares facit. Quandoquidem *potestas earum nocere hominibus*, &c. *num. 10.* Profectò ad nocendum potentes sunt homines, ac veloces. Eò enim spectant equi pernices, locustæque volantes. Ergo si festinant homines ad malè agendum, cur Holophernes superbè furens, non curreret, non volaret ad Bethuliam obsidendam, Bethulienseſque premendos; *altera scilicet die*, &c. postquam Achior Deum tueri visus est, abit Holophernes, præcipitatque moras omnes, vt suum posſit explere furorem, punire dolorem. Sed stylum verto ad Holophernem mysticum, ac Bethuliam Dei virginem: scio enim

Zach.5.n.9. & 8.

Volant mulieres in flagitia.

Apoc.9. & 8. & 10.

Potentes, veloceſque sunt homines ad nocendum.

PARÆNET. II.

Diabolum virginum hostem esse.

1. LAus hæc est virginum maxima, quod diabolo sit ingrata virginitas. Neque enim Diabolus oderit grauiter, nisi quod magnum & castum est. Ab hac Diaboli inuidia, vis, & dolus aduersùs virgines; quibus imminet acies diabolica, vt turpi afficiat impudicitia. Videt Ioannes *de ore Draconis, & de ore Bestiæ spiritus tres immundos*, &c. *Apoc. 16. num. 15.* expellit Christus Diabolum à pauperculo; nam *erat homo in spiritu immundo*, &c. *Marc. cap. 1. num. 23.* quò eat, *cùm immundus spiritus exierit ab homine?* &c. *Matth. 12. num. 14.* Malum certè nomen, sed iustum Diabolis est, quippe qui studeant homines omni deturpare impudicitia. *Propter istam causam spiritus dicuntur immundi, quia spurcissimi sunt, quia humanum genus per suas suggestiones multimodis immunditiæ, atque ignominiæ passionibus afficiunt*, &c. sic Rupertus *in Apoc. lib. 10. ad cap. 18.* Propudium est ingens fœdari homines impudicitia; quod à Paulo disco ad Rom. c. 1. n. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua*, &c. Id in primis curant spurcitia insignes Dæmones, scilicet vt homines, ac virgines colant Venerem, & alant, cogitatu, affectu, dicto, facto: & inde colligant sordes profligatæ pudicitiæ.

Apoc.16. n.15.

Mar.1.n.23.

Matth.12. n.14.

Ad impudiciam vrget maximè Diabolus.

Rom.1.n.24.

2. Nemo nescit grande virginibus certamen cum Diabolo esse. hæc ab orbe condito, prima Diaboli pugna est. Tentata dolo Heua est: quod monet Apostolus 2. ad Corinth. cap.11. num.3. *serpens enim Heuam seduxit in astutia sua*, &c. Prius tamen quàm Heua fieret Mater humani generis, quod patet ex *cap. 4. num. 1.* & laudat Tertullianus ad lib. de Virgin. veland. cap. 5. *Adhuc felix, adhuc paradiso digna, adhuc virgo*, &c. Erat Diabolo grande odium aduersùs virginem: vnde natus belli furor; quod Tertullianus insinuat ad lib. de Christi carne cap. 17. *In Heuam adhuc virginem*

2.Cor.11.n.3.

Prior Diaboli pugna aduersùs virginem.

virginem irrepsit verbum ædificatorium mortis, &c. Nec cessat Diabolus à bello vrgendo. *Nam sanctimoniæ aduersarius assiduè adstat, iisque in primis insidiatur, deuorare paratus; sic vbi virgo cadat*, &c. ait Chrysostomus *ad lib. 4. de Sacerdot.*

3. Si tanta Diabolus flagrat inuidia aduersùs virginem, caueat, & abigat Diabolum, necesse est, qui repulsam patitur, & pugnam repetit. Erit ne, qui hostem non timeat, non fugiat; *vbi quotidiana pugna & rara victoria*, &c. teste Augustino *ad serm. 250.* Oportet, viam occludat virgo sapiens, ne Diabolus aut viam faciat, aut fraudem constituat. Quid igitur mulier ex Pauli scito? 1. ad Corinth. cap. 11. num. 6. *Velet caput suum*, &c. maximè cùm 1. Cor. 11. n. 6. & 10. Deum alliciat precibus, & causam addit Apostolus, qua id iubeat, num. 10. *Propter Angelos*, &c. ex Paulino, *Illos videlicet ad seductionem paratos*, &c. *Epistol. 4. ad Seuer.* Scio, quid in loco velint alij: sed meam ad litem Paulinus, textu appositio, malos agnoscit Angelos; & constituit obtegendũ velo mulieris caput esse, *vt non audeat serpens tentandam rursus aggredi*, &c. Galea est, velum illud, quo suum virgo caput tegit, ictusque repellit cogitationis improbæ: tantus enim Diabolo ardor est pudicitiæ oppugnandæ, vt oportuerit virginem suo velo tectam esse; nequam mulier Diabolo ansam offerat, mentis expugnandæ impudicè.

Furit Diabolus aduersùs castam fœminam.

4. Vrget hostis, & quod interdiu non consequitur, malè suggerẽs, noctu captat; in somnis alliciens hominem, ac virginem. Et quidem viros optimos nocturnis, fœdísque impetit imaginibus; *vt vel dormientibus obrepat, qua potest, si vigilantibus non potest*, &c. ait Tert. *ad lib. de Anima c. 46.* Victus à Xauerio Diabolus meridianus; occursat tamen, & lectũ viri castissimi nocturnus obambulat specie rerum spurcissima, vt abigatur validè. Patitur enim Deus vrgeri homines sanctissimos ea Diaboli nocturnáque pugna: quod habet Magnus Greg. lib. 8. in Iob c. 13. *Ne in electorum cordibus ipse saltem à passionis præmio somnus vacet*, &c. Inde Christus sacris virginibus nocturnas imperat excubias, Matth. c. 25. n. 12. *Vigilate itaque*, &c. scilicet illud in loco, *Media nocte clamor factus est*, &c. *n. 6.* sciebat Magister placere Diabolo somnos virginum, vt in somnis dolos nectat, & laqueos impudicitiæ. An inspexit Christi mentem Clemens Alex. 4. *Strom. cap. 7. Aio. Propterea Dominus præcepit vigilare, vt ne in somnis quidem anima commoueatur perturbationibus*, &c. Apparet virgines cum Diabolo continenter bellum gerere; nec inducias in tanto belli motu nocturnas esse.

Virgines in somnis tentat Diabolus.

Vincit in somnis casius homo.

Matth. 25. n. 12. & 6.

5. Quis non timeat? quis non vigilet? metum prodit suum virgo sapiens: quæ Diabolo occludit aditum, ne qua diurnus inuadat, aut nocturnus obrepat hostis. Pulsat ianuam sponsus Deus, Cant. cap. 5. n. 2. *Aperi mihi soror mea*, &c. Cùm tamen suo cubaret lecto virgo, adhuc erat in excubiis. Quod patet ex dictis ad sponsum num. 3. *Expoliaui me tunica mea*, &c. Parum se feciſ-

Cant. 5. n. 2. 3. 6.

Velos. in Iudith.

se putauit, si vigilaret, nisi ianuam repagulus muniret? quæ tandem virgo retrahit, vt Christum domo excipiat. *Pessulum* (inquit) *ostij mei aperui*, &c. *n. 6.* Quo tantus domunculæ claudendæ apparatus est? Pulchrè Gilbertus serm. 44. *Vtrumque necessarium est, sed contra inimici insidias*, &c. Fortasse timebat virgo, ne Diabolus Christi habitum induerer, & quam luce palàm non potuerat, nocte furtim opprimeret. Vigilabat virgo, vt hostem sentiret; seram opponebat, ne hostis inuaderet. Vnde colligas stata vigilia, & firma custodia opus esse, ne succumbant virgines tam multis artibus, ac viribus Dæmonum.

Virginibus Diabolus nocturnas parat insidias.

6. Video adornatam virginem vestibus ocellatis, & scutulatis. Virgo est, ad quam Dauid, *Audi filia, & vide*, &c. *Psal. 44. n. 11.* Regina est, de qua Vates apud Deum n. 10. *Adstitit Regina à dextris tuis*, &c. Sed Regina tot *circumamicta varietatibus*, &c. *n. 15.* siue *scutulatis*, &c. quod sonat vox Hebræa רקמות *Lirkamoth.* Nec pulchrè virgo nitet, nisi, *in fimbrijs aureis*, &c. Vel, si mauis, *in ocellatis*, &c. quod Hebræa schola vertit, ממסבצות *Mimmisbetsoth.* Hæc ego à Vatablo, & Vatablus à Hieronymo ad Principiam *Epist. 140.* Miror ego adstare virginem ad Dei latus, qui summam in re dubia opem ferre potest, & adhuc oculis, scutulísque adornatam esse. Nónne magnum Magno in Deo præsidium est? Sed tanta est Diabolo vafrities, vt lapsum virgo non caueat, nisi multocula: inde monetur, *Audi filia, & vide*, &c. Tanta Diabolo vis est, & improbitas in pugna virginum vrgenda, vt scutulis adhuc plurimis virgines egeant, ad hostem arcendum. Adest mihi Paschasius; *Statuitur in dextra, & adhuc monetur à Patre, quia adhuc bellandi tempus est.* velint fortasse alij Diabolum ita furere aduersùs virginem, vt licèt niteret vestibus ocellatis, scutulatísque, ad significandam virtutem, ac vigilantiam, adhuc indigeret Dei manu auxiliari. quod ego probo ex Apocalypsi.

Pſal. 44. n. 11. 10. & 15.

Vigilandum virginibus est.

7. Non malè virgines Sionem occupant, montem altè editum, vbi *turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis*, &c. *ad Cant. 4. n. 4.* Nam ex 2. Reg. c. 5. n. 7. *Cepit Dauid arcẽ Sion*, &c. Quid igitur? *Agnus stabat supra montem Sion*, &c. *Apoc. c. 14. n. 1.* Nec cum agno pauci, nec mali homines. *Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocumque ierit*, &c. *n. 4.* Bene Sionæam virgines arcem tenent sitam in alto montis iugo. Quo enim loco, nisi munito tuta esse poterat virginitas à Diaboli viribus, & artibus? Nec ab agno abscedendũ putant virgines; Ducem in turri colunt, Ducem in via sequũtur; qui manũ opponat, & supponat, cũ hostis premat Diabolus. Quòd si tanto in Virgines sæuit furore, vt nisi Dei manu Virgines stare non possint; time virgo, & caue; quæ Cypriano ratio admonendi creberrimè. *Quòd ad solitudinem magis cauti, magis de Diaboli infestatione timeamus*, &c. *ad lib. de habitu virgin.* Si verò hostem abigis, & pudicitiam colis egregiè? Quis non laudet? Laudat Furiam Hieronymus. Epist. 10. *Grandis* (inquit) *virtutis est, & solicitæ diligentiæ tecum*

Cant. 4. n. 4. 2. Reg. 5. n. 7. Apoc. 14. n. 1. & 4.

Arcem virgo teneat, quæ possit arcere Diabolum.

pugnare quotidie,& incluſum hoſtem Argi centum oculis obſeruare], &c. Bethuliam Holophernes obſidet, obſidet & Diabolus Dei virginem: ſtat Bethulia Dei manu, etſi fremat Holophernes; ſtat & Dei virgo Dei ope, etſi fremat, premátque Diabolus. Sed quo Diabolus furore vrget Dei virginem, eo etiá odio Chriſti ſcholá premit vniuerſam, quam vocat Apoſtolus caſtam Virginem, 2. *ad Cor. cap.* 11. *n.* 2. Opponit ſeſe Diabolus, & vires cogit auxiliares, vt pugnet, & impugnet Eccleſiam; ſatis enim, ſuperque patet

PARÆNET. III.

Sæuire Diabolum in Chriſti ſcholam vniuerſam.

1. HOſtis eſt Diabolus, teſtata inimicitia aduersùs Deum, Deíque homines. Iam pridem ab Adamo condito hæc Diabolo improbitas in hanc ſcholam; cùm Deus Iudex ſerpentem morderet impacto maledicto, & adoleret Geneſ. 3. num. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*, &c. Inde nata Ruperto occaſio diſputandi per libros tredecim de verbi Dei victoria. *Quid* (inquit) *longiùs moror? Factus eſt homo legitima Dei poſſeſſio, & cauſa totius certaminis*, &c. *ad lib. 2. cap. 5.* Bellum igitur continenter cum Eccleſia gerit Diabolus. *A primordio enim iuſtitia vim patitur; ſtatim vt Deus coli cœpit, inuidiam religio ſortita eſt*, &c. Ait Tertullianus *ad Scorpiac. c.* 8. Deo duce, milites homines; bellum hoſte Diabolo ſæuum, & famæ adeò celebratæ, vt librum de bello ſacro laudarit Moyſes. *Vnde* (inquit) *dicitur in libro bellorum Domini*, &c. *Num. cap. 21. n. 14.* Sed quo diſruptus abiit liber iſte? neque enim ſacris in libris liber eſt. Scio, quid Mendoça dixerit, quid Oleaſtrius. Sed placet Rupertus interim lib. 2. cap. 18. *Conſtat, ante ipſam, in qua ſcriptum hoc eſt, legem Moyſi, nullos manu ſcriptos libros fuiſſe bellorum Domini; ſed nec vlla nouimus bella Domini alia, niſi illa, quibus ex tunc poſitis inimicitiis inter ſerpentem, ac mulierem, hactenus certatur, & certabitur vſque ad finem ſæculi*, &c. Cùm igitur libris Moſaicis exponantur congreſſiones Dæmonum cum bonis Dei hominibus; verè deſcribuntur bella Domini, quo Duce pugnant homines, ac repugnant: *Quoniam non eſt nobis colluctatio aduersùs carnem, & ſanguinem; ſed aduersùs Principes, & poteſtates; contra ſpiritualia nequitiæ*, &c. Sic Apoſtolus *ad Epheſ. cap. 6. n.* 12. Opponit ſeſe Diabolus Dæmonum Imperator, nec deſunt legiones aduersùs Deum, Deíque ſcholam vniuerſam: ſuo ſe ore hoſtis prodit. Nam adactus à Chriſto, vt nomen edat ſuum, reſpondit: *Legio mihi nomen eſt*, &c. *Marc. cap. 5. num.* 9. Exprimitque textus & Chriſtum victorem Dæmonum, & Dæmones hominum hoſtes eſſe: quod Tertulliano placet lib. 4. aduersùs Marcion. cap. 20. *Diſce & Chriſtum expugnatorem ſpiritualium hoſtium; atque ita ipſum eſſe, qui cum legione Dæmonum erat dimicaturus*, &c. Si vnum in hominem ruit, & graſſatur legio, quot, putas, legiones Dæmonum irruant, & obruant Eccleſiam vniuerſam?

Antiqua in Dei ſcholam Diaboli inuidia.

Num. 21. n. 21.

Bellum cum Diabolo continuum gerunt homines.

Epheſ. 6. n. 12.

Marc. 5. n. 9.

Hoſtes hominum Dæmonei.

2. Parantur Duces, adſunt Legati, coguntur milites, ad bellum cum hominibus gerendum; quot nominibus, tot muneribus præſtant Dæmones. *Draco eſt ille Magnus, Serpens antiquus, Diabolus, & Satanas*, &c. *Apoc. cap. 12. n. 9.* Leo Petro eſt rugiens *Epiſt. 1. c. 5. n. 8.* Lupum in Diabolo Chriſtus agnoſcit, apud Ioan. c. 10. n. 12. *& lupus rapit*, &c. Tot nominibus infames Dæmones oſtendunt ſignanter, quibus ad bellum vrgendum fungantur muneribus, ait Bernardus, *vt ex diuerſis officiis, vel potiùs maleficiis, vocabula quoque diuerſa ſortiri dicantur*, &c. *ſerm. 13. in Pſal. 90.* Non vnus vna in acie miles rem gerit vniuerſam. Pugnat miles, ducit Imperator, adeſt Legatus, & ſuum quiſque opus aggreditur. Sic & Dæmones ad oppugnandam Eccleſiam, ſuo quiſque defungitur officio. Quid ſi nominibus diſtinguuntur facultates nocendi? Cenſet id Bernardus, alióſque aliis nominibus Dæmones eſſe, *vt ſuo quodam modo variè noceant*, &c. Hæc ille *ſerm. cit.* Quid ſi vis tam ſæua, & ars tam vafra eſt, vt cuique Diabolo ſint nomina mille, mille nocendi artes? Aio cum Paulino *ad Epiſt. 2.* vt noris quo Diabolus ferro, & qua flamma bellum mouet aduersùs Deum, Deíque homines. Signata rubo Moſaico pugna eſt. Video ardentem rubum, vrentem Regem, laborantem miſerè, ac dolentem grauiter Dei populum *Exod. c. 3. n. 2.* Moyſes enim *videbat quòd rubus arderet*, &c. vt Hebræus lugeret, abundè ſeruitus erat. Quid vrget Pharao? Quid Principes? Quid exactores operum? *Exod. 1. n. 10. 11. 14.* ſed oleum camino addunt pertinaces homines. An in Chriſti Eccleſia quidquam aliud? Vide quid Tertulliano placuerit ad Scorpiac. cap. 1. *Cùm fides æſtuat, & Eccleſia exuitur de rubi figura, tunc Gnoſtici erumpunt, callentes & ipſi offendere, figere, occidere*, &c. & verò, cùm Herodes Iacobum decollaret, Cruce Petrum Nero tolleret, Polycarpum iudex vreret, & torreret Laurentium, igne ſuppoſito; addebat Diabolus Regum faſcibus faces improbitatis hæreticæ, quibus fidem ſanam extingueret, ſi qua poſſet via.

Multis nominibus oſtentant Dæmones, quot in bello faciunt efficia.

Quot nominibus, tot facultatibus vnus pugnat Diabolus.

Apoc. 12. n. 9. 1. *Petr. 5. n. 8.* Ioan. 10. n. 12.

Exod. 3. n. 2 & 1. n. 10. 11. & 14.

Gentiliſmo hæreſis matum addebat aduersùs fidem.

3. Inuidet, & Chriſti rebus macreſcit opimus Diabolus, dolétque grauiter eſſe homines æternitatis candidatos, qui ſibi conſulãt, vbi Deum piè colunt. Picta in tabulis inuidia eſt aduersùs mulierem, quæ licèt virgo, vtero tamen Chriſtum gerebat, erátque *Mulier amicta ſole*, &c. Apoc. 12. n. 1. *& clamabat parturiens*, &c. *n.* 2. Hæc enim Dei virgo ab Adamo condito, Chriſtum promiſſis conceptum parturire viſa, quovſque tandem pareret: communi id placito volũt interpretes. Quid igitur? *Et Draco ſtetit ante mulierem, & cùm peperiſſet, Filium eius deuoraret*, &c. *n.* 4. Opponit ſeſe *Draco ille magnus, qui vocatur Diabolus, & Satanas*, &c. Addit Rupertus. *Qui ſemper aduersùs mulierem inimicitias exercuerit, & exercere non deſinit*, &c. *lib. 7. in Apoc.* Illud in loco notes, Draconem malè irritatum, poſtquam mulier *clamauit parturiens*, &c. Et verò clamor iſte, votum eſt de Chriſti aduentu,

Apoc. 12. n. 1. 2. & 4.

Natum ab inuidia bellum Diaboli.

aduentu,ac vox hominum, *qui fidem, quam susceperant, loquendo pariter, & scribendo, non sine magna desiderij intentione significabant*, &c. Clamores Diabolo graues admodum,quibus excitatur ad inuidiam,ad sæuitiam. *Ac si dicat*, sic Rupertus: *Ille quidem funestus Draco mulieris paturientes excitatus clamoribus, stabat ante illam attentus*,&c. *lib.7.in Apoc.* Profectò Dei laudes, hominúmque voces Diabolo graues sunt, qui aula, & ara colebatur. Nec Holophernes alium ab Assyrio Deum esse patitur; hæc enim occasio Bethuliæ obsidendæ *cap.6.n.2.* vnde ille ad Achiorem: *vt ostendam tibi, quòd non est Deus, nisi Nabuchodonosor*,&c.Nec Diabolum vrgent ad sæuiendum, nisi voces Ecclesiæ de fide,ac religione; quæ scilicet, *clamabat parturiens*, &c.

Excitant Diabolum laudes.

4. Ibat hæc virgo Deo sacra,& buccis plenis clamitabat, quid sentiret, quid vellet de Magno Deo.Sed,*Vocaui*,(inquit)*& non respondit mihi*,&c. *Cant.5. n.6.* Clamores sunt Ecclesiæ,quæ suum dicit Christum, & suum canit Deum pleno Senatu,plenóque foro. Non id Diabolus patitur:gentes excitat immanitatis barbaræ, & Reges potestatis maximæ, qui virginem malè habeant. Nam textus est num.7. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem; percusserunt me, & vulnerauerunt me*, &c. Custodes Theodoretus esse voluit, Reges, & Consules, cùm Prætorum turba reliqua, vtpote qui sacram Dei scholam tonantem piè, ac docentem latè diuexauerint.*Martyres enim ardentes sponsi desiderio, & vbi gentium illum ad extremos vsque terrarum terminos prædicantes,hasce ærumnas pertulerunt*, &c.Hæc à Theodoreto. Vbi Deum Dei homines piè debuccinant, tumet Diabolus,indignatur,furit, debacchatur,excitata Regum, ac iudicum diritate.Non potest Diabolus ferro petere Dei virginem, Bethuliamque mysticam; *Attamen Draco iste, quod natura non habuit, arte maligna sibi assumpsit, scilicet gladios Regum, & Imperatorum, secures Consulum, carceres Iudicum*,&c. ait Rupertus *lib. 7. in Apoc.*

Cant.5. n.6. & 7.

Diuexans Dei scholam piè tonantem reges, ac Demones.

5. Quæro ego, cur fumo obducitur Dei aula, & mouentur cardines? post voces, ac laudes maiestatis Augustissimæ? Aderant Angeli, *& clamabant alter ad alterum, & dicebant:Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius*, &c.Apud Isaiam *cap.6.n.3.* signant Angeli magistros optimos, qui Deum Regum Regem, ac Dominum commendant liberè. Sed tonante Magistrorum senatu,*commota sunt superliminaria,& domus repleta est fumo*,&c.*n.4.* certè Dei laudes fumum excitarunt inuidiæ;qua Diabolus Regum furores accendit, & Pontificum vires monet aduersùs Ecclesiam Deíque domum: quod Rupertus expendit lib.1.in Isaiam c.29. *Zelo concitati sunt Principes Sacerdotum, commota sunt hæc superliminaria, pro audita Trinitatis gloria,& manus iniecerunt, vt concluderent ora clamantium*, &c. Illud Rupertus premit, quod Pontifex, & Sacerdotes reliqui Apostolis imperarunt,Act.4.n.18. *Denuntiauerunt, ne omnino loquerentur*, &c. Sed tantus belli furor aduersùs Christi scholam vnde natus, quòd Hebræus arderet inuidia, & extabesce-

Isa.6.num.3. & 4.

Pulchrum sequitur Momus inuidia.

Act.4. n.18.

ret. *Commota sunt superliminaria, & domus,non iam Domini, impleta est fumo inuidiæ*, &c. sic Rupertus habet.Cur tamen Diabolo non dolerent oculi, cùm videret Christum toto terratum orbe honoratum, se aulis,atíque exactum longè?Pulchra videri fides solet, ac religio,hominibus sani cerebri:vnde ansam capit insanus blatero,vt carpat,vt premat,quidquid offendit.Nec id minatur Clemens Alex. lib.7.Stromat. cap.8. *Vt in veritate seminentur hæreses*, ex 1.ad Corinth. cap. 11. num.19. *vt in frumento zizania*,ex Matth. c.13. num.25. *prophetiçè dictum est à Domino; huius autem causa est, quòd quidquid est pulchrum, Momus sequitur*, &c.

6. Nec cessat à bello mouendo, vrgendóque hostis Diabolus; sed quo properantiùs suam ad metam mundus abit, eo grauiùs sæuit hostis. Et hæc bono dolent Angelo, Apoc. c.12. num. 12. *Væ* (inquit) *væ terræ, & mari, quia descendit Diabolus ad vos,habens iram magnam; sciens, quia modicum tempus habet*, &c. Itaque à temporis anguſtiis vires cogit, ne qua non fremat sæuitia in Dei homines. *Considerat quàm iuxtà sit, vt licentiam nequissimæ libertatis amittat,& quantum breuitate temporis augustatur,tantum multiplicitate crudelitatis expenditur*,&c.Hæc Magnus Gregor. *lib. 41. in Iob cap.1.* Cur verò pati grauiter bonos homines Deus patitur,ac diuexari malè Ecclesiam vniuersam, non vna est ratio. In hoc argumento est Tertulliani Scorpiacum. Adeas,voluas. Interim placet Chrysostomus *tom.3. ad serm. de Pentecost.* Docet Antistes sinere Deum, vt Diabolus impunè tundat Ecclesiam, *vt virtutem eius ostendat*, &c. & verò,magna in bello virtus est,cùm fides impugnatur,& perstat Ecclesia. Vel Seneca id probat actitandum à bono Duce,patre,Magistro scilicet exercendum aduersis militem;durandum re augusta puerum, vrgendum libris voluendis Philosophum; ne iaceant animo concepta virtutum semina. *Marcet enim virtus sine aduersario*, &c. *ad 1. de prouident. c. 2.* Laudat Tertullianus eo nomine carceres,scorpiones,cruces,& acerbitatum machinas reliquas lib. ad Martyr. c.3. *Quia virtus duritia extruitur, mollitia destruitur*,&c.Premat igitur Holophernes Bethuliam, Diabolus Ecclesiam Dei Virginem: ab vtroque tentata virtus,quantum valeat ad hostem arcendum,ostentabit patientia.

Vrgetur Diabolus ad sæuiendum temporis breuitate.

Firmatur aduersis virtus.

Num. 2. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia;& abducti fuerant de prouinciis, & vrbibus vniuersæ iuuentutis.

Commentarius.

5. ACcedunt ab Assyria milites, & opes augent militares. Aduenium in supplemẽtum homines è locis malè subiugatis auxiliares.Cùm tamen tutum non esset,rem geri copiis alienis, per vim, ac seruiturem acerbè domitis; addita duodecim millibus equitum decem millia. In quibus videas florem iuuentutis Assyriæ. *Ex prouinciis* (inquit)

& vrbibus vniuerſæ iuuentutis, &c. Bella ad bellum ætas, vbi corpus annis integrum, viribuſque validum eſt, ex præſcripto Romanæ militiæ, quæ milites deligit ab annis ſeptemdecim. Probat id Lipſius *lib.* 1. *Dial.* 2. *& lib.* 5. *ciu. doctr. cap.* 12. Certò Vegetius *lib.* 1. *cap.* 7. monet ſeriò deligendos eſſe delectores militum, quibus anni ſeptemdecim vires ſufficiant militares. *A magnis* (inquit) *viris diligentia magna eligi cures iuniores*, &c. Hæc, puto, eſt nota militum, quos probat Maro lib. 7.

Iuuenes bello gerundo habiles.

Ante vrbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, dormitántque in puluere currus.

Bona quidem ad militiæ labores; & quam laudat Horatius lib. 3. Od. 2.

Anguſtam amicè pauperiem pati
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat, &c.

Nec morem ſilet Silius Romanæ diſciplinæ *lib.* 1. vbi delectum probat militum. *Pubeſcit miles caſtris*, &c. Hoſce ego milites rectè dixerim pulſos Martis, quos à Saule delectos video 1. *Reg. cap.* 14. *num.* 52. Hominem enim vocat *aptum ad prælium*, &c. Græco textu, *υἱὸν δυνάμεως*, *filium virtutis*, &c. Quaſi innuat ætatem militarem eſſe iuuenilem, & paternis adhuc ſacris actam. Hebraicè habes in loco בן חיל *Ben Chaiil*, & ſonat bene, *Filium exercitus*. Vrget, vt natus in caſtris puer militiam hauſerit à pueritia. Et hæc adulatores ſumpſere, vt laudarent Caligulam, apud Sueton. cap. 8.

1. Reg. 14. n. 52.

Martem ſpirat miles, qui à pueritia bellare didicit.

In caſtris natus patriis nutritus in armis;
Iam deſignati Principis omen erat.

Ætatem non præfinit Theodericus, nec ad militiam, nec ad politicam ineundam; vtramque fortunam dotes ſibi parent, ius eſt. Baionem Princeps monet lib. 1. Epiſt. 38. *Gothis* (inquit) *ætatem legitimam virtus facit*, &c. Cur enim arces à politicis, quos ab armis tractandis non abigis, ſi valent iuuenes in vtramque partem?

6. Petis, cur à pueritia coli Martem conueniat? Ad litem benè Theodericus *lib.* 1. *Epiſt.* 24. Laudat inibi iuuentutem vti habilem armis tractandis, & addit, *Producite iuuenes in Martiam diſciplinam; nam, quod in iuuentute non diſcitur, in matura ætate neſcitur*, &c. Verè ad rem. Diſcunt iuuenes facilè, quod retinent veterani milites: quidquid enim annis rudioribus ediſcis, non dediſcas facilè æuo grandiori. Inde Vegetius iuniores bello deligendos curat lib. 1. cap. 4. *Non enim tantùm celeriùs, ſed & perfectiùs imbibuntur, quæ diſcuntur à pueris*, &c. Scio pueros à Perſis inſtitutos, equitare, ſagittas iacere: id verò? *A quinquennio ad vigeſimum vſque ætatis annum*, &c. quod tradit Herodotus *lib.* 1. Laudo legem Perſicam, ſi quid enim Maro canit,

Pueritia ad artem diſcendam nata.

Adeo in teneris conſueſcere multum eſt, &c.

2. *Georg.* Vrget conſuetudo in vtramque partem, quod à Chryſoſtomo habeo. *Confuetudinis enim vis & in bonis & in malis magna*, &c. *Hom.* 36. *ad pop.* Cauſam addit Sineſius *Epiſt.* 44. vbi mordet vitium: ὅτι τὸ πάθος αὐτοῖς γένους φύσις, *Eo quòd vitium in naturam tranſit*,

Conſuetudo eſt natura altera.

&c. Hæc Aſſyrio ratio, vt milites cogeret, *vniuerſæ iuuentutis*, &c.

Video abundare copiis exercitum Aſſyrium; an, vt eo copiarum genere Holophernes perterrefaceret Bethulienſes, agerétque in deditionem? Id ego puto. Licèt moris fuerit barbari exercitum parare, legionibus quamplurimis, ad commendationem Maieſtatis Regiæ. Hoc morbo laborabat Arphaxadus ſuperbè tumens cap. 1. num. 4. *& gloriabatur, quaſi potens in potentia exercitus ſui*, &c. Nónne gloriarum plenus erat, qui Sennacheribum commendabat ab equitum, peditumque apparatu Rabſaces? *Quo* (inquit) *modo poteſtis reſiſtere ante vnum ſatrapam de ſeruis Domini mei minimis* &c. 4. *Reg. cap.* 18. *num.* 24. Xerxen eo morſu carpit Iuſtinus lib. 2. *Ipſe* (inquit) *primus in fuga, poſtremus ſemper in prælio viſus eſt: in periculis timidus, ſicubi metus abeſſet, inflatus. Denique ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturæ ipſius dominus, & montes in planum deducebat*, &c. Iactant Reges gloriosè quid poſſint magno exercitu: & inde ſuam penſitant gloriam: quod in Aſſyrio video; addita enim equitum decem millia, *Præter præparationes virorum, quos occupauerat captiuitas*, &c. 7.

4 Reg. 18. n. 24.

Niſi mauis, additam militum manum conueniſſe facilè ad malè agendum. Ibat Holophernes, belli furore concepto, aduersùs homines, Deóſque; iuſſus, ne parceret; ibat aduersùs Hebræum Deo charum populum infelix cerebri Holophernes. Ducit malus, non trahit, malos homines, qui ſuapte natura ad flagitium prouolant: de quibus textus, *& abducti fuerant*, &c. Facilè enim malus malos allicit ad improbum facinus. Luget id Dauid ac dolet Pſalm. 2. num. 1. *Quare* (inquit) *fremuerunt Gentes*, &c. & addit Vates num. 2. *Adſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersùs Dominum, & aduersùs Chriſtum eius*, &c. Herodem carpit Dauid, Pilatum mordet, & ſenatum pulſat Iudaicum; ſi quid Petrus videt *Act. cap.* 4. *num.* 25. Sed quæ nam vox hæc à Vate? *Lugentis eſt, & accuſantis dementiam*, &c. ait Theodoretus. Luget Dauid, quod manu manum citò fricarent homines, & vno ad ſæuum facinus abirent animo. *Sunt etiam in vitiis pares animi*, &c. ait Leo *ſerm.* 6. *de Natiuit.* Quis neſcit latrones Attabam, & Numenium bene conuenire? Facilè improbum ducit improbus, & adulterum trahit adulter: vtpote qui eodem ferantur genio, & eodem viuant aſtro. *Magna inter molles concordia*, &c. & vitium eſt quod ſua pungit ſatyra Iuuen. Duplex è loco ducitur admonitio, & quòd à pueris ineunda virtutis via eſt; cùm Holophernes delectum fecerit, *vniuerſæ iuuentutis*, &c. & quòd improbus cum improbo conueniat, ad quamcumque improbitatem, vno (quod aiunt) animo: cùm mali Ducem Holophernem ſequerentur facilè, & homines, *quos occupauerat captiuitas*, &c. Illud ergo expendo 8.

Malus malum equitur facilè.

Pſ. 2. n. 1. & 2.

In vitiis & hoſtes ſunt concordes.

PARÆ

PARÆNET. IV.

Malos malis aggregari citò ad flagitium.

1. COrrupto hominum affectu, vitiatóque naturæ genio, facilè malus malum sibi aggregat, hominem scilicet vno, & eodem tritum ludo. Nam mali natura molles aperit aditus, & morum congruentia vim habet attrahendi. Proindéque si quis malè agit, faciles parat affines scelerum; qui bene conueniunt, citò aduolant, & latè adiuuant. *Ecce mulier vna* (apud Zachariam) *sedens in medio amphoræ*, &c. *cap. 6. n. 7.* Nota hæc Angelo mulier est; *& dixit: Hæc est impietas*, &c. *num. 8.* sed vbi obtinet impietas, ac dominatur, non potest non allicere mulieres notæ impietatis. *Ecce mulieres egredientes, & habebant alas, quasi alas milui, & leuauerunt amphoram*, &c. *num. 9.* Citò aduolant mulieres ad alendam impietatem, quæ miluum alis mysticum referunt, *superbiam, quasi Diaboli*, &c. ait Rupertus *lib. 2.* Quo enim aduolent infames vitio mulieres, nisi ad impietatem adiuuandam? *& leuauerunt amphoram*, &c. Vna malis voluntas est malè agendi; quid mirum, si facilè conueniant pares vitio, qui pares sunt animo?

Zach. 6. n. 7. 8. & 9.

Facilè conueniunt mala capita.

2. Negat Petrus Magistrum Deum semel, & iterum. bene textus habet: negat tertiò discipulus: variant Historici. Nam apud Lucam vnus est seruus, qui Petrum vrget. *Alius quidam affirmabat*, &c. *Luc. 22. num. 59.* Nec Ioannes à Luca dissidet *cap. 18. num. 26.* sed addit seruum Malci cognatum esse. Aliter Matthæus rem persequitur cap. 26. num. 73. *Post pusillum* (inquit) *accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro*, &c. Matthæo Marcus hæret *cap. 14. n. 70.* Vnde hæc rerum varietas est; an quod Matthæus ait, Lucas negat? id ego pernego: sed quod vnus seruus facit ad Petrum vrgendum, probant reliqui. Et hæc à Iansenio ad Luc. cit. *Maximè cùm in tam vnanimi malorum consortio, quidquid vnus ageret, omnium fieret nomine*, &c. Tanta est malis hominibus in malum consensio, vt quod vnus velit, velint reliqui; & quod volunt plurimi, vnus tantùm homo velle dicatur. Quid si vnus primò seruus Petrum agitat rogatu improbo, deinde homines alij suam addunt manum? non abs re abierit, qui id asserat, cum Maldonato. *Credendum est* (inquit) *cognato illo seruo incipiente, alios subsecutos fuisse*, &c. Neque enim difficile est malos malo aggregari, maximè vt alium premant hominem. Video Iudam malè de Magdalena cogitasse, ac dixisse, cùm Magistrum mulier vnguento perfunderet Ioann. 12. n. 4. *Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes*, &c. sed Matthæus omnes omnino discipulos ea re indignatos esse tradit cap. 25. num. 8. *Videntes* (inquit) *discipuli indignati sunt*, &c. An in loco textus fallit? nemo id sanæ mentis asserat: sed Iuda aduersùs mulierem duce, reliquos inde Apostolos facilè irritatos esse. Quod Lyra monet. *Si fortè aliqui murmurauerunt, fuerunt à Iuda incitati*, &c. Hæc Lyra sub dubio. Nam potest in loco σύλληψις esse; vt notat Hieronymus. Quod placet, illud est, facilè homines ad malè agendum conuenire, conuolare.

Luc. 22. n. 59.

Matth. 26. n. 73.

Improbis facilè placet improbus.

Ioan. 12. n. 4.

Matth. 25. n. 8.

Citò bonos trahit malus in flagitium.

Samaritam premebat Syrus, bello continuo: patet ex 3. *Reg. cap. 20. num. 1. cap. 22. num. 31.* ex 4. *Reg. cap. 5. num. 2. cap. 6. num. 8. & 24. cap. 8. num. 12. cap. 13. num. 3.* Quo facit Amos *cap. 1. num. 3.* vbi Deus Samaritam tuetur aduersùs hostem Syrum. *Et conteram vectem Damasci*, &c. *ait Dominus exercituum*, n. 5. sed ad obsidendam, opprimendámque Ierosolymam facilè hostes conueniunt, citò aduolant. Is. c. 7. n. 1. *Ascendit Rasin Rex Syriæ, & Phacee Rex Israel in Ierusalem*, &c. scilicet, inito consilio Reges, etsi hostes, Iudæum vrgent: quæ vna malis hominibus voluptas est, vt ægrè faciant hominibus reliquis. Hosce Reges Deus titiones vocat, *n. 4.* & metum auertit. *Noli* (inquit) *timere à duabus caudis titionum fumigantium*, &c. Vno, eodémque nomine titiones appellantur, qui vno, & eodem consilio Ierosolymam aggrediuntur: vnus, & alter genio vitiato titio est; & quibus vnum est nomen, vna in Ierosolymam est inuidia, & à Ierosolymis vna est diuidia. Conueniunt Reges facilè morum congruentia.

3.

Amos 1. n. 5.

Is. 7. n. 1. & 4.

Concordant in sauitiam discordes Reges.

Vnum est nomen quibus vnum est vitium.

4. Conuenit bene Senatus, populúsque sanguinarius cum viro sanguinario. Magno flagrat studio gens Hebræa, vt Barabbam à cruce abigat, Christum verò ad crucem adigat. Nosti certò, quis nam in homines Christus fuerit, scilicet, *qui pertransiit bene faciendo, & sanando omnes*, &c. *Act. cap. 10. num. 38.* Nosti deinde, quis nam suos in ciues Barabbas fuerit: *qui erat propter homicidium missus in carcerem*, &c. *Luc. cap. 23. num. 19.* sæuum adeò hominem gens Hebræa vita donatum voluit. *Tolle hunc*, (inquit) *& dimitte nobis Barabbam*, &c. *num. 18.* sed mirum id non est. *Diligebant enim sui similem*, &c. ait Theophylactus. Et qui Magistri Dei necem anhelabant, necis anhelantem hominem tuebantur, eóque trahebat morum congruentia. Sic malis hominibus conuenit, & feris animantibus. Vide Ierosolymis sedem esse hominum, ac belluarum, imò Dæmonum Is. cap. 34. num. 13. *Erit cubile Draconum, & pascua struthionum: & occurrent Dæmonia onocentauris*, &c. In onocentauris agnosco vlulas; quod ex Hebræa schola patet. Non tamen in loco desunt homines, etsi Vates id negare videtur n. 12. *Nobiles eius non erunt ibi, Regem potius inuocabunt*, &c. quod ego interpretor de extincta nomenclatura, non de hominibus ablegatis. Itane Ierosolymis belluarum, ac Dæmonum sedes erunt? vbi Sacerdotum Principes, Iudicum senatus, & Senatorum curia? sed facilè conueniunt, quibus vna viuendi lex, & voluptas est, ait Athanasius. *Morum similitudine consuetudinem habent*, &c. *ad tract. de Cruce.* & quidem, non dissident vicis, qui non dissident vitiis: erant Ierosolymis Sacerdotes, ac senatores, fallaces, vti Dracones; impudentes, vti struthiones; rapaces, vti onocentauri; improbi, vti Dæmones; quid mirum, si bene conueniant in hac cauea? *Morum similitudine consuetudinem habent*, &c. Miror ego cur hasce feras, quasi Deas, aris erectis non coluerint homines! Iouem Reges, Martem Duces, fures Mercurium, & molles homines Venerem coluere, communi placito. Quod quisque malè cupit, id probat in aliis: ac ne solus peccet, so-

Act. 10. n. 38.

Luc. 23. n. 19. & 18.

Diligunt homines sui similes congerrones.

Is. 34. n. 13. & 12.

Facile conueniunt, quibus vna viuendi lex est.

cios

cios peccati laudat affectu lenocinante. quod *Orat.* 1. notat Athanasius. *Ex vitiis* (inquit) *suis occasione sumpta libidinem indigetantes adorabant*, &c. Tanta est hominum consensio ex morum congruentia. Quid igitur non conueniant Assyrius, & Ammonites, consilio inito; & manu exerta ad Bethuliam obsidendam, & opprimendam, si pares sunt animo homines ad malè agendum? Constabunt pertinaces, nisi Deus concordes malè homines dissipauerit; quibus vna ad peccandum voluntas, & voluptas est.

Honestis nominibus peccator turpes tuetur mores.

5.

Vt malum Deus à malo diuidat, colloquendi tollit commercium, *vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui*, &c. Gen. cap. 11. num. 7. *Erat quidem terra vnius labij*, &c. *n.* 1. quo textu, ait Philo, *significari dicimus magnorum malorum consonantiam*, &c. *ad lib. de confus. ling.* Necesse erat vt alij in partem abirent aliam; *atque ita diuisit eos Dominus*, &c. *n.* 8. Ne qua ex sermonis commercio esset occasio peccandi latè. Id Philo docet. *Quæ linguarum confusio vocatur, in peccatorum remedium adhibita dicitur: ne communicato consilio crimen fieret publicum*, &c. scilicet, nemo esset in tanto hominum conuentu, qui suam non daret operam, vt cœlum ipsum peteret stultitia; nisi Deus malum à malo hominem distraheret. An hæc à Deo medicina scelerum? *Quando diuidebat Altissimus Gentes, quando separabat filios Adam*, &c. *Deut. cap.* 32. *num.* 8. Certè hac vna hominum diuidia, vt alij abirent aliò, nec vna esset omnibus colloquendi ratio, obstructa peccandi occasio est, ait Philo ad lib. de Noë. *Quos Adæ filios, id est, terræ filios nominat, cùm non possent rectæ rationis ductum sequi, diuidebat, separabat*, &c. Sciebat Deus peccantes homines concordia foueri, discordiáque dilabi; dissipat in partes varias, aditu ad peccandum obstructo. Si hæc in castris Assyriis obtineret diuidia, non cogeret Holophernes, & Assyrios milites, *& quos occupauerat captiuitas*, &c. vtrosque tamen homines *vniuersa iuuentutis*, &c. Vnde habeo

Gen. 11. n. 7. 1. & 8.

Consonant infames vitiis homines.

Fouentur vitia morum consensu.

Deut. 32. n. 8.

Scelerum medicina est peccatorum diuidia.

Parænet. V.

Virtutem à teneris colendam esse.

2. Reg. 2. n. 14.

Vrgant pueri, & ludant, &c. ait Abnerus 2. *Reg.* 2. *num.* 14. & textus est de ludo militari, quo teruntur pueri, vt virtutem à teneris haustam exerant æuo grandiori Martes, ac Hercules. Taurum enim ferat æuo maior, qui ætate minor tulit vitulum. Placet hominem à teneris vnguiculis exerceri ad virtutem explicandam, cùm ægrè eradatur animo quidquid anni rudes excipiunt. Vrget Deus, vt Vates filio nomen imponat virtutis masculæ. *Voca* (inquit) *nomen eius: Accelera spolia detrahere*, &c. *Isa. cap.* 8. *n.* 3. quo textu insinuat Pater Deus Christum habitu inuentum hominem cum legionibus Dæmonum pugnaturum benè; spoliis detractis rerum plurimarum. Cur Deus id præsenserit, ac prænuntiauerit, in proximo est. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci*, &c. *n.* 4. Ac si veller, virtutem in viro masculam non esse, quam à teneris

1.

Isa. 8. num. 3. & 5.

Ineunda à teneris virtutis via.

non hauserit, non coluerit. Teratur puer, & ludo militari vitam agat, necesse est, si virum agere velit strenuum. Tyrocinium bellicum à puero, augurium est viri fortissimi. Experimento didicit bonus Dauid obfirmari latè animos hominum, qui labores militares suscipiunt à pueritia. Canit Vates sese cum hoste improbo depugnasse, *ad Psal.* 128. nec pugna cecidisse num. 2. *Etenim non potuerunt mihi*, &c. Sed addit se à pueritiæ ludo tritum, vt benè pugnaret; impugnatus grauiter. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea*, &c. Hebraicè מנעורי *Minnchhurai, à pueritiis meis*, &c. Hostis omnino improbus, qui nec à puero abstinet; miles omnino promptus, qui à pueritia pugnam init. *Non otiosa virtus viri religiosi est*, &c. ait Zeno Martyr *ad Ps. citat.* scilicet, quæ ab infantia ad senectutem vsque progreditur. Cur non vincat miles, qui tam citò, quàm benè pugnat; vt quid possit aduersùs hostes, ostendat virtus pugna continua: *etenim non potuerunt mihi*, &c. Vires alit puer ad virtutem explicandam congressu difficili, si consuescit à teneris.

Ps. 128. n. 2.

Constat virtus à teneris hausta.

Eò fortasse spectat Hoseas *cap.* 12. *num.* 3. vbi Iacobum, & fratrem committit, lucta celebrata. Hæc igitur Vates de Iacobo, *In vtero supplantauit fratrem suum; & in fortitudine sua directus est cum Angelo*, &c. Constat ex *Genes. cap.* 25. *n.* 25. Iacobum, & fratrem, cùm laterent materno adhuc vtero, luctatos validè: vnde Iacobus, id verò est luctator à patre dictus. Constat deinde Iacobum cum Angelo collactatum: *Ecce vir luctabatur cum eo*, &c. *Gen.* 32. *n.* 24. & hominem in lucta victorem fuisse; vnde Iacobo nomen à victoria inditum, n. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël*, &c. Proluserat infans cum infante luctatus ad luctam cum Angelo ineundam: & hæc occasio, vt Hoseas vtramque luctam in loco explicaret. Ac si veller. Cur Angelum homo complexu non premeret, qui artem luctandi callebat ab infantia? iam tunc Iacobus cum fraterculo bene luctatus meditabatur luctam cum Angelo processuram optimè. In sententiam Theodoretus. *Plantam fratris tenens in lucem prodit, qualis futurus esset præsignificans*, &c. & quodnam hoc est rerum auspicium ab infantia luctatrice? *Processu temporis virfactus adeò virtutis exercitatione excelluit, vt cùm semel fratris timuisset aduentum, Deúmque rogasset, non modò auxilium obtinuerit, verùm etiam visus sit ipse sibi luctari cum Deo, & victoriam reportare*, &c. Luctatus cum infantulo infantulus eam animo virtutem hausit, vt grande aliquid æuo grandior auderet aduersùs Angelum. Et hæc vna via est ad progressus virtutum reliquarum.

Hos. 12. n. 3.

Genes. 32. n. 24. & 28.

Miles à teneris fit valentior processu temporis.

Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, &c. ait Isaias *cap.* 11. *n.* 1. & sermo est de Christo ob venustatem flosculo, quod volunt Hieronym. & Tertullian. *aduersùs Iud. cap.* 9. Puto ego florem ætatis significatum in adolescentulo: qui tamen virtutum nominibus floruerit. *Et requiescet super eum Spiritus Domini*, &c. *num.* 2. Neque enim in virga, sed in flosculo totus virtutum apparatus est. Si à teneris pulchellus iste puer virtutem exerit, quid æuo grandior non conficiat, cùm

3.

Isa. 11. n. 1. 2. & 4.

Virtus à teneris hausta pollicetur victoriam æuo maturiori.

cùm virtus animo altè insideat? pulchrè Vates de viro magno addit n.4. *Percutiet terram virga oris sui*, &c. Martem omnino spirabit, vnóque spiritu dissabit, quidquid ingratum est, quidquid improbum est. Hoc affectu iubet Deus Num. cap. 3. num. 15. *Numera filios Leui: omnem masculum ab vno mense*, &c. Monet hoc Dei scito Moyses, quid à pueris Deus velit; scilicet, vt à teneris virtutem colant. *Qui enim Dei cultu consecrandi sunt, ab ipsis incunabulis instituendi sunt*, &c. ait Antistes Clarius. Proficit latè quidquid finis consuescere; & virtus à teneris hausta vnguiculis radices altè figit.

Num. 3. n. 15.

4. Scio ego hoc vnum viris magnis consilium fuisse, vt cantionibus sacris literas præfigerent alphabeticas; Dauid hac literarum serie digerit *Psal.* 36. 110. 118. 144. Parœmiastes ita constituit *cap.* 31. Ieremias non aliter suos concinnat threnos. An pueris aperta virtutum schola, non viris est? vtrisque suum Deus ludum aperit; ea tamen lege, vt elementares pueri à teneris meditentur amores virtutum. *Quibus quasi literis, & exordiis in Dei doctrina tenera adhuc, & lactentis quodammodo viri iusti eruditur infantia*, &c. sic Hieronymus *in præfat. ad lib. Reg.* Sugat puer cum nutricis lacte bonos mores; cum literis alphabeticis discat leges viuendi piè, & castè. Hosce enim auditores cogit suam in scholam Magister Deus Isa. cap. 28. num. 9. *Quem* (inquit) *docebit scientiam*, &c. Profectò scientiam ferendi laboris, ac doloris. Quod è Græco textu eruas. Deinde auditores laudat pueros, scilicet, *ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus*, &c. Postquam suos sacris Athenis alumnos instruxit Magister morum Deus; addit Vates, num. 10. *Manda, remanda*, &c. quod in mandatis dari velit, Græco textu explicat, θλῖψιν ἐπὶ θλῖψιν, *Tribulationem super tribulationem*, &c. Acsi dicat, pueros bene tritos patientia laborum assidua, obstinatè occurrere difficultatibus grauioribus; citius enim frangas, quàm flectas, qui rectè obduruere.

Pf. 36. 110. 118. 144. Prou. cap. 31.

Virtus à puero ducta radices altè figit.

Isa. 28. n. 9. & 10.

Puer bene tritus occurrit valenter difficultatibus.

5. Grata hæc Deo ætas, si virtutem à teneris concipit; & hoc aspectu laudat Sapiens amores gentis castæ. *Adolescentulæ* (inquit) *dilexerunt te nimis*, &c. *Cant. cap. 1. num. 2.* Multum sapiens tribuit adolescentulis, qui hasce virgines Dei amantes laudat: sed iure id summo factum, ait Bernard. ser. 14. *Cui se tanto felicius, quanto maturius deuouerunt*, &c. Felicitas verò harunce virginum sita est in celeritate obsequendi, vtpotequæ ab annis teneris Deum amauerint, ac coluerint. Sciebat Ioannes gratè se Deo facturum, si festinaret in obsequium: *exultauit infans in vtero*, &c. *Luc. cap. 1. num. 41.* Materno clausus vtero Christum salutat gestu, saltu; *vt minori adhuc Domino sui officij valeat exhibere primitias*, &c. sic Bernard. *Hom. 4. de laud. Virgin.* Officio quidem suo defungi voluit, qui à Deo erat legatus ad Christum prodicendum, idque à teneris aggreditur, gratum Deo obsequium. Quo Iosephus honores sibi magnos peperit. Ægyptum adeas, & aulam Regiam, in ibi videbis hominem Regis continuum, Regíque Proregem. Ad Gen. 41. num. 4. *Vno tantùm regni solio te præcedam*, &c ait Pharao. Multis quidem virtutum nominibus potuit Iosephus sedem altè erectam occupare, scilicet patientia, qua fratrum morsus graues, carcerumque turpes sordes tulit, *Gen. cap. 37. n. 4. cap. 39. num. 20.* Deinde pudicitia, qua heram à se improbam castè repulit *num.* 8. Tandem prudentia, qua famem publicè leuandam curauit, frumento in septennium collecto, *c. 41. num.* 33. Sed grata Deo ea virtus est, quæ à puero suscepta adornauit hominem. Iosephus enim, *cùm sedecim esset annorum adhuc puer, pascebat gregem, accusauitque fratres suos apud patrem suum*, &c. *Gen. 37. num. 2.* Quod ad amorem virtutis pertinet, teste Ruperto, *vt citam* (inquit) *iustitiæ, & meriti mireris profectionem, quæ continuò subtexitur, vigilanter dictum est, adhuc puer*, &c. *lib. 8. in Gen. cap. 19.* Inde factum, vt qui adhuc puer conceperat virtutem plurimam, ætate maior perciperet honorem plurimum Ægypti Prorex. quod inuenit Peluſiotes lib. 2. Epist. 49. *Ne Ioseph quidem gratia, regnum consecutus est; multis enim virtutibus, cùm adhuc adolescens esset, ornatus, & instructus erat*, &c. Honores meritis dispensat Deus, hominésque honorat maximè, qui virtutem à teneris colendam esse putant. Quare monet Chrysostomus tractandos seuerè pueros esse, Homil. 9. in 1. Epist. Timoth. cap. 2. *Si* (inquit) *ab ipsis statim initiis, atque à prima ætate, leges optimas imponamus, minimum posthac laborabimus: verùm consuetudo ipsa virtutis in legem transibit*, &c. Chrysostomo hæret Basilius, vrgétque morum Præfectos, vt pueros adigant ad sanctitatem. In lib. Reg. disput. respons. 15. *Quam orbem animus dum tener est, & ritu ceræ, quæ impressas in se formas quascumque facillimè recipit, mollissimè cedit, confestim ab ipso initio, omni rerum bonarum imbui exercitatione debet. Quo videlicet, pietati iam ab ineunte ætate assuetus cursu vtatur faciliori, cùm & ratio, quid expendat, admoneat, & ad id assequendum facilitatem præstet consuetudo*, &c. exceptum puto documentum ab schola militari. Vnde prudens admodum Holophernes vires collegit, delectu inito, *vniuersæ iuuentutis.*

Laus est virtutem à puero cultam esse.

Honorem virtus parit.

Virtus à teneris ducta facilè procedit.

Num. 3. Omnes parauerunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, & venerunt per crepidinem montis vsque ad apicem, &c.

Commentarius.

9. NOn dissidet in Hebræo oppugnando miles, etsi tam linguis varius, quàm militat armis, suam parat manum, & præstat operam Holophernis ductu, nutu. Iubet Imperator, vt montem licèt ascensu difficilem miles petat, *n.* 1. nemo cunctatur; sed capto latè circuitu ad iugum montis summum, vbi sita Bethulia, tandem euadunt milites, *& venerunt vsque ad apicem*, &c. *n.* 3. In transcursu capta Belma est, & quod puto Abilina: occupatum deinde oppidum, *Chelmon*, Græcè, κναμὼν, fortasse à fabis denominatum. nam κύαμος Græcis *faba* est. Scio insulam mari Germanico fabariam Romanis dictam:

Gen. 41. n. 4. & 37. n. 2.

Cant. 1. n. 2.

Gratificatur Deo virtus à teneris culta.

Luc. 1. n. 41.

Festinat Ioannes ad obsequium.

ctam: *à frugis similitudine sponte prouenientis*, &c. ait Plinius *lib.*4. *cap.*12. Neque enim insolens est, loca à rebus, quibus præstant, appellari. Rhodum appellant Rhodienses ἀπὸ τῆ ῥόδε, hoc est, *à rosa*; quæ in loco multa. Susa Persis, lilia, *ad* 2. *lib. Esdr. cap.* 1. *n.*1. ob liliorum copiam; quæ Hebræus vocat שששנים *Sosannim*. Nemo nescit Laurentum Latinis denominatum à lauro enata inibi. Sic Maro *lib.* 7. Salaciam nostris hominibus vocatam à sale multo, & bono. Vrbem Phœnices condunt; *quam à piscium vbertate Sidona appellauerunt: nam piscem Phœnices Sidon vocant*, &c. sic Iustinus *lib.* 18. Quid igitur vetat Chelmon, siue κναμὼν à fabis **cognominatum** esse? satis ad nomen **affingendum** rerum fortuna est, siue bona, siue mala. Illud noto appellatum à re vili oppidum: non ab aqua delicata, & quæ propè commendat fontem Bethuliæ, non à vi pastionis optimæ; etsi Dothain proximo in agro esset, vbi greges pascuntur egregiè; quod patet ex *Gen.*37.*n.*17. Sed inde patet morbus humanæ gentis, quæ & locis, & hominibus nomen indit potius à re vili, aduersa, absurda, quàm à bona fortuna.

Nomina à re pulchra.

10. Puteis effossis, rixatur cum Isaaco Philisthæus. Abit à loco Isaacus, & puteum alterum à rixa, vocauit *calumniam*, &c. *Gen.* 26. *num.*20. alterum ab iniuria, appellauit *inimicitias*, &c. *num.* 21. quod solent homines, facit Isaacus; nomen locis indit à re aduersa, & absurda. *Et vt perpetuò scirent posteri hanc iniustitiam, nomen imposuit puteo*, &c. sic Chrysostomus *Hom.* 52. Potuit quidem puteos ab aqua delicata appellare; sed humani morbi est rem à vitio potius, quàm virtute denominare. Locum, vbi Hebræus carnem cupit, & capit, bene Moyses cognominat ab igne quo punita plebecula ex Ægypto aduentitia; id enim interpretes volunt esse vulgus promiscuum *num.*4. Num.cap.11. num. 3. *vocauitque nomen loci illius, incensio*, &c. Sed quem Moyses à supplicio, populus à flagitio locum dicit, *vocatus est locus ille, sepulchra concupiscentiæ*, &c. *n.* 34. Nec exinceps appellatur *incensio*; quod eruas è *cap.*33. *num.*16. vbi textus; *venerunt ad sepulchra concupiscentiæ*, &c. Puto ego placuisse hominibus nomen à flagitio additum, idque omnium fabulis circumferri; ac proinde abolitum omnino nomen aliud à supplicio inditum. Sic affectus homo quisque est aduersùs homines alios, quos à mala citius, quàm à bona fortuna appellitare solet.

Gen. 26. n. 20. & 21.

Nomen à re potius mala, quàm à bona indunt homines.

Num.11. n.3. 34. & 33. n. 16.

11. Magistrum Simon lauta mensa excipit, Matth. cap. 26. num. 6. *Cùm Iesus esset in domo Simonis leprosi*, &c. Quid in loco monstri est? Itáne Magister cum viro malè sano cibum capit, à quo lex sacra arcet homines? sed qui, lepra expurgata, sanus est, adhuc notam retinet, & nomen absurdum, apud homines reliquos. *Nomine pristino permanente, vt virtus curantis appareat*, &c. sic Hieronymus. Crederem facilè Hieronymo; nisi vitium esset hominum, vt homines alios vel à naturæ vitio denominent. An hoc aspectu Medus Hebræo næuum seruitutis impingit? aio. Erat Daniel in magnis viris apud Regem: quod patet ex cap. 6. num. 2. *E quibus Daniel vnus erat*, &c. Sed cùm Hebræus accusaretur apud Regem, vna opponitur seruitus gentis captæ iusto belli iure. *Daniel de filiis captiuitatis Iuda non curauit legem tuam*, &c. *num.* 13. Vatem non à vita, & sapientia, nec à sella curuli denominant; sed à næuo seruitutis denotant pertinaces accusatores, vt vitium prodant humanæ improbitatis, quæ homines à mala fortuna cognitos esse curat. Scio dictum à Hieronymo, *vt maior sit indignatio, dicunt esse captiuum*, &c. Sed vtroque affectu Danielem bello captum malignè vrgent; & vt Regem à captiuo contemptum grauiùs commoueant, & vt Vatem carpant à fortuna misera. Nec laudem alienam ingerunt homines, vt non aggerant, si quid est notæ. Laudat Pincerna Iosephum à sapientia rerum plurimarum apud Pharaonem *Gen.* 41. *num.* 13. Cùm enim Iosepho suum reus quisque somnium denarrasset, accepit, *quidquid* (inquit) *rei probauit euentus*, &c. sed inter laudum cantiones, Hebræo næuos Pincerna inducit, à supplicio, & flagitio. *Erat ibi puer Hebræus, eiusdem Ducis famulus*, &c. *num.* 12. Opponit sordes carceris, & notas seruitutis malus homo, cùm sapientiam laudat pueri, ne laudem, nisi morsu demutilatam puer ferat: quasi notus bene Iosephus non esset, nisi à mala fortuna dignosceretur. Hæc vt vt apponerem, dedit Chelmon, siue κναμὼν, à fabis denominatum oppidum.

Gratificatur Deo, qui se à morbo pulso vocatum velit.

Matt. 26. n. 6.

Grauior à vili manu est iniuria.

Gen. 41. n. 13. & 14.

Quod fœdum est aliis obtrudunt homines.

Dan. 6. n. 2. & 13.

Oppido igitur occupato, accingunt sese milites, & Holophernis iussu, montem petunt ascensu asperum, vrbémque accessu difficilem, *& venerunt vsque ad apicem*, &c. Eò tamen ducit virtus mascula, & laudum immensa cupido. *Non est ad astra mollis è terris via*, &c. monet Hercules: & vox est de gloria militari, qua homines fiunt humani Ioues. *Nec est ad magna ascensus facilis*, &c. ait Cyprianus *ad lib. de habitu virgin.* & sermo est de cura benè, beatéque viuendi. Vtramque fortunam miscet ille, qui laurum summo in iugo reponit; sed quo formica reptat lentè, vt baccam sibi carpat. Symbolum aperit Epigraphe, *sed tendit in ardua virtus*, &c. Quo enim labore formica montem superat, vt laurum capiat; eo & grauiori studio, lauream miles, & gloriam bonus quisque pariat sibi oportet. Laboribus honores Dij vendunt.

Labore, ac sudore laurus paria.

13. Duplex è loco rerum est meditatio. Si Holophernes in Bethulia oppugnata oppugnat Dei Virginem? video, quo labore suam parant voluptatem peccantes homines. Vigilant, sudant, algent, vt, quod volunt, tandem conficiant; siùe ad concinnandam Venerem, siue ad honorem parandum voluntas ducat. *Vt enim cruciatus peccatis propositos omittamus*, (ait Chrysostomus) *plurimùm in vitiis exequendis comperias inesse laboris*, &c. *serm.* 16. *ad pop.* Chrysostomo assentitur Seneca, virtutum commendans molles aditus lib. 2. de Ira, cap. 13. *Omnium* (inquit) *virtutum tutela facilior est: vitia magno constant*, &c. Fatentur id ingenuè peccantes homines; serò tamen sapiunt, Sapient. cap.5. num. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis; ambulauimus vias difficiles*, &c. Græco textu habes ἐρήμους ὁδὰτους, *solitudines difficiles*; scilicet, qui solitudines ineunt, errant locis vastis, ac per vepres, salebrásque feruntur.

Magno constat improbitas.

Sap. 5. n. 7.

Hac

Hac via laborat Holophernes, si in Bethulia oppugnat Dei Virginem. Si verò gloriam captat militarem ex Bethulia expugnata? Video, quò loci pertendit; quid impendit operæ? quantum laborat, vt superet; ducta enim in montem acie, *venerunt vsque ad apicem*, &c. Sed qui magnam sibi venatur gloriam, laborat, vt pariat, patitur, vt colligat. *Humilis, & inertis est hominis tuta sectari: per alta virtus ire solet*, &c. teste Seneca *ad lib. de Prouid. c.* 5. Quò, & qua non abit Ionathas, vt Philisthæum perdat miserè? 1. *Reg. c.* 14. *n.* 4. Textus est de loco difficili. *Erant inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petræ*, &c. Quid igitur Ionathas? timet ne, cunctatur ne, an contrà audax abit? vt probet, quid virtus possit? textus est n. 13. *Ascendit manibus, & pedibus reptans*, &c. Eo Deus vrget bene iuuenem quò virtus ducit. *Quid mirum* (ait Seneca,) *si durè generosos animos Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum est*, &c. *ad lib. de Prouident. cap.* 4.

Difficultates hausit virtus masculæ.

1. Reg. 14. n. 4. & 13.

14. Liceat mihi illud ex verbo veteri vsurpare. *Si tanti vitrum, quanti margaritum?* Si tanto paratur impendio laurea virtutis bellicæ? quónam labore paranda est gloria virtutis Christianæ? Sita in monte Bethulia Dei Virgo; locata in rupe virtus est, quo loci nemo perueniat, sine labore, ac sudore. *Arcta enim re vera, & angusta est ira Domini*, &c. addit Clemens Alex. *lib. 4. Strom. cap. 1.* Viam in hac via militarem agnosco. Nec Deus legum scita induxit, nisi *vt milites in illis bonam militiam*, &c. Vrget Apostolus 1. *ad Timoth. c. 1. n.* 18. Adest & vrget hostis Diabolus: quid gens Christiana? Ius est, vt ingerat seueri tesseram. *Militemus, laboremus.* Quid enim magnum sine labore paratur? Et erit, qui sedeat, nec magna conetur, manu in sinum condita? *Durus, & arduus limes est, qui tendit ad gloriam*, &c. scilicet ad apices benè, beatéque viuendi. Hæc Cyprianus *lib. cit.* Hac via Holophernes captat gloriam, captant & milites. *Et venerunt vsque ad apicem*, &c. Bethulia igitur opugnata Holophernes, ac milites signant hominem, qui labore improbo, fatigatúque grauissimo viam init ad peccandum. Vnde illud excerpas

Laborandum in virtutis via.

1. Timoth. 1. n. 18.

PARÆNET. VI.

Viam peccandi facilem non esse.

1. TEritur, ac delassatur Assyrius, cùm montem petit ascensu difficili, Bethuliamque aggreditur, Dei virginem. Laborat, & sudant, vt malè agant mali homines: & quidem improbitatem, Græcè πονηρίαν, deducit Græca schola ἀπὸ τῦ πόνε, *à labore*, quasi improbitas multum ab improbo laborem exigat. Obseruat id Chrysost. *Hom. 7. in Act.* πονηρὸς (inquit) *malus*, παρὰ τὸ πονεῖν, *à laborando* est dictus; *sic Scriptura semper malitiam vocat laborem*, &c. Nam *Psal. 9. n. 7.* ait Dauid: *Sub lingua eius labor, & dolor*, &c. Et malum pulsat hominem, qui linguæ vitio pungit homines alios; suo tamen labore, ac dolore. Nec à Græco Hebræus dissidet. Nam *Ps. 7. n.* 15. vrget Dauid hominem celebratæ improbita-

Improbitas à labore denominata.

Psal. 9. n. 7. & 7. n. 15.

tis. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, &c. In ipso peccati conceptu, & peccandi conatu, dolet improbus, ac proinde scelus à dolore denominatur. scilicet עמל *Hhamal*, *dolor*, & *labor* est; à verbo עמל, *Hhamal* quod est, *laborare*; sed metathesi interposita, מעל, *Mahhal*, quod est, *peccare*. Ne quis neget peccantes homines in ipso annisu peccandi laborare, ac dolere.

Quàm pertinax cupientibus hominibus labor est! Quibus se doloribus conficiunt, vt opes cogat è fortunæ sinu facili? *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli*, &c. 1. *ad Timoth. c. 6. n.* 9. Insinuat Apostolus appetentes rerũ homines in opibus congerendis, asseruandísque laborare, ac defatigari pessimè. *Qui pro opibus comparandis*, (ait Athanasius) *periculis obnoluuntur*, &c. Tanta est cura fortunæ conciliandæ, vt frater fratrem, & nurus socrum tundat, & trudat. Quid plura? *Inseruerunt se doloribus multis*, &c. *n.* 10. quod Petrus Damiani sic explicat. *Multis se doloribus inserunt, dum propter lucra temporalia, inſœderabili à se inuicem simultate resiliunt*, &c. *lib. 1. Epist. 15. ad Alex.* 2. Cur tamen cupientes diuitiarum homines in ipso parãdæ fortunæ studio non laborent? Non doleant? si opes, Deo Magistro, sentes sunt? Apud Matth. c. 13. n. 22. *Qui seminatus est* (inquit) *inter spinas, hic est, qui verbum audit; & solicitudo sæculi istius, & fallacia diuitiarum suffocant verbum*, &c. Explicat Magister liquidò, transpungi homines grauiter, ac dolere, qui diuitiis parandis student; nec ab opibus colligendis abstinere, etsi labor sit, & dolor ingens. *Benè* (inquit) *inseruerunt se doloribus multis; sunt enim sentibus similes curæ diuitiarum, vt testatus est Dominus: quæ, vbi attigeris, innatis aculeis manum cruentant, & doloribus angunt*, &c. Hæc Athanasius *ad Epist. cit.* Si qua igitur lucelli spes affulget, curant homines, ac laborant, ne fluat è manibus; etsi per sentes, talebrásque eundum sit. Quónam curarum æstu dolet, ac gemit dives ille, de quo Lucas agit c. 12. n. 17. *Cogitabat intra se, dicens: Quid faciam?* &c. Mordetur curarum stimulis dives improbus, vtpote qui in rebus congerendis quietem pati non potest; somnum intermittit, laborem non intermittit. Dolet, cùm gemit: *Quid faciam?* &c. Somnum interrumpit, qui summa nocte audit. *Hac nocte animam tuam repetunt à te*, &c. *n.* 20. Vnde Maldonatus, *Diues* (inquit) *ille, vt fieri solet, noctu secũ suas illas, & vanas voluebat cogitationes*, &c. Iusta cupientibus hominibus crux est. quod notat Ambrosius ad lib. de Nabuthe c. 6. *Satiato* (inquit) *diuitiis, non est, qui eum sinat dormire*, &c. Quàm multis premitur curis, qui dulces non capit somnos: ea tamen viuẽdi ratio est cupidis hominibus. *Ac ne ipse quidem Deus eum dormire permittit*, &c. quod addit Ambrosius. Verè magna laborum Ilias est, qui in cogendis, asseruandísque diuitiis nec somni vices nouit.

2.

1. Timoth. 6. n. 9. & 10.

Diſſident fratres auaritia.

Matth. 13. n. 22.

Moleſta diuitiarum cura.

Luc. 12. n. 17. & 20.

Somnos abrumpit diuitiarum cuſtodia.

Sed quale dolorum, ac laborum plaustrum est hominibus ambientibus, quidquid in Rebusp. grãde, ac dulce decus est! Cruces ferat, ac neces bibat facilè, quicumque honores cupit Rerũp. modò cõtingat frui bona fortuna. Pri-

3.

matum affectabãt fratres ſcholæ Apoſtolicæ.
Marc. 10. n. 37. 38. & 39. Marc.c.10. n.37. *Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram ſedeamus in gloria tua*, &c. Hæc fratrum vox, abſurda quidem, vt Magiſter notat; vrget tamen, *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo?* &c. *n.* 38. de Cruce, ac nece textus eſt, quod pater. Sed ad Magiſtri vocem reſpondent audaces nimiũ homines. *Poſſumus*, &c. *n.* 39. Quid enim eſt mali, ac periculi, quod non ſubeant facilè appetentes honorum homines? *Spectantes ad id quod cupiunt, omnia facilè pollicentur*, &c. ait Theophylactus. Lis de Principatu, & ſpes erat; ad quancumque fortunam triſtem, & acerbam reſponderent audaces, ac pertinaces ambitu homines: *poſſumus*, &c. Iconiſmum **video** ambientium ea in ſella, quam ſapiens **altè** erectam voluit, & adornatam Leonibus fabrefactis. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*, &c. 3. *Reg. cap.* 10. *n.* 18. Inde Princeps iura dabat populis, & lites ſoluebat, ſed per gradus Leones erant, quos inter aſcenſus ad ſellam altè locatam, n. 20. *& duodecim* (inquit) *leunculi ſtantes ſuper gradus hinc, & inde*, &c. Aſpera, quod pater, via eſt, vtpote obſeſſa leonibus via ad ſellam prætoriam, ad honores maximos Rerump.; neque enim paruo conſtat ambitus. Sed oblata ſpe dominandi, audaces ambitu homines per lupos, ac Leones viam tentabunt ad honorum apices: multus quidem erit labor in magiſtratu ambiendo, ſed nullus erit metus in periculo ſubeundo, occurrant, licèt, *duodecim leunculi ſtantes hinc, & inde.*

Nulla ambientibus obſiſtit difficultas.

3. Reg. 10. n. 18. & 20.

4. Vnum tamen ſcelus eſt, in quo patrando laborant homines plurimùm, ſudant, algent, ſcilicet, cùm libidinari volunt. Meretricem magno in mari Ioannes vider, *Apoc. cap.* 17. *num.* 3. demiratúrque rem abſurdam; ſed aduolat Angelus, & vrget, n. 7. *Quare miraris?* &c. Mulier hæc ſuo elogio eſt, *Mater fornicationum*, &c. *num.* 5. Nec terris tantùm, ſed & aquis obtinet meretrix, ac dominatur. *Quæ ſedet ſuper aquas multas*, &c. *n.* 2. Video meretricem multis affectam, maliſque modis. Quot enim tempeſtates magno in mari debacchantur, tot mulier atteritur laboribus, vt ſuis perfruatur deliciis; quippe *quæ ſedet ſuper aquas multas*, &c. Voluptas eſt, Venus eſt mari enata, *quæ dulcem curis miſcet amaritudinem*, &c. Nec meretricem prius fauo mulcet, quàm ſale pungat, tundat labore, & premat dolore. Verè quicumque libidinari conatur, terra marique laborat amoris impatiens. Neque enim paruo cõſtat voluptas, ſed multis, magniſque emitur laboribus, ac doloribus.

Apoc. 17. n. 3. 5. & 2.

Voluptates libidinantibus difficiles.

5. Pingit poëtica Amorem iaculis obarmatum pulchrè. id, quod patet, & obſeruat Zeno Martyr *ad ſerm. de Fide.* Certè nulla eſt voluptas, quæ bellum non moueat? aut enim facit, aut arcet iniuriam. *Quia illicitis ardoribus ſemper iunctus eſt gladius*, &c. Ait Zeno. Quot lites ſerit adulter? Quot rixas alit amaſius? Quot tumultus edit Cupido? Nec tantus debacchandi amor eſt, niſi quòd amaſius ſuam colit, & alit Venerem. *Quia illicitis ardoribus ſemper iunctus eſt gladius*, &c. *Recenſet Paulus, quæ ab amore inſano enaſcuntur* ſcelera. Ad Galat. cap. 5. num. 19. *Quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, &c. Bene hæc conueniunt. Sed cur addit Apoſtolus num. 20. *Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ*, &c. Hæc ne ab amore improbo, vt amaſius, teſtata inimicitia, contendat, iratuſque rixari velit? Inſinuat id Apoſtolus, & interpretatur Anſelmus optimè. *Ex his* (inquit) *omnibus apparet, quàm magnum ſit vitium fornicatio, de qua tot peſtes prodeunt*, &c. Velint iuuenes explere libidinem, videas pullos Veneris ferro obarmatos obambulare per vrbem, nocte ſolida; ſi quis occurrat, vt opportunitatem corrumpat explendæ libidinis, ferro aggredi, vi trudere, inter gladios, & ignes debacchari, imò ruere in ſui exitium. Et placet hæc tam ſæua rerum tempeſtas libidinantibus. Sed vna vrget Venus, quam expetunt dementes iuuenes. Ac proinde, *ex his omnibus apparet, quàm magnum ſit vitium fornicatio, de qua tot peſtes prodeunt*, &c. ſcitè ab amandi Magiſtro dictum, *militat omnis amans*, &c. cùm occaſiones captat voluptatis concinnandæ: nec poteſt nõ dolere grauiter, qui tam multis vrgetur difficultatibus.

Galat 5. n. 19. & 20.

Militant amantes, quaſi amentes.

Quare ius erat, vt Cupido lachrymis coleretur. Adeas Ezechielem cap. 8. num. 14. *Ibi mulieres plangentes Adonidem*, &c. ſcilicet Amaſium Veneris. qui fato defunctus, iterum ad vitam rediit. Cur fletu, non cantu puer colitur? Certè voluptas modis muſicis concinnatur benè. ſed oſtendunt mulieres planctu edito, quot laboribus, doloribuſque ematur vna voluptas. Neque enim tanta eſt voluptas in patranda, vt in concinnanda nequitia non ſit grauior dolendi, plangendíque occaſio. Inde mulieres, non canentes, ſed lugentes aram terent. Nam ſi quid ego ſcio, dolent, qui amant, nec paruo conſtat voluptas. Eò ſpectat furor militum qui montem, Duce Holopherne, ſummum petierunt; *& venerunt vſque ad apicem*, &c. vt Bethuliam, aſcenſu licèt difficili, caperent, ac Dei virginem obtinerent. Niſi velis Holophernem, ac milites ex re difficili altiorem ſibi lauream quæſiiſſe, cùm ſciam

6. Ezech. 8. n. 14.

Multis conſtat lacrymis vna voluptas.

PARÆNET. VII.

Magno æſtimari gloriam, quæ magno conſtat.

1. DE congreſſu difficili ſuam captat gloriam virtus maſcula; quaſi periculum capitis ſit theatrum virtutis bellicæ: *magnum enim exemplum, niſi fortuna mala non inuenit*, &c. ait Seneca *ad* 1. *de Prouident. cap.* 3. Audax nimium, quidquid laboris maximi eſt obſtante natura, vrgebat Alexander; *vt erat animi ſemper obluctantis difficultatibus*, &c. apud Curt. *lib.* 6. Nec magnus appareret Alexander, niſi ex difficili gloriam venaretur auguſtiorem. Quid Alexandri milites? Porò ad Hydaſpen ſtante, periculumque agente, pertinace traiectu difficili, ripam, & hoſtem, *ex periculo gloriam accerſentes, petebant*, &c. *lib.* 18. ſcilicet eò virtus ducit, vbi potior ex fortuna aduerſa laurea eſt,

Nec iuuat ex facili parta corona iugo.

Duplex

2. Duplex est caput, vnde magni fiant, quæ magno constant labore; & quòd iure merito paratur gloria, & quòd dulce labore exacto decus est. *Da tibi partem vnam*, &c. ait Iacobus, suúmque Iosephum solatur, *Gen. c.* 48. *n.* 22. Græco textu σίκιμα ἐξαίρετον, *Sichimam præcipuam*, &c. Agrum scilicet in Sichimis optimum, & paratum agnis centenis, quod patet ex *Gen. c.* 33. *n.* 13. ex *Iosuë c.* 24. *n.* 32. etsi Iacobus agrum sibi vendicatũ docet iure belli. *In gladio* (inquit) *& arcu meo*, &c. Vnde nata occasio disquirendi: si constat agrum Iacobo emptum, cur addit paratam sibi sortem agri maximi vi, & manu armata? Volunt boni interpretes vtrumque à Iacobo factum. nam post cladem Sichimis illatam, Iacobus agro iam empto excessit, metu damni: ac proinde occasio fuit, vt Amorrhæus agrum optimum, & maximum inuaderet; ab agro tamen Amorrhæum Iacobus ferro armatus expulit, & suum sibi locum vindicauit. Hæc Iacobo ratio agri commendandi apud Iosephum, *Da tibi Sichimam præcipuam*, &c. non quòd pretio, sed quòd ferro agrum sibi parauerat. *In gladio* (inquit) *& arcu meo*, &c. satis insinuans magno in pretio haberi, quæ magno constant labore, ac sudore.

Gen. 48. n. 22.

Magni est pretij, quod magni laboris est.

3. Arcem Dauid tentat, & capit, Sione capta, ad 2. Reg. c. 5. n. 9. *Habitauit Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid*, &c. Noto ego Hebronem eo elogio adornatam non esse, etsi inibi regnũ Dauid septennio administrauerit. quod patet ex *n.* 5. & quod vrget fortiter, nec Ierosolyma (sic boni interpretes) dicta Regis ciuitas est. Suam tamen & arcem, & vrbem Dauid Sionem appellat, quam vi, & armis occupauerat, Iebusæo malè excusso. Prodicto enim pretio operæ, milites in arcem vrget Dauid. *Omnis, qui percusserit Iebusæum in primis, erit Princeps*, &c. 1. *Paralip. cap.* 11. *n.* 6. Suam ergo vrbem Dauid, & esse, & vocari voluit. *Ad laudem victoriæ magnificæ*, &c. ait Abulensis *q.* 10. *ad* 2. *Reg. cap.* 5. vtpote quam suo sibi labore parauerat; quæ enim magno paratur labore gloria, magno æstimatur. An ab auo hausit Christus, vt nomen sibi grandius caperet bello confecto? Scio Christum ab assumpto corpusculo creatum à Patre optimo Regum Regem, addito excellentiæ dominio. Mitto, quæ probantur scholis Theologicis *ad* 3. *p. D. Thom. q.* 22. *ab art.* 1. Vna mihi in hanc litem Christi vox abundè est, qui apud Vatem Regem de suo egit regno. *Ego* (ait) *constitutus sum Rex ad eo*, &c. *Psal.* 2. *n.* 6. Non tamen video eam Christi nomenclaturam vestibus insertam, intextamque labore phrygio, nisi postquam suam Christus, & cruentam canit victoriam. Victor enim *habebat in vestimento suo scriptum, Rex Regum*, &c. *Apoc.* 19. *n.* 16. Sic ostentat Princeps qua de re maximè gloriatur. Sed quodnam Christo paludamentum est? Ioannes explicat n. 13. *& vestitus erat veste aspersa sanguine*, &c. Tunc se Christus Regum Regem censet esse iure meriro, cùm faciem ostendit non indecoro puluere sordidam, & vestem explicat non expiato cruore illitam: acsi nobilior sit laurea, quæ respondet meritis virtutis masculæ.

2. Reg. 5. n. 9.

1. Paral. 11. n. 6.

Non est gloria, quæ non paratur labore.

Apoc. 19. n. 16. & 13.

Quæ respondit meritis laurus est potior.

Princeps militum Ioabus erat, cùm Dauid regnum auspicaretur in Hebrone, & Saulem Abnerus tueretur. Patent hæc, & plura ex 2. *Reg. cap.* 2. *num.* 13. *& cap.* 3. *num.* 22. Arcem Dauid tentat, & edicto milites excitat, vt qui arcem priùs inuaserit, Princeps militum audiat in posterum. *Ascendit igitur primus Ioab, & factus est Princeps*, &c. 1. *Paral. c.* 11. *num.* 6. Ita ne, Ioabus iam olim militum Princeps, modò creatus militum Princeps est? Nunc se Ioabus militibus præfectum esse putat, cùm principatum suo sibi labore parit. *& sic dicebatur nunc factus Princeps iure suo, cùm priùs esset Princeps ex concessione*, &c. sic Abulens. *q.* 10. Placebat Ioabo titulus honorarius ex pugna difficili, & merito virtutis bellicæ, non affectu gratiæ Regiæ. Quandoquidem *Non iuuat ex facili parta corona iugo*, &c. Nec Mario cupido alia, quàm iustæ gloriæ, vt Capsam bello tentaret, & caperet, vrbem situ, manúque munitam bene; *tum quia res aspera videbatur*, &c. ait Sallustius *in Iugurth.* Itaque ex rerum, locorúmque asperitate, viam sibi fecit Marius ad lauream potiorem. Auolat à nido procul accipiter, vt prædas agat; nec in tractu agri vicino aucupatur; quo famem vincat. Tradit id Petrus Damiani, quod Aquilis tribuit Plinius ad lib. 10. cap. 3. *Determinant enim spatia, nec prædantur in proximo*, &c. Cur id faciat accipiter, docet Petrus lib. 1. Epist. 5. ad Alex. 2. *vt quæ facilia sunt, & in promptu, nobiliter transeat; in quibus maior victoriæ labor est, longinqua perquirat*, &c. scilicet, argumentum est notæ generositatis, rem aggredi plenam aleæ: vnde labor ingens laudes ingentes parit. Addo prædam labore partam multo iucundiorem esse. Placet Horatio, aut turdus laqueo captus, *aut hædus ereptus lupo*, &c. *lib. Epod. Ode* 2. est enim laboris maximi prædam eruere è lupi faucibus. sic Holophernes Bethuliam altè sitam vrget, vt ex pugna dubia, & loco aspero ampliorem, & iucundiorem sibi lauream pariat: *& venerũt vsque ad apicem*, &c.

4.

1. Paral. 11. n. 6.

Iustus est honor, qui iuste constat labore.

Maior virtus vbi maior est difficultas.

Auget voluptatem, re benè gesta, hausta priùs laborum difficultas. Nam, teste Seneca, *lenocinium est muneris antecedens metus*, &c. *ad* 1. *de Benefic. cap.* 11. & quo metus est grauior, eo pretium operæ est grandius, opúsque gratius. Lectus à Deo Dauid ad sceptrum gerendum, quod patet ex 1. *Reg. c.* 16. *n.* 12. vrgetur exinceps fortuna rerum aduersa. Pellitur aula Dauid, fugit, & vitam locis tuetur vastis, *cap.* 19. *n.* 10. *&* 12. Traditur regno Dauid, transfugítque ad Regem, & hostem Maiestatis Iudaicæ *cap.* 21. *num.* 10. *cap.* 27. *n.* 2. Miror ego, cur tot premitur laboribus, tot vrgetor difficultatibus, & tot probatur aduersis, priusquam regnum ineat, qui iam pridem à Deo lectus ad regnum fuerat? An id, vt meritis responderet fortuna Regia? accipio. Addo tamen voluisse Deum, vt Dauid asperitate rerum transacta iucundiùs regnaret, altiúsque gauderet. Concinnat enim voluptatem sortis optimæ exhausta priùs rerum difficultas. Ad lauream inuitatur virgo boni amans Cant. 4. num. 8. *Veni de Libano*,

5.

1. Reg. c. 16. n. 12. cap. 19. n. 10.

Vrgetur aduersis Dauid, vt iustè sceptrum capiat.

Cant. 4. n.8. *Veni, coronaberis*, &c. Additurque proximè, qua eundum via est ad lauream, & gloriam; scilicet *de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, &c. Illud ex loco eruant alij, virtute, non fautore ambiendum honorem esse. Nyssenus aliò rem deducit. Quasi vellet Deus augere voluptatem virginis, lauro post labores iustè parta. *Peridoneè* (inquit) *leonum, ac pardorum mentionem fecit, vt per adiectionem rerum molestarum, voluptatem lætitia fruentium suauiorem efficeret*, &c. *Orat.* 8. Verè labor pugnandi cum belluis gradus est ad lætitiam victoriæ ampliorem. Nec Deus labores addit, vt doleas grauiùs; sed vt post labores, ac dolores latiùs gaudeas. Laborat Iacobus, & sudat cum Deo luctatus, *Gen.* 32. *n.*24. Imò dolet pede trito. Deus enim, vt sese à Iacobo expediret n. 25. *Tetigit neruum femoris eius*, &c. Inde Iacobo grande nomen, ac dulce decus, n. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*, &c. Scitè Guarricus ad serm. de Ioan. Bapt. *Facilis iactura corporis, damnúmque consolabile, quod tanto compensatum est munere*, &c. Quid si Deus luctam vrget, & dolorem addit, vt gratius nomen esset, quod Iacobo carius constaret? Hoc affectu Holophernes, ac milites Bethuliam altè locatam premunt; *& venerunt vsque ad apicem*, &c. vt iustior, & gratior ex pugna grauiori esset laurea. Quòd si Bethulia, Dei virgo, altè erecta, & obsessa grauiter ostendit mysticè, laborandum, ac sudandum esse candidatis virtutis maximæ, vt benè, ac beatè viuant? rectè moneas

Auget voluptatem difficultas retro exacta.

Genes. 32. n. 24. 25. & 28.

PARÆNET. VIII.

Viam rectè viuendi teri difficile.

I.

MAgno paratur magna virtus, magna felicitas. Nam Deo Magistro, *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam?* &c. *Matth. cap.* 7. *n.*14. Aspera omnino via, tam multis obstructa difficultatibus, vt Augustinum deterruerint; *& placebat via, ipse*, (inquit) *Saluator; & ire per eius angustias adhuc pigebat*, &c. *ex* 8. *Confess. cap.* 1. Via quidem est Magister Deus; quod patet ex *Ioan.* 14. *n.*6. Sed via spinis septa, *portans coronam spineam*, &c. *Ioan.* 19. *n.* 5. Hac ire via nemo sine labore, ac dolore potest. *Neque enim citra sanguinem ad verbum licet accedere*, &c. ait Clemens Alex. 2. *Pædag. c.* 8. Quid ego mirer, si pauci sunt, qui inueniunt eam? &c. Abeunt ab hac via homines *itineris asperitate perterriti*, &c. docet Laudunensis. Verè meus Christus addit, *Ego sum ostium*, &c. *Ioan.* 10. *n.* 9. Sed angustum adeò, vt monuerit iure summo apud Luc. 13. n. 24. *Contendite intrare per angustam portam*, &c. *Angusta propter sudores, & quia non à multis teritur*, &c. ait Theologus *Orat.* 35. Nec ineptè Magnus Gregorius inde probat, quid ab hominibus Christus exigat, vt vitam rectè instituant. *Dicturus quippe angustæ portæ introitum, præmisit, contendite; quia nisi mentis contentio ferueat, mundi vnda non vincitur*, &c. *lib. Mor.* 12. *cap.* 28. Via tendit accliui, & aduerso nauigat fluuio, qui suos piè mores colit; obstat enim indulgens sibi natura, vrget mundus; fallit caro, terret Diabolus; ac proinde, laborandum est, vt cursum bene conficias.

Matth. 7. n.14.

Ioan. 19. n. 5. *Nemo virtutem ignauus colit.*

Ioan. 10. n. 9.

Luc. 13. num. 24.

Vrgenda virtutum via est strenuè.

Nosti, cur Magister edixerit? *Ego sum vitis vera*, &c. *Ioan. c.* 15. *n.* 1. Puto ego sub hac schemate curandæ vineæ, indictum bonis hominibus laborem virtutis colendæ. Adest in litem Clemens Alex. 1. lib. Strom. c. 4. *Dicitur Dominus allegoricè vitis: à quo vindimiandus est fructus, cum diligentia, & agri colendi arte*, &c. Artis est rusticæ laborare, sudare, algere in agro exercendo, & curanda vinea: artis est Christianæ, vt laborent, & sudent homines in animo piè excolendo, vt cura virtutũ pertinaci, etsi bibant fæces amaritudinis, quæ legum scitis hæret plurima. Ab Ægypto homines Deo faciles. *Venerunt in Marà, ideſt, amaritudinem*, &c. *Exod.* 15. *n.*23. vbi aqua Hebræo ingrata: Magister Deus, *Ibi constituit præcepta, & iudicia*, &c. *n.* 25. Quidquid ad mores bene colendos pertinet, latè expositum; in loco tamen aspero: *ad Marà, id est, amaritudinem*, &c. Quod Philo notat ad lib. de erudition. grat. *Hanc* (inquit) *ob causam, in loco amaritudinis lex data est; nam laboriosum est, iustè agere*, &c. Ebibenda tamen amaritudo est, si iustitiam animo velis alere: laborandum, ac sudandum largiter, vt virtutem cliuo erectam assequaris.

2. Ioan. 15. n. 1.

Qui non laborat, virtutem non assequitur.

Exod. 15. n. 25. & 25.

Ibat Iacobus Deo duce, montemque petebat, *super montes Bethel*, &c. *Cant. 2. n.* 17. vbi sacra Deo erat domus. *Venitque Iacob Luzam, cognomento Bethel*, Gen. c. 35. n. 6. In via moritur Debora; *& sepulta est ad radices Bethel, super quercum*, &c. *n.* 8. Bene ad quercum Iacobus dicitur, vt inde montem petat, Deique domum, via licèt difficili. Notum enim ex schola amœniori quercum virtutis masculæ signum esse. Addit Philo, *Per quod indicatur firmum, solidum, nulla vi flectendum, frangendúmque robur: quod viro ad perfectionem tendenti, necessarium est ferendis laboribus*, &c. *ad lib. de migrat. Abr.* A quercu Iacobus, naturam meditatus, robur capit, quo ad montem piè tendat, & contendat ad Dei aulam. *Neque enim isthac per otium percipiuntur; verùm multis, magníque laboribus paranda sunt*, &c. Philo iterum. In hac sententia fuisse videtur mulier Dei appetens, de qua vox est, Cant. 3. num. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum*, &c. Abit quidem virgo per vastam solitudinem, per montes infames niuibus, ac vepribus, vt Deum sibi facilem alliciat: quod miratur Sapiens, illud ingerens, *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* &c. Ad rem Nyssenus Orat. 6. *Quòd è deserto ascenderit, testatur eam studiosa contentione animi, & continentia ad tantam sublimitatem peruenisse*, &c. Nimirum, vt virgo boni amans, virga Deo sit aromatica. Non tamen paruo constat virtus, quæ per vepres, cautésque paratur cura pertinaci, & quæ per labores militares paranda est.

3. Cant. 2. n.17.

Gen. 35. n. 6. & 8.

A Deo colendo nulla virum bonum deterret difficultas.

Cant. 3. n. 6.

Non languet qui Deum quærit amãs.

Militat ne, qui virtutem colit? ait Apostolus § 2. *ad Timoth. cap.* 2. *n.*4. & addit, *Nemo Deo militans implicat se negotiis sæcularibus*, &c. Corpusculum, etsi macrũ, bello gerundo tentoriũ esse testatur Petrus Epist. 2. c. 1. n. 14. *Velox* (inquit) *est depositio tabernaculi mei*, &c.

4. 2. Timoth. 2. n. 4.

2. Pet. 1. n. 4.

&c. & textus est de corpusculo in Crucem agendo. Sic & mens quæque bona est. *Terribilis vt castrorum acies*, &c. *Cant. 6. n. 9.* vt sciat laborandum sibi, ac sudandum esse, quo virtutem assequatur, etsi corpusculo tenui. *Castris enim illud fecit simile, cui non est integrum pacem admittere*, &c. ait Philo 2. *Alleg.* scilicet, nulla viro bono pax cum vitio esse potest; laborando, sudando, algendo paratur magna virtus, magna felicitas. Ad id belli cum vitio gerundi vrget sonus ille Spiritus Sanctissimi, de quo Lucas Act. 2. n. 2. *Factus est repentè de cœlo sonus*, &c. An classicum cœlo canitur, vt bellum cum Diabolo continenter gerant homines? Aio, cum Cyrillo Ierosolym. ad Catech. 16. *Tanquam tuba cœlestis intonuit, significans præsentiam illius, qui hominibus id concedit, vt regnum cœlorum vi rapiant*, &c. Nullum militantibus otium est, sed multum negotium; & hæc fortuna hominum, quibus sanus est amor virtutis colendæ.

Militat in Dei castris virtutis amans.

Cant. 6. n. 9.

Act. 2. n. 2.

5. Petis fortasse, cur Deus viam parandæ sanctimoniæ laboribus, ac sudoribus difficilem esse voluerit? Duplex huiusce decreti caput est: aut enim gratiam rectè agendi labore partam hominibus gratiorem esse voluit: aut vrgere, vt cautè bonum teneant, quod magno labore paratum est. Lenocinium est voluptatis labor antè susceptus. Quo aspectu Deus columbam vrget, Cant. 2. n. 14. *In foraminibus petræ, in cauerna maceriæ ostende mihi faciem tuam*, &c. Videri cupit bonus Deus & virginem suo aspectu recreare. Video tamen cauandam esse rupem, vnde virgo suum sibi fauum eruat. Insinuat enim Christus se turri benè munita clausum esse; nec videri posse, nec capi, nisi muro latè perfosso; proindéque laborandum, ac sudandum esse in septo perrumpendo, si velit altè gaudere, suóque Deo frui virgo boni appetens. *Sed hoc, quanto difficilius cauatur, tanto suauius sapit, quod inde eruis*, &c. ait Bernardus *serm. 62. in Cant.* Quòd si gratia labore collecta voluptatem auget, hæc & curam intendit suam, ne elabatur malè. Laudo studium virginis, quæ suo Deum sinu fouet, & ait: *Teneui eum, nec dimittam*, &c. *Cantic. 3. num. 4.* Erigit animum, & vires cogit, ne bonum, quo fruitur, è manibus effluat, quod facilè contingat, nisi caueat. Sed quare virgo tam pertinax suo in voto est, vt suam intendat operam, & vigilet oculis emissitiis? Laborauerat in Deo piè quærendo; somnum abruperat, excussa lectulo, & vrbem perlustrauerat. Nam id in promissis est n. 2. *Surgam, & circuibo ciuitatem*, &c. Quod igitur bonum magno constat, magno seruatur studio, ait Theologus. *Fit enim ferè, vt quod non sine labore partum est, arctius teneatur*, &c. *Orat. 36.* Hæc profectò ratio est mystica, vt in Bethunia altè sita erecta Dei virgo exprimeret, quo labore paranda esset virtus; & inde fieret, vt bonus quisque, labore exacto, altiùs gauderet, & latiùs caueret, nec per ineptam fiduciam dilaberetur magna virtus, magna felicitas.

Voluptatem concinnat actus pretio labor.

Cant. 2. n. 14.

Cant. 3. n. 4. & 2.

Quod magno paratur, magno seruatur studio.

Velos. in Iudith.

Num. 4. Filij autem Israël, vt viderunt multitudinem illorum, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes, vt Deus Israël misericordiam suam ostenderet super populum suum.

Num. 5 Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, *&c.* & erant custodientes ea, tota die, & nocte.

Commentarius.

TVrbatum metu Hebræum video, & concussum grauiter aspectu gentis Assyriæ, & turba militum vniuersa. Ratio timendi certa, & constans, licèt Hebræus esset notæ generositatis. Nam potest copia maior hominum ita premere homines animo potiores, vt opprimat labore improbo. Draconem Tiberius, quem habebat in oblectamentis, consumptum à formicis inuenit, & dolet. Ostento territus monetur, *vt vim multitudinis caueat*, &c. apud Suet. *cap. 72.* Neque enim serpens veneno potens, ac morsu morsus euitat formicarum. Quis non timeret Gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles? Timet Parmenio Alexandri miles, ac belli notus artifex apparatum Persicum equitatu, peditatúque innumerabili, & Alexandrinum admonet, *multitudinem circumfundi paucioribus posse*, &c. Sed metum pellit Alexander, illud ingerens, *Ne nomina vana Gentium ignoratum extimescerent*, &c. apud Curt. *lib. 4.* Timet Hebræus miles, cùm Seron exercitum duceret instructum bene, ac copiosè. *Quo* (inquit) *modo poterimus pugnare pauci contra multitudinem tantam?* &c. *Machab. lib. 1. cap. 3. n. 17.* Sed metum Iudas abigit, & addit, n. 18. *Facilè concludit multos in manu paucorum*, &c. patratum non semel facinus, Deo duce, ac virtute comite. quæ quidem constant bene ex vtraque schola; sed Bethulienses & cautè timent, & prudenter cauent. *Cautus enim metuit foueam lupus*, &c. Ignes Leo, fraudes, & vires timet Hercules.

15.

Cauenda scitè est turba hominum.

1. Mach. 3. n. 17. & 18.

In metu graui Bethulienses non deficiunt; sed curam adhibent, & sua intendunt studia: eo aspectu, *prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua*, &c. Quæ sibi parant, ad arcendum hostem, præsidia, sunt in primis diuina: & quod magis placet, dolore intimo habituque sordido pœnitentiã concipiunt scelerum, ac Deum lachrymis, precibusque lenire aggrediuntur. Constat vtraque ex schola reos scelerum homines humi sese sternere, & cinerum iactu turpare capita; eóque ritu aut veniam impetrare, aut pestem à se vltimam propulsare. Sic Antonius Vrsicinum abundè placatum dedit. *Curuatis enim membris, & humum vultu contingens, salutauit*, &c. Apud Ammian. *lib. 17.* quod Hebræum fecisse docet Philo, cùm Petronium supplex adiret. *Vix tandem surrexerunt, & conspersi multo puluere*, &c. *ad Caium.* Multus est Roa in hoc ritu enucleando, *ad lib. 4. cap. 1. & 2.*

16.

Dolorem ostentat intimum iactus cinerum.

Vnde nata hæc ſupplicandi forma,niſi à ſacro in Deos ritu? Non ſilet Silius proſtratos humi homines Diis placandis eſſe lib. 3. *Nunc propexis pectora barbis verrere humum* , &c.

Pſ.43.n.25. Quid ergo inſolens,ſi Dauid cecinerit?Pſ.43. num. 25. *Humiliata eſt in puluere anima noſtra* , &c. vbi vox Hebræa שחח *ſchachah*, *incuruare ſe* , vultu ſcilicet ad terram preſſo. Nec milites,Duce Machabæo , id non egere,

2.Mach. 10. n.2. *2.lib.cap.*10. *n.*2. cùm Ieroſolymam tenerent, Deíque domum expugnarent. *Quibus*(inquit) *geſtis,rogabant Dominum proſtrati in terram*,&c.

17. Quòd verò ad Regem placandum, Prætoremque mitigandum faceret iactu pulueris fœdatus reus , patet liquidò. Id Philo probat *loco citato*. Hoc Roma cultu auitum ſupplex exorat : ſi rectè monet Sidonius in panegyr. *Pendent crines de vertice tecti puluere,non galea*, &c. Fortaſſe Thamar hoc cinerum iactu auxilium ſibi impetrandum curauit aduersùs fratrem. *Quæ aſpergens cinerem capiti ſuo,ibat*

2. Reg. 13. n.19. *ingrediens,& clamans*,&c.2.*Reg.cap.*13.*n.*19.& luctum oſtentat virgo , & opem expoſcit habitu humili.Nam quo humiliores,eo fortiores mittuntur preces ad impetrandum. Vide Lorin.*Pſ.*43.*n.*25.Mendoc.*tom.*1.*in* 1.*Reg.lib. c.*2.*num.*8.

Tanto fortiores,quanto humiliores ſunt preces.

18. Ab hoc precandi ritu nata Chriſtiano exomologeſis eſt , de qua Tertullianus ad lib. de Pœnit.c.9.*Exomologeſis* (inquit)*proſternẽdi;& humiliandi hominis diſciplina eſt;conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem:de ipſo habitu,& victu mandat,ſacco, & cineri incubare;corpus ſordibus obſcurare , animúmque mœroribus deiicere;& illa , quæ peccauit , triſti tractatione mutare*,&c. Vide quæ Cerda aggeſſerit,multa, & pulchra. Vnde colligas placari iratum Deũ precibus infimis,quæ à ſacco,& cinere emittuntur;ſcilicet *Pœnitentia mitigatur Deus*, &c. quod Tertullianus conſtituerat proximè. Pœnitentia igitur ſcelerum eſt,cùm peccator quiſque aut caput deturpat cinere , aut ſolo diſpergit cinerem. Eo enim cinerum iactu, & naturæ humanæ infirmitatem notat,Magiſtro Laudunenſi ; & contemptum probat rerum, quarum affectu peccaſſe viſus eſt.Hoc affectu & contemptu excellit Tyrus apud Ezechie-

Pœnitentia lenitur iratus Deus.

Ezech. 27. n.30. lem c.27.n. 30.*& ſuperiacient puluerem capitibus ſuis,& cinere conſpergentur* , &c.ait Vates; additque Hieronymus : *pro terrenis operibus agentes pœnitentiam*,&c.*lib.*8.*in Ezech.*ſic,quæ ad malè peccandum terra fuit illecebra,ad bene dolendum eſt occaſio.Eò pœnitentiæ Ie-

Ier. 6. n. 26. & 25. roſolymã tradit Ierem.c.6.n.26. *Filia* (inquit) *populi mei , accingere cilicio, & conſpergere cinere;luctum vnigeniti fac tibi*,&c. Hac via placari Deum poſſe docet Vates, ne hoſtes inferat. Conſtat ex n. 25. adeſſe hoſtem malè af-

Hoſtes arcet pœnitentia. fectum Hebræo, cùm Deus admoneat ſeriò, *In via ne ambuletis;quoniam gladius inimici,pauor in circuitu*,&c. vt igitur hoſtem abigat Ieroſolyma,inuitatur à Deo ad planctum,& cinerem:*accingere cilicio , & conſpergere cinere; luctum vnigeniti fac tibi*,&c. vt ſcilicet *conuertatur ad pœnitentiam ; & hanc firmiſſimam , & ſecuram habeat armaturam* , &c. docet Hieronymus.Quid enim tam certum eſt, quàm armari hoſtes noſtris ſceleribus contra nos ? ac ne opprimant,licèt premant, cauendum pœnitentia ſcelerum periculum eſt : quod Vates vrget,Deo Magiſtro, *Accingere*(inquit)*cilicio, & conſpergere cinere luctum , vnigeniti fac tibi*, &c. cùm ſacco cilicino planctum iungit Vates ; quaſi minus valeat habitus ſordidus ſine ſcelerum pœnitentia. Quod & Bethulienſes obſeruarunt. nam & cineribus capita deformarunt,& Deum precibus ſolicitarunt in auxilium , *vnanimes orantes , vt Deus miſericordiam ſuam oſtenderet ſuper populum ſuum*, &c.

19. Multa in loco , orandíque modo elucet pietas hominum ac religio. Conueniunt vno animo, & facili;nec in conueniendo eſt diuidia. quæ quidem orandi , exorandíque Dei forma eſt , & vis maxima. Cur enim Deum pacis amantem flectat,qui pacem odit,& fraternam amicitiam ? orent vnanimes , qui volunt exorare,ſi Chriſto ſatis velint facere.*Va-*

Mat.h. 5. n.24. *de*(inquit)*reconciliare fratri tuo,& tunc veniens offeres munus tuum*,&c.Matth.5.n.24.*Honorem ſuum deſpicit,dum in proximo charitatem requirit*,&c. ait Chryſoſtomus *Hom.*16. *in Matth.*

Preces turpat fraterna diuidia.

A Magiſtro Deo vim accepit Apoſtolus , qua moneret Timotheum Epiſt.1. c.2. n. 8. *Volo*

1. Tim. 2. n.8. *viros orare in omni loco,leuãtes puras manus ſine ira*,&c.Quæ enim lautitiam à Deo impetrat, & confert manibus piè leuandis, cura eſt fraternæ charitatis,odio in odium concepto,qua de cauſa Chryſoſtomus, *Nullus*(inquit) *adeò audax ſit,vt inimicitias exercens, ad Deum pergat orandum*,&c.*Hom.*8.Hæc vna Bethulienſibus cura:Deum alliciunt *vnanimes orantes*,&c. fuſis precibus , & profuſis lachrymis , quod hominibus maximum fuerit, & in pugna robur , & in metu ſolatium:placato ad ſui ſalutem Deo,& aduocato religiosè.

20. Sed quo vtuntur precandi modo Bethulienſes?textus eſt, *vt miſericordiam ſuam oſtenderet ſuper populum ſuum*,&c.Forma eſt orandi , qua maximè Deum lenire poſſunt homines , cùm ſe eſſe monent è Dei populo. Quis enim curam abiiciat ſui operis?Quis ſuis non faueat domeſticis ? Quis ſuis rebus non ſtudeat egregiè?Hoc aſpectu Moyſes Deum adegit iratum licèt , ne dolorem puniret ſuum.

Deuotum ſibi populum Deus curat, & tuetur.

Exod.c.32.n.11.*Cur*(inquit) *Domine,iraſcitur furor tuus contra populum tuum ?* &c. Iure quidem rhetorico Moyſes egit apud Deum , vt perſuaderet dictione , vbi Hebræum Dei populum appellauit;cùm enim Deus punire cõſtituit , populum à ſuo albo abradit, nec Hebræum iam ſuum eſſe iactat, n.7.*Vade*(inquit ad Moyſen Deus) *peccauit populus tuus*,&c.& *n.*10. addit,quid in Hebræum decreuiſſet.*Dimitte me,vt iraſcatur furor meus*,&c.Nónne,mi Domine, Hebræus tui iuris populus eſt?certè Moyſes à Deo legatus ad Pharaonem vrget Exod.c.8.n.1.*Hæc dicit Dominus Deus:Dimitte populum meum* , &c.Nónne primogenitus appellatur?cap.4.n.22.& 23.*Hæc dicit Dominus: Dimitte filium meum*,&c.cùm tamen Deus rationes parcendi ablegat animo, Hebræum non ſuum, ſed alienum à ſe populum eſſe docet.Moyſes verò,vt veniam exprimat ſceleris Iudaici,Hebræum Deo , quaſi iuris ſui populum obtrudit : *populum* (inquit) *tuum* ? &c. Abulenſis q. 17. *Rectè perſuadet Moyſes Deo. Nam dixerat Deus Hebræum non eſſe populum , vt concitaretur in eum , & haberet occaſionem*

Exod. 32. n.11.7.10. & & 1.n.1.& 4. n.22.28.

Vt parcat Deus diuinò iuris populum eſſe opponit Moyſes.

occasionem punien di ; Moyses è contrario istum populum Dei esse dixit, vt sic Deus eos, non tanquam hostes occideret, sed tanquam rebelles filios benevolè castigaret, &c. Aggerit Oleastrius genuinè meam ad mentem. *Noverat Moyses amabile bonum vnicuique proprium*, &c. Hae arte, & quidem rhetorica Deum Moyses placatum dedit, Hebræumque ab exitio vendicauit.

21. Humanæ id est prudentiæ, placare hominem damno rerum obiecto, quod ex ira cogit. Queruntur quoad Pharaonem exactores operum, de labore ineptè imperato : sed querimoniam ita moderantur, vt decreti improbitatem reiiciant non in Regem, sed in rerum administros. *Iniustè agitur contra populum tuum*, &c. *Exod. cap. 5. num. 16.* Lyra in loco. *Non dixerunt, iniustè agis, ne Regem offenderent*, &c. Illud tamen ad litem facit, Hebræum vocari scitè Regis populum; quo Pharao homines iuris sui vendicaret ab iniuria. *Cautè locuti sunt, & rhetoricè, ad captandum amorem, & misericordiam*, &c. ait Abulensis *q. 5.* Neque enim Princeps miseris hominibus non indulgeret, nec plebeculam, vtique rem suam, non amaret. Hæc & Bethulienſibus rhetoricè erat in Deo mitigando : *vt misericordiam suam ostenderet in populum suum*, &c.

Exod. 5. n. 16. *Offendit veritas quasi iniuria.*

Nemo suam ab iniuria plebem non vendicat esse malus Princeps.

22. Addunt tamen, quidquid est humanæ pronidentiæ, num. 5. *& assumentes arma sua bellica, sederunt per loca*, &c. Manum cum Deo suam mouent; nec ita fidunt sacris opibus, vt humanam remittant operam. Deum in primis vrgent, & suum in auxilium proiiciunt. *Vnanimes orantes*, &c. Deinde vires acuunt militares, & sese accingunt ad trudendum hostem ; loci angustias constanter occupant: nec die strenuam intermittunt curam, nec suas nocte excubias, vt hostibus aditum occludant, qua patet ascensus ad Bethuliam. Docent liquidò Bethulienses, quid bonis militibus agendum est, cùm hostis adest, & vrget. Priùs enim dolorem ex scelerum conscientia concipiant, oportet; *mittentes cinerem super capita sua*, &c. quod addit Laudunensis. *Memoriam fragilitatis habentes*, &c. Deinde genuflexo, precibúsque editis, Deum sibi facilem reddunt, & præsens è cælo auxilium eliciunt. Gothis placuit hæc ante pugnam agendi forma. Ait Saluianus *lib. 7.* & via ad victoriam certa est. Cur non vincat Littorium Theodericus ? si teste Saluiano, *vsque ad pugnæ diem stratus cilicio preces fudit? priusquam bellum manu capesseret, supplicatione pugnauit: & ideo fidens processit ad pugnam, qui iam meruerat oratione victoriam*, &c. Quantus castis precibus ardor est ad Martem mouendum? Quanta è cælo vis in auxilium ? quantum denique robur à scelerum pœnitentia ? Nec Saulem Philisthæo abigendo paratum videas, nisi Deo per hostiam placato. *Et obtulit holocaustum*, &c. 1. *Reg. cap. 13. num. 9.* quod vt faceret, sic Princeps ad Samuelem *num. 12.* Illud mecum agitabam. *Nunc descendent ad me Philisthim; & faciem Domini non placaui*, &c. Hac lege preces edit Magnus Alexander, priusquam hostem aggrediatur. *Alexander non aliàs magis territus ad vota, & preces Aristandrum vocari iubet*, &c. apud Curt. *lib. 4.*

Iactus cinerum de humana monet miseria.

1. Reg. 13. n. 9. & 12.

Fortunam belli conciliant precas humiles.

Scientes igitur Bethulienses, vnde captandum esset auxilium; & sese aduersùs hostem opponunt, & Deum aduocant. *Humiliter, & deuotè petentes diuinum auxilium*, &c. quod Lyra docet.

Apponit textus Græcè, quid Bethulienses addiderint. ἀνάβαντες πυρὰν, *accendentes pyram*, &c. Id verò, vt pateret facilè, quid hostis per noctem moliretur : quod Serario placet. Laudat Pantomachum Appianus in Syrio; quippe qui ignes è nauibus in mare latè protenderit : fortasse, ne quid hostis ageret, quod miles è naui non prospiceret. *Quo suas naues tueri, & hostibus appropinquantibus facilè nocere posset*, &c. Et quidem per ignes bene multa significantur, ad belli vsum : quod scitè docet Polybius *lib. 10. Histor.* Vnum illud patet ignibus explicatum, quo in metu sit obsessa Bethulia, *vt rebus auxilium poscentibus per accensi ignis indicium, & insperatò, succurri possit*, &c. Hæc Polybius de oppido qualicumque. Nec in Iudicum libro textus non est, de signo per ignem dato, ad rem bello gerendam, *Iudic. 20. num. 38.* Quid si Deus è cœlo ignes protulerit, vt Hebræus inspiceret, vnde periculum immineret, quid hostis cogitaret; quo loco fraudes strueret, quáve parte vires pararet? Pharus erat ignis ille in columnam conformatus, de quo Moyses Exod. cap. 13. num. 22. *Nunquam defuit, nec columna ignis per noctem, coram populo.* Ac proinde signo per ignem explicato facilè Hebræus videret hostem, & caueret. Laudo Bethulienses, ἀνάβαντες πυρὰν, *accendentes pyram*, &c. & qui dolore concepto, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, &c. Vnde colligas

23.

Signa per ignes data.

Iudic. c. 20. n. 38.

Exod. 13. n. 22.

PARÆNET. IX.

Humilem, & infirmum natura hominem esse.

1. A Deas templum Delphicum; videas inibi illud Chilonis oraculum aureis consecratum litteris, scilicet, *nosse se quemque*, &c. Hæc Plinius *lib. 7. cap. 32.* Exscriptum religiosè, quod sapienter dictum est : vt norit quisque se intus, & in cute : quo ex luto factus, quos nam soluatur in cineres. Fatentur id Bethulienses ingenuè, cùm se affligunt solo, & capitibus inspergunt cineres. A tergo enim, & à fronte habent oculos, quibus inspiciant vnde veniant, & quò vadant. Ea res est, de qua Ioannes homines schema nobili monitos esse voluit. Quid animalia cælo nota ? *Apoc. cap. 4. num. 6.* Erant quidem *plena oculis antè, & retrò*, &c. & significant bonos homines verè, ac piè Ianos esse, qui respiciant, vnde genus traxerint, à luto scilicet humili ; id verò est oculos retro habere. *Scire namque vnde veniant, multum illis valet ad profundæ humilitatis custodiam*, &c. teste Ruperto *in Apoc. lib. 3.* si verò prospiciant, quò abeant, scilicet in locum cinerum ; id enim est antè videre. Non minus illis prodest ad premendam superbiam, cùm vna, & æqua Regum, pauperumque sit conditio à vitæ ortu ad occasum vsque. Vnde Nazianzeno locus

Apoc. 4. n. 6.

Prodest ad salutem notitia humanæ sortis.

admonendi, fortuna distaret non natura hominis, cùm altè sedent. *Hæc modò; post homines, tennis puluisculus, omnes sorte pari*, &c. Bene pia musa, de vitæ vanit.

2. In hanc partem facit Deiscitum de mun-
Num. 19. n. 17. 13. & 20. ditia per cineres procuranda, ad Num. cap. 19. num. 17. *Tollent de cineribus combustionis, atque peccati, & mittent aquas viuas super eos*, &c. Hanc verò cinerum cum aqua mixtionem appellat Moyses num. 13. *aquam expiationis*, &c. & num. 20. *aquam lustrationis*, &c. eo quòd sordes eluat tactu contractas. *Omnis enim, qui tetigerit humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini*, &c. Itaque, vt ritè, ac piè quis sacrum Deo locum adeat, per cineres expiandus est: mysticè, per sui notitiam; cùm videat à quo luto quos nam in cineres abeat. Pulchrè Philo ad lib. de victim. offerent. *Admonet eos, qui ad Dei cultum accedunt, vt ante omnia se ipsos agnoscant*, &c. cineribus ob oculos propositis. Nec temerè hæc cinerum commixtio appellatur aqua expiationis. *Quando hoc ipsum creditur ad purgandum, vtilissimum, nosse se ipsum: nam hæc reputatio arrogantiam insidiatricem animo eximit*, &c sic Philo; & sui similis, *ad lib. de somn.* Hæc profectò vera est boni viri pœ-
Iob. 42. n. 6. nitentia, & quam Iobus rectè præstat, *cap. 42. num. 6.* Totus in animo poliendo Iobus est; & addit: *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in farina, & cinere*, &c. Quò hæc cinerum commoratio, cùm Iobus errati pœnitens dolet? scitè Paschasius lib. 3. in Thren. *In cinere pœnitentiam agere, est cinerem se esse sentire*, &c. Verè detestatur piaculum, qui se testatur puluerem, ac cinerem esse.

Expurgatur homo sui notitia.

Peccatum detestatur, qui se verè cinerem esse testatur.

——*Puluis, & vmbra sumus*,

ait Horatius. quasivelit hominem è luto vili factum solui in cinerem manu facili.

3. Quæ nam ab hisce initiis occasio est superbiæ? Vile hominis lutum est, vilis à luto conditio, quam suo præfert nomine. *Homo enim ab humo appellatus est*, (vrget Magnus Gregor.) *eo ipso, quo dicitur homo, terrenus exprimitur, & infirmus*, &c. *lib. 12. Mor. cap. 16.* Voluitque Deus hominem à luto denominatum, ne ab animo Adamus ablegaret, quod testaretur nomine, *vt homo ex suo nomine discat Deo subiici, quando cognouerit se de materia vili esse*, &c. ait D. Thom. Poterat Adamus efferri superbè, sciens certò se Deo similem esse, Maiestate communicata. *Creauit scilicet*
Gen. 1. n. 27. & 2. n. 7. *Deus hominem ad imaginem suam*, &c. *Gen. 1. num. 27.* Ne tamen arrogaret sibi plura, quàm ius esset, addit Moyses, vnde natus, & quo luto factus homo, cap. 2. num. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, &c. Sentit Chrysostomus, quod moneo, Hom. 12. *Hîc si attendamus, non parua nobis humilitatis doctrina offertur*, &c. Vtraque manu Deus versat hominem, aut ne humiliter deficiat, aut ne superbè intumescat. Proindéque hominem vocat luteum, Deíque imaginem, *vt ne ignorando, quo modo constitutus sit, magnus sibi videatur*, &c. Prior in hac sententia Philo est, ad lib. de somn. *Est* (inquit) *principium sapientiæ non obliuiscisui ipsius; sic enim superbia potest elui. Quis enim cogitans se aquam, & cinerem iam inde a sua creationis primordio inflabitur, & criſtas attollet per arrogantiam?* &c. Hominem te esse memento, & ceruices facilè non erigas.

Homo natura vilissimus terræ filius.

Sapit qui se iutus nouit.

Hoc argumento Centurio sese deiicit, vbi 4.
suam iactat gloriam, necessitate lenocinante, *& ego* (inquit) *homo sum, sub potestate constitutus, habens sub me milites*, &c. *Luc. 7. num. 8.* Luc. 7. n. 8.
Verè Centurio patrocinium à luto sumit aduersùs humanam superbiam; nec de militari se iactat imperio, priusquam vilem exponat conditionem humani generis. *Homo* (inquit) *sum: iam quid inferas, suspectam non habemus iactantiam; præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet*, &c. quæ Bernardo mens est, *Epist. 42.* Nulla profectò certior est occasio *Superbiam trudit nota probè naturæ hominum.*
arrogantiæ deprimendæ, quàm si homo se hominem, è luto scilicet vili factum agnoscat. Hoc luto saluus omnino Petrus est, ne superbè erigeretur, salutatus adoratione humili. Accersitum à Cornelio Petrum lego: à quo Magistro disceret, quid facto opus esset ad
Act. 10. n. 22. & 26. salutem vltimam, *in Actis ad cap. 10. num. 22.* Aduolat in vrbem Petrus, Deo duce. Occurrit Centurio, *& procidens ad pedes eius adorauit*, &c. *num. 26.* Tunc Petrus ea re commotus grauiter, attollit manu Cornelium, illud iterans, *Surge; & ego ipse homo sum*, &c. Satis se Petrus vilem esse docet, cùm appellat hominem; eóque argumento auertit Cornelium à luto honorando. *Quia ergo humiliari sibi, plusquam debuit, proximum vidit, ne vltra humanitatis metas mens intumesceret, esse se hominem re-* *Vt superbiam exuat, hominem se esse Petrus meminit.*
cognouit: quatenus illati sibi honoris elationem frangeret, ex considerata æqualitate conditiones, &c. Hæc Magnus Gregor. *lib. Mor. 21. cap. 11.* Nouit se Petrus benè, & hac sui notitia, deponit arrogantiam: nemo se agnoscit liquidò, qui altè caput erigat. Obseruat Nyssenus premi pedibus humum, vnde homo dictus est, ad perpetuam humanæ humilitatis memoriam. *Abiectæ* (inquit) *nostræ sortis monumentum in promptu est, ex iis, quæ calcamus*, &c. *Orat. 3. de Opific.* Premis terram pede, & habes in oculis, qua matre, & quo patre genus trahis, absurdum, & obscurum: an caput erigas? insanum profectò caput. Abiicias te ad solum vsque, si nosse velis, quod nam tibi genus est; id Bethulienses fecere, *& prostrauerunt se super terram*, &c.

Id & Abrahamus fecit, cùm Princeps ab 5.
Hethæo cognominaretur, Genes. 23. num. 5. *Audi nos Domine, Princeps Dei apud nos*, &c. Hoc honore affectus senex vicem reddit. *Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ*, &c. Gen. 23. n. 5. 7. 11. 12.
num. 7. Addit Hethæus honores honoribus, *Gratificatur hominibus aliis bonus homo.*
Abrahamumque vocitat Dominum. *Nequaquam ita fiet Domine mi*, &c. *num. 11.* sed Abrahamus tot grauatus honoribus, *adorauit coram populo terræ*, &c. *num. 12.* Multa Hethæo reuerentia in Abrahamum erat, multa ab Abrahamo officia in Hethæum: illud Hethæus curabat, vt Abrahamus altè Princeps audiret & Dominus: illud verò Abrahamus, vt sese deprimeret, & ad terram latè prosterneret: *adorauit coram populo terræ*, &c. vtroque enim loco vox Hebræa est שחה *scachah*, quod est *incuruare, inclinare.* Bene Procopius *Licèt ipsum confiterentur Regem, non tamen erubuit illos ado-* *Ab imo luto vim Abramus capit aduersùs superbiam.*
rare; sed cùm se in terram vsque incuruauit, ostendit se terram, & cinerem, &c. Nomenclatu-

ram

ram igitur nobilem à se Abrahamus repulit, cùm suum solo vultum affixit, Hethæo salutato, ne Princeps honore communicato superbè efferretur. Suam hoc motu, vilemque sortem Iobus probat. Edicit cursor fortunam bonam à Iobi domo exulasse, auolasse, rebus
Iob 1. n. 20. in pessum datis, cap. 1. num. 20. *& tonso capite, corruens in terram adorauit*, &c. Insolens non est, homines à Deo tactos solo sese affligere, terrámque ore mordere. Cur verò id? Pulchrè de Iobo Magnus Gregor. lib. 2. cap. 38. *Tonso capite in terram corruit, qui repressis præsumptionis suæ cogitationibus, quàm in semetipso infirmus sit, humiliter agnoscit*, &c. Hoc habitu,
Non superbit qui se è luto factum credit. affectúque humili Deum Iobus mitigandum putauit; quo & Bethulienses Dominum sibi placatum voluere. *Et prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua: vnanimes orantes*, &c. quòd preces commendat humiles; quid enim aliud est orare homines corporibus ad terram depressis, & capitibus per cineres deturpatis, quàm orationem adornare notionibus humanæ humilitatis? Sed via certa est parandæ indulgentiæ. *Nequaquam enim valet repelli deprecatio, quæ est humilitatis sale condita*, &c. Ait Iustinianus *ad lib. de humilit. cap.* 17. Expertus fortasse Da-
Ps. 101. n. 18 uid canit *Ps.* 101. *n.* 18. quo Deus vultu *respexit in orationem humilium*, &c. Vnde colligas

Parænet. X.

Flecti Deum facilè oratione humili.

1. Magna precibus infimis virtus ineſt, aduersùs Deum; quo magis orator caput deprimit, solóque affligit, eo preces volant altiùs, & citiùs ad Magni Dei aulam, & aures. Alata est oratio ab vili habitu, & affectu humili: & cùm Deum præoccupet, viam interscindit puniendi; imò auxilium elicit triumphans de irato Domino, & bonum Deum alliciens. Notum sacro textu, quid Iohel monuerit in scelerum licentia, in rerum inopia; *quia confusum est gaudium à filiis hominum*, &c.
Ioel. 1. n. 12. 13. 14. *cap.* 1. *num.* 12. Grande malum! sed quod lenire possunt homines, si preces edant humiles. Vnde vrget Vates, *Accingite vos, & plangite Sacerdotes: cubate in sacco*, &c. *num.* 13. Deinde, vt piè comeant homines, monet seriò, num. 14. *Congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri; & clamate ad Dominum*, &c. Præmonet Vates, quid humilitatis intimæ vili habitu ostentandum sit, vt preces bene valeant apud Deum. Ait Theologus
Elixorant Sacerdotes orationis habitu humili. Orat. 1. *Sacerdotes adhortatur, vt in templum ingrediantur, atque in cinere, & sacco perquàm demisse, & abiectè in terram prostrati humilitate misericordiam attrahant*, &c. Facilè Deus indulget pœnitentibus scelerum, si preces fundant macerato, ac depresso ad terram corpusculo. Latè id reo proderat in Romano iudicio. Cùm enim Luc. Piso prostratus humi pedes iudicum oscularetur, faciémque suam cæno repleuisset, *totam quæstionem à seueritate ad clementiam, & mansuetudinem transtulit*, &c. sic Valer. *lib.* 8. *cap.* 1. si Romana seueritas reum absoluit scelerum, eò deductum necessitatis, vt abiicere se tam suppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur: quid faciat Magnus, ac bonus Deus?

A Deo quidem Abrahamus impetrat, vt 2. stragem auertat vltimam à Pentapoli, si tamen pauci in multis benè, ac iustè viuerent. Erat pestis hæc extrema in Deiscitis, *Gen.* 18. Gen 18 n. 21. & 27. *num.* 22. Tunc Abrahamus, *appropinquans ait: Nunquid perdes iustum cum impio?* &c. Victus precibus condonat Iudex *num.* 26. modò Abrahamus quinquagenos viros à Sodomis colligat notæ iustitiæ. Vrget Abrahamus, vt Deus quadragenis hominibus contentus parcat, *num.* 29. Assentitur bonus iudex, & gradatim ad decem vsque homines veniam prorogat, *n.* 32. Multa in Abrahami precibus vis est aduersùs Deum: sed precibus infimis flectitur Magnus Deus. Nam inter preces interserit Abrahamus voces humiles, num 27. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis*, &c. Hoc sale condita Abrahami deprecatio quid à Deo non parabit? sic Iustiniano placitum, ad lib. de humilit. cap. 17. *Nam orationem, atque sacrificium Abrahæ, qui præditus humilitatis virtute, se esse puluerem, & cinerem fatebatur, odoratus est Dominus in odorem suauitatis*, &c. Magna à Deo elicit, qui sibi diffidens precatur, & humi procumbens suam in Dei sinu spem reponit. Tritus hac via Dauid de bono Deo canit: *Respexit in orationem humilium*, &c. Ps. 101. num. 18. *& pro clariori commendatione promulgatæ veritatis, illico adiecit: Scribantur hæc in generatione altera*, &c. *n.* 19. Ita Iustinian. *l. b. cit.* quo Magistro discas, velle Deum, vt pareat in posterum, quid valeant preces humiles.

Deum iratum lenit Abramus oratione humili.

Ps. 101. n. 18.

Notus hoc affectu Moyses, quo suas 3. concinnat preces, vt Deum alliciat, Hebræóque reddat facilem, ac propitium. In metu Moyses Deum vrget, Exod. 34. num. 7. Ex. 34. n. 7. 8. 10. *Reddis iniquitatem Patrum filiis*, &c. Sed, vt metum subigat, piè orat, & adorat. *Festinúsque Moyses curuatus est pronus in terram*, &c. *num.* 8. Non potuit Deus precibus tam infimis negare. Illud in promptu est n. 10. *Respondit Dominus: Ego inibo pactum*, &c. Video, quid apud Deum valeant preces, quæ gestu humili, animóque depresso fiunt. Hoc gestu, & habitu Niniue suas mitti preces voluit, imò iussit, apud Ion. cap. 3. n. 8. *Operiantur* Ion. 3. n. 8. *saccis homines, & clament ad Dominum in fortitudine*, &c. Cinerem solo iniectum videas *num.* 6. Precibus aggerunt saccum sordidum, castigatumque ieiunium pœnitentes scelerum homines, certò scientes fortiorem hisce precibus vim ineſſe ad eum propitiandum. Quæ ab Strabo est loci commentatio. *Ieiunio saccum addunt, & inanis venter, & luctuosus habitus Deum fortius deprecantur*, &c. Inde habeo, quo aspectu iussum est: *& clament in fortitudine*, &c. Quasi fortiores habitu, & affectu humili euadant oratores.

Preces adiuuat habitus cilicinus cum mensa castigata.

Quid si & blandiores perorent? componit 4. Basilius Seleucien. Centurionem cum fœmina Chananæa: & latè disputat cur Magister Deus annuat facilè viri precibus. *Ego veniam, & curabo eum*, &c. *Matth. cap.* 8. *num* 7. Matth. 8. n. 7. & 15. n. 23. 25. 27. 28. Preces verò muliebres longè reiicit, e *Matth. cap.* 15. Premo textum lentè. Clamitat mulier, & quid velit à Christo, expetit, *qui non respondit*

respondit verbum,&c.*n.* 23. Vrget iterum mulier adoratione plurima : ad hæc Christus num.25.*Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*,&c.Quid hoc est mi Domine? admittis hominem,& repellis mulierem? certè herus à seruo, & mater à filia malum deprecantur;sed mulier adhuc se non deiecerat. *Centurio verò dixerat:Domine,non sum dignus*,sic Basilius *Orat.* 19. quòd hæc Christo fuerit negandi, ac donandi ratio, patet : vbi enim mulier audit catella, nec Christi dicto offensa tumet, aut indignatur, sed abblanditur:*etiam Domine;nam & catelli edunt de micis quæ cadunt*, &c. *num.*27. Demiratur Christus fidem humilem mulierculæ, & exclamat, *O mulier! magna est fides tua; fiat tibi, sicut vis*, &c. *num.*28.Laudat Magister preces humiles, quibus negare non potest.Negauerat clamoribus mulierculæ:negauerat Apostolis interpellantibus, *num.* 23. Vbi ventum est ad affectus humiles,negare Christus non potest.*Sic, quod assiduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit*, &c. ait Augustinus *ad lib.de Virginit. cap.* 32. Verè Syracides monet cap.35.n.21. *Oratio humiliantis se,nubes penetrabit*, &c. Cur ita, docet Chrysostomus in Psal. 9. *Orationis vehiculum est humilitas*, &c. An ne Respha sic Deo abblandiri voluit, vt imbres è cœlo eliceret? aio. Liberis in crucem actis Respha mater inuigilat, 2. Reg. cap. 21. num. 10. *& non dimisit aues lacerare eos per diem,nec bestias per noctem*, &c. Id verò factum est, *donec stillaret aqua de cœlo*, &c. Quandoquidem agro sterili fames grassabatur, vt maneret mater prope cruces hominum, rupem mulier vili insternit stragulo. *Tollensque Respha cilicium substrauit sibi*; &c. Lectulo igitur cilicino sese Respha macerat; vnde preces eo fortiores,quo humiliores mitteret ad Magnum Deum. Hæc Antistes Clarius. *Mansisse ibi scribitur, donec pluuia de cœlo stillaret, orans interim Dominum*, &c. Magna omnino mulier,quæ fortunam publicam priuatis commodis anteponit, suásque preces vili cilicio,& habitu humili adornat æquè,ac obarmat,vt iratum exarmet Deum.

Negare Christus non potest precibus humilibus.

2. Reg. 20. n. 10.

Ab habitu cilicino preces valentiores.

5. In hanc Rerump. fortunam coniurant amicè Bethulienses,& vt hostem propellant, Deum sibi propitiant precibus infimis, proiectísque in cineres corporibus. ab Ezechia id proximè didicere. Lego Regem,Deo duce, militum Ducem esse : illud enim in promissis Deus ad Isaiam 4.Reg.20.num.5.*Die Ezechiæ Duci populi mei*, &c. Deinde suam pollicetur opem, aduersùs hostem, vt Ezechias possit implere mensuram nominis.*& de manu Regis Assyriorum liberabo te*,&c. *n.*6. Hac de re non egerat Hebræus morbo tactus:egerat tamen, cùm Rabsaces vim inferret,& minaretur stragem vltimam.Tunc Ezechias *opertus est sacco, & ingressus est domum Domini*, &c. *c.*19 *num.*1. & videre est,quo flagraret studio ceruicis deprimendæ.textum verso.Cum hostis adest,& vrget obsidionem, sacco se macerat cilicino. In mandatis ad Vatem sic Regem tacet, vt moneat num.3.*Hæc dixit Ezechias*, &c. Non *tumens nomine imperij*,&c. ait Hieronymus. Et quamuis Deum agnoscat,suæ,quod puro,memor,& humanæ vilitatis,non suum,sed Isaiæ Deum vocat. *Si forte audiat Deus tuus*, &c. *num.*4. Ac si vellet; *Deum nostrum nominare ausi non sumus*, &c. Hæc à Procopio. Addo Regem tam notæ modestiæ fuisse, vt Isaiam euocauerit in auxilium, qui legationem obiret apud Deum. *Misit & Senes de Sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam*,&c.*n.* 2. Addit Hieronymus:*In quo Regis considerandæ humilitas, atque prudentia*, &c. Hieronymo hæret Procopius; Regis legationem commendans. *Quæ summa* (inquit) *ipsius fuit in Deum reuerentia*, &c.Non audet Princeps suis tantùm precibus Deum aggredi,ne videretur superbè id tentare. Multa in Hebræo cura ostentandæ humilitatis; multa in Deo solicitudo excitandæ, vt Princeps hostem strenuè pelleret, ac Ducem præclarè ageret. quod expendit Hieronymus lib. 2. aduersùs Pelagian. *Dei Dux appellatur,quia humilitate prostratus est*,&c. Quid ergo virtutis masculæ à Deo non pararent Bethulienses homines, si *prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua,vnanimes orantes*, &c. Quo textu probes

Deum à se alienum esse putat, qui aduersis premitur.

Honorem parit humilitas.

Parænet. XI.

Preces ab amore communi faciles precantibus hominibus vtiles esse.

ORandum rebus trepidis monent viri magni ; sic opem à Deo cogi, ad superandam ferendo,& audendo fortunam rerum asperrimarum. Quid non vincant homines, *in tribulatione patientes, orationi instantes?*&c.*ad Roman.cap.*12.*n.*12. Pulchrè Magister vtrumque addit Apostolus.quod sentit Ambrosius. *Necessaria est oratio, quia vt tribulatio possit tolerari, precibus insistendum est*, &c. A precibus infimis vires, & opes colligit pius Orator, quibus metum vincat. Scio quo loco orauerit Christi schola:nam de senatu Apostolico Lucas, *Hi* (inquit) *omnes erant, perseuerantes vnanimiter in oratione*, &c. *Act. cap.*1.*num.*14. Scio deinde multùm Apostolis metum esse, ne premerentur furore Iudaico. *Cùm fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum*, &c. *Ioan.cap.*20.*n.*19.Proindéque duplex in loco est meditatio; altera quòd metu pressa Christi schola ad preces confugerit: notat id Chrysostomus Hom.3.in Acta.*Magna enim armatura in tentationibus est deprecatio*, &c. Quid gens metu pressa faceret, nisi oraret?Chrysostomus iterum, *Præsens* (inquit) *tentatio ad orandum illos adegit : atque hac gratia ascenderunt cœnaculum*, &c. Altera est loci meditatio,quòd vno homines erant animo,& assensu communi ad comprecationem adornandam. *Perseuerantes vnanimiter in oratione*, &c. Meditatur id Cyprianus ad tract.de orat. Dom. *Perseuerabant in oratione vnanimes orationis suæ,& instantiam simul, & concordiam declarantes:quia Deus,qui inhabitare facit vnanimes in domo, non admittit in diuinam, & æternam domum,nisi homines,apud quos est vnanimis oratio*,&c.Hæc Cyprian.*loc.cit.*

Rom.12.n. 12.

Act.1.n.14.

Io.20.n.19.

Mitigantur calamitates precibus.

Fugantur tentationes orationibus.

Exorant concordes oratores.

Placent Deo preces hominum, quibus vnus est animus, nullum dissidium ; orant enim,qui amant piè,audaces,& faciles:& quod altè placet, insinuat Apostolus orationem ab amore

2.

Reges se esse nescit, qui Deum orat.

amore casto profectam latè proficere ad Deum piè lactandum. Prius enim quàm moneat, vt vitam instituant homines, *Orationi*

Roman. 12. n. 12. 9. 10. *instantes*, &c. *ad Rom. cap. 12. num. 12.* multa edicit, quæ ad precationem concinnandam faciunt; quod magis vrget, illud est, *Dilectio, sine simulatione*, &c. n. 9. & quasi sui oblitus,

Adornat preces fraterna charitas. monet iterum num. 10 *Charitate fraternitatis inuicem diligentes*, &c. Multa Paulo cura est de fraterna amicitia, ne quid desit ad apparatum orationis concinnandæ. Totus in hac cura

1. Petr. 4. n. 7. 8. Petrus est, qui quidem *Epist. 1. cap. 4. num. 7.* monet: *Estote prudentes, & vigilate in orationibus*, &c. Benè est; sed quid addit, vt preces ritè fiant, quæ Deum alliciant? Addit Petrus n. 8. *Ante omnia, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes*, &c. Video adiungi precibus amorem communem; quasi velint Apostoli, adornati preces hominum, & confirmari tessera fraternæ amicitiæ.

3. Hoc puto, consilio Magister Deus orationem texit ab assensu fraternæ charitatis. *Sic* (inquit) *vos orabitis: Pater noster*, &c. *Matth.*

Matth. 6. n. 9. *cap. 6. num. 9.* scilicet, vt meminerit orator quisque se communi hominum Patre genitum, nec simultates animo foueat, si Deum facilè exoratum velit. *Quo enim modo placabit Patrem iratus in fratrem*, &c. ait Tertullianus *ad lib. de Orat. cap. 10.* Multus est Augustinus in probando monitos esse homines de affectu, quo orandum est, cùm Deum, & Patrem, & communem hominum Patrem dicant. &

Valentes ab amore communi preces. *charitas* (inquit) *excitatur*; *quid enim filiis clarius esse debet, quàm Pater, & supplex affectus; cùm omnes dicant Deo: Pater; & quadam impetrandi præsumptio*, &c. *lib. 2. cap. 3. ad serm. Dom.* Pater est Deus, amoris quidem scopus; vnde præsumpta liberis opinio impetrandi, quidquid percupiant, à communi hominum Parente, & nata ratio fraternæ amicitiæ, quæ facit ad concinnandam orationem. Aduertit Cyprianus precandi modum à Christo explicatum, vt non dixeris: Pater meus, nec panem meum da mihi, &c. Sed, *publica nobis est, & communis oratio*, &c. *ad tract. de orat. Domin.* Id verò vrget Magister Deus, sano consilio. *Deus pacis, & concordiæ Magister, qui docuit vnitatem, sic orare vnum pro omnibus voluit*, &c.

Studium charitatis lenocinium orationis. iterum Cyprianus. Ac si vellet, studium charitatis, lenocinium esse orationis.

4. Laudo ego, quæ Dauid insinuat *Psal. 132.*

Ps. 132. n. 1. *num. 1.* vbi fraternæ cantat fœdus amicitiæ. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, &c. Epigraphe est: *Canticum graduum*, &c. ostenditque molles, ac dulces Deo preces esse, quæ ab amore communi proficiscuntur. Et quidem Vates homines hoc amore nobiles vrget proximè, vt ab amicitia fraterna gradum faciant ad preces faci-

Ps. 133. n. 1. les. Psal. 133. num. 1. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini*, &c. Quasi moneret Dauid, benè instructos ire homines ad canendum piè, Deúmque exorandum, si fraternam aluerint amicitiam. Iam pridem senserat Dauid Deum à se exoratum esse, cùm orasset, *Ad Dominum cùm tribularer, clamaui, &*

Ps. 119. n. 1. 6. *exaudiuit me*, &c. *Ps. 119. num. 1.* Ac, ne quis miraretur precem adeò gratam fuisse, vt opem à Deo facilem eliceret, inter multa, illud addit. *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus*, &c. teste Laudunensi, *seruans vnitatem, non iratus, nõ turbulentus*, &c. Video adornatam latè orationem lenocinio charitatis. Hæc, puto, oratio ab amore communi profecta suam Deo maiestatem auget. Quod in Dei promissis habet Isaias cap. 60. num. 7. *Domum* (inquit) *maiestatis meæ glorificabo*, &c. textu Græco, ὁ οἶκός

Valet oratio amore lenocinante. Isa. 60. n. 7. τῆς προσευχῆς μεδοξασθήσεται, *Domus orationis meæ glorificabitur*, &c. Ne quis addubitet honorari Deum, cùm oratur: nobilitari domum, vbi preces ritè fiunt, quæ Cyrillo Alex. est interpretatio. Agnos, & boues à sacra domo procul abigit Deus Max. *Quare cùm domus orationis existat, tunc etiam glorioſa facta est,*

Honoratur Dei aula precibus hominum. &c. Quid hominibus precantibus non præstaret Deus Max. si precibus infimis se latè honoratum agnosceret, & preces ab amore communi faciles exciperet? Hæc Bethulienſibus spes erat, cùm proseucham adirent, ibíque perstarent, *vnanimes orantes*, &c. Sed cum precibus manum exerunt num. 5. *& assumentes arma sua bellica, sederunt per loca*, &c. Sanum profectò consilium, ita fidere Deo homines, vt laborent, sudent, ac suam cum Deo manum moueant. Id boni præstant milites, de quibus Dauid ad Ps. 149. num. 6. *Exaltationes Dei in*

Ps. 149. n. 6. *gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum*, &c. Precibus addunt gladios, quippe quòd vtroque subsidio boni pugnant milites: Deo præsidunt, sed quam possunt manu edunt operam, satísque facto monent

PARÆNET. XII.

Manum cum Deo mouendam esse.

NEc viua, quam Petrus vocat *Epist. 1. c. 1. num. 3.* nec bona, quam Paulus dicit 2. *ad Thessalon. cap. 2. num. 10.* spes hominum in Deo est, quæ & ignaua, ac sine operibus vana est fiducia. Si quid in Dei promissis habes, labore adiuues, ne spes in ventos abeat; preces emittas piè, Deóque præsidas, ius est; sed tuam intendes curam, impendas operam: scias certò spem in Deo reponendam esse, nec tuam ab hac sacra anchora operam excludendam. Certus de Magni Dei ope erat Isaacus, etsi propriam in Geraris sedem caperet; fidendúmque Deo vrgebat vox cœlo missa, ad Gen. 26. n. 2. 7. & 20. n. 2

Genes. cap. 26. num. 2. *Quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea, eróque tecum*, &c. Quid mali timeret Isaacus tam certò munitus præsidio? sed rogatus ab oppidanis, an Rebecca vxor esset? respondit n. 7. *Soror mea est*, &c. Rem tegit astu, ne vi exceptus malè pereat. Vnde Chrysostomus Hom. 51. *Fortè edoctus erat, quòd & Pater talem actum instruxerat*, &c. Pater enim, vt periculũ à se, & Sara auerteret; *Cùm peregrinus esset in Geraris, in ipsis quidem initiis, quod suum erat, fecit*, &c. Hæc Chrysostomus *Hom. 45.* Illud scilicet Abrahamus de Sara, *soror mea est*, Gen. 20. n. 2. Illud & Isaacus de Rebecca; ídque sano cerebro, ne malè pereant, si spe in Deum inepta, non laborent; sed manu in sinum retracta, sedeant.

Spes in Deo, manus ad operam.

1.

Constat Iacobum à Deo confirmatum esse aduersùs fratrem, vbi viciſse Deum visus est pugna inita, Genes. cap. 32. num. 28. *Si contra*

2. *Deum*

Deum fortis fuisti, (ait Angelus) *quanto magis contra homines prævalebis?* &c. Cùm tamen fratrem suis septum domesticis Iacobus prospiceret, ea se arte, suamque gentem constituit, vt Ducem præstiterit strenuum, cap. 33. n. 1. *Diuisitque filios Liæ, & Rachel*, &c. vt si frater sæuiret in gregem alterum, frigesceret in alterum, dolore iam punito. Suam cum Deo manum Iacobus mouet, ne langueret ineptè, cùm Deus laboraret in auxilium. *Vbi discimus nihil in rebus humanis negligentius agendum, etsi diuino præsidio nitamur, ex fide int gra*, &c. sic Antistes Lippoman. Aberraret ab scopo artis bellicæ Princeps militum Iosue, cùm bellum pararet, nisi emitteret exploratores, qui terram circuirent, & inspicerent; deinde reuenirent in castra, & renuntiarent, quid quisque sciret, *cap. 2. num.* 1. textus est. *Misit Iosue duos viros exploratores in abscondito*, &c. Prudens omnino Iosuæ metus: quo silentium exploratoribus imperauit, ne res pateret, negotiúmque periret. Sed videri potuit inepta cura terræ explorandæ, cùm Princeps de Magni Dei auxilio certus esset. Illud enim Deus ad Iosuen cap. 1. num. 9. *Confortare, & esto robustus: noli metuere, & noli timere; quoniam tecum est Dominus Deus tuus*, &c. Ter in loco Princeps à Deo confirmatur, quod patet; suam tamen curam intendit, & quod sui est officij, præstat strenuè. Vnde Rupertus bene monet lib. 1. in Iosue cap. 10. *Non ergo quisquam vllo in negotio, tantum de cælestibus præsumat præsidiis, vt non etiam ipse sibi prior adsit, vigilando propriy facultate ingenij, & laborando proportione virili*, &c. scitè Rupertus ad litem. Qui enim tibi suam promittit opem Deus, tuam non excludit operam.

Deo fidendum, manu laborandum.

Ios. 2. n. 1. & 1. n. 9.

Bellum bellè confi it, qui manum cum Deo mouet.

3. Norunt boni viri Deum aliquando pollíceri sub hac lege, vt suam rebus agendis manum addant homines, vt sanaret Christus hominem captum oculis, apud Ioann. cap. 9. num. 6. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & leniuit lutum super oculos eius*, &c. Sed vrget hominem Deus, vt abeat, & oculos abluat aqua Siloëtica, num. 7. *Vade* (inquit) *& laua in natatoria Siloë*, &c. Itaque Dei manus, & manus hominis coniurant amicè, ad reddendos cæco oculos: ne quis Dei opem exposcat, & suam à labore manum retractam velit. Multam Salomon à Deo sapientiam accepit 3. Reg. cap. 3. num. 12. *Ecce dedi tibi cor sapiens, & intelligens*, &c. nec tamen consultores ab aula ablegauit; imò senatum instruxit viris sapientissimis. quod patet ex *cap. 4. num. 5.* ex *cap. 12. num. 6.* vbi textus de Roboamo est. *Iniit consilium cum senioribus, qui assistebant coram Salomone*, &c. ne Dei opes sua non iuuaret opera. Multam cum Regum maximis pacem, & amicitiam iniit Salomon sua nomenclatura pacis amans. *Et habebat pacem ex omni parte*, &c. *cap. 13. num. 24.* Sed vidéo paratos à Rege Duces, milites, apparatum bellicum. constat ex *num. 4.* Vbi Princeps militum, *Banaias filius Ioiadæ super exercitum*, & notum est ex 2. *Paralip. cap. 1. num. 14.* ibi Salomon *congreganit currus, & equites*, &c. Verè Salomon rerum prudens; nam Deo præfidebat de re ciuili, militaríque agitans; & humanam addebat operam, senatu collecto, equitatúque parato, quæ bonis viris est prouidentia. Id verò Salomon, vt spem à Dei ope conceptam adiuuaret. quod Lyra interpretatur in Paralip. *Per hoc ostenditur, quòd licèt homo de auxilio diuino sit securus, non tamen debet omittere, quæ secundum humanam viam facere videntur*, &c. Ac ne quis suum remittat laborem, cùm Deus laboret causa hominum; ostendit sese humana egere opera. Vnde ad Moysen Dominus exercituum. *Vlciscere* (inquit) *filios Israel de Madianitis*, &c. Deinde ad Saulem: *Vade* (ait) *& percute Amalec*, &c. 1. *Reg. cap. 15. num. 2.* Qui vtrumque hostem, si vellet, facilè perderet, spirituque vnico difflaret, quo dolorem puniret gentis Iudaicæ, parat Duces, cogit milites; Hebræóque in hostem ducto rem aggreditur, vt quod facit Deus, homines cum Deo facinus conficiant. Id Bernardus obseruat à Deo factum, vbi Christianum militem excitat aduersùs hostem barbarum; vt Christianus miles inde eruat, quidquid magni est commodi. *Considerate, quanto ad vos saluandos vtitur artificio. Pensate diuitias bonitatis, & consilium miserationis attendite; necessitatem se habere facit, aut simulat, dum vestris cupit necessitatibus subuenire*, &c. sic Bernard. *Epist. 322.* Meritis hominum suam impendi opem curat Deus, ne spem boni sine operibus vanam foueant.

Iuuandum nostra manu Dei auxiliũ.

Num. 31. n. 2. 1. Reg. 15. n. 2.

Vt tibi salutem Deus conferat tuã poscit operam quasi indigens.

Rectè id edicas de spe salutis vltimæ, quæ quidem sine humana operatione, tam vana, quàm mala est. Vnde vrget Dauid Psalm. 4. num. 6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*, &c. Coniungendam cum Dei manu manum hominis esse docet; spem in Deo sitam bene cessuram, si humanis opibus adiuuetur; à bono iustitiæ ad spem salutis perpetuæ benè gradum fieri; quod apponit Hieronymus. *Sacrificium* (inquit) *Deo immolate, & consequenter sperabitis in Domino*, &c. Ineptè Deo committit curam salutis intimæ, qui leuem ea de re curam agit, vna tantùm spe notus; damnat Apostolus spem vanam, & fidem malè sanam, *ad Colossens. cap. 3. n. 2.* & qui scholam Colossensem piè à Christo susceptam laudat, *Vita* (inquit) *vestra, abscondita est cum Christo in Deo*, &c. Neque enim bonus Magister suam trahit manum ab alumnis tuendis, seruandísque; addit Apostolus, quid ab sacra schola velit: *Mortificate membra vestra*, &c. *num. 5.* Imò deterret à peccando, illud obiiciens, *Propter quæ venit ira Dei, super filios incredulitatis*, &c. *num. 6.* Malè Deo fidunt, qui totam suæ salutis curam ab se in Deum ablegant; vna tantùm fide segnes. Quò hæc, & plura ad bonos homines morum Præfectus? Augustinus optimè. *Ne putarent fideles sola fide posse se saluari, etsi in his malis viuerent*, &c. *ad lib. de Continent.* Hæresis est, quæ fidem malè nudam ita laudat, vt ea spem salutis possit erigere; sed fides tam vana, quàm mala sine operibus spes est. Qui salutem vltimam velit asse qui, Deo præfidens manum moueat.

Psl. 4. n. 6.

Ineptè à Deo salutem speres, sine tuæ opera.

Coloss. 3. n. 2. 5. 6.

Fidendum piè, & agendum strenuè.

Pugnat Christus strenuè pro salute humani generis; quod Ioannes laudat Apoc. 19. n. 11. *& cum iustitia iudicat, & pugnat*, &c. scilicet aduersùs hostem Diabolum pugna est. Eáque Seruator agit contentione, vt hostem malè

§.

Ap. 19. n. 11. 13. 14.

3. Reg. 3. n. 12. & 12. n. 6. & 13. n. 24. & 4.

2. Par. 1. n. 14.

Io. 9. n. 6. 7.

Suam Deus opem addit, & nostram poscit operã.

malè victum dederis, victoria non incruenta. *& vestitus erat veste aspersa sanguine*, &c. *n.* 13. An timeant homines tanto sub Duce hostiles impressiones? an sedeant, spectentque pugnam, dum Christus pro hominibus vrget Diabolum? negat id Ioannes *n.* 14. quandoquidem *exercitus, qui sunt in cælo, sequebantur eum*, &c. scilicet pugnat Seruator hominum, ea tamen lege, vt pugnã pro se, suisque rebus ineant homines, & suam cum Deo manu moueant. Victorem naui quassata seruat Christus: & cùm senem dormire noctu iubeat, die appetente ad laborem excitat nauiculæ dirigendæ. quod Paulinus expendit *Epist.* 33. & addit. *Illum in verbis Domini recognoscas affectum, quo spẽ nostrã ita fouet, vt nõ relaxet solicitudinẽ*, &c.

Spes in Deo sita humanam quærit operam.

6. Scias igitur laborandum tibi esse, licèt tuam in Deo spem reponas. qui quidem salutem præstat hominibus, sed laborantibus, non otiantibus. *Ite & vos* (inquit) *in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis*, &c. *Matth.* 20 *n.* 4. Neque enim hæc est, nisi *corona iustitiæ*, &c. 2. *ad Timoth. c.* 4. *n.* 8. quippe quæ respondet laboribus, data à Patre iusto? Apprecatur discipulis Magister, quidquid est magnæ charitatis, *vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis*, &c. Hæc Christi erat apprecatio *c.* 17. *à n.* 9. *ad num.* 26. sed multis commendat alumnos apud bonum Patrem: mitto plura; abundè illud n. 25. *Pater* (inquit) *iuste, mundus te non cognouit; ego autem cognoui te; & hi te cognouerunt*, &c. vbi Magister bona discipulis apprecatur, bene discipulos à fide, & Patrem commendat à iustitia: *Pater scilicet iuste*, vt notis certò Deum Apostolis non remisisse necessitatem operandi, cùm gratiam contulisset, vt iustè plura conferret. quod scitè Caietanus aduertit. *Iustum appellat Patrem, vt intelligamus non personæ acceptione, sed iustitiæ, effectiuè esse, quæ subiunguntur*, &c. Scientes igitur rerum Bethulienses, vt iustum à Deo auxilium eliciant aduersùs Holophernem, piè conueniunt: *vnanimes orantes, & assumentes animas suas*, &c.

Matth. 20. n. 4.

2. Timoth. 4. n. 8.

Ioan. 17. n. 25. 26.

Laborandum est, vt iustè recipias.

Num. 6. Porrò Holophernes, dum circuit per gyrum, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæductum, &c. & incidi præcepit aquæductum illorum.

Num. 7 Erant tamen non longè à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, &c.

Commentarius.

14. QVòd Sallustio difficillimum videtur, Ducem præstat manu strenuum, & consilio bonum Holophernes: vbi perscrutatur, qua sit aditus in Bethuliam, & circuitu lentè inito vrbem explorat. Nam textus Græcè, meditationem rerum laudat in Assyrio: ἐπεσκέψατο τὰς ἀναβάσεις, *considerauit ascensus*, &c. Non vno stabat loco Holophernes; sed perlustrabat aditus, exitus, vt rem factu difficilem aggrederetur, & conficeret prosperè. Non constat vtrùm Princeps negotium aliis commiserit, quibus, vt oculis, *considerauit ascensus*, &c. An *Veloc. in Iudith.* suis ipse oculis potiùs crediderit. Hoc ego puto, quod textus dare videtur. Laus enim magna in Duce magno est, vt alia alienis, alia & grauiora suis ipse oculis inspiciat. Admonitus belli offensionibus Darius plura suo, quam alieno agebat ducto. *Omissis Ducum officiis, ipse omnia circuiere*, &c. ait Iustinus *lib.* 11. Addit Curtius *lib.* 3. cur ita Princeps fortunam tentauerit: *quæ* (inquit) *per Duces suos acta erant, cuncta damnabat, ratus pluribus curam, omnibus abfuisse fortunam*, &c. Quid verò Iosue? Milites nocturnis in excubiis esse iubet, vt vrbem capiat nocte discussa, die illustri, *ad c.* 8. *n.* 12. sed Princeps militum noctem non dormit solidam; quod habes n. 13. *Abiit ergo Iosue nocte illa, & stetit in vallis medio*, &c. quasi damnaret in re magna alienam operam. Deindè sciebat gratum Ducibus Ducem esse, qui suam cum militibus manum mouet. Non alius ab Hebræo Troianus est *lib.* 6. vbi milites suum Miseno tumulum excitant manu communi,

Hortatur socios, paribusque accingitur armis, &c.

Vide, si placet, quæ in locum Pontanus aggerit. Nam de Antonino Herodianus lib. 4. *Ipse* (inquit) *nullum nõ militiæ munus prompte obiere, primus omnia occupare*, &c. Præstant verò hanc operam Magni Duces, vt milites sibi reddant faciles ad obsequium. Fortasse hoc aspectu Holophernes ἐπεσκέψατο τὰς ἀναβάσεις, *considerauit ascensus*, &c. & quæ iubebat iussa fecit.

Prudens quisque suis tantùm fidit oculis ad negotium. Ios. 8. n. 13.

25. Addit textus Græcè Holophernem è castris excessisse ad Bethuliam recognoscendam: τῇ δὲ ὑμέρᾳ τῇ δευτέρᾳ, scilicet *die secunda*, &c. Acsi vellet: quidquid in tenebris agitauit, cum luce simul aggressus est Assyrius: quandoquidẽ sanum est ἐν νυκτὶ βουλὴ, *in nocte consiliũ*, &c. sic Æneas Virgilio notus ad lib. 1.

An pius Æneas per noctem plurima volens,

rem aggreditur manu lenta? imò, quod in tenebris agitat consilium, diluculo perpetrat, *vt primum lux alma data est, exire, locósque explorare nouos*, &c. somnum Princeps excutit, ne quod per noctem cogitauerat de Republica, negotium periret mora. Addo, quæ in hanc partem non silet Silius, scilicet,

Consilium noctu agitandum.

— *vigili stant bella Magistro*, &c.

ad lib. 3. Ac proinde hæret Holophernes magnis Ducibus.

26. Cùm verò explorat aditus, exitusque loci, occurrit facilè quisnam in Bethuliam tubus aquam ducat ad sitim sedandam Bethuliensium. Deinde, quod frequens est nocumentum, interciso aquæductu, fontem obsessis eripit, vt Hebræus siti affectus deditionem cogiter. Non aggero, quot arces, quot vrbes rebus, viris que instructas expugnauerint, siti procurata Duces magni. Vide Polyb. *lib.* 7. *c.* 5. Lucan. *lib.* 4. Cæsar. *lib.* 8. Ioseph. *lib.* 15. *Antiquit. c.* 8. Malum obsessis grande sitis est. Ægrè se Assyrio facturum putat Ezechias, si laborent siti milites. Aquam Sennacheribo subtrahit, piscina altè effossa, quæ fontem excipiat, & contineat, vt nè in vicinum Ierosolymis agrum effluat. Constat senatusconsultum hac de re ad 2. Paralip. c. 32. n. 4. *Obturauerunt cunctos fontes, dicentes: Ne ueniant Reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundantiam*, &c. sua facto laus, & ars est, cùm sciam Lysimachum

2. Paral. 32. n. 4.

E voluptate modicella calamitas maxima.

chum siti affectum & se, & exercitum prodidisse, & cùm frigidam bibisset aquam, edixisse, *Dij boni! quàm paruulæ voluptatis causa me à Rege seruum effeci?* &c. sic Plutarch. *in Apophth.* Potior Lysimacho Dauid aquam è cisterna Bethlemica extractam non prælibauit: *sed libauit eam Domino*, &c. 2. *Reg.* 23. *n.* 16. & quod notat Ambrosius in Apolog. c. 7. *Exemplum de se præbuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret*, &c. Magnus hac patientia Alexander: qui siti affectus graui aquam reiicit, quam militibus non potest omnibus propinare. *Tunc poculo pleno, (sic vt oblatum est) reddito: Nec solus (inquit) bibere sustineo; nec tam exiguum diuidere omnibus possum*, &c. Ita Curtius *lib.* 7. Magna profectò virtus, cùm sciam terrã sitis ab Ieremia imaginem mortis appellatam esse, *ad c.* 2. *n.* 6. An quòd sitire hominem, & mortem obire, vna & eadem humanæ gẽtis fortuna est? Aio. Lego enim aquam parcè datam Latinè appellatam esse *aquam angustiæ*, &c. 3. *Reg. cap.* 22. *n.* 27. Græcè ὕδωρ θλίψεως, *aquam tribulationis*, &c. Hebraicè יחץ *Lachats*, *oppressionis*, &c. Tanta graui in siti vis inest ad opprimendum hominem.

2. Reg. 23. n. 16. & 3. Reg. 22. n. 27.

Milites facto Princeps duxit facilè.

Sitis vrget acerbè.

27. Si tamen agnoscas in loco Holophernem mysticũ; considerate Diabolus Christi scholam obsidens, & explorans, hominibus eripit aquã mysticam, hoc est, sapientiam mentis optimæ petitam à sacro textu: sciens certò coli bonos mores hac vna morum scientia. quod obseruat Card. Iacob. à Vitriaco *ser.* 2. *ad Dominic.* 16. Nemo negat scientiam rerum optimarum sacro textu dici nunc aquã, nunc fontem: modò pluuiam, modò fluuiũ. Hisce Dei promissis virum beat optimum Syracides c. 15. n. 3. *& aqua sapientiæ salutaris potabit illum*, &c. Hæc verò aqua, teste Salomone, est, *Torrens inundans, fons sapientiæ*, &c. *c.* 18. *n.* 4. Pluuiam cœlo missam effundit Moyses, cũ docet Deut. c. 32. n. 2. *Concrescat vt pluuia, doctrina mea*, &c. Quæ tamen fluat molliter; sic enim Sapiens artem moderabitur. *Et ipse, tanquam imbres, mittet eloquia sapientiæ suæ*, &c. ait Syracides *c.* 39. *n.* 9. Puteum aquarum viuentiũ aperit Virgo sapiens *Cant.* 4. *n.* 15. Si quidquã Ruperto credis lib. 4. *Aquarum* (ait) *viuentium puteus est sanctarum Scripturarum sacrarium*, &c. Nec abest Rupertus à Græco Philosopho, qui veritatem puteo clausam esse dixit, vnde nemo sine labore Philosophiã posset haurire. Hoc fortasse ille est puteus iuramenti, vbi Abrahamus, & Abimelechus amicè conuenerunt Gen. 21. n. 32. *& inierunt fœdus pro puteo iuramenti*, &c. Vnde Abrahamus preces misit ad Magnum Deum n. 33. *& inuocauit ibi nomen Domini Dei*, &c. Qui pacem iurat & amicitiã, à Dei schola haurit sapientiam mentis optimæ, sed puteo altè conditam; imò iurat se non posse, nisi Deo fauente quidquã sapere, ait Philo ad lib. de Noë. *Certè doctos admodũ viros aiunt accusare suam ignorantiam: hoc enim sciunt, quàm longè à vero absint; ideo iuramentum additur aptissimè: nihil enim iurare certius licet, quàm quod nullius sophiæ finis inuenitur?* &c. Quis sapientum aut Deum plenè agnoscit, aut sapientiam planè assequitur?

Eccles. 15. n. 3. Prou. 18. n. 4. Deut. 32. n. 2. Eccles. 39. n. 9. Cant. 4. n. 15. Genes. 21. n. 32. 33.

Nulla sine Dei ope sapientia.

Sed multã cũ aqua societatem habet scientia rerũ optimarũ. Hæc, si adsit, terram beat; quod in Dei promissis Isaias habet c. 11. n. 9. *Repleta est terra scientia Dei, sicut aquæ maris operientes*, &c. Cur tamen aquis par sapientia? Abluit aqua sordes quasque; agrum benè rigat, sitimque sedat facilè. *Inde Christus morum Magister clamat Ioan. c. 7. n.* 37. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*, &c. Rectè Magister Deus: quod notat Cyr. Alex. lib. 5. in Ioan. cap. 10. *Omnes veram sitientes doctrinam dulciter inuitat, vt ad se veniant, & bibant potum illum salutarem, qui animam reficiat, & omnem æstum cupiditatum restinguat*, &c. Hæc Cyrillo Damascenus *lib.* 4. *Fidei. c.* 18. Quæ si probas, aio, Holophernem mysticum mysticam hominibus aquam subtrahere, id verò est scientiam morum collectam è sacris literis. Sed ad caput redeo, & Holophernem conuenio, *dum circuit per gyrum*, &c. *n.* 6. ἐπισχέψατο τὰς ἀναβάσεις, *& considerauit ascensus*, &c. suis, quod puto, oculis; etsi aliena vteretur opera: à quo disco

28.

Isa. 11. n. 9.

Ioan. 7. n. 37.

Abluit sapientia sordes scelerum.

PARÆNET. XIII.

Iubere Ducem rectè, qui iussa facit.

OBsequitur miles facilè, vbi Principes communes subit labores: nec sibi parcit, cũ iubet. Hæc forma iubendi optima est, vt quæ iubet quisque, hæc & faciat; sic homines sibi obsequentes reddat. Sciebat Alexander ægrè moueri agmen spoliis graue; iubet conferri in medium suas primùm, deinde totius exercitus sarcinas: ac ne quis doleret res exuri suas, si eodẽ igne Regias exuri opes non videret; *suis primùm face subdita, cæteras incendi præcipit*, &c. Ita Curt. *lib.* 6. Quò rerum non duceret suo facto milites Alexandri?

1.

Vis me tibi obtemperare? maioribus obtempera potestatibus. Quod Centurio fecisse visus est, cũ Ducẽ ageret. *Ego* (inquit) *homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites*, &c. *Luc.* 7. *n.* 8. Quibus obtemperaret Centurio, priùs edocet, ac deinde addit, quibus imperaret, vt disceret à Duce miles obtemperare. Et verò cũ militem vrget Centurio, & iubet, *fac hoc*, &c. mora nulla est. *Et facit*, &c. Id miles, quod à Duce factũ videt. Pulchrè Bernardus Epist. 42. *Dedit priùs honorem Præpositis, vt iam à subditis iustè reciperet?* &c. Faciles sibi milites reddit Centurio in obsequium, qui suo in Principem facilis obsequio est. *Rectorem te posuerunt* (ait Syracides,) *esto in illis, quasi vnus ex ipsis*, &c. *Eccles. c.* 32. *n.* 1. Id verò est. Quod à Minoribus obsequium exigis, id Maioribus te præstare decet: & hæc à Bernardo commentatio loci est Epist. cit. *vt te putemus, tanquam vnum ex illis; videamus tam libenter Præpositis obtemperare subiectum, quàm imperare subiectis*, &c. scilicet parebunt tibi facilè quidquid iusseris, si id fieri à te nouerint. Abrahamum, ac domesticos Deus circũcisos esse voluit *Gen.* 17. *num.* 11. Durum omnino legis scitũ; quandoquidem *nemo vnquam carnem suam odio habuit*, &c. *ad Ephes. c.* 5. *n.* 30. Sed iussa Abrahamus facit *n.* 27. *Omnes* (ait Moyses) *viros domus illius circuncisi sunt*, &c. Non video re-

2.

Luc. 7. n. 8.

Obtemperando Princeps docet obtemperare.

Eccles. 32. n. 1.

Gen. 17. 27. 26.

Ephes. 5. n. 30.

sistere

ſtitare homines, ſed ne mutire quidem. Cur Abrahamus domeſticos facilè ad cultrum adegerit, fortaſſe de textu eſt. Præmittit enim Moyſes Abrahamum hac in re præiuiſſe num. 26. *Eadem* (inquit) *die circunciſus eſt Abraham*, &c. Vbi verò Princeps, quæ iubet, iuſſa facit, non audet reſtitare, nec muſſitare domus reliqua.

Facto dominus vrget domeſticos.

3. Si vis me flere, dolendum eſt tibi: quæ iubeas, age: duxeris facile in officium. Plebeculam, vt ſeniores, ac Sacerdotum Principes inuitarent ad preces, ac lachrymas, admonebat Iohel c.1.n.14. *Vocate cœtum, congregate ſenes omnes habitatores terræ in domum Domini*, &c. Crediderat Vates eo, ac pio conuentu hominum placari Deum poſſe. Prius tamen inuitat Sacerdotes, Sacerdotúmque Principes ad luctum, habitúmque cilicinum. *Accingite vos, & plangite Sacerdotes*, &c. *n.* 13. Quaſi vellet, minus valere iuſſa Pontificum, vbi iuſſa non faciunt Pontifices. Vnde ſua Theologo ratio admonendi, *Orat.* 15. vt Principes ſuo exemplo ducant homines reliquos. *Tanto maiorem afflictionis partem ſentientes, quanto ſuperiores ſumus dignitate; ad compunctionem, improbaque vita correctionem plebem erudientes*, &c. Diſcit facilè populus, quæ Princeps facto dicit, & probat; gratúmque hominibus ſpectaculum eſt Pontifex dicto iubens, & facto vrgens. Vis me cantare? priùs canta. Canit Moyſes Ægypto malè oppreſſa; canit & turba hominum reliqua. *Tunc cecinit Moyſes, & filij Iſraël carmen hoc Domino*, &c. Exod. c. 15. n. 1. Video præpoſitum Hebræo Moyſen in choro mouendo. Cùm Moyſes præcinit, totus ſuccinit populus, quod Auguſtinus aduertit ad 1. de Mirab. c. 21. *Moyſe* (inquit) *præcinente, cármine conſono, canticum Domino vniuerſi pariter decantarunt.*

Iocl. 1. n. 14. & 13.

Vita Pontifex. qua iubet, facienda probat.

Exod. 15. n. 1.

Præcentor cantu ad cantum inuitat.

4. Quid? ſi & Deus morum Magiſter facto potiùs quã dicto vrget homines? An Chriſto, *qui peccatum non fecit*, &c. 1. *Petr. c. 2. n. 22.* Baptiſmo opus erat ad amuletum peccati? minimè id; ſed opus erat, vt facto vrgeret prægrandes natu homines ad id Sacramenti, illud iterans Nicodemo Ioan. cap. 3. n. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, &c. Quod verò Chriſtus Baptiſmum ſuſceperit, diſcas à Matthæo cap. 3. n. 16. *Baptizatus* (inquit) *Ieſus aſcendit de aqua*, &c. cóque facto Magiſter ducit homines. *Facilè enim probatum habetur, & ſuadetur, quod dicitur, ſi à Magiſtro fieri videtur*, &c. Ait Auguſtinus *ad* 1. *p. ex nouo Teſtam. q.* 2. Reſiſtit quidem Ioannes, & quaſi rerum indignitate commotus abnuit, auerſatur. *Ioannes autem prohibebat*, &c. *n.* 14. Sed Chriſtus, *Sine* (inquit) *modo, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam*, &c. *n.* 15. ſcilicet, ius eſt, vt qui tingi aqua iubet prægrandes homines, tingatur & ipſe; nec ſibi aliam, & aliam hominibus reliquis legem eſſe velit. Rectè D. Maximus *Hom.* 6. & Chriſti ore monet. *Et hoc eſt iuſtiſſimum, vt qui totum ſuſcepit hominem, per omnia hominis tranſeam Sacramenta*, &c. Abſurdum omnino eſt iubere hominem aliis quæ velit: ſic tamen, vt ſibi parcat, nec humano iure viuat. Quis iuſtè laborem imperet ſolutus ab omni

Matth. 3. n. 16. 14. 15.

Facto Magiſter quàm dicto potior.

labore? *Pulcherrimus ordo eſt, & ſaluberrimus, vt onus, quod portandum imponis, tu portes prior; ac diſcas ex te, qualiter oportet aliis moderari*, &c. Ait Bernardus *Epiſtol.* 205. *ad Balduin.* Durè iubet qui, quæ dolent, iuſſa non facit; modeſtè imperat, qui ſuo in Principem obſequio ſuum metitur, ac moderatur imperium.

Et erunt adhuc, qui *alligent onera grauia, & imponant in humeros hominum, digito autem ſuo nolint ea mouere?* &c. Matth. *c.* 23. *n.* 4. Sciant tamen Deum ea re commoueri ſolitum grauiter: quod probat Moyſes. Ibat in Ægyptum legãtus à Deo Moyſes, vt inde Hebræum eruere Dei iuſſu. hoc enim legationis caput erat Exod. c. 3. n. 10. *Veni* (inquit,) *mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum de Ægypto*, &c. In via occurrit Deus ferro in Moyſen ſtricto: *& volebat occidere eum*, &c. *Exod.* 4. *n.* 24. Res quidem noua: Deum ſuo legato infeſtum iri; qui abierat, vt Hebræum ab Ægypto extraheret; cur in Moyſen Dominus ſæuit quodammodo? Sed, in textu eſt, *tulit Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos, & reuerſus eſt in Ægyptum*, &c. *num.* 20. Commotum vehementer Deum ſenſere Moyſes, vxor, liberi; *quos ducere ſecum in Ægyptum non debuit, qui cæteros ibat inde educere*, &c. Monet Auguſtinus *ad lib. de Teſtam. vet. q.* 15. Ineptè Moyſes vellet, ac iuberet Hebræum ab Ægypto abire, qui vxorem, ac liberos ſecum in Ægyptum deportaret; aliud enim dicto, aliud facto vrgeret: ac proinde opus erat, vt metu concepto redirent in Arabiam vxor, ac pueri.

5.

Matth. 23. n. 4.

Exod. 3. n. 10. & 4. n. 24. 20.

Ineptè Princeps iubet, qua non præſtat.

Sed addit Bernardus, ac dolet Epiſt. 42. *Miror quoſdam ſub humili habitu, & tonſura tam ſuperbè ſapere, vt ne vnum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos prætergredi patiantur, ipſi propriis obedire contemnunt Epiſcopis*, &c. Malæ omnino beſtiæ, ventres pigri. Potiora ſequitur Holophernes, qui ſuos vrget milites ad communem operam; *Dum circuit per gyrum*, &c. excubias imperat militibus, vt videant, qua aſcenſus pateas; καὶ ἐπεσκέψατο τὰς ἀναβάσεις, *& conſiderauit aſcenſus*, &c. Nec ſibi indulget, cùm militem adigit ad labores militares. Tandem ſuam obſeſſis aquam ſubtrahit, *& incidi præcepit aquæductum*, &c. vt Bethulienſes cogat ad ſui deditionem. Quòd ſi de Holopherne myſtico textum capis, non minor Diabolo cura eſt, vt aquam viris bonis myſticam eripiat, ſcientiam ſcilicet literarum ſacrarum: quæ quidem Sapientia, Eccleſ. c. 24. n. 41. *Ego* (ait) *quaſi trames aquæ immenſæ defluuio*, &c. & ſuam cum aqua affinitatem habet: nam & æſtum reſtinguit affectionum, & ſordes educit ſceletum: quod monet Cyrill. Alex. *lib. 5. in Ioan. cap.* 10. Vnde conſtat

6.

Eccleſ. 24. n. 41.

PARÆNET. XIV.

Scientiam ſacrorum librorum diſciplinam morum eſſe.

1. INgens bonum eſt (ait Chryſoſtomus) *diuinarum Scripturarum peritia: hæc enim mentem in cœlum trãsfert*, &c. *Hom.* 35. *in Gen. Cum libris euoluendis mens piè affecta ſtudet, per illud tempus ab immundarum cogitationum*

illecebris lib ratur,&c. *Hom.* 29 *in Gen.* Vrget
Ioh.5.n. 39. Magister Deus senatum Iudaicum Ioan. c.5. num. 39 *Scrutamini Scripturas, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*, &c. studium commendat assiduum in libro versando: nec monet, vt legant simpliciter, sed lectitent, scrutinio exacto. Chrysostomus iterum Hom. 40. in Ioan. *Non dicit, legite, sed scrutamini: diuina enim summa indigent diligentia*,&c. quibus vna cura est, librum sacrarum literarum

Nocturna versare manu, versare diurna.

Concipiunt facilè, quidquid in libro est rerum magnarum; mora in sensu rimando notas boni animo altè imprimit. Putat Magnus Basilius cognatam sacris libris obscuritatem esse, vt lentè perlegantur. Videas hosce libros scatere modis parabolicis, difficultatibus ænigmaticis, strophísque rhetoricis. *signatus enim est liber*, &c. de quo Isaias *cap.* 29. *n.*11.
Isa.29.n.11. *Obscuritas sacris literis ad mores facit ex dicendi mora.* cur tanta in sacro textu obscuritas est rerum, ac sententiarum, vt OEdipo sit opus, qui soluat nodos quodammodo Gordianos, explicat Basilius ad Isaiæ cap. 1. *In Scripturis* (inquit) *studio voluit esse obscuritatem, ad vtilitatem mentis humanæ. Primùm quidem, vt his mens occupata, à deterioribus auocetur*,&c. Procuratam video moram legendi obscuritate sententiarum; & quo maior sit mora, morum vtilitatem superiorem.

2. Quis non accendatur ad virtutem, Deíque amorem vehementer, si libro in manus sumpto, frequens occurrat Deus, Deíque virtus? Adeas Genesim: primò in aditu
Gen.1.n.1. Deus est. *Creauit Deus*, &c. Abeas à Genesi ad Euangelium; prima in linea Iesus Christus est. *Liber generationis Iesu Christi*,
Matth.1.n.1. &c. Quæ nam ab hisce literis boni spes non est? *Quid est enim Scriptura sancta, nisi quædam Epistola Omnipotentis Dei ad creaturam*
Literis fouetur & sanctus amor. *suam*?&c. ait Magnus Gregor. *lib.* 4. *cap.* 84. *Epist.* 40. Æstum Deus amoris patitur, & quos à se longè abesse dolet homines, literis missis reuocat in amicitiam. Hæc Deo cura scribendæ Geneseos, monet Chrysostomus Hom. 2. *Quasi longè absentibus litteras mittit, conciliaturus sibi naturam vniuersam hominum*, &c. Quòd si tantus Deo affectus est de literis emittendis ad homines alliciendos, cur non legant homines? cur non euoluant? cur sensus è literis non eliciant?

3. Laudo Paulum, qui in adiutorio Thessa-
Act. 17.n. 2. lonicensi, *disserebat de Scripturis*, &c. *Act.* 17. *num.* 2. satis insinuans scientiam Scripturarum Isagogicam esse ad fidem seruandam, ad charitatem vrgendam, ad mores piè co-
Disputatio de sacris literis vtilissima. lendos. *Bene quando vacabant: hoc & Christus faciebat, multum de Scripturis disserens*, &c. sic Chrysostomus *Hom.* 37. *in Acta.* Laudat in Paulo studium sacrarum literarum, in Christo disputationes de sacris literis, cùm per tempus, otiumque liceret. Nam Christus sermonem auspicatur sumpto in manus libro, Luc. 4. num. 16. *& traditus est illi liber*
Luc. 4.n. 16. Matth. 22. n. 29. & 21. n. 42. *Isaiæ Propheta*, &c. Disputasse Magistrum de sacro textu, constat ex Matth. 22. num. 29. *Erratis nescientes Scripturas*, &c. De sacris libris illud est cap. 21. num. 42. *Nunquam legistis in Scripturis*,&c. Mitto, quæ Lucas habet *cap.* 10. *n.* 26. *cap.* 19. *n.* 46. & quæ Iohan. addit *c.* 3. *n.* 14. *cap.* 10. *num.* 34. Vnde patet Magistrum Deum latè, & altè disputasse de sacris literis; fortasse vt inde voluptatem caperet. quo Magistro Paulus *Iudæos reuincebat publicè, ostendens per Scripturas*, &c. *Act. c.* 18. *n.* 28. Nec minor Petro voluptas differendi publicè de sacro textu ad plebem. *Hoc* (inquit) *est, quod dictum est per Prophetam*, &c. *Act. c.* 2. *n.* 16. Ne quid facerent, aut dicerent, quod sacris literis non firmarent. *Benè, quando vacabant; hoc & Christus faciebat, multum de Scripturis disserens.*

Hausta e sacro textu voluptas.
Act 18.n.28. & 2.n.16.

4. Vide, quid Agnus ille innocens fecerit cœlo notus. Sedebat altè Pater, librumque obsignatum dextra gerebat. Vidit enim Ioannes Apoc. 5. num. 5. *In dextera sedentis super thronum, librum scriptum intus, & foris*, Apoc.5.n.5. 7.8.9. &c. Hic ille Pater est, de quo Sapiens Prou. cap. 3. n. 16. *In sinistra eius diuitiæ, & gloria*, Prou.3.n.16. Deut.33.n.2. &c. de quo Moyses Deut. 33. n. 2. *In dextera eius ignea lex*, &c. Sed Agnus cùm haberet in oculis, quid Pater manu dextra, quid sinistra contineret, librum expetit, librum excipit. *Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno, li-*
Placet Christo scientia de sacris libris. *brum*,&c. *n.* 7. sciebat Agnus innocens legum sacrarum codices moribus excolendis vtiles esse. Rupertus optimè lib. 4. *Notandum est, quia veniens Christus in hunc mundum, nihil diuitiarum, ac gloriæ de sinistra, sed tãtummodo librum, siue legem igneam accepit de dextera*, &c. Hæc vna Christo erat cura sacrum librum versare, explicare. *Tantummodo meditari in lege Domini, tantummodo librum dignatus est accipere, intendens aperire illum*,&c. satis insinuans scientiam è sacro libro petitam latè vtilem esse. Quid inde?

5. *Et cùm aperuisset librum, quator animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno*,&c. *n.* 8. Magnus in cælo motus est, libro per agnum resignato: quot in choro tormenta musica? *Habentes singuli citharas*,&c. Quot sacra incensis odoribus? *& phialas aureas,*
Dei amorem accendit scientia de sacris literis, & voluptatem concinnat. *plenas odoramentorum*, &c. Quàm dulces cantiones gratiarum. *& cantabant canticum nouum*,&c. *num.* 9. quæ quidem aut pertinent ad voluptatem collectam è sacro textu; aut ad charitatem conceptam libro lecto: ad rem Ambrosius. *Cadunt coram agno, cùm per meditationem diuinarum Scripturarum, considerantes immensam Dei clementiam humiliant se in conspectu creatoris sui: & quanto sese per humilitatem deiiciunt, tanto magis in eius amore exardescunt*, &c. Quis ergo non incumbat in studium sacrarum literarum? Tritus maximè hoc studio Vates erat, cùm adesset, ac præesset Concilio Persico. Quanuis enim instructus à Deo, & iuuenes alij, quod patet ex *cap.* 1. *num.* 17. vbi textus: *Pueris dedit Deus scientiam,* Dan.1. n.17. & 9.& 2. *& disciplinam in omni libro, & sapientia*; *Danieli autem intelligentiam omnium visionum*, &c. Adhuc Ieremiam terebat manibus, & quæ inibi erant Dei oracula, meditabatur, rimabatur labore assiduo. *Ego* (inquit) *Daniel intellexi in libris numerum annorum*; *de quo factus est sermo ad Ieremiam*, &c. *cap.* 9. *num.* 2. Mirari libet, cur tantus Deo Magistro Vates adhuc euoluat codices scholæ propheticæ? *Sed per hoc quod Daniel sic*
Alienis studet libris Vates sapiens. *perfectus*

perfectus ſtudebat libris Ieremiæ, oſtenditur, quod Epiſcopus, quantumcumque literatus, debet ſtudere libris ſacræ Scripturæ, &c. Hæc monet Lyra. Abeāt malè, qui præſumpta ſui opinione docent; nec ſcripta euoluunt aliena. Illud igitur boni, Vates è ſacro textu colligebat, cùm legeret, vt ſenſum è loco intimū traheret, ſuóſque mores coleret; mora legendi: vnde factum, vt lugeret, doleret, pœnitentiámque ageret in ſacco, & cinere; quod habes *n.* 3. tantum è ſcientia ſacrarum literarum lucrum eſt. Quod vt interciperet Holophernes myſticus, *incidi præcepit aquæductum*, &c. Et laborat maximè ne quis è ſacris literis aquam bibat myſticam.

6. An ſacram auertit eloquentiam à Chriſti ſchola? Aio; nec inepte. Cùm Dauid de Pſal. 35. n. 9. Chriſto nepotè dixerit Pſal. 35. n. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, &c. quod Pierius de Chriſti Domini eloquentia, & copia affluentiſſima interpretatur, *ad lib.* 38. Et verò Ioan- Apoc. 1. n. 15. nes *Apoc.* 1. vbi Chriſtum morum magiſtrum laudat tonantem latè, *Vox* (inquit) *eius, tanquam vox aquarum multarum*, &c. *n.* 15. quaſi facultatem loquendi fluuium diceret eloquentiæ. Nec aliena à re metaphora eſt, cùm Iuuenalis Demoſthenem laudauerit Satyr. 10.

Fluuius eſt, & ſacra eloquentia.

— *Quem miratur Athenæ,*
Torrentem, & pleni moderantem frena theatri, &c.

Sic & Horatio, quod patet;

Monte decurrens velut amnis
Feriet immenſuſque ruit profundo
Pindarus ore, &c.

lib. 4. *Ode* 2. Sic Hieronymo eſt. *Hilarius Latinæ eloquentiæ Rhodanus*, &c. *in Prolog. ad Galat. lib.* 2. Vnde laborat Diabolus maximè, vt diuertat à ſacra Dei Bethulia fontes exactæ eloquentiæ, oratores ſcilicet Chriſtianæ diſciplinæ: cùm ſciat

PARÆNET. XV.

Magiſtros morum Diabolo hoſtes eſſe.

1. OBruit Holophernem myſticum, hoſtem Diabolum aqua myſtica, ſacra eloquentia, cùm eludat artes Dæmonum, & euertat aras ſcelerum. Trudit Iouem libidinantem malè, frangit Martem debacchantem latè, pulſat Mercuriū latrocinantem cautè. Oſtendit enim è ſacro textu quid ſequi debeas, quid fugere. Tradit Matthæus refutatum à Matth. 4. n. 11. 4. 7. 10. Chriſto Diabolum abiiſſe c. 4. n. 11. *Tunc reliquit eum Diabolus*, &c. An manu Deus hoſtem à ſe Diabolum abegit? nego. Sed rem geſſit, textu ſacro. *Scriptum* (inquit) *eſt: Non in ſolo pane*, &c. *n.* 4. Et cùm vrget hoſtis, iterum opponit Chriſtus: *Rurſum ſcriptum eſt*, &c. *n.* 7. Ac tandem Magiſter locum obiicit, quo *Diabolum retundit ſacra eloquentia.* pulſatus malè tentator abiret; *Scriptum eſt*, (ait) *Dominum Deum tuum adorabis*, &c. *n.* 10. Quod obſeruat Laurent. Iuſtinianus, & inde monet, *De fontibus Saluatoris indeficiēter ſcientiam hauri, memoriæque reconde: qua aduerſariorum queas retundere peruicaciam*, &c. *ad lib. de Conflict. interior.* Adeò exultat fuſo, fugatóque Diabolo, ac triumphat ſacra eloquentia: quæ quidem ſacris è libris hauſta euincit artes, ac vires Dæmonum.

Veloſ. in Iudith.

2. Addo tantam huiuſce eloquentiæ vim eſſe, vt exponat liquidò quid facto ſit opus, ad mores bene colendos. Videt Ioannes propè Dei ſedem eſſe *tanquam mare vitreum*, &c. *Apoc. c.* 4. *n.* 6. quo ego loci deriuatum puto Apoc. 4. n. 6. & 22. n. 1. fluuiū à Dei, agnique ſella altè erecta; *ſplendidum tanquam Cryſtallum*, &c. de quo Ioannes *ad cap.* 22. *n.* 1. Non deſunt qui velint repræſentatam mari, & fluuio ſcientiā morum collectam è ſacris libris, ſacram ſcilicet eloquentiam; quos ego teſtes laudo. Sed quare *Sacrum inſtrumentum morum ſpeculum.* Ioannes mare dicit vitreum, & fluuium Cryſtallo parem facit? An quòd *ſacra Scriptura mentis oculis quoddam quaſi ſpeculum opponitur*, &c. Sic Magnus Gregor. lib. 2. Mor. c. 1. *Ibi enim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus*, &c. Et quidem hæc ſacris Oratoribus poteſtas eſt, vt ſpeculum è ſacro textu conficiant, quo exponant, ſi quid boni, ſi quid mali in rebus ineſt. Ambroſius optimè ad Apoc. c. 4. *Sicut homo, quidquid fœdum in facie gerit, ſpeculo deprehendit; ita & quidquid vitioſum in animo habet hominum eſſe poteſt, moralis intelligentia patefacit*, &c. Id verò, vt virtutem auditor colat, & cœlo ſeſe condat; neque enim ad Magni Dei ſedem via eſt, niſi per mare vtique vitreum, mentis ſpeculum, ſacram morum ſcholam: *& in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum*, &c. Proindéque debent ſacris Oratoribus plerique homines odium ſcelerum, quod animo concipiunt, amorem virtutum, quo piè flagrant.

3. Quo maior Diabolo cura eſt, ne quis è ſacro eloquentiæ fluuio, & ſapientiæ puteo aquam bibat myſticā. *& incidi præcepit aquæductum*, &c. Significatum id putat Magnus Gregorius puteis obturatis Abrahami ſapientiſſimi. Quos enim puteos in Geraris Abrahamus effoderat, malè Geratites oppleuerat humo ingeſta: quā de re Moyſes ad Gen. 26. n. 15. *Omnes* (inquit) *puteos obſtruxere, implentes humo*, &c. Mala id hominū inuidia, malóque Dæmonum genio patratum eſt, vt multa eſſet occaſio diſſidenti, ac digladiandi. Myſticè Gregorius locum explicat de puteis ſapientiæ, vnde Orator quiſque ſacram haurit eloquentiam: & addit. *Quos tamen occultè replent Allophyli; quando nobis ad alta tendentibus immundi ſpiritus terrenas cogitationes ingerunt, & quaſi inuentam diuinæ ſcientiæ aquam tollunt*, &c. *lib. Mor.* 16. *c.* 9. Norunt Dæmones, quantū auditoribus profit bonus, ac pius rerum ſacrarum declamator, qui è ſacris libris multam haurit, & effundit eloquentiam; ac proinde, ſi qua poteſt, viam obſtruit, & puteum, vnde auditores aquam bibunt myſticam, & diſciplinam morum.

Gen. 26 n. 15.

Scientiam Scripturarū tollunt vilēt cogitationes.

4. Sermonem Magiſter Deus habet ornatè, & copiosè ad fidem adſtruendam, pietatemque excitandam. Totus eſt Chriſtus in aſſerendo, quantus in terris Deus eſſet, à quo Patre miſſus, quænam in Magiſtro Deo virtus docendi: *Et ecce pluſquam Ionas hic*, &c. *Matth.* 12. *n.* 41. Quæ vā dicendi vis, & copia. *Et ecce pluſquam Salomon hic*, &c. *n.* 42. Cum Magiſter ſcitè ageret auditoriū, ſuóque verſaret arbitrio, ait Matthæus, *Adhuc eo loquente*, &c. *n.* 46. Obtrudit importunus è numero blatero. *Dixit quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant*, &c. Non intrat Mater

Matth. 12. n. 41. 42. 46. 48.

virgo, sed foris perstat, dum Magister loquitur. *Ne attentorum ad verba Christi turbaret quietem*, &c. Docet Abulensis *in Matth. cit. q.* 105. cùm magna Christi verbis facundis virtus esset ad sedandam sitim hominum, sermonem Mater non interrumpit metu damni alieni. Longè aliter improbus ille, qui Magistrum piè, ac ritè docentem vrget voce absurda. *Ecce* (inquit) *mater tua, & fratres tui*, &c. Putat Chrysostomus, quidquid nolit Toletus *ad Luc. cap. 4. annot.* 36. excitatum à Diabolo hominem, vt Christi sermonem interscinderet. *Videns* (ait) *Diabolus, quòd persuadebat populis Christus, esse se Dei filium, timuit, ne ipse derelinqueretur ab omnibus; ideóque venit aliquis tanquam Diaboli Aduocatus, qui humano ore verba Diabolica loqueretur: Ecce Mater tua, & Fratres tui*, &c. *Hom.* 30. Itaque Diabolus omnem mouet funem vt auditorem auocet à sacra Dei schola, minúsque de Christo Deo cogitet, cùm obtrudit parentes, & affines humanæ, imò abiectæ fortunæ. Chrysostomus iterum, *Introduxit parentes eius carnales, vt per illorum contemplationem, diuinitatis eius obscuraret naturam*, &c. Quid enim magni opinaretur auditor de Christi schola, si Magistri naturam humanam æquè, ac vilem cogitaret? & quò hæc Diabolus, Diabolique Aduocatus? Abulensis optimè, *Volentes eum impedire dixerunt: Ecce Mater tua*, &c. *q.* 105.

Orator de re sacra non interpellandus.

Sacrum sermonem interturbat Diabolus.

Obtrudit intuidens viris magnis, si quid abiectum habent.

5. Persensit Christus, quid intentaret Diabolus, ac ne auditor à Magistro abiret, doctrinamque Magistro contempto, reiiceret; indignatus quodammodo, *Quæ est* (inquit) *mater mea, & qui sunt fratres mei?* &c. *num.* 48. Malè audire videntur apud Magistrum Deum, qui sermonem de re vtili intercipiunt. Nec Tertullianus id negat lib. 4. contra Marcion. cap. 19. *Auocare eum à solenni opera quærentes meritò indignatus est; non tam abnegauit, quàm abdicauit*, &c. Tundit Magister hæresim qua Marcionistes Christum verè hominem esse negabat, firmatamque putabat hæresim hoc vno textu maximè. Non tamen Christus negat quidquid humani habet, licèt Matrem, ac fratres post Deum habeat, ac prouideat, ne auditorem à Magistro auocet Diabolus. *Neguit itaque parentes, quo modo negandos iam docuit pro Dei opere*, &c. Iterum Tertullianus de Christi car. *c.* 7.

Post Dei obsequium ponenda est mater.

6. A Diabolo procuratum puto, vt Amasias vatem procul abigeret à Bethela. *Qui vides* (inquit) *gradere; fuge in terram Iuda, & comede ibi panem*, &c. *Amos cap. 7. num.* 13. Rhetoricum est loquendi artificium; colore agit quæsito Pontifex. *Qui vides*, (inquit) Vatem sua nomenclatura nobilem appellat, vt blanditiis abigat. Deinde addit Amasias. *Gradere, fuge.* Quasi periculum immineat, quod fuga declinandum est. Vrget tandem Pontifex: *& comede ibi panem*, &c. Acsi vellet; metus est, ne auditor malè affectus aquam tibi, & polentam eripiat. Quàm magna ad persuadendum vis est in dicendi artificio? crederet Amos blanditiis, nisi Pontifex adderet. num. 13. *& non adiicies, vt prophetes.* teste Lyra. *Volens impedire verbum Domini*, &c. Et propè timens, ne auditor piè instructus dictis propheticis Deum toleret, vitulum frangeret, Sacerdotem ab aris truderet: quod expendunt Remig. Theodoret. Hieron. Puto ego Amasiam inuidia tactum, Diabolóque tractum esse, vt Prophetam loco motum vellet: illud iterans, *Qui vides, gradere, fuge*, &c. *Volens impedire verbum Domini*, &c. Itaque auditores Magistris, Magistrósque auditoribus aut Diabolus eripit, aut Diabolo agitatus homo.

Amos 7. n. 13.

Blanditur inuidens, vt noceat.

Auditores sacris oratoribus subtrahit Diabolus.

7. An Herodes cùm Ioannem adstringit vinculis, Magistrum populis eripuisse visus est? Certè Euthymius docet Iohannem ab Herode intercluſum. *ne varia circumiens loca, ipsum obiurgaret*, &c. Alia tamen Diabolo ratio de Ioanne alligando erat: scilicet, ne multis è locis, magister multos ad Christi scholam homines pelliceret. sciebat Ioannem Christi vocem esse; quam & intercluſam voluit, ne Magister vrbem sua versaret eloquentia. Hoc aspectu Diabolus sacros Oratores adigit aut in neruum, aut in crucem; vnde onus dicendi graue est; quod patet multis locis, vbi dictio est prophetica, *Onus Babylonis*, &c. Isa. c. 13. num. 1. *& quod est onus Domini?* Ierem. 23. n. 33. scilicet, *Onus Niniue*, &c. *Nahum cap. 1. n.* 1. Adest Nahumo Zacharias, & ait, c. 9. n. 1. *Onus verbi Domini*, &c. Latos exposcit humeros, firmosque lacertorum toros vna hæc veri dicundi prouincia. Mitto plura; vnus mihi Amos placet, qui sua nomenclatura scitè docet magnum sacris Oratoribus onus esse veritatis prodicendæ; Amos enim, Hebræa schola, portans est; à verbo נשׂא *amas* quod est *onerare*. sic Hieronymus *in prolog. ad Iobelem.* Vsque adeò respõdet nomen officio, ostenditque oppressos grauiter, Duce Diabolo, magistros morum, oratores optimos, ne Dei verba loquantur liberè.

Timet concionatorem malus homo.

Isa. 13. num. 1.

Ier. 23. n. 33. Nahum. 1. num. 1. Zachar. 9. num.

Premuntur grauiter oratores veritatis.

Num. 8. Sed filij Ammon, & Moab accesserunt ad Holophernem, dicentes: Filij Israel non in lancea, & sagitta confidunt; sed montes defendunt illos, &c.

Num. 9 Vt ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, &c.

Commentarius.

29. INterciso aquæductu, quo aqua in vrbem influere solita ad sitim benè sedandam; vnum erat solatium ex fonticulis, quos non longè à muris sudare potius, aut stillare diceres, quàm manare; vt aquula scaturiens seruiret non irrigandis, sed refocillandis parcè faucibus: si qua furtim comportaretur in Bethuliam; quod habes *n.* 7. Id tamen solatij Hebræo inuident, ac eripiunt Ammonites, & Moabites, quibuscum Idumæus conuenit: si quid textus probat Græcè. Adeunt enim Holophernem ἄρχοντες τῶν υἱῶν ἡσαὺ, *Principes filiorum Esau*, &c. Idumæo adsunt, *& Duces regionis maritimæ*, &c. καὶ στρατηγοὶ τῆς παραλίας. odio aduersùs Hebræum concepto iuuant hostem manu, consilio: quod Lyra putat. Philisthæum Hebræus

Fouentur simultates iure hæreditario.

Hebræus ſolo exigit patrio, odium ex iniuria Philiſthæus altè concipit, vt, qua poſſit via ægrè Hebræo faciat. An fouentur ſimultates iure hæreditario, & abauis, atauiſque vltimis traducũtur in nepotes? Aio; & qui non poſſunt manu armata nepotes, nocent conſilio: quod ſentit Dauid Pſ. 108. n. 3. *& ſermonibus odij circundederunt me*, &c. ſuum in me odium effuderunt hoſtes, verbis aculeatis: & quod vi non poſſunt, conſilio peragunt. Noto Balaamum non maledicto, ſed malo conſilio Hebræum perdidiſſe, *Num. cap.* 24. Cùm enim ſciret Magus perire artem Magicam, Deo negante; Moabitam iuuat conſilio, qui maledicto non potuit. Illud in promiſſis eſt. *Verumtamen pergens ad populum meum dabo conſilium*, &c. *num.* 14. Notum verò eſt, quantum Magus conſilio nocuerit. Hac via Ammonites, ac Moabites Holophernem iuuant, Bethulienſéſque oppugnant grauiter, editóque in præſens conſilio altè nocent.

Pſ. 108. n. 3.

Num. 24. n. 14.

30. Sed quàm artifex adulandi cura eſt? conſtat è Græco textu, Duces, ac Principes militum reuerentiſſimè ſeſe habuiſſe aduersùs Holophernem, & maieſtate depoſita dixiſſe: *ἀκουσάτω δὴ λόγου ὁ δεσπότης ὑμῶν, audiat iam nunc verbum Dominus noſter*, &c. Hoc ſeſe affectu ſubmittunt Duces, quo Holophernem ſibi alliciant: nec minor Phariſæo cura, vt Chriſtum eo, quo vult, ducat aſſentatiuncula. *Magiſter* (inquit) *volumus à te ſignum videre*, &c. *Matth. cap.* 12. *num.* 38. Chriſtum adulator captum putat vana gloriola, ac proinde nomen obtrudit grande. *Putarunt enim aſſentatiuncula ipſum allicere*, &c. ait Chryſoſtomus Hom. 44. Ammonites igitur in adulationem compoſitus Holophernem appellauit reuerentiſſimè. Deinde ne ab Achiore vtique Ammonita ſtare videretur, conſilium dedit improbum; & ſuam Aſſyrio venditauit operam, ne reus fieret ſuſpectæ perfidiæ. *Malè inter ſuſpecta viuitur*, &c. ait Seneca *Epiſt.* 74. Nec ſibi Princeps non cauet, qui de fide militari dubitat; nec miles ſibi non timet, qui malam incidit in ſuſpicionem. Vnde factum, vt Tiberius Roma Rhodum peteret, cùm verſarent aulam Caius, & Lucius. Abit igitur in inſulam Tiberius, *confeſſus nihil aliud ſeceſſu deuitaſſe ſe, quàm æmulationis, cum Caio, & Lucio ſuſpicionem*, &c. Apud Suet. *cap.* 11. Satis oſtendit Tiberius periculis patere maximis, qui pateat ſuſpicionibus etiam leuiuſculis. *Cur enim amico opus eſt, de cuius benevolentia dubites?* &c. ſic ad Alexandrum Scytha *lib.* 7. Curt.

Viros etiam magnos lactat adulatio.

Matth. 12. n. 38.

Amicitiam perdunt ſuſpiciones.

31. Tentatus hoc metu Ammonites, curam intendit conſilio ſuggerendo, cùm ſciret Achiorem vtique Ammonitam, & malè ſuſpectum, Hebræo traditum. Intendunt enim officia, qui timent, ne offendant, aperto ad calumniam aditu. Hæc Doëgo cura, Saule irato. Ac ne in malam venirer ſuſpicionem, ſi taceret, certò ſciens, quo in loco Dauid maneret, ad Saulem Idumæus. *Vidi* (inquit) *filium Iſai in Nobe*, &c. 1. *Reg. cap.* 22. *num.* 9 ſatis inſinuans, quónam vrgeretur metu; ſcilicet periclitari vita reum ſuſpectæ perfidiæ, etſi crimẽ falsò obiectum ſit; nec, niſi officio diligentiori, ſuſpicionem amoueri. Erat Doëgus *in tabernaculo Domini*, &c. *cap.* 21. *num.* 7. cum Dauid illò acceſſit: querebatur Saul de viris aulicis; *quoniam coniuraſtis omnes aduersùm me*, &c. *cap.* 22. *num.* 8. Periculi metuens Doëgus, & ſibi cauens, *vt non videretur vnus de coniuratis, nuntiauit de Dauid*, &c. ait Abulenſis *q.* 20. Quis enim, cùm poſſit, non amouet à ſe malam ſuſpicionem, obſequio multiplicato? Credebat hoc grande nefas ſeruus ille impudens, ſi Chriſto fauere videretur; cùm enim Magiſter ſuam probaret doctrinam auditorio publico: *Ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego*, &c. *Ioann.* 18. *numer.* 21. quaſi notaretur digito ſeruus Chriſti auditor, vti ſuſpectus de fide, notam ſibi inuſtam citò deterſam voluit, colapho in Chriſtum impacto. Sciebat correptos à Senatu Miniſtros, qui reuenerant Chriſto audito, iactitantes liberè; *nunquam ſic locutus eſt homo*, &c. Ioann. cap. 7. num. 46. *Idcirco, ne de animo ſuo, beneuolentiáque Principes ſuſpicarentur, alapa Chriſtum cædit. Solent enim miniſtri non ferre quidquam aduersùm ſe Principibus referri*, &c. ait Cyrillus Alexand. *in Ioann. lib.* 11. *c.* 46. Et maximè commouentur, ſi res ſpectat ad perfidiam. Proindeque ſuam intendunt curam, quam ſuſpicionem diluant. Hac via Ammonites abiit, dato conſilio aduersùs Hebræum, vt detergeret contractam ex Duce Ammonita notam perfidiæ.

1. Reg. 22. n. 9. 8. & 21. n. 7.

Suam ſibi ſalutem cauet adulator periculo alieno.

Ioann. 18. n. 21. & 7. n. 46.

Suſpicionem à ſe trudit adulator, iniuria aliena.

Addit Serarius commotos grauiter milites generis Ammonitici aduersùs Achiorem, vtpote bonum, ac pium Ducem, & furore concepto Hebræum, Ammonitámque ſiti necatos voluiſſe. Placet interpretatio, cùm ſciam homines exactæ improbitatis bonis Præfectis infenſos eſſe. Argumento eſt Sapiens admonitio Prouerb. cap. 9. num. 8. *Qui deriſorem erudit, ipſe iniuriam ſibi facit: & qui arguit impium, ipſe maculam ſibi generat*, &c. Video morum Præfectum à plebecula ſubdita malè tractari ſolitum, odióque laborare hominum, vitio fruſtrà correpto. Verè Sapiens admonet. Si enim Præfectus morum fruſtrà nititur in vitio corrigendo, nihil ſe fatigando aliud, quàm odium quærit hominum. Hoſce tamen homines in Præfecto carpendo improbos carpit Hildebertus Epiſt. 69. *De quibus* (inquit) *dubium eſt, magis ne attriuerint famam ſuam malefactis, an maledictis alienam: hinc eſt, quòd Decani opinionem gratuitò perſequuntur, qui ſuæ nec rogati parcere voluere*, &c. etſi Magiſtrum bonis gratum æquè, ac malis ingratum alumnis laudet Bernardus ad Eugen. Epiſt. 148. *Boni hoc volunt; nec bonus eſſe non poteſt, qui bonis placet: nec minus validum argumentum mihi videtur, quòd bonus ſit, ſi malis diſplicet*, &c. Certè Achior hac via bonus videri poteſt, ſi Ammonitam ſibi infeſtum patitur. Vnde ſuam virtutem probat Seneca, *Mihi* (inquit) *iam, quod argumentum recti eſt, contigit, malis diſplicere*, &c. *ad lib. de Vita Beata, c.* 24. Scio Achiorem Ammonitis præfectum & bonum, & pium Ducem eſſe; quod patet ex *cap.* 5. *num.* 5. vbi Dei cauſam tuetur. Scio indignatum grauiter eo aſpectu Holophernem, *ad cap.* 6. *n.* 1. nec mitiores fuiſſe Duces reliquos, *ad cap.* 5. *num.* 26. Vnde nata eſt occaſio Achioris tranſmittendi ad Hebræum. Quid igitur mirer Duces, ac milites gentis Ammoniticæ infeſtos eſſe viro optimo? ſed ea de re *ad Par.* 18.

32.

Prou. 9. n. 8.

Audit malè bonus Præfectus à malè plebecula.

Num. 10. Et placuerunt verba hæc coram Holopherne, & coram satellitibus eius, & constituit, &c.

Num. 11. Cúmque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ,& collectiones aquarum,omnibus habitantibus Bethuliam; ita vt non esset intra ciuitatem vnde satiarentur, vel vna die, &c.

Commentarius.

33. PRobat Holophernes consilium gentis Ammoniticæ, consilium vtique sanum,& bello patrando bonum. Vnde factum, vt approbarent familiares, quod Princeps rectè probauerat.Non disquiro,cur placuerit Assyrio consilium ab Ammonita datum?cùm vox Græca ἀρέσκω, studium placendi contineat, modúmque placandi; vtroque enim significatu gaudet : vnde ἄρεσκος & Latinè *gratiosus homo* est, qui gratiam captat Principis obsequio familiari. Quid tamen ageret, ac diceret Ammonites bello domitus, nisi quo Holophernem alliceret, subiratúmque placaret? *Placuerunt igitur verba hæc coram Holopherne*,&c. Metu concepto vocem componit Ammonites verè assentator, & latè admonens, leniri, & allici Principẽ, si quis bona verba dixerit, Domino gratificans. Nec desunt,qui suam Domino rerum operam, metu damni, approbatam velint. An bonus Dauid pungit hosce homines,qui quidem *ore suo benedicebant,& corde suo maledicebant*,&c.*Ps.*61. *n.*5.qui aliud animo clausum,aliúdque lingua promptum habent; & rem malam, scilicet quam occulto reprobant, coràm probant, vt placeant malis dominis? Homines polypo similes pulsat Magnus Basilius,*mendaces in stateris*,&c. *num.* 10. qui terræ, quam attingunt, colorem reddunt:*sic & animo varius ostenditur adulator*,&c. *Hom.*25. Metus Deo erat, ne Magister hominum diceret tenebras lucem, & lucem tenebras : vrget Ezechielem cap. 3. num.18. *Si dicente me ad impium*: *Morte morieris;non annuntiaueris illi*,&c. Quid indeæminatur iudex seuerè. *Sanguinem eius de manu tua requiram*,&c. Terret Magnus Deus tacentem ex adulatione Magistrum hominum, ait Basilius *ad interrogat.*25.*de reg.disput.*comminationes enim tristes Iudex aggerit. *Præsertim, si non ex inscitia aliquid tacens præterierit eorum,quæ Deo non placent; sed ex assentatione, qua se dimittens, ad cuiusque vitium accommodato*, &c. Medetur Deus iudex communi hominum vitio, quibus placendi cura est. Non aliud Ammonitis studium, si vocem Græcam premas.Nam ab ἀρέσκω ἄρεσκος est,gratiosus quidem homo,& qui laborat, vt malis etiam dominis placeat. Vide *cap.* 2.*paranet.* 2.

Placet qui placat iratum Ducem.

Pſ.61.n.5.10.

Adulator animo varius lingua mendax.

Exech. 3. n.18.

Non assentatur bonus veri magister.

34. Seruili placent genio adulatores, siue præstent consilium, siue probent. *& placuerunt verba hæc coram satellibus eius*, &c. Sed aliò textum verto;qui Græcè habet, καὶ ἐναντίον τῶν θεραπόντων αὐτοῦ.Id verò est : *coram seruis, medicisque suis*,&c.à verbo θεραπεύω,quod sonat *mederi,ac seruire*, &c. Neque enim Hippocrates adulatur, cùm ægrotum suscipit. Secat, vrit,& potionem miscet amaram, sed vtilem morbo pellendo.Sic & seruus consilio bonus. Refutat Seneca arrogantissimum illud prouerbium, quo iactatur ineptè, *Tot hostes esse, quot seruos*,&c.sciens enim Seneca vnde monstrum hoc,ait Epist.47.ad Lucilium, *Non habemus hostes,sed facimus*,&c. A Seneca id Macrobius *lib.* 1. *cap.* 11. & mali fontem aperit. *Neque enim, quantum decet, sed quantum libet, exercere volumus in seruos*, &c. Ita delicatus obsequio, ita morosus imperio Dominus est, *vt quidquid ex voluntate non respondet,iram, & furorem euocet*, &c. Hæc Macrobius. Quare monet Seneca, sæpúmque vrget Lucilium, vt seruos comiter habeat; *colant potius te, quàm timeant*,&c. *Epist.cit.* Deinde addit seruum rebus altè gerendis euocandum esse:*& in sermonem admitte, & in conuictum*, &c. scilicet vt consilio te bono ducat, & morsus tristes animo pellat tuo.Neque enim laudo parœmiam, quæ mentis dimidium seruis tribuit.

Bonus seruus, bo medicus.

Hostem sibi seruum reddit herus morosus.

Seruus erat senior ille, & præfectus domesticis *ad Gen.*24. *num.*2. quo cum Abrahamus de rebus magnis consultat. *Dixitque ad seruum suum, seniorem domus suæ*,&c.Addit Abulensis : *quia sensatior erat*, &c. & virtus est ætatis proiectæ. Tanta in sene erat scientia rerum,vt Philosophus astris deditus,& Vates Deo addictus, adhuc consilium à seruo peteret, quasi ab Æsculapio difficultatum maximarum.An seruus consilio Medicus?id textus insinuat,cùm dicat placuisse cõsilium ab Ammonita datum *coram seruis, medicisque eius*, &c. Cur seruus consilio non erit bonus, si & sanus cerebro, & fide sanctus est? Probat A. Gellius posse ingenium seruo non seruum, sed magnum esse ad artes nobiles,cùm Phœdon verè seruus fuerit, Philosophique alij seruitutem seruierint, *lib.*2. *cap.* 18. de quibus & Macrob.*loco citato.*Illud nemo neget,artem medendi seruis familiarem fuisse. quod obseruat Tiraquellus *tom.* 1. *de Nobilit. cap.* 31. *n.* 410. Patet ex Augusti Epistola ad Agrippinam scripta. *Mitto* (inquit) *ex seruis meis medicum*,&c.Sueton.*in Calig.c.*8. Nec minor argumento vis est ex Domitio, qui medicum manumiserit.*in Neron.cap.*2. Nec à Suetonio abest Seneca *ad lib.*3. *de Benef. c.* 24. Vrgetur argumentum sacro textu,*ad Gen.*51. *n.* 2. vbi Iosephus paternos curat cineres. *Præcepitque seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem*, &c. Quasi medendi cura seruis permissa olim fuisset:veniat igitur seruus in consilium bonus cerebro, veniat & fide sanctus.

Seruis olim ars erat medica.

35. Gen. 25. n.8. & 51.n.2.

Cum seruo consultat herus sapiens.

Qua fide seruus dominum coluerit, bene Valerius explicat *lib.* 6. *cap.* 8. eò te mitto. Et verò tanta seruis fides inesse aliquando visa est, vt culpari meritò fortuna potuerit, quæ tam pios, ac fortes spiritus seruilibus corpusculis, nominibúsque incluserit. Seruus erat ille, qui Ionatham ponè secutus Philisthæum aggressus est, 1. Reg. cap. 14. numer. 6. *Dixit autem Ionathas ad adolescentulum, armigerum suum*, &c. Ac de seruo textus est, quod ex Græco benè constat, καὶ λέγει τῷ παιδαρίῳ. Sed fidem, qua

36.

Seruus fide præstans.

1. Reg. 14. n.6.13.

dominum

dominum colit seruus, sua probat manu. *Ascendit enim Ionathas, manibus, & pedibus reptãs: & armiger eius post eum*, &c. *num.* 13. Quanuis enim seruus fortuna esset, ingenio erat liberali, & fide nobili: quæ ad consilium virtus facit maximè; vnde seruus medetur facilè difficultatibus rerum maximarum. Quod enim amicus amico, id seruus domino amicus præstat, scilicet, *medicamentum vitæ, & immortalitatis*, &c. *Ecclesiast. cap. 6. num.* 16. Hæc est ratio, vt placeret consilium *coram Holopherne, & coram seruis, medicíque eius.*

Eccl. 6. n. 16.

37. Qui datum ab Ammonita consilium probauerat, non potuit non vrgere, per eosdemmet Consiliarios. Nam Græcè habes commissam Ammonitis curam de consilio perpetrando, vt qui fuerant consultores, forent & rerum exactores. Agunt enim homines facilè, qui rationes callent agendi. Sic Pharao à Iosepho admonitus de frumento colligendo ad famem sedandam, Iosepho permittit negotium, *Gen.* 41. *num.* 37. textus est, *Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius*, &c. Deinde lectus ad rem benè gerendam Hebræus est; illud enim Pharao ad Iosephum num. 41. *Ecce constituo te super vniuersam terram Ægypti*, &c. Quasi negaret Pharao posse rem benè geri ab alio, quàm à Iosepho; vtpote qui somnium soluerat, consiliúmque inuenerat. Non aliter Holophernes in Ammonitis mittendis ad fontes occupandos.

Gen. 41. n. 37. 41.

Conficit bene, qui præstat consilium.

38. Perfecere milites, quidquid malignè admonuerant; & curauere faciles, vt Bethulienses aut perirent siti miserè, aut deditionem meditarentur. Iam iam vrgebat malum siti contractum; nec aqua erat collectitia, quæ solatium afferret hominibus sitientibus: eò miseriarum adacta Bethulia, vt nec vno tantùm die refocillari posset: & aquâ sub mensura epota acueret potius, quàm sedaret sitim. *Ita vt non esset intra ciuitatem vnde satiarentur vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua*, &c. Dicat fortasse Aristarchus: Imò aqua multos duraret dies, quàm Princeps admetiretur sitientibus, nec plena diuideret manu: mitto, quæ interpretes alij ad nodum soluendum. Illud ego: inde colligi penuriam aquarum, quod iam darentur sub mensura. Et hæret loco interpretatio. Addo augeri sitim aquarum inopia. *Magis enim appetitum proritat, quod liberum non est*, &c. ait Iosephus *lib.* 3. *captiuit. cap.* 13. & vox est de pari siti. Certè quidquid negatur, impotentiùs cupit quisque. Putat id Magister amandi lib. 2. Eleg. 18.

Quidquid negatur, id appetitur immodestiùs.

Quod licet, ingratum est, quod non licet, acriùs vrit, &c.

An ægrotus febri correptus aquam sibi vetitam expetit immodestiùs? ait Naso lib. 3. Amor. Eleg. 4.

Nitimur in vetitum semper, cupimúsque negata;
Sic interdictis imminet ager aquis, &c.

An custos rebus additus forem excitat vehementiùs? credit Naso loco cit.

Quidquid seruatur, cupimus magis; ipsaque furem
Cura vocat, &c.

Quare intercluſa Bethulienſibus aqua, nec, nisi ex dimenso, diuisa in populum, granditer sitim auxit. *Quoniam ad mensuram dabatur populis aqua*, &c. Morbus est humani generis ab Heua contractus iam olim Gen. 3. Facta enim copia esitandi, quæ vellet, ex hortulo geniali vnum è pomo vetita pomum carpit auidè, *num.* 3. & 6. An pomum eo putatur dulcius esse, quo grauius, & sub pœna vetitum? aio: *ipsaque furem cura vocat*, &c. Sed locum repeto, vt Holophernem cum seruis componam, & exponam,

Gen. 3. n. 3. & 6.

PARÆNET. XVI.

Seruum domino bonum verè medicum esse.

1.

Θεράπων vox Græca est, qua textus vtitur, seruúmque sonat, ac medicum. Nam quod ægroto bonus præstat Medicus, id bonus domino seruus confert; & quidem, *serui dicuntur à seruando*, &c. ait Chrysostomus, *in Psalm.* 118. Oportet seruum aut ab hero benè obseruando, aut ab officio rectè faciendo non abire. Et quoddam hoc est officium? Laudatur Medicus ab studio, quo ægrotum curat; à fide, qua verum dicit, vt sanitatem ægroto caueat. Probatur vtroque bono seruus, cùm domini rebus gerendis consulit, morbíque medetur animi. Rara quidem auis est, seruus cura, ac fide præstans, qui domini rebus domesticis prospiciat. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis tritici mensuram?* &c. Hæc Lucas *ad cap.* 12. *num.* 42. Illud verò Matthæus cap. 24. num. 46. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens*, &c. Seruum laudat Magister Deus, à cura domestica, sapientiáque agendi; vtpote qui domesticis præpositus, *vt det illis*, &c. teste Caietano; *non vt accipiat*, &c. quæ officio rectè faciendo virtus est. Deinde ius est, vt cùm frumentum seruis diuidit, ex dimenso id agat: *vt det illis tritici mensuram*, &c. Pereunt scilicet & ingentes opes, si prodigantur. Hæc boni serui cura est: quis nam tamen erit? quo patre genitus? vnde accitus? an tertius è cælo Cato ceciderit? Rara quidem auis in terris. *Quis putas est fidelis dispensator? Quis putas est fidelis seruus?* Vnum Magister seruum laudat, quasi taxans reliquos, & insinuans curam, ac fidem seruis ram inesse de rebus heri adiuuandis. Vna hæc Domini vox est. *Quæ adeò rarum esse negotium demonstrat, vt etiam dubitandi oratione vsus fuerit*, &c. ait Pelusiotes *lib.* 4. *Epist.* 145 *ad Theodos. Episc.* Sed rem excepit à Magistro Chrysostomo, qui Hom. 51. in Matth. *Rem* (inquit) *laudabilem proponit, rarissimam tamen, vt quis fidelis inueniatur, & prudens.*

Seruus à seruando appellatus.

Præstat, non capit Dei seruus, sed ex dimenso.

Luc. 12. n. 42. Matth. 24. n. 46.

2. Vnus quidem Iosephus est rebus præfectus Ægypti publicis; de quo Moyses, *Omnem* (inquit) *pecuniam congregauit, & intulit in ærarium Regis*, &c. *Gen.* 47. *num.* 14. ad Iosephi laudem spectat, qui è fisco Regio ne obolum quidem abstulerit. Opus omnino rarum; quare oportebat Moysen ea de re testem esse, literísque mandare: *Omnem pecuniam congregauit*, &c. Miratur id Augustinus, & addit q. 159. *Pertinebat ad Scripturam in hac re commendare fidem famuli Dei*, &c. Quasi res creditu esset difficilis;

Gen. 47. n. 14.

difficilis; nisi Moyses, imò Deus Magnus dubiis fidem faceret. Sed non desunt boni homines, qui de rebus heri domesticis benè curent. Seruos bene prouidentes Matthæus laudat, qui de agro Domini curabant egregiè. Matth.13.n.27.28. Cùm enim zizaniam tritico subnatam viderent, ac dolerent, Matth.cap.13.num 27. *Accedentes serui patris familias dixerunt, Domine*, &c. Deinde, suam promittunt operam, vt agrum emundent lolio, num.28 *Vis, imus*, &c. Quanta seruis fides in damno explicando, in opera asserenda? Herum adeunt familiares, & rem ex fide explicant. *Explicanda hero mala domestica, vt prouideat.* *Ne securi de innocentia, reatum de silentio sustinerent*, &c. ait Chrysologus *serm.* 97. Operam deinde pollicentur suam; *quod id solum modo respiciant, non vt pœnas inimicus luat, sed vt iacta non pereant semina*, &c. sic Chrysostomus *Hom.* 47. Laudes bonum in seruis animum, qui de pulsando aduersario non agunt; laudes & bonam rerum curam, qui de agro expurgando satagunt; ne quid pereat è rebus Domini. serui quidem boni ab agro seruando.

3. Seruat pecuniam malus seruus; sed mente longè alia, *Abscondit pecuniam domini sui*, &c. Matth.25.n.18.26.24. Matth.25. num.18. quod est seruum torpere, nec de lucro parando agere. Cùm seruus languet turpiter, audit iure merito num.26. *Serue male, & piger*, &c. scilicet ignauiam suam notata heri seueritate obtectam voluit malus seruus: quod est hominum vitium. Vnde vox seruo nata, *Domine, scio, quia homo durus es, & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra*, &c. *num.* 24. Culpam detrimenti à te in herum seruus reiicit. *Nemo suam in alium culpam non reiicit.* *Et notandum, quòd inutilis seruus dierum vocat dominum, cui ad lucrum seruire dissimulat*, &c. ait Magnus Gregor. *Hom.* 9. *in Matth. cit.* sed morbo suo morem seruus gerit, si bono cum hero expostulat improbè. Nec minor hero est ratio vrgendi, *serue male, & piger*, &c. Quod ita versat Guilebertus serm.41.in Cant. *Bonam heri mentem malè carpit malus seruus.* *Verè seruus ille malus, & piger, qui pigritiæ suæ causam in dominum maligna interpretatione transfudit: verè malus, qui diligentiam metentis Domini in duritiam peruerso sensu conuertit, iniuriosè de bono Domino sentiens*, &c. Bonus igitur seruus probatur, & ab hero piè obseruato, & à rebus heri bene seruatis.

4. Nec minor bono seruo laus est à fide veri, qua rectè suum monet herum, morbisque medetur animi. Seruus erat ille, qui Saulem secutus admonebat de Samuele adeundo, & consulendo, ad 1. Reg.cap.9 num.7. 1.Reg.9.n.7.10. *Quid feremus ad virum Dei*, &c. ait herus; adhæc seruus prudens, ac prouidens Saulem vrget oblata pecuniola, *num.* 10. Nec herus serui consilium reiicit; sed, quod textus addit, *dixitque Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus est*, &c. Quanuis enim seruus officio, non est seruus ingenio; sed imperat quidquid recti, ac sancti est. Nec herus abnuit, cùm sciat posse hominem, licèt obscurum, opportunè loqui. *Herum & seruus rectè admonet.* *Vidit enim quòd rationabiliter loquebatur; & in hoc noluit aduersari*, &c. docet Abulensis *q.*7. tantum hero lucrum est à bono seruo. Vnde Eccl.7.n.23. monet Syracides cap.7.num.23 *Seruus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua*, &c. Et quidem nemo non amet seruum animæ dimidium suæ, à quo vt à Medico haurire potest antidotum mentis improbæ, sanum consilium. Inde est, quòd addictus in forum Diogenes, licitari voluit sub hoc titulo, *Nouit seruus hominibus liberis imperare*, &c. Tradit id Laërtius *lib.* 6. & erit, qui seruitutem naturæ humanæ crucem dixerit? Multis id negat Theodoretus *ad lib.* 8. *de Prouident.* Exponit Antistites multos & magni, & boni generis homines, aut bello captos, aut fortuna pressos in seruitutem decidisse, malisque dominis seruiisse, Iosephum Ægyptio, Tobiam Assyrio, Danielem Chaldæo: mitto reliquos è sacra, & profana schola viros. quod Theodoretus ad Magni Dei reuocat prouidentiam. Inducta enim seruitus vrget, *vt qui malo hero seruit, virtutem consequatur, & hero multas salutis occasiones afferat*, &c. Scilicet admissus ab hero in sermonem seruus bene sapiens suo iuuat consilio mores heri; neque enim quidquâ veri, ac boni est, quod taceat. *Seruum malo viro bonum prouidet in salutē Deus.*

Seruus bello captus erat *Daniel de filiis captiuitatis*, &c. quod accusatores obtrudunt malignè, *Dan. cap 6. num.* 13. Proindeque Vates à Chaldæo rogatus, vt soluat somnium, hæret, tacet, & angitur. *Cæpit intra semetipsum tacitus cogitare, quasi vna hora*, &c. *cap.* 4. *num.* 16. Ostendit quo prematur dolore, cùm dolenter dicat, *Domine mi, somnium his qui te oderunt*, &c. Sed quò hæc blandiendi forma? Theodoretus benè id inuenit; Danielem veri dicundi amantem laudat, ac tandem, *Sapientissimè* (inquit) *ac prudentissimè deprecatur molesta, veritatem tamen declarat*, &c. *Orat.*4. Probat Theodoretus Danielem iure belli seruum dixisse liberè, quæ præsentiret animo; vt dominum expurgaret luto scelerum: quod à bono seruo lucrum, & malus parat herus. Fieri enim potest, ait Theodoretus lib.8.de Prouident. *vt qui malis seruit dominis, malitiam inde nullam contrahat, sed summum virtutis fastigium apprehendat; tum hos errore liberet, & ad veritatis cognitionem perducat*, &c. Verè Hebræus Chaldæo Medicus est, etsi captus bello seruus: nec bello domitus, verùm tacet, fide notus integra: *Donec* (inquit) *scias, quòd dominetur Excelsus*, &c. num.22. 5. Dan.6.n.13. & 4.n.16.22. *Verum etsi mordax, non tacet veri magister.* *Verè seruus est heri medicus.*

Veri amans est seruus à media Æthiopia Abdemelechus apud Ieremiam *c.* 38. *num.* 7. Ier.38.n.7.8.10. Sed bonus Sedeciæ Medicus iram sedat sanis monitis. Textus est; *Audiuit Abdemelech Æthiops, qui erat in domo Regis, quòd misissent Ieremiam in lacum*, &c. Id verò scelus Sedeciæ iussu patratum est, quod habes *num.* 5. Quid Abdemelechus? Sedeciam statim adit, & sanctè monet, *Domine mi Rex, malè fecerunt viri isti*, &c. *num.* 8. Nec cunctatur Sedecias in decreto reuocando; sed committit seruo potestatem Ieremiæ exoluendi. *Leua* (inquit) *Ieremiam de lacu, antequam moriatur*, &c. *num.* 10. Laudo seruum benè monentem, laudo Regem monitis obtemperantem: quod Theodoretus expendit lib. cit. *sed Abdemelech famulus, nec aulæ Regiæ fastum, nec seruitutis miseram conditionem animo voluens, & meditans, iniustam Regis sententiam reprehendit; atque Regis Consiliarius fit famulus*, &c. An & Medicus ad iram sedandam? Aio. Quid igitur mirum, si bonus Assyrio seruus, Græco textu θεράπων est, Hippocrates 6. *An seruus hero medetur consiliarius?*

pocrates est, Æsculapius morum est? & placet consilium, *coram seruis, medicisque eius*, &c. Hoc vno consilio ereptum Bethulienſibus ſolatium bibendi eſt; & ſitis inde nata, quæ miſeros premit homines. *Quoniam ad menſuram dabatur populis aqua*, &c. & quo aqua magis clauſa, eo magis expetita. Ita fit, & patet

PARÆNET. XVII.

Obniti in vetitum pleroſque homines.

1. GLiſcit affectus, & premit hominem grauior, qui ſuis non fruitur votis: nec minuitur inopia rerum, quibus imminet, cùm truditur ab optatis; ſed eo vehementiùs vrget, & angit, quo longiùs protrahitur; acuitur vetitis, vt obnitatur contrà; quod enim minus licet, acriùs vrit. Immodestè Dauid quod patet, aquam percupit è puteo Bethlemico: ad 2. Reg. cap. 23. num. 15. *Deſiderauit Dauid, & ait: O ſi quis mihi daret potum aquæ!* &c. *Imperfecta eſt locutio; ſed quæ expreſſit vehemens deſiderium*, &c. ait Hugo. Quandoquidem affectus grandior vocem intercipit. Non constat Regem huiuſce aquæ appetentem fuiſſe, niſi Philiſthæo ad puteum collocato; ſic textus, *Porrò ſtatio Philiſthinorum tunc erat in Bethlehem*, &c. *num.* 14. ſcilicet, vt aquam ſibi hauriret hoſtis, Hebræo eriperet. Igitur, quo Philiſthæus aquam magis negat, vetátque, eo Dauid aquam magis percupit; appetentiam Hebræo acuit hoſtis negitans, & quo Philiſthæus in vetando eſt pertinacior, eo Dauid in appetendo eſt impotentior. *O ſi quis mihi daret*, &c. Quod ſiti Dauid, id fame probat frater ille, qui ex venatu reueniens pultes à Iacobo petit. *Da mihi*, &c. *Gen. c. 25. n.* 30. Cunctatur Iacobus aſtu notus, & negat; niſi frater iuta vendat primogeniti. *Vende* (inquit) *mihi primogenita tua*, &c. *num.* 31. Cunctatórque Iacobus negat, vt fratrem reddat appetentiorem cibi; quod euincit. Nam frater ad Iacobum, *En* (inquit), *morior*, &c. *num.* 32. ſcilicet, quo Iacobus in negando cunctatior eſt, eo frater in expetendo eſt immodeſtior; appetitu in cibum negatum latè irritato, vt mori ſe credat, niſi fruatur optatis.

Affectus vehementior vocem intercipit. — 2. Reg. 23. n. 15. 14.

Qui ab optatis arcetur, impotentior in optando eſt. — Gen. 25. n. 30. 31. 32.

2. Certè appetitus veritis proritatur, & accenditur. Expurgatus ſua lepra mendicus eſt, *Marc. 1. num.* 42. Res erat, quæ hominem in Chriſti laudes excitaret facilè: ſed Chriſtus vultu ad modeſtiam compoſito, *Comminatus eſt illi, ſtatimque eiecit illum, & dicit: Vide, nemini dixeris*, &c. *num.* 44. An, vt leuatus ſuo morbo homo dicat, iubet Chriſtus, ne dicat? Si Chriſti modeſtiam attendas, ſeriò admonet hominem, vt taceat: ſi Deum cogites, quem ſuo facto laudatum Chriſtus voluit, vetat, ne dicat homo; certò ſciens hominem iuſſis irritandum, vt nitatur in vetito; grato quidem animo, quod euenit. Sic enim textus habet n. 45. *At ille egreſſus cœpit prædicare*, &c. Magna omnino hominis propenſio eſt, vt negata cupiat, & in vetitum ruat obſtinatè.

Marc. 1. n. 42. 44.

In vetitum nititur omnis homo.

3. Sic Diabolus bonis, ac malis diſtinet homines, vt latè peccent, nec ſinit totam expleri libidinem, ſed opes ex lapſu præſtat: *Si cadens* (inquit) *adoraueris me*, &c. *Matth. 4. n. 9.* Panes è ſaxis laudat n. 3. *Dic, vt lapides iſti panes fiant*, &c. & in peccandi licentia triſtes concinnat lachrymas. quod quidem nomen loci eſt, vbi turpes Dij, magni Dæmones. 2. Reg. c. 5. n. 23. *Venies ex aduerſo pyrorum*, &c. ait Deus. Textu Græco πλησίον τῆς κλαυθμῶνος, *Prope locum flentium*, &c. ſcilicet hoſtes. *Reliquerunt ibi ſculptilia ſua*, &c. *n.* 21. quæ multas ab hominibus lachrymas excutiunt, ſi quid Hieronymus rectè docet in tradit. Hebr. *Idola idcirco flentium dicta ſunt; quia cultores ſuos ad miſeriarum fletum perducunt*, &c. Modò enim peccandi viam aperiunt, modò claudunt. Hoſtes humani generis, teſte Procopio. *Ne ſatietas faſtidium pariat. Nitimur enim in vetitum ſemper, cupimúſque negata; & quo magis inhibemur, eo maiori cupiditate ardemus*, &c. Hæc Procopius *ad Exod. cap. 5. n. 7.* Comparatum natura id eſt, vt aduerſis aduerſa renitantur; & quod ſeuerè vetitum eſt, percupiant homines impotentiùs, proindéque peccent immodeſtiùs.

Matth. 4. n. 3. — 2. Reg. 5. n. 23. 21. — *Ad flendum vrgent bona Dæmonum.* — *Modò præſtat, modò negat Diabolus, vt appetitum acuat.*

4. Quare Paulus, *Occaſione* (inquit) *accepta peccatum per mandatum, operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*, &c. *ad Rom. c. 7. n. 8.* Ac ſi vellet Apoſtolus fomitem peccati factum vrgere ad peccandum latè, per legum ſcita; cùm enim Legum lator ſeuerè peccatum interdicit, obnititur contra appetitus veritis excitatus immodeſtè. Quod monent D. Thom. Caiet. Anſ. Hieronym. *Epiſt. 151. ad Algaſium, q. 8.* vbi Doctor Max. *Videtur lex peccati cauſa eſſe, qua dum prohibet concupiſcentiam, quodammodo inflammare videtur*, &c. Ferre natura malè affecta non poteſt, vt leges minuant licentiam peccandi; *nitens enim animus prolibertate, à nullo frænatur concupiſcentia*, &c. ait Caietanus. Nec à Caietano Anſelmus abeſt: ſed addit, errorem humanæ mentis in eo eſſe, quòd maius in veritis obiectamentum eſſe credat. *Neſcio, quo modo hoc ipſum, quod concupiſcitur, iucundiùs putatur, dum vetatur*, &c. Verè, quo magis clauſa, eo immodeſtiùs voluptas petitur, & maiori habetur in pretio: monet Hieronymus Epiſt. 47. *Mens libidinoſa, quod non licet, dulcius ſuſpicatur*, &c. & libidinum mater Prouerb. cap. 9. num. 17. *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt*, &c. Quid ſi minus placent bona, quibus frui liberè datum eſt; vrget iterum Hieronymus ad Epiſt. 151. q. 8. *Ergo, quidquid non licet, fomentum accipit deſiderij: vnde & Tullius de parricidarum ſuppliciis apud Athenienſes Solonem ſcripſiſſe negat, ne non tam prohibere, quàm commonere videretur*, &c. Vide *Orat. pro Roſcio.*

Matth. 4. n. 3. — Prou. 9. n. 17. — 4.

5. Occurrit Ezechias Rabſacis dictis petulantibus, ne Deum malè proſcindat; tacere Hebræum iubet; *Mandauerat enim Rex*, &c. *Iſa. cap. 36. num.* 21. Id verò factum ſano conſilio, ait Procopius. *Nihil ad blaſphemias iſtas Rex pius reſponderi paſſus eſt, ne ad maiores prouocaret*, &c. docens liquidò accendi homines ad peccandum vehementiùs, ſi quid vetantur peccare.

5. — Iſa. 36. n. 21. — *Irritatur ad obloquendum qui loqui vetatur.*

6. Quid ſi ad virtutem Deus ea via ducit homines? negat aditum facilem, vt ardentiori ſtudio viam quæras bonæ mentis. Hæc vna Chriſto mens erat, cùm peteret ſolitudines. Hominem à Diabolo obſeſſum recreat Marc.

6. — Mar. 1. n. 35.

Marc. cap. 1. num. 35. *Et egressus abiit in desertum locum*, &c. Eo loci non abiret facilè turba hominum; sed Magistrum, quasi interdictum sibi desideraret impotentiùs. Negat igitur hominibus copiam sui Magister Optimus, ait Victor Antiochen. *Quo absens eorum desiderium acueret*, &c. si verum illud est, quod ad negata exardescimus. Vrget argumentum Guillebertus validè, cùm sciat, Christum per montes saltitasse, vt sponsam alloqueretur, solaretúrque; *Vox* (inquit) *dilecti mei*, &c. *Cant. cap. 5. num. 2.* addit, è vestigio aufugisse Deum, qui proinde sponsam mœstam, desolatámque reliquit. *At ille declinauerat, atque transierat*, &c. *num. 6.* Itaque bonus hominum pastor, morúmque Magister, modò se asserit in aspectum, modò se ab aspectu subtrahit. Quid Magister optimè, ait Guillebertus serm. 44. in Cant. *An fortè hoc modo in maiorem auiditatem concupiscentiam protrahis, dum copiam subtrahis? planè ita est. Isthæc amoris fallacia ipsum amorem magis inflammant; ad eius cumulum proficiunt, dum sic decipiunt*, &c. Hac arte Deus pios bono in viro motus vrget; fugit, & syluis se condit, vt negatam sibi copiam fandi, ardentiùs homo percipiat, ac perquirat. Nec semel id consilij Deus capit. Sponsam Princeps ducit in aulam; quod virgo iactat, cap. 1. num. 3. *Introduxit me Rex*, &c. & statim quo sit loco sponsus, virgo disquirit auidè, num. 6. *Indica mihi, vbi pascas*, &c. Quòd si contingit, vt virgo suo fruatur bono, & dicat: *Inueni quem diligit anima mea*, &c. *cap. 3. n. 4.* suspirat iterum, absentémque Deum euocat. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c. *cap. 5. num. 1.* Aduolat Pastor Optimus, & horto perfruitur geniali: *Dilectus meus descendit in hortum*, &c. *cap. 6. num. 1.* Nec longa mora est: auolat aliò, quo loci virgo preces mittit, precibusque Deum solicitat. *Quis mihi det te fratrem meum*, &c. *cap. 8. num. 1.* Cur toties Christus ierit, ac redierit, beue Paschasius *lib. 3. in Thren. Ierem.* Excitari virginem Christus voluit studio acrioti boni quodammodo fugitantis. *Frequenter* (inquit) *absens videtur, vt sponsæ amor acriùs inflammetur*, &c. Totam expleri auiditatem virginis vetat bonus Deus, vt quod Pastor negat, ardentiùs virgo expetat, duce natura; quæ obniti contrà solet, siquid sibi interdictum dolet. Dolent & Bethulienses aquam ea mensura diuisam sibi esse, quæ sitim acueret, non sedaret. *Ita vt non esset intra ciuitatem vnde satiarentur vel vna die.*

Negata cupiunt homines impotentius.

Absentia nutritur verus amor.

Num. 12. Tunc ad Oziam congregati omnes viri, fœminæque, iuuenes, & paruuli, omnes simul vna voce dixerunt.

Num. 13. Iudicet Deus inter nos, & te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacificè cum Assyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.

Commentarius.

VIctus suo malo populus tumulum facit; Oziamque Præfectum vrbis adeunt omnium ætatum, ordinúmque homines, & vno vrgent animo, vt dedat sese, ne contingat perire senatum, populúmque Iudaicum fame, siti, ferro, flamma. Verè populus, *bellua multorum est capitum*, &c. ait Horatius *lib. 1. Epist. 1.* Si enim annona ingrauescit, aut aqua deficit, statim gens vniuersa tumet, furit, indignatur, & Principem Rerump. petit, saxo, ferro. Notum id Plutarcho est, quo Magistro disco, *Omni populo inest malignum quiddam, & querulum in imperantes*, &c. *in Polit.* & ob rerum inopiam affectus malè graues turbas agit. Flagrat studiis vehementer in vtramque partem diffidens populus, cùm amat, cùm odit; inconstans adeò, vt sæuierit calore subito in homines, quos amauerat. Nec id miratur Orator pro domo sua. Nam in turba hominum leuiuscula, *crebra est, tanquam tempestatum, sic & sententiarum commutatio*, &c. quo aspectu, populum rectè Euripum dixeris. Et verò Angelus Ioannem monet ea de re, ad Apoc. 17. num. 15. *Aquæ* (inquit) *vbi meretrix sedet, populi sunt*, &c. Quot ventis reflantibus fluctus eriguntur? quot mari excitato franguntur naues? quot fractis nauibus pereunt homines? sed non minor magno in populo tempestas rerum est, cùm mota est

Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus, &c.

apud Maron. *lib. 1.* cùm populus à Senatu dissidet, ac secedit,

Iámque faces, & saxa volant, &c.

Hoc tumultu agitantur Bethulienses, cùm Oziam impetunt, & carpunt malis modis, consilium exitu ineptè metientes; quod tumultuantis populi cerebrum est. 39.

Malignè Præfectum mordet plebecula.

Ap. 17 n. 15. *Euripus est populus tumultu sæuiès.*

Vrgent igitur. *Iudicet Deus inter nos & te*, &c. & formula est texendæ querimoniæ, sacro textu frequens admodum. Princeps in re nota Sara est, cùm enim Abramum pungit Agara superbè tumente, *ad Gen. 16. num. 5.* addit; *Iudicet Dominus inter me, & te*, &c. An Deum rerum testem laudat? imò appellat Iudicem. *Querula vxor Deum causæ arbitrum fore minatur*, &c. ait Caietanus. A Sara Hebræus accepit, vt hac loquendi forma grauiter Moysen, fratrémque terreret. *Videat Dominus, & iudicet*, &c. *Exod. cap. 5. num. 21.* Quasi Hebræus vellet patere Deo facilè, quidquid peccamus; vt censuram ferat scelerum, quam hoc textu postulat malè affectus populus. Nec abest ab hisce precibus Dauid, cùm vltionem postulat iniuriarum, Saule mulctato, apud Regem Dauid 1. Reg. cap. 24. num. 13. *Iudicet Dominus inter me & te; & vlciscatur me Dominus de te*, &c. Laudo hominem, qui vindictam expetit, censura iustè peracta, scilicet à Deo. Iraque modus loquendi sonat Deum, aut censorem scelerum, aut testem rerum, aut vindicem iniuriæ publicæ. *Quoniam vindex est Dominus*, &c. ait Apostolus 1. *ad Thessalon. cap. 4. num. 6.* Neque enim fallitur Deus, cùm censet; nec fallit, cùm testatur; nec odit, cùm ponit. Et hæc Bethulienſibus ratio est iudicis appellandi. *Iudicet Dominus*, &c. 40.

Gen. 16. n. 5.

Res acerba est Deus Iudex.

Ex. 5. n. 21.

1. Reg. 24. n. 13.

Sumenda ex peccati censura vindicta est.

1. Thess. 4. n. 6.

Illud

41. Illud ego probo maximè, Bethulienſes reſeruaſſe Deo vindictam iniuriæ, quam ſibi factam criminabantur, etſi noſſent, quid peccantes mererentur pati ab Aſſyrio. Vnde vox nata, *& propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum*, &c. An Deus Hebræum Aſſyrio traditum eſſe voluit, vt venderetur vili pretio, diſtraheretúrque à terra patria? Non deſunt, qui velint id interpretes *ad Pſal.* 43. *num.* 13. vbi Dauid, *Vendidiſti populum tuum ſine pretio*, &c. Vendit enim Deus, cùm facit, vt Hebræus ab hoſte vendatur: quod probat Caietanus ex *Iudicum* 2. *n.* 14. Textus inibi, *Tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus*, &c. Et quidem inter Dei minas hæc vna eſt, Deut. 28. *n.* 68. *Reducet te Dominus claſſibus in Ægyptum, ibi venderis*, &c. Nec id ſemel factum, vt Iudæus bello domitus venúdaretur. Conſtat ex 2. *Machab. c.* 5. *n.* 14. Nam ſub Antiocho interfecti homines plurimi; *non minus*, (inquit) *venditi*, &c. Imperatam ab Antiocho venditionem peragit Apollonius *n.* 24. Addo Iudæum Romano bello domitum, vili obolo venditum: ſic Ioſephus *de Bello, lib.* 7. *c.* 17. Quo malo, cùm hoſtes Iudæum afficerent, vt longè truderent à ſolo patrio, dolet bonus Deus, ac ſuum minis dolorem punit: apud Iohelem cap. 3. num. 7. *Ecce ego ſuſcitabo eos de loco, in quo vendidiſtis eos*, &c.

Pſal. 43. n. 13.

Iud. 2. n. 14.

Deut. 28. n. 68.

2 Mach. 5. n. 14. *Vindicta eſt grauiſſima eum Hebræus venditur hoſtibus.*

Iohel. 3. n. 7.

42. Sed vbi textus Hebræum à Deo venditum dicit, traditum ſimpliciter ſignificat, ait Hugo, interpretéſque alij, apud Lorin. *in Pſalm.* 43. Mentem hauſit ab Auguſtino *in Iudith q.* 2. ſic Iſaiam explices *cap.* 50. *n.* 1. *Deuter cap.* 32. *n.* 30. Cur enim ignauus bello gerendo Senatus, populúſque Iudaicus? *Nónne ideo, quia Deus vendidit eos?* &c. Id verò eſt, hoſtibus tradidit penitus. Et facit ad rem vox Hebræa מכר, *Machar*, vtpote quæ vtramque vendendi, & tradendi notionem claudit. Verſat bene Seratius in Iudicum loco Iudithæ locum; & quod timent Bethulienſes, id mali inibi, locíſque aliis clauſum probat; aut enim timent, ne tradantur Aſſyrio, vt vendantur; aut timent, ne vendantur Aſſyrio, vt premantur. Quid ex hoc commentario colligendum eſt? Si ad caput redeo, video turbatum ſiti populum; accuſatum ineptè Principem, & vocatum contumeliosè. *Quoniam feciſti in nos mala*, &c. Sed conſtat

Iſa. c. 50. n. 1. Deut. 32. n. 30.

PARÆNET. XVIII.

Præfectum vita bonum malis ingratum eſſe

1. DOcet Philoſophus virum bonum malis ſarcinam grauem eſſe. Vnde non conuenit inter bonum Præfectum, & malum populum; diſſident placitis, diſſident ſtudiis: & quod bonus Præfectus ait, id malus negat populus; quod iubet Pontifex, id mordet parœcia; quod Princeps donat, id ciues damnant, diuidia morum perpetua. Quòd ſi Prætor malos pungit mo-

Veloſ. in Iudith.

res, laborat facilè hominum inuidia, & iniuria. Rimantur curiosè, ac malignè homines, quidquid Præfectus agit, vt inde colligant quod arrodant vultures. Nam lapſis ille, de quo Zacharias *ad cap.* 5. *num.* 9. Princeps quiſque eſt. *Et ſuper lapidem vnum ſeptem oculi ſunt*, &c. quos ſcilicet oculos rerum ſuarum exploratores patitur quiſquis Rem gerit publicam, ait Hugo. *Omnium enim oculi reſpiciunt ad ipſum*, &c. Et hæc Syneſio ratio erat, vt rectè ageret. *Sacerdotem* (inquit) *diuinum eſſe virum oportet, qui vt vitæ propoſitum ſeruet, à multis oculis cuſtoditur*, &c. *Epiſtol.* 105. Obſeruat gens malè morata, quid Iudex agat, quid Princeps ſtatuat, quid Pontifex iubeat; & inde captat opportunitatem oblatrandi, criminandíque malignè.

Zachar. 5. n. 9. *Bonum Præfectum deterrat oculis mala plebecula.*

2. Si quid Princeps, ac pater ſeuerè ſtatuit, miles, & filius, carpit liberè; & fortaſſe in patrocinium ſolatiumque peccandi: ſtatuit Saul, ne quis quidquam guſtet, dum pugna cum Philiſtæo eſt. *Maledictus* (inquit) *vir qui panem comederit, vſque ad veſperam*, &c. 1. *Reg. cap.* 14. *num.* 24. Neſcit Ionathas, quid pater iuſſerit, & fame tentatus integra fauum edit. Occurrit miles, & exponit, quid pater ſtatuiſſet; opponit Ionathas, iuuenili exultans placito, genióque indulgens. *Turbauit pater meus terram*, &c. *num.* 29. Verè Ionathas ſuo præceps cerebro, ait Caietanus, *Iuuenilis eſt ſententia*, &c. Quod enim Seniores, ac Patres ſeuerè decernunt, id iuuenes carpunt liberè. Erratum à Ionatha eſt quod innuitur *num.* 38. non quòd è fauo deciderit ad famem ſedandam: *Sed peccauit, arguens patrem, qui præceperat*, &c. Addit Caietanus benè, quòd iuuenum vitium ſolenne eſt; & tanta licentia cauillandi, vt hoſce iuuenes Timotheo deuitandos eſſe monuerit Apoſtolus Epiſt. 2. cap. 3. num. 6. *Et hos* (inquit) *deuita*, &c. Recenſet Paulus homines, quibus nulla rectè viuendi cura eſt; agendumque monet procul ab malis hominibus, quos intra cogit, & pulſat Apoſtolus refractarios, & ſuſurrones. *Parentibus ſcilicet inobedientes*, &c. num. 2. *Sine affectione, ſine pace, criminatores*, &c. Alterum ab altero vitium eſt, vt qui malè agit malus bonos carpat, aut Præfectos, aut parentes. *Qui enim nullius boni ſibi conſcius eſt, alios criminatur; hoc pacto conſolationem ſibi acquirens, & excogitans*, &c. monet Theophylactus. Quod malis placet liberis, vbi pulſantur à parente, illud eſt, qua ſcilicet via oſtendant Cenſorem eadem chorda aberrare; vnde curſus eſt ad criminationes.

1. Reg. 14. n. 24. 29.

Carpunt iuuenes liberè, quod ſenes decernunt prudenter.

Ingratus Deo eſt, qui Patrem carpit monentem. 2. Timoth. 3. n. 6. 2.

Solatur peccantes criminatio de vita aliena.

3. Si quid boni Princeps donat familiaribus, damnant ciues; & quod multo grauius eſt, Principem ſceptro exutum volunt. *Nolumus hunc regnare ſuper nos*, &c. *Luc.* 19. *n.* 14. Sed quod nam ius eſt, vt Princeps regno deruatur ſuo? Ius quidem nullũ ciues obtrudũt, affectum in placitis dominari aiunt: *Nolumus hunc regnare*, &c. quod benè Caietanus obſeruat. Illud ego, indignatos eſſe homines æqua rerum partitione. *Vocatis enim decem*

Luc. 19. n. 14. 13.

seruis suis, dedit illis decem minas, &c. *num.* 13. Delectu hominum facto, decenis tantùm familiaribus suum Princeps aurum diuisit, & quod omnes volebant, pauciores accepere. Hæc vna est dissidendi occasio. Affectant omnes omnia; dolenter ferunt diuidi bona in alios, & bonos homines. Quid ego mirer, si Principem oderint, si carpant, si trudant, si dicant ciues, *Nolumus hunc regnare*, &c. Nullus in bonis diuidendis affectus erat, cùm Princeps bonos bonis afficeret, *secundùm propriam virtutem*, &c. quod Matthæus addit *cap.* 25. *num.* 14. & volunt in loco interpretes. Sed qui votis omnia deuorant, spem frustrà esse dolent, & Regem regno exactum volunt. *nolumus, hunc regnare*, &c. Vellent fortasse Principem, à quo mali bona, boni mala ferrent: qui ad vitia conniueret, & curam deponeret colendæ iustitiæ. Cur Samuelem suo magistratu deiectum volunt, & curant? 1. *Reg. cap.* 8. *num.* 5. senatu collecto Samuelem adeunt prægrandes natu homines, & colore quæsito, obiiciunt, *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis Regem*, &c. Nónne pulsus regno Dauid est semel, & iterum, 2. Reg. cap. 15. num. 13. cap. 20. num. 2. *& separatus est omnis Israel à Dauid*, &c. Odit latè gens malè subdita præfectos vita sanctos, & qui Remp. sanctè administrant. Nec mens Ruperto, nec vox est alia, *ad lib.* 5. *de Victor. cap.* 8. Abigunt à se viros bonos mali homines; *quia peccandi voluntatem habebant, & sub sanctis Principibus, peccandi licentiam non habebant*, &c. Erat Samuel tantæ virtutis custos, vt Saulem Regem, cùm peccasset, liberè corriperet, ac publicè, 1. Reg. cap. 15. num. 19. *Quare non audisti vocem Domini?* &c. Erat Dauid tantæ sanctitatis Princeps, vt Saule occiso doluerit, occisorémque occiderit, 2. *Reg. c.* 1. *n.* 11. *&* 15. vbi tanta erat Præfectis sanctitas, nulla erat malis hominibus peccandi licentia, sed hæc erat occasio mordendi, ac tumultuandi.

Inuident ciues cùm ciues alij bonis fruantur.

Matth. 25. n. 14.

Qui plura cupit, quàm par est, diuisionem rerum esse dolet.

1. Reg. 8. n. 5. & 2. Reg. 20. n. 2.

Bonum malus odit ex morum diuidia.

1. Reg. 15. n. 19.

4. Tactus fortasse hoc malo Paulus admonet Thessalonicenses Epist. 1. cap. 5. n. 12. *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis*, &c. Honore colendos, & re adiuuandos esse monet Præfectos morum: addit, *num.* 14. Apostolus, *& pacem habete cum illis*, &c. Inspexit Magister quæ nam digladiandi occasio èst inter Pastores, & greges naturæ humanæ; neque enim quis è vili etiam numero patitur se à Præfecto corripi; sic Athanasius: *Parit enim veritas odium; & odio persæpe habentur, qui alios arguunt, & malefacta non probant: igitur habete* (inquit) *pacem cum illis*, &c. Occurrit Apostolus hominibus tumulantibus aduersùs Magistros morum optimos, qui ex officio pungunt, & pulsant reos scelerum: inde tamen inuidiam contrahunt. Nec semel hac de re sermonem texit, illud certò sciens commoueri acerbè peccantes homines, si à Præfecto pungantur. Ad Titum igitur, c. 3. num. 1. *Admone* (inquit) *illos, Principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedientes*, &c.

1. Thess. 5. n. 12. 14.

Qui peccantes arguit Præfectus malè quatitur.

Tit. 3. n. 1. 2.

Rectè Paulus ad salutem Rerump. quæ quidem constat, cùm suum quisque præstat officium; & Princeps iubet, & iussa facit populus. In proximo apponit Apostolus, *neminem blasphemare*, &c. *num.* 2. Sentit quo morsu Princeps carpitur, & Pontifex petitur, si quid seuerè statuant, aut corripiant. Morsus ergo tristes auertit Paulus à Præfecto morum. *Quia plebs sæpe detrahit Rectori suo, & malè de eo loquitur*, &c. ait Anselmus. Quo malo affectus Ozias audit, Bethulia grauiter commota: *quoniam fecisti in nos mala.*

Malus à Præfecto correptus obloquitur, & obmurmurat.

Sed magnum virtutis partæ argumentum est, cùm bonus malis non placet. Hæc Augustino erat virtus, de qua Hieronymus Augustinum monet, vtpote qui hæreticis minus placeret. Epist. 80. *Catholici* (inquit) *te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur, atque suspiciunt; & , quod signum maioris est gloriæ, omnes hæretici detestantur, & me persequuntur odio, vt quos gladio nequeunt, voto interficiant*, &c. Communem vir bonus, ac Deus causam tuentur, communem subeunt aleam; ac proinde nemo è Patrum senatu est, qui à malis hominibus non pungatur; nemo, qui non contemnat morsus graues hominum, turpes criminationes. *Hoc enim ex omnibus, qua patimur, illustrissimum, atque magnificentissimum est, quod cum Deo periclitamur*, &c. ait Nazianzenus *Orat.* 13. Quidquid malus quisque in bonum iactat virum, in Deum iactat, quandoquidem communi causa laborant: sed quæ nam potest esse potior gloria, quàm summo cum Deo dolere hominem, pati, mori? Nec curandum bono viro est, an malis displiceat, quibus ingrata Dei bonitas est. Hoc recti argumento Seuerum Paulinus solatur amicè Epist. 6. *Gratulamur iisdem nos displicere, quibus & Deus non placet*, &c. sciebat Hieronymus Dei matrem ab Heluidio laceratam pessimè, se ab hæretico pulsatum grauiter. Occurrit Doctor Max. & hominem tundens oblatrantem malè, *Illud* (inquit) *dico præueniens gloriam mihi fore tuam conuitia, cum eodem, quo Mariæ detraxisti, ore me laceres, & animam facundiam seruus Domini experiatur, & Mater*, &c. Hæc Hieronym. *lib. aduers. Heluid.*

5.

Argumentũ boni est malis non placere.

Pati cum Deo est grande decus.

Abundè ad laudem bono viro est, si tam malis displicet, quàm bonis placet hominibus. Vtroque fruitur bono virgo sapiens, & quæ sic de malis queritur, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, &c. *Cant. cap.* 1. *num.* 5. scilicet tristi morsu, iniuriáque graui, audit virgines solatio addendo faciles. *Recti diligunt te*, &c. *num.* 3. Quasi ad matrem virgines, etsi non desunt, quæ malè te carpunt virgines; vnum tamen est solatium, quòd multæ, bonæque discipulæ tuam probant, rectamque viuendi rationem. *Recti diligunt te*, &c. Hæc à Bernardo colligas ad serm. 24. *Itaque propter murmurantes, & blasphemantes, dicitur ab his, quæ bonæ, quæ simplices, quæ humiles sunt, ab his* (*inquam*) *dicitur*, [*consolandi gratia. Recti diligunt te*, &c. Gaudet Ozias hoc elogio

6.

Cant. 1. n 5.

3.

Solatium est ingens bonis placere.

m entis

mentis optimæ: neque enim bonus Princeps iris b onis placere non poterat; quidquid oblatraret turbatus sibi populus, & adderet; *Quoniam feciſti in nos mala*, &c. Sed constat

Parænet. XIX.

Vilem plebem de cibo, & potu curare, ac queri.

1. SEditionem mouet populus sui impotens, si annona est grauior, si aqua deficit, si aduersa rerũ fortuna est. Accusat vrbis Præfectum amore in odium peruerso; dissidet, & mota feruet plebecula bile. scilicet non audit venter leges; & cùm rugiunt præ fame, aut exaresc unt præ siti intestina, moræ impatiens malis pulsat modis præfectum Rebusp. hominem gens vniuersa, & fraudem in graui annona structam criminatur: sed instructa à vili pleriũque numero querimonia. De victu (quod aiunt) tenui queruntur homines, *ad Num. c. 11. n. 4.* Ægyptíque cibos appetunt auidè. *Vulgus* (inquit) *promiscuum flagrauit desiderio sedens, & flens, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes*, &c. Gens omnino inepta, mentísque proiectæ, quippe quæ fletum ediderit, & eiulatum mulierem, ob cibi inopiam. Quis nam miles, vt arcem tueretur, corio in cibum confecto ad famem sedandam? Sed homines erant è vili plebecula, qui de cibo litem intendunt. *Vulgus* (inquit) *promiscuum*, &c. *id est*, (Hugone Auctore) *serui, ancillæque Ægyptiæ*, &c. Verum quidem est, quòd Hebræus malè fleuerit; sed natus à vulgo Ægypti h mili tumultus est, *Iunctis sibi pariter filiis Israël*, &c. Quasi non meminissent de cibi inopia viri nobiles, nisi viles homunciones ea de re litem mouerent. Inde Iosephus lib. Antiquit. 3. c. 16. *Plebs* (inquit) *ad hoc potiùs commota est*, &c. Cum Iosepho Rupertus conuenit, qui quidem in vulgo promiscuo agnoscit gregem seruilem; proindeque appetentem cibi, & conquierentem de inopia, *Miseri* (inquit) *& contemptibiles, qui talem fastidientes panem, dum carnem concupiscunt, illuc vsque rixa ventris deuoluti sunt, vt tam viles anhelanti desiderio respiciant herbarum species*, &c. quod vrgent *n.* 5. ex Num. 11. *In mentem nobis veniunt cucumeres*, &c. Sed quid ageret turba hominum vilior, nisi improbaret vulgò mensam Angelicam, & fletu edito pepones, cucumeréque appeteret. Inde nata in Moysen vulgi querimonia, inde structa in Oziam Bethulienſium contumelia: *quoniam feciſti in nos mala*, &c.

Num. 11. n. 4. 5.

De cibi inopia queruntur seruiles greges.

2. Mota de potu lis, quam Hebræus vtique populus, non Senatus intendit aduersùs Moysen *Num. cap. 20. num. 2.* Inibi textus, *Cùm indigeret aqua populus*, &c. Quid ergo? ad insaniam vsque processerunt homines; *& versi in seditionem, dixerunt*, &c. *num. 33.* Significanter Moyses inducit commotum sibi populum, non Senatum de aquarum penuria querimoniam fecisse; quasi hoc gentis abiectæ sit vitium, Magistratibus scilicet exprobrare suam de Senatu colendo curam, & Senatorum ignauiam de populo adiuuando. quod è textu elicit Abulensis, *num. 5.* vbi loci viles homines. *Quare feciſtis nos ascendere de Ægypto, & adduxiſtis in locum istum pessimum, qui nec seri potest, nec ficum gignit; insuper & aquam non habet ad bibendum*, &c. Taxat populus in Moyse, & fratre, non erratum voluntaris, sed rationem dirigendi, quippe qui suo cerebro gentem vniuersam induxissent in hasce terrum angustias. *Conqueruntur de malo regimine*, &c. ait Abulensis *q. 2.* Sed morbo indulgent suo homines è vili numero, qui mori malunt, quàm sitim, famémque pati. *Vtinam periissemus*, &c. *n. 3.* Hæc vbi repetunt; mota ab vulgi ignauia mens, & nata vox est. *Sed & muliebria corda gestantes, dixerunt velle se mori*, &c. addit Abulensis.

Num. 20. n. 2. 33. 5.

De Præfecti negligentia facile conqueritur populus.

3. Quòd si Dauid fontem Ierosolymis scatentem reiicit, & potum expetit è puteo Bethlemico 2. *Reg. cap. 23. num. 16.* aquam manu strenua extractam *noluit bibere, sed libauit eam Domino*, &c. Quasi pertæsus ignauiam suam, qui in siti communi militum aquam percupierit delicatiorem, cùm sit hæc germana cura, sit insita querimonia abiectæ plebeculæ; ac proinde, aqua in terram effusa, Princeps vilem correxit affectionem, quæ de cibo, ac potu est. Hoc aspectu admonet Magister Deus scholam Apostolicam, ne curam intendat nimiam de victu parando, Luc 12. num. 22. *Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis*, &c. Absurda enim in viro magno est cogitatio, ne dum excogitatio mensæ concinnandæ. Pergit vltrà Magister num. 29. *& vos* (inquit) *nolite quærere, quid manducetis, aut quid bibatis*, &c. Ab absurdo affectu rerum suam Magister scholam prius abduxerat; modò studium notat de solatio inopiæ quæritando. Quod benè Caietanus obseruat. *Dedecet enim Christi discipulum consentire huiusmodi appetitionibus; & multo magis dedecet quærere*, &c. Curam de victu nimiam damnat Magister Deus; quod vox Græca in loco probat μεριμνάω, *accuratè cogito*: nec vis Matthæo est alia ad cap. 6. n. 34. *Nolite cogitare in crastinum*, &c. scilicet, nec victum quæratis cum animi cruciatu: acsi Christus vellet, curam hanc esse non magni viri, sed hominis viliusculi. Neque enim seruitutem apponit temerè, cùm agit hac de re. *Nemo potest duobus dominis seruire*, &c. *num. 24.* Video Magistrum optimum semel, iterum, ac tertiò damnasse curam, vtique seruilem, de victu parando. *Quid adhuc tertiò repetit, nisi quia magnum est negotium, quod intendit*, &c. Rupertus *lib. 6. in Matth.* Certò sciens premi difficilè stomachum rugientem, nec tolli curam posse, *quam venter inducit, & occasio plerisque est miseræ seruitutis*, &c. Rupertus in loco habet, & probat curare latè, ac cogitare de victu seruum ingenuum; sed absurda viro magno cura est, inepta omnino cogitatio. *Indecorum quippe est, homines curare de cibo, qui militant Dei regno*, &c. apponit Ambrosius *lib. 7. in Luc. cap. 12.*

2. Reg. 23. n. 16.

Sitim ferat Princeps à vulgo alimi necesse est.

Luc. 12. n. 22. 29.

De cibo non curat Christi discipulus.

Marc. 6. n. 34.

Ægrè homines curam abiiciunt de victu parando.

Seruitus est cura de victu.

4. Hæc Christo occasio Matris admonendæ

Veles. in Iudith.

ad mensam Chananiti ã, illud ingerens Io.2. n.4. *Quid mihi,& tibi est mul.er?*&c. Monuerat Virgo matrem n.3. *Vinum non habent*, &c. quæ conuiuio erat fœda nota. Vt notam ablueret gentis pauperculæ, Christum Mater vrget, à quo vno leniri posset vini inopia. Sed Magister ceram de potu iniectam sibi longè reiicit. *Quid mihi* (inquit) *& tibi est mulier*? &c. quasi dolenter acciperet moneri se de curando vini defectu. Quod Iustino placuit q. 136. *Non ad obiurgationem hoc dictum est; sed quasi hoc demonstrare vellet: non y sumus, qui vini curam susceperimus, quod in nuptiis consumitur*, &c. Aliena à viro magno res est agere de mensa lautiori, queri de cœna ineptè parata. Sed longè ab hac nota Heliseus erat, qui saporem cibo elaboratum neglexerit. *Mors in olla vir Dei*, &c. clamant homines ex schola prophetica *ad 4. Reg. cap.5.num.40.* Non queritur Heliseus, non clamitat; etsi pultes cum alumnis gustasset Vates mensæ socius, nec cibum aspernatur; quasi negligentiam non senserit. Pulchrè Hieronymus Epist. 21. ad Eustochium, *Homo* (inquit) *Dei non est iratus coquis: lautioris enim mensæ non habebat consuetudinem*,&c. Queruntur Bethulienses è vulgo homines de aquarum inopia, *Viri, fœminæque iuuenes,ac paruuli*,&c. Oziámque premunt dictis contumeliosis: *Quoniam feciſti in nos mala*; &c. Sed morbus est, quo laborant mendicabula; Præfectum pulsant grauiter, si qua rerum tentantur inopia. Ne tamen suo Princeps desit officio, inducunt Bethulienses Deum Iudicem: *Iudicet Dominus inter nos, & te*, &c. Illúdque admonent

Io.2.n.4.3.

Aliena à viro magno cura est de potu apparando.

4. Reg. 5. n.40.

Mensa viri boni minus sapit.

PARÆNET. XX.

Metu Dei Iudicis moueri audaces Principes.

1. ERat è re Iudaica, vt Bethulienses Oziam cogerent ad rectè agendum, metu iniecto Dei Iudicis.qua via Dauid Saulem grauiter perterrendum curauit,ne fureret,ne sæuiret,ne peccaret. *Sit Dominus* (inquit)*Iudex,& iudicet inter me,& te*,&c.1.*Reg.*24.*num.* 16.Satísque Dauid probat multam in Dei metu vim inesse ad premendam licentiam peccandi: quod sentit Chrysostomus Homil. 2. de Dauid. *Hoc* (inquit) *verbum dixit, non quòd puniri Saulem cuperet, sed vt illi formidinem iniiceret*,&c. Dei scilicet Iudicis. Quo enim fræno tenentur alio audaces Principes, humanique Ioues,quàm Dei virga censoria. Hoc metu Reges terret Seneca, vbi Iouem tonantem iuxtà,ac minantem opponit viris magnis,terrarúmque dominis. *Quidquid à vobis minor extimescit, maior hoc vobis Dominus minatur*, &c.*in Thyeste.* Vrgent igitur Bethulienses vrbis Præfectum, ne quid recti non agat, siue vrbem dedat,siue deditionem abnuat:proindéque Deum obtrudunt Iudicem, quo Princeps rebus Iudaicis prouideat,nec à bono, & æquo auersus abeat.

1. Reg. 24 n.16.

Terror ingens Deus iudex.

2. Rectè non agunt,nisi,cùm terrentur Principes. Quare appellari Deus voluit *Rex Regum,& Dominus dominantium*,&c. *Apoc.c.*19. *n.* 16. manu scilicet iniecta in ceruices Regum;ne,quod libet,licere sibi putarent. Scitè Chrysostomus Hom.5.de Pœnit.*Vbi doctrina Principum, illic Regibus timorem imponit*, &c. Inde Abrahamus Abimelechum trahit ad recti amorem. *Forsitan* (inquit) *non est timor Dei in loco isto*,&c. *Gen.*20.*n.*11.Hebraicè יראת אלהים *Irath Elohim,metus iudicis*,&c.sed Græco textu,θεοσέβεια, pro metu est;quasi pius in Deum cultus nascatur à metu Dei Iudicis.Illud ego addo, Abrahamum de hoc Dei metu opportunè meminisse, vt tactus metu Princeps faceret,quod ex officio non fecisset. Terret Chaldæum Regem Magnus Regum Princeps aspectu rerum acerbissimarum,quod textus apponit,Dan.c.5.n.6. *Tunc facies Regis commutata est,& genua eius ad se inuicem collidebantur*,&c.Video Principem metu commotum grauiter: sed quo metu,nisi Dei Iudicis? videt,ac timet sententiam scripto latam n.28. *Diuisum est regnum tuum*,&c.Hæc Dei Iudicis, acerbáque censura Chaldæum Regem perterrefecit:proindéque *Rex ille paruula verbi signa,paruulos apices Iudicis,veros Iudices,cùm nodum intelligeret,aut quisquam posset legere, ferre non valuit*,&c.ita Rupertus *ad lib.7.de Victor. cap.* 1. Cùm Balthassar Chaldæo gauderet sceptro, & sua in homines potestate abuteretur, opus erat, vt Deum recognosceret censorem hominum, ac Regum Principem; quæ vna à Deo Regum est disciplina. Hac abit via Deus Iudex humani generis. *Insignésque Reges, ac Principes, & quotquot nitent diuitiis,hos terrore alloquitur,& doctrinæ timorem miscet humiliter*,&c.ait Chrysostomus *hom.cit.*

Metu Deus Reges trahit in salutem. Gen.20.n.11.

Piè mouet Deus Iudex. Dan. 5. n. 6. 28.

Regum magister est Deus Iudex.

A Regum aula gradum facit Apostolus ad curiam Pontificum, terrétque grauiter, satis insinuans egere hosce homines metu Dei Iudicis,ne soluantur in scelera. Quare 1.ad Timoth.cap.6.n.13. *Præcipio* (inquit) *tibi coram Deo*, &c. Nec aliam quàm Dei legem apponit: *vt serues mandatum sine macula, irreprehensibile, vsque ad aduentum Domini nostri; quem suis temporibus ostendet beatus, & solus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium*, &c. *num.* 14. 15. Itáne ceruicosus est Timotheus, vt motu Dei Iudicis cogi hominem oportuerit ad officium rectè administrandum? Sed Timotheus officio Pontifex, nisi Deum timeret Iudicem hominum, potestate in homines abuteretur. Placet Athanasio explicatio,*Ad Domini vsque aduentum, dixit, vt magis hunc excitet*,&c.Erat Timotheo stimulus ad rectè agendum metus à Deo Iudice. Virtutes boni Iudicis laudat Iethro apud Moysen Exod.cap.18.n.21. *Prouide*(inquit)*de omni plebe viros potentes,& timentes Deum*,&c. Hosce homines Iethro rebus gerendis præfectos esse voluit, *qui iudicent populum*, &c. *n.* 22. Inter dotes boni Principis merum apponit Dei Iudicis; quod Hebræo textu constat. Hæc enim timendi ratio continet Iudices in officio. Timeas igitur bone Iudex, ait Augustinus q.153.*& sic iudices alios: tanquam certus, quòd reddes rationem de ratione iudicandi*, &c. Pulchrè Iudex humani generis terret iudices,quibus potestas lenocinatur ad licentiam peccandi.

3.

1.Timoth.6. n.13.14.15.

Dei Iudicis metu vrgetur Pontifex ad officium.

Iudicem timere Iudices.

Hoc metu seruari dotes Principis benè probat Isaias. Principem Vates suis appellat nominibus,

4.

Ka. 11. n. 1. 3. nominibus, adornátque virtutibus, ad c. 11. n. 1. *Egreditur virga de radice Ieſſe*, &c. virga ſcilicet Regia; quod volunt interpretes. Multa in viro magno eſt virtutum copia. ſcilicet, *ſpiritus ſapientiæ, & intellectus: ſpiritus conſilij, & fortitudinis: ſpiritus ſcientiæ, & pietatis*, &c. *n.* 3. Deinde imo in gradu, *& replebit eum ſpiritus timoris Domini*, &c. illud ex loco eruas. Virtutes animo nec figit altè, nec tuetur benè Princeps, niſi Dei metuens. Proindéque timendum omnino eſſe monet Rupertus. *A ſapientia* (inquit) *ad timorem deſcendimus, habentes in fine ſæculi, quid ſemper timeamus, quamlibet perfecti ſimus*, &c. *ad 1. lib. de oper. Spirit. ſanct. c.* 31. Qui dotes ſceptro gerendo, regnóque adminiſtrando nobiles vno Dei metu ſeruat, & colit Princeps, non poteſt non ſalutem Rebuſp. afferre. Et quidem, *Metus eſt emendator acerrimus*, &c. ait Plinius *lib.* 7. *Epiſt. ad Celer.* Modúmque præſcribit, quid quiſque aut cogitet, aut loquatur, aut agat rectè. Hominem humanis rebus implicatum deſcribit Eccleſiaſtes c. 3. n. 2. *Tempus* (inquit) *plantandi, tempus euellendi*, &c. n. 3. *Tempus deſtruendi, tempus ædificandi*, &c. *n.* 6. *Tempus acquirendi, tempus perdendi*, &c. Mitto actiones humanæ vitæ reliquas, de quibus textus latè. Ne quis tamen quidquam agat ſine metu Dei Iudicis, apponit Eccleſiaſtes ſcitè n. 17. *Iuſtum, & impium iudicabis Deus*, &c. Eò pertinet commemoratio Dei Iudicis, vt homines viam capiant viuendi rectè: quod Olympiodoro placet. *In metum adducit, cùm Deus ſit omnes homines iudicaturus*, &c. An metus iſte virtutum cuſtos eſt, rigidúſque ſatelles? aio; *Nolite* (canit Dauid) *ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere*, &c. *Pſal.* 61. *n.* 11. Prius tamen, quàm moneret hac de re, carmen inſcribit, *In finem*, &c. hominéſque remittit ad meditationem Dei Iudicis, ad extremam diem rerum humanarum, *In finem*, &c. Deinde addit *n.* 12. quid Iudex pronuntiaſſet. *Semel locutus eſt Deus*, &c. Quid auditor à Deo excepiſſet, n. 13. *Quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua*, &c. Et formula eſt iuris caſtè dicendi extremo Iudicio. Semel, & iterũ Dauid opponit Deum Iudicem, cùm dehortatur homines à licentia peccandi: & *nolite*, (inquit) *nolite*, &c. *Et quam ob cauſam iſta conſulis?* &c. petit Baſilius, addítque proximè ad litem Dauid. *Audiui, quod futurum ſit iudicium*, &c. Satis inſinuans vrgere Deum Iudicem, metu iniecto, ne, quod non licet, libeat: ne, quod non decet, placeat; ne, quod ius non eſt, cupiant homines.

Nulla, dum viuimus, tuta mortem ſanctitas.

Eccleſ. 3. n 2. 3. 6. 17.

Formantur bene mores Dei metu.

Pſ. 61. n. 11. 12. 13.

Arcit Deus Iudex à peccandi licentia.

5. *Siue legas, ſiue ſcribas, ſiue vigiles, ſiue dormias, Amos tibi ſemper buccina in auribus ſonet; hic litus excitet animam tuam*, &c. monet Hieronymus *Epiſt. 25. ad Pammach.* Et vocem edit Amos *c.* 3. *n.* 6. Abſterrendos à patrandis ſceleribus homines curat Moyſes: metum incutit Dei Iudicis à prima die rerum humanarum. Eruit id Tertullianus ex conſilio, quo Deus ſua per dies varios digeſſit opera. Modò enim lucem profert, & ſecernit à tenebris, *ad Gen. c.* 1. *n.* 4. Quod Rupertus ad Dei trahit cenſuram de bonis, & malis Angelis. Vide *lib.* 1. *in Gen. c.* 13. Deinde

Amos c. 3. n. 6. *Nulla dies ſine metu Dei Iudicis, immo nulla hora.*

Gen. 1. n. 4.

Veloſ. in Iudith.

cœlum Deus firmat, vt aquas ab aquis diuidat; quæ quidem certa, & conſtans eſt iuſtitia, ſuum cuique ius tribuens. Mitto reliqua, de quibus Tertullianus aduersùs Marcion. lib. 2. c. 12. *A principio enim creator tam bonus, quàm iuſtus, pariter vtrumque proceſſit: Bonitas mundum eſt operata, Iuſtitia verò modulata eſt*, &c. Quaſi Deus plenè bonus eſſe non videretur, niſi ſuum rebus humanis modũ adderet. Tertullianus iterum, *Iuſtitiæ opus eſt, quod in lucem, ac tenebras ſeparatio promulgata eſt. Omnia bonitas vt concepit, ita & Iuſtitia diſtinxit*, &c. Addo ego primariam Hebræo textu Dei nomenclaturam eſſe iudicis. Sic Moyſes ad Gen. 1. n. 1. *Creauit Iudex cœlum, & terram*, &c. Sed & Ioannes extremo ſacrarum literarum libro Deum inducit IudicemApoc. c. 1. n. 4. *Gratia* (inquit) *vobis, & pax, ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, &c. Iudex vtique humani generis. quod habes in ima libri cera. Cùm enim Chriſtus ediceret, c. 22. n. 20. *& iam venio citò*, &c. Vrget Apoſtolus Chriſti amor, &c. *Amen, veni Domine*, &c. Neque enim alumnus Magiſtri amans ita Deum timet Iudicẽ, vt non euocet ad iudicium exercendum. Itaque metũ incutit in prima, & poſtrema ſacrorum librorum linea bonus admodum Iudex hominũ. *Qui eundem, quaſi ædituum terribilem, timorem poſuit, ad cuſtodiendum introitum, & exitum Scripturæ; vt quiſquis ad Deum cognoſcendum ingredi tur, & in introitu inueniat, quid timeat, & in exitu audiat, cur maximè contremiſcat*, &c. Hæc Rupertus *ad lib.* 9. *de Spiritu ſancto, & 1. de Timore, c.* 2. Si Bethulienſes Oziam adigunt ad negotium gerendum fortunæ publicæ, metu iniecto Dei Iudicis. *Iudicet Dominus inter nos, & te*, &c. Deinde queruntur ſe Aſſyrio venditos, ſenatuſconſulto pertinaciori; & pretium gentis venditæ repræſentatum Deo, ſtudium ſcilicet de iniuria vlciſcenda Magni Iudicis. *Et propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum*, &c. Quaſi velint Bethulienſes ea loquendi forma,

Altera Dei laus eſt à bonitate, altera à Iuſtitia.

Gen. 1. n. 1.

Apoc. 1. n. 4. & 22. n. 20.

Iuuat Dei metus Dei nationes.

PARÆNET. XXI.

Placere Deo vltores violatæ Diuinitatis.

I. IVs eſt, vt qui Deum lædunt, ſatis Deo faciant, vindictáque ſcelerum peracta, abſtineant peruicaces homines à Dei iniuria, & peccandi licentia. Proindéque gratam Deo operã Iudex præſtat, ſi vindex neglectæ probitatis peccantes corripit, & corrigit hominẽs. *Dei enim Miniſter eſt, vindex in viã illi, qui malè agit*, &c. ſic Paulus *ad Rom.* 13. *n.* 4. Nec immeritò Prætorem capitalem Dei adminiſtrum vocat Apoſtolus, probans liquidò, quàm Deo placeat vindex ſcelerũ officio ritè facto. Vnde Theodoretus. *Iudicem oſtendit dignum reuerentia, cùm Dei miniſtrum appellat*, &c. Quod ego miror, illud eſt, iudicum poteſtatem qualemcumque à Deo ordinatã eſſe. quod Paulus docet num. 1. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo*, &c. Vnde conſtat refractarium Deo hominem eſſe, qui Iudicẽ contemnit, ac

Rom. 13. n. 4. 1.

Iudex reuerenter habendus.

Principem notæ poteſtatis. *Hæc enim quaſi pædagogus eſt, quæ paruulos inſtituit, vt poſſint potioris iuſtitiæ viam ſequi*, &c. ait Ambroſius. Dubites, an Herodis, Pilati, Neronis, & Antiochi poteſtas à Deo fuerit ordinata, cùm Principes, ac iudices rerum humanarum poteſtate abuterentur? ſed reſponſum ab Anſelmo eſt, & virgam mali Principis, malíque iudicis à Deo promiſſam eſſe, *dum & boni purgantur, & mali damnantur*, &c. Ab vtroque Dei iuſtitia, qua bonos malè affectos auget meritis, & malos benè punitos à peccando abſtrahit.

Bonis ſeruit & malus iudex.

2. Pulchrum igitur eſt officium, ac Deo gratum, quo iudex, ac Princeps exercent vindictam ſcelerum: & hæc Hebræo occaſio voti nuncupandi. Num. cap. 21. num. 2. *Si tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius*, &c. Quæ nam hæc eſt voti emittendi ratio? an votum de obterendo Chananæo gratum Deo eſſe poteſt? Aio: cùm ſit hoſtis notæ impietatis. Neque enim Hebræus manum impiat, qua punit, ac perdit impium, ſed expiat. Scitè Oleaſtrius. *Quantum placeat vindicta malorum præminm his Iſraëlitis datum argumento eſt*, &c. Eò ſpectat Oleaſtrius, quod addit Moyſes num. 3. *Exaudiuitque Dominus, & tradidit Chananæum*, &c. Vnde tracta Oleaſtrio admonitio eſt. *Cuperem ſummè Reges, ac Iudices hæc aduertere, vt diligentiùs in malos animaduerterent*, &c. Quandoquidem nulla Deo gratior eſt victima, quàm vindicta ſcelerum patrata à Dei adminiſtro. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in Edom*, &c. *Iſa. cap. 34. num. 6.* & textus eſt de Idumæa opprimenda. *Præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit vocatos ſuos*, &c. *Sophon. cap. 1. num. 7.* ſic Deus ab Hebræo pœnas ſumit. *Quaſi hæc hoſtia ſibi placeat*, &c. addit Laudunenſ. & tam grata Deo victima eſt, vt exactores vindictæ hoſtes Deus Iudex alumnos dicat notæ ſanctitatis. *Sanctificauit vocatos ſuos*, &c. acſi homines ſui intimos, continuóſque laudaret; quod Lyra docet. *Poſſunt dici vocati ſanctificati, id eſt, applicati ad executionem diuinæ iuſtitiæ*, &c. Occidat iudex reos ſcelerum, cruce erecta, & ſecuri adacta; rem Deo ſacram facit. Latrones cùm perquireret Dux Borgia, nunc Socieratis noſtræ lumen, vrgebat negotium, alacritate maxima, illud reputans ſe Dei adminiſtrum agere. Qua nomenclatura Deus Cyrum adhortatur ad vindictam de Chaldæo exigendam. Iſa. cap. 45. num. 1. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro*, &c. Multis Deus promiſſis Regem ſolatur, ne quid timeat. *Ego* (inquit) *ante te ibo, & glorioſos terra humiliabo*, &c. *num. 2.* Paret è ſacro textu, quid à Cyro Chaldæus pertulerit; & ius erat, vt qui Hebræum malè mulctauerat, malè cum Cyro pugnaret; pœnaſque Deo graues daret; quare Cyrus Dei adminiſter in vindicta ſcelerum exercẽda Chriſtus eſt. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro*, &c. Probatque Magnus Deus gratum ſibi eſſe adminiſtrum iuſtitiæ punitoriæ; quod aſſerit Oleaſtrius. *Vnctum vocat ſuum, quoniam Regem vnxerat ad caſtigationem Babyloniorum*, &c. Hominem ſcilicet de ſuo ſinu Deus Cyrum laudat, & probat, vtpote vindicem contemptæ religionis.

Num. 21. n. 2. 3.

Pius Deo iudex eſt, qui punit impiũ.

Iſ. 34. num. 6.

Soph. 1. n. 7.

Victima Deo grata eſt vindicta ſcelerũ.

Iſ. 45. n. 1. 2.

Intimus Dei amicus eſt, qui peccatores iuſtè punit.

Grata Deo hæc vindicta ſcelerum ita eſt, vt, qui mortem obire ſine metu velit, Deúmque Iudicem adire, hac vna via tutus abeat. Id videre eſt in Deiſcito. Moyſen Deus vrget Num. cap. 31. num. 2. *Vlciſcere prius filios Iſrael de Madianitis, & ſic colligeris ad populum tuũ*, &c. Miror ego moneri hominem ſuo de obitu, & vrgeri ad vltionem iniuriæ alienæ? Ita ne iudex rationem Deo redditurus de iudicandi ratione, puniendi curam ſuſcipit? Bene Procopius. *Non aſpernandum mandatum, vt quod magnum aliquid ante obitũ gerere ſuadet, & viaticum ad vitæ exitum parare*, &c. Illud è Deiſcito eruit Procopius, gratificari Deo Principem, qui fato proximus ritè punierit homines affines ſcelerum. Totus in metu Dauid erat fato iam proximus, ſi impunitatem daret ſcelerum, cùm id non ferret iuſtitia: Salomonem præſcripto adigit ad Ioabum puniendum 3. Reg. cap. 2. num. 2. *Ego* (inquit) *ingredior viam vniuerſæ terræ*, &c. Id in oculis Dauid cùm haberet, & quàm citò eſſet è viuis abiturus, monet, vrget, num. 5. *Tu noſti quæ fecerit mihi Ioab*, &c. Itaque Ioabum cum Semeio puniendum curat, & iubet Dauid, cùm tumulum iam proſpiceret. Hæc enim ad Deum hominum iudicem ritè propitiandum hoſtia eſt, in vltima rerum linea. Opponas fortaſſe, ſi Dauid Deum ſibi placandum curat, mactet pecudes, incendat odores, mittat preces, & leſſum faciat: vna tamen, ad Deum piè mouendum, certa, & grata eſt hoſtia, peccantium punitio: aut enim diſcunt ex cenſura aliena mali homines, aut ſatis Deo faciunt, qui peccarunt.

3.

Num. 31. n. 2.

Piè moritur, qui iuſtè punit reos ſcelerum.

Inde magnum Deo eſt ſolatium: apud Iſaiam cap. 1. num. 24. *Heu conſolabor* (inquit) *ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis*, &c. Non ita Deus ſæuit in homines, vt ſolatium capiat ex iniuria aliena; ſolatium tamen Deo grande eſt, ſi, quæ infert, ſupplicia auertant homines à peccandi licentia, addit Hieronymus. *Conſolatio Dei ſuper hoſtibus eius, & inimicis eſt, vt qui non ſenſerunt beneficia, ſuppliciis corrigantur*, &c. Solatium, quod affert vindicta, niſi magno cum gemitu, Deus non capit. *Heu, conſolabor*, &c. Gemitúſque Deo eſt, ex peccantium gemitu; ſolatium ex bono Rerump. Ac proinde ſuam cum Deo manum mouent Principes, qui ſeſe approbant ſcelerum vindices. An hæc boni Principis virtus ſumma eſt? Aio. *Argue, obſecra, increpa*, &c. ait Paulus 2. *ad Timoth. cap. 4. num. 2.* Bene eſt; quid vltrà Magiſter addit? num. 5. *Tu verò vigila, in omnibus labora; miniſterium tuum imple*, &c. ſi Timotheus obſecraret, nec argueret; ſi Princeps iuberet, nec increpare; ſi vigilaret Epiſcopus, nec puniret; Principem non præſtaret, iudicem non ageret, Epiſcopum non impleret: ſuum tamen officium plena facit manu, cùm bonos viros ita obſecrat Pater, vt iudex malos premat homines. Vtrumque Paulus exigit à bono morum Præfecto. *Argue, obſecra, increpa; miniſterium tuum imple*, &c. Verè Deo placent, verè Deum placant iudices ac Principes huiuſce notæ.

4.

If. 1. n. 24.

Grata Deo eſt punitio, qua peccator corrigitur.

2. ad Timot. 4. n. 2.

Suum facit officium Princeps, deinde Pontifex ſcelerum vindex.

Iratus Hebræo Deus erat, quippe qui ſuam cum Moabitis Venerem coluerat, Num. cap. 25. num. 2. *Fornicatus eſt populus*, &c. Dolebat Moyſes,

5.

Num. 25. n. 1. 6.

Moyſes,& eiulatu magno plorabant viri boni, num. 6. *Qui flebant ante fores tabernaculi*, &c. Nec tamen Deum pio fletu propitiatum lego. Irruit Phineas in Hebræum malæ mentis, qui oculis hominum procax admodum peccauerat,& vtramque victimam vno,& eodem mactat ictu, *virum ſcilicet, & mulierem*, &c. ait Moyſes, *n.* 8. Re benè geſta, difflatus Dei furor quodammodo eſt, nec de puniendis hominibus vltrà Iudex cogitat. Ad Moyſen enim Dominus n. 11. *Phinees auertit iram meam à filiis Iſrael*, &c. Res mira! vt Deum non flectant triſtes fletus gentis optimæ; ſed flectat vindicta ſcelerum patrata à Phinea Dei adminiſtro? Id obſeruat Oleaſtrius. *Expende, quanto plus valeat ad placandum Dominum vindicta malorum, quàm lachrymæ; vt illa placauerit Dominum, & ab ira reuocauerit, quod lachrymæ facere non potuerunt*, &c. Nulla profectò eſt pecudum immolatio Deo gratior, quàm peccantium iugulatio, ſi terra æſtu hiaſceret,& areſcerent ſegetes, famémque vltimam ſiccitas minaretur; quo nam alio remedio fortunã aduerſam lenirent homines, quàm ſupplicio gentis improbæ? Patet impetraſſe Heliam, ne imbres cælo defluerent, triennio iam exacto; ſcilicet, vt Regem, ac populum fame affligeret, ſacerdotéſque Dæmonum premeret grauiter, 3. *Reg.* 17. *num.* 1. Labuntur anni,& clauſum adhuc cælum eſt, donec tandem Helia exorante, imbre cælo miſſos terra capit: *& facta eſt pluuia grandis*, &c. *cap.* 18. *num.* 45. ſcio Heliam oraſſe in ſummo Carmeli iugo n. 42. *& pronus in terram, poſuit faciem ſuam inter genua ſua*, &c. An ea via imbres impetrauerit, dubites; certè Caietanus pluuiam agris infuſam notat, poſtquam Helias ſacerdotes Dæmonum ferro perdidit ad Ciſonem. *& interfecit eos ibi*, &c. *n.* 40. Quaſi hæc de ſacerdotibus interfectis victima Deum iuſtè iratum placauerit egregiè. Ait Caietanus: *Placato ſiquidem Deo, ob iuſtitiam factam in Prophetas idolorum, inſtare iam pluuiam dicit Helias*, &c. Erant enim inſignes Idolomania homines, qui malè diſtraxerant populum vniuerſum; proindeque neceſſe erat puniri Sacerdotes ab Helia, vt ſatis Deo faceret, cáque hoſtia emeret Vates Dei opem. Hoc pretio, vindicta ſcilicet contemptæ diuinitatis, vendit peccantes homines Deus Iudex; quod latè dolent Bethulienſes. *& propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum*, &c. Abundè admones placere ſibi punitiones hominum, ſiue cùm Hoſtis vrget, ſiue cùm morbus afficit, ſiue cùm fames premit. *Ne benignitate deteriores fiant*, &c. quod Nazianzeno placet *orat.* 19.

Grata Deo vindicta ſcelerum.

3. Reg. 17. n. 1. & 18. n. 45. 42.

Exoratur Deus cùm punitur reus homo.

Num. 14 Et ideo non eſt, qui adiuuet, cùm proſternamur ante oculos eorum, in ſiti, & perditione magna.

Num. 15. Et nunc congregate vniuerſos, qui in ciuitate ſunt, vt ſponte tradamus nos omnes populo Holophernis.

Num. 16 Melius eſt enim, vt captiui benedicamus Dominum viuentes, quàm moriamur, & ſimus opprobrium omni carni, cùm viderimus vxores, &c.

Commentarius.

SVam Bethulienſes querimoniam protrahunt, maximè cùm deſit, qui opem ferat in tanta rerum inopia, ſitimque dolore concepto, ſtragem appellant grauiſſimam, eò quòd nullum ſeſe oſtendat mortis, ac ſeruitutis effugium. Spes alit effugij obſeſſos homines: ſed ſpe ſublata franguntur Duces, ac milites, licèt ſtrenui, deditionémque meditantur; ne priora ferant ab Aſſyrio, ſi cunctentur, quæ Tamerlanis lex erat, cùm enim ad vexillum candidum hoſtes non reſponderent, ſed pacem abnuerent, rubrũ Tamerlanes ſignum explicabat, cædéſque minabatur: ſi verò perſtarent hoſtes ſua in hæreſi, nigrum barbarus vexillum efferebat; quaſi ſtrages pertinacibus vltima ſingrueret, vtpote qui nec ſe ſeriò, nec ſeriò meliora caperent conſilia. Diſcas à Iouio. Nec meliora Bethulienſes ab Holopherne, ſi moras agerent in Bethulia tradenda. 43.

Prius tamen quàm in hanc abeant extremámque fortunam, cogi Senatum placet, populúmque vniuerſum, vt aſſenſu communi dedant ſeſe, num. 15. *& nunc congregate vniuerſos, vt ſponte tradamus nos*, &c. Abſurda omnino cogitatio hominum, quos iam pœnitet de conſilio priùs inito, & probato. Conuenerat inter Senatum, populúmque Bethulienſem, vt Holophernem vi truderent, nec ſe dederent Aſſyrio: quod patet ex *cap.* 4. *n.* 7. ex *cap.* 6. *num.* 18. ex *cap.* 7. *num.* 5. Modò queruntur de Senatuſconſulto, plebíſque ſcito; & cum Ozia expoſtulant, qui noluerit pacem ab Holopherne efflagitare. Deinde pertinaces deditionem volunt, & adornant rationibus ad litem ductis. Quod huc vſque factum, ſtrenuè factum, ac religiosè; cur facti pœnitet hoſce homines? *Is profectò probus eſt, quem non pœnitet, quàm probus ſit*, &c. ait Comicus. Sed non omnium eſt hominum perdurare in benefactis. Notat Dauid eſſe homines ingenio mobili, nec concepta ſtare ſententia. Vitium aperit Epigraphe *ad Pſ.* 79. imò preces quodammodo mittit Dauid, *Pro iis, qui immutabuntur*, &c. Satis inſinuans leues in decretis homines eſſe. Ac ne vitium Dauid contraheret ab hominibus leuiuſculis, ſemel, iterum, ac tertiò eandem repetit cantilenam. Illud ſemel n. 4. *Deus conuerte nos*, &c. iterum Vates n. 8. *Deus virtutum conuerte nos*, &c. Sed à choro alio muſam reuocat, & tandem addit n. 20. *Domine Deus virtutum conuerte nos*, &c. Quaſi dicat, teſte Laudunenſi, *In quo cœpi, in eo finiam*, &c. metus fortaſſe erat, ne contraheret Dauid morbum leuitatis humanæ; ac proinde conſilium iterat, & firmat iteratione. Laus eſt viri magni, qui decretum non delet animi, ſi quod ſemel concipit. 44.

Iudith 4. n. 7. cap. 6. n. 18. cap. 7. n. 5.

Perdurandum in rectè agendo eſt.

Pſ 97. n. 4. & 20.

Leues in decretis homines.

Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis, 45.

&c. ait Hieronymus, dictíſque fidem facit ex Paulo,& Iuda,*ad Reg. Mon. & cap. de Pœnit.* quo titulo Chryſoſtomus laudat hominem probatæ virtutis, quippe qui Magiſtrum Deum tuetur ſemel, & iterum; nec mentem, nec vocem mutat. Apud Ioann.*cap.*5. ſanatus à Chriſto homo eſt,iuſſúſque vt lectulum efferret humeris, *num.* 9. Vrgent homines improbi: *Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum*,&c. De morbo non agunt,ſed de grabatulo, vt diem à Chriſto fractum dicant. Sed mente ſana homo, *Qui me* (inquit)*ſanum fecit,ille mihi dixit*,&c. *num.*11. commendátque ſanitatem ſibi redditam à Chriſto; quod malignè tacent mendaces homines,& vrgent iterum,num.12. *Quis eſt ille,qui dixit tibi:Tolle grabatum tuum*,&c. Paralyticus verò certus Chriſtum dici,ac Ieſum eſſe,à quo ſanitatem acceperat,ſtatim recurrit ad ſenatores, exponítque num.15. *Quòd Ieſus eſſet, qui fecerat eum ſanum*, &c. de lectulo, ne verbum quidem. Non mutat conſilium de Chriſti cauſa tuenda:quod ſemel dictum in ſenatu,id repetit liberè; ſcitè Chryſoſtomus Homil. 37. in Matth. *Intuere*(inquit) *hominem in pietate perſeuerantem, cùm illi creditum ſemper crimen adducerent;hic ſemper excuſationem, & Medicum profitetur, vt populum ad eius cognitionem, ac familiaritatem alliciat*, &c. Sed varium eſt genus hominum, & occaſione oblata dolendi Bethulienſes quod placuerat,damnant conſilium, amántque ſui deditionem, quam oderant;*vt ſponte tradamus nos*, &c.

Ioann. 5. n. 9.

Gratus homo Dei beneficiũ laudat, vt auditores Deo iungat.

46. Vnum illud mihi placet,quòd Senatum iterum,populum que vniuerſum cogunt Bethulienſes, vt de re ſumma latè deliberent: *& nunc congregate vniuerſos*,&c. Ineptè quid ſtatuas,ſi non expendas lentè, conſilio communicato.Sanum,& ſanctum eſt decretum,quod viris magnis, multíſque placet. *Ibi ſalus, vbi multa conſilia*,&c.ait Sapiens *Prou.cap.*4. *n.*14. Neque enim vnus tantùm oculus videt omnia. Suſpectum non eſt, quod multis arridet: conueniunt ſcilicet,non affectu adulandi, ſed veri amore, & Rem amant publicam potius, quàm domeſticam. Formulam de Concilio colligendo præſcribit Magiſter Deus *Matth. cap.*15.*num.*32.Dolet turbam hominum cibo defectam eſſe, curat, ne ieiuna malè habeat; quid igitur meus Ieſus? *Conuocatis diſcipulis ſuis dixit*: *Miſereor turbæ*,&c. An Deus cum hominibus, & Magiſter cum diſcipulis conſultat, quid facto opus eſt ad ſedandam famem hominum? Ait Hieronymus, *vt vel Magiſtris exemplum tribuat, cum minoribus,& diſcipulis communicanda eſſe conſilia*, &c. Perge igitur Princeps Maxime,ac Magiſter optime, conſilium à viris multis cape,ſi rem velis publicam, ac domeſticam rectè adminiſtrare. Sed hac de re ſermo eſt paræneticus *ad cap.*2. *num.* 2.

Prou.4.n.14. *Vnus ad conſilium nullus homo eſt.*

Matth. 15. n.32.

47. Ducunt rationes in Senatu Bethulienſes, vt ſeſe permittant Holophernis arbitrio; vrgéntque negotium argumento duplici: altero, quòd ſit prudentiæ, optare, vt vitam viuant ciues,Deúmque ſacris alliciant ad indulgentiam: etſi iugo premantur ſeruitutis Aſſyriæ: altero, quod præſtet, ſi Deo ita placeat,& fortuna ferat,mori ferro citius, quàm fame lenta perire,cruciatúque diutino;ne vídere cogãtur,quod pungit grauiùs, & ſummũ vxorum opprobrium, & infantum extremum exitium. Multa hiſce rationibus vis ineſt ad perſuadendum. Illud primò notes, quónam bonum in Deum affectu Bethulienſes ferantur; quippe qui malint ſeruitutem ſeruire, quàm mori,vt ſeruitus ſit occaſio Dei colendi, & laudandi: neque enim fortuna aduerſa hoſce homines reuocat à Deo piè honorando;quæ quidem laus eſt gentis optimæ. Dæmoniarcho Deus Iob 2. num.3. *Nunquid*(ait) *conſideraſti ſeruum meum*? &c. Grata eſt Dei ſeruo nomenclatura poſt victoriam. An plura Deus in Iobo laudat? *Recedens* (inquit) *à malo eſt, & adhuc retinens innocentiam*, &c. Quidquid fortunæ proſperæ Iobus habebat, momento in cineres abierat;pauper ex pecunioſo factus, liberis miſerè oppreſſis,indoluerat: quod patet ex *cap.* 1. *num.* 13. Sed mens apprimè bona multis preſſa malis non opprimitur. *Adhuc retinens innocentiam*, &c. Pulchrè Magnus Gregorius *lib.*3. *Mor.cap.*1. Laudatur à Deo Iobus maximè. *Quia mentis innocentiam,quam glorioſè tenuit in tranquillitate, glorioſiùs ſeruauit in vulnere*, &c. Magna profectò virtus eſt, quæ rebus in aduerſis Deum agnoſcit pædagogum mentis optimæ. An hæc Angelo Thyatirenſi laus à Chriſto eſt? Ait Ioannes Apoc.2. num.19. *Noui opera tua,& miniſterium,& patientiam tuam,& opera tua nouiſſima*,&c.Quòd Antiſtes laborum patiens adhuc perſtiterit virtutum cuſtos optimus,& facta rectè factis addiderit, id profectò eſt ſanctitatis Angelicæ. *Hoc*(inquit)*noni, & approbo, quod de bonis profeciſti ad meliora*, &c.Pulchrè ad litem Rupertus *lib.*2. *in Apoc.* Neque enim multis affectus malis viam recti deſeruit Thyatirenſis Angelus. Clamet Deo fretus,quod Apoſtolus glorioſè ad Rom.cap. 8. num.35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?tribulatio?an anguſtia?*&c. Addit Apoſtolus minas, & vires hominum, quibus non cedit magna virtus, *etſi fractus illabatur orbis*, &c. ſed,quod notat Athanaſius,*ſpiritu arreptus ſic fatur*, &c. Laudes igitur Bethulienſes,quibus hæc vna cura Dei colendi,etſi diſtraherentur in ſeruitutem Aſſyriam; quod probant: *Melius eſt enim, vt captiui benedicamus Dominum*, &c.

Aduerſa fortuna excitatur bonus ad pietatem.

Iob.2.n.3.

Magnus homo eſt, qui aduerſis non elangueſcit.

Apoc.2.n.19.

Proficiendum in Dei via eſt.

Rom.8.n.35.

48. Mordet grauiter hoſce homines vxorum calamitas, quam priori exponunt loco; etſi doluerint extingui infantes poſſe manu Aſſyria;ſed grauiſſimum reputant opprobrium, ſi vxores pereant maritis videntibus: *Cùm viderimus vxores noſtras mori*, &c. Seruant Bethulienſes, quod monet Apoſtolus ad Epheſ. cap.5.num.33. *Vnuſquiſque vxorem ſuam,ſicut ſe ipſum diligat*,&c. Natura id magiſtra,& duce præſtant homines; imò caput offerunt, ne vxores malè habeant. quod ex tauro, equo, & cerno probat Theodericus apud Caſſiod. lib. 1. Epiſt. 37. *Feris* (inquit) *inſitum eſt copulam ſuam extrema concertatione defendere*, &c.Hoc rerum aſpectu Sapiens monet viros, vxorum amantes ſint, Prou. cap. 5. num.19. *Cerua* (inquit) *gratiſſima*,&c.Hebraicè אהבים *Ahabim*, *cerua amorum*, &c. Græco textu, ἔλαφος φιλίας,*cerua amicitiæ*.Quæ quidem for-

Eph. 5. n.33.

Prou.5.n.19.

ma loquendi vrget vxorem vnicè amandam esse, cùm cervus pro cerua depugnet validè,

Si coniugio timuere suo
Pr scunt timidi prælia cervi, &c.

Hæc à Seneca in Hippolyt *chor.* 1. Addit vires, acuitque animos vxorum amor irritatus metu iniuriæ; vnde Iudas militem excitat in hostes. *Veniunt* (inquit) *disperdere nos, & vxores* 1.Mach.3. *nostras*, &c. *lib. Machab. 1. cap. 3. num. 20.* Amor iste vxorius & animos erigit Bethulienſibus, vt viros se gerant in acie; & spe abiecta vrget, vt seruitutem optent potius quàm vxores exponant opprobrio. Certum igitur, & constans est viris studium aduersùs vxores, ac reliqua affectus varius, nec vnum semper votum hominum: scio enim, quod patet,

PARÆNET. XXII.

Homines à bono consilio demoueri facilè.

1. NEmo boni tenax: variant affectus hominum, modò in hanc, modò in aduersam partem abeunt; & negat vna dies, quod probat vna dies; sed mutari necesse est mentes hominum, qui fortunam colunt vitream, & inde variam: ab ingenio mobili enata leuitas hominum, quibus minus placet eadem semper bona velle, mala nolle. Hoc laborant vitio Bethulienses, consilio, quod vulgò probauerant, improbato ineptè; sed & Caini caput hoc est, de quo Moyses ad Gen. 4. num. 16. *Habitauit profugus in ter-*
Gen.4 n.16. n.20. *ra*, &c. Hebræo textu נוד, *nod* est. Græcis vox ἐν γῇ ναΐδ, *in terra Naid*, &c. Quæ quidem Magistro Hieronymo terra est, *fluctuans, instabilis, & incertæ sedis*, &c. *ad lib. de quæst. Hebr.*
Varius semper homo est. non quòd terra huiusce nominis fuerit, *sed expletur Dei sententia, quòd huc, atque illuc profugus oberrauerit*, &c. Et nota est gentis humanæ, vt Euripum gerat animo. Sentit Clemens Alex. 2. *strom. cap. 5.* damnatum Cainum ex fallendi studio, vt nullo staret loco; nulla constaret sententia. *Habitauit profugus*, &c. ἐν γῇ ναΐδ, scilicet *in salo, in fluctu, in motu.* Infelix cerebri homo qui Deum falsi è se posse crediderit, cùm rogatus de Abele redderet. *Num custos fratris mei sum ego*, &c. *num. 9.* Modò Clemens, *Qui se sapientem existimat, ea, quæ veritatis sunt, non attingit, instabilibus vtens impulsibus; iure igitur præscriptum est, & habitauit*
Promptus ad fallendum homo, variat mobiliter. *in terra Naid, id est, fluctus*, &c. Prior in sententia Philo est *ad lib. de Cherub.* Quid ego miror Cainum loco, affectúque exerrare? *Necesse est, vt à Dei imaginatione digressa cogitatio, nauis in salo iactatæ ad morem, vltrò, citróque feratur, patriam, domúmque natâ agitationem*, &c. A natura humana id Caino vitium est, vt sedem mentémque mutet varius. Quod in Sabiniano taxat, dolétque Hieronymus. *Quid* (inquit) *longiùs recedis à Dei facie? & habitas in terra Naid*; *& totus in salo fluctuas*? &c. *Epist. 48.* Certum, ac constans est studium bonæ mentis; quod semel arripit, id non deserit: sed amantes scelerum homines, ac amentes rota voluuntur celeri, nec vna constant sententia.

2. Ab hoc rerum motu, & rota facili multos sumit habitus homo quisque, & multos refert colores. Vnumquodque animalium, de quibus *Ezechiel. cap. 1. num. 5.* quadri- Ezech. 1.n.5. forme erat; quod volunt Hieronymus, Theodoret. Lyra. Nam facie erecta homo stabat; à dextra leonina erat forma, à læua bouina facies, à tergo eminebat aquila, quod è textu elicias facilè *num. 6.* vbi Vates: *Quatuor* (inquit) *facies vni*, &c. Sic variam explicat morum supellectilem vnus homo, vt nunc hominem referat bonus genio, nunc leonem exprimat ira percitus, iam taurus cornu petat, iam aquila vngue rapiat; nec vno diutiùs statu permaneat. Vt vitiis, sic formis variat; neque enim vnum sumit habitum duplex Vlysses, ingenióque nobili. quod obseruat Magnus Basilius ad Psalm. 44. *Viden, quàm varia sit & multiformis nostra mutatio? mutamur concupiscentiis*, &c. Plures, quàm Protheus formas induit nusquam vnus, semper à se diuersus homo: quæ humani cerebri nota est. An Ioannes videt homines suapte natura multiformes, ac multicorpores? Erant quidem *facies tanquam facies hominum*, &c. Apocal. 9. Apoc. 9.n.7. num. 7. *Dentes, sicut dentes leonum*, &c *num. 9. Habebant caudas similes scorpionum*, &c. *n. 10.* Dij boni! quæ nam monstra! quàm fœda hominum species! quàm absurda rerum facies! sed hasce induit formas affectus varius: neque enim homo semper homo est. Nunc homo homini lupus, nunc homo homini Deus est; facilè demutatur, genio ad rem mobili: & qui modò refert hominem moribus, statim refert lupum morsibus. Sentit, quod ego, Iustinianus de genio mobili gentis humanæ. *Proponit sibi quod vult; nec in eo, quod sibi proposuit, perseuerat, sed transilit; nec tantùm mutat, sed redit ad ea, quæ priùs deseruit, ac damnauit*, &c. *ad lib. de Perseuerant. cap. 3.*

Non vno homo affectu perstat.

Quot motus, tot formas capit homo.

3. Notat Bernardus virginem Deo sacram variare affectibus rerum plurimarum; nunc enim eo flagrat studio, vt ruat in Dei oscula: *Osculetur me osculo oris sui*, &c. *Cant. 1. num. 1.* Cant. 1. n. 1. nunc eo torpet languore, vt trahi se, non duci poscat ad curam virtutis. *Trahe me post te*, &c. *num. 3.* Modò sponsum expetit, & à fuga absentem reuocat. *Reuertere, similis esto*, &c. *cap. 2. num. 7.* Modò virgo à Deo euo- Cant. 4. n. 8. cata malè cunctatur, cap. 4. num. 8. *Veni de* cap. 5. n. 1. *Libano, veni de Libano, veni*, &c. Iam Deum virgo inuitat in hortum genialem, c. 5. n. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c. Iam lectulo affixa Deum abigit quodammodo, cùm moras agit in aperienda ianua; *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* &c. *n 3. cap. 5.* sed varium, & mutabile semper fœmina: *Varium, & mutabile semper fœmina.* quod heri annuerat, abnuit hodie; nec vno, & eodem voto viunt. sic & bonus quisque persæpe variat, Bernardo Magistro, *Vides ne illum, qui in spiritu ambulat, nequaquam permanere in eodem statu, nec eadem semper facilitate proficere*, &c. *sermon. 21. in Cantic.* Crebra adeò affectionum est mutatio; quæ humanæ gentis nota est, & Bethulienſium macula, cùm velint abrogatum senatusconsultum, quod iam olim probauerant; & deditionem sui ament, quam priùs abhorruetant: *vt sponte tradamus nos*, &c. Sentit natura

piè

piè affecta,dolétque grauiter quàm multis se mutationibus patere. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit,& parturit vsque adhuc*, &c. ait Apostolus *ad Rom. 8. num. 12.* quod Hieronymus de viris bonis interpretatur.Cur tamen dolent, ingemiscunt, & cruciantur, quasi non pariant,dum parturiunt?addit Paulus num.10. *Vanitati creatura subiecta est*, &c. Hæc dolendi occasio viris bonis est. Torquentur, cùm mutantur: dolorem auget crebra mutatio, animi scilicet, & corpusculi: *propter quam ingemiscit, & parturit vsque adhuc*, &c. notat Bernardus *serm. 1. ad Is. cap. 6.*

4. Laudo ego rerum bonarum tenaces homines, qui vno,& eodem semper voto constant. *Proprium enim ægri est, nihil diu pati,& mutationibus,vt remediis vti*,&c.ait Seneca *de Tranquillit. cap.2.* Qui morbo affectus dolet,crebrò per loca trahitur, sanitatem mutationibus emendicans;sed qui rectè valet, vno, & eodem perstat loco; nec tam multis versatur locis, qui sedem, mentemque mutat. *Apud nos illud quoque Pythagoræum dictum est: Oportet vnum esse hominem*, &c. ait Clem. Alex. 4. *Strom.cap.7.* quod ad iustum,ac tenacem propositi virum referas, necesse est;sic enim Pythagoram explicat Seneca Epist. 120. *Præter sapientem* (inquit) *nemo vnum agit; cæteri multiformes sunt*, &c. Quot struunt fraudes, tot formas induunt scelerum affines homines.

Bonus homo vnum agit hominem.

5. Inde sua Deo laus est: *Dominus enim Deus, Dominus vnus est*, &c. ait Moyses *Deut.cap. 6. num. 4.* & quòd vna Deus est natura simplex, & quòd mutari nescierit: sic ille apud Malach.cap.3.num.6. *Ego Dominus,& non mutor*, &c. Vnus igitur homo est, qui vnam viuendi rationem seruet; *cùm vnus sit Deus per immutabilem habitum,quòd bona semper currant*,&c. Addit Clemens Alex. *loco cit.* scitè Magister: θεὸς enim Deus est, à verbo θεῖν,quod est *curro*, scilicet ad benefaciendum, vno,& perpetuo agendi modo. Video, quo merito Ambrosius lib.1. Epist. 1. *Et tu*(inquit)*ad similitudinem Domini vnus esto:non hodie pacificus, & crastina die litigiosus;hodie frugi,crastina die incontinens. Mutatur enim vnusquisque morum varietate,& fit alter, sui degener*, &c. Fortasse laudat Ambrosius modum agendi probatum ab Elcana. de quo textus 1. Reg. cap.1. n. 1. *Fuit vir vnus*,&c. Mitto,quæ in Mendoça legas;illud addo ex Hieronymo. *Non enim per diuersa mobilis,atque instabilis ferebatur;sed firmus, atque inconcussus persistens, vir vnus erat*, &c. Quæ nam hæc viri magni laus fuerit,appositè exponit Seneca Epist.cit. *Rem magnam puta, vnum agere hominem*,&c. Vide Magnum Gregor. *lib.Mor.7.cap.14.* Dictum huc vsque mutasse Bethulienses consilium de vrbe tuenda, & hoste pulsando. Agendum modò est de Senatu ad rem collecto; illud enim addunt homines, *& nunc congregate vniuersos*, &c. *num.* 15. scilicet, qui de Rep.deliberent: planum vt fiat

Bonus homo affectu non variat.

Dent. 6. n.4.

Mal.3. n.6.

1.Reg. 1. n.1.

PARÆNET. XXIII.

Sanum esse consilium multorum capitum.

VNus homo ad deliberandum, nullus homo est,etsi felix cerebri; multis enim oculis multa patent:quod iste nescit,id ille nouit; proindeque vt dubiis fidem concilies, multos magnos viros consulas,oporter. Prudens,scienſque egeris, quidquid aggrediaris, consilio multorum capitum. Iusta videtur postulatio, quæ à multis fit hominibus: sana schola,quæ multis gaudet Magistris: castum iudicium, quod multis probatur iudicibus; firmúmque testimonium, quod multis fulcitur testibus.Postulat Apostolus, vt Philemon Onesimum piè,& amicè recipiat; sed Timotheum precibus addit socium.*Paulus*(inquit) *vinctus,& Timotheus frater*, &c. Vrget Paulus scholam Corinthiam, vt vitam instituat ex legumscitis. Miscent operam, *Paulus vocatus Apostolus,& Sosthenes frater*,&c.1.*ad Corinth.c. 1.num. 1.* Mittit literas Magister hominum, quibus monet Colossenses. In aditu signant *Paulus,& Syluanus,& Timotheus*,&c. 1.*ad Colossens. cap.1. num.1.*Quid est,quòd Apostolus ad auditores permouendos,tot apponit testes disciplinæ Euangelicæ?Bene Hieronymus ad Philemon. *vt Epistola maiorem haberet auctoritatem, quæ non ab vno scriberetur*, &c. Certè multa è sacro Senatu capita, si conueniunt multam dubiis fidem,multámque nouis rebus auctoritatem conciliant.

1.

Ad Philem. n.1.

1.Corinth.1. n.1.

1. Coloss. 1. n.1.

Multa decreti auctoritas è multo capitum numero.

Cogit Moyses homines è populo vniuerso Principes ad Chananæum explorandum. Num. cap. 13. num. 4. *Fecitque Moyses,quod Dominus imperauerat, mittens Principes viros*, &c.Quòd miserit homines, explicat Moyses num. 3. *singulos de singulis tribubus*, &c. Prudentior sciolis videretur Moyses, si pauciores emitteret homines,qui negotium peragerent sine strepitu, sine metu, ac de locis in loca transmearent facilè:sed multos, Deo iubente, viros mittit, *vt melius possent consilium capere*, &c. ait Abulensis *quæst. 16.* Exploratores terrarum alienarum multis patent difficultatibus rerum; quibus soluendis opus est consilio.An vnius tantùm capitis? *sed firmum est consilium,quod multorum est*,&c.addit Abulensis. Probatos hoc argumento iudices Deus voluit, quibus aures daret faciles gens vniuersa, si quid statuerent, Senatu euocato. Ad Moysen Deus Num.cap.11.num.16.*Congrega* (inquit) *mihi septuaginta viros*, &c. Factum tot hominum delectum putat Abulensis, qui lites soluerent,*vt quando omnes,aut plures concordarent, certum esset, iustum esse,quod ab illis definiretur*, &c. *quæst. 66.* Neque enim facilè conueniunt,vt abeant à bono, & vero multi, magníque viri,si quid videt Abulensis. *Et humana* (inquit) *iura dicunt firmum esse iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur*,&c.Hoc vno consilio Senatores pessimi Christum vi raptum deferunt ad iudices plurimos, ab Anna ad Caipham, à Caipha ad Pilatum. quod habet Ioannes *cap. 18. num. 13. 24. 28.* Tam multos ante iudices sistitur amoris reus, vt quo plures iudices ferrent sententiam, grauior Deo iniuria fieret; & iustior in reum censura

2.

Num.13.n.4.

Sanum è multis viris consilium, ac firmum est.

Numer. 11 n.16.

Quod multis, bonisque placet,iustum est consilium.

Io.18. n.18.

censura videretur, quæ tam multis, doctísque viris placuisset. Bene Salmeron tom. 10 tract. 19. *Factum hoc est, vt quo Christi condemnatio a pluribus fieret, eo esset Christo ignominiosior, & infstior videretur apud populum*, &c. Sed quæ in iudicando, hæc & in testando est auctoritas multorum hominum, cùm attingant plerumque veri scopum, si conueniant. Sancitum Deiscito est, vt parentes filium ceruicosum deferant ad iudices, Deut. 21. num. 18. *Si genuerit homo filium contumacem, qui non audiat Patris, ac matris imperium*, &c. Mala omnino bestia, quæ paterno, maternóque nexu non tenetur. *Apprehendent eum, & ducent ad Iudices*, &c. *num.* 19. scilicet, cùm parentes conueniant, & consilio inito, filium accusent, benè testes agunt proteruiæ domesticæ. *Quia veritatem accusationis co nprobat accusantium concordia*, &c. ait Theodoretus *quæst.* 20. & patet ex *l. vbi, ff. de testib.* & ex *cap. licet vniuersis, de testibus.*

Deut. 21. n. 18.

Quo plures sunt testes, eo firmior est accusatio.

3. Hac via Sapiens suam probat scholam, ne quis non admittat, quod multis, magnísque magistris placuit. *Verba* (inquit) *sapientum, sicut stimuli, quæ per Magistrorum consilium data sunt*, &c. *Ecclesiast. cap. 12. n. 11.* De multis, magnísque viris meminit Ecclesiastes, à quibus doctrinam exceperat; magistrósque hominum monitos esse voluit, ne suo fidant cerebro, vt verba latè faciant. *Nec auctoritate vnius, sed consilio, & consensu Magistrorum proferantur*, &c. ait Hieronymus. Vel in re Euangelica vrget admonitio. Nam multus est Ioannes in Ioanne laudando, ad cap. 1. num. 6. *Fuit homo* (inquit) *missus à Deo, cui nomen erat Ioannes*, &c. Ab officio, & nomenclatura Ioannes Magnum commendat Ioannem. Deinde addit, *Hic venit in testimonium*, &c. Illúdque voluit Apostolus se, ac Magnum Ioannem verè testes esse notæ veritatis, vt de Christo Deo ferrent testimonium probatissimum. Sic enim ille de se, ad cap. 20. num. 24. *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his*, &c. Proindéque, ne quis de Magistro Deo esset dubius, testes adhibet Apostolus, & vtrumque laudat Ioannem, quo firmum videri posset, constánsque iudicium. Pulchrè Cyr. Alexand. lib. 1. in Ioann. cap. 7. *Quoniam per Moysen dictum diuinitus est*, Deut. 19. num. 15. *in trium ore, aut duorum hominum omne verbum stare; magnæ auctoritatis testem sibi adiungit*, &c. Quasi ad fidem dictis faciendam opus esset, vt quæ Ecc. 12. n. 11.

Nemo suo fidat cerebro ad dicendum, ad docendum.

Io. 1. n. 6.

Io. 20. n. 24.

Plures de re Euangelica testes placent.

Ioannes prædixerat, Magister probaret, & Ioannes alter. Parùm sibi fidit Apostolus; *sed cùm ipse testatur grauissimo Baptistæ vtitur testimonio*, &c. addit Cyrillus. Et erit qui neget sanum esse consilium, firmum iudicium, probatumque testimonium, quod à multis est, magnísque viris; negent id homines emoti cerebri.

4. Quis non videt adesse Christo, cùm Ithabyrium sua adornauit gloria, homines quasi spectatores magnarum rerum? Describit Matthæus apparatum notæ maiestatis, *cap.* 17. *num.* 1. vbi Christus Dominus *assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem*, &c. In summo Ithabyrio, cùm Magister suam ex intimis gloriam effunderet, adsunt & Moyses, & Helias, quod patet ex n. 3. *In consortio claritatis*, &c. addit Tertullianus 4. *contra Marcion. c.* 22. Cur Magister Deus hosce adducit homines? an se vt venditet humanis oculis gloriosè? Ab vtroque Senatu, prophetico scilicet, & Apostolico magnos producit homines: *non quasi cæteros reprobans; sed, quoniam in tribus testibus stat omne verbum*, &c. Docet Tertullianus *de Præscript. cap.* 22. Firmum Deus testimonium hominum videri voluit, multos sua de gloria testes, & spectatores conducit. Quid? si & multos conuocat Angelos? Christo nato, aduolat Angelus ad pastores, & infantem suo in antro bellè natum edicit, Luc. cap. 2. n. 11. *Natus est vobis hodie Saluator*, &c. Satin hæc ab vno tantùm Angelo denuntiato? addit Lucas num. 13. *& subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis*, &c. Aduolat Angelus in officium, aduolant & alij: canit Angelus, accinunt & alij: testatur Angelus, attestantur & alij Infantem Deum in antro natum vagire, *vt excellentius fieret testimonium, cui militiæ cælestis multitudo concineret.* &c. Ait Magnus Leo *serm.* 10. *de Natiuit.* Vide Cypr. sciebat Pater multam Christo laudem fore, si filium à se genitum prodiceret; cùm tulit occasio, è cœlo deuolat, & voce exerta, *Hic est* (inquit) *filius meus dilectus*, &c. *Matth.* 3. *n.* 17. Audit Christus Patris vocem, quæ abundè posset fidem rebus facere: sed *& vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam*, &c. *num.* 16. scilicet, firmare columba hæc Dei testimonium visa est, vt in ore duorum testium staret verbum de Christo Deo. Pulchrè ad iitem Nazianzenus Orat. 40. *Spiritus* (inquit) *diuinitatis testimonium affert, nimirum ad Patrem accurrens*, &c. Cùm testatur Pater, aduolat Spiritus, quasi manum addens, & vocem excipit, & confirmat. Sanum igitur, firmumque vt esset consilium de Rep. senatum iuxtà, ac populum consilio capiendo collectum voluere Bethulienses: *& nunc congregate vniuersos*, &c. Vrgebat scilicet metus ingens, vt se permitterent arbitrio Holophernis; & putabant, re bene excussa, deditionem opprobrio anteferendam esse, modò esset occasio Dei ritè colendi; quod addunt homines num. 16. *Melius est enim, vt captiui benedicamus Dominum*, &c. Mente id sana boni homines: qui ne fortuna quidem aduersa pietatem, ac religionem animo abiunt; imò docent

Matth. 17. n. 1.

Probatam Christus gloriam voluit assensu multorum capitum.

Luc. 2. n. 11.

Firmum à choro Angelico testimonium.

Matth. 3. n. 17.

Firmant testimonium testes plurimi.

PARÆNET. XXIV.

Mentem Deo piam aduersis tactam canere.

1. IObi est aduersis iactari, non turbari; moueri, non emoueri à pio in Deum cultu, & cantu. Pereunt tacti de cœlo greges; camelos rapit Chaldæus latro, domo quassata ventus liberos opprimit. in hac rerum fortuna Pater Deum suo laudat cantu; *sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*, &c. *cap.* 1. *num.* 21. Morbo affectus, & confectus iacet, dolétque Iobus. Disputat de cœli tractu, de monstris Oceani, de terrarum cultu, de astrorum cursu; de choro Angelico, de summo Deo. Totus in hisce rebus Iobus est, & liber de hac schola totus agit. Mentem Iobo

Iob 1. 8. 21.

bo non ademit fortuna aduersa, quo minus Deum coleret, caneret. Affecto malè corpusculo mens altè videt, & piè sapit. *In calamitatibus philosophans, & eam nostri partem, quæ in aspectum non cadit, eleuans, ac despuens*, &c. ait Nazianzenus *Orat.* 16. Iobus enim malis pressus, vt dolorem premat, cœlo mentem figit, & meditatione purgat intima. Iactatur quidem magnus homo, sed non turbatur, patientiæ custos rigidus, nec à Deo colendo, & canendo auersus abit.

Virum bonum à Deo non auertit aduersa fortuna.

2. Nec Paulo nocent difficultates rerum acerbissimarum, quo minus Deum colat, & laudet. Quid acerbi Paulus non pertulit? *In laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*, &c. 2. *ad Corinth. cap.* 11. *numer.* 23. An hæc moles rerum aduersarum Paulum abripit à Dei oculis, & osculis? à Dei cultu, & cantu? *Deus* (inquit) *& Pater Domini nostri, qui est benedictus in sæcula, scit, quòd non mentior*, &c. *num.* 31. Deinde toto in cœlum tendit animo cap. 12. num. 2. *Scio hominem* (ait Paulus) *raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum*, &c. Non ita premitur, obruitúrque aduersis Apostolus, vt è terris astra non petat, nec caput inter sydera condat. Fœda quidem aduersis est, sed pulchra studiis anima; *etsi nigra foris, sed intus formosa est*, ait Bernardus. *Felix nigredo, quæ mentis candorem parit*, &c. *serm.* 25. *in Cant.* Non obtundit aciem mentis optimæ vis difficultatum plurimarum; nigrescit corpusculum difficultatibus, non ægrescit anima, sed vrgetur ad explicandum lentè, & latè, quidquid pertulerat. Vide quænam Paulo est laborum patientia? cùm exponat Apostolus quid in terris pertulisset, explet numeros 23. & 29. *periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus*, &c. Cùm verò expendat, quid in astris peruidisset, vnam omnino visionem explicat, & parit, & rectè. *Scio hominem*, &c. Quo id aspectu fecerit Apostolus, docet Nazianzenus ad carm. de præcept. Virgin. *Tristibus ille magis gaudet, quàm rebus optimis*, &c. Quòd Paulus immoratur laboribus exponendis, non visionibus, idcirco factum, vt scias, altum Paulo gaudium, imò canticum esse, cùm exponat Deo, quot labores subierat pro schola Euangelica.

2. Cor. 11. n. 23. & c. 12. n. 2.

Aduersis pulchra iusti viri facies.

3. Dij Magni! quo sese affectu, & cantu effert virgo sapiens, post fustes, post enses? *Percusserunt me* (inquit,) *& vulnerauerunt me*, &c. *Cant. cap.* 5. *num.* 7. An hæc fortuna tam fœda, quàm sæua amores oppressit virginis charissimæ? Illud Virgo imperat virginibus aliis. Obsecro, & obtestor num. 8. *vt nuntietis, quia amore langueo*, &c. Addit in proximo laudes Magni Dei: etsi pulsari, vulneratíque virginem passus esset. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*, &c. *num.* 10. Patitur virgo quidquid acerbi est, nec tamen de custodibus queritur, nec cum Deo expostulat, qui ad iniuriam conniueret; imò ignes animo acriores alit, & laudes canit longiores *à num.* 11. *ad num.* 16. quasi Deo gratificata opportunitatem patiendi. Iam pridem virgo hæc Deo gratificata fuerat; quidquid pertulerat à fraterna inuidia. Nam cap. 1. n. 5. *Filij* (inquit) *matris meæ pugnauerunt contra me*, &c. Dubitent fortasse alij, queratur ne virgo de re aduersa, an glorietur? cùm fratres sibi infestos dixerit; dicit tamen, Bernardo Magistro, *non quasi gemens, aut querens; sed quasi gaudens, & gratias agens, insuper & gratulans*, &c. *sermon.* 29. Ita sese habet rebus in aduersis mens pia quæque: mouetur quidem ea vi rerum aduersarum, non tamen emouetur à pio in Deum officio, & casto laudum cantu. Carmen Vates pangit, quod adornat Epigraphe, *Oratio pro ignorantibus*, &c. *Habac.* 3. Græco textu; *Oratio cum Cantico*, &c. Cantat Vates, quæ solitus: pestem ouium, boumque vltimam: *abscindetur de ouili pecus*, &c. *n.* 17. siccitates agrorum, extrema rerum inopia, *& arua non afferent cibum*, &c. Morbos cælo corrupto graues; & grassantem vbique locorum mortem. *Ingrediatur putredo in ossibus meis*, &c. *num.* 16. Hoc ne argumentum canendi est, ac deplorandi? certè patiendi occasio, canendi ratio est bono viro. *Ego* (inquit) *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*, &c. *num.* 18. ac proinde quadrat bene in carmen propheticum Græca Epigraphe, προσευχὴ μετ' ᾠδῆς, *Oratio cum cantico*, &c. explicans liquidò, gratificari Deo bonos viros, si quid ferant malæ fortunæ. Ita Cyprian. lib. 1. contra Demetrian. *Viget apud nos inter ipsas sæculi labentis ruinas erecta mens, & nunquam nisi læta patientia, ac de suo Deo anima semper secura*, &c. cùm bonus quisque Deo præfidat, non sibi, quidquid acerbitatum est, aut tolerat, aut vincit facilè; vnde parata gaudendi via est, & nata Dei laudandi ratio.

Cant. 5. n. 7.

Aduersis fruitur, non dolet iustus.

Cant. 1. n. 5.

Deo gratificatur, quidquid patitur bona virgo.

Habac. 3. n. 16. 17. 18.

Patiendi occasio viro bono est canendi ratio.

4. Præit facto Magister Deus, qui dum panem frangit in sacramentum Eucharisticum, & vinum mutat in sanguinem, discipulísque vtrumque diuidit, gratias Deo actitat *Matth.* 26. *num.* 26. De sacra Hostia illud est, *Accepit Iesus panem, & gratias agens fregit*, &c. 1. *ad Corinth. c.* 11. *num.* 24. De vino ritè consecrato & illud Matth. loco cit. num. 27. *& accipiens calicem, gratias egit*, &c. Diuiso in Apostolos sacramento Eucharistico, obuersatur Christo ob oculos, tota crucis iniuria; quàm libenter sustinens gratificatur, *vt ostendat se non ingratiis fractionem sui corporis, id est, occisionem suscipere*, &c. Hæc à Theophylacto. quare lætus adeò ad crucem festinat, vt nisi *hymno dicto*, hortum discipuli, cum Magistro, non petant. Græcè, *ὑμνήσαντες, Deo laudem canentes*, &c. scilicet, cùm Magister præcineret, discipuli canebant. Quò mi Domine Cycnæum tibi carmen est, cùm fœdam crucè, & sæuam necem in oculis habeas? Pulchrè Victor Antiochen. canit Magister Deus in extrema vitæ linea. *Nos quoque admonens, vt aduersa grato, patientique animo perferamus*, &c. Hæc Bethulienfibus mens vna erat, vt Deum canerent, à Deo venditi in seruitutem Assyriam; & id mali pati malunt, quàm perire fame, cùm sit occasio gratificandi ratio patiendi. *Melius est enim, vt captiui benedicamus Dominum*, &c. Vrget deinde miseros homines vxorum iniuria, si Holophernes vrbem capiat, quibus vt consulant, pati

4.

Matth. 26. n. 26. 1. Cor. 11. n. 24.

Læta Christo est patientia.

Matth. loco cit. n. 30.

Ferendum læto animo quidquid acerbi est.

pati seruitutem malunt. Telum profectò ingens aduersùs bonos viros est vxorum iniuria, quam proinde adducũt in Concilium: *Cùm viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori*, &c. Liberis etsi charissimis vxores præferunt boni viri, satisque insinuant,

PARÆNET. XXV.

Vxorem bono viro constanter amandam esse.

1. ARdentes, & comitatos laudo affectus coniugum, eo constantiores, quo honestiores, si ie thori seruata, & honore amanter addito. Testantur enim Bethulienses, quo affectu suas amplecterentur vxores, cùm nec vita, nec morte distrahi vellent: video, quo amore suum traxere iugum, à quo scilicet coniugium est, Magistro Ambrosio *ad lib. 3. de Virgin.* vbi Antistes, *Bonum* (inquit) *est coniugium; sed à iugo tractum, & à mundi iugo*, &c. Quidquid in iugo maritali graue est, coniugium commune est. Iunguntur coniuges nexu quodam inter se amatorio, ne qua sit fortuna, quam subire non cogantur. Vnde fit, vt iugum non excutiant, quod amanter ferunt. Tria quidem sunt, quæ Deo, hominibúsque probantur, & probat Syracides, in quibus *vir, & mulier sivi consentientes*, &c. *c. 25. n. 1.* Græco textu, συμφέρει φρονίμοις. hoc est, *simul circunferentes*, &c. Iugum scilicet coniugum: prosperis quidem graue, sed aduersis grauius, cùm fames angit, morbus premit, hostis vrget. Sed amorem, & honorem vxoribus impendant viri, necesse est, *vt honorabile sit connubium in omnibus*, &c. ait Apostolus *ad Hebr. c. 13. n. 4.* quod ad vtramque fortunam pertinet. Vrgetur enim maritus ad vxorem redamandam, siue cùm fortuna arridet prosperis, siue cùm eadem irridet aduersis, & hæc Athanasio probatur explicatio; sic ille: *Honorabile connubium in omnibus. Hoc est, quibusuis modis, & quibusuis temporibus*, &c. scilicet prosperis, aduersis.

A iugo coniugium.

Eccles. 25. n. 1.

Dura coniugum fortuna est.

Hebr. 13. n. 4. *Vxor vtroque facto colenda.*

2. Natura id magistra præstandum est: *Nemo enim carnem suam odio vnquam habuit*, &c. ait Apostolus *ad Ephes. c. 5. n. 29.* & textus est de affectu maritali. Quare Heuam Deus ex Adami costa factã voluit, vt vir vxorem quasi bonam sui partem amaret, nutriret, foueret. Quod notat Moyses Antistes ad lib. de Parad. p. 1. *vt altiori constringeret amore virum, & fœminam, eo quòd hæc ex illo orta esset*, &c. Multis agit Moyses, vt doceat, posse homines discordia bona distrahi, *Deut. 33. n. 9.* Laudat Vates gentem Leuiticam, & aggerit: *qui dixit Patri suo, & matri suæ, Nescio vos, & fratribus suis, Ignoro vos, & nescierunt filios suos*, &c. Sed & Christus multis agit, vt edoceat religionem affectibus domesticis anteponendam esse, *Matth. 10 n. 35.* Nusquã textus meminit de vxore ableganda, ne quis putaret matrimoniũ facilè rescindendũ esse, *excepta causa fornicationis*, &c. Rupertus benè lib. 2. in Gen. c. 38. *Cùm hæc dicit sancta, & iusta lex, notandum, quòd solam vxorem præterit: quia videlicet patrem, & matrem, fratres, & filios nescire licet illi, qui eloquiũ custodire, & pactum eius cupit; & quamquam reluctantes, & inuitos, relinquere iure licet, sola vxor est, quam nisi*

Duce natura, ingens cognatis amor est.

Deut. 33. n. 9.

Matth. 10. n. 35.

Vxor perpetuò colenda.

volentem, & idem propositum amplectentem, dimitti fas non est, &c. Agit Rupertus *de voto castitatis religiosæ.* Quis igitur homo separet, quod Deus coniunxit? Hac via Deus ignes accendit coniugales; sed faces extinguit rixæ domesticæ, cũ vnam Adamo vxorem prospicit. *& ædificauit Dominus Deus costam in mulierem*, &c. *Gen. 2. n. 22.* non in mulieres; quod placet Hieronymo. *Vna enim costa vnam in vxorem versa est*, &c. *lib. 1. contra Iouin.* Vrgétque facto bonus Deus, ne duplex viro vxor domum turbet, rixa perpetua.

Alit dissidium vxor duplex. Gen. 2. n. 22.

3. Pulchrum Dei scitum est de fœmina, quam bello captam Hebræus sibi coniugasset vxorem, si post copulam displiceret, 21. n. 14. *Si non placuerit animo tuo, dimittes eam liberam*, &c. Cur Hebræus vxorem, matrimonio rescisso, turpiter eiicit? An ne, si vxor accedat altera, miscebitur domus rixa perpetua? Ait Clem. Alex. 2. *Strom. c. 8.* Scitè admodũ à Deo cautũ est, *ne si alia fuerit ingressa mulier, graue aliquid, & intolerabile accidat ex zelotypia*, &c. Sic auertit Deus ab honorabili coniugio occasiones dissidendi. A quo Labanus mentem hausit, vt Iacobum vrgeret sacramento. Pactum init Labanus cum genero, & addit Gen. 31. n. 49. *Iudicet Dominus inter nos, quando recesserimus à nobis*, &c. Hæc pacti ineundi formula, Deo in Iudicem euocato. Deinde rem pacto cauendã explicat n. 50. *Si afflixeris filias meas*, &c. Credit Rupertus Labanũ de Lia agere, vtpote quã Iacobo in thorũ maritalem intruserat dolo malo. *Hæc cùm diceret, maximè pro Lia solicitus erat, quam inexpetitam, indotatam, vultúque despicabilem occulto immiserat*, &c. *lib. 7. in Gen. c. 46.* Et quidem Labanus, in metu erat probabili, si Iacobus vita sanctus non esset. Vtrãque tamen Iacobi vxorem Labanus commendatam, & vindicatam voluit ab iniuria: agendi ratio in proximo est. *Etsi introduxeris alias vxores, super illas*, &c. Abundè Labanus docet, quæ nã sit inter coniuges occasio dissidendi; alterius scilicet vxoris, ne dum meretricis amor. Consultum fœminis parer voluit; *quia si alias nouiter introduceret, illas magis diligeret, & faceret dominari prioribus vxoribus; quod erat iniustum*, &c. Sic Abulensis.

Dolum dolo vincit malus homo.

Deut. 21. n. 14.

4. Abigat igitur maritus occasiones diuidiæ vxoriæ, honore addito: nec vxorem sibi ancillam à pedibus esse credat. Neque enim de viri pede Heuam Deus procreat, ne putaret Adamus vxorem pedibus atterendam esse: quod notat Antistes Moyses loco cit. *Ne vir fœminam multo inferiorem, humiliorémque æstimaret*, &c. Sed addo Heuam nec de viri cerebro enatam esse, *ne fœmina principatum affectaret, qui viri est*, &c. Theodoretus *q. 30. in Gen.* Ius quidem est, vt *vnusquisque suam vxorem, sicut se ipsum diligat*, &c. quod monet Apostolus *ad Ephes. c. 5. n. 33.* Sed & fas est, vt *vxor timeat virũ suum*, &c. quod Paulus assuit Quasi velit, cõstare pacem maritalẽ non posse, nisi maritus dicat, vxor timeat. Honorabile hac via coniugium inter Isaacum, & Rebeccam. Isaacus enim Hebræa schola, risus est; Rebecca verò patientia: quod expendit Clem. Alex. *Et risus à tolerantia adiuuatur*, &c. *lib. 1. Pædag. c. 5.* vt risum vxor à viro eliciat, patienter agat; risum patien-

Diuidia ex Zelotypia.

Nata inter coniuges diuidia ex affectu alieno.

Vxor honore honestanda.

Ecc. 5. n. 33. *Modestè vxor agat, ne quæ sint dissidia.*

tia impetrabit. Itaque mariti risu iuuatur vxor, & vxoris patientia maritus.

5. Bonus omnino maritus Samson est. Vr-
Iud. 14. n.8. bem petit, vnde vxorem cupit, Iud. c.14.n.8. *Et post aliquot dies reuertens, vt acciperet eam, declinauit, vt videret cadauer leonis: & ecce examen apum in ore leonis erat, & fauus mellis*, &c. Schema est, qua maritus quisque ad-
Vxor fauo mulcenda. monetur, vxorem fauo mulcendam, & manu tuendam esse, cùm id occasio tulerit, leonem maritus premat, ne prematur vxor; fauum offerat, vt vxorem alliciat. *Hæc enim sponsam munera decent*, &c. quod visum Ambrosio est *lib.9. Epist. 70. ad Vigilium.* Videturque Antistes adesse Paulo, qui ad Colos-
Coloss. 3. n. 19. sens.c. 3. n. 19. *Viri* (inquit) *diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas*, &c. Dotes sunt, quibus maritus suum in vxore amanda affectum, & suam in thoro tuendo curam probat. Vtroque flagrant studio Bethulienses, qui de vxoribus prius, quàm de liberis tuendis cogitant. *Cùm viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori*, &c.

— *Nec turpe marito est*
Aspera pro caro bella tulisse thoro, &c.

scribit Hermione suum ad Orestem.

6. Insanus amore iuxtà, ac dolore maritus est, cùm vxorem iniuria affectam videt. Quare eo morsu fratres Moysen petunt, vt pun-
Num. 12. n. 1. 3. gant, lancinéntque grauiùs. Num.c.12. n.1. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen, propter vxorem eius Æthiopissam*, &c. Et quidem hac vna re commoueri Moyses potuit, licèt miti esset ingenio; si Deus è vestigio
Dolet maritus grauiter vxore grauiter affecta. dissidium non sedaret. *Quod cùm audisset Dominus, statim locutus est*, &c. *n.*3. Quid inde? resarcita vxoris iniuria, suum Moyses dolorem non punit, satis sibi factum putans. Quàm læta virgo debuccinat? *Ego murus, & vbera*
Cant. 8.n.10. *mea sicut turris*, &c. *Cant.*8.*n.*10. Deliberauerant fratres, quo pacto muros, & turres erigerent, vt sororem viro allocatam benè tuerentur. *Si murus est* (addunt fratres) *ædificemus super eum propugnacula argentea*, &c. *n.*9. Hæc vbi soror virgo resciuit, fratres admonet de
Latè pro vxore maritus pugnat. sua, bonáque fortuna. *Ego murus*, (inquit) *& vbera mea, sicut turris*, &c. Ac si vellet. Opus non est, vt muros, turréscque extruatis; abundè mihi harunce rerum est: *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, &c. Cùm virum mei amantem habeam, non expugnat hostis, etsi oppugnet; atque vt fruar pacis otio, meum tuetur honorem coniux optimus. Vires auget vxor, vt maritus pugnet acerrimè, vxorem, & liberos vendicet ab iniuria.
Iud.8.n.9.21. Statuit Danites secum, vt vrbem capiat abundantem omni rerum copia, *Iud.*8 *n.*9. Pergit miles armis instructus, ad rem benè gerendam. *Et ante se ire fecerunt parvulos*, &c. *n.*21. scilicet infantes cum vxoribus Danites extulit; quod Persa fecit, tentatus bello Græcanico. Id verò, *vt excitati amore istorum pugnarent acriter; & non putarent, propter quemuis sinistrum casum, statim fugiendum esse*, &c. Pulchrè Abulensis. Vtroque malo vrgentur Bethulienses, ad Holophernem malè trudẽdum, scilicet, ne vxores, & infantes pereãt: quæ deliberandi ratio est, Senatu ad litem discutiendam collecto. Id enim obiiciũt. *Cùm viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori*, &c.
Acterrimè pro familia Pater dimicat.

Num. 17. Contestamur hodie cœlum, & terram, & Deum Patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundùm peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holophernis, & sit finis noster brevis, in ore gladij, *&c.*

Commentarius.

DEo in testem laudato, Senatores adigit populus, vrbem vt Assyrio dedant; sed terram, cœlũque Deo miscet in testimonium, quo Senatores permoueat fortiùs ad negotiũ peragendum. Hebraismũ in contestandi formula agnoscit Oleastrius, & Doctor Mendoça *ad* 1.*Reg.c.*8.*n.*9. inibi, quæ satis sunt, addit ex sacris literis *Exod. c.* 19. *n.*2. *Psal.*80. *n.*7. *Act.*20.*n.*16. quæ posset, plura non addit. Sed Hebraismus est, quo res terra, cœlóque testibus explicatur, fortitérque proponitur, vt nullo deinde possit dolo eludi, ac negari. quo agendi modo Moyses Deut. 32. n. 1. *Audite* (inquit) *cœli, quæ loquor, audias terra*, &c. A quo Isaias c.1.n.2. *Audite cœli, & auribus percipe terra*, &c. Montes iustæ censuræ testes euocat Michæas c.5. n. 2. *Audiant montes iudicium Domini*, &c. Ita cũ terra, cœlóque loquuntur Vates; ne quis fraudem struat Deiscitis, cùm testes rerum non desint. Benè Rupertus *lib.* 1. *in Deut. c.*7. tropum sacro textu inductum laudat; *quasi dicat: Vos cœli, qui superstites eritis, & tu terra, quæ in æternum stabis, accedite ad audiendum, state ad testificandum: vt cùm iniquè egerint, & à via Domini declinauerint, vos, iuxta maledictiones superiùs propositas, vos* (inquam) *cœli sitis desuper æi; & tu terra, quam ipsi calcant, ferrea sis*, &c. Itaque testimonium à terra & cœlo est diuinæ iustitiæ; cũ terra, cœlo negante, inarescit, famémque minatur improbis hominibus. 49.
1.Reg. 8.n.9. Exod. 19.n.1. Psal. 80. n.7. Act.20.n.16. Deut.32.n.1. Isa.1.n.2. Mich. 5.n.2. *Testãtur Dei iustitiam calamitates hominum.*

Testantur in lapides, cùm vrbem solo adæquat hostis: vnde Magister Deus hosce testes adducit, vt perfidiam carpat Iudaicam. Occlamat Deo turba, Luc. 19. n. 38. *Benedictus, qui venit, Rex*, &c. Inuidet Pharisæus, & Magistrũ monet, vt silentium imperet occlamantibus; ad hæc Magister: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, &c. *n.*40. Itaque testes erũt vestræ perfidiæ, & inuidiæ lapides; & clamabunt, addit Rupertus, *Dum non remanebit lapis super lapidem, qui non destruatur*, &c. *ad lib.*12. *de Vict. c.*7. Quid enim aliud attestatur Ierosolyma, ferro, igníque vastata, nisi Hebræũ malè de Christo meritum iustè periisse? Clamant profectò lapides iustitiã in superis esse vindicem humanarũ actionũ, quod Vates probat, Habac. 2. n. 11 *Peccauit anima tua; quia lapis de pariete clamabit*, &c. 50.
Luc.19.n.38. 40. *Iusta Dei censura est pœna hominum.* Habac.2. n.11.

Si tamen Basiliũ consulas, discas adduci lapides, vt testes, mente alia. Notat ille Iacobũ de pactis conuentis testes addidisse lapides, *Gen.*31.*n.*52. Ad Labanum Iacobus, *Tumulus* (inquit) *iste, & lapides sunt in testimonium*, &c. scilicet terminus erat, ne Iacobus aduersùs socerum, ne Labanus aduersùs generũ transmearet, animo nocendi. Addit Basilius, quid Iosue commentus fuerit, ad Hebræum perterrendum 51.

terrendum, ne à Deiſcitis deficeret. Lapidem Ioſue prægrandem erigit, quaſi teſtem pacti, quo Hebræus adſtringeretur ad fidem colendam. Addit Princeps c. 24. n. 27. *Lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quòd audierit omnia verba Domini*, &c. Itaque nemo negabit pactum de fide ſeruanda, ac religione colenda initum eſſe, cùm lapides id teſtari poſſint: ſed quo id modo, non video, niſi velit Ioſue lapides pro veri probationibus locuturos eſſe; placet Baſilij explicatio. Sic enim loquitur Ioſue, *Forſitaſſe credens virtute diuina, etiam lapides vocem emiſſuros, in tranſgreſſorum redargutionem*, &c. *ad Amphiloch. de ſancto Spir.* Oſtendit Baſilius hac meditatione, quam Deo vim faciat malus quiſque pacti violator, cùm loqui velit brutos lapides, vt ferant teſtimonium: ſed iuſta eſt Hyperbole ad ſcelerum deteſtationem. Addit lapides. vt teſtes, laudari ſacro textu: quo trahit Deut. c. 4. n. 26. vbi Moyſes, *Teſtes* (inquit) *inuoco hodie cœlum, & terram*, &c. & facultatem conteſtãdi tribuit rebus inanimis, *vt omnium conſcientia recordationis ſtimulo perculſa vulneretur*, &c. Cùm enim viderint homines citari terram, ac cœlum ad ferendum teſtimoniũ de pacto inter Deum, & homines inito, nullam excuſabunt ignorationem iuris; ſed metus erit ingens, ne teſtes ſibi infeſtos habeant. Quo metu Bethulienſes Oziam vrgent ad conſilium vrbis tradendæ. *Conteſtamur hodie cœlum, & terram, vt iam tradatis ciuitatem*, &c.

Ioſ. 24 n. 27.

Ingratus Deo eſt, qui pactis non ſtat.

Deut. 4. n. 26.

Vrget Deus metum peccandi.

52. Agnoſco ego tropum in Hebraiſmo rhetoricum; video enim dari rebus inanimis actionem atteſtãdi, quæ animam poſtulat. Sed tropus ſacro textu frequens eſt, quo gaudet ager, *Pſ. 95. n. 12.* Mentitur oliua, *Habac. 3. n. 17.* Luget via, *1. Thren. n. 4* Exultant montes, *Pſ. 113. n. 4.* Audit terra, *Baruch 4. n. 9.* Ac tandem loquuntur arbores, *Iudic. 9. n. 8.* Ea ſcilicet Deo eſt cura veritatis explicandæ, vt ſermonem tropis rhetoricis gratiorem faciat, ne lædat aures, animóſque hominum. Magiſtrum Hebræo Deus prouidet Magnum Ioannem; qui paret Chriſto auditoriũ. *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ*, &c. *Marc. cap 1. num. 4.* Homo erat Ioannes, qui victu parabili, *& mel ſylueſtre edebat*, &c. *num. 6.* ſcilicet Palæſtinam appellat Deus terram lacte, & melle fluentem. Tanta erat apum copia, vt cùm non poſſent capi aluearibus, in arborum truncis, & lapidum fiſſuris mellificarent; quod è ſua Bætica probat Maldonatus. Hæc ſibi mella Ioannes parabat in cibum; ſed myſterium in cibo eſt, quod Cyrillus notat *Catech. 3.* vt orationem melle dulciorem auditores excipiant, ſine magiſtri nauſea; Ioannes melle paſtus loquitur. *Vides qualem hominem huius gratiæ ducem elegit, melle veſcentem, & dulciora melle, vtilioráque loquentem?* &c. Erat Ioannes dulci loquendi modo Neſtor ſcholæ Chriſtianæ: in huiuſce Neſtoris labiis gratias ſeſſitaſſe Deus voluit, vt Magiſter explicatu gratiora, factúque faciliora legum ſcita redderet: quo aſpectu datus Apoſtolo ſanctionũ liber eſt, vt Chriſti ſcholam aperiret; ſic enim Angelus ad Ioannem: *Oportet te iterum prophetare Gentibus*, &c. *Apocal. 10. num. 11.* Ne tamen tetricus in dicendo Magiſter eſſet, ſed melle dulcior flueret oratio, librum iuſſus eſitat, *& erat in ore* (inquit)

Pſ. 95. n. 12. Habac. 3. n. 17. Thren. 1. n. 4. Pſ. 113. n. 4. Baruch. 4. n. 9. Iudic. 9. n. 8.

Cùm Deus loquitur, ſermonem texit rhetoricè.

Mar. 1. n. 4.

Venuſtè loquatur veri magiſter.

Apocal. 10. n. 11.

meo tanquã mel dulce, &c. *n.* 10. An hic è modis tropicis vſus fuerit ad auditorium conciliandũ? Fortaſſe id ſtylo proſequar, ſi locus fuerit.

53. Quod modò verſo illud eſt, fateri Bethuliẽſes venire malam fortunam ex licentia peccandi, quaſi è panno tineam, è pomo vermiculum. Hinc luctus ille eſt, Deo ad veniam inuitato. *Qui vlciſcitur nos ſecundùm peccata noſtra*, &c. Vox quidem pia, noſſe hominem, vnde ingruant calamitates, ne hoſtes oderit, ſed Deum timeat Iudicem, à quo hoſtes vrgentur vindices. Piè ferunt quamcumque vitæ fortunam, qui de ſuis piaculis meminere, Deũmque ſcelerum vindicem recognouere. Vnde Leuites apud Eſdram lib. 2. c. 9. n. 33. *Et tu* (inquit) *iuſtus in omnibus, quæ venerunt ſuper nos, quia veritatem feciſti; nos autem impiè egimus*, &c. Quid Azarias aliud fatetur, flammis ſeptus Babylonicis? Dan. 3. n. 28. *In veritate*, (ait) *& iudicio induxiſti omnia hæc, propter peccata noſtra*, &c. Addo Regem mentis improbæ teſtem hac de re locupleriſſimum: cùm enim morbo affectus cubaret miſerè, ac meminiſſet, quid, Ieroſolymis oppreſſis, peccaſſet, aiebat dolenter, *Cognoui, quia propterea inuenerunt me mala*, &c. *lib. Mach. 1. c 6. n. 13.* Vana Antiochi pœnitentia Deum Iudicem non propitiat, quod patet ex *lib. 2. c. 9. n. 13.* quippe qui doluerit, non affectu ſalutis intimæ, ad quã Deus aduerſis vrget homines. Hoc vnum Dei conſilium qui inſpexerit, nec aduerſis fractus dolebit, nec oderit aduerſarium; ſed rebus malè cedentibus ſuã curabit ſalutem, ſcelerum pœnitens. quæ Bethul ẽſibus mens vna erat, cùm auctorem ſuarum calamitatũ non Holophernẽ oderint, ſed Magnum laudarẽt Deum; *Qui vlciſcitur nos propter peccata noſtra*, &c.

53.

Minùs dolet preſſus malis homo qui Deum agnoſcit vindicem.

1. Eſdr. 9. n. 33.

Dan. 3. n. 28.

1. Machab. 1. n. 13. 2. cap. 9. n. 13.

54. Tandem ciues Oziam vrgent ad vrbem tradendam, cùm ſcirent, & clamarent ſitim mortis, vt lentæ, ita & diræ genus eſſe. Quare monent, ac precantur, *vt ſit finis breuis in ore gladij*, &c. Malunt homines clade ſubita, quàm tabe lenta perire, cùm mors ſit laborum ſolatium, dolorum compendium. Sciebat id Tiberius, qui reo precanti maturitatem pœnæ, reſpondiſſe fertur, *Nondum tecum in gratiam redij*, &c. apud Suet. *c.* 61. Non ſentit ſe mori, qui citò occiditur; quod proinde miſericordiæ genus eſt. Nouerat Hebræus grauiorem diuturno in malo cruciatum eſſe, qui Regem bello captũ, ferióque demutilatum non occidit, ſed extrahit in Ieroſolymam, *Caſis ſummitatibus manuum, ac pedum*, &c. Quod patet è Iud. 1. n. 6. & 8. *Adduxerũntque eum in Ieruſalem*, &c. Belli ius erat, imò Deiſcitum *Deut. 20. n. 16.* vt Hebræus hoſtem interficeret; cur abſtinet ab occidendo, qui à cædendo non temperat? Sed grauior Chananæo lanienа erat ex moriendi mora, proindéque Regem malè cæſum Duces traduxerunt; *Habentes voluntatem tenendi eum perpetuò, non in fauorem eius, ſed magis ad amaritudinem*, &c. ait Abulenſis q. 9. *Ergo ſcientes rerum Bethulienſes malunt perire in ore gladij*, &c. quàm ſiti grauì, ac lenta carnificina.

Tormenti genus eſt lentè mori.

Iud. 1. n. 6. 8. Deuter. 20. n. 16.

55. Hebraiſmus eſt *in ore gladij*, &c. Conſtat ex ſacro textu; loca non aggero. Abundè textus eſt ex cap. 1. n. 16. Explicat Hebraiſmus cædem latè patratam. Deinde tropus in Hebraiſmo eſt, qui actionem transfert à re animata

mata ad rem inanimam; vt enim homines cibum esitant, ita gladius comest homines. quod Deus minatur Deut. c. 32. n. 42. *& gladius meus deuorabit carnes*, &c. Minis minas addit Nahumus vates cap. 2. n. 13. *Leunculos* (inquit) *tuos comedet gladius*, &c. Vnde Hebræa schola bellum vocat מהחמה *Milchamà*, *comestionem scilicet*, &c. Aut enim bello mile s victum parat, vt comedat; aut bello comeduntur homines ad satietatem vsque: si agnoscis *in ore gladij*, &c. quod Ribera, *in ore misericordiæ*, &c. apud *Hoseam c. 10. n. 12.* scilicet quidquid voluerit, iusserit que gladius. In Dei ore Deiscitum agnoscit Oleastrius, & probatur ex *Num. c. 4. n. 41.* vbi Moyses recenser tribum Leuiticam, *iuxta verbum Domini*, &c. Hebraicè עַל־פִּי *Halpi*, *iuxta os*, &c. Agnoscit Iosue in Dei ore, Dei voluntatem, c. 9. n. 14. *& os Domini non interrogauerunt*, &c. Addo locum ex *Gen. 24. n. 57.* vbi fratres de Rebecca ad hospitem, *Quæramus eius voluntatem* &c. Hebraicè, את פיה *ethpiha*, *os eius*, &c. Hæc à Delrio collecta *tom. 1. Adag. 47.* à quo Lorinus multa *in Num. c. 4. n. 27.* Aggerit Delrio, quod iam olim Ribera inuenerat, ad Hoseam loco cit. *metite in ore misericordiæ*, &c. scilicet, quantum voluerit, iusseri que misericordia; & locum trahit ad Hebraismum, *In ore gladij*, &c. Illud ego apposuerim, vt ora gladiis, sic oribus gladios tribui: quod Dauid habet *Ps. 56. n. 5. Ps. 58. n. 8. Ps. 63. num. 4.* vbi mordaces pungit homines eo morsu, *Exacuerunt vt gladios, linguas suas*, &c. Etquidem tanta est improbitas hominum in morsu probitatis alienæ, vt qui morsu famam, ferro vitam dicatur auferre. Malum mala in lingua monstrum est; sed tropis laudatis sacrarum literarum, disquiro

Deut. 32. n. 42. Nahum 2. n. 13. Hosc. 10. n. 12. Num. 4. n. 41. Ios. 9. n. 14. Gen. 24. n. 57. Ps. 56. n. 5. Ps. 58. n. 8. Ps. 63. n. 4.

PARÆNET. XXIV.

Deceat ne sacrum Oratorem politè loqui?

Prima Pars.

1. NOn desunt, qui velint Oratores rerum sacrarum longè abesse ab hoc studio affectatæ dictionis: siue quod affectatione, & morositate nimia, stylum obscurant, cum damno gentis imperitæ: siue, quod suam rebus sacris maiestatem detrahunt, ornatu alieno. *Quàm misera fides est, quam verba concinnant!* &c. ait Zeno Martyr *ad serm. de Fide.* Quæ fœda est hæresis, ornatum emendicat alienum; quæ pulchra est fides abigit lenocinia. Certè Cyprianus, cùm mores instruit, artem deprimit, Donatóque rescribit lib. 2. Epist. 2. *Accipe non diserta, sed fortia; nec ad audientiæ sæcularis illecebram fucata, sed ad diuinam indulgentiam prædicandam, rudi veritate simplicia*, &c. Nouerat Antiltes orbem terrarum non cultu rhetorico, sed hamo domitum piscatorio. Quàm fortes in dicendo! quàm audaces in agendo homines! quibus non lyras, sed tubas tribuit Magister Deus. Isaiam sic ille vrget ad officium veri dicundi, cap. 57. num. 1. *Quasi tuba, exalta vocem tuam*, &c. Oratoribus apprimè instructis addit Ierem. c. 6. num. 19. *Audite vocem tubæ*, &c. Nec Angelis, vtique

Veritas eulitū non petit rhetoricum.

Isa. 57. n. 1. Ierem. 6. n. 19.

magistris Apostolicis lyræ; quid igitur? *datæ sunt illis septem tubæ*, &c. *Apoc. c. 8. n. 2.* quibus terrerent animos grauiter, non mulcerent leniter; nec auditorio collecto, diserta, sed fortia effunderent. Minus cogitant de stylo comendo, qui de auditorio pungendo curant; leno cinari volunt molliter, qui parant dicendi lenocinia. Apoc. 8. n. 2.

Pungendum, non mulcendum est auditorium.

2. Magistrum in sacra Dei schola Paulus agit, auditoriúmque agitat. *Non in sublimitate sermonis*, &c. 1. *ad Corinth. 2. n. 1.* Græcè καθ' ὑπεροχὴν λόγου. *Non cum præstantia, prærogatiuáque dicendi*, &c. Docet quidem Magister, sed scholam moderatur. *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, &c. *n. 4.* Græcè ἐν πειθοῖς λόγοις. Non dicendi flosculis, non Suadæ medulla, non Dea loquendi magistra, & quæ vnum illud curat, vt placeat. Itaque odit Apostolus curam dictionis affectatæ, & totus est in explicando loquendi modo, quo velit agere sacros Oratores, vt homines adducant ad sanã mentem; non vt placeant sermone curiosè accersito, qui scenã vanam sapit, non sacram. Dolet scholã Nazianzenus captatam à magistris rerum diuinarum eam, & ineptam loquendi formam. *Pietatem* (inquit) *nostram, prius simplicem, artí que expertem fucauerunt: & nouum quoddam politicæ genus effecerunt, à foro ad sancta translatæ, & à theatris ad sacra*, &c. *Orat. 26.* Nuda Horatio veritas, & simplex, quæ veris nauat operam, est oratio; ait Seneca *Epist. 40.* Cur verborum legat flosculos, quæ suo viuit succo fides? Optimè Cyprianus loco cit. *Pro nostris* (inquit) *opulenta facundia volubili ambitione iactetur, cùm de Magno Domino Deo vox est, non eloquentiæ viribus nititur, ad fidei argumenta, sed rebus*, &c. Addo negligendam esse artem dicendi nitore ad fastidium quæsito, quæ dum sermonem comit, tenebras offundit. 1. Cor. 2 n. 1. 4.

Oderunt artem fucatandicendi homines verè sapientes.

3. Scholam solatur suam Magister Deus, & magistros damnat amantes dictionis affectatæ iuxtà, ac obscuratæ. Isa. c. 33 n. 19. *Populum* (inquit) *impudentem non videbis; populum alti sermonis, in quo nulla est sapientia*, &c. Exponit graphicè oratores nostro æuo notabiles, qui suam in stylo obscurando artem venditant, licèt auditor non capiat, quid orator velit; & fortasse nec Orator sciat, quid effutiat; laus profectò magna artis (quod aiunt) cultæ. Loeum igitur apponit D. Thom. ad refutandos hosce tenebriones, qui sapientiæ laudem à tenebris aucupantur, oratores scilicet *alti sermonis*, &c. ex Oleastrio, *obscuræ locutionis*, &c. Id enim affectant, vt mysterium altè conditum reputet, quod non capit imperita plebecula; sed tota rerum scena, viro cordato, vox tantùm est. Nec Magister esse potest orator, *in quo nulla est sapientia*, &c. Vnde Vates scitè miscet rerum inscientiam, cum affectato, obscurat óque stylo dicẽdi, sed minor in Magistro pudor est; quippe qui ad sermonem curiosè elaborandum, aut noua fingit verba, aut anti quata recudit. Quid ergo Deus ad sacram scholam? *Populum* (inquit) *impudentem non videbis, populum alti sermonis, id est, obscuræ locutionis*, &c. Dolet Seneca oppressam hoc stylo castitate m eloquẽtiæ; proindeque Tabianum laudat, Philosophũ castè loquẽtem, non politè, Epist. 110. Isa. 33. n. 19.

Rationes dicendi obscurat malus Orator.

Nulla in stylo obscurando est sapientia.

Electa

Electa (inquit) *verba sunt, non captata; nec huius sæculi more, contra naturam suam posita, & inuersa; oratio enim solicita Philosophum non decet*, &c.

4. Deo non placet hæc dicendi forma, sed quæ plenè, ac planè exponat quidquid Magister senserit. Ad Isaiam Deus c. 8. n. 1. *Sume tibi librum grandem, & scribe stylo hominis*, &c. Quid hoc loco Deus velit, bene docet Hieronymus, scribendum scilicet, ac dicendum *stylo, quo homines loqui solent*, &c. Sed Lyra adhuc locum premit, & notat homines ab hominibus discretos non esse, vt sciat Vates sapientibus se, & insipientibus debitorem. *Scribe* (inquit) *stylo hominis, ita vt quilibet homo, etiam parum literatus, legere possit, & intelligere*, &c. Nemo sermonem comit accuratè, qui stylum non obscurer; nemo stylum obscurat, qui non loquatur putidè. Quare sanũ ab hoc morbo Sacerdotem Moyses voluit, cũ palliolo ad pectus appenso inscripsit: *Doctrinam, & veritatem*, &c. *Exod. 28. n. 30.* Hebraicè *Illuminationes, & perfectiones*, &c. Vbi notes licet, doctrinam veri cum luminibus coniunctam esse, ne quis rerum sacrarum orator, cura dictionis poliendæ tenebras offundat auditoribus. *Quapropter Moyses summum Pontificem claritate ornat, & veritate, volens perspicuam, ac veracem esse boni viri orationem*, &c. ait Philo *ad lib. Quis hæres.* Non quærit Moyses in sacro morum magistro dicendi lumina, vt placeat; sed vt exponat liquidò, quidquid animo concipit. Nemo igitur ferat tenebriones huiusce tempestatis, quibus affecta obscuritas dicendi, ars est, laus est, maiestas est. Schola hæc est recentioris polituræ, quam à bono viro abigit rectè Seneca. *Non enim est ornamentum virile, concinnitas*, &c. *Epist. 115.* Sed & Messala hasce dicendi ineptias à Romano foro longè trudit; odit ille Mecænatis calamistros, Gallionísque tinnitus in loquendo. *Neque enim oratorius iste, imò ne virilis quidem cultus est*, &c. Apud Tacitum *Dial. de Orat.* Cur non abigas à sacra Dei schola hosce homines, amantes orationis ad fastidium nitidæ?

Isa. 8. n. 1.

Dicat liquidò veri Magister.

Exod. 28. n. 30.

Tuscos in dicendo refutat sanus Orator.

Secunda Pars.

5. SEd parte alia videas multos magnósque homines, vita sanctos, & stylo notos, qui plebem humilẽ, Senatúmque nobilem politè docuere: neque enim Christi schola sordes amat loquendi, brutámque literarum peritiã. Laudo è Græca schola Basiliũ, Naziãzenum, Chrysostomum, virósque alios; è Latino Senatu Cyprianũ, Ambrosium, Hieronymũ, hominésque alios, qui de stylo comendo laborarunt, nec orationem amarũt ex horrido compositam, qua Orator lapides, non rosas loquitur, & rusticè cũ verba expuit, fastidiũ ingerit audientibus. Oratorem igitur volo, qui ex artis scito sermonem constituit, virum scilicet amantem dictionis ornatæ, sed cultu virili. *Verba* (ait Seneca) *non ieiuna, & arida esse volo, quæ de rebus tam magnis dicũtur, neque enim Philosophia renuntiat ingenio*, &c. *Epist. 73.* Oniam Iudas laudat Sacerdotũ maximum 2. Machab. c. 15. n. 12. *& virum bonum, & eloquio decorum*, &c. Quæ quidem boni Oratoris laus *Veloſ. in Iudith.*

Dicẽdum ornatu virili.

2. Mach. 15. n. 12.

est, vt cum morũ cultu iungat dicendi nitorẽ. Tantus verbis nitor inerat, tantus vigor, cùm Pontifex diceret ad populũ, senatúmque Iudaicũ, vt de Onia rectè diceres, quod Iacobus de Nephthali, *Ceruus scilicet emissus, & dans eloquia pulchritudinis*, &c. *Gen. c. 49. n. 21.* Quo enim cursu mõtes ceruus terit, eo & loquendi impetu orationem magister habet: nec in loquendo tardus est, sed facilè dicit, & ornatè. Quanuis ego cerui cursum ad copiam dicendi referam; nam pulchra est oratio, quæ fluit leniter; sed vox in loco Hebræa שפר *Scapher* & *pulchrum* sonat, & *tubam*: quod notat Oleastrius: vnde שופר *Scophar tuba* est, *Exod. c. 19. n. 16.* Itaque *Nephthali dans eloquia pulchritudinis*, &c. *commendatur à verborum venustate, & ornatu*, &c. ait Oleastrius; sed ornatũ laudat virilem, à tuba scilicet, nõ à lyra.

Gen. 49. n. 21.

Exod. 19. n. 16. *Tuba, non lyra personat bonus Orator.*

6. Si premas, lenta manu, sacros libros, succurrant facilè viri magni, qui rerum imagines altè conceptas, nitore quæsito dicendi, explicauerint. Adest Hebræus Pontifex suis cum tintinnabulis, malísque punicis, quæ ab extrema tunica ordinatim pendẽt. *Ita vt tintinnabulum sit aureum, & malum punicum*, &c. quod patet ex 28. *Exod. n. 34.* Expressa crepitaculis Magistri vox est; adũbratus malis punicis ornatus dicẽdi: vnde viri scientes, *Mercurio confecrarunt fructum mali punici, propter interpositionem*, &c. quod à Græcis hausit Clemens Alex. *lib. Strom. 6. c. 7.* Nã grana suis tecta, distinctaque tunicis sermonem exprimunt contextum, apta membrorũ dispositione. Pontifex igitur, dũ copiosè dicit, & ornatè, tintinnabulis interserit mala punica, & voces adornat flosculis, scilicet ad auditoriũ conciliandum. *Ideo totum se vocalem summus Pontifex debet exhibere, & verbi virtute, quasi floſculis allicere auditores*, &c. Hæc Arnoldus *ad tract. de sept. verb.* Non damnat Magistet Deus ornatum dicendi, sed orationem cum infamia nitidam: cultum in loquendo sanum, ac virilem amat, probat, vrget.

Exod. 28. n. 34.

Ornatè dicat Pontifex.

7. Quod pulchrè in loquendo repetas, de schola est rhetorica, ac de ornatu oratorio: occurrit hæc dicendi forma sacris literis. Sic Hebræus malè in Roboamum affectus 2. Reg. 12. n. 16. *Quæ nobis pars in Dauid? aut quæ hæreditas in filio Isai?* &c. Sic Dauid, cùm Hebræũ exprimit altè gaudentem, Psal. 113. *Mare vidit, & fugit*, &c. *n. 3.* & iterũ n. 5. *Quid est tibi mare, quod fugisti?* &c. Color est dicendi rhetoricus, ait Abulensis q. 54. in Num. *Replicatur, ad modum carminis, & ad quendam decorem rhetoricum*, &c. Sed prior in tropo colendo Moyses est. Num. c. 14. n. 14. *Nubes* (inquit) *tua protegat eos, & colũna nubis præcedat eos*; &c. Quod jam Moyses petierat, iterũ Moyses repetit, nitore scilicet oratorio. *Ita & hic bis ponitur de nube, & colũna ad ornatũ*, &c.

2. Reg. 12. n. 16.

Psal. 113. n. 3. 5. *Color est dicendi rhetoricus in sacro textu.*

Num. 14. n. 14.

8. Quid si Ieremias orationem emollit in cantionem alphabeticam? Threnos adornat Vates cultu poëtico, & musa pulchrè nitida, ad auditorium piè mouendum: quod obseruat Paschasius *lib. 3. in Thren.* Fluit carmen serie alphabetica, *scilicet, vt & fastidium legentibus detergeret, & animos inter lachrymas recrearet per operis exercitium*, &c. Tantum abest, vt dicat ru-

Nitor est loquendi in sacris literis ad persuadendum.

sticè Magister morum optimus, qui ab arte poëtica leporem quærit dicendi. Nónne id, Deo duce, Dauid fecit, cùm sensa animi versibus inseruit,& cantionibus? certè vt auditores alliceret; quod Rupertus notat in prologo ad Psalm. cap. 3. *vt verba meretricis pedibus currendo,& tinnula Psalterij chorda pulsando, sensim per aures ad animum peruenirent, fidémque,spem,ac charitatem dulciter insererent*, &c. sic Pythagoras carminibus præcepta quædam occultiùs tradidit; quod monet Seneca *Epist.* 94. sic & Cleantes sua versibus commendauit, sic & Terpander leges versibus conscripsit;quod tradit Clemens Alexand. *lib. strom.1. cap.7.* scilicet pondus inest verbis ad alliciendum,ad persuadendum,si arte poëtica adstringantur appositè:quod habet Seneca *loco cit.* & rem exemplo firmat *Epist.*108.sonat tuba latè,spiritu in arctum collecto;*sic & sensus nostros efficit clariores carminis arcta necessitas*,&c.Proindeque & fortiùs vrget, & blandiùs allicit Orator, qui ornatè loquitur.

Musica ad persuadendum nata.

9. Facit ad ornatum oratorium apparatus in dicendo parabolicus, Syris maximè tritus, & ad aulam natus: quod bene constat ex *Iud. 9. num.*8.ex 2.*Reg.cap.*14.*num.*5.*&* 13.ex 4 *Reg. cap.*14.*num.*9.ex *Isa.cap.*5 *num.*4.Hoc dicendi vsu Magister hominum Deus versare auditorium voluit, & conciliare. *Et sine parabolis non loquebatur*,&c.*Matth.cap.*13.*num.*34.quo id consilio, inuenit Chrysostomus Hom. 33. in Ioannem,*vt iucundior esset narratio, & diutius animo immoraretur*,&c.captato scilicet auditorio politè, cùm & vocem intenderet leniter,& sermonem molliret viriliter. Oratorius est concentus iste,ornatus iste,apparatus iste,licèt extractus è penu alieno.

Dicat ornatè qui persuadere velit.

10. Disputatum aliquando est inter bonos, magnósque viros, deceret ne,vt oratores rerũ sacratum miscerent sacra profanis, & sermonem rerum diuinarum humana condirent literatura, ad nitorem orationis? obiectum Hieronymo id est. Suam tamen causam tuetur Doctor Maximus *Epist.* 84. *ad Rom. Orat.* docétque Apostolum de sale comico versum excepisse, quo morderet scholã Corinthiam. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*, &c. 1. *ad Corinth.cap.*15.*num.*33. Vnde Hieronymus vires sumit, ad calumniam refutandam. *Ad Corinthios* (ait) *qui & ipsi Attica erant facundia expoliti, de Menandri comœdia versum sumpsit*, &c. Hæc ille *in comment. ad Tit.* Abusus versu comico Paulus est, abusus & heroico hemistichio, *apud Titum cap.*1. *num.*12. & in Atheniensi aula disputans Aratum laudat testem,ad sermonem scilicet comendum, Act. 17.num.28. *Quid ergo mirum,si ego sapientiam sæcularem,propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla, & captiua Israelitidem facere cupio?* &c. sic Hieronymus *Epist.* 84. Nec pudor Hieronymo est, si nec Paulum pudet, sermonem elaborate cultu poëtico: & satis id laudat Clemens Alexand. *strom. cap.*6. Agit enim Paulus ornatè; *Nec erubescit, & ad ædificationem, & ad aliorum quam gerit,curam differens, Gratis vti poëmatibus*, &c. Addo Moysen hoc consilio carmen transcripsisse Moabiticum, de quo ad Num. cap.21.num.27. *Idcirco dicitur in prouerbio:Venite in Hesebon*, &c.& carmen est,quod Amorrhæus Moabita victo cecinit,& quo ridet fortunam Moabiticam: sic Lyra, Hugo. addit Abulensis quæst.26. carmen à Moyse exscriptum ad probationem iuris Iudaici.Illud ego, musam Moabiticam sacro libro insertam esse, ad ornatum historiæ.

1.ad Cor.15. n.33.

Sanus, & sanctus orator non ablegat profanã literaturam.

Act.17.n.28.

Num. 21. n. 27.

Ab vtroque Orator optimus rerum diuinarum,à tuba scilicet,& lyra, cùm tubam sumit, homines trahit grauiter;cum lyram capit,auditores ducit leniter. Quid igitur mirum, si Dauid Deum scitè laudandum monet, *in sono tubæ,in Psalterio,& cithara*,&c.*Psalm.*150.*n.*3. Nec bonus veri Magister ita inflat tubam,qua terret animos, vt carmen lyra non formet, quo aures afficiat. Laudo tubas in Angelis ad terrendum, *Apoc.* 8. *num.*2. nec minus commendo lyras in senibus ad canendum, Apoc. 6. num. 9. *& cantabant canticum nouum*, &c. quod ad Christi scholam pertinet, communi placito. Atque vt tandem rem conficiam, decet Oratorem rerum sacrarum politè loqui: non tamen orationem ita poliat, vt molles è scena ducat flosculos. *Multum enim operæ impendi verbis non oportet*, &c. ait Seneca *Epist.* 73.scilicet,quibus Orator sermonem frangat. Dicat ornatè, sed cultu virili: & hæc Deo mens, vt sineret sacros libros stare modis loquendi tropicis,nimirum *in ore gladij.*

II.

Pſ.150.n.3.

Ap.8.n.2.& 6.n.9.

Canendum, ac tonandum in sacro auditorio.

Nunc stylum conuerto ad explicandam pœnitentiam scelerum, quam ex belli offensionibus concepere Bethulienses:neque enim hostem mordent,sed Deum timẽt;& fatentur se peccasse,Deúmque iustè commotum hostibus accessisse belli ducem. *Qui vlciscitur nos secundùm peccata nostra*, &c. Id verò est iusta, & ad iustitiæ moram inducta Nemesi. quæ quidem sana,& pia est de rebus aduersis æstimatio: vbi peccans non ignorat, quid virga impacta Deus velit, scilicet

12.

PARÆNET. XXVII.

Conscientiam, pœnitentiámque scelerum aduersis vrgeri.

FOrtunam Deus aduersam inducit, vt homines peccati conscientia pœnitentiam concipiant. Ab Adamo discas id in vsu esse Dei consilium. Peccat Adamus grauiter,lege fracta;aduolat è vestigio Deus iudex, & nullum non mouet lapidem, vt metum Adamo incutiat,illud iterans: *Adam, Adam?*&c. *Gen.* 3. *num.* 9. quæ quidem occasio fugiendi: *& cùm audissent vocem Domini, Hebraicè iudicis, ambulantis, abscondit se Adam*, &c. *num.*8. Puto ego Adamum sono tristi euocatum à Deo;hortuli solùm sono,quasi tonitruo,concussum, hominémque metu graui perditum esse; tantusque metus est, vt Deum Adamus alloquatur, sine honoris præfatione; quod notat Lippomanus:Ius erat,vt diceret,*Vocem tuam Domine audiui,& timui*,&c.n.10.*sed attonitus voce Domini corripientis, & conscientia confusus,vocem*(inquit)*tuam*, &c. Vultu igitur ad seueritatem adducto, & voce ad terrorem composita,Deus Iudex tonat, *Adam, Adam!* &c. *Verba increpantis sunt, & cogentis ad confessionem*,&c.ait Laudunensis. Eo enim consi-

I.

Gen.3.n 9. *Terret maximè Deus iudex.*

lio

Vrget ad scelerum expiationem Dei metus.

lio iudex Adamum vocat, vrget, terret, vt tactus metu reus peccatum agnoscat, & confessionem peragat. In cassum fortuna grassaretur, si ex aduersis homines non elicerent conscientiam, pœnitentiámque scelerum.

2. Laudo Ioſephum, qui Magistro Deo fratres angit, vrgetque ad cognitionem, & confessionem sceleris. Vnde vox hæc hominum Gen. 42. num. 21. *Meritò hæc patimur; quia peccauimus in fratrem nostrum*, &c. Miror ego, quo Ioſephus modo fratres agitauerit: nunc enim loquitur vultu ad seueritatem adducto, *& quasi ad alienos durè loquebatur*, &c. *num.* 7. nunc arguit, vt homines dolis suendis artifices: *exploratores estis*, &c. *num.* 9. Minatur sordes carceris, vt exploret, vera ne dixerint, num. 16. *Vos autem eritis in vinculis*, &c. Quo hæc tantæ molis, & artis scena est? nisi vt fratres pœnam è culpa natam esse discant, & dicant, *Meritò hæc patimur*, &c. Iustam Dei censuram suo probant calculo, quod peccatores faciunt tristi fato prudentiores. Cùm enim fratres aliena infelicitate felices agerẽt, nulla erat peccati cõscientia, nulla pœnitẽtia; cùm vexantur morsu calamitatis, & erratum agnoscunt, & fatentur pudore ingenuo: quò Ioſephus tendebat. *Iusta namque, & idoneæ seueritatis fuit, quòd peccatores tandiu flagellat, & corripit, verborum stimulis, clauisque acutis configit, donec peccatum suum agnoscant, & dicant: Meritò hæc patimur; quia peccauimus*, &c. sic Rupertus *lib.* 9. *cap.* 3. Fortuna igitur aduersa hisce hominibus peperit, conscientiam, pœnitentiamque scelerum.

Gen. 42. n. 21.

Ad peccati confessionem adigit calamitas.

3. Nónne Lamechus metu affectus calamitatis erratum exponit suum, vxoribus euocatis? Gen. 4. num. 23. *Dixitque vxoribus suis*, &c. Quid verò prodixit? tactus conscientia peccati: *Occidi* (inquit) *virum*, &c. sed extorsit confessionem peccati metus ingens è cruciatu alieno. *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech autem septuagies septies*, &c. *num.* 24. Metuens virgarum verbero, quòd peccauit, non tegit animo, sed explicat liquidò, eò trahit Nemesis imminens; sciebat quo affectus malo Cainus fuerat, cùm peccatum non modò tegeret, sed negaret: proindeque peccatum exponit suum, metu iudicis. *Quem* (inquit) *timens festino, & anhelo, vt vobis planum faciam, quid à me sit actum*, &c. sic Chrysostom. *Hom.* 20. *in Gen.* Cur non dicat Prodigus, Luc. 15. num. 18. *Peccaui in cœlum, & coram te*, &c. si aduersis frangitur, si premitur inopia, si vilem seruit seruitutem, subulcus omnino sordidus? Exprimit textus, quid prodigus secum reputauerat, vt erratum suum agnoscereret, facti pœnitens. *In se reuersus dixit: Ego hîc fame pereo*, &c. *num.* 17. Cùm patrem fugit impiè, erratum non recognoscit, minus fatetur, cùm malè vexatur, & rotis aduersis trahitur, ad delicti confessionem vrgetur, vnde Theopylactus ait, *Quando cogitat, in quantam venerit miseriam; tunc redit ad se ipsum, considerans, & in pœnitentiam veniens ex sua diuagatione*, &c. An vexatio iuuenculo intellectum dedit ad peccati morbum explicandum? aio.

Discit peccator ex fortuna aliena.

Gen. 4. n. 23.

Luc. 15. n. 18.

Ad peccati notiones trahit fames.

4. Hoc dolore tactus *ait latro ad latronem*, &c. Luc. 23. num. 41. *Nos quidem iustè; nam digna factis recipimus*, &c. Et verè de malefactis pœnitens, quæ peccauerat, coràm exponit. scilicet erat in cruce Dimas; clauis suffixus, & dolore affectus graui agnoscit peccasse se grauiter, teste scelerum conscientia. *Vidisti plenam confessionem? Vidisti latronem in cruce suis renuntiasse peccatis?* &c. Hæc Chrysostomus *tom.* 3. *ad ser. de Cruce, & latr.* Philosophiam Dimas confessionis iterandæ à cruce hausit, factus pœna sapientior. Fit igitur, & fit plerumque, vt qui dolet, aduersis tactus, peccati recordatione prematur, adigatúrque ad facti pœnitentiam: quo Deus vrget, cùm fortunam inducit malam.

Luc. 23. n. 41.

Et furesmala in cruce furtè sordes agnoscunt.

5. Si quis tamen peccat, & aduersis affectus peccatum non recognoscit, non fatetur, Deum in se Iudicem, vindicemque prouocat. Homines in cœnam Princeps euocat, aduolant pauperes, in quibus ille qui vestem non sumit, panno exuto: fortasse, ne minus de cibis caperet, mora adorandi sese ad mensam nuptialem. *Intrauit autem Rex*, &c. *Matth.* 22. *n.* 11. & cùm hominem malè pannosum terreret vultu graui, licèt mulceret leui sermone, *Amice* (ait) *quomodo huc intrasti?* &c. Totus ea voce cohorruit misellus homo; imò, quod addit textus, *Obmutuit*, &c. *num.* 12. Vrgebat conuiuam Princeps vultu ad seueritatem contracto, vt peccati pœnitens veniam posceret, cùm tamen obmutescit, & quasi obbrutescit, nec confessione aperit animum; *Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius*, &c. *num.* 13. Iustè punitur, qui in metu graui, nec peccatum agnoscit, nec peccati veniam postulat; sed quasi piscis obmutescit, obbrutescit. Cùm Deus malè premit hominem peccati conscium, eò tendit, vt confessionem eliciat: qui tacet, culpam auget, pœnam intendit.

Matth. 22. n. 11. 12. 13.

Terret Deus Iudex, vt confessionem scelerum ab hominibus eliciat.

6. Opponis, Achamum à Duce Hebræo inuitatum: *Da gloriam Deo, & confitere*, &c. *Iosue cap.* 7. *num.* 19. ingenuè dixisse, quid peccasset, num. 20. *Verè ego peccaui Domino*, &c. Et tamen Dei iram facti pœnitentia mitigatam non esse, lego enim Achamum saxis petitum, flammísque absumptum periisse *num.* 25. Vrget quidem stimulus; sed vellit Rupertus facilè, docétque Achamum iustè punitum venia caruisse. *Non tamen vllam mereri veniam debuit, quia videlicet confessio nimium tarda fuit. Ante enim turbatus Israël est quàm ille reatum agnosceret; & ante sors Deo auctore perdidit personam, quàm ipse culpam*, &c. *lib. in Iosue, cap.* 21. Si Achamus furtum explicaret suum, cùm explicatum à Iosue Dei scitum est de furto admisso, num. 13. *Hæc dicit Dominus Deus: Anathema in medio tui est*, &c. Fortasse iudex aut reum absolueret, aut de pœna detraheret: obmutescit, furtúmque tegit, quo vsque tandem reus à Deo peragitur. Deum non flectit vi expressa confessio scelerum; sed peracta boni respectu, Deique affectu optimo.

Iosue 7. n. 19.

Veniam extorta confessio non impetrat.

7. *Peccaui etiam nunc*, &c. ait Pharao aduersis tactus, *Exod. cap.* 9. *num.* 27. nec tamen Deo placet: cùm id egerit per metum cœlo tonante contractum; quod patet ex precibus ad Moysen factis, num. 28. *Orate Dominum vt desinant tonitrua Dei*, &c. Vnde Pharao, metu excusso, redit ad ingenium. *Videns enim*

Exod. 9. num. 27.

enim Pharao, quòd cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum, &c. *n.* 34. Non prodest vox hæc, *peccaui*, quam nulla consequitur peccati detestatio. Inuehitur in Regem Deus, malis vrget modis, angit locustis in agros immissis, pulsatus ea fortuna Princeps clamat iterum: *Peccaui in Dominum*, &c. *cap.* 15. *n.* 16. Nec tamen veniam à Deo assequitur malè in homines animatus homo, cùm sua perstet in hæresi, *num.* 20. Fatetur quidem Pharao se peccasse; nec grata Deo confessio est: mirum id, nisi Rupertus adderet lib. 1. in Exod. cap. 38. *Hoc, & illud velut deditiuius dixit; sed vbi data est requies, velut refuga, induravit cor suum: non ergo satis est dixisse, Peccaui, nec prodest confessio non commixta fidei*, &c. Fidem lædit quodammodo, qui aduersis tactus sua Deo peccata narrat, vt fortunam malam trudat; neque enim via, qua lædit, facilem sibi Deum reddit.

Ex. 10. n. 16.

Non prodest affectata scelerum confessio.

8.

Peccaui, ait Saul, cùm argueretur à Samuele *ad* 1. *Reg. cap.* 15. *n.* 24. Sed ingrata Deo est confessio; quod probat Samuelis vox acerba num. 26. *Non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus*, &c. Et quamuis Saul sua iterum errata detexerit, num. 30. *Peccaui*, &c. adhuc Deum non flectit: qui ad Samuelem, *Vsquequò* (inquit) *tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum?* &c. *cap.* 16. *n.* 1. Demirantur viri magni cur Deus in Saulem iratus non acceperit confessionem scelerum, cùm Dauid eadem loquendi formula Deum placauerit? *Peccaui Domino*, &c. ait Dauid 2. *Reg.* 12. *num.* 13. nec Deus in peccato condonando cunctator est. *Dixitque Nathan: Dominus quoque trãstulit peccatum tuum*, &c. Vtrumque Regem trahit metus ingens ad conscientiam, pœnitentiámque scelerum. Cùm enim Dauid à Nathano acciperet, *Hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua*, &c. *num.* 11. prorumpit Rex in voces tristes: *Peccaui Domino*, &c. Cùm verò Saul audiret, Samuele tonante: *Pro eo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus*, &c. *num.* 23. tunc Princeps fatetur errasse se grauiter: *Peccaui*, (inquit.) Nec satis Deo facit ea scelerum confessione. Si quis lentè expenderit, quot errata Saul erratis narrandis inseruerit, Saulem damnabit facilè. Hic enim ille est, qui à Samuele refutatus: *Quare non audisti vocem Domini*, &c. *num.* 19. Ceruice altè erecta opponit num. 20. *Imò audiui vocem Domini*, &c. Proindéque inepta est confessio, quæ peccatum eleuat, excusatione addita. *Hoc enim iniquissimum est, cùm post effectum operis, additur & peccati defensio: & hic nullus veniæ locus est*, &c. quod Rupertus docet *lib.* 1. *in lib. Reg. cap.* 20. Caietanus putat confessionem à Saule editam malè cessisse, vtpote quæ proficisceretur ab affectu humanæ gloriolæ. Addit enim Saul: *Peccaui; sed nunc honora me coram senioribus populi mei*, &c. Mala in loco precatio est, Caietano teste. *Hanc* (ait) *confessionem non proficisci ex agnitione integra peccati, coram Domino, testatur adiuncta petitio*, &c. Sed mentem loci Caietanus Ruperto debet *ad lib.* 4. *de Vict. cap.* 16. vbi versat vtrumque locum, & expendit, quæ Dauid egerit, quæ Saul addiderit; ac tandem vtriusque Regis fortunam probat variam. *Quia, dicendo, peccaui, alter gloriam suam, alter Dei gloriam quæsiuit*, &c. Deum non propitiat, qui se peccasse fatetur, & confessionem polluit honoris amore: *sed nunc honora me*, &c. Satis enim ostendit vanam esse pœnitentiam scelerum. *Porrò huiusmodi intentionis confessione se ipsum vinci non patitur omnipotens sermo Domini*, &c. Rupertus iterum. Mente longè alia Bethulienses Deum sua honorant pœnitentia: *qui vlciscitur nos, secundùm peccata nostra*, &c. Sed ex hoc textu adhuc eruo, Deum rebus in aduersis spectandum esse, ne quis hostem oderit, qui Deum sequitur Ducem; proindéque norit homo humana tactus manu,

1. Reg. 15. n. 24.

1. Reg. 16. n. 1.

2. Reg. 12. n. 13.

Caret venia, qui suum tuetur peccatum.

Veniam peccator non impetrat, qui honorem quærit per acta confessione.

PARÆNET. XXVIII.

Hostes hominum homines Dei lictores esse.

FAcit ad mores bene colendos, ad salutem animi cauendum, ad fidem Christo seruandam; vt norint peccantes homines, quæ ingruunt humanæ vitæ pestes, à Deo inferri vltore scelerum, cùm morbus angit, fames grassatur, hostis vrget. Quare multis Deus agit, ne Balaamus diras in Hebræum effudisse preces credatur. Num. 22. n. 12. *Noli* (inquit) *ire, neque maledicas populo*, &c. Et cùm Magus auro captus Deum vrgeret, vt sineret Moabitis satis se facere; permittit Deus, sub hac tamen lege, n. 20. *Ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero, facias*, &c. Pergit ergo Balaamus, permutat loca, aras construit, Deum consulit, vt maledictis Hebræum feriat, non impetrat: quod patet ex *cap.* 23. Libet rogare, cur Deus adeò cautus fuerit in Mago continendo? Maledicta Magus iaciat, & malis id auibus perficiat: quid Hebræo nocebit, si Deus nolit? An Deo potestas non est maledictionis auertendæ, si malè Balaamus dicat, quid ab vno Deus maledicto metuit? Illud fortasse metuit, ne si Magus suo defungatur officio, quæ à Deo mittuntur pestes, à Mago venisse Hebræus putet, & pœnam à culpa natam esse nolit. Quæ quidem existimatio grauior morum pestis esset. Magum igitur Deus à maledictis iaciendis auertit. *Ne à Deo castigati existimarent se per Vatis execrationem incidisse in calamitates, non sinit Vatem vti execratione*, &c. sic Anast. Nicæn. *quæst.* 32. Sciant, qui peccant, homines, & morbis, aliisque premuntur vitæ malis, se à Deo vltore tactos esse, vt concipiant animo pœnitentiam scelerum. 1.

Num. 22. n. 12. & c. 23.

Hæc Deo cura, cùm Samuelem è somno excitat, vt ad Sacerdotem puer abeat, quasi vocatus à Magistro *in* 1. *Reg. cap.* 3. tota rerum scena est. *& vocauit Dominus Samuel*, &c. *n.* 4. *& cucurrit ad Heli*, &c. *num.* 5. Tertiò id factum, quo Sacerdos nosset puerum à Deo euocatum esse. Vnde puerum monet Pontifex, vt vocatus dicat: *Loquere Domine*, &c. *n.* 9. scenam eo consilio Deus construxerat, *vt cùm Heli crederet Deum esse, qui vocabat Samuelem, ille autem renuntiaret, quæ dicta sunt à Deo, non esset suspectus; ac si finxisset*, &c. victus somno, ait Theodoret. *quæst* 9. langueret enim Pontifex in cauendo, si quæ Deus minabatur, puerum somno delusum renuntiasse putaret. Et quanuis mala ingruerent, hæc non à Deo procu 2.

1. Reg. 3. n. 4.

Deum attendat, qui punitur, vt mores corrigat.

procurata, sed ab hominibus illata crederet, proindeque nullum de suis erratis dolorem conciperet. Vidit Chaldæus in tabulas manum Dei Iudicis. Apparet enim Chaldæa in aula, *quasi manus hominis scribentis*, &c.

Dan.5.n.6. *Dan.cap.5.num.6.* Turbatur metu graui Princeps, euentúque subito, quasi duro agitur aculeo; nec effecerat, vt sciret reus multorum scelerum, vnde sæua adeò fortuna veniret, à Deo scilicet Regum Rege, & vltore. Quod notat Pelusiota lib.3. Epist.161. *Sic illic Dei manus visa est, vt illud ostenderetur omnium Regem calculum aduersùs Tyrannum efferre, sententiámque subscribere*, &c. Si Chaldæus non admoneretur de suo, tristíque fato, priusquam hostis in aulam irrumperet, fortunam in bello variam dominari putaret, non à Deo commotam esse in vltionem scelerum. Quare pœnam iustè decretam scripto renuntiat, vt inde, si vellet, scelerum pœnitens occasionem premeret salutis parandæ, & forasse calamitatis declinandæ. Timet Chaldæus, sed à metu salutem non parat animi, qua in re scientior Philisthæus.

Salutem peccator, veniámque parat qui se à Deo punitum nouit.

3. Scire cupit, an pestis, qua premitur, à Dei arca venerit; arcam de loco in locum euehit,

1.Reg.5.n.8. quod monet Senatus 1. Reg. cap. 5. num. 8. *Circumducatur arca Dei*, &c. Deus verò, vt pestem à se immissam esse doceret; quo arca ferebatur, eo morbi vim inferri voluit: & constat ex num. 10. *Illis scilicet circumducentibus eam, fiebat manus Domini*, &c. Dubitant adhuc Principes, & vt soluant dubium, à vaccis

1.Reg.6.n.9. captant augurium; quod habes *cap.6.n.9.* Nec Deus optatis negat exitum; sed facto confirmat augurium *num.12.* Cur id à Deo factum, docet Chrysostomus Homil.6. in Matth. *Ad maiorem* (inquit) *Dei gloriam pertinebat, vt virtus eius, etiam inimicorum testimonio panderetur, & ipsi quoque Gentilitatis Magistri consonam ferrent de veri Dei potestate sententiam*, &c. Addo ego firmatum à Deo augurium causa veritatis dignoscendæ, vt cùm Senatores scirent pestem à Deo illatam esse, facilè traherentur ad conscientiam, pœnitentiámque scelerum. Hac rerum notitia Bethulienses Deum timent scelerum vindicem; & quod ab Assyrio mouetur, bellum à Deo procuratum fatentur. *Qui vlciscitur nos, secundùm peccata nostra*, &c. Nec Holophernem mordent, à quo premuntur; sed Deum scelerum vltorem sua honorant patientia. Neque enim homines malam fortunam ægrè ferunt, si vnum in aduersis Deum inspiciunt: ac proinde iram premunt, ne quos Deus hostes inducit, & lictores, odio persequantur.

Luculentum ab hoste est boni testimonium.

4. Monet Dauid, quid facto opus est, cùm hostes vrgent, acie disposita, ad Psalm. 26. n.14.

Ps.26.n.14. *Expecta Dominum; viriliter age, & sustine Dominum*, &c. vbi Augustinus scitè notat multam à bono viro exigi patientiam. *Parum erat semel sustinere Dominum, nisi repeteret*, &c. Quod ego noto, illud est, fieri mentionem de bello graui; *si consurgat aduersùm me prælium*, &c. *num.* 3. de castris benè instructis: *si consistant aduersùm me castra*, &c. de hoste infesto: *dum appropiant super me nocentes*, &c. *num.* 2. Ac tandem aggeri Deum generosè ferendum; quasi Ducem belli grauissimi. *Expecta Dominum, & viriliter age, & sustine Dominum*, &c. *Non quidquid passi ab inimicis fuerimus, inimicis deputandum est, & non Domino Deo*, &c. sic Augustinus *in Psalm.* 29. Cùm bonus quisque malis vrgetur, Deum respicit, eóque respectu minus dolet, nec in hominem inuehitur, à quo premitur.

Non simplici patientia opus est.

Deo, non hominibus deputandum, quidquid patimur.

Quod monuerat Dauid, fecit: nec Semeium malè conuiciantem, sed Deum benè flagellantem respexisse visus est, cùm salutem fugapeteret 2. *Reg. cap.* 16. *num.* 10. Ad militem de Semeio Dauid, *Dominus* (inquit) *præcepit ei, vt malediceret Dauid*, &c. & pœnas à Semeio improbo sumi vetat; ac si dicat Dauid, ingerit Theodoretus quæst.32. *Est iste Dei quidem lorum, & virga: non video lorum, sed video Deum, qui me flagro cædit*, &c. Attilam cognomento Dei flagellum Lupus Antistes non spectat, sed suo in flagello Deum veneratur. *Et quis* (inquit) *Dei flagello resistat?* &c. Attilámque in vrbem admittit. quod habet, laudátque Baronius *Epit. anno Christi* 451. *num.* 6. sana omnino mens, & vox est, qua Dauid, & Lupus hostes hominum homines Dei lictores, vindicesque agnoscunt. Addit Cyrillus *Catech.* 2. qua Dauid laudatur. *Sæuit lingua maledica, & ille intendit, quid in occulto agat Deus*, &c. Hæc profectò Iobi patientia est, cùm spoliatur à Diabolo, & rebus, liberísque perditis discruciatur, *Dominus* (inquit) *dedit, Dominus abstulit*, &c. *cap.*1. *num* 21. & cùm iterum ea de re agit aduersùs vxorem cap. 2. n. 10. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quarè non suscipiamus*, &c. Vtroque textu Iobus Deum probat suarum calamitatum auctorem esse: *quia non attendebat, quis percuteret, sed quis permitteret*, &c. sic Augustinus *in Psalm.*29. Quanuis alibi sanctam Iobi superbiam commendat, & natam ab hac superbia vocem: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, &c *Vir enim sanctus noluit istam gloriam Diabolo dare, vt aliquid potuisset tollere, quod Deus non permisisset auferre*, &c. *serm.*68. Pie admodum Iobus agit, sanctaque superbia, cùm Deum spectat mala pressus fortuna: deinde tacet Diabolum, si nugari licet, ne videatur hostem odisse, quod Magister Deus vetat.

5.

2.Reg.16.n.10.

Fortiter patitur, qui Deum in aduersis vltorem agnoscit.

Iob.1.n.21.& 2.n.10.

Qui Deum suarũ calamitatum auctorem nouit, persecutores non persequitur.

Sentit Anastasius Nicæn. iustum esse Deiscitum, ad Matth. 5. num. 44. *Diligite inimicos vestros*, &c. quo vrgemur, aut amare hostes, aut certè non odisse, nec vlcisci. *Quoniam propter peccata Deus eos in nos sæpe excitat*, &c. sic Anastas. *quæst.*8. *ad quæst.*93. Quis igitur affectus iniuria vicem rependat, si Deum agnoscit facti Ducem. Hominem amet Dei lictorem, Deum timeat hominum iudicem, oportet. Quod fecisse Iosephum puto, cùm fratres metu perditos alloquetetur, Gen. 45. num.8. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*, &c. Si legas *cap.* 37. *num.*27. noueris facilè Iosephum fraterna inuidia venditum, & rem patratam communi placito. Cùm enim Iudas scitè dissereret, vt puer venundaretur, *acquieuerunt fratres sermonibus illius*, &c. Quid ergo Iosephus sui venditionem, Dei, non fratrum consilio peractum docet? Credo, ne fraternum animo odium aleret, cùm sciret fratres Dei consultis subscripsisse: quod in Iosepho Theodoretus laudat lib. 8. de Prouid.

6.

Matth.5.n.44.

Dei causam agit hostis hominum.

Gen.45.n.8. & 37.n.27.

Deo tribuit, quidquid patitur bonus homo, vt erratum eleuet alienum.

Accusationem quidem omittit, excusationem affert, &c. Qui Deum suatum calamitatum auctorem agnoscit, quidquid faciant hostes, quasi factum à Deo excusat, non accusat; imò grande sibi solatium inde parat: & quod patitur, libenter patitur, non dolenter.

7. Ioan. 18. n. 11.

Petro Magister ait, cùm discipulus Magistrum ab iniuria totum vellet, *Calicem, quem dedit mihi Pater*, &c. *Ioan. cap. 18. n. 11.* teste Ruperto: *Pater, non Iudex; id est, amore, non ira; voluntate, non necessitate; gratia, non vindicta* &c. *lib. 13. in Ioann.* Rationes Christus aggerit, vt gratam sibi crucem, non grauem esse doceat, quàm humeris ferret impositam, non à Pilato hominum pessimo, sed à Deo parentum optimo. Totus in hoc affectu Iacobus est, quandoquidem in virga hominum censoria Deum meditatur Iudicem humani generis, vt quæ Princeps agat, ad Deum Regum Principem referat. Affixus lectulo Iacobus, & senio confectus, *adorauit Dominum* (ait Moyses) *conuersus ad lectuli caput*, &c. sed Paulus *ad Hebr. c. 11. n. 21.* longè aliter, è Græco scilicet textu, *Adorauit fastigium virgæ eius*, &c. Ac de Iosephi sceptro vox est. Variam induxit lectionem vox Hebræa sine punctis quæ quidem & מטה *Mittà, lectus*, & מטה *Mattè, virga est.* Vtrumque à radice נטה *Nattà, Quod est reclinare*, &c. Quod Iacobus de virga sentit, illud est: Deum rebus in aduersis spectandum, si quis mala benè ferre velit; virgam manu hominis incuti, sed Dei consilio dirigi, cùm iudex pulsat, Princeps quatit, hostis vrget; proindeque adorandum piè, quidquid fortuna aduersa inuehit Deo auctore; *Qui vlciscitur nos secundùm peccata nostra.*

A Deo velut a Parente, Christus libenter, ac fortiter crucem tulit.

Hebr. 11. n. 21.

Genes. 47. n. 31.

Superandum ferendo est, quidquid Deo auctore patimur.

8. Leuit. 25. n. 51.

Laudant Bethulienses Deum Iudicem, quippe qui peccantes homines, *imperio regit vnus aquo.* Vnde respondent iusta peccatis supplicia. Id Bethulienses vno claudunt verbo, cùm dicant, *secundùm peccata nostra*, &c. scilicet pœnam ex æquo Deus metitur. De quo iustitiæ modo ait Moyses *ad Leuit. c. 25. n. 51.* cùm seruum iusta pecunia redemptum velit. *Secundùm hos annos reddat pretium*, &c. Mitto reliqua; abundè enim Christi vox est, Matth. c. 26. n. 27. *Tunc reddet vnicuique secundùm opera eius*, &c. Hæc Magni Dei est iustitia, non quòd peccantibus reddat, nisi citra condignum, quas merentur pœnas; si Dei offensa spectetur, ac trutinetur. quod habet schola Theologica, Magist. *in 4. dist. 46.* D. Thom. *in 1. dist. 17. q. 3. & 1. p. q. 21. art. 4. ad 1.* Suar. *tom. 3. de Grat. lib. 12. c. 31. n. 12. & in 1. 2. disp. 7. de effectu peccati, sect. 3.* Sed quòd iudex pœnam admetiri ita soleat, vt modus puniendi non vincat modum peccandi. Vnde colligas

Matth. 26. n. 27. *Iuste punit Deus iudex.*

PARÆNET. XXIX.

Deum Iudicem ex iustitiæ modo colendum esse.

1. ÆQua est adeò libra diuinæ iustitiæ, vt nec reus de pœna, licèt punitus grauiter, queratur: imò, quæ iudex infert, mala reus modestè probet, certò sciens trahi Deum, non Duci ad puniendum; quod notat Saluianus ad lib. 1. de Prouid. *Cogimus ad vlciscendas scelerum nostrorum immanitates, nolentem Deum*, &c. quæ boni Dei laus est, cùm sit, Tertulliano Magistro, *Deus de suo bonus, de nostro iustus*, &c. A reo enim est quòd punitur, à Deo, quòd iustè punierit; nec cœco ad puniendum feratur impetu, qui sceptrum gerit oculatum. *Virgam vigilantem ego video*, &c. ait Ieremias 1. *cap. 1. num. 1.* Virga quidem est, qua Iudex pœnam admetitur, ne quid nimis. Id quod alia ex virga eruit Hieronymus *ad Ezech. cap. 40. n. 3.* vbi Vates de viro magno; *& funiculus in manu eius, & calamus mensuræ*, &c. Metiri Vates Ierosolymam volebat, vt constaret, quid peccasset, & quas Deo pœnas soluisset: *& mensus est vestibulum*, &c. *num 9.* Nec res vlla est, quam non metiretur vir ille ducto calamo; patétque ex c. 41. 42. *Per quæ latenter ostenditur cuncta rationis plena esse, atque mensuræ*, &c. apponit Hieronymus *ad cap. 41.* quod interpretor, siue pœnam Iudex inferat, siue offerat veniam. Sed quid agat aliud, qui virgam gerit oculatam? *Vigilat virga cuncta peccata populi considerans, vt percutiat, & corripiat*, &c. Non punit, sine modo, qui decernit punitiones ex modo iustitiæ: imò expendit qua pœna culpa quæque premenda est, ne serpat. Hac lege virgam iudex capit, non vt frangat in reo pulsando.

Inuitus quodam modo punit Deus.

Ierem. 1. n. 1.

Ezech. 40. n. 3.

Cùm punit Deus, mensuram ex virga facit Iudex oculatus.

2. 4. Reg. 21. n. 13.

Iustus omnino Princeps, qui funiculis, numeris, ac bilancibus pensitat supplicia, & peccatis exæquat. De funiculo ac bilance constans est Dei comminatio, 4. Reg. 21. num. 13. *Extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, & pondus Achab*, &c. & verò, quæ Achabo Samaritisque mala admensus est Iudex, funiculo scilicet ac bilance, hæc Ierosolymis intulisse visus est. Quantus Dei minis iustitiæ nitor ineat! De mensura meminit, & statera, vt doceat pœnas culpis respondere. *Neque enim mensura caret diuina vindicta: sicut Saluator loquitur*, Matth. 7. num. 2. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, &c. Ita Chrysostomus *in Ps. 95.* Quæ Deus Iudæo minatus est, fecisse Iudicem monet Ieremias Thren. c. 2. n. 8. *Cogitauit Dominus dissipare murum*, &c. Hæc Deo mens vna, & constans, vt Ierosolymam euerteret funditus. Quid inde? *tetendit funiculum suum*, &c. si funiculo mensorio ad murum extruendum vteretur Dominus, bene erat: cùm tamen ducat funiculum ad vrbem destruendam, id ego miror. Occurrit Paschasius; & stragem ex dimenso factam docet. *Quatenus secundùm delictorum mensuram pœna procederet vltionis*, &c. *lib. 2.* Quanta in Dei iustitia, iustitia est, qui pœnam sine mensura inferre nescit.

Pœnam Deus inducit ponderans trutinâ.

Matth. 7. n. 2.

Thren. 2. n. 8.

Multa in Dei censura est iustitia.

3. Zachar. 5. n. 6.

Amphora metitur succos tristes calamitatum, vt quidquid acerbitatum epotat reus quisque, portione iusta ebibat. Amphoram Zacharias videt cap. 5. num. 6. *Hæc est* (inquit) *amphora egrediens*, &c. Addit Angelus, *hæc est impietas*, &c. *n. 8.* Deinde videt operculum plumbeum, talento quidem trutinatum, *Ecce talentum plumbi*, &c. *n. 7.* significatum ea rerum scena est, quantum scelerum patrasset Ierosolyma, & quantum ærumnarum pati oporteret gentem bello captam: mensura enim, & statera pensitat calamitates Deus Iudex.

dex. Ait Theodoretus, *Ex his intelligitur, vt omnia mensura, & pondere administrat Deus Omnipotens*, &c. Metitur potiones, & pilulas ponderat Æsculapius, ne, qua sanitatem quærit, morbum irritet; hoc pacto Deus, cùm punit, acerbitates ex dimenso propinat. Ad Ieremiam ille, *Sumie calicem vini furoris huius*, &c. *cap. 25. num. 15.* scilicet epotet Iudæus, quos meretur, dolorum succos tristes. *In calice enim signat pœnam, quam Dominus propinauit Iudæis secundùm mensuram culpæ*, &c. ait Hugo, & hæc fuerat Dei comminatio num. 14. *Reddam illis secundùm opera eorum*, &c. Nec Dauid aliud voluit Psalm. 74. num. 9. *Calix* (inquit) *in manu Domini vini meri, plenus mixto*, &c. Et modus est, quo iudex vires dispensat puniendi, *vt ira peccatis proportione respondeat; quod appellatur calix in manu Domini*, &c. Teste Nazianzeno *Orat. 10.* sic dispensantur supplicia ex dimenso ad remedium scelerum. Manum Deus contrahit, ne cælo mittat imbres; & manum soluit, vt procellam effundat latè: modò continet, modò producit ventos de thesauris suis: sed mensura imbres, & stateram ventos moderatur. *Quis mensus est pugillo aquas* &c. petit Isaias *cap. 40. num. 12.* Ad hæc iam olim Iobus responderat, Deum scilicet esse, *qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura*, &c. *cap. 28. num. 25.* Cur verò id fecerit Magnus Deus, explicat Nazianzenus Orat. 36. *Quis enim vel immodicam pluuiam, vel pluuiæ retentionem ferret, nisi ille pluuiæ parens mensuris suis, & bilancibus omnia regeret*, &c. Sua igitur manu Deus, & calores metitur, & hyemes expendit; ne vltra modum agat Nemesis.

Pſ. 74. n. 9.

Iusta peccatis respondet censura.

Is. 40. n. 12.

Iob. 28. n. 25.

Rerum, ac temporum vices dispensat Deus Iudex.

4. De numeris agendum est, quibus Iudex reum peragit. Sententiam scribit capitis, quæ Regem sceptro, & vita spoliat, apud Dan. cap. 5. num. 28. *Diuisum est regnum tuum*, &c. Prius tamen quàm appareret, *quasi manus hominis scribentis*, &c. *num. 5.* recenset Iudex annos, quibus Iudæum Chaldæus oppresserat, num. 6. *numerauit regnum tuum*, &c. Deinde sua Regem trutina ponderat, & expendit, quantum pœnarum meruerit. *Appensus est in statera*, &c. Multus in loco est apparatus Dei Iudicis; nec sine bilancibus Iudex hominum est, nec sine calculis: quod Rupertus notat lib. 7. cap. 3. de Victor. *Sicut omnia in numero, pondere, & mensura posuit; sic & regnum illud numerauit*, &c. Fortasse Rupertus id excepit à Chrysostomo: laudat Antistes Deum, qui reum non premit, nisi ratione scelerum inita, addítque Danielem, textu citato, in Psalm. *95. Declarauit Deum omnia cum numero, & mensura facere*, &c. quæ in reo puniendo magna Dei laus, & lex est. *Cùm punit, trutina librat vltionem, pro delictorum modo, vicem rependens; ne maior, sed congruens sit commissis*, &c.

Dan. 5. n. 28.

Multa in reo puniendo est Dei iustitia.

5. Vrget facto Deus, ne quis reum sine modo punitum velit; sed motis calculis, expendat scelera, & bilance expedita ponderet supplicia. *Metuant, qui temerè de aliis iudicare non metuunt; neque volunt causas perpendere, cùm Dominus per se non sine mensura dicatur inferre iudicium*, &c. Hæc Paschas. *lib. 2.* Venditores è sacra domo abigit Magister Dominus; *cùm fecisset quasi flagellum de funiculis*, &c. *Ioann. cap. 2. num. 15.* Funes (puto) erant, quibus adstringebantur oues, & boues, ne fugerent, & nexus hominibus ad peccandum erant. Sed Christus hisce funiculis pœnam metitur, qua puniri culpam voluit.

Io. 2. n. 15.

Pœnam culpa admetitur Deus Iudex.

6. Barbarus, & bardus homo est, qui pœnas reddit pro libito; sic enim animaduertat in reum temerè, & iure æqui, probíque læso. Quo Dauid respectu iustitiæ Moabitam punierit, benè textus docet 2. Reg. cap. 8. num. 2. *Mensus est eos funiculo, coæquans terræ*, &c. Modus est loquendi, quo textus virtutem laudat puniendi. Vnde Caietanus optimè. De funiculo mensorio sermo est. *Ad insinuandum, quòd non promiscuè, & ferino furore occidi multos fecerit; sed cum mensura proculdubio iustitiæ: & scribitur hoc ad exemplum aliorum Principum, vt discant metiri eadem funiculo iustitiæ*, &c. Hac lege Theodericus suam probat lenitatem, ac tuetur, cùm pœnam moderatur in reum facti pœnitentem lib. 3. Epist. 46. *Casibus* (inquit) *asperis præstandum est sub iustitiæ laude moderamen, vt nec vindictam sinamus superare peccata; nec patiamur culpam insultare legibus impunitam*, &c. Modum præfigit in reo pulsando bonus Deus in Deut. cap. 25. num. 2. *Pro mensura* (inquit) *peccati, erit plagarum modus: ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant*, &c. Video occurrisse Deum sæuientibus hominibus, ne iure summo punirent, quæ quidem summa est iniuria. Vnde Rupertus, *Bene* (ait) *in ipso feruore iudicij, lex sancta miserationis memoriam facit*, &c. *lib. 1. cap. 34.* Addit Hebræus manum Deiscito, ac de plagis quadragenis vnam detrahit; quod Paulus sensit 2. ad Corinth. cap. 11. num. 24. *Quadragenas* (inquit) *vna minus, accepi*, &c. Id verò iudices præstiterunt, *Ne voluptate cadis, aut delectatione crudelitatis, toto viderentur permisso vti*, &c. Hæc Rupertus iterum. Qui nullum in vindicta scelerum modum seruat iudex, sæuit admodum; nec pœna, quod patet, nec fortasse, pœnitentia contentus aliena. Quod adeò absurdum est, vt velit Seneca, *vel in mancipio cogitandum; non quantum ille pati impunè possit, sed quantum tibi permittat æqui, bonique natura*, &c. *lib. 1. ad Neron. cap. 17.* & verò magni viri est, quod rectè monet Tacitus in Agric. *scire omnia, sed non omnia resequi; paruis peccatis veniam, magnis seueritatem accommodare*, &c. Ita tamen, vt nunc pœna minore contentus sit, nunc pœnitentia: nec reum premat *in ore gladij*, &c. Quæ quidem loquendi forma satis insinuat,

2. Reg. 8. n. 2.

Bonus in reo puniendo iudex est Dauid.

Libens punit iudex, qui minutias punit scelerum.

PARÆNET. XXX.

Linguam solutam verè gladium esse.

1. QVò lingua non vadit? quò non peruadit? cùm soluitur liberè, & sua fruitur licentia. Cædit, & occidit; nec parcit, cùm sæuit; & famam rodit, & vitam aufert alienam: malos æquè, ac bonos pungit homines, tanto fœdior, quanto licentior. *Sagitta est vulnerans*, &c. ait Ieremias cap. 9. num. 8. *Gladius est acutus*, &c. accinit Dauid *Psalm. 56. num. 5.* ferit eminus, ferit cominus. Nec mihi obtrudas leuem esse notam à lingua inustam, ait

Vindictam pro iustitia infert iudex homo.

Ierem. 9. n. 8. Pſ. 56. n. 5.

2. Cor. 11. n. 24.

ait Bernardus ad ſerm. de cuſt. trip. *Leuis quidem res, eſt ſermo; quia leuiter volat, ſed grauiter vulnerat; facilè volat, atque adeò facilè violat charitatem*, &c. Quot hoc monſtro ſubnaſcantur mala hominum, præſenſere viri boni, quibus multa eſt cura de lingua inhibenda.

Facilis in lapſum lingua eſt.

Pſ.140.n.2. Carmen Dauid edit *Pſ.* 140. & precatur, quæ ad ſalutem ſpectant intimam, & vltimam, n. 2. *Dirigatur oratio mea*, &c. & proximè apponit, quid à bono Deo velit. *Pone* (inquit) *Domine cuſtodiam ori meo*, &c. Quod primò occurrit bonæ vitæ malum à lingua eſt: hoc Dauid turbatur monſtro; imò negat vires ſibi eſſe ad linguam refrænandam, quod notat Chryſoſtomus. *Multa enim mala parit linguæ facilitas, & leuitas*, &c. Periculis fortaſſe dicerat Dauid linguam hominum ſolui facilè, retrahíque ægrè poſſe à morſu vitæ alienæ. *Et quoniam nouit rem eſſe difficilem, addit preces, ac Deum vocat ad ferendum auxilium: Pone Domine cuſtodiam ori meo*, &c. Hæc dictis aſſuit Chryſoſtomus. Quod in primis dolet, id in primis curat Dauid, precibus ritè, ac piè factis, & quod primò ſcelus patratur, primò reſcindit: *Peccatum enim, quod per linguam admittitur omnium eſt propenſiſſimum, & multiforme*, &c. addit Baſilius.

Prima errati labes à lingua.

Lingua curatu difficilis.

2. Multis locis Dauid hoc monſtrum agitat; ſi numeres, loca ſunt pluſquam tricena. Docet enim modò frandes à lingua texi, *Pſ.5. n.10.* modò figi morſus, *Pſalm. 49. num. 19.* nunc ſeri mendacia, *Pſalm. 77. num. 36.* nunc iaci maledicta, *Pſalm. 10. num. 7.* iam adulationes fieri, *Pſalm. 11. num. 5.* iam lites moueri, *Pſalm. 51. num. 4.* Tantus à lingua lapſus eſt hominum, vt perſæpe Dauid de malo monſtro ſermonem ſtruat; quaſi oportuerit vigilare in remedium, ait Magnus Baſilius ad Pſalm. 38. *Multam curam linguæ impendit, lubricum eſſe membrum illud ſciens*, &c. Scitè monet linguam vi continendam eſſe, nequis monſtro victus ruat in ſcelera, & lapſu grauiore ruat.

Pſ.5. n.10.
Pſ.49.n.19.
Pſ.77.n.36.
Pſ.10.n.7.
Pſ.11.n.5.
Pſ.51.n.4.

Frænos linguæ non patitur multis infecta malis.

3. Dolet Magiſter Deus, quæ loquendi vitio emergunt mala, vbi linguam ſoluit hominis, ſed tracto altè gemitu, *ad Marc. cap. 7. n.32.* Adducto enim ſurdo, ac muto mendicabulo num. 33. *Expuens tetigit linguam eius*, &c. num. 34. *& ſuſpiciens in cœlum ingemuit*, &c. Quid inde factum, exponit Marcus verſu proximo, *& ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè*, &c. Multus Chriſto labor eſt in ſoluenda lingua hominis, vt loqui rectè poſſit, & quæ ad Magni Dei laudem attinent, cùm Patrem allicit precibus, gemitibus, & ſanitatem ſua iuuat manu. Quid hæc innuant, benè Magnus Gregor. Hom. 10. in Ezech. *Sed nos* (inquit) *ad Deum gemere docuit, qui cœlo præſidet, vt lingua per ſcientiam diuinæ locutionis ſolui debeat ad verba prædicationis*, &c. Vidiſſe Deus viſus eſt, quo malo hominum ſoluitur lingua: preces facit, gemitus edit; opem à Patre Deo parat, & linguam ſua tangit manu, vt monſtrum aut teneat, aut ſuo ducat fræno. Senſere vim huiuſce monſtri qui ſuo, probatóque ſilentio hebdomadam exegere. Aduenium ex condicto Reges ad Iobi fortunam mitigandam *cap. 2. num. 13.* ſedent, hærent, ſilent hebdomada integra: *&*

Mat.7 n.32. 34.

Multis opus eſt lachrymis, ac precibus, vt quis rectè loquatur.

Iob 2. n. 13.

nemo loquebatur illi verbum, &c. An dolor ingens de Iobi, amicíque fortuna vocem contrahit? contingit id aliquando, ſi credis Chryſoſtomo *Hom. 4. in Iob.* An metus vrget Reges, ne, ſi linguam ſoluant, Iobum lædant? fortaſſe metus amicis nec vanus eſt. Quod probat iniuria in Iobum immiſſa, *ad cap. 4. num. 5.* Inde igitur fit, vt Reges ſilentio tranſigant hebdomadam. *Tenuerunt linguam, ne properè incideret; ſed incipientem ſemel nequaquam moderati ſunt, ne ſe ex conſolatione vſque ad contumelias effrænaret*, &c. ſic Magnus Gregor. *lib. 3. cap. 9.* facile eſt lingua labi homines, etſi lapſum velint cauere: monſtrum enim eſt, quod fræno ſoluto inhiberi à morſu ægrè poſſit.

Iob.4. n.5. *Moderari linguam neſcit & prudens homo.*

Hæc Iacobo ratio admonendi cap. 1. n. 19. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*, &c. ſcilicet, quid quiſque loquatur, priùs expendat libra iuſtitiæ, & expediat limæ prudentiæ. Tardus ad loquendum Moyſes erat: quod opponit, vt legationem abnuat, Exod. cap. 4. num. 10. *Impeditioris* (inquit) *& tardioris linguæ ſum*, &c. Non quòd loqui apud Regem non poſſet copioſè, *qui erat potens in verbis*, &c. id eſt, eloquens: notat Origenes *Hom. 3. in Exod.* à quo Laudunenſis. Tardè Moyſes loquebatur, ſuo quidem more, *vt tutius, & cautius loqueretur*, &c. Quod Græcus Magiſter exponit apud Lippomam. Optat ſibi Princeps collum ciconiæ, vt quæ loquatur, dum per collum illud oblongum feruntur verba cunctanter, expendat libra iuſtitiæ, extergat lima prudentiæ.

4. Iacobi 1. n.19.

Exod.4.n.10.

Act.7. n.12. *Tardè loquatur, qui loqui prudenter velit.*

5. Sed malum commune eſt gentis humanæ, vt famam rodat alienam, *in ore gladij*, &c. Mordet malus quiſque bonos viros, mordet & bonus. Quod ad Celantiam ſcribit Hieronymus Epiſt. 14. *Tantaque libido huius mali mentes hominum inuaſit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt; in iſtud tamen, quaſi in extremum Diaboli incidant laqueum*, &c. Pingit Sapiens, quo pacto virgo Dei amans domum percurrat, & vrbem, nec Deum locis tam multis inueniat. *In lectulo* (inquit) *meo, quæſiui, quem diligit anima mea*, &c. *Cant. 3. num. 1.* Cùm enim domum luſtraret, quid agerent domeſtici, explorabat; non tamen placebant, quaſi ad Chriſti normam non conuenirent: *quæſiui* (inquit) *illum, & non inueni*, &c. Domo exit, vrbem petit, per vicos liberè curſitat, toto vagatur foro, obſeruat in angulis, quid quiſque faciat. Nec in foro, vbi mercatus eſt; nec in portis, vbi lites fiunt; nec in vicis, vbi cuſtos vigilat; nec in Curia, vbi Senator conſulit, Deum videt. *Quæſiui* (inquit) *illum, & non inueni*, &c. num. 2. Quænam hæc rerum ſcena eſt? Gilbertus optimè ſerm. 5. *Tales ſunt multi, qui omnes perſcrutantur profeſſiones, & in illis nulla inueniunt, quæ illos trahant; ſed multa, quibus ipſi detrahant; calumniantes, quòd in aliis diſtinctio ſit nimia, in aliis minima*, &c. Malum ex loco duplex, & quòd virgo rimatur curiosè mores alienos, & quòd malè carpat, *in ore gladij*, &c. *ſed curioſitatem ſubſequitur maledicentia*, &c. ait Plutarchus. Neque enim malus quiſque perſcrutatur, ac perquirit aliena curiosè, niſi vt carpat, & laceret. *Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem*

Communia malis ac bonis vitium eſt obmurmurandi.

Cant.3.n.1.

Curioſus facilè detractor

ciuitatem, &c. ait Dauid *Psalm. 58. num. 7.* Vrbem percurrunt, qua fame canes, hac curiositate homines, & captant occasionem obmurmurandi. *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum*, &c. *num.* 8. Notat Dauid, quantum nocent, qui famam atrodunt alienam; quandoquidem lingua vt ferro abutuntur: sed quid agat aliud curiosus.

6. Vtrumque malum à Diabolo haustum puto. Constat Diabolum cursitasse per orbem vniuersum; quod ille fatetur, pleno Senatu. *Circuiui terram, & perambulaui eam*; &c. *Iob cap. 1. n. 7.* Et peregrinationem suscepit Diabolus, vt quæ quisque gereret, & statueret, oculis emissitiis peruideret; quod monet Origenes Hom. 1. *Sed spirituali transitu vniuersa, quæ sub cælo fiunt, subitò pernolans circuit*, &c. aut affectu inuidiæ, aut vitio suspicionis bona eleuans. Hoc studio Iacobum inspexit vitæ integrum, scelerisque purum hominem, vtpote quem Angeli commendarent apud Magnum Dominum. *Cùm veniissent filij Dei, & assisterent coram Domino*, &c. num. 6. *Venerunt enim Angeli confitentes, & gratias agentes pro iusto Iobo*, &c. ait Origenes *Hom. cit.* Sed Magni Dei filiis insitum id est. Quòd si *adfuit inter eos & Satan*, &c. verè implet numerum Diabolus, vt carpat, & rodat virum optimum. Origenes iterum, *Venit & Diabolus, vt mentiretur, accusaret, & culparet*, &c. quod patet ex *n.* 9. vbi obtrudit, *Nunquid Iob frustrà timet Deum*, &c. scilicet Diabolici est ingenij, vt qui opus nõ potest, carpat, qua id mente fiat.

Iob. 1. n. 7.

Curiosus vita aliena Diabolus est.

Curiosè explorat bonus Angelus vt laudet.

7. Et erit, qui duce Diabolo absentes carpat homines, iure læso charitatis? Scitè, ac sanctè egerit, qui famam non rodat alienam, Magnique Dei spiritum commoueat. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei*, &c. ait Apostolus *ad Ephes. c. 4. num. 30.* Addit Tertullianus *ad c. 15. de spectac.* Vrgeri homines sacro textu, ne Dei lædant spiritum *pro naturæ suæ bono tenerum, ac delicatum*, &c. vtpote qui suam in aliena iniuria iniuriam agnoscat. Nam subscribit Paulus quæ Dei spiritum turbant maximè, n. 31. *Omnis*, (inquit) *amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia* (Græcè *maledicentia*,) *tollatur à vobis*, &c. quod placet Chrysostomo, & Athanasio. Grande malum! Si quis lingua in hominem soluta Dei spiritum lædit grauiter.

Ephes. 4. n. 30.

Deum lædit qui detrahit hominibus.

8. Timeat obtrectator Dei censuram, & virgam. Constat Pharisæum Deo ingratum fuisse obloquendi vitio; Publicanum placuisse affectu humili, *ad Luc. 18. num. 14.* Inibi litem de cura virtutum motam absoluit Iudex, & Publicano adiudicat. *Descendit hic iustificatus ab illo*, &c. Cur Pharisæus litem perdiderit dabit scena parabolica. *Pharisæus enim stans hæc apud se orabat*, &c. num. 11. *Deus gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri hominum; raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus*, &c. Absurda omnino oratio, qua Pharisæus gloriarum plenus se altè erigit, Publicanum superbè deprimit, & contumeliosè vocat. Iustè causa cadis, ait Gilbertus *serm. 33. Pharisæe non rogas; sed prope adstanti publicano iniurias irrogas*, &c. Quid ergo mirer, si Publicanus in causa victor abeat; *Descendit hic iustificatus ab illo*, &c. & præ Pharisæo laudem ferat iustitiæ.

Luc. 18 n. 14.

Detractor vel in Sacris detrahit contumeliosè.

Timeat Dei virgam lingua vulnerans; timeat hasce Dei voces. *O generatio incredula, & peruersa! quousque vobiscum ero, usquequò patiar vos?* &c. *Matth. cap. 17. num. 16.* Ostendit Magister se dolore exacerbato prorupisse in hasce voces. Vnde tamen Christi dolor, ac motus iste, si Hebræus, morbo explicato, opem exposuit? num. 14. *Domine miserere filio*, &c. An contumelia Deo est seruum hominem à Magno Domino auxilium postulare, vt acerbè seruus accipi meruerit? Sed mordet homo Christi scholam, quasi puerum sanare non potuerit. *Et obtuli* (inquit) *eum discipulis tuis; & non potuerunt curare eum*, &c. Non tulit Magister oblatrantem hominem, qui fide malesanus impotentiam Apostolis obiiceret. Pulsatur igitur à Christo mordax homo: quod probat Isidor. Clarius, *præsertim, cùm is, qui rogat, crimen incredulitatis suæ in Christi discipulos reijceret*, &c. Odit Magnus, ac bonus Deus obtrectantem hominem, & insectatur vitium obloquendi: imò se ipsam lingua mordet, quo loquendi modum tibi præscribat, & multam dictis fidem faciat; si quid rectè Bernardus monet de cust. trip. *Quod nec sibi parcit, & quòd ad sui ipsius pericula munit audientes*, &c.

9. Matth. 17. n. 16.

Ingratus Deo homo est detractor qui suam aliis culpam deputat.

Num. 18. Et cùm hæc dixissent, factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia ab omnibus, & per multas horas, vna voce clamauerunt ad Deum.

Num. 19. Dicentes: Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

Commentarius.

DEderat textus proximè, Gentem vniuersam malè commotam, & siti excitata stomachatam grauiter fuisse aduersùs Oziam, multísque nominibus inuitasse ad vrbem tradendam. Video modò Gentem eandem, lachrymis suffusam plurimis, in proseucham abiisse, & inibi precibus ad Deum factis, clamitasse. Vnde colligit Tirinus plebem malè irritatam, ab Ozia benè sedatam esse, vt Deum adiret, opémque posceret. Nec vana Tirino cogitatio. Prudens admodum Princeps, qui sua lenit industria, & suadela furorem tumultuantis populi; nec cedit obloquentibus, sed bonum ad Deum vrget, ac ducit; à quo auxilium rebus trepidis postulandum est. Vnde Baruch, *Clamate* (inquit) *ad Dominum, & eripiet vos de manu Principum*, &c. *cap. 4. num. 21.* scilicet, *adiutor in opportunitatibus*, &c. *Psalm. 9. num. 10.* Sic Iupiter ab orbe iuuando iuuans Pater, & à fuga sistenda stator est, apud Liui. *lib. 1. Dec. 1.*

56.

Tumultuantem sedat populum bonus præfectus.

Baruch 4. n. 21.

Psalm. 9. n. 10.

57. Aduersam fortunam consequitur lessus ingens Bethulienſium n. 18. *Factus est fletus, & vlulatus magnus*, &c. sed imperatus à vili genio sordidæ plebeculæ. Et quidem textus genuinè muliebrem cum fletu eiulatum miscet: quandoquidem *gemiscere nonnunquam viro concessum est, eiulatus ne mulieri quidem*, &c. ait Cicero 2. *Tusc.* Fauet Horatius *in Epod.* 10. vbi naui fracta excitatur. *& illa non virilis eiulatio*, &c. quod ergo Iudæus eiulatur, de natura est muliebri: *Factus est fletus, & vlulatus magnus*, &c. Non plorant, etsi doleant, fortuna reflante, viri magni: fleat vt puer, vt seruus, vt mulier, qui non alit animo virtutem masculam. *Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum*, &c. Monet Horatius *in Epod.* 16. Rider Seneca oblongum æquè ac amentem Cornelium fleuisse in Senatu: *Cùm illum Corbulo struthiocamelum depilatum dixisset*, &c. *de Const. Sapient. c.* 17. Trahítque in OEta pudorem Hercules fletu madidus, cùm suo de vultu diceret Act. 4. *Pudor! iam flere didicit*, &c. Iure id merito Hercules. neque enim decet luctus virum strenuum. Opponis. Quid tu naturæ duritiam, imò toruitatem suades! Laudas hominem è saxo dolatum, & apatheticum? minimè id: sed remouco omnem lugentiũ scenam, quam remouet Seneca *Epist.* 99. Bona flendi gnome à leone est, de quo Plin. lib. 8. c. 16. *Creditum est à moriente morderi humum, lachrymámque letho dari*, &c. Lachrymam itaque vnicam dolor exprimit, vt alienum à viro strenuo fletum scias. Sed hac de re sermo adhuc erit.

Fœda viris eiulatio.

Fletus à viro strenuo longè.

58. Laudo ego lachrymas, quibus Hebræus sua deflet scelera; cùm lessum faciat communi placito, illud in Dei aures ingerit. *Peccauimus cum patribus nostris*, &c. *n.* 19. & hæc quidem iusta est de peccatis vindicta apud Deum Iudicem. *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus*, &c. vox Cypriani est *ad lib. de Lapsis.* Hoc aspectu monet Vates Iohel c. 1. n. 5. *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate*, &c. quasi lessus de gula factus, Deum Iudicem lenire ad veniam soleat. O quanta lachrymis vis inest ad iram mitigandã Magni Dei! *Nam lachryma fratres, peccatorum rogum extinguit*, &c. Chrysostomus *ad Pop. Hom. 5. de Pœnitent.* Video fletum à peccato natum peccati hostem esse, quo scilicet modo lignum rodit nata à ligno teredo, quod notat Chrysostomus Hom. 5. ad pop. *Sic* (inquit) *tristitia de peccato nata est, & peccatum absumit*, &c.

Iohel. 1. n. 5. *Bonus de peccato fletus.*

59. Si lachrymis addas confessionem scelerum, benè est. Hisce lachrymis Dauid suam adornat confessionem *Psalm. 55. n.* 9. Fatetur ille se peccasse, & quid peccasset: *Deus, vitam meam annuntiaui tibi*, &c. teste Hieronymo. Deinde addit, *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*, &c. quasi parum esset aperire hominem Deo conscientiam scelerum, nisi daret & tristes lachrymas, quæ sordes abluunt, Deúmque propitiant. Hoc affectu luget Esdras, errati pœnitens, 2. lib. c. 1. n. 4. *Fleui* (inquit) *& luxi diebus multis*, &c. Apparatus est ad confessionem. *Ego, & domus patris mei, peccauimus*, &c. Quare Bethulienses non sua modò, sed & parentum deflent scelera. *Peccauimus cum patribus nostris*, &c. Hac peccandi forma Hesther ita preces moderatur, vt suam cum parentum culpa culpam iungat, cap. 14. num. 6. *Peccauimus in conspectu tuo*, &c.

Psal. 55. n. 9.

Iuuatur lachrymis peccatorum confessio.

2. Esdr. 1. n. 4.

Hesther 14. n. 6.

Sed iam id pridem obtulerat Dauid Psal. 105. num. 6. *Peccauimus cum patribus nostris*, &c. Ac si vellet: Filij patres secuti sumus, &c. exponit Hieronymus: & mala à malis coruis oua prodiere. Hac nota afficit Horatius gentem Romanam,

60.

Psal. 105. n. 6.

Ætas parentum peior
Auis tulit nos nequiores, &c.

lib. 3. Ode 6. Cur non peccent liberi parentum factis admoniti? Vis est magna parentum in vtramque partem, vt virtutem liberi velint, aut colere, aut fugere. Petit Chrysostomus, cur parentes liberos nanciscantur persæpe improbos, ac mentis penè emotæ & respondet, vitio id parentum euenire, qui matrimonium contraxerint, nec virtutes coniugum, sed opes quæsierint, *vt filij eorum non sint fructus iustitiæ, sed pœna irreligiositatis*, &c. *Hom. 1. in Matth.* Dolent igitur Bethulienses grauiter parentes sibi duces, ac faces esse, ad peccandum: quod pertinet ad confessionem scelerum integram, cùm non tegant vim peccandi hausiam à parentibus; scilicet mala, quæ peccatum circumstant, aggrauantque ex aduentitio palàm faciunt. quo aspectu Dauid fatetur sordes improbitatis originarias, cùm veniam postulat, Psalm. 50. num. 8. (*Ecce* (inquit) *in iniquitatibus conceptus sum*, &c. Et quæ nam in hac culpa tua culpa est bone Dauid, vt necesse fuerit explicare? Benè Vrbanus Pontifex in Metaphrasi. *Sed vt tu Deus ad miserandum mei facilius inclineris, si ab ipsa radice me coram te confiteor peccatorem*, &c. Si tamen lessum ex aduersis peragunt; disquiro

Malus à malo parente discit filius.

Psal. 50. n. 8.

Gratificatur Deo plena scelerum confessio.

Paræn. XXXI.

Decet ne viros aduersis flere?

Prima Pars.

I. NEgant viri magni lachrymas aduersis dandas esse, cùm id viro magno, ac strenuo sit propudium; fletus enim aut virturem eleuat, aut lædit auctoritatem viri cuiusque. Fleant seruus, ac mulier, cùm dolor vrget; nec suam animo deuorent ægritudinem. Scio dari Lyciis vestem muliebrem, cùm esset flendi occasio: quod tradunt Seneca *ad Polyb. cap. 36.* Valer. *lib. 2. cap.* 1. Plutarch. *ad Apollonium. Vt cultus deformitate commoniti, maturiùs proiicere mœrorem vellent*, &c. ait Valerius: Plutarchus verò addit Lycios in luctu vestem sumpsisse muliebrem: *cùm vellent significare huiusmodi affectum muliebrem esse, & haudquaquam viris magnis congruentem*, &c. Certè mulieres affectu molli *ad lacrymas, oculos erudire suos*, &c. eò spectat, quòd vocarentur mulieres, non

Fletus à viro alienus.

non homines, ad lessum concinnandum publicè, de quo ritu Ieremias cap. 9. num. 17. *Vocate* (inquit) *lamentatrices, & veniant*, &c. Imò cùm vellet scholam esse, quæ flendi modos præscriberet, vrget num. 20. *Audite mulieres verbum Domini: docete filias vestras lamentum*, &c. Fœminis id, non viris Deus concedit, vt eiulatum edant, cùm fortuna minatur, Chaldæo sub Duce. *Quia ascendit mors per fenestras*, &c. *num.* 21. vt scias fletum hominibus absurdum esse.

Ier. 9. n. 17.

2. Fleant mulieres, suúmque Adonidem sibi ademptum doleant, planctu edito, apud Ezech. cap. 8. num. 14. *Et mulieres ibi plangentes Adonidem*, &c. Non viris, sed fœminis data est potestas flendi, Amasio erepto: scilicet propudium viro esset ingens lachrymis prosequi malam fortunam, ait Hieronymus. *Nos quoque eos, qui ad sæculi mala, & bona vel contristantur, vel exultant, mulieres appellemus, molli, & effœminato animo*, &c. Puto ego sententiam de textu esse, cùm enim Deus Vatem vrgeret; *adhuc videbis abominationes maiores, quas isti faciunt*, &c. *num.* 13. ac de viris, quod patet, ageret; subitò inducit mulieres, & præficas malè habet, *& mulieres ibi plagentes*, &c. Quasi flentes aduersis homines vocari mulieres, non homines meruissent. Annum fœminis ad plangendum constituit lex Romana, teste Seneca. *Viris nullum est tempus legitimum, quia nullum honestum*, &c. *Epist.* 63. Et erit, qui permittat viris magnis, strenuísque facultatem flendi rebus in aduersis?

Ezech. 8. n. 14.

Fœminis datum est flere aduersa fortuna.

3. Fleat seruus animo fractus; quod in Hebræo notat Abulensis. Notat ille populum Ægypto extractum fleuisse, nunc in fame, nunc in metu. Cùm cibos cupit Ægyptius, tumultuatur cùm Hebræo, ac luget impatiens inediæ. *Sedens, & flens*, &c. *Num. cap.* 11. *num.* 4. certus de Philisthæa Hebræus, metúque lapsus eiulatur. *Vociferans omnis turba fleuit*, &c. *cap.* 14. *num.* 1. Eiulatum fames æquè, ac metus exprimunt, sed à grege seruo, qui Ægypto seruierat. *Nec diffiteri possumus Iudæos illos seruilis cordis esse; ideo ad quæcumque mala solo terrore concussi, muliebriter lachrymas effundebant*, &c. sic Abulensis *q.* 1. *in cap.* 14. *Num.* Pudeat igitur viros magnos flere, licèt retinentibus excidant lachrymæ.

Num. 11. n. 4. & 14. n. 1.

Plorat seruus aduersis tactus.

4. Regno pulsus dolet, ac luget Dauid; quod habes 2. *Reg. cap.* 15. Sed fletum edit, tecto vultu. *Scandens & flens; nudis pedibus incedens, & operto capite*, &c. *num.* 30. Pudebat Regem magnum, & virum strenuum lugere publicè. *Quia viros flere non conuenit: qui autem flet, iam effœminatur*, &c. sic Abulensis *q.* 33. Affectus morbo Ezechias suam deplorat fortunam, 4. Reg. 20. num. 2. *Conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum*, &c. In precibus vbertim Princeps luget, quod textus notat num. 3. *Fleuit Ezechias fletu magno*, &c. Id vt liberè faciat, vultum auertit à ministris domesticis, & conuertit ad angulum. *Ne videretur flere*, &c. ait Laudunensis. *Veloſ. in Iudith.*

2. Reg. 15. n. 30.

4. Reg. 20. n. 2.

Pudet Regem flere largè.

Quasi absurdum esset, Regem lugere, cùm adessent spectatores: addit Abulensis q. 5. *Conuertit faciem ad parietem; quia fortè erubescebat flere coram illis*, &c. Placet Philosopho pudor iste lugendi. *Fœmineum enim, & minimè generosum est lugere*, &c. quod Plutarchus docet ad Apollon.

5. Addo, nec lugendum in fortuna aliena: volo, doleas; nolo, fleas. Id sibi Dauid, cùm non imperaret, Absalomo interfecto *ascendit cœnaculum porta, & fleuit*, &c. 2. *Reg. cap.* 18. *num.* 33. Curat tamen tecto clausus, vt remotis arbitris fluant lachrymæ; Abulensis optimè q. 25. *Noluit plorare in publico, eo quòd erat quædam Regis indignitas publicè plorare*, &c. An satis hæc, vt Dauid pudorem flendi abstergeret? Adhuc vultum obtegit palliolo, *ad cap.* 19. *num.* 4. nam textus est, *Operuit caput suum, & clamauit*, &c. Commotus piè Dauid non temperat à lachrymis, nec à vocibus; sed vrget pudor, vt faciem tegat linteolo. Vnde Abulensis, *Quibuscumque* (inquit) *viris etiam inferioribus non conuenit flere voce magna, quia illud est muliebre*, &c. *q.* 2. Quare non placent, qui viro magno, & strenuo concedunt, vt eiulatum edat in excessu chari capitis. Doleat seriò, ingemiscat grauiter, semota lugentium pompa. Licet naturæ affectibus obsequi, grauitate seruata. Ratio enim est alia de funeribus gentis charissimæ.

2. Reg. 18. n. 33. & 19. n. 4.

Non decet, Principem flere publicè.

6. Quandoquidem & Abrahamus Saram vita defunctam dolet, ac deflet Genes. 23. num. 2. *Venitque Abraham, vt plangeret, & fleret eam*, &c. Qui rimari textum lentè velit, fortasse colligat lessum Abrahæ notatum esse verbo duplici, vt scires virum magnum graditer fleuisse, vxore sublata; sed maritus ita fleuit, vt lachrymis nec sua deesset humanitas, nec dignitas. Quod textus insinuat de Abrahamo numer. 3. *Cùm surrexisset ab officio funeris*, &c. *Est enim aliquis* (ait Seneca) *dolendi decor: quemadmodum rebus cæteris, ita & lachrymis aliquid sat est*, &c. *Epist.* 99. Seruatus Abrahamo lugendi modus iste: vnde visus Hebræo Magnus Princeps est num. 6. *Audi nos Domine, Princeps Dei apud nos*, &c. Credit Philo Abrahamum luctu modesto consecutum, vt magnus Princeps appellaretur. *Vbi* (inquit) *optimates conuenerunt ad eum officij gratia, cùm nihil viderent eorum, quæ apud ipsos in luctu fieri solebant; in hanc vocem erumpunt: Rex à Deo tu inter nos*, &c. *ad lib. de Abrah.* Sed & Magister Deus fleuisse dictus est defunctum vita Lazarum, apud Ioan. cap. 11. num. 35. *& lachrymatus est Iesus*, &c. Facto admonens dulce, ac decorum esse lachrymis honorare amicum demortuum: quod Rupertus notat lib. 10. *Pias vt homo, ante impedit lachrymas*, &c. Quid tamen si fletum prius cohibet, quàm ediderit? *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum*, &c. ait Ioannes *n.* 33. Si petis quisnam iste Dei fremitus, & quæ nam turbatio fuerit? docet Chrysostomus, imperasse Christum sibi, ne quid affectus non modestè ageret; factísque

Gen. 23. n. 2.

Flendum viro est parcè.

Dei Princeps est, qui moderatè luget.

Ioann. 11. n. 35. 33.

docuisse, quid in charissimorum funeribus agendum est. *Motum* (inquit) *illum cohibuisse signat*, &c. *Hom* 62. Rectè Magister docet, inhibendum scilicet affectum, vt ne lachrymulam quidem emittas; deinde flendum, cùm vrget ratio; ne tamen quid nimis.

Premendus lugendi impetus iusta moderatione.

Secunda Pars.

7. INde argumentum premunt alij, & contendunt, lachrymas aduersis fundendas, nec luctum à viro magno, & strenuo alienum esse. An laudas hominem, qui nihil habeat humani sensus, affectúsque? Fleuit Dauid, cùm Ionatham fugeret, fleuit & Ionathas cùm amicum emitteret, 1. Reg. cap. 20. n. 41. *Fleuerunt pariter*, &c. vtpote homines sensu, nobilésque affectu. Delatum Antonino vtique pio flere Marcum, ministro ad tumulum elato. Quid Imperator? *Permitte* (inquit) *vt homo sit, neque enim Philosophia tollit affectum*, &c. apud Capitolin. Satis insinuat Antoninus inhumanitatem esse, non virtutem, obrigescere hominem ad obitum chari capitis. Vnde Seneca ad Polybium cap. 36. *Non sentire* (ait) *mala sua, non est hominis: non ferre, non est viri*, &c. Quid igitur in hac rerum scena agendum est, vt sua viro magno, ac strenuo virtus constet? Addit Seneca Epist. 63. *Lachrymandum est, non plorandum*, &c. Magnus omnino Esdras; quod patet ex 1. & 2. *lib.* Sed constat hominem grauiter commotum malis publicis vrbis patriæ. *Fleui*, (inquit) *& luxi diebus multis*, &c. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. Cùm accepisset ab internuntio, *Murus Ierusalem dissipatus est*, &c. Quid ergo nos schola morum subuersa? ait Beda. *Si vir sanctus audiens destructa lignorum, & lapidum ædificia, rectè lugebat*, &c. *lib.* 3. *cap.* 15.

1. Reg. 20. n. 41.

Humanum est vt fleas modestè.

2. Esdr. 1. n. 4.

Lugenda patris calamitas.

8. Fleuit Alexander, cùm Darium à domesticis occisum videret, *tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus*, &c. apud Iustinum *lib.* 11. vrbem solo euersam, & gentem extructam è terra patria deplorat Ieremias. Ad rem satis illud ex cap. 2. num. 11. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei*, &c. Et notandum meminisse Vatem de muro dissipato, de turri euersa, de opibus corrasis, de fortuna vtique temporaria *num.* 2. Neque enim pudebat virum magnum ea de re dolere, ac lugere; vt probaret se commotum fortuna aliena, & nihil humani à se alienum esse. Duplex viro sancto causa dolendi, ac lugendi, teste Ruperto: altera erat populi seruitus Babylonica: *Pro qua* (inquit) *non lamentari durum fuisset, & iniquum*, &c. altera verò erat seruitus vltima, & calamitas à Christo occiso, *Neque enim istam absque compassionis affectu captiuitatem præscire poterat, quippe quam Dominus ipse prouidens, super ciuitatem miseram veris lachrymis flebat*, &c. *Luc.* 19. *n.* 41. sic Rupertus *lib.* 5. *in Thren. cap.* 12. Iusta viro magno est deplorandi ratio, maximè si affectu, ac aspectu id fiat, terræ patriæ.

Ier. 2. n. 11.

Deflenda viro magno fortuna aliena.

Mouet lachryma euersa patria.

9. Errat deinde, qui negat viris strenuis flendum esse in rebus acerbis, cùm sciam fleuisse vbertim, Alexandrum, Marcellum, Cæsarem, Titum, Catonem, Metellum, virósque alios virtutis masculæ, quòd hostes viderent suos, & honore, & vita spoliatos, vrbésque nobiles vi euersas, flamma absumptas. Deflet Alexander piè Darium indignè interemptum, ad Iustin. locum citat. Marcellus captis Syracusis, *casum vrbis opulentissimæ lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit*, &c. ait Valer. *lib.* 5. *num.* 1. Cæsar, cùm videret Pompeij caput, *oblitus hostis, soceri vultum induit, ac Pompeio tum proprias, tum filiæ suæ lacrymas reddidit*, &c. Valer. *loco citato.* Titus cùm sciat fratrem sibi insidiatum, *nonnunquam lacrymis, & precibus orat*, &c. *apud Sueton. cap.* 9. Cato, vt hostes cecidisse conspexit, *caput obuoluens, effusis secessit lachrymis*, &c. tradit Plutarchus *in Cæsar.* Quid Metellus Iugurtha infesto? *Marium lachrymans per amicitiam, pérque remp. obsecrat*, &c. ita Salustius *in Iugurth.* Fleuit Æneas, *constitit & lachrymas*, &c. *lib.* 1. Cùm Troiam bello vexatam spectaret in Carthaginensi tabula. Erant quidem *Regiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethai, pugnatores validi*, &c. 2. *Reg.* 15. *num.* 18. Sed & lugebant Regem regno indignè exactum esse, num. 30. *& omnis populus operto capite, ascendebat plorans*, &c. Nec indignum erat, viros fortissimos Rege plorante, complorare. Angelus erat, & quidem virtutis exactæ, qui Iacobum lachrymis exoratum voluit. Rem apponit Hoseas cap. 12. num. 4. *& inualuit ad Angelum, & confortatus est*, &c. Nosti luctam à Iacobo initam cum Angelo, *ad Gen.* 32. quis nam verò sit Angelus, explicat vox Hebræa אראל *Arel*, quæ fortem sonat, vt אראל *Aral*. An Angelo strenuo turpe est, flere? Addit Hoseas, *Fleuit, & rogauit eum*, &c. Id enim Vatablus, cum schola Hebræa, ad Angelum refert, qui Iacobo, *Dimitte* (inquit) *me*, &c. *num.* 26. Ac ne absurdum putes flere Angelos, etsi strenuos, addit Isaias cap. 33. n. 7. *Angeli pacis amarè flebunt*, &c. Scias igitur Manes esse rigidos, humanitatísque expertes, qui nec doleant, nec fleant. Proindéque fletum viris, nec in agnis, nec strenuis indecorum esse; quod euincit Cresollius *lib.* 2. *section.* 6. Puto ego iustum viris luctum esse, cùm vicem doleant, ac fleant alienam: probat id Seneca *Epist.* 63. iustas esse lachrymas, quibus Duces strenui prosequantur vexatam bello patriam, & miserè confectos ciues: quo in luctu Princeps Hebræum esse videt, cùm Ammonites Iabitam obsideret, 1. Reg. c. 11. num. 1. & 4. *& leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit*, &c. sic Bethulienses iustè dolent, ac lugent, obsessa Bethulia: *Factus est fletus, & vlulatus magnus*, &c.

Licet flere aliena calamitate.

2. Reg. 25. n. 18. 30.

Hose. 12. n. 4.

Et Angelum flere decet, & hominem.

Genes. 32. n. 26.

Isa. 33. n. 7.

1. Reg. 11. n. 1. & 4.

Quòd si dolor, ac fletus de peccatis est, cùm verè scelerum confessionem peragant homines, veniámque à Deo poscant, *dicente*: *Peccauimus cum patribus nostris*, &c. Video

PARA

PARÆNET. XXXII.

Lessum peccantibus iustum esse.

1. QVadrat benè luctus in virũ magnum, ac strenuum, si de peccatis luctus est; cur enim grauius de rebus acerbis, quàm de malis erratis doleant, ac fleant peccantes homines? Grauius à peccato nocumentum est, pestis animo grauior, cum magna Dei iniuria: ac proinde, quidquid feceris, vt satis Deo facias, parum est. Comam vellas, genas laceres, & latus pugnis tundas, habitúque mutato, effundas vbertim lachrymas; adhuc parum est, in scelerum detestationem. De pœnitentiæ tamen schola est. *Hæc de ipso habitu, atque victu mandat; corpus sordidus obscurare, animum mœroribus deijcere; illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare*, &c. Quid plura Tertulliane optime? *Plerumque* (ait) *ieiunio preces alere, ingemiscere, lachrymari, ac mugire dies, noctésque ad Dominum Deum tuum*, &c. Sic Magister *de pœnit. cap. 9.*

Nulla Deo offensa magna est pœnitentia.

2. Iniuriam Deo irrogat, quisquis peccat necesse est, satis Deo faciat, lachrymísque aboleat iniuriã. Quid non fleuit Dauid, vt patratum scelus deleret, Deúmque iratũ sibi propitiaret? Ibat ille pede nudo, ac tecto vultu. *Scandens, ac flens*, &c. 2. *Reg.* 15. *n.* 30. Nec factus animo suam dolet vicem Dauid, sed facti pœnitens aculeatis dictis hominis his probi, lachrymas affundit suas, vt Deũ flectat piè ad errati veniam: ait Abulensis, q. 33. *Sciebat Dauid se peccasse, ideo non pro malis, quæ patiebatur, dolebat; sed vt per lachrymas Dei furorem leniret*, &c. Satis Deo facit vna lachrymula, quæ iusta apud Deum vindicta de peccato est. Sed accipe, quoties Dauid fleuerit Psal. 6. n. 7. *Lachrymis* (inquit) *meis stratum meum rigabo*, &c. Nec temperat à lachrymis, sed lessum iterat, Psal. 101. num. 10. *Et potum* (ait) *meum cum fletu miscebam*, &c. quasi merum lachrymis dilueret. Sic phialam Theodosius decreti pœnitens impleuit lachrymis. Quod tradit Sozomen. *lib. 7. c. 23.* Pergit vltrà Dauid, nec à flendo cessat, Psalm. 118. n. 136. *Exitus* (inquit) *aquarum deduxerunt oculi mei*, &c. Totus de culpa, non de pœna luctus est; addit enim Dauid rationes dolendi, ac lugendi: *quia non custodierunt legem tuam*, &c. Si petas, cur toties Dauid lessum edat, fusis vbertim lachrymis? Occurrit Cyrillus Catech. 2. *Vindicabat lachrymis concupiscentem oculum*, &c. Iratum iustè Deum sentit, pro Deo vlciscitur libidinantes oculos: quæ quidem pœnitentiæ virtus est, ait Tertullianus, loco cit. *vt in peccatorem ipsa pronuntians, pro Dei indignatione fungatur*, &c. Sciebat Dauid suam ab oculo vtique domestico, salutem malè proditam, cùm rimam aperiret libidinandi, animo exulcerato dolebat, & flebat; *vindicabat lachrymis concupiscentem oculum*, &c. Sciebat Deum ab oculo indignè læsum, vtpote qui Dei legem fregisset, adulterio concinnato, vt Dei causam tueretur Dauid facti pœnitens; *vindicabat lachrymis concupiscentem oculum*, &c. Sic iusta è lachrymis apud Deum scelerum vindicta est.

2. Reg. 15. n. 30.

Multa in lachrymis virtus est ad Deum propitiandum.

Psal. 6. n. 7.

Psal. 101. n. 10.

Psal. 118. n. 136.

Vindictam de peccato sumit, qui lachrymis diluit.

3. Imò libamentum est optimum, quod fletu constat, & gemitu. *Primitias tuas non tardabis reddere*, &c. *Exod. 22. num. 29.* Hebraicè דמעה *dimah*, *lachrymam*. Probatur ex Ieremiæ *c. 9. n. 18. Primitias* pro lachrymis textus habet, scitè insinuans, lachrymas, quasi primitias, Deo offerendas esse, quibus mulcetur iratus Deus, infestus Iudex. Hoc mari enauiges feliciter ad Magnum Deum, portũque teneas sine metu. Lego allisum Dei throno mare; quod Ioannes vidit Apoc. 4. n. 6. *& in conspectu sedis, tanquam mare vitreum*, &c. Iudex sua in sella Deus librum manu tenet, quasi rationarium humanæ improbitatis: quod patet ex *cap. 5. n. 1.* Et facit cum apparatu censorio, de quo apud Dan. c. 7. n. 9. & 10. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt*, &c. Sed quid insinuat mare salsum ante sellam Dei Iudicis? Hugone teste, *Anima pœnitens, & compuncta pro peccatis significatur*, &c. Qui dolet se peccasse, bene salsos ab intimis succos exprimit in oculos, de quo rectè dixeris; *magna est velut mare, contritio tua*, &c. *Thren. 2. n. 13.* audax adeat Deum Iudicem; hoc enim fletu madidus, & suo cũ Deo agens Ephrem: *Quando* (inquit) *positi erunt throni, iudiciumque sederit, ne meas lachrymas fileas; qui enim lachrymas illuc præmisit, confidenter ad tuum iudicium accedat*, &c. *tom. 1. ad serm. de Compunct. & salut.* Quanta lachrymis virtus est ad Deum placandum? Quanta subinde vis inest ad animum expurgandum.

Apoc. 4. n. 6.

Apoc. 5. n. 1. Dan. 7. n. 9. & 10.

Tuta lachrymis ad Deum nauigatio.

Thren. 2. n. 13.

4. Sordes trahit, qui peccat, turpésque notas: opus est, vt lachrymis obortis sordes abluat, & notas abstergat. E lachrymis hominum medicamentum Deus conficit, quo morbum pellat affectæ mentis. Queritur Isaias fœdatum se tacendi, loquendíque abusu esse, & labiis ægrè dolet, cap. 6. n. 5. *Væ* (inquit) *mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum*, &c. Hæc Vates; & luctu, gemitúque testatur, quo laborat morbo. Sed aduolat Angelus, & pestem labiis contractam purgat; quod Vates docet. *Et volauit ad me, n. 6.* Tactíque labiis, deustíque vlcusculis, illud ingessit: *auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*, &c. Notat Chrysologus Deum citò placatum, vt Angelum mitteret Hippocratem, qui à luctu prophetico medicamentum conficeret. *Quid iste* (inquit) *gemitus profuerit, videamus: & missus est ad me vnus de Seraphim*, &c. *serm. 57.* Certa igitur, & constans de lachrymis est medicina scelerum; quod Nazianzenus hoc versu docet: *Peccator, latè illachryma; namque vnica mentem. Hæc ratio curare potest*, &c. *ad Carm. de suis calamit.* Si quis igitur animo fleat exulcerato, quidquid peccaret, inde salutem, ac vitam consequitur.

Isa. 6. n. 5.

Præsens à lachrymis est medicamentum.

5. In hoc argumento Paschasius est *ad 1. Thren. cap. num. 8.* Docet Vates inibi Ierosolymam erratis deformatam plurimis esse. *Peccatum peccauit Ierusalem*, &c. Deinde apponit, quid notis fœda tentauerit gens vniuersa, *Ipsa* (inquit) *gemens conuersa est*, &c. Ploratum Ierosolyma, & eiulatum edit, sciens, ac timens

mens Deum iustè commotum ; quid luctus profuerit, exponit literula ח *Cheth*, affixa versiculo, quæ vitam sonat. Vnde Paschasius lib. 1. *Quo* (inquit) *modo vita prætitulatur, nisi quòd finis huius lamenti quid inuenerit, designat?* &c. Lamentum cum medicamento confert Paschasius, quo peccator scelerum pœnitens salutem sibi vitámque parat, quæ in versiculi titulo est. Quid igitur mirum si Ierosolyma ter, & quater luctum faciat? *Plorans plorauit in nocte*, &c. ait Vates, *Thren. cap. 1. num. 2.* Deinde suum lachrymis dolorem explicat, num. 16. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas*, &c. Addit, qua vi doluerit, ingemuerit, ac fleuerit, cap. 2. num. 11. *Defecerunt præ lachrymis oculi mei*, &c. mitto reliqua. Non parcit oculis Ierosolyma, quibus peccasse in Deum visa est, cùm percuperet, quæ vidisset : vnde multa dolendi, ac deflendi erat occasio? *saltem vt suis lachrymis consolarentur, & oculos abluerent, quos malè ad Idola priùs leuauerant*, &c. ait Paschasius *lib. 1.*

Vitam consequuitur lachrymis, scelerum pœnitens.

Thren. 1. n. 1. 16. & 2. n. 11.

Lachrymis peccati reus abluitur.

6. Solatium è luctu magnum parabat sibi Ierosolyma, cùm spem conciperet de venia impetranda, & anima expurganda : *Consolamini, consolamini*, &c. vrget Isaias *cap. 40. num. 1.* Sed vnde homines solatium caperent, benè exponit vox Hebræa, נחמו, נחמו *Nachemu, Nachemu, Pœnitentiam agite, pœnitentiam agite*, &c. à verbo נחם *nacham*, scilicet, *consolari, & pœnitere.* Quod patet ex 2. *Reg. c. 13. num. 19.* ex 1. *Reg. cap. 15. num. 11. & 35.* Cur flendi non sit voluptas, si peccator lachrymis Deum flectit ad veniam scelerum, & animum expurgat ad salutem, vitámque perpetuam? Hanc sibi quietem à labore, ac dolore parat, quisquis piè luget. Textus est, *Requieuit omnis domus Israel post Dominum*, &c. 1. *Reg. cap. 7. num. 2.* scilicet, cùm Hebræus fide sana coluisset bonos mores. Sed nata è lachrymis felicitas : quod Hebræo textu patet ; & Vatablus sic vertit, *Lamentata est post Dominum*, &c. est enim inibi vox נחם *nacham*, scilicet, quæ pœnitentiam signat, & consolationem. Planum vt fiat leuari lachrymis labores scelerum, ac dolores; gigni, alíque virtutum solatia ; Deum longè, latéque, hac vna hostia leniri, propitiari.

Isa. 40. n. 1.

2. Reg. 13. n. 19.

1. Reg. 15. n. 11. & 35.

1. Reg. 7. n. 2. *Multa est voluptas è lachrymis Pœnitentium.*

7. Petis fortasse, quantum lachrymis indulgendum est? Nec diem Vates à lachrymis vacuam, nec ducit noctem. *Deduc* (inquit) *lachrymas per diem, ac noctem*, &c. *Thren. 2. n. 18.* sic Ieremias sui similis ad c. 9. num. 1. *& plorabo die, ac nocte*, &c. diem Vates, ac noctem reponit pro vita gentis humanæ; neque enim à lachrymis temperandum est, dum vitam viuunt homines, cùm nemo sciat, odio, an amore dignus sit. Itaque plorandum largè; *vt nemo dum viuit, sibi parcat, & torpeat, quasi iam securitate accepta*, &c. ita Paschasius *in Thren. lib. 2.* Premo argumentum vi theologica : scio me accepisse; dubito, an reddiderim : ius est, vt reddam iterum ; iure pari : scio me peccasse, nec exploratum habeo, an satis Deo fecerim, luctu, gemitu ; plorandum mihi est, die, ac nocte ; nec temperandum à fletu, donec tandem vita defunctus abeam. *Tempus flendi,* (ait Ecclesiastes) *& tempus ridendi*, &c.

Thren. 2. n. 18. & 9. num. 1.

Nulla, dum vixero, satis est pœnitentia, & lachrymarum copia.

Eccles. 3. n. 4.

cap. 3. num. 4. Si petas à Hieronymo, quæ nam huiusce loci fuerit interpretatio ? respondet scitè admodum, *Nunc tempus flendi est, & in futuro ridendi*, &c. Neque enim Sapiens temerè præponit rationes flendi rationibus ridendi, vt noris, quid tibi, dum viuas, agendum est. In promissis est, quod tradit Ioannes, lachrymas hominum abstergendas à Deo esse, cùm cœlum è terris adeant homines virtutis exactæ. *Vidi ciuitatem* (inquit) *sanctam*, &c. *Apoc. 21. num. 2.* Deinde reponit, quot inibi essent homines suo cum Deo : ac tandem num. 4. *& absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*, &c. Serò Deus lugentes solatur homines; cur non in huiusce vitæ scena lachrymas hominum Deus cohibet ? sed metus erat, ne malè cessarent à fletu, si dum viuerent, non lugerent boni viri. *Flebant, nolentes luctus sui finem sibi imponere, quo vsque iudex veniret, qui abstergeret omnem lachrymam*, &c. sic Paschas. *lib. cit.*

Apoc. 21. n. 2 & 4.

Flendum perpetuò, dum vita est.

Flendum igitur est, & sæpè, & largè, quod Bethulienfibus placuit. *Factus est enim fletus, & vlulatus magnus, & per multas horas vna voce clamauerunt*, &c. Quid enim lachrymarum satis est ad peccatum delendum, ac Deum placandum ? *Quis dabit capiti meo aquam? & oculis meis fontem lachrymarum ?* &c. ait Ieremias cap. 9. num. 1. *& plorabo die, ac nocte*, &c. Tota doloris vis de peccatis est, quibus Hebræus irritauerat Deum Iudicem. Petit igitur Ieremias scaturigines lachrymarum tristes ad oculos, ad totum corpusculum : *Tamquam non sufficiente ad hoc naturali fonte*, &c. ait Chrysostomus *Hom. 12. ad Colossens.* & erit, qui miretur Deum totis artubus desudasse sanguinem, cùm Patrem oraret, & adoraret? *Luc. 22. num. 44.* Occursauerant Deo errata humani generis; artus in oculos quodammodo versos voluit, quibus tot mala fleret, ait Bernardus. *vbi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus fleuisse videtur*, &c. *ad ser. 3. de Quadrages.* Fleat igitur peccator quisque, nec à fletu cessare velit; quod hortatur Cyprianus lapsis manum subiiciens. *Agite pœnitentiam plenam; dolentis, ac lamentantis animi probate mœstitiam*, &c. Mecum sentit, si confessionem scelerum commendat. Proderit lugere, sed confessione peracta. *Peccauimus cum patribus nostris*, &c. satis enim insinuant Bethulienses,

8.

Nulla adpeccatum abluendum satis est comploratio.

Luc. 22. n. 44.

PARÆNET. XXXIII.

Placere Deo confessionem scelerum.

GEnuinum Cyprianus infigit hominibus, ante admissum facinus, improuidis, post facinus, obstinatis. Vrget Antistes homines fide lapsos, *nec priùs stabiles, nec postmodum supplices*, &c. ad conscientiam, pœnitentiámque scelerum : *dum adhuc, qui deliquit, in sæculo est; dum admitti confessio eius potest*, &c. Quid flere prodest, si peccatū adhuc tegis animo, nec Deo prodis ? Bonum multiplex in aperienda scelerum conscientia. Abstrahi ab erratis curat, qui se erasse cognoscit, ac fatetur. Quantus Deo labor in Adamo inuitando ad confessionem scelerum ? Hominem iudex conuenit,

1.

Iuuatur lesus confessione.

nit, terret, ac tandem rogat: *Adam vbi es?* Gen. 3. num. 9. & scena est inita de iudicio exercendo. Sciebat Deus quo Adamus loco esset, quo in luto, quo in flagitio. Vrget tamen, vt, lachrymis obortis, reddat vocem dolentis animi, *Peccaui*; *longanimis enim Deus occasionem pœnitentiæ, & confessionis subministrabat*, &c. Sic Theoph. Antiochen. *lib. 2. ad Autolyc.* sciens certò, quantum valeat apud Deum vera, & sana peccati confessio. An hæc Deo cura in Caino interrogando? *Vbi est Abel frater tuus?* &c. *Gen. 4. num. 9.* Non ignorabat Deus Abelem à Caino obtruncatum; sed quærit iudex, ne peccatum reus tegat, & inde occasionem perdat veniæ impetrandæ: totus est Deus in Caino interrogando, ait Tertullianus lib. 2. in Marcion. cap. 25. *vt daret locum sponte confitendi delicti, & eo nomine releuandi*, &c. Dare veniam Caino iudex voluit, cùm à reo confessionem eliceret; aperit enim locum indulgentiæ vera confessio, qua peccator fatetur erasse se, & egere Dei manu.

Ad confessionem scelerum Deus allicit.

Gen. 3. n. 9.

Genes. 4. n. 9.

2. Quare Iudam Magister inuitat ad confessionem scelerum, cùm arguit, *Iuda osculo filium hominis tradis?* &c. *Luc. 22. num. 48.* Si enim Hebræa ex schola Iudas est confitens, nomen apponit Magister, vt, vi nominis exposita, proditorem ducat ad peccatum ritè explicandum, veniámque postulandam: & hæc Cyrillo placet interpretatio *Catech. 13.* Itaque Iesus Optimus, *Iuda* (inquit) *osculo? admonens eum per ipsius appellationem, Iudas enim vocatur confitens, argentum accepisti, confitere citò*, &c. Benè Cyrillus docet vim Deo fieri, per delicti confessionem, vt suam iudex læsus remittat iniuriam. Quis igitur frequenter non peragat confessionem scelerum, si Deum sibi placatum velit? Ad litem Dauid Psal. 66. num. 4. *Confiteantur tibi populi Deus; confiteantur tibi populi omnes*, &c. Nec satis hæc: vrget iterum Dauid num. 6. *Confiteantur tibi populi Deus*, &c. Quater de exoneranda conscientia scelerum agit Dauid, vt frequenter accipias id antidoti, ad mentem piè sanandam, ait Hugo. *Notandum, quòd in hoc Psalmo quater ponitur, confiteantur, in quò frequentia confessionis commendatur; frequentanda enim est, quia frequenter cadit homo*, &c. Firmat sententiam Tertullianus ex arte medica. *Iteratâ* (inquit) *valetudinis, iteranda medicina est*, &c. *de Pœnit. cap. 7.* Optimum quidem esset non recidere hominem in peccati morbum; si tamen peccet iterum, Tertullianus iterum: *Pigeat sanè peccare rursus; sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari*, &c. Hac via satis Deo facis, ac tibi peccator mei similis, Deum concilias.

Luc. 22. n. 48.

Vel Iudam sanaret scelerum confessio.

Psal. 66. n. 4.

Frequentanda scelerum confessio est.

3. Sano igitur consilio Bethulienses fatentur publicè, quid peccauerint, vt Deum pia flectant confessione. *Qui vlciscitur nos secundùm peccata nostra*, &c. Memores fortasse exceptum benignè ab Isaaco Abimelechum, sub pœnitentia, licèt vmbratili. Scio eiectum à Philisthæo Isaacum esse *Genes. 26.* num. 16. Illud enim Abimelechus: *Recede à nobis*, &c. Sed paucis pòst diebus, video Regem, cum Ducibus, ad Isaacum rediisse, vt amicitiam inirent publicè, num. 28. *Sit iuramentum inter nos*, &c. Homines à se non abigit Isaacus, etsi læsus grauiter: *sed post cibum, & potum surgentes manè, iurauerunt sibi mutuo*, &c. *num. 30. & 31.* scilicet pœnitentes errati homines benignè habendos esse putat Isaacus vita sanctus: quod notat Philo Biblic. in quæst. ad Gen. *Suscepta igitur eorum pœnitentia, mensura participantur dulcedines, pro existimatione*, &c. Apparet hosce homines peccati conscientia tactos, & pœnitentia altè de magno Isaaci Deo cogitasse, cùm prodixerint num. 28. *Vidimus tecum esse Dominum*, &c. Inde ad mensam, & salem inuitantur. Non aliter Magnus Deus suam ad pacem, & cœnam inuitat homines pœnitentes scelerum.

Gen. 16. n. 16.

Benignè haberi meretur homo erratâ pœnitens.

Quid si honores addit ampliores? Hac mente Pater filium benignè amplexatur, quem de peccato dolentem putat. Textus est *Gen. 27. n. 34.* Iacobum ab Isaaco benedictionem percepisse, & fratrem ea fortuna spoliatum fleuisse largè. *Irrugit clamore magno*, &c. & quamuis Isaacus negaret potestatem sibi superesse, vt benedictionem alteram impertiret; cùm primogenitus, *eiulatu magno fleret*, &c. *num. 38* victus precibus, lachrymisque senex. *In pinguedine* (inquit) *terræ, & rore cœli, desuper erit benedictio tua*, &c. *num. 49.* Cur Isaacus filium benedicit, quem à Deo reiectum credit? Sed flebat filius, quasi pertæsus improbitatem suam: cúmque *eiulatu magno fleret*, &c. piè senex, ac pater commouetur, ait Philo Biblic. in quæst. ad Gen. *Nouitque obtuentem non misericordia, sed æstimatio pœnitentiæ ad meliora venturum*, &c. Satis Isaacus insinuat mutari Dei sententiam posse, iusta hominum pœnitentia, impetrarique à Deo benedictionem plurimam Iudam sceptro adornat, Gen. 49. num. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. & credit Pelusiotes Iudam verè confitentem ex nomenclatura impetrasse fortunam, sedémque Regiam. Probat Isidorus ex *Gen cap. 31. num. 26.* Iudam facti pœnitentia dixisse de Thamâra, *Iustior me est*, &c. vbi se peccati reum fatetur ingenuè, ac publicè. Modò Pelusiotes lib. 2. Epist. 48. *Quoniam plerique sua delicta occultantes alios condemnant, hic verò se ipsum condemnauit; eam ob causam Regiam dignitatem assecutus est*, &c. Sic Deus honorat pœnitentiam, & confessionem scelerum. Videò latronem subitò Magistrum scholæ Christianæ, ac Dei amicum esse, quod in promissis habet, *Hodie mecum eris in paradiso*, &c. *Luc. 23. num. 43.* Sed latro de Cruce Deum laudat, se accusat. *Nos quidem iustè; hic verò nihil mali gessit*, &c. Priùs de suis narrat erratis; deinde preces apud Christum agit. *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum*, &c. *num. 42.* Scelerum pœnitens, confiténsque Dimas regni spem conceperat, nec falsus animi latro est; nam citò accipit, quod expetit. *Hodie mecum eris*, &c. Demiror ego latronem furtis insignem de regno parando præfidenter agere? Sed, qui sua fatetur scelera, & pœnam culpa metitur, illud iterans, *Nos quidem iustè*, &c. Gratus Deo homo est. *Et totam confessus fiduciam meruit, vt regnum post latrocinium postularet*, &c. ait Chrysostomus *tom. 3. ad serm. de Cruce, & latr.*

4.

Gen. 27. n. 34.

Multa pœnitentia vis est ad flectendos alienos animos.

Gen. 49. n. 10.

Regnum donat regina pœnitentia, confessione peracta.

Luc. 23. n. 43.

latr. Audierat fortaſſe Dimas Chriſtum indulgentiſſimum eſſe, paratum Dei ſinum pœnitentibus admittendis, ac fouendis: nec cunctari Dominum, in cælo donando. Vnde Ieſus Optimus, *Hodie* (inquit) *mecum eris in paradiſo*, &c. Et quidem multis retrò annis clauſum Adamo, Patribúſque ſanctis cœlum momento latro percipit. *Quantum præſtat confeſſio, vt ſine dilatione introduci latro in paradiſum meruerit*, &c. ſic Chryſoſtomus *tom. cit. ad ſerm. de Latrone.* Multam in prodigo recipiendo benignitatem Pater oſtentaſſe dictus eſt, *Luc.* 15. *num.* 20. Peccantem enim iuuenem, ſed peccati pœnitentem piè commotus ſuo recepit amplexu, *& oſculatus eſt eum*, &c. Non tamen lego filium veſtitu, annulo, calceiſque adornatum, niſi poſtquam peccator ſanctè erectus, ait, *Pater, peccaui in cœlum*, &c. *num.* 21. confeſſione accepta totus in filium pater abit *num.* 22. & ſeruos vrget: *citò proferte ſtolam*, &c. quaſi pater vellet Dei amores pœnitentibus, honores confitentibus reſeruatos eſſe. Adeat Patrem, etſi læſum peccator quiſque; ſed narret pudore ingenuo, quid peccauerit, monet Tertullianus. Hac via Deum ſibi placabit, honoréſque à Deo parabit maieſtatis plurimæ: *ſed ſi pœniteat ex animo. ſi Patrem repetas vel offenſum, deliqui, dicens. Tantum releuat confeſſio delictorum, quantum diſſimulatio exaggerat*, &c. Hæc Tertullianus *de Pœnitent. cap.* 8. Quid non aſſequantur Bethulienſes, confeſſione humili, cùm & ſua, & patrum errata Deo narrent. *Peccauimus, cum patribus noſtris*, &c. ſcilicet fatentur

Grata Chriſto eſt latronũ pœnitentia confeſſione exacta.

Luc. 15. n. 20.

Blanditur Deo ſcelerum confeſſio.

PARÆNET. XXXIV.

Filios à parentibus haurire licentiam peccandi.

1. FAcilè in vitium labitur quiſque, ſi non deſit Magiſter peccandi, qui ſuis ad flagitium malíſque factis vrget. *Nemo non aliquod vitium, aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus illinit*, &c. ait Seneca *Epiſt.* 7. Nam ſapiens aſtu monet, quod agit ineptè; Princeps facto probat, quod iubet improbè; turba, motu peccantium communi, tollit metum peccandi; ſed qui fortiter adigit ad peccandum, pater eſt, cùm liberos factis ducat, teneróſque in animos inducat validè, quidquid eſt ſcelerum; neque enim pudet filium patrare, quod pater ſciens, lubénſque perpetrat. Hoc metu Hieronymus Lætam monet, ſi filiam benè inſtitutam velit, Epiſt. 7. *Nihil in te, & patre ſuo videat; quod ſi fecerit, peccet*, &c. Habent ſcilicet magnam vim facta domeſtica ad perſuadendum. Pomo rapto, virgo ita cecidiſſe viſa eſt in flagitium, vt neceſſe fuerit à Deo erigi ad ſalutem: quod ſignificat bonus Deus Cant. 8. num. 5. *Sub arbore malo ſuſcitaui te*, &c. ſed quaſi lapſum virginis excuſauerit, addit, matrem huiuſce flagitij ducem, ac facem eſſe. *Ibi corrupta eſt mater tua*, &c. Quid enim furti non admittat filia ad gulam alendam, quæ matrem Heuam furti magiſtram habet: guloſæ matris guloſa eſt filia.

Vrgentur homines factis improbis ad agendum improbè.

Cant. 8. n. 5.

Filiam mater vita ducit facilè.

2. Inde eſt, quod Ioſue Hebræos homines Ioſ. 24. n. 14. monuerit, ad cap. 24. num. 14. *Nunc ergo timete Dominum, & auferte Deos, quibus ſeruierunt patres veſtri*, &c. Fortaſſe timebat Ioſue, ne Hebræus imagunculas Dæmonum ſecum deferret, & illecebras Idolomaniæ, vrgebátque, vt comminueret. Sed cur parentum mores opprobat? Caietanus benè ad litem. *Ne ſint affecti ad imitandum patres ſuos, quoad Deorum cultum*, &c. Cùm parentes habuiſſent Dæmonum cultores, facile erat liberos labi eam in labem; niſi Princeps id caueret, parentibus refutatis. Lego imperatam à Ioramo cædem improbè, quod Heliſæus perſentit 4. *Reg. cap.* 6. *num.* 32. vbi Vates ad familiares, *Nunquid ſcitis, quòd miſerit filius homicidæ, vt præcidatur caput meum?* &c. Video Regem ab Heliſæo appellatum ſignatè filium homicidæ, cùm vellet, ac iuberet hominem vita ſanctum occidi. Achabus enim Iorami pater Nabothum interfecerat. Ac proinde, Caietano teſte, Vates *aptè nominat filium homicidæ, quia in hoc actione imitatus eſt patrem homicidam*, &c. quaſi pater facto vrgeret filium ad cædem patrandam. Hoc aſpectu Deus Iudex ſuperbos homines verè Adami filios nuncupat Gen. 7. num. 5. *Deſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabam filij Adam*, &c. Obiicit Magnus Iudex ſuperbiam hominibus improbis, quam ab Adamo parente contraxiſſent: vt enim pater in terris Deus eſſe voluit, promiſſis allicefactus Diaboli; ſic & nepotes cælum petebant, turri erecta per ſummmam ſtultitiam, & inde vocantur *filij Adam*, à Magno Deo, *vt innuat, quòd iſti erant ſimiles Adæ ſuperbienti*, &c. ait D. Thomas. & quòd ab parente conceperant motus arrogantiæ.

Pares filiorũ duces, ac faces ad agendum.

4. Reg. 6. n. 32.

Gen. 7. n. 5.

A malo patre malus filius.

3. Iudam Matthæus pungit à tribu, vnde genus trahit: nam *cap.* 10. *num.* 4. alios quidem Apoſtolos à parentibus denominat, Ioannem à Zebedæo, Iacobum ab Alphæo, Simonem à à patria Chananæum, ſe ab officio publicanum, Iudam à tribu Iſcariotem dicit. Iure id ſummo factum ait Hieronymus. *Ex tribu* (inquit) *Iſſachar vocabulum ſumpſit, vt quodam vaticinio in condemnationem ſui natus ſit; Iſſachar enim interpretatur merces*, &c. Erat Iſſachar agris colendis, rebúſque augendis addictus maximè; ac proinde *Aſinus fortis*, &c. Quod Iacobus exponit *Gen.* 49. *num.* 14. & 15. & verò Midas eſt, habétque auriculas aſini, qui auro cogendo ſtudet. Neceſſe igitur erat, vt à qua tribu Iudas traxerat originem, traheret & cupiditatem rerum, vt Magiſtrum diſtraheret vili pretio. An quiſquam neget filios parentum ſimiles eſſe ratione viuendi abſurda? Facilè à parentibus ebibunt pueri quidquid eſt ſceleris domeſtici.

Mat. 10. n. 4.

Ab atauis nepos hauris moret.

Gen. 49. n. 14.

Aſinus eſt, qui lucris ſeruit.

4. Quare beneficium reputant boni viri, ſi tollantur è viuis infantes, vbi pater ſcelerum magiſter eſt. Viros iuxtà, ac infantes miſerè interfectos dolet tacta de cœlo Sodoma *Gen. cap.* 19. *num.* 25. Quid ætas innocens meruit, vt periret igne ſulphureo? ſed quis à parente malo non malus puer euaderet? *Nónne prouiſum eſt illis, ne diutiùs viuentes patrum exempla ſequerentur?* &c. ſic Albinus *quæſt.* 182. ſcilicet trahunt pueri ad improbitatem, parentum factis improbis. Eam igitur occaſionem peccandi tollit bonus Deus, cùm pueros è viuis tollit.

Gen. 19 n. 25.

Parentes filius imitatur facilè.

tollit. Minatur Ieroſolymis cladem vltimam, ita tamen, vt ita concepta, me morſit indulgentiæ: illud poſtremò ingerit Iſaiæ cap. 3. num. 25. *Pulcherrimi viri tuo gladio cadent*, &c. Mala omnino fortuna eſt: vbi ferro pereunt, qui ſua manu vrbem tueri poterant. Græcis viſum aliter, quod notat Hieronymss, nam textus eſt, *υἱός σου ὁ κάλλιστος μαχαίρᾳ πεσεῖται, & filius tuus pulcherrimus gladio cadet*, &c. Quæ quidem ſignant puerum elegantiæ plurimæ, ſed ferro confectum peſſimè. An hæc pueris ſors mala eſt? imò bona fortuna, vt è viuis abeant, parenteſque malos fugiant: de quibus Vates num. 9. *Peccatum ſuum quaſi ſodomia prædicauerunt, nec abſconderunt*, &c. Vnde Baſilius docet. *Conducibilius multo erat iſtis, qui educandi fuerant inter mores obſcœnos præripi morte, ante falcem meſſoriam; quàm vt amplius peruerſa viuendi ratione imbuerentur à parentibus*, &c. Conſultum pueris Deus voluit, quos à parentum ſinu abſtulit, ne diſcipuli à Magiſtris improbis hautirent licentiam peccandi.

Iſa. 3. n. 25.

Felicitas eſt mori puerum parentis improbi.

5. Et verò eſt miraculum, cùm filius à parente improbo improbus non euadit. Naſcuntur viperæ diſruptis parentum viſceribus; nec filia parente melior eſt. *Decentes ſcilicet mercedes parentibus reddunt*, &c. ait Baſilius *Hom. 9. in Gen.* vt quæ ſæuit in matrem filia, iam mater opprimatur à filia, ac diſcipula maternæ improbitatis: inde eſt quod miratur Ioannes poſſe filios à malis parentibus deficere; vrgétque Magiſter apud Matth. cap. 3. num. 7. *Progenies viperarum, quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira?* &c. Pungit ne, an laudat Ioannes hoſce homines, qui de ſalute intima curabant? *Videns multos Phariſæorum, & Sadducæorum, venientes ad Baptiſmum ſuum*, &c. Laudat quidem; ſed miraculum reputat, quòd filij à parentibus improbis deſciſcant in ſalutem, ait Caietanus. *Ratio admirationis eſt, quòd vos qui à Patribus velut naturali propagatione infecti eſtis, acquieueritis demonſtratori viæ rectæ*, &c. Tanta vis eſt à malo parente, vt filius ediſcat modum malè viuendi, à quo hauſit motum viuendi. Vnde laus eſt maxima, quòd Aſa à matre idololatrice idololatriam non ediſceret: imò textus eſt, 3. Reg. cap. 15. num. 11. *Fecit Aſa rectum in conſpectu Domini*, &c. Deinde addit num. 13. *Inſuper & Machaam matrem ſuam amouit, ne eſſet Princeps in ſacris Priapi*, &c. Ad Aſæ laudem ſpectat, quòd matrem habuerit notæ impietatis, nec tamen abfuerit ab ſtudio pietatis: ea enim eſt ratio cur textus de matre improba meminerit. *Factum itaque id eſt*, (teſte Clario) *in laudem & honorem Aſæ, quod optimus filius, per matrem peſſimam à vero Deo ad idololatriam perduci non potuerit*, &c.

Matth. 3. n. 7. *Miraculum eſt, ſi filius à patre improbo non ſit improbus.*

3. Reg. 15. n. 11.

6. Sed eam Aſa laudem tulerit, quòd filium non deprauauerit mater improba. Certè Chanaanus ſub Iapheto, & Semo rectè ſeruitutem ſeruit; quod Moyſes tradit *Gen. cap. 9. num. 25.* vbi Noë: *Maledictus Chanaan; ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*, &c. Deinde pater ſui memor, cùm Semum bonis affectum dicat; *ſit Chanaan* (inquit) *ſeruus eius*, &c. *n. 26.* Neque enim pios mores coleret, niſi bonis viris obtemperaret, cùm improbitatem à patre improbo traheret. *ſeruus erat fratribus, quoniam indocilis erat, cùm imprudentem haberet patrem*, &c. ait Magnus Baſilius de Spiritu ſancto *ad Amphiloch. c. 20.* Quam à Chamo patre Chanaanus didicit artem peccandi, hanc ſibi innatam eſſe à parentibus licentiam viuendi queruntur Bethulienſes. *Peccauimus cum patribus noſtris*, &c.

Gen 9. n. 25.

Non deſciſcit ſalus filius malo patre.

Num. 20 Tu, quia pius es, miſerere noſtri, aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras; & noli tradere confitentes te populo, qui ignorat te.

Num. 21. Vt non dicant inter Gentes: Vbi eſt Deus eorum?

Commentarius.

61. ALtè Bethulienſes cogitant de Magni Dei indulgentia, à quo etſi læſo ſpem concipiunt veniæ parandæ: aut certè mitiori ſe manu premendos eſſe; quod poſtulant communi luctu. Multa Deo benignitas eſt; totus pietatem Deus ſpirat, cereus in indulgentiam, qua miſeros fouet, licèt peccantes homines. ſic flecti Deum probat textus, Iudic. 2. num. 18. *Flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus*, &c. Optima eſt machina Deo flectendo vna lachrymula: ſtatim Iudex placatur, motus pœnitentia latæ ſententiæ. quod Hebræo textu patet: vbi vox נחם *Nacham*, pœnitentiam ſonat, & conſolationem. Proindeque *pœnitebat Deum à gemitu eorum*, &c. Sed conſtat ex Græco, ſolatium Deo eſſe genitum pœnitentis hominis; ſic enim textus habet. ὅτι παρεκλήθη κύριος ἀπὸ τοῦ στεναγμοῦ αὐτῶν, *quoniam conſolatus eſt à gemitu eorum*, &c. Hæc illa eſt Dei pœnitudo apud Hoſeam cap. 11. num. 9. *Pariter conturbata eſt pœnitudo mea; non faciam furorem meum*, &c. vbi Hieronymus. *Parentis affectu miſericordia vincitur: & auſteritatem iudicis pietate mitigat patris*, &c. Quid verò id eſt aliud, quàm miſericordia iuſtitiam ſuperante, reuocare Deum, quæ meremur ſupplicia. Quadrat in locum ſignificatio vocis Hebraicæ *Nacham*, vt Deus, qui dolorem puniens contrahit, conſolationem miſerans concipiat.

Iud. 2. n. 18.

Dei ſeueritatem emollit vna lachrymula.

Hoſ. 11. n. 9.

Recreatur Deus, cum miseretur.

62. Hac ſpe Bethulienſes pias tundunt aures Dei optimi, quem reputant flecti facilem hominum precibus, & lachrymis, ad vim iuſtitiæ mitigandum, quod precantur. *Aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras*, &c. Prudentes admodum homines, quippe qui maluerint Dei, quàm hominis virgam pati. ſcilicet cùm punit Deus Iudex, miſericordiæ memor eſt. Probat Dauid mites Dei irati motus ad puniendum, ſæuos hominum morſus eſſe; qui bellum abnuit, vt ab hoſte grauiùs, peſtilentiam optat, vt à Deo leniorem; illud iterans, *Melius eſt, vt incidam in manus Domini, quàm in manus hominum*, &c. 2. *Reg. cap. 24. num. 14.* cùm graſſantur homines, temperare non poſſunt à carnificina: virgam Deus tenet, manúque moderatur; & ſeueritatem lenit, benignitatem

2. Reg. 24. n. 14.

tate insita. Imò tota Dei ira in minas soluitur, benignitatem facto præstat.

63. *De ore eius gladius exit*, &c. *Apoc.* 1. *n.* 16. qui quidem signat censuram iudicis. hæc dictis constat, non factis. *Sed habet in dextera sua stellas septem*, &c. quæ fortunam signant rerum maximarum, vt noueris aciem iustitiæ temperari oleo indulgentiæ: neque enim iudex nudam profert iustitiam. Noto obiter Ioannem prius de stellis meminisse, quàm de gladio: quo scires primariam Dei curam esse de benignitate, quàm de seueritate. Longè aliter homines; prius virgam intendunt, quàm agant benignè. Totus est Apostolus in minis, & promissis, cùm monet scholam Corinthiam 1. ad Corinth. cap. 4. num. 21. *Quid vultis?* (inquit) *in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* &c. Quod primo occurrit motu, virga est; vindicta scelerum est: quod postremò occurrit loco, charitas est, indulgentia est scelerum. Nec miror: homo Paulus est; ad pœnam vrget priùs amor iustitiæ, natura duce, & id sibi arrogat: quod verò præstat *in spiritu mansuetudinis*, &c. benignitas est, bonitas est. Nónne spiritus aliquando virgam intendit suam? ait Athanasius, & patet ex Actis Apost. cap. 5. n. 3. & 5. *Hunc tamen à potioribus nominat*, &c. Quasi dissimmulet spiritus seueritatem iustitiæ. Hæc profectò Bethulienſium est opinio de bono Deo, quam assensu communi probant; nec auersantur censuram Dei manu lenitam probè, cùm precantur: *sed in tuo flagello vindica iniquitates nostras*, &c.

Iustitiam pietate Deus moderatur.

Ap. 1. n. 16.

1. Cor. 4. n. 21.

Prior Deo motus est ad lenitatem, Paulo posterior.

Act. 5. n. 3. & 5.

64. Credunt iustam fore censuram scelerum à pio Deo latam in homines: & quidem leuior multo videri censura solet, quàm à viro iusto impactam tolerant peccantes homines; commendat iustitiam vita iustè acta; & quod censor infert supplicium, iure summo ius esse putant. *Cùm iusta ratio sapientem non possit offendere*, &c. ait Symmachus *lib.* 9. *Epist.* 102. Quod verò Bethulienses Assyrium scelerum vltorem, iudicémque improbum abnuant, scitè abnuunt. Quandoquidem nemo non ægrè patitur lædi iustitiam ab eo, qui tueri debet iustitiam. Sed quid agat Holophernes superbè tumens, nec Magni Dei metuens? Quod Theodericus in Trasimundo non ferat. *Grauiter siquidem dolet iniuria, quæ contigerit insperata, etsi inde proueniat dolus, vnde credebatur auxilium*, &c. *lib* 5. *Epist.* 43. Hæc Cyptiano occasio, texendæ querimoniæ *Inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur*, &c. *lib.* 2. *Epist.* 2. *ad Donatum.* A quo fortasse exscripsit *l. meminimus, Cod. vnde vi.* vt moneret, *Qui sedet crimina iudicaturus, admittit; & vt reus innocens pereat, fit nocens iudex*, &c. Hac de re queritur Deus iudex apud Ieremiam *c.* 5. *num.* 5. quòd scilicet, legem frangant, qui officio obligantur legis seruandæ. *Ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui, & magis hi simul confregerunt iugum*, &c. Quàm magna est rerum indignitas? vt nulla seruetur innocentia, vbi seruari innocentes, necesse est. Hæc tamen est hominum iustitia, & quod patet, Optimatum. Timent sibi ab hac iustitia Bethulienses; nec se Assyrio traditos esse volunt, à quo iustitiam credunt lædendam esse.

Scelus immane est lædi iustitiam à magistratu.

Ier. 5. num. 5.

Sed quod grauius vrget homines, vna est Dei iniuria, *vt non dicant inter Gentes: Vbi est Deus eorum?* &c. *num.* 21. Suam vicem minus dolent Bethulienses: timent, ne capta Bethulia, malè Deus audiat apud Gentes barbaras; quasi non potuerit tueri Hebræum sibi consecratum religiosè. In hoc luctu Dauid erat cùm opem à Deo posceret, Psalm. 78. num. 9. *Adiuua nos Deus*, &c. ratione reddita, cur ita precaretur, num. 10. *Ne fortè dicant in Gentibus: Vbi est Deus eorum?* &c. Hac via Deum iterum Dauid vrget in auxilium *Psalm.* 113. *num.* 10. Quòd verò Gentes Diis infames Hebræo obiicerent vanum esse Deum à se cultum; qui non potuerit Gentem sibi deuotam vindicare ab iniuria? patet ex 4. *Reg. c.* 18. *num.* 34. Nec Chaldæa aliò, quàm Assyria cauillandi modo pungit. sic Ierosolyma queritur apud Michæam c. 7. num. 10. *Quæ dicit ad me: Vbi est Dominus Deus tuus?* &c. Hebræum enim Chaldæus ridet, teste Lyra, quod Deum minimè potentem coluerit. Hanc Dei iniuriam ægrè ferunt Bethulienses, qui Deum laudant pronum maximè, ad ignoscendum. Quanuis enim ira iudex tumeat, sententiámque ferat capitalem aduersùs homines affines scelerum, sententiæ quodammodo pœnitens, indulget veniam. Quo facilè credas

65.

Psal. 78. n. 9.

4. Reg. 18. n. 34.

Mic. 7. n. 10

PARÆNET. XXXV.

Multam Deo indulgentiam esse aduersùs homines.

1. DEum mulcent Bethulienses, cùm laudant pietatem iudicis optimi; qui motis ad puniendum calculis, adhuc pius est, & se vinci patitur lachrymis, precibúsque hominum, ad indulgendam veniam scelerum. Nam emulatio humanæ gentis, Deo est deprecatio maxima: quod patet ex *Psalm.* 105. *num.* 44. vbi Dauid inducit homines piè collectos ad precandum, addítque de bono Deo; *& audiuit orationem eorum*, &c. Sed vox Hebræa רנה *rinnah* orationem sonat, & emulationem, in rebus angustis. Quo factum, vt facilè Deus cedat, quasi pœnitens latæ sententiæ: *& pœnituit eum, secundùm multitudinem misericordiæ suæ*, &c. *num.* 45. Dei virtutes ex æquo sese habent; sed pietas, qua parcit pluribus se vicibus ostentat; quasi Magni Dei sit gloria, parcere peccantibus.

Ps. 105. n. 44.

Comploratio apud Deum compressio est.

Agit Dauid latè de hac Dei indulgentia, *ad Psalm.* 135. nec versiculus est, qui misericordiam non dicat Dei optimi: *quoniam in æternum misericodia eius*, &c. *num.* 2. si numeres, constabit facilè, commendatam esse tricies Dei benignitatem hoc vno versiculo. Cur verò tam multis de hac Dei benignitate sermo sit, docet Basilius. *Tantis terram benignitatis suæ declarationibus implenit, vt ne sermone quidem exprimi queat*, &c. Verba verbis Dauid addit; nec canit versiculum, quo Dei non dicat indulgentiam; acsi velit, nullam dicendi vim, nullam esse copiam, qua Dei benignitas cantari possit. Occurrunt Deo labores, ac dolores hominum; quibus vt succurrat, necesse est fontes pietatis scaturire plurimos.

Ps. 135. n. 2.

Dei benignitas non explicatur facilè.

Scio

2. Scio Deum vltionum Dominum vocari, Psal. 93. n. 1. *Pſ.* 93. *num.* 1. Sed Deus (Paulo teſte) eſt *Pater miſericordiarum*, &c. Quandoquidem 2. Cor. 1. n. 3. ad miſerandum ita propendet, vt miſericordiam in homines, quaſi genitum à ſe effundat. Bernardus optimè. *Non Pater vltionum dicitur, ſed Pater miſericordiarum; non modo, quòd Pater videatur miſereri potius, quàm indignari: ſed quod miſerendi cauſam ſumat ex proprio, vlciſcendi magis ex noſtro*, &c. *ad ſerm.* 1. *de Natiuit.* Liceat ita loqui, Deum, cùm punit, ab intimis non moueri; cùm paruit, commoueri ſuapte natura: proindeque miſericordiam Deo inſitam, & iuſtitiam ineſſe, quaſi aduentitiam: quare vltionum Dominus miſericordiarum Pater eſt. Quòd verò Deum miſericordiarum Patrem dicat Apoſtolus, inſinuat ſcatere Deum indulgentia perpetua. Bernardus iterum, *Et benè dicitur Pater miſericordiarum, cui proprium eſt, miſereri ſemper, & parcere*, &c. Eſto, foret Deus æuo antiquo vltionum Dominus, ac militum, quibus hoſtes conficeret miſerè. Vnde bella, de quibus Moyſes agit, ad Num. cap. 21. num. 14. *In libro ſcilicet bellorum Domini*, &c. placet enim bonis viris librum fuiſſe, quo bella à ſe confecta Deus ſcribenda curauit, ſed periiſſe libellum, Deo volente: *vt ſolùm nunc iactaret opera miſericordiæ; non enim legas in Euangelio, qualiter debellauerit hoſtes homines; ſed qualiter ab infinitis morbis peccantes ſanauerit*, &c. Sic Oleaſtrius. Hoc Deus flagrat ſtudio, miſerendi ſcilicet, ac indulgendi, nec ſinit clementia iuſtitiam ſuperare, & cùm peccator Deum adigit ad iuſtam vindictam ſcelerum, faſces conſtringit, ac ſecures continet.

Inſitum Deo eſt miſereri.

Num. 21. n. 4.

A miſerendo non ceſſat Deus.

●

Scribendum curat Deus quòd bene hominibus fecerit, non quòd punierit.

3. *Nónne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* &c. Id Iudex fatetur *Deut.* 32. *num.* 34. & textus eſt de belli offenſionibus plurimis, num. 30. *Quomodo perſequatur vnus mille*, &c. Deinde locus eſt de agri dámnis maximis, num. 32. *Vua eorum vua fellis*, &c. quæ quidem immittit Deus vltor ſcelerum, num. 35. *Mea eſt vltio, & ego retribuam*, &c. niſi pietas intercedat, Iudicémque auertat Deum à dolore puniendo: quidquid enim inferre poteſt iuſtitia, id mulcet pietas, tegit, ſignatque ſigillo benignitatis maximæ, ne Iudex effundat aduersùs peccantes homines. *Nónne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* &c. Id ſentit Philo 2. Alleg. Moyſes (inquit) *exaggerans Dei liberalitatem obſignatos malorum theſauros ait, non ſolum tempore reliquo, ſed etiam cùm lapſa fuerit anima, dignaque pœna videri poterat*, &c. Quàm magna Dei bonitas eſt! quam certa, & conſtans indulgentia? quàm larga, & indulgens pietas!

Deut. 32. n. 34.

Faſces ad ſtringit lictorios Dei bonitas.

4. Lego ſancitum æuo priſco, vt qui malis modis alium affligeret, plurimis affligeretur. Gen. 4. n. 24. Conſtat ex Geneſ. 4. num. 24. *Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech autem ſeptuagies ſepties*, &c. Hæc ita, cùm Deus vltionum liberè ageret. Sed cùm Ieſus optimus diceret de amicitia firmanda, & Petrus ſepties condonandam putaret iniuriam, manu, quod aiunt, contracta apud Matth. *cap.* 18. *num.* 22. Matth. 18. n. 22. Magiſter longè, latéque benignitatem exprobrat ſuam. *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*, &c. Id verò eſt. Non addo terminum iniuriæ remittendæ. ſic Magiſter optimus; *vt legem in melius reformaret*, &c. ait Tertullianus *de Orat. cap.* 7. quod ſequatur, oportet, ſchola Chriſtiana, *vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt*, &c. vrget Magiſter Deus *Matth. cap.* 5. *num.* 45. & verò *qui Deo aſſimilari contendit per maximam iniuriæ acceptæ obliuionem remittens ſeptuagies ſepties, vtpote per totam vitam, eſt benignus, & clemens in quemlibet*, &c. Sic Clemens Alexand. *lib.* 7. *Strom. c.* 8. Si Deus ita affectus eſt ad indulgendam veniam ſcelerum; quis peccatorum maximus non expoſcat.

Non ceſſandum ab iniuriæ condonanda.

Matt. 5. n. 45.

5. Lego ſeruum tot adſtrictum nominibus, vt talentis ſoluendis non eſſet, apud Matth c. 18. Mat. 18. n. 24. num. 24. *Qui debebat decem millia talenta*, &c. Multa eſt ſumma, quam Matthæus explicat liquidò ne quid lateat impudentiæ, qua ſeruus herum contempſit: & tamen audax precatur, *Patientiam habe in me*, &c. *num.* 26. Vnde tanta malo ſeruo præfidentia, vt herum ſibi iratum aggrediatur precibus, & credat flecti poſſe? audet ſeruus, & ſpe bona audet, *Ad bonum enim, & facilem Dominum acceſſerat*, &c. ſic Nazianzenus *Orat.* 17. Sciebat certò ſeruus herum eſſe Deum natura pium, flectique facilem; audax in venia poſcenda reus eſt: ſi qua enim culpa eſt in ſeruo, reóque audaculo, Dei boni culpa eſt, qui iuſtitiam vincit indulgentia. Cur Deum non adeat prodigus ſpe concepta parandæ veniæ, ſi Patrem cogitat? Luc. cap. 15. num. 18. *Ibo* (inquit) *ad Patrem meum*, &c. Vera ſentit, qui Patrem adit, nec repulſam timet; *hæc enim conſultauit, non ignarus paternæ bonitatis*, &c. docet Baſilius *de Pœnitent.* Sed quòd parcè rogat, iniuriam Deo irrogat; illud agitans addendum precibus, *Fac me, ſicut vnum de mercenariis tuis*, &c. *num.* 19. Quod Gilbertus notat, etſi laudat adoleſcentuli mentem humilem: *Modeſtè* (inquit) *pro meritis; ſed de paternæ miſerationis copia humiliter nimis, & iniuriosè ſentiens*, &c. *ſer.* 3. *in Cant.* Quis enim pater filium amicè recipit, & in ſeruum reuocat; ſi ad primam filij pœnitentis vocem, ſimplicémque gemitum ſatis ſibi factum putat?

Nemo à bono Deo ſpem non concipit veniæ.

Luc. 15. n. 18.

Multa ad veniam ratio eſt in Deo parente hominum.

6. Aude peccator, ſpe concepta ſalutis intimæ: *Paratiſſimus eſt ad ſaluandum Dominus*, &c. ait Macarius *Hom.* 4. ſuas in cruce manus expandit, vt ad ſe colligat homines; *Paratus in amplexus peccatorum*, &c. Quod Auguſtino placet, *in Manua. cap.* 23. Pedes clauis ſuffixos habet; ne qua fugiat ſi ad Patrem confugias; quod meditatur Salmero tom. 10. tractat. 6. *Confixus eſt pedibus, vt te expectet*, &c. Quòd ſi vis magna ſcelerum theſauros claudit miſerationum diuinarum, ne qua ad homines ſumma perueniat: clauos pro clauibus arripe, vt theſauros aperias indulgentiæ plurimæ, & cum Bernardo cantes, *Clauis reſerans, clauus penetrans factus eſt mihi*, &c. *ſerm.* 61. *in Cant.*

Multa ad boni Dei indulgentiam via eſt.

7. Quòd ſi adhuc times? vide, quot modis, & quot locis Deus te adducat in ſpem veniæ. Nunc Paſtor ouem quærit perditam, humeríſque reportat, *Luc.* 15. *num.* 5. & filium notæ Luc. 15. n. 5. nequitiæ pater amplexu excipit, & oſculo, *num.* 20. Nunc peccatorum menſis aſſidet

continuus adeò, vt notam ſubierit apud ineptos homines, *Matth. cap. 9. num. 11.* nec inibi laudat, niſi rationes miſerendi. *Miſericordiam* (inquit) *volo.* Quid ego Magdalenam adducam, fœminam exactæ pœnitentiæ? *Luc. cap. 7. num. 48.* Quid latronem à Chriſto ſuſceptum benignè? *cap. 23. num. 43.* Itaque veniam ſcelerum, quam ægrè dixerit Oratorum Maximus, parabolis Magiſter Deus, ſermonibúſque plurimis expromit ſemel, iterum, ac ſepties, teſte Baſilio, *vt ſæpius edoctus veritatem agnoſcas*, &c. *ad Hom. de Pœnit.* nemo enim æſtimaret certò rem tantam, niſi Deus magiſtrum ageret de ſua in homines benignitate, indulgentiámque ſcelerum explicaret, locis tam multis, verbis tam multis, factíſque tam multis. Deinde addo, id à Chriſto factum, vt oſtendat non poſſe Dei clementiam vno claudi loco: quod Theodericus rectè ſentit lib. 2. Epiſt. 30. *Clementia non habet legem, nec debet ſub angustis terminis benigna ſequi.*

Matt. 9. n. 11.

Luc. 7. n. 48. & 23. n. 43.

Multis Deus ſuam explicat benignitatem, nequis peccator deſperet.

8.

Pulſant igitur Bethulienſes ritè Dei fores, faciléſque vellunt aures in auxilium, cùm laudant, & implorant miſericordiam. *Miſerere noſtri*, &c. Scio, quid opponat Deo irato Dauid Pſal. 50. ſcilicet miſericordiæ clypeum: *Miſerere* (inquit) *mei Deus*, &c. Video, quo ſe mulier contulerit, vt Chriſtum alliceret, vtique ad miſericordiæ portum. *Miſerere mei Domine*, &c. *Matth. 15. num. 22.* Hac via Bartimæus Magiſtrum aggreditur, vt ſanitatem obtineat, Marc. cap. 10. num. 48. *Fili* (inquit) *Dauid, miſerere mei*, &c. Non aggero, quibus locis Dei miſericordiam commouerint alij, ſub hac precandi formula; ſcientes exorati Deum facilè benignitate commendata, ait Chryſoſtomus Homil. 2. ad Pſalm. citat. *Vbi enim miſericordia poſtulatur, iudicium non ſauit*, &c. Hæc vna Deo voluptas eſt, ſcilicet occaſio miſerendi. Conſtat ex *Deuteron. cap. 32. num. 36.* vbi Moyſes Deum laudat ab miſerandi cura. *In ſeruis* (inquit) *ſuis miſerebitur*, &c. quod Iuuenes fide nobiles, cùm ſe ſe accingant ad ſacrum bellum, ita explicant 2. Machab. c. 7. num. 6. *Dominus Deus conſolabitur in nobis; quemadmodum in proteſtatione cantici declarauit Moyſes; & in ſeruis ſuis conſolabitur*, &c. Itaque Dei miſericordiam verè Dei conſolationem à Moyſe dictam volunt fratres; ſiue, quod in loco vox Hebræa יתנחם *Ithnecham*, vtrumque ſonat, miſereri ſcilicet, & conſolari: ſiue, quod bonus Deus cùm veniam præſtat ſcelerum, magnam capit voluptatem, imò & honorem parat; credunt enim Bethulienſes

Pſ. 50. n. 1.

Matth. 15. n. 22.

Marc. 10. n. 48.

Præſentiſſimam in Dei miſericordia miſeriarum eſt remedium.

Deut. 32. n. 36.

2. Mach. 7. n 6.

Voluptas Deo eſt occaſio miſerendi.

PARÆNET. XXXVI.

Augeri Deo gloriam ex indulgentia.

1.

FAtentur homines ſe peccaſſe, & pium natura Deum laudant, vrgéntque. *Miſerere noſtri*, &c. cùm veniam conſequantur, magis, magíſque Dei pietas explendeſcat. Altè ſe ſe virtus exerit, vbi pugna eſt grauior; & liquidò apparet Dei indulgentia, vbi vis ſcelerum maior eſt: quod exactæ clementiæ ornamentum agnoſcit Theodahadus, apud Caſſiodorum *lib. 10. Epiſt. 13.* Confirmat Princeps inibi Senatum, populúmque Rom. & venia errati data addit. *Gratias diuinitati referimus, quæ dona ſua veſtris potius ornauit exceſſibus*, &c. Cùm peccant homines, viam Deo aperiunt, vt ſuam exerat pietatem, quæ vacare, quodammodo, niſi miſellus vita reus occaſionem Deo pareret miſerandi: quo argumento Naſo trahit Auguſtum ad agendas partes clementiæ:

Maior Dei bonitas, cùm grauiorem condonat iniuriam.

Si non peccaſſem, quid tu concedere poſſes?
&c.

ad 2. lib. de Triſt. Mutuam ſibi operam aſſerunt Deus, & peccator. Nam quo grauior peccati reus eſt, eo auguſtior Dei eſt indulgentia.

2.

Noſti, cur Matthæus ſuum narrat flagitium in cogenda pecunia? *ad cap. 9. num. 9.* Certè cùm Magiſter Deus ſuam obiret prouinciam, *vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine*, &c. Deinde Matthæus ſeſe in ſenatu recenſet Apoſtolico, *ad cap. 10. n. 3.* vbi Petrus, *& Matthæus* (inquit) *publicanus*, & ſuum Matthæus morbum aperit, nec ſuum tegit nomen. *Quo Medici artem impenſius admireris*, &c. ait Victor. Antiochen. *ad Marc. cap. 2.* Laudo viri boni ingenium in explicandis ſuæ vitæ rationibus, cùm ſe malè affectum à Magiſtro Deo euocatum docet in ſalutem, probat latè, quid poſſit Dei benignitas aduersùs iuſtitiam, pro ſalute humani generis: deinde probat, maiorem Deo laudem aduenire ex maiori ſcelerum indulgentia.

Matth. 9. n. 9. & 10. n. 3.

Quid peccauerit, denarrat bonus homò ad altiorem Dei gloriam.

3.

Multa de ſe, eaque abſurda Paulus narrat, 1. ad Timoth. c. 1. num. 13. *Qui priùs* (inquit) *blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus; ſed miſericordiam conſecutus*, &c. Suam Paulus improbitatem (credo) non exprimeret, niſi ea via Dei bonitatem altè iactare vellet; quæ à maiori vi ſcelerum vires capit miſerendi latè. Scitè Baſilius ad Hom. de Pœnit. *Propriam* (inquit) *vitam patefecit, vt gratiæ amplitudinem oſtenderet*, &c. Clariores è tenebris Solis faces exſplendeſcunt: ſic ab erratis hominum auguſtior eminet Dei bonitas. Pergit vltrà Paulus, & quo in luto fuerit ſcelerum, exponit, cùm ſe ſe peccantibus interſerit: *quorum* (inquit) *primus ego ſum*, &c. n. 15. Deinde addit ſe à Chriſto ſuſceptum amicè, vt è Saulo Paulus fieret, num. 16. *vt in me primò oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam*, &c. Cur Apoſtolus tam multis ſe modis premat, ſuámque dicat inſolentiam, docet Ambroſius in locum. *Hæc* (ait) *accuſatio eius eſt, laus verò Saluatoris*, &c. Accedit ad magnam Dei laudem, quòd grandem remittat iniuriam laſſus grauiter; ac proinde apponit in proximo Apoſtolus num. 17. *Soli Deo honor, & gloria*, &c. Aut enim gratias agit Deo, miſericordiam conſecutus, quod putat Hieronymus; aut gloriam Deo additam probat ex benigna in reum indulgentia, quod ego puto, & Theodericus laudat lib. 3. Epiſtol. 46. ad Adeodatum. *Materia enim eſt gloriæ principalis delinquentis reatus; quia niſi culparum occaſiones emergerent, locum pietas non haberet.*

1. Timoth. 1. n. 13.

A vi ſcelerum grandiori vires capit miſerendi grandiores Deus.

Multa Deo laus eſt ex multa ſcelerum indulgentia.

Carmen

4. Carmen Dauid pangit, quo ſua Deo narrat ſcelera; fundit preces, facit leſſum, Deúque Iudicem vrget ad veniam, illud iterans Pſal. 50. n. 6. Pſal. 50. num. 6. *Tibi ſoli peccaui*, &c. Iam Dauid pridem acceperat à Nathano, *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, &c. 2. *Reg. c. 12. n. 13.* 2. Reg. 12. n. 13. Cur peccato iam extincto Dauid carmen facit de pœnitentia? Communi placito, fecit id Vates, vt pœnitentiam peccantibus commendaret; qua ſpem conciperent de venia impetranda. Sic Baſilius, Chryſoſtom. Auguſt. & Theophylact. *ad Ionæ cap.* 4. Addit Chryſoſtomus Pſalmum de pœnitentia conditum, venia iam olim ſcelerum impetrata, *vt non remiſſiores, poſt pœnitentiam, fierent homines*, &c. *Hom. ad Pſal. cit.* Quis enim ſciens certò ſe peccaſſe, non doleat ſemper, non fleat, metu damni? Fortaſſe Dauid eo conſilio ſuum fecit carmen, quo Auguſtinus ſuam ſcriptis confeſſionem peregit; ſcilicet, vt viris oprimis eſſet occaſio ad Deum piè canendum. *Non enim paruus eſt fructus Domine Deus, vt tibi gratiæ à multis agantur pro nobis*, &c. *lib.* 10. *Confeſſ. c.* 4. Cùm videant condonaſſe te benignè, quidquid in te peccatum eſt. Addiderim ego placuiſſe Hebræo narrationem errati ſui, *ad Dei bonitatem prædicandam*, &c. quod Vatablus notat.

Nemo non agat pœnitentiam vel poſt impetratam ſcelerum veniam.

Suum canit erratum bonus quiſque ad canendam boni Dei indulgentiam.

5. Ad homines Deus cœlo miſſus venit, ſiue in homines factus homo; quos ita perditos inuenit, vt ſpiritus in carnem videretur deciſſe. Id tamen in promiſſis erat, *& videbit omnis caro ſalutare Dei*, &c. quod Lucas trahit *ad c. 3. num. 6. ab Iſaiæ cap. 40. num. 5.* Luc. 3. n. 6. Scio ego hoc argumento minatum iam olim Deũ? *non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*, &c. *Gen. 6. num. 3.* Gen. 6. n. 3. Cur vno, eodémque argumento hominem ſibi Deus indutum voluit, vt videri ab hominibus; tractaríque poſſet? *& videbit omnis caro ſalutare Dei*, &c. Opus omnino grande! vt ex vi grandiori ſceletum grandior exultet Dei bonitas; quæ occaſione ſublata miſerandi latè, videretur feriati, otiari, ait Tertullianus. *Auſim dicere: ſi hæc carni non accidiſſent, gratia, benignitas, miſericordia, omnis vis Dei beneficæ vacuiſſet*, &c. *de reſurrect. cap.* 9 Quanta Deo bonitas! quæ ex maiori ſcelerum indulgentia captat gloriam. An Deus adeò bonus prætorium in terris mallet, quàm propitiatorium? Negat Moyſes *Exod. 25. n. 7.* Exod. 25. n. 7. vbi Deus ad Moyſen; *facies propitiatorium*, &c. Quæ quidem ſedes erat, vnde ſe Deus facilem hominibus, propitiúmque oſtenderet. Oleaſtrius ad rem. *Nunquam legimus Deum in hoc mundo inſtituiſſe domum Iuſtitiæ, qua nos puniret; ſed cùm ſit clemens, domum, qua peccatis noſtris propitiaretur, inſtituit*, &c. Haſce Dei fores pulſant Bethulienſes egregiè, cùm precantur, *Miſerere noſtri*, &c. Si tamen placuerit gentem miſeram punire, ac perdere; id efflagitant, vt Deus ſua, non manu faciat aliena: *ne tradas confitentes te populo, qui ignorat te*, &c. Séque Aſſyrio, barbaro, improbo traditos eſſe nolunt; ne pœnas luant iuſto acerbiores: quibus precibus inſinuant

Vacat Dei bonitas quodam modo, vbi multa non eſt miſerandi occaſio.

Promptior ad indulgendũ, quàm ad puniendum videtur Deus.

Veloſ. in Iudith.

PARÆNET. XXXVII.

Facultatem puniendi viro malo dandam non eſſe.

1. POteſtas improbis data, ſæuiendi eſt occaſio: non vruntur virga in vindictam ſcelerum; ſed abutuntur in carnificinam hominum: & quo magis latet affectus lædendi, eo morſus eſt grauior. Graſſatur latè Princeps virga potens, ſui impotens, & quo furor iuſſerit, tecta officio manus prouolat. Vel de Moyſe id Hebræus putat. Monet Moyſes hominem, vt abſtineat ab iniuria aliena. *Quare percutis proximum tuum?* &c. *Exod. 2. n. 13.* Sed percuſſor ad monitionem interpretatus contumeliam, occurrit, *Quis te conſtituit Principem ſuper nos? Num occidere me tu vis?* &c. Iuſtius ex dictis colligeret Hebræus amantem ſui monitorem eſſe, cui pacem, amicitiámque laudaret. Vbi tamen Hebræus Iudicem, Principémque obtrudit viro ſancto, facultatem ſæuiendi oblatam putat; quaſi nihil Potentibus occurrat prius, quàm ſæuire.

1. Exod. 2. n. 13.

Nihil Iudicibus improbis occurrit prius, quàm ſæuire.

2. Quid Hebræus ſentiret de viro improbo, niſi quod Deus taxat, apud Ezech. cap. 7. num. 10. *Floruit virga, germinauit ſuperbia*, &c. Græco textu, *Contumelia ſurrexit*, &c. vtráque enim vim continet, vox Græca ὕβρις, & probat textus poteſtatem improbo mandatam ſeruire, non ad iuſtitiam exercendam, ſed ad iniuriam iure mentito irrrogandam; cùm virgam Princeps, aut Iudex exerit, enatam inde contumeliam hominum, è iure ſummo ſummam iniuriam: aut enim irritatur affectu iudex, aut inuitatur officio Princeps ad improbitatem vltimam; *Floruit virga, ſurrexit contumelia*, &c. Hic enim è virga cenſoria fructús eſt; quod notat Lyra. *Ex qua ſequitur contemptus, ac depreſſio hominum*, &c. Virgam Alumnis Magiſter Deus nunc adimit, nunc permittit. Virgam demit Matth. cap. 10. n. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque virgam*, &c. Sic & Lucas 9. *n.* 3. Sed Marcus virgam Apoſtolis permiſſam tradit, *cap. 6. num.* 8. Præſcriptum enim à Magiſtro eſt, *ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm*, &c. Ac ſi Magiſter vellet virgam in Rep. nunc ſumendam, nunc deponendam eſſe, & ſic vim puniendi temperandam: quod monet Gaudent *tract.* 5. Addo Chriſtum data, negaraque virga ſignificaſſe, quo metu inenda poteſtas eſt, cùm homines inde ſumant occaſionem peccandi. Itaque ad Remp. Deus permittit virgam, & quaſi periculi metuens virgam negat.

2. Ezech. 7. n. 10.

Ab officio capit iudex improbus, vt malè agat.

Matth. 10. n. 10. Luc. 9. n. 3. Marc. 6. n.

Vis puniendi temperandã.

3. Illud in minis eſt apud Moyſen Deut. cap. 28. num. 48. *Seruies inimico tuo*, &c. Grande malum! vt ſeruitutem Hebræus ſub hero improbo, hoſtiléſque morſus ferat: ſentit id Philo ad lib. de Execrat. *Quoties* (inquit) *vnus, & idem hoſtis, ac dominus imminet, quis ſuſtinere queat? quãdo poteſtas lædendi præbet licentiam*, &c. Nullũ iniuriis irrogandis modũ ponit, qui id cupit improbè, & poteſt liberè: coniurant amicè voluntas,

3. Deut. 28. n. 48.

Ad lædendum audax omnino Princeps.

& potestas in flagitium. In hoc metu Dauid
Psal. 85. n. 14. erat, cùm Deum vrgeret, Psal. 85. num. 14. *Deus*, (inquit) *iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo*, &c. Apparet Vatem multis de causis timuisse, cùm sciret homines, & affectu corruptos, & manu obarmatos, & Dei oblitos esse. Quid scelerum non aggreditur, qui Deum animo proiicit? Sed Principes *non proposuerunt te in conspectu suo*, &c. Quid peccati non admittit, qui vires auget affectu corrupto, & voluntatem, potestatémque miscet improbam? id Dauid timet: *Iniqui* (inquit) *insurrexerunt, & synagoga potentium*, &c. *Atque ex eo duplex timor obortus*, &c. addit Basilius. Labitur in flagitium, ac relabitur facilè, qui in sella Iudex, & in aula Princeps est, nec boni respectu sese continet.

Iuuatur potestate voluntas improba.

4.

Inde quot in bestia cornua, tot mala numeres; *capita septem, & cornua decem*, &c.
Apoc. 17. n. 3. videt Ioannes *Apoc. 17 num. 3.* Vna est bellua, & multa sunt cornua? Id ego miror: sed non miratur Rupertus *lib.* 10. qui ex multis belluæ cornibus multas sæuiendi rationes colligit. *Non solummodo* (inquit) *Reges contra Reges hostili more hæc fecerunt; sed populis suis, ciuitatibúsque Reges persæpe mala hæc intulerunt*, &c. Bestia, quandoque Princeps est, cornu petit, & ferit homines: mandata enim potestas improbo viam aperit ad sæuitiam; & quo grandior est potestas in homines, eo maior est facultas in cædes, ac scelera. Quare, ne gens Hebræa malo hoc extremo laboraret, oblatam sibi potestatem Gedeon à se, ac domesticis reiecit. Volebat Senatus Iudaicus, vt Iudex principatum gereret perpetuò, & in domum transferret suam,
Iudic. cap. 8. n. 23. Iudic. 8. num. 23. *quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus*, &c. Magna profectò virtus est, quæ fasces, ac secures à se reiicit. Esto, nolit sibi Gedeon hosce honores: cur filio pater auferet, quod fortuna, plena offert manu? Sed nescit pater, an filius, ac nepos mores sint habituri dignos imperio, metúsque ingens est, ne agendi licentia perdant Rempub. Ac proinde maiestatem pater maximam repudiat: *quia fortè, si ipse dignus foret, filius & posteri essent indigni; & sic turbarent populum*, &c. notat Abulensis *q.* 20.

Sauit Princeps addita nequitiæ potestate.

Timet sapiens, ne potestate abutatur malus Princeps.

5.

Quod Gedeon constituit metu damni publici, id Deus aliquando fecisse visus est, vt viro improbo vires adimeret. *Periret enim innocentia, si semper nequitiæ iuncta esset potentia; & totum, quidquid cupit, calumnia præualeret*, &c. Hæc Hieronymo sententia est *lib.* 2. *Apolog. aduersùs Rusin.* Bellua omnino sæua est, & sui impotens, improbitas obarmata; placet Deo exarmari nequitiam, ne orbem perdat funditus, si agat liberè: *Venite* (inquit) *descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*, &c. Gen. c. 15. n. 7. Totus in turri extruenda Nemrodus erat, scilicet, vt gens in vrbem collecta vires cogeret, aleret, exereret in iniuriam libertatis publicæ: quod notat Augustinus *lib.* 16. *cap.* 4. *de ciuitat.* Ergo Deus gentem disturbat, ne vrbem,
Gen. 15. n. 7.

Duce damnato, condat. *& cessauerunt ædificare ciuitatem*, &c. *numer.* 8. Summa id consilio factum probat D. Thom. *Sicut enim superbis in omnem machinationem intentis magna potestas erat nocina, sic & quamplurimum expedit, quòd talis potestas aut tollatur omnino, aut saltem frangatur diuidatúrque*, &c. Ita puto frangendam Antichristo virgam esse, vita sublata, ne bonos homines perdat malus homo. quod patet ex Marc. c. 13. n. 14. *Nisi breuiasset Dominus dies, non fieret salua omnis caro*, &c.
Mar. 13. n. 14.

De mutilanda viro improbo facultas nocendi est.

Quod igitur Christo placet, fugias; nec virgam, nec sceptrum capias, si pius ac iustus esse velis. *Cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent Regem, fugit in montem ipse solus*, &c. *Ioann. cap. 6. num.* 15. Quò fugis, mi Domine? Quid tibi times à sceptro, ab aula, à potestate maxima, vt fugam ineas? Non sibi timet bonus, ac magnus Deus, sed ostendit, quid miseris hominibus timendum est, scilicet, nasci occasiones peccandi à potestate libera puniendi. *Hanc sanè virtutis euersionem Saluator noster ad exemplum declinauit*, &c. ait Hildebert. *Epistol.* 31. Et erit, qui neget potestatem viro improbo delatam vrgere in cædes, ac scelera? Credo & bonos homines à virga, & sceptro motus capere, modò puniendi quid quisque faciat, modò rapiendi quid quilque habeat. A virga sibi Moyses timet, cùm mortem orat, Numer. cap. 11. num. 15. *Obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis*, &c. Hæc Moyses Hebræo tumultuante; vitam pertæsus virgam abiicit. An peccauerit in loco Moyses, & precibus importunis Deum offenderit, petit Abulensis, & negat causa duplici: & quòd Moyses preces moderatur Dei gustu, & quòd virga abusus lapsum timet, relapsúmque peccati. *Timebat, ne impotens ad eorum mala toleranda, impatiens fieret, vel aliquam Dei offensam incurreret*, &c. sic Abulensis *q.* 36. & verè. *Plerumque enim in vlciscendis vitiis crudelitas agitur, & iustitia putatur*, &c. ait Magnus Gregor. *in Iob. lib.* 32. *cap.* 22.
Ioan. 6. n. 15.

Fugienda potestas, quæ licentiam præstat malè agendi.

Satiùs viro bono est mori, quàm potestate abuti.

Suum faceret officium potestas publica, si Deum respiceret, cùm iuberet, cùm puniret; quo respectu lectus ad sceptrum Salomon est. *Vnxeruntque eum Domino in Principem*, &c. 1. *Paralipom.* 29. *numer.* 22. Mitto, quæ de Regibus inungendis meditantur alij: inungitur enim Princeps, vt sciat paternam sibi potestatem esse, quæ est temperatissima, liberis consulens. Illud premo, vngi, siue legi Principem Domino. *Quasi ad Dei vtilitatem*, &c. notat Abulensis *q.* 25. Ne quid, regno inito, Princeps agat, quod ad Magni Dei gloriam non conducat. Ciues eo modo curandos esse, vt Regem factis Patrem agnoscant, ac Dominum tam supra se, quàm pro se esse: si quid virga pulsandum est, doleat Princeps, tectóque vultu inuitus faciat. Vnde ad Neronem Seneca lib. 1. cap. 22. *Constituit bonos mores ciuitatis Princeps*
1. Paral. 29. n. 22.

7.

Deo seruit bonus Princeps, non suis commodis.

ceps, & vitia feliciùs compescit, si patiens eorum est; non tanquam probet, sed tanquam inuitus, & cum magno tormento ad castigandum veniat, &c. Hæc Augusto laus à Nasone est.

Et iacit inuita fulmina rara manu, &c. *ad 1. de Pont. Eleg. 3.* Alius à bono Octauio est Assyrius; à sceptro enim habet, vt licere sibi credat, quidquid libeat; nec abstineat ab iniuria aliena, cùm fuerit occasio sæuiendi. quo metu Bethulienses precantur, ne gentes immanitate barbaras pati contingat, quippe quæ ex pœna in Hebræum decreta ebuccinent impudenter: *Vbi est Deus eorum*, &c. Eáque dicendi forma Deum carpant, arguántque impotentiæ ex ope negata; quasi non possit, quidquid velit, cùm nolit persæpe, quod benè potest, manúmque auxiliarem supprimat, ad vindictam scelerum. Vnde abesse videtur, cùm sit præsens; quod Dauid subqueritur Psalm. 9. num. 22. *Vt quid Domine recessisti longè*, &c. Totus in hac querimonia Hebræus est, tractus in seruiturem. Thren. cap. 1. num. 16. *Idcirco* (inquit) *ego plorans; quia longè factus est à me consolator*, &c. Itaque procul abesse Deus putatur, cùm non prodest, auxilio etsi iustè subtracto. Quod ego ex loco suo, illud est,

Mores concinnat hominum Princeps lenitate potius, quàm seueritate.

Psal. 9. n. 22.

Thren. 1. n. 16.

PARÆNET. XXXVIII.

Punire Deum tecto pudenter vultu.

1. NOn potest Deus locis abesse, qui vbique præsens est; cùm tamen punit, abesse videtur, aut certè vultum obtegit; quasi Deum pudeat, irasci, punire, flagellare. Et verò id operis alienum à Deo esse docet Isaias cap. 28. num. 21. *Stabit Dominus*, (inquit) *& irascetur: vt faciat opus suum, alienum opus eius*, &c. Quid hoc monstri est? Certè voces non conueniunt. An Dei opus est, alienum à Deo opus? Sed irasci Deo pudor est quodammodo: & cùm punit, ira concepta agit personam adeò alienam, vt Gentes Diis turpes Deum abesse credant ab Hebræo malè multato; & quærant: *Vbi est Deus eorum?* &c. Videtur abesse locis Deus, quibus Angelus premit, ac perdit homines miserè. Cùm enim iudex vrgeret Angelum, vt faces caperet, & in vrbem iaceret, apud Ezech. cap. 10. n. 6. *Sume ignem*, &c. Scio domum nebulis obductam, obtectámque tenebris Dei sedem. Addo & Deum terris altè subductum. *Et eleuata est gloria Domini, & repleta est domus nube*, &c. Ad viam Deus sese accingit quodammodo, vultumque tegit nebula, cùm lictorem emittit Angelum, qui ferro, flammáque premat homines. *Neque enim præsente Dei maiestate exercentur supplicia*, &c. ait Hieronymus. Iustitia illud vrget, vt pœnas iudex reddat improbis; sed pietas Dei pedibus fugam mandat; & pudor oculis nubem obtendit, ne iudex videat, quid lictor ferro, flammáque faciat

Punit Deus quasi inuitus.

Isa. 28. n. 21.

Exech. 10. n. 6.

Ab hominibus puniendis longè Deus abest misericors.

2. An Deus, cùm Moysen Ægypto Deũ im-

Veloſ. in Iudith.

ponit, vt quatiat modis miseris aulam, & vrbem, Ægypto abest? Insimiat id benè Deus. Itaque, vt longè Deus abeat, Moysen quasi vicariũ sibi subrogat, qui premat Ægyptũ die clara. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, &c. *Exod. c. 7. n. 1.* Neque enim abesse Deũ hominibus premendis finit pietas: & quòd Iudex abierit, Moyse in Deũ substituto, probat Dei reditus, c. 11. n. 4. *Media* (inquit) *nocte ingrediar in Ægyptum*, &c. Tantus Deo pudor est de motu puiendi, vt adesse nolit; & cùm punire velit, primogenitis miserè confectis, summa id nocte aggrediatur. Quod patet ex cap. 12. Exod. n. 29. *Factum est in noctis medio, percussit Dominus*, &c. Sic & noctu euersa est Areopolis, quod tradit Isaias c. 15. num. 1. *Quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit*, &c. scilicet, *præ dolore non ausa loqui*, &c. Quod Hugo docet. Non me latet, quid velint alij, pueros à se Deo interfectos *in noctis medio*, &c. *vt hostes incautos inuenirent, ac magis deterreret*, &c. teste Oleastrio. Deinde Areopolim noctu quassatam miserè, quo ingens Moabitis metus esset. Nam Magistro Basilio, *quod noctu irrogatur supplicium, atrocius esse solet, & amarulentius: quandoquidem nox res est quædam per se inamœna, mœrorem animo inferens*, &c. Hæc alij; illud ego. Cùm datura Deo pœnas esset Ægyptus, aut Moabitis, necesse erat, vt quæ pudorem Deo afferre solet, res noctu fieret; & suum hac via Iudex pudorem leniret, cùm fasces moueret, ac secures.

Exod. 7. n. 1.

Exod. 11. n. 4.

Cùm punit Deus noctu id agit, ne videre cogatur punitos homines.

Exod. 12. n. 29.

Isa 15. n. 1.

Qui ferit in tenebris, ferit grauiùs.

Qui punit in tenebris, punit ex pudore.

Volunt Magni Patres, Chrysostomus, ac Hieronymus, Christum vti iudicem noctu venturum. quod probant ex *Matth. cap. 25. num. 6.* vbi Magister parabolam ingerit hac de re, illudque addit, *Media nocte clamor factus est*, &c. Nec Paulus abesse videtur à sententia, cùm dicat 1. ad Thessalon. cap. 5. num. 2. *Dies Domini, sic vt fur in nocte, ita veniet*, &c. Sed nec Matthæus, nec Paulus euincunt liquidò, quod Chrysostomus, Hieronymúsque volunt. Illud verò probant venturum subitò Iudicem; quo pacto fures perrumpunt domum alienam: & verò Magister Deus nusquam noctem iudicio exercendo, sed diem assignat? Matth. 24. num. 36. *De die* (inquit) *illa nemo scit*, &c. Erit quidem cœlum densis obductum tenebris, cùm Iudex venerit ad forum illud vltimum humani generis, *sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum*, &c. *num. 29.* Non tamen, vt iudex cæco in homines motu ruat, sed vt scias trahi Deum, non duci ad premendos, perdendósque homines. Sic Palacius *in Matth.* qui in Academia Conimbricensi priùs docuit sacras literas. *Si enim tantis tenebris mundus tegitur, vbi Iudex venit iratus, non est opus suum irasci, punire: alienum opus eius, peregrinum opus eius ab eo*, &c. *Ex Isa. cap. 28. num. 21.* quasi puduerit bonum Deum irasci, punire, flagellare.

Matth. 25. n. 6.

1. Thess. 5. n. 2.

Matt. 24. n. 36.

Pudet Christum iudicem punire.

Isa. 28. n. 21.

4. Iam Isaias olim docuerat, quo pudore Deus Iudicem egisset. Infensum Hebræo Deum inducit Vates, *c. 5. n. 26.* Conductúmque à Deo Duce militem, qui Ierosolymam obsideat, & premat. *Eleuabit signum in na-*

Isa. 5. n. 26. & 6. n. 1.

tiones procul, &c. Deinde Vates Deum videt *cap. 6. num.* 1. Sed quem Seraphini suis tegunt alis, num. 2. *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius*, &c. Quærunt alij cur Deus tecto vultu se se humanis, Angelicísque oculis eripuerit? dicta non refero: quod mihi placet, illud est, erubescere Deum, quòd pœnas decreuerit in homines, & pudore contracto abscondisse sese: oculos pedésque texisse, ne, qua iret, inuestigari posset: dicam Lusitanè, *Cobre Deos o rosto, porque se peja è corre de castigar.* Accusant mulierculam homines de adulterio apud Magistrum Dominum, *Ioann. 8. num. 5.* & vrgent, vt mentem aperiat suam. *In lege Moyses nobis mandauit huiusmodi lapidare; tu ergo quid dicis?* &c. Itaque adigunt, vt exponat, quid de iure, & facto senserit. *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra*, &c. *num. 6.* Vultu in terram fixo, responsum Magister non edit; quasi puduerit se iudicando, & puniendo lectum esse. Qui grauiter erubescit, aut vultum demittit, aut manu tegit oculos. Cùm igitur Deo sit pudor iudicare, ac punire, delectus ad litem Iudex vultum rubore suffusum deiicit: *inclinans se deorsum*, &c. Deinde muliercula improbè accusata, *auertit faciem suam Deus, & inclinauit in terram ne crimen cerneret, quod puniret*, &c. ait Chrysologus *serm. 115.* Hic enim ille est, qui de se, *Ego* (inquit) *non iudico quemquam*, &c. *num. 15.* Itaque occasiones præscindit omnes tam iudicandi, quàm puniendi, qui totam animo spirat indulgentiam. Non aliter iudex sese abscondit, cùm Bethulienses punit; quasi Deum pudeat, ac pigeat quòd irascitur, quòd flagellat, quòd punit homines; cáque nebula sese abdit, vt Deum à Bethulienſibus procul abesse credant hostes; qui nullibi apparuerit, auxilio subtracto, & quærant: *Vbi est Deus eorum?* &c. Discant à Deo homines, quod Angeli didicere, vt vi trahantur ad puniendum, & pudore contracto, *venerunt duo Angeli Sodomam vespere*, &c. *ad Gen. 19. num. 1.* qui quidem Abrahamum adeunt, luce clara, & candida: *in meridie*, &c. Sic Græcus habet *cap. 18. num. 1.* Sed Abrahamum Angeli bonis augendum sciebant, Sodomam flammis perdendam esse. Lento ad puniendum gradu abierant. *Totum enim diem expectauerant, vtrùm Deus parceret ciuitatibus, propter Abraham*, &c. ait Abulensis. Videbant Abrahamum precibus intentum, vt Pentapolim vindicaret ab exitio: cunctatiores abibant Angeli ad causam capitalem; ita vt diem absumerent, & sub noctem, clanculóque vrbem ingrederentur: ac si pudor Angelis ingens foret, quòd pœnas ab hominibus cogerentur sumere. *Etsi magna, tamen certè lenta ira Deorum est*, &c. laudat Iuuenalis Satyr. 13.

Sic Deus punit, tecta pudenter facie.

Ioan. 8. n. 5.

Pudor ingens Christo est, quòd in Iudicem deligatur.

Dissimulare quàm punire mauult Deus.

Gen. 19. n. 1.

Gen. 18. n. 1.

Tardo ad puniendum gradu incedit Angelus.

Num. 22. Et cùm fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent.

Num. 23. Exurgens Ozias infusus lachrymis, dixit: Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam.

Commentarius.

EXhaustis per fletum lachrymis, & fauci- 66.
bus per clamorem exacerbatis, conquiescunt Bethulienses, ac ne mutire quidem audent. An silent, qui dolent; tacent, qui timent? Vtramque probo causam tacendi. A metu silentium illud est Ierem. 8. num. 15. Ier. 8. n. 15. *Conuenite, ingrediamur ciuitatem munitam, & fileamus ibi*, &c. Metu contracto intra muros expectemus rerum exitium. De Alexandro textus est 1. lib. Machab. cap. 1. 1. Machab. 1. num. 3. *Siluit terra in conspectu eius*, &c. Et n. 3. constat quo metu Alexandrum terrarum victorem Gentes coluerint. *Silete à facie Domini Dei*, &c. imperat Sophonias *cap. 1.* Sophon. 1. *num. 7.* Græcè, *timete*, &c. est enim verbum, εὐλαβέομαι, quasi velit textus natum à metu silentium esse. Nec Bethulien- *Silent, qui dolent, ac timent grauiter.* sibus deest ratio timendi, vt fileant. An verò fileant, qui dolent, id ego discutio. Probat Moabitis apud Isaiam cap. 15. Isa. 15. n. 2. num. 2. *Quia vastatus est murus, Moab conticuit*, &c. Hugone teste; *Præ dolore non ausa loqui*, &c. Addit Ieremias Ier. 47. n. 5. cap. 47. num. 5. *Conticuit Ascalon*, &c. Eo se miseriarum gens improba redactam videbat, vt præ dolore conticesceret. Addo Sadducæos à Christo Magistro victos siluisse, quod Matthæus apponit cap. 22. Matth. 22. num. 34. *Pharisæi enim audientes, quòd* n. 34. *silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt*, &c. Si petas, cur Sadducæus taceat, lite profligata? aio; dolor est, qui vocem intercipit, cùm ferrent ægrè se victos esse, ac dolerent. *Væ mihi* (ait Vates,) *quia tacui!* Isa. cap. 6. num. 5. Græcè, *quia compunctus dolui*, &c. Est enim inibi verbum, Isa. 6. n. 5. κατανύσσω, scilicet *taceo, & stimulo.* Imò & vox Hebræa דמה *damah*, quæ sonat, *sileo, succido*: ac per metalepsin, *doleo.* Sic dolor ingens vocem intercipit, quod patet. Christum ligno suffixum aspectant mater, & Ioannes, lachrymísque madent plurimis: & quanuis Magnæ matris memor filius, *Mulier* (inquit) *ecce filius tuus*, &c. *Ioan. 19. num. 26.* Io. 19. n. 26. tanto mater dolore affecta est, tanta Ioannes pœna torquetur, vt ne verbum quidem emittant. Mater, vt sortem sibi mutatam quæratur; Ioannes, vt pro sorte nobili gratias Magistro agat. *Audiebant, & tacebant; quia præ* *Silent ex dolore Ioannes, & virgo Mater.* *anguſtia loqui non poterant*, &c. ait Bernard. *ad tractat. de lament. Virgin.* Et hæc Bethulienſium mala videri possunt; tacent, cùm dolent; silent, cùm timent. Sed, quod textus apponit simpliciter, illud est. Silent homines, qui cessant à ploratu, & clamitatu. quæ quidem frequens est significatio, in 2. 2. Reg. 19. Reg. c. 19. num. 10. *Vsquequò siletis, & non* n. 10. *reducitis*

reducitis Regem, &c. Et textus est de turpi ignauia, ad Thren. c. 3. n. 49. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit*, &c. scilicet non cessauit à lachrymis. Cùm vellet Magister Deus, vt mare, tempestate lenita, conquiesceret, *comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce*, &c. *Marc. c. 4. n. 39.* Addit Lucas, labore intermisso, quieuisse mulieres. *& Sabbato quidem siluerunt*, &c. *cap. 23. num. 56.* hoc silentio Bethulienses erant, cùm laborem intermitterent plorandi, & clamandi.

Thren. 3. n. 49. *Silentio notatur ignauia, notatur & quies ab agendo.* Marc. 4. n. 39. Luc. 23. n. 56.

67. Sed quo affectu ciues Princeps ducit, num. 23. *Exurgens Ozias infusus lachrymis dixit*, &c. Pastor vtique bonus est, qui doluerit cum dolentibus; fleuerit cum flentibus. Lugent ciues, quousque tandem lachrymis exhaustis silent, cessántque à ploratu. Quid Princeps in tanto rerum motu? *Infusus lachrymis dixit*, &c. An videret siccis oculis dolentes, flentésque ciues bonus Princeps? Videt fratres metu perditos Iosephus. quod patet è *Gen. 42. num. 21.* vbi vox fratrum pia: *Meritò hæc patimur; quia peccauimus in fratrem nostrum*, &c. Totus in lachrymis frater, ac Prorex est, *num. 24. Auertítque se parum per, & fleuit*, &c. Flebat schola Christiana, cùm ferret ægrè abire à se Paulum Magistrum; & Magister, *Quid facitis (inquit) flentes, & affligentes cor meum?* &c. *Act. cap. 20. num. 13.* Arguit Chrysostomus ex hoc Pauli dolore, quo in scholam Magister studio ferretur. *Nihil Paule (inquit) in amore indulgentius: quia videbat lachrymantes, dolebat; qui in suis tentationibus non dolebat*, &c. *Hom. 45.* Hæc à natura vis est, vt nemo, si quid humani habet, lachrymas teneat alienis in lachrymis. Commotus hac vna vi Iesus Optimus, *vt vidit plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes*, &c. de Magdalena sermo est. *Infremuit spiritu, & turbauit se ipsum*, &c. Sic Magister fletu vrgetur alieno, vt vim sibi faciat, ne fleat; quod notat Chrysostomus *Hom. 62.* Quid ergo mirer, si alieno in luctu *Ozias infusus lachrymis dixit: Æquo animo estote fratres*, &c.

Gen. 42. n. 21. *Exprimit lachrymas à bono viro fletus alienus.* Act. 20. n. 13. Ioan. 11. num. 33. *Commouetur bonus homo lachrymis alienis.*

68. Mittit lachrymas, & fratres appellat Princeps nomenclatura nobili ciues mitigans, à quibus vocatus contumeliosè arguitur in proximo aut negligentiæ, aut imprudentiæ. Quid, nisi querimonia de Ozia est? à n. 13. vbi gens vniuersa, *Iudicet Deus (inquit) inter nos, & te, quoniam fecisti in nos mala*, &c. Turpes omnino voces aduersùs Principem, sed laceratur persæpe dictis absurdis Princeps quisque: hæc ab administrando principatu fortuna est. Addit Ozias, & tacet; nec furentibus sese opponit, sciens admodũ; sed turbam componit graui silentio: nec commouetur, nec dictis dicta refutat acerbis: sed cùm lachrymas hominum fluere latè sentit, *infusus lachrymis dixit: Æquo animo estote fratres*, &c. Duplex ex loco nota esse potest, & quòd Princeps fraternum obloquentibus affectum ostendat generosè, & quòd ciues, quasi fratres æquo iure habeat.

Bonus Princeps fraternum obloquentibus affectũ ostendit generosè.

69. Laudat Plinius hanc in Traiano popularitatem, *vt cum ciuibus tuis, quasi cum liberis parens vinis; vt reuersus Imperator agnoscis, agnosceris; eosdem nos, eundem te putas, par omnibus*, &c. *in panegyr.* scilicet. Traiano cùm accessit Imperium, non abscessit modestia. Quasi legem accepisset ab Ecclesiastico. *Rectorem te posuerunt? Noli extolli; esto in illis, quasi vnus ex ipsis*, &c. *cap. 32. num. 1.* Cùm fasces inieris præfectus hominibus, credas te eodem è luto factum, ne superbè tumeas. Non aliam suo in Vespasiano moderationem senior laudat Plinius. *Nihil (inquit) in te mutauit fortunæ amplitudo*, &c. Neque enim Vespasianus, sceptro inito, rerum dominus, cum Plinio agebat, nisi familiariter, & æquo iure. An Ozias hoc iure ciues quasi fratres colit? aio. Deinde pium ostentat affectum læsus dictis Princeps; familiare enim est bonis viris, vt ferant generosè tristes morsus gentis subditæ; nec dictis acerbis excandescant in sæuitiam. Carpitur Virgo sapiens, quasi mulier de nigris nata, *Cant. 1.* Ad hæc Virgo num. 4. *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem*, &c. Non appellat acerbè filias Dæmonum; quod promeruerant, cùm dentes exacuissent in Magistram. Sed amans admodum virgo, & matrem agit, & virgines à patria nobili nobiles nuncupat *Filiæ (inquit) Ierusalem*, &c. Bernardus optimè serm. 25. in Cant. *Aduerte sponsæ patientiam, ac benignitatem: non modò non reddit maledictum pro maledicto, sed insuper benedicit, filias Ierusalem vocans*, &c. Deinde exponit, quàm benè hæc rerum scena congruat in Præfectos morum. *Sciunt quippe boni, fidelésque Præpositi languentium sibi creditam animarum curam, non pompam: cúmque interdum murmur cuiuspiam illarum querulæ vocis indicio deprehendunt, etsi in ipsos vsque ad contumelias prorumpentis; Medicos se, non Dominos agnoscentes, parant confestim aduersùs phreneſim animæ, non vindictam, sed medicinam*, &c. Vel Tiberius hanc sibi legem imposuit, cùm sciret dentes sibi malos infigi à plebecula. Illud enim iactasse dictus est apud Suet. cap. 28. *In ciuitate libera, linguam, mentémque liberas esse debere*, &c. Hoc vno placito Ozias dolentem, tumultuantem, obtrectantémque plebeculam sustinet, ac mitigat ciuilitate nobili: nec iniuriam sibi factam queritur, nec suam vlciscitur contumeliam: sed, quod patet, *infusus lachrymis dixit: Æquo animo estote fratres: & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam.*

Eccles. 32. n. 1. *Rectè Princeps agit, si vivit par omnibus.* Cant. 1. n. 4. *Maledicta benedictis repensat bona morum magistra.*

Peccasse in loco Oziam probant Lyra, Hugo, Interpretésque alij; quippe qui Dei auxilium terminis concluserit. Sed mitto disputationem hac de re *ad c. 8. num. 11.* Illud interim adiicio, Præfectum hominum multis patere occasionibus peccandi: aut enim patientiam abrumpit victus clamoribus hominum improbis, aut Deum offendit hominibus obsequens; quæ summa est infelicitas, vt Princeps hominem Deo anteponat. Inde monet Syracides cap. 7. num. 6. *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas irrumpere*

70. *Patet Magistratus erratis plurimis.* Eccles. 7. n. 6.

rumpere iniquitates, &c. quod Vatablus sic explicat, vt iniquitates pro hominum malefactis in homines alios, & in ipsum etiam iudicem admissis accipiat. Hoc fortasse textu admonitus admonet Ambrosius Epist. 29. ad Florianum, *Caue honores, quos sine culpa tenere non poteris*, &c. Siue ignauus iudex, siue iratus vindex. *Parùm idonea* (ait Seneca) *est verecundia rebus ciuilibus, quæ firmam frontem desiderant*, &c. *ad cap. 4. de Tranquillit.* In hoc luto Ozias hæret, qui metu victus, & motu afflictæ plebeculæ terminos Deo figit ad opem ferendam; ac tandem, vt hominibus placeat, Deo malè displicet. Bonus tamen hac parte Princeps est, qui quidem *Infusus lachrymis dixit*, &c.

Frontem obfirmat aduersùs improbos Princeps bonus.

PARÆNET. XXXIX.

Bonum Præfectum miseris hominibus hominem agere.

1. OFficium est Principis optimi, vt doleat intimè, cùm dolent ciues; fleat latè, cùm deflent granditer homines; piè frangatur, cùm premitur miserè gens vniuersa; toramque spiret animo pietatem, cùm laborant aduersis viri summi, & imi. De sua, prosperáque fortuna agit Moyses apud Deum Exod. 33. num. 13. *Ostende* (inquit) *mihi faciem tuam*, &c. Deinde addit suo functus, paternóque officio. *Respice populum tuum, gentem hanc*, &c. Non ita sibi Moyses consulit, vt de plebecula non meminerit, ait Augustinus q. 151. in Exod. *Quia in duobus præceptis, id est, dilectionis, tota lex pendet; ideo in vtroque Moyses suum demonstrauit desiderium*, &c. Erat Moyses in re Iudaica Princeps longè optimus; sciebat populum metu perditum, luctúmque madidum, cùm acciperet dixisse Deum, num. 3. *Non ascendam tecum*, &c. Inde enim voces, ac fletus. *Audiénsque populus sermonem hunc pessimum, luxit*, &c. piè commotus Princeps Deum adit, & quo in populum sibi subditum sit affectu, ostentat; precésque facit pro se Pastor, & pro ouibus. *Ostende mihi faciem tuam; respice populum tuum.*

Exod. 33. n. 13.

Publicè consulit bonus Princeps.

2. Quantus hoc affectu Dauid erat, cùm doleret de fortuna populi aduersa? videt Angelum, stricto ferro, minari Ierosolymis pestem vltimam 2. Reg. 24. num. 17. *Dixitque Dauid ad Dominum*, affectus piè, *Obsecro, vertatur manus tua contra me*, &c. Quam enim pro Absalomo necem pater subire voluit, illud ingerens: *Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* &c. *2. Reg. cap. 18. num.* 33. hanc sibi mortem pro sua plebecula Princeps optat, *vt discas illum non delexisse magis puerum, quàm subditos*, &c. ait Chrysostomus *serm. 29. in Epist. ad Rom.* & quidem cùm grassaretur pestilentia, & ciues perderet, *vellicabantur viscera ipsius, cadentibus illis, quasi genuini enecarentur filij*, &c. Amans adeò populi Dauid erat, vt ab ima plebecula, quæ pateretur mala, transferri ad se vellet, sciens certò, monénsque liquidò lectum se non sibi, sed aliis Regem esse. An à Saule adhuc bono mentem Dauid hausit? Fortasse Regem hac de re Magistrum habuit *1. Reg. cap. 11. num. 5.* Flebat Hebræus labitam ab Ammonita obsessum esse, accedit Saul iam inauguratus, *& sequens boues de agro ait: Quid habet populus, quod plorat?* &c. Bene sese Regem præstat. *Electus enim dux subditorum necessitatem compatiendo suam facit, & hanc releuare appetit*, &c. sic Magnus Gregor. *lib. 5. in 1. Reg. cap. 11.* spectabat scilicet ad curam boni Principis, vt interrogaret, cur ciues flerent, & lachrymas tergeret gentis subditæ, sortémque tristem leuaret; *& insiluit Spiritus Domini in Saulem*, &c. *num. 7.*

2.Reg.24. n.17.

2.Reg.18. n.33.

Pater ciuium Princeps esto dictis, factis.

1.Reg.11.n 5.

Cum dolente plebecula dolet bonus Princeps.

3. Lex est à Deo lata; cùm enim sanxit, vt Pontifex pulchris insculperet gemmis nomina tribuum duodecim, gestarétque humeris; quod patet ex 28. Exod. num. 12. *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino, super vtrumque humerum*, &c. Illud mysticè Deus voluit, quod Arnoldus notat, oportere bonos Principes hominum dolere cum dolentibus, laborare cum laborantibus. *Eorum enim onera ipsum lege officij sui ferre necesse est*, &c. *ad tract. de sept. verbis.* scilicet cùm gemunt greges, ingemiscat pastor; cùm laborant ciues, laboret Princeps; cùm premuntur familiares, prematur & herus: communicatóque labore amicè conueniant Pontifex, & populus: *eorum enim onera ipsum lege officij sui ferre, necesse est*, &c. eáque de causa, *portabit Aaron eorum nomina coram Domino, super vtrumque humerum*, &c. Laborant boues quodammodo, & ingemiscunt, sub mari æneo: quos sapiens aquis multis suppositos esse voluit; & quibus succollantibus moles pulchrè facta insideret, 3. Reg. cap. 7. num. 23. *Fecit mare quoque fusile*, &c. *& stabat super duodecim boues*, &c. *num.* 25. Quid hæc vna schema insinuet *in lib. ascet.* tradit Nilus. Nemo nescit, quòd bene docet Angelus Apoc. 17. num. 15. *Aquæ, populi sunt, & Gentes*, &c. Deinde nemo negat duram esse prouinciam de rebus publicè administrandis, populísque regendis; quos aqua signat bobus suppositis. Inde Nilus, *Boues* (inquit) *sub pelui declarant eos, qui subeunt onus eiusmodi, non respuere, nec auersari debere; sed onera, & sordes inferiorum perferre*, &c. Tanta morum Præfecto pietas, & commiseratio inesse debet, vt quæ alumnus mala ferat, perferat & Præfectus piè commotus, humerósque supponat oneribus gentis subditæ; cùm morbus angit, dolor vrget, fortuna premit, lachrymasque ab alumno dolor exprimat, suas Præfectus iungat lachrymas, hominemque præstet miseris hominibus.

Exod. 28. n. 12.

Laborat cum laborante populo bonus Princeps.

3. Reg. 7. n. 23.

Apoc. 7. n. 15.

Errata hominum sustinet bonus Princeps.

4. Vel Princeps barbarus hoc in plebem miseram pungitur sensu commiserationis. Minatur Deus, quæ Pharaonem terrere poterant, *Exod. c. 9. n.* 14. cùm dicat per Legatum, *Dimitte populum meum*, &c. *n.* 13. addit minas, vt Regem adigat in obsequium; *Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum*, &c. Si constat benè Regem, nisi plaga extrema, tactum non fuisse: cur ita Iudex vrget, vt contendat animum Regis cruciatum esse multis,

Exod. 9. n. 14.

Quæ ciues pungunt mala, pungunt & animum boni Principis.

ac

ac decumanis plagis: *ſuper cor tuum* (inquit) ſed, quod in proximo eſt, Dei mentem, ac Regis commiſerationem aperit: *& ſuper ſeruos tuos, & ſuper populum tuum*, &c. Sic enim Pharao ſuum in populum affectus erat, vt quam populus cladem ſubiret, ſubire Pharao videretur.

5. Quid ego mirer Deum miſeris hominibus adeſſe, vt ſuam præſens oſtendat commiſerationem? Erat Adamus eò redactus miſeriarum, vt ſe ſe in ſyluas abderet, Gen. cap. 3. *n.* 8. *Abſcondit ſe Adam*, &c. Illò tamen loci Deus aduolat num. 9. *Vocauitque Dominus Deus Adam*, &c. Erat Noë ſuo clauſus, & equo ligneo; erátque in terris ſolitudo ingens *cap.* 8. *num.* 15. Accurrit Deus, *Locutúſque eſt Dominus ad Noë*, &c. Erat Abrahamus in aduerſis, cùm cines ſibi infeſtos ſcirer, ac doleret: inde vox à Deo ad Abrahami aures aduolat. Aduolat Deus in auxilium, quod enarrat Stephanus Act. 7. num. 2. *Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahæ*, &c. Vrgetur Iſaacus ab Abimelecho, vt abeat. *Recede à nobis*, (inquit) Gen. 26. num. 16. Accurrit Deus num. 24. *In ipſa nocte, dicens: Ego ſum Deus Abraham*, &c. Quid Iacobo Dominus? cùm Iacobus eſſet in metu, & humi cubans ſomnum caperet, inibi Pater amans hominum: *Ego ſum Dominus: terram in qua dormis, dabo tibi*, &c. *Gen.* 28. *num.* 13. Nónne Deus tuo cum Ioſepho carceres intrauit ſordidos? patet ex *Gen.* 39. *num.* 20. vbi herus impudens, *Tradidit Ioſeph in carcerem*, &c. eo tamen Deus adiiſſe viſus eſt, vt Ioſephum ſolaretur num. 21. *Fuitque Dominus cum Ioſeph*, &c. In Horebo Moyſes latè fugiens, Helias altè metuens, Deum & vident, & ſocium habent, *Exod.* 3. *num.* 2. *&* 3. *Reg.* 19. *num.* 9. Quis neſcit Deum tribus pueris adfuiſſe, medióſque per ignes inuolaſſe in fornacem? Nouit id Nabuchodonoſor apud *Dan. cap.* 3. *num.* 93. cùm dixit, *& ſpecies ſimilis filio Dei*, &c. Magna Deo pietas eſt, vt miſellos quærat homines, quos iuuet; & vendicet ab aduerſis. Quòd verò adſit, cùm labor eſt, aut dolor ingens, affectu miſerationis, ait Cyrillus Catech. 10. *Benignus enim eſt Dominus, & compatiens noſtris infirmitatibus*, &c. ſcilicet, ex officio boni Principis vrgetur Deus hominum, rerúmque Dominus, vt, quæ patimur, aduerſa videat, ac trudat; neque enim premuntur homines miſerè, vt non pungatur Deus miſerans, cóque affectu ad nos veniat.

Gen. 3. n. 8. & 8. n. 15.

Act. 7 n. 2.

Gen. 16. n. 16.

Gen. 28. n. 13.

Gen. 39. n. 20.

6. Quòd ſi multa eſt vis calamitatum, oculos Deus auertit alió, ne videat, quæ dolorem augent. *Deus, Deus meus, reſpice in me: quare me dereliquiſti*, &c. ait Dauid *Pſalm.* 21. *num.* 1. Conſtat carmen de Chriſto factum eſſe: quod probat *Marc.* 15. *num.* 34. *Ioann. cap.* 19. *num.* 3. Nam ſua in Cruce, *mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*, &c. 1. *ad Timoth. cap.* 2. *n.* 5. Patrem orat hoc verſiculo: *Deus meus, Deus meus*, &c. Sed Dauid, vt Chriſti labores, dolóreſque repræſentaret, quod obſeruat Ianſenius, ſumpſit occaſionem à ſuis calamitatibus, de quibus Vates num. 13. *Circumdederunt me vituli multi*, &c. & num. 17. *Circumdederunt me canes multi*, &c. Dolétque Dauid ſe cornu, & morſu peritum eſſe. Et tanta erat carnificina, vt oculos aliò ſuos Deus conuerteret, ne videret hominem tam malis affectum modis. Hæc (vt credo) poteſtas ineſt hiſce verbis: *Deus, Deus meus reſpice in me*, &c. Hoc & pio ſenſu Princeps Bethulienſium, cùm flentes videt ciues, *infuſus lachrymis dixit: Æquo animo eſtote fratres.* Vnde habes

Pſ. 21. n. 1.

Mar. 15. n. 34. Ioan. 19. n. 3. 1. Timoth. 2. n. 5.

Non poteſt Deus miſerans videre miſerias hominum.

PARÆNET. XL.

Præfectum ſua humilique modeſtia gratum eſſe.

I. VItium eſt humani generis, vt ſuperbè tumeat, qui faſces capit, ac ſecures, ne humanis ſe terminis circumſcribat; quaſi Deum natura Magnum referat, qui repræſentat præfectura. Vana hæc Caio erat cogitatio, cùm ſuſcepiſſet imperium. Credebat, & iactabat ſe hominibus reliquis impoſitum, quaſi Deorum Maximum, eóque aſpectu omnium ſibi Deorum aptabat inſignia; quibus adornatus nunc Apollo, nunc Mercurius, nunc Hercules, nunc Iupiter videri volebat. Mirabatur inſolentiam hominis Roma vniuerſa, *quòd honores ſibi Deorum vſurparet, quorum virtutes aſpernaretur*, &c. ait Philo *de legat.* Hoc deturpantur fuco mentis vanæ Reges Magni, Perſarúmque Principes. Qui quidem (teſte Chryſologo) *nunc radiato capite, ne ſint homines, Solis reſident in figura; nunc impoſitis ſibi cornibus, quaſi vires ſe eſſe doleant, effœminantur in Luna: nunc varias ſyderum formas ſumunt, vt hominis perdant formam*, &c. *ſerm.* 120. Video, quid ſibi arroget humana ſuperbia, cùm ſceptrum gerit. *Apoſtolus tamen, cùm dicit: Nolite conformari huic ſæculo*, ad Rom. 12. num. 2. *totam vanitatum ſæcularium pompam & propellit, & effugat, & excludit à Chriſtianis mentibus*, &c. iterum Chryſologus.

Honores, non mores capit malus Princeps bonos.

Superbè tument Principes, quaſi humani Ioues.

2. Quare magni, boníque viri, Deum quidem vita referunt, & præfectura; ſed humiles adeò, vt homines ſe eſſe meminerint, ac dicant, *Æquo animo eſtote fratres*, &c. Hac, & modeſta præfectura Moyſes fungitur. Cùm enim Ægyptum repeteret à Deo miſſus, ad ſocerum ille: *Vadam* (inquit) *& reuertar ad fratres meos*, &c. *Exod. cap.* 4. *num.* 18. Mira viro ſancto eſt moderatio: qui Deum viderat, cum Deo egerat, poteſtatem à Deo acceperat; *portans Dei virgam in manu ſua*, &c. *num.* 20. adhuc fratres appellat, quoſcumque, etſi humiles, homines; ſatíſque negat ſe poteſtate in Ægyptum accepta, erectum ſuperbè eſſe. Pulchrè ad rem Lippomanus. *Non inflatur vocatione ſua, non iactat dignitatem, aduerſus affines*, &c. Itaque Moyſes virga potens adhuc recognoſcit homines licèt viles, verè cognatos ſibi eſſe.

Ex. 4. n. 18. 20.

Non intumeſcit magiſtratu bonus homo.

3. Dubites fortaſſe, vtrùm à Moyſe, an à Chriſto Petrus eandem hauſerit, & modeſtam cogitationem, cùm dixerit, ſenatu collecto, *Viri fratres, oportet*, &c. *Act.* 1. *num.* 16. Scio Petrum à Chryſoſtomo laudatum, eo quòd Pontifex non ſuperbierit, ſed communi ſe gradu hominum continuerit. *Si Dominus* (inquit) *ſuos diſcipulos appellat fratres*; quod patet ex Matth. 28. num. 10. *multo magis conuenit, vt Petrus ſuos condiſcipulos appellet fratres*

Act. 1. n. 16.

Matth. 28. n. 10.

Homines, quasi fratres habet Pontifex optimus.

fratres. Ecce dignitas Ecclesiæ, & status Angelicus, &c. Vrget Magister; *ite, nuntiate fratribus meis*, &c. apud *Matth. citat.* quod ad Christi modestiam explicandam pertinet. Quid ergo mirum, si Petrus dicat Pontificatu notus, *Viri fratres*, &c. Si Iacobus apponat cap. 1. num. 2. *Existimate fratres mei*, &c. Si Ioannes moneat, Apoc. 1. num. 9. *Ego Ioannes frater vester*, &c. Si tandem Paulus ad Galat. cap. 4. num. 12. *Fratres* (inquit) *obsecro vos*, &c. Nam inde Hieronymus benè colligit seruandam esse à sacris morum Præfectis humilitatem. *Quæ* (inquit) *& nos ad humilitatem prouocant, & supercilium decutiunt Episcoporum; qui velut in aliqua sublimi specula constituti vix dignantur videre mortales*, &c. Videas persæpe hominem aut sacra, aut profana virgo superbum, ita de se cogitare, vt homines sibi subditos Pharisaico despiciat supercilio; stare iubeat hosce homines, etsi nobiles, altè sedens, & superbè tumens. *Discant ab Apostolo errantes, & insipientes vocari Fratres*, &c. addit Hieronymus.

Iacob. 1. n. 2. Apoc. 1. n. 9. Galat. 4. n. 12.

Fœda morum Præfecto inest superbia.

4. Deinde boni viri, vt superbiam ex præfectura natam deprimant, necesse est respiciant naturam humani generis. Scio Petrum hac se via depressisse: cùm enim Centurio metu tactus religioso accideret ad Petri genua, *Act.* 10. Textus est de Cornelio. *Procidens ad pedes eius adorauit*, &c. Non tamen finit Pontifex, etsi Maximus, submitti sibi hominem, ac Principem militum: *Surge* (inquit) *& ego ipse homo sum*, &c. *n.* 26. Eodem se Petrus loco reponit, quo erat Centurio; ne quid videri Pontifex supra hominem possit. Rectè ad item Magnus Gregor. *Petrus* (inquit) *Auctore Deo sanctæ Ecclesiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio immoderatiùs venerari recusauit, séque illi similem agnouit*, &c. *ad 2. p. Curæ pastor, cap. 6.* An superbè erigeretur potestate in homines habita, qui, ne tumeret, hominem se esse meminerat? id ego pernego.

Act. 10. n. 27.

Benut Princeps nihil humani à se alienum esse putat.

5. Hanc sibi laudem peperit Ozias, qui obortis lachrymis ciues, quasi fratres mulcet. *Æquo animo estote fratres*, &c. Maiórque in viro militari laus est seruatæ modestiæ: quam ego laudo in Duce alio, qui apud Christum, *Homo* (inquit) *ego sum, habens sub me milites*, &c. *Matth.* 8. *num.* 9. Sed quo hosce milites loco habes, bone centurio? addit; *& dico huic: Vade & vadit*, &c. Non iubeo (inquit) vultu contracto, sed moneo ciuiliter; & vnde hæc tibi comitas in iubendo vir optime? *Ego* (inquit) *homo sum*, &c. Scitè admodum Princeps militum. *Quantò enim potestas exteriùs eminet, tantò interiùs premi debet; ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat*, &c. Addit Magnus Greg. *in Iob lib. 26. cap. 23.* Verè Centurio se, ac milites vna, & eadem pensabat trutina, qua Banaias suos appendebat milites 2. *Reg. c. 8. n.* 18. Textus inibi, militúmque census. *Banaias* (inquit) *super Cerethi, & Phaleti*, &c. Præfectus scilicet Banaias militibus fortissimis. Sed Hebræo textu vox hæc *super* erasa est: quod benè Caietanus obseruat: & inde colligit milites fuisse probatæ virtutis, qui præesse, non subesse mererentur; deinde Banaiam modestè se se habuisse, qui milites Princeps militum, commilitones haberet. *Propter eorum eminentiam non dicitur, quòd Banaias fuerit super eos; sed dicitur, Banaias Cerethi, & Pheleti, vt supputentur, tanquam socij*, &c. Bonus omnino Princeps, qui sese aliis adæquat hominibus; nec supra homines, quanuis subditos se esse putat.

Ab humano luto sumit bonus Princeps, ne intumescat.

2. Reg. 8. n. 18.

Milites, vti commilitones habet Princeps bonus.

6. Laus Traiano data à Plinio, qui rerum Dominus sua moderatione, ac popularitate, quoscumque inuitaret homines ad colloquium, nec se hisce hominibus gratiam feciisse putaret. *Copiam* (inquit) *tui, non vt imputes, facis: finémque sermonis suus cuique pudor, non tua facit superbia*, &c. Abeant malè Reges, qui homines reliquos non habent ciuiliter. Rex erat ille, qui ad nuptiarum apparatum parauerat epulum basilicè, apud *Matth.* 22. *num.* 2. Sed & homo erat amans hominum. *Simile est regnum cœlorum homini Regi*, &c. Nec semel Regem Matthæus vocat. *Rex* (inquit) *iratus*, &c. *num.* 7. Subinde addit *n.* 11. *Intrauit Rex*, &c. Ac tandem scenam claudit num. 13. *Tunc dixit Rex ministris*, &c. Sed Lucas Regem tacet, hominem reponit, cap. 14. num. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam*, &c. scilicet ea se moderatione Princeps agebat, vt principatu non intumesceret; sed regno potens sciret se hominem esse: Regem supereesse loco, subesse fortuna homines reliquos; eandem omnibus naturam inesse, quæ ad æqualem vrget æstimationem: & hæc Regis hominis erat cogitatio, cùm cœnam daret. Rex erat ille, de quo Moyses, Deut. 17. num. 15. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere*, &c. Ne tamen regno intumescat, ac insolescat, lex duplex Regem constringit: altera, vt Deuteronomium transcribat, legatque meditatione assidua: altera, vt ciues sibi fratres esse sciat. *Ne eleuetur in superbiam super fratres suos*, &c. *n.* 20. Ita ne Princeps hominum amans esse debet, vt videri frater possit? aio. Nam Princeps, cùm sceptrum capit, naturam non exuit; de qua monetur, ne se efferat superbè. Illud igitur Deus voluit, cùm viues Regum fratres vocat, meminerint Principes, se & homines, & hominum fratres esse; nec sibi quidquam homo arroget supra homines, nec frater super fratres, & verò, si Deus hominum frater & esse, & vocari voluit; quod probat Apostolus 2. *ad Hebr. n.* 11. firmátque sententiam ex *Ps.* 21. *num.* 23. quid Princeps dicat, necesse est? illud secum, ait Philo ad lib. Deca. *Si ille Regum Rex, ac Deorum Deus, ne humillimum quidem hominum contemnit; ego cur inflatus cervicem erigam?*

Matth. 22. n. 2.

Hominem hominibus præstat bonus Princeps.

Luc. 14. n. 16.

Dent. 17. n. 15.

Fratres, Deus vocat homines, vt Princeps eodem loco homines habeat.

Ad. Hebr. 2. n. 11.

Ps. 21. n. 23.

7. Opponas fortasse. Metus est, ne decrescat auctoritas Principum ciuilitate, ac popularitate. An Traianus hac moderatione auctoritatem Imperatoriam minuisse visus est? imò auxit, qua via & Honorius maiestatem fecit augustiorem: de quo Panegyr. ad 6. Consulat.

— Patritiasque domos priuataque vulgo
Visere deposito dignatus limina fastu, &c.

Non minuit auctoritatem Principum ciuilitas.

Exod. 7. n. 1. & 33. n. 1. Num. 12. n. 8 & 27. n. 20.

Hæc in Præfecto comitas amorem conciliat, & laudem parit. quod Moyses probat. Deus Ægypto Moyses erat, Deo dante, *ad Exod. cap. 7. num.* 1. suo cum Deo, vt amicus agebat cum amico, *ad cap. 33. n. 11. cap. 12. num.* 8. Sed modestiam adhuc seruabat humilem, constat id ex Num. *cap.* 27 *num.* 20. vbi Deus Iosum

ſuem populo præfectum creat. Addit tamen: *& dabis illi partem gloriæ tuæ*, &c. Ex Hebræo textu, *de laude, ac deiectione tua*, &c. Eſt enim inibi vox הוד *hod*, quæ *laudem*, ac *deiectionem* ſonat. A verbo ידה *Iadah*, quod eſt, *laudo, ac deiicio*, &c. quaſi Moyſes pro gloria ſuam habuerit, humilémque modeſtiam. Vnde factum ſibi Ducem credebat Hebræus: *Ob id, quod cum Deo loqui ſoleret, & nihilo ſuperbior factus, pium ſe omnibus, ac tractabilem exhibuerit*, &c. ait Clarius. Facilè Moyſes homines licèt humiles, hac modeſtia fratres appellaret: quo affectu Ozias, *Æquo* (inquit) *animo eſtote fratres*, &c. An Princeps contumeliosè vocatus amicè vocat homines, pertinacéſque ciues habet comites? aio; ac deindè addo

Gloria viro bono eſt ſua deiectio.

Laudatur Moyſes à modeſtia humili & ablegata ſuperbia.

PARÆNET. XLI.

Laudari in hominum Præfecto patientiam.

1. SAtis conſtat Oziam morſu graui laceratum eſſe, cùm vrgerentur Bethulienſes fame, & ſiti: quod habes *num.* 13. ſed Princeps optimus nec patientiam abrumpit iniuria, nec vindictam ſumit de licentia, imò ciues, licèt improbos, quaſi fratres habet. Sciebat, quam pateretur fortunam turba hominum miſera; calumniam ſuſtinet patientia nobili, contumeliam deuorat animo facili. Sic Moyſes, etſi morſu petitus, ſilet; nec de populo queritur, cùm ille dentes acuat, & infigat, illud ingerens Exod. cap. 16. num. 3. *Cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* &c. Nam occaſio erat aliquantula obmurmurandi; proindeque tacet Moyſes, nec excandeſcit in vindictam, licèt virga potens. *Cùm reputaret nullam calamitatem eſſe inopia grauiorem, facilè ignoſcebat imperito vulgo*, &c. ait Philo *ad lib. 1. de Moyſe.* Frangendus aliquando eſt populus, trahendúſque ad officium Præfecti patientia, & indulgentia: & quo Princeps magis poteſt, minus ſuam vlciſcatur iniuriam, neceſſe eſt.

Ex 16. n. 3.

Iniuriam Moyſes remittit commiſerans.

2. Fecit id Princeps Dauid generosè, quaſi patientia virtus eſſet Regia. Cùm enim Semeium audiret oblatrantem improbè, *Egredere, vir ſanguinum*, &c. 2. *Reg. cap. 16. num. 7.* vellétque miles hominem obtruncare obloquentem barbarè, *ait Rex: Dimittite eum, vt maledicat*, &c. *num.* 10. Regem textus ſignatè vocat, vbi patientem laudat contumeliæ: quaſi dicat, Regum virtus eſt, malè audire, ac benè ferre; quod Auguſtinus monet ad lib. de Patient. cap. 9. *Poteſtatem* (inquit) *Regiam magis, ac magis adhibuit prohibendo, quàm exercendo vindictam*, &c. ſuam ſcilicet patientiam Dauid læſam reputauit, cùm vrgeretur ad vlciſcendam iniuriam: quaſi vindicta Regem non deceret, quamuis ciues, verè leones pateretur. Doctrinam à patre videtur Salomon accepiſſe. Nam textus eſt 3. Reg. cap. 10. n. 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*, &c. Ad throni ornatum per gradus erant leones, qua aſcenſus ad ſellam patebat. *Et duodecim leunculi ſtantes ſuper gradus hinc, atque inde*, &c. *num.* 19. Noto Regem in loco Salomonem, ſcilicet pacis amantem, vocari non temere, cùm leones ſub pedibus habeat: quaſi Princeps moneat, ſe, etſi petitum, laceratúmque rictu leonino, adhuc Salomonem, adhuc pacis ſtudioſum eſſe, nec hominum inſolentia Regiam frangi patientiam, cùm leones Regem mordeant, ac lacerarent.

2 Reg. 16. n. 7.

Rex eſt, qui ſuam ponit iram.

3. Reges erant, qui Deo aſſidebant ſeniores: *Circumamicti veſtimentis albis; & in capitibus eorum coronæ aureæ*, &c. *Apoc. 4. num. 4.* Sub agno occiſo, quem piè colunt Reges, *Apoc. cap. 5. num. 24.* non poſſunt non dura, & dira pati ab hominibus, quos aduerſa fortuna trahit ad faſtidium obtemperandi. An ferro armata Regum manus erat? imò pacem, ac comitatem ſpirabant plurimam, *circumamicti veſtimentis albis*, &c. comitatémque oſtentabant tormentis muſicis, *habentes ſinguli citharas*, &c. *cap. 5. num 8.* Exarmata igitur Regum manus eſt, ne quid habeant, quo ſuum vlciſcantur dolorem. Sic natura apicularum Regem ſine aculeo eſſe voluit, ait Seneca. *Telumque detraxit, & iram eius reliquit inermem: exemplum hoc Regibus magnis ingens*, &c. *lib. 1. ad Neron. cap. 19.* ſcilicet ne quærant, quo ſuam poſſint iniuriam retaliare.

3.

Ap. 4. n. 4. & 5. n. 24.

Ap. c. 5. n. 8.

Exarmata Regum ira eſſe debet.

4. Iam verò Antiſtes aulæ Apoſtolicæ, Præfectuſque moris publici, longè ab ira, longè à vindicta eſſe debet. Præſcriptum eſt Apoſtolicum ad Tit. cap. 1. num. 7. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, non ſuperbum, non iracundum, non percuſſorem*, &c. & nota eſt intima Paſtoris optimi, qui pro lege debet, & pro grege caput offerre, ſciens alienam à ſacro hominum magiſtro iram eſſe, alienam iniuriarum talionem. Abit Moyſes à caſtris ad ſacrum tabernaculum, vbi Deum oret, ac exoret pro ſalute gentis ſubditæ. Exod. cap. 33. num. 7. *Moyſes* (inquit) *tollens tabernaculum ſuum tetendit extra caſtra procul*, &c. Vox in textu nulla eſt, quæ non euincat mentem viri boni alienam à tumultu eſſe. Milites fugit, fugit Duces, & à caſtris ad Deum transfugit; petitque locum ab apparatu militari longè diſſitum. quod Nilus trahit ad noſtram litem in lib. aſcet. *Oſtendit à tumultu bellico abeſſe Magiſtrum quam longiſſimè oportere*, &c. Quiſquis enim hominibus piè regendis præfectus eſt, licèt pulſatus improbè nec iraſci debet, nec vlciſci iniuriam. Abeat procul à caſtris, ab armis: abſit longè ab ira, à vindicta, quæ boni Præfecti virtus eſt.

Tit. 1. n. 7.

Ex. 33. n. 7.

Præfectum morum iraſci ac perire non decet.

5. Phineam ſacerdotio inſignem Deus voluit, vt potè qui mores caſtos, ſtricto ferro, colendos eſſe docuerit, *Num. 25. num. 8.* Adeſt extemplo Deus, & iubet, vt Phineam Moyſes admoneat: *Ecce do illi pacem fœderis mei, & erit ipſi pactum ſacerdotij ſempiternum*, &c. *num. 12.* addit cauſam rerum. *Quia Zelatus eſt pro Deo ſuo*, &c. Certè virgam permittit Deus, cùm viri iuſtitiam Pontificatu honoratam voluit; virgam negat, cùm pacem commendat ex Sacerdotis officio. *Ecce do illi pacem fœderis mei*, &c. Ad inſtitutum Philo de Temulent. *Germana hæc dixerim, non temerè. Pax, & Sacerdotium; quia ſcio non poſſe fieri verum Sacerdotem, qui adhuc humanam militat militiam, ſed requirì ad hoc virum pacatum, tam alienum à bello, vt perpetuò pacem colat*, &c. Virgam Apoſtolis Chriſtus detrahit; quod Matthæus docet,

Num. 25. n. 8. 12.

Pacem colit bonus Pontifex.

Iniuriam Moyſes remittit commiſerans.

3. Reg. 10. n. 18.

Non irritatur etſi morſu petatur bonus Princeps.

Matth. 10. n. 10. Mar. 6. n. 8. docet cap. 10. num. 10. *Nolite* (inquit) *possidere aurum, neque virgam*, &c. Deinde virgam Magister permittit discipulis, quod Marcus tradit cap. 6. num. 8. *Præcepit illis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*, &c. Sed virgam committit, qua iudex feriat; virgam denegat, qua vindex referiat. Vnde Ambrosius textum explicans, *Vltionis* (inquit) *studia deponite, insolentiam verberantium, non iniuriarum relatione, sed patientiæ magnanimitate supportate*, &c. *lib. 7. in Luc.* 10. Patet igitur absurdam in morum Præfecto iniuriatum talionem esse.

Sacerdos pacis amans esto, ne ferientem referiat.

6. Initiatur oleo, & rore sanguineo Sacerdos Maximus: ad Moysen enim Deus Exod. 29. num. 7. *Oleum fundes super caput eius*, &c. Cum oleo Moyses sanguinem miscet; nam hostia ritè mactata vrget Deus, num. 20. *Sumes de sanguine eius, & pones super extremum auriculæ dextræ*, &c. Scio, quid senserit Oleastrius; illud ego. Sanguinem in auricula ferre Sacerdotem oleo delibutum, vt sciat iram à Præfecto morum vincendam esse generosè, licèt aurem sibi euulsam, & sanguinem contumeliosè expressum doleat. Sanguis enim in auricula contumeliam signat iactam à grege subdito; oleum in capite ostendit patientiam ab hominum Magistro seruatam piè! Ad Magnum Deum remittat Sacerdos vindictam, ac talionem iniuriarum. Potuit quidem Rex Regum Christus, hominúmque iudex illatas sibi iniurias vlcisci, neque enim potestas, nec ratio deerat puniendi; sed apud Ioannem Magister, *Ego* (inquit) *non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet*, &c. Totus est Christus in refutanda contumelia; qua petitus, dolet quidem, sed non pungit aculeo talionis: illud interim, *Ego* (inquit) *dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me*, &c. *Ioann. cap. 8. num.* 49. Quanta in Deo morum Magistro comitas est, qui vindictam iniuriarum ad Patrem mittit Iudicem? Quid Magister optime? nónne *Pater omne iudicium dedit filio?* &c. Iam id olim à te dictum *Ioann. 5. num.* 22. Quid ergo tactus iniuria tuum non punis dolorem? grauiter Magnus Gregorius Hom. 18. in Euang. *Illatas contumelias Patris iudicio reseruat, vt nobis insinuet, quantum nos esse patientes debemus, dum se adhuc vlcisci non vult, & ipse, qui iudicat*, &c. Docet facto Magister iniuriam iniuria retaliandam non esse, licèt Præfectus morum pungatur à grege subdito. Neque enim parcit minori, quàm Princeps, gloria; quandoquidem improbis veniam impetrans. *Assiduum alienæ virtutis spectaculum est*, &c. ait Seneca *lib. 1. ad Neron. cap. 21.*

Ex. 29. n. 7.

Læsus Pontifex talionem oderit.

Ioh. 8. n. 49. & 5. n. 22.

Nescit bonus Præfectus suã vlcisci iniuriam.

7. Opponit Magister sui amans, & honoris appetens, virga potens, sceptróque tumens, minui auctoritatem maximè parientia iniuriarum, & venia facili: quod Moyses insinuat, cùm tradit obmurmurasse fratres Numer. cap. 12. numer. 1. *Locuta est Maria & Aaron contra Moysen*, &c. Addita quasi ratione, cur fratres auderent. *Erat enim Moyses mitissimus*, &c. Acsi vellet, teste Abulensi, *si scirent illum tam mitem non esse, non auderent murmurare, timens vicissitudinem*, &c. *q. 15.* suam ergo bilem Præfectus haberet, necesse est, vt suam tueri auctoritatem possit talionis metu addito. Sed vis argumento nulla est. *Nam potestatis cedit ad gloriam, iniurias vlcisci nolle, cùm possit*, &c. ait Hildebertus *Epist. 51.* Qui morsu petitus, & manu, manum abstinet ab iniuria vlciscenda, trophæum de se erigit; quod multo est gloriosius cùm hostem vincat domesticum, furore victo; nec desit potestas retaliandi. Id verò docet Christus pertinere ad laudem augustiorem. Iubet Magister Dominus Luc. 22. num. 36. *Qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium*, &c. Miratur Ambrosius iussisse Christum seuerè, vt discipulus vendita etiam tunicas, gladium sibi paret; & cùm gladios exerat discipulus num. 38. *Ecce duo gladij*; &c. manu abnuens, Magister dicat: *Satis est*, &c. Illud tamen Christus voluit, petito simul, ac vetito gladio, *vt videar potuisse vindicari, sed noluisse*, &c. sic Ambrosius *lib. 10. in Luc. 22.* ergo, qui iniuriam non vlciscitur suam, cùm possit, auget auctoritatem, non minuit, patientia nobili, animóque facili, quod probat Samaritis.

Luc. 22. n. 36. 38.

Laus est maxima, cùm possis, non vlcisci.

8. Cùm Magistro Deo agit, vti cum Iudæo mulier; adhæc, arguit liberè: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis*, &c. *Ioan. 4. n. 9.* Reddit Christus vultu placido: *Si scires donum Dei*, &c. *num.* 10. Non perdit Christus responso leni, sed magnum sibi honorem parit. Addit enim mulier: *Domine, neque in quo haurias habes*, &c. *num.* 11. Verè laudem, ac honorem conciliat responsum molle, ac ciuile; videt Samaritis Christum à se taxatum respondisse comiter, Dominum recognoscit; quod in proximo non agnouerat: sic Caietanus, *Audita* (inquit) *placita, & mansueta responsione, incipit honorare Iesum*, &c. & erit, qui iniuria retaliata tueri auctoritatem Præfectus velit? fallitur egregiè? Deinde, qui de sua non agit iniuria, nec de vindicta sumenda cogitat, Deum allicit in Iudicem, ac vindicem. Carpunt fratres fratrem hominum mitissimum, *Num. loco cit.* aduolat Magnus Deus, & suum ab iniuria Moysen vendicat. *Quod cùm audisset Dominus, statim locutus est ad eum*, &c. *num. 3. & 4.* Fratréque reos obtrectationum peractos vrget grauiter n. 8. *Quare non timuistis detrahere seruo meo*, &c. Totam iudex iram videtur spirare, vt sua Dei seruo constet auctoritas: & quasi textus causam reddat, cur Iudex Moysen tueretur. *Moyses* (inquit) *erat mitissimus*, &c. sic Abulensis, q. 15. *Tam mitis erat, vt non responderes offendentibus se; ideóque Deus respondit pro Moyse*, &c. In quo felicior hominis, quàm Dei est conditio, cùm Deus, & homo operam sibi præstant mutuam. Taceat igitur quicumque morsu pungitur, manúque pulsatur, si Deum suæ iniuriæ habet iudicem, ac vindicem. Inde nata Cypriano vox est lib. 2. Epist. 9. *Magis optamus iniuriam clementi patientia vincere, quàm sacerdotali vindicare licentia*, &c. Nec minori laudum titulo Ozias, etsi graui pulsatus iniuria, *Æquo* (inquit) *animo estote fratres*, &c. Virtus hæc est Principis optimi: sed culpa est, & mens læua; quod Magni Dei præsidium angustis claudit terminis, illud adiiciens: *& hos quinque dies, expectemus à Domino misericordiam*, &c. Vnde patet

Iohan. 4. n. 9. & 10.

Constantia viri auctoritas responso leni, ac ciuili.

Num. 12. n. 3. & 4.

Qui suam non vlciscitur iniuriam, Deum habet sui vindicem.

Iniuria vinci præstat, quàm vlcisci.

An suam Princeps auctoritatem minuit mitis ingenio.

PARÆ

PARÆNET. XLII.

Præfecturam vel bonis viris ocasionem peccandi esse.

1. HOnores hominibus insidiari putant ad peccandum, qui viros bonos licentia imperandi lapsos, ac relapsos nouit improbè, sumat bonus quisque fasces Rerump. nescio qua vi trahitur, vt credat licere sibi quidquid lubet; posse se, quidquid velit: honore inito, potestatem sibi permissam esse agendi liberè quæ nemo ausit taxare; vnde lapsus in peccatum, ac relapsus est frequens. Docet Caietanus dignitates esse peccandi facultates, & portas è Christo vocatas inferni carceris, cùm laudaret scholam Apostolicam: *& portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*, &c. *Matth. c. 16. num.* 18. Textus est de vi, qua Reges, ac Principes, Duce Diabolo, fidem, ac Dei schola oppugnarunt, licèt non expugnauerint; quod Theophylacto placet, ac Chrysostomo *in Matth. Homil.* 55. Sed hosce Reges appellat Christus portas infernæ custodiæ, teste Caietano, *per quas aditus sit ad inferos; per quas patet infernus omnibus*, &c. Acsi dicat, potestatem, sine Dei metu, agere homines ad fœda, & absurda quæque, vt in Dæmonum carceres labantur via facili.

Matth. 16. n. 18.

Dignitates verè peccandi facultates.

2. Petis fortasse, cur Iacobus à Iosepho euocatus in Ægyptum, graui concussus metu, pecudes mactauerit, Deúmque orauerit? Quòd Iacobus orauerit, hostiásque Deo obtulerit, constat ex *Gen. c. 46 n. 1.* quòd verò timuerit, probat vox à Deo missa ad Iacobum, 1. n. 3. *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere*, &c. Quid à Iosepho pater metuat? Quid à Rege Proregis amico? Quid à turba hominum subdita, & in Iosephi obsequium iurata? Timet Iacobus pater Iosepho, non sibi: quod Philo notat ad lib. de Ioseph. *Nouerat enim honores, ac diuitias insidiari parum cautis mentibus; ideo metuebat filio*, &c. Et quanuis pater sciret Iosephum natura, & doctrina instructum esse ad pietatem, ac religionem, adhuc metus erat, ne Prorex honore susceptо inuitatus prouolaret ad scelera. Hoc animi periculum timet virgo sapiens, quæ ad sceptrum accita cunctatur maximè. Ter vocatur à Christo, *Veni de Libano, veni de Libano, veni, coronaberis*, &c. *Cant. 4. num.* 8. sciebat tamen se cum feris acturam patere belluarum dentibus, & vnguibus: inde enim corona texitur. *De cubilibus leonum, de montibus pardorum*, &c. Vocata silet virgo, inuitata cunctatur: acsi dicat tacens, *Optanda quidem lucra; sed metuendus est lapsus*, &c. sic Gilbertus habet *ser.* 29. Quid ego (inquit) periculo me exponam animi, si honores susceperim? *suspecta mihi lucra sunt; quoniam incertus est prouentus, vicinum propriæ salutis periculum*, &c.

Geu. 46. n. 1.

Metus ab honore inito ingens viro bono est.

Cant. 4. n. 8.

Amagistratu inito patet via in peccatum facilis.

3. An hoc laborant malo Principes maiestatis Apostolicæ? aio, cùm exsplendescant honore augustiori, nec doctrinam facilè capiant. Quare Hildebertus Episcopum ineptè delectum monet, vt deponat baculum, *Epist.* 12. si factus iustè delectus esset ad hunc timendi erat occasio; *alioqui Pontificem creari, est angere discrimen*, &c. scilicet Pontificatu in homines susceptо, licentiam Pontifex agendi concipit; & occasiones alit malè agendi. In hoc metu Augustinus erat, & mirabatur esse homines, qui suam Episcopo fortunam inuiderent, serm. 53. cap. 2. *In ipsis huius mundi prosperitatibus, quibus ingemiscimus, inuident nobis: & ibi nos esse felices putant, vbi periclitamur*, &c. Video Reges, vtique maiestatis Apostolicæ, qui quidem, priusquam Deo se piè iungerent, incensis odoribus, & carminibus editis; *habentes citharas, & phialas plenas odoramentorum*, &c. *Apoc. cap. 5. num.* 8. coronas ex auro factas proiecere; quasi regnandi sarcina deposita. *Et mittebant coronas suas ante thronum*, &c. *cap. 4. num.* 10. vt monerent curas, & cogitationes Rerump. auocare homines à Deo, boníque respectu; proindeque abdicandam thiaram esse, ne pio Reges desint officio. *Quia vt puriores Deo valeant orationes offerre in odorem suauitatis, à cunctis se mundi huius studeant actibus segregare*; ait Petrus Damia. *lib. 1. Epist. 9. ad Nicol. 2.*

Peccandi periculum à Pontificatu

Apoc. 5. n. 8. & 4. n. 10.

A Deo, Deique respectu auocant honores Rerump.

4. Addo, vrgere Diabolum graniùs, quo Princeps vita melior est, ad licentiam peccandi. Vnde bonus quisque timet, quod timere poterat Sacerdotum Maximus; de quo Zacharias ad cap. 3. num. 1. *Ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem Magnum*, &c. Apponítque subinde, *& Satan stabat à dextris eius*, &c. Necesse erat, vt Pontifex graui laboraret metu, cùm staret, instarétque Diabolus, vtique hostis pertinax. Nec minor Theologo Nazianzeno metus erat, si Pontifex crearetur. *Res meo quidem indicio non parua, nec parno metu, & cautione digna*, &c. *Orat.* 1. Qua enim vi Diabolus Sacerdotem visus est premere, hac eadem se Theologus premendum esse putabat, si Antistes fieret. *Hæc* (inquit) *meum deiiciunt animum, faciúntque vt non de præfectura cogitem*, &c. Cur non timeant Principes, si facilè soluuntur in iras, lenocinante potestate? si ineptè eriguntur in superbiam, sella altè posita? si molliter flectuntur in gratiam, metu adulante? Iubet Deus, vt Moyses vi facta Iosuen deligat ad Remp. administrandam. *Tollè* (inquit) *Iosue, in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum*, &c. *Num. cap. 27. num.* 18. Noto vim fieri viro pio ad principatum ineundum; viro scilicet, *in quo est spiritus*, &c. Neque enim præfecturam appetunt, nisi homines spiritu vacui. Sed quare Deus Iosuen vi trahendum curat ad fasces Rerumpublicarum? Abulensis optimè q. 42. *Timere potuerat, quod propter malitiam huius multitudinis, vel modo alio in aliquod peccatum inducerentur*, &c. Possunt boni viri iustitiam, sine modo exercere, ac peccare affectu iustitiæ. Quod vt fugiant, principatum & timent, & fugiunt, adeò, vt vi trahi ad hosce honores necesse fuerit.

Zachar. 3. n. 1.

Sacerdotem vita sanctum granius vrget Diabolus.

Num. 27. n. 18.

Honores appetunt homines virtutis modicæ.

Cur

5. Cur non timeant, si peccant Principes metu concepto, cùm sequuntur furentem plebeculam? An hoc metu tractus Aaron ad vitulum elaborandum? volunt id interpretes communi placito. Nam Hebræus furore amens, *congregatus aduersùs Aaron : Surge*, (inquit) *fac nobis Deos*, &c. *Exod.* 32. Exod.32.n.1. & 4. *num.* 1. & quanuis Pontifex multis egerit, vt auocaret ab insano conatu furentem, ac tumultuantem populum; adhuc vitulum format in Deum, num. 4. *Mortis timore assentiens*, &c. ait Lyra. quo Pontifex suam excusat ignauiam, *num.* 22. Nam, apud Moysen: *Tu* (inquit) *nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum*, &c. Sed præstaret mori Sacerdotem excarnificatum pessimè, quàm populo gratificari in re improba; licèt metus vrgeret multo grauior. Hanc enim viam ineunt viri boni: quod benè Dauid Ps.138.n.17. canit Psalm. 138. num. 17. *Mihi* (inquit) *nimis honorificati sunt amici tui Deus*, &c. & addit proximè, cur viros bonos honore honestatos vellet. *Nimis confortatus est Principatus eorum*, &c. firmo scilicet ad iustitiam affectu constant; nec frangi se, vincíque finunt metu adulatorio. Vnde Pelusiotes vim concepit admonendi lib. 1. Epist. 290. ad Petrum. *Si Dei amicus esse studes, fac robustè præsis*, &c. Ita boni formam serues, vt nullo in gratiam metu remollescas. Hæc profectò virga est, quam manu tenet Rex Regum Apoc. 19. n. 15. Christus Dominus, *Apoc.* 19. *num.* 15. vt gentes idolomania turpes ducat ad fidem sanam: *& ipse reget eas in virga ferrea*, &c. ex Psal. 2. n. 9. *Psalm.* 2. *num.* 9. Id verò est, *Iustitia inflexibili*, &c. Quod Rupertus notat *lib.* 11. *in Apocal.* Hæc item virga est, qua defungi præfectum Rebuspublicis hominem Christus Apoc 2.n.17. voluit, Apoc. 2. num. 17. *Dabo* (inquit) *illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea*, &c. *id est, recta, & seuera iustitiæ disciplina, quæ non citò flectatur in gratiam, vel odium*, &c. ait Rupertus *lib.* 2. Si Ozias hac virga, vtique ferrea Bethulienses regeret, non peccaret. Sed mollis in gratiam hominum Princeps, metúque tactus de Magni Dei subsidio parcè cogitat. *& hos quinque dies expectemus*, &c. Sic emollit tumultuantem populum, sed fœda consensione, & metu lenocinante.

Metu ad peccandum trahitur Pontifex.

Virgam Princeps ne moueat amore, aut odio.

Num. 24 Forsitan indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo.

Num. 25. Si autem, transactis quinque diebus, non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

Commentarius.

71. DVbius de auxilio impetrando videri Ozias potest ex dicendi formula: dubium tamen est, vtrùm verè Princeps dubitet, an Dei opem sub dubio promittat: vt causa dubia ciues excitet ad preces fortiores, pœnitentiámque seueriorem. Hac enim via Princeps Niniuen adegit ad acerbiores morsus conscientiæ, motúsque citatiores pœnitentiæ. *Quis scit* (ait) *si conuertatur, & ignoscat Deus?* &c. *Ion. c. 3. n. 9.* vbi Rupertus lib. 2. *Ambiguum ponitur, & incertum: vt dum homines dubij de salute sunt, non tamen desperent; imò fortiùs agant pœnitentiam, & magis Deum ad misericordiam prouocent*, &c. Sic & Chaldæum inuitat Daniel ad sanam mentem, cùm pauperes stipe collata recreandos esset monet; & apponit: *Forsitan ignoscet delictis tuis Deus*, &c. *c.* 4. *n.* 24. Veniam sub dubio Vates pollicetur, ne languescat Nabuchodonosor ad pœnitentiam scelerum, ad numos largiter diuidendos. Nam qui dubitat de re impetranda, acriori agit conatu. Eò tendunt, quæ à Iohele monentur *cap.* 2. *num.* 13. Excitat ad dolorem scelerum senatum, populúmque Iudaicum: & quo vehementior sit adhortatio, interrogat dubius, *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?* &c. Et hæc quidem sub dubio efferuntur, Salmerone teste, *vt dum homines dubij sunt de salute sua, fortiùs agant pœnitentiam*, &c. *tom.* 1. *proleg.* 11. *can.* 34. & hæc Tertulliano vera est pœnitentia, *vt de periculi timore Deum honoret*, &c. *ad cap. 9. de Pœnit.*

Promissio Dei dubia liberũ probat hominum arbitrium.

Spes venia dubia conatus vrget acriores pœnitentia.

Ion. 3. n. 9.

Dan. 4. n. 24.

Iohel 2. n. 13.

Spes de salute dubia Deum honorat pœnitentia.

Addit Hieronymus loqui Deum sub hac, 72. & dubia formula: *si fortè audiant*, &c. Ierem. 26. num. 3. *Si fortè quiescant*, &c. Ezech. 2. num. 3. *vt liberum hominis seruetur arbitrium, ne ex præscientia eius quasi necessitate, vel facere quid, vel non facere cogatur*, &c. Adest Hieronymo Theodoretus. Iterum Deus ad Ezechielem cap. 3. num. 11. *Vade* (inquit,) *ingredere ad transmigrationem, ad filios populi mei, & dices*, &c. si fortè audiant, & quiescant, &c. Theodoretus inibi. *Per hæc liberam mentis facultatem docet, qua possunt immutari, si voluerint*, &c. An Ozias hoc loquendi modo probat liberam in Deo potestatem indulgendi, & liberam in hominibus facultatem promerendi? cùm dixerit: *Forsitan indignationem suam abscindet*, &c. aio, nec abs re interpretamentum, nec à loco alienum esse.

Ier. 26. n. 3. Ez. 2. n. 3. & 3. n. 11.

Etsi vox hæc *forsitan*, sacro textu non 73. semper dubium inferat significatum. quod benè obseruat Salmeron *loco cit.* & Mendoça latè explicat *tom.* 2. *in* 1. *Reg. cap.* 6. *num.* 5. quo loci Magister meus adducit, quæ proximè affero. Deinde addit *Lucæ cap.* 20. *num.* 13. vbi Pater de Christo, *forsitan, cùm hunc viderint, verebuntur*, &c. Et tamen Pater sciebat certò Christum à Iudæo repellendum esse. quod versat Theodoretus *apud Ezech. cap.* 3. *num.* 11. Firmat, quod volunt interpretes, locus ex *Ioann. cap.* 8. *num.* 19. vbi Chri- Ioan 8. n. 19. stus ad senatum Iudaicum, *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis*, &c. hoc verò est: *vtique, aut certò cognosceretis*, &c. Quis enim aut nescit, aut negat Philosophus ex respectu filij ad Patrem, certò Patrem cognosci? Affirmat igitur in loco vox dubitandi: quod ex Græco textu probat Maldonatus, vbi vox est, ἴσως, Latinis *vtique*. Prosequiturque Ambrosius *ad 2. lib. de Pœnitent cap. 5.* Deinde addit prophanam scholam, hac formula dubitandi, non semper dubitare; & patet ex Homero,

Luc. 20. n. 13.

Vox hæc fortasse, non semper dubitandi vox est.

Homero, quò ego traxerim Virgilium 1. *Æneid.* vbi Troianus ad milites,

Forsan & hæc olim meminisse iuuabit, &c.

ac sub vocula dubitandi affirmat certò iucundos fore actos labores. Itaque videtur Ozias non dubius de venia, sed verè certus promisisse. *Forsitan indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo.*

74. Insinuat gloriari Deum altè; cùm manum addit miseris: & verò hæc Regum iuxtà, ac Dei maiestas est, seruare homines, & vindicare ab aduersa fortuna. Calculum addit Seneca 1. ad Neron. c. 5. *Seruare* (inquit) *proprium est excellentis fortunæ, quæ non magis suspici debet, quàm cùm illi contingit idem posse, quod Diis*, &c. An à Plinio rem excepit Seneca? Certè Plinius lib. 2. cap. 7. *Deus est* (ait) *mortali iuuare mortalem: & hæc ad æternam gloriam via*, &c. Iam Dauid olim à Deo petierat opes auxiliares, ratione addita *Ps.* 113. *numer.* 10. quod vt impetraret Vates, Deum allicit spe augendæ gloriæ inter mortales. *Non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam*, &c. *num.* 9. Tumultuante populo, periclitantibus Iosue, & Calebo, aduolat in auxilium Magnus Deus, Num. cap. 14. num. 10. *Cùm clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini*, &c. Sic Moyses, quasi insinuaret, hac loquendi forma, gloriam Deo esse, quòd homines vindicat ab iniuria; tunc Deum gloriosè stare, cùm præstat subsidium laborantibus ac periclitantibus: nec re alia se iactare altiùs, apud Isa. cap. 4. num. 5. vbi Vates: *Super omnem* (inquit) *gloriam protectio*, &c. Hac in Deum laude concinnata, potuit Ozias multam Bethulienfibus opem, ac veniam conciliare, nisi Dei manum angustis clauderet terminis, & dies quinque assignaret auxilio impetrando. Curta omnino fiducia! quæ Deo legem imponit, vt intra dies quinque obsessis opem ferat; nec vltrà differat, si velit homines piè constantes esse, *si autem non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis*, &c.

Magni viri est seruare homines alios.

Ps. 113. n. 10.

Num. 14. n. 10.

Is. 4. n. 5.

75. Sed prudens, prouidénsque Princeps lenit, mora interposita, furentem plebeculam, nec omnino id negat, nec omnino id permittit; quod prudens, rerumque humanarum sciens differt. Dum enim cunctatur Ozias, remittit furor debacchantis populi. Et hæc Sapientiæ laus magna est Prou. cap. 29. num. 8. *Homines pestilentes ciuitatem dissipant; sapientes verò auertunt furorem*, &c. Vrbem susurrones interturbant, & ignes dissensionum dicto, quasi vento, excitant; est enim in loco vox Hebræa, נפח *Iapach*, scilicet *efflo*, & *suffio*. Sed viri prudentes, prouidentésque seditionem à sannionibus excitatam sedant sua gratia, & eloquentia. Illud ex loco habeo, orasse Oziam luculenter, ac persuasisse dictione, cùm Bethulienses ne verbum quidem addiderint. Aut enim virtus est eloquentiæ, qua Princeps leniuit furentes homines; aut querimonia latè peracta, mitigatus est dolor gentis vniuersæ. Verè docet Pelusiotes *lib. 3. Epist.* 8. *ad Aphrodisium, Silentio ingrauescit calamitas*, &c. si qua te fortuna premit, nec habeas quo cum tuum amicè dolorem diuidas, calamitate denarrata, labores multo grauius, grauiúsque doleas necesse est. Dolorem ex aduersis conceptum vt minueret, loqui Iobus voluit, quæ patereturcap. 10. num. 20. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur breui?* &c. Actum de me est, cùm dolor premat grauiter: *Dimitte ergo me, vt plangam paululùm dolorem meum*, &c. Hebræo textu, *vt refrigerem.* Nam vox Hebræa in loco רגה *balag* vtrumque sonat, *ploro*, & *refrigero*. Quasi ploratus querendo editus dolorem restinguat. *Est quædam etiam dolendi voluptas, præsertim si in amici tui sinu defleas*, &c. Ait Plinius *lib. 8. Epist. 16.* eáque via difflatur dolor; grandescit verò, si quis suam animo tegat ægritudinem.

Dei laus est ab hominibus seruandis.

Dolorem minuit explicata calamitas.

Pr. 19. n. 8. *Miscent vrbem susurrones.*

Iob. 10. n. 20.

Fletu dolor minuitur.

76. Quod vt significaret Vates, docet pressos malis homines, aut vastis in locis mansuros esse. *Erunt in montibus, quasi columbæ*, &c. *Ezech. cap. 7. num. 16.* aut tecturos animo intimo, quæ dolerent: sic Nahum capio. *Gementes* (inquit,) *vt columbæ, murmurantes in cordibus suis*, &c. *cap. 2. num. 7.* Neque enim auderent palàm queri, ac narrare, quæ hostis inferret. An acerbior esse fortuna poterat? negat Pelusiotes lib. 4. Epist. 110. ad Leont. Episcop. *Qui enim clamant, & angores animi sui ad proximos efferunt, ij non exiguum percipiunt solatium, & leuamentum; nam quodammodo leuiora fiunt narrando mala quæ nos cruciant*, &c. Itaque è columbis aliæ non hominibus, sed scopulis referunt, quæ dolent, inde nullum capiunt solatium; ingemiscunt animo columbæ aliæ, ne malè pereant, si contingat queri propalam: acerba vtroque malo fortuna gentis captæ ab hoste Chaldæo. *Plorans enim plorauit in nocte*, &c. *Thren. cap. 1. num. 2.* Cur Hebræus non deflet mero in meridie, sed luctum circumscribit nocturnis tenebris? Paschasius optimè. *Quia in die nulla dabatur illis requies, saltem vt suis consolarentur lachrymis*, &c. *lib. 1.* Subtraxisse Hebræo Chaldæum video, quod natura permittit solatium miseris hominibus; scilicet vt fleant liberè, ac querantur de sua miseria. Nam flendi, querendíque potestatem pro solatio habet Nazianzenus, cùm Theologus carmen pangit de suis calamitatibus, causam reddit,

Nah. 2. n. 7.

Leuatur nasratu malâ fortuna.

Thr. 1. n. 2.

Et luctum lenire solet narratio luctus.

Sauit hostis cùm non sinit flere.

77. Petunt viri boni, cur virgo petierit à Patre Iephthe, fineret se bimestri flere, quam ferro necem passura erat? Iud. cap. 11. numer. 37. *Dimitte me, vt circumeam montes, & plangam virginitatem meam, cum sodalibus meis*, &c. Dolebat virgo se ætate adhuc tenera mactandam esse, acerbam adeò fortunam, vt leniret, non syluis, scopulísque referre voluit; sed virginibus, quas secum in montes duceret; id enim solatij loco habet, quod fatum acerbum in amico virginum comitatu dicat, ac fleat. *Cum sodalibus* (inquit) *meis*, &c. Vnde credit Bernardus Christum sponsa amicè correpta. *Si ignoras te, egredere, & abi*, &c. *Cant. cap. 1. numer. 7.* abiisse procul à loco, vt familiares dolentem ex sponsi morsu virginem solarentur hisce verbis: *Muranulas aureas faciemus tibi*, &c.

Iud. 11. n. 37.

Solatium est misero in amici manu, sinuque lugere.

Cant. 1. n. 7.

num. 10. Deinde ceſſiſſe loco Magiſtrum Deum, vt locum daret querelis mouendis, ad ſolatium querentis animi. *Vt illa, ſe abſente, loqueretur liberè, quæ ſentiret*, &c. *ſerm.* 42. Solatium haud leue eſt poſſe hominem acerbè pulſatum ſubqueri liberè de flagro, & clamare ad ictum; à gemitu, à querimonia ſolatium captat vlulans ille, & gemens, & mugiens inter manus Medici; quas, dolore iam ſedato, & laudat artifices, & ſæuas negat: mulcetur gemitu, digeritúrque dolor. Sed lineam repeto, quæ ſpem veniæ facit dubiam, cùm dicat Princeps: *Forſitan indignationem ſuam abſcindet*, &c. Et inde moneat

Miſeriam eleuat querimonia de miſeria.

PARÆNET. XLIII.

Spem ſalutis metu damni temperandam eſſe.

1. PEriclitantur homines fiducia in Deum nimia: & inde parant ſibi licentiam peccandi, vnde maior eſt ratio obſequendi. An Dei bonitas locum facit patrandis ſceleribus, eo quòd ſcelerum ſit longè, latéque patiens? Sed turpes vita homines peruertunt rationes agendi; occaſionéſque peccandi captant, ex boni Dei patientia, indulgentiaque perpetua. *Certi enim de indubitata venia delictorum, medium interim tempus furantur; & commeatum magis faciunt delinquendi, quàm eruditionem non delinquendi*, &c. Quod Tertulliano minus placuit, *ad c. 6. de Pœnit.* Tonabat in aures tuba prophetica, imò querimonia de ſcelerum patientia, qua Deus ſibi detrahit quodammodo. Vnde Vates Habac. 1. num. 2. *Vſquequò* (inquit) *Domine clamabo, & non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis?* &c. Sic Deus tacet, & conniuet quodammodo, cùm ſuam non vlciſcitur iniuriam, proindéque Dei patientia hominibus improbis occaſio peccandi eſt; addit Vates n. 4. *Propter hoc lacerata eſt lex*, &c. & quidem Tertullianus Idolomaniam hac vna Dei patientia commendatam, & prouidentiam rerum ſublatam putat. *Plures enim Dominum idcirco non credunt, quia ſæculo iratum tandiu neſciunt*, &c. *ad cap. de Patient.*

Abutuntur peccantes homines Dei patientia.

Habac. 1. n. 2.

An ſibi Deus ſua nocet patientia.

2. Sed Apoſtolus vrgebat inde hominem peccantem liberè, ne Dei bonitatem faceret lenam Diaboli. *An diuitias* (inquit) *bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* &c. *ad Rom. 2. num. 4.* Contemptu ſcilicet boni Dei eſt relapſus in ſcelera, ſpe concepta veniæ. Quis, niſi inſanus homo, peccara peccatis addit; eóque promptior ad peccandum eſt, quo largior ad condonandum eſt Dei bonitas? *Theſaurizas tibi iram*, &c. ait Apoſtolus *n. 5.* quiſquis ex bona Dei indulgentia trahis audaciam peccandi: quod explicat Magnus Gregor. Hom. 11. in Ezech. *De benignitate* (inquit) *omnipotentis Dei iram ſibi improbus theſaurizat, qui dum ad pœnitendum tempus accipit, & ad peccandum exhibet, ipſum remedium gratiæ vertit in augmentũ culpæ*, &c. Læua omnino eſt mens hominis, qui peccat audax vna Dei patientia; iuſtitiã enim prouocat, dum bonitatem contemnit. Sed nemo idcirco deterior ſit, *quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur*, &c. Addit Tertull. *ad c. 7. de Pœnit.* Quaſi moneat læſam Dei patientiã verti aliquãdo poſſe in furorem; quo iudex vlciſcatur contemptũ paternæ bonitatis. Neque enim Deus adeò benignus eſt Pater, vt non meminerit ſcelerum ſe Iudicem, ac vindicem eſſe; ait Cyprianus lib. 2. Epiſt. 7. *Deus* (inquit) *vt eſt indulgens, ita eſt legum ſuarum exactor, & diligens*, &c.

Rom. 2. n. 4. & 5.

Ex largiori Dei patientia accreſcit vindicta in peccatores.

In Deo lenitas & ſeueritas æquo iure habent in ſalutem.

3. Ac ne quis Deo ita fidat, vt non timeat, vtráque in Deo rationem, fidendi ſcilicet, ac timendi, canit Dauid Pſ. 100. n. 1. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*, &c. Vtrumque verò bonũ cecinerat *Pſ. 32. n. 5.* vbi Deum laudat, quippe qui *diligit miſericordiã, & iudicium*, &c. ſcilicet, vt moneret, miſericordiã cum iudicio laudatam eſſe. *Ne miſericordia ſola ſupinitatẽ, lentorémque animæ ingeneret*, &c. ait Baſilius. Sciebat Dauid quid facto opus eſſet, ne peccarent homines ſpe in Deũ nimia: laudat Magni Dei indulgentiam, nec minus laudat iuſtitiam, ne maior ſit peccandi licentia aditu ad veniam facili. *Quaſi eo ſibi nunc pateat ad delinquendum, quo patet ad pœnitendum; & redundantia clementiæ cœleſtis libidinem faciat humanæ temeritatis*, &c. Sic Tertullianus *ad c. 7. de Pœnitent.* Nónne ſpem metu Deus Magiſter eleuat, ac minuit cùm Virgines domo pares admittit, pares excludit? *Matth. 25. num. 10.* ſeruos numis verſandi bonos laudat, ſeruúmque ignauũ trudit à ſe procul *n. 13.* Hoſpites menſa exceptos Baſilica honorat, hominẽque malè veſtitũ reiicit in carceres tenebricoſos, *Matth. 22. n. 13.* Mitte plura, quæ ſpem ſimul, & metum pariunt. Sed addo gaudere Deum clementiæ, iuſtitiæque nexu, vt ſpem veniæ temperent dãni metu peccantes homines, ſcilicet, ne quo maior eſt Dei bonitas ad indulgendam veniam ſcelerum, eo fiat ad peccandum audacior improbitas hominum.

Pſal. 100. n. 1.

Pſal. 32. n. 5.

Conueniunt in ſalutem hominum Dei benignitas, & ſeueritas.

Matth. 25. num. 10. 13. & 22. n. 13.

4. Quo metu ſuã Abrahamus ſpem temperaſſe viſus eſt. Abit ad puteum à iuramento inito denominatum, Gen. 21. n. 33. *& inuocauit nomen Domini Dei*, &c. Vtramque in Deo vim agnoſcit bonus homo; & qua bonitas amari, & qua timeri poteſtas debet, eſt enim Deus æquè Pater, ac Dominus. Et hæc Abrahamo erat meditatio perpetua, ne qua Deo nixa ſpes, ſine metu Domini, ineptè erigeret. *Eſt autem* (Philone teſte) *maximum animæ bonum, de vtrauis Regis potentia non dubitare*, &c. *ad lib. de agricult.* Ab Abrahamo Dauid accepit, vt peccati reus paratam ſuo pretio mactaret hoſtiam; *& non offeram* (inquit) *Domino Deo meo holocauſta gratuita*, &c. 2. *Reg. c. 24. n. 24.* Neceſſe erat, vt ſpe, & metu Dauid preces faceret, vbi Princeps facti pœnitens fatebatur, num. 10. *Peccaui in hoc facto*, &c. Oportebat, vt Deo fideret, Dominúmque timeret, ac proinde vtrumque nomen Dauid explicat, *vt non offeram* (inquit) *Domino Deo meo*, &c. Sic ſpes, ac metus coniurãt amicè in ſalutem hominum.

Gen. 21. n. 33.

Nemo ſanctè viuit, qui vtramque non miſcet poteſtatem Dei, ac Domini.

2. Reg. 24. n. 24.

Petis, cur Deus ita minetur Niniuitis per Ionam cap. 3. num. 4. *& Niniue ſubuertetur*, &c. vt non meminerit de venia indulgenda, ſi pœnitentiam agerent: ſed

Ion. 3. c. 3. n. 4.

ſed cauſam in dubiis repoſuerit? Occurrit bene Chryſoſtomus ad Hom. 10. de Pœnit. *Vrgeri volens timorem, & ipſos morderi ſua pigritia, id effecit*, &c. Sciebat Dominus ſpe nimia peccare homines liberè; veniam ſinu tegit, & ſpem, metu iniecto, minuit, vt ciues morſu ad pœnitentiam grauiori vrgerentur, quo metus eſſet grauior, nec ſpes certa de venia impetranda. Perire Chaldæus poterat fiducia in Deum grandi. Ne hoc periret malo, effecit Daniel promiſſa in dubium venia ſcelerum. *Forſitan ignoſcat delictis tuis Deus*, &c. *Dan. 4. num.* 24. Monuerat Vates, vt ſtipe erogata iuuaret pauperes, ſi Deum piè lenitum vellet; ſed veniam certò non promittit, quod Saluianus expendit *ad lib. 1. de Eccleſ. Cathol.* inibi Antiſtes. *Quod dixit, forſitan, ſpem indicat, ſed fiduciam non polliceatur: dat conſilium de actu, & tamen dubitat de effectu: hortatorem ſe agendi, non impetrandi auctorem facit*, &c. & quod ego puto, ſatis inſinuat, ita Deo fidendum eſſe, vt metu pungatur quiſquis peccat; neque enim Deus ſinit blandiri peccantibus ſpem veniæ, ſine metu iuſtitiæ: quo aſpectu Princeps Bethulienſibus ſpem oſtendit, ſed metu dubiam: *Forſitan indignationem ſuam abſcindet*, &c.

Spes metu miſcenda.

Dan. 4. n. 24.

6.

Nec meus Chriſtus Latronem ſeruat alterum, & damnat alterum; niſi vt ſpem ſalutis metu damni temperatam promoueat. Abſurda hominum ſpes eſt, quæ alterum ſine altero latronem reſpicit, & qua peccati reus peccat iterum, opem ſibi concilians à ſera pœnitentia. *Noli huic tam periculoſæ expectationi credere temet ipſum*, &c. ait Bernardus *ad ſerm. 38. ex minor.* Acſi dicat: Rarum quidem opus eſt, quòd latronem Deus vnicum à Cruce in cœlum traduxerit: ſed quòd rarò fit opus, argumento eſſe non poteſt, vt pecces ſpe concepta veniæ: an tibi peccator ſpes blanditur, quam iureiurando Chriſtus firmat? *Amen dico tibi, hodie mecum eris*, &c. *Luc. 23. num.* 43. Sed inde colligit Salmeron veniam, ſera pœnitentia ægrè partam eſſe. *Promittit cum affirmatione; tam inſignis enim peccator vix crederet dandum ſibi paradiſum*, &c. *tom. 10. tract. 40.* & cùm latronem Iudex alterum à Cruce trudit in tartarum, fide peccator, & time: ſiue quæras veniam ſceletum, ſiue poſcas remedium calamitatum. Quanuis Ozias credat ſuam Deo gloriam conſtare, cùm opem ferat miſeris hominibus. *& dabit gloriam nomini ſuo*, &c. & verò puto ego

Nemo ſalutis curam differat in poſterum.

Luc. 23. n. 43.

Nemo de latronis ſalute ſpem concipiat improbã.

PARÆNET. XLIV.

Seruatorem hominum magna frui gloria.

1.

ORnamentum ſibi magnúmque nomen parat, qui ſeruat homines, aut emendata fortuna, aut iniuria condonata. Cæſarum hæc eſt laurea melior, ſcilicet *Corona ob ciues ſeruatos*; probat enim, quo Cæſar animo in ciues eat. Laudat ciuicam Naſo *ad 3. & 1. de Triſt.* & quidem *ſeruat nemo, niſi maior*, &c. ait Seneca 1. *ad Neron cap. 25.* Quiſquis fortuna preſſus, metúſque fractus dolet, ac

Maior eſt Princeps qui ſeruat, quàm qui perdit homines.

Veloſ. in Iudith.

ſeruatur: *in Seruatoris ſui gloriam viuit*, &c. Pulchrè Seneca philoſophatur: nam qui ſeruat homines, oſtentat glorioſè, aut quo excellit animo, ſui victor; aut quo flagrat affectu, curator humanæ ſalutis. *Ciuicam ab humano genere accepit* Octauius, Iano ad bellum clauſo, tradit Plinius *lib. 16. cap. 4.* Potiori tamen iure hanc ſibi parat ciuicam meus Chriſtus, vtpote ſeruator humani generis: *Quia nihil tam dignum Deo, quàm ſalus hominis*, &c. ait Tertullianus 1. *aduerſùs Marcion. cap. 27.*

Salus hominum eſt Dei maieſtas.

2.

Renuntiat paſtoribus Angelus gaudium terris natum, Luc. cap. 2. num. 11. *Natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus*, &c. Nec Deum cantat maximum, nec rerum conditorem optimum, nec fœtum notæ diuinitatis, ſed infantem pannis tectum, & inde Saluatorem hominum. *Natus eſt vobis hodie Saluator*, &c. Hoc in primis, illud reponit in ſecundis, *qui eſt Chriſtus Dominus*, &c. Quaſi maior Deo ſit maieſtas ſeruare, quàm regnare. Laudauerant comites infantem Deum altè, ac latè de apparatu maieſtatis pluſquam humanæ, cùm dicerent choris alternis, *Gloria in altiſſimis Deo*, &c. *num.* 14. ſed glorioſius infantes Chriſtum laudarunt, quod apponit Dauid Pſalm. 8. n. 3. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*, &c. vbi Magiſter Deus Ieroſolymam adiit pueris clamitantibus, *Hoſanna in altiſſimis*, &c. *Matth. 21. num.* 10. Id enim eſt, *ſalua, obſecro*, &c. Magnam quidem laudem cecinit chorus Angelicus de Magni Dei aula imperatoria: *ſed laus iſta fuit perfecta, quando pueri clamabant, Hoſanna, id eſt, ſalua, obſecro*, &c. ait Lyra: vnde colligo auguſtiorem Deo nomenclaturam dari ab hominibus ſeruandis, quàm ab apparatu celebratæ maieſtatis. *Nihil enim dignius creatore, quàm creaturæ ſuæ curare ſalutem*, &c. notat Hieronymus *in 1. caput ad Roman.*

Minor Deo laus eſſe regnare, quàm ſeruare.

Luc. 2. n. 11.

Pſ. 8. n. 3.

Matth. 21. n. 10.

3.

Certè Deus, cùm iuuat homines, ac ſeruat à fortuna qualicumque; tunc ſe putat Regem, Dominúmque eſſe. Cecinit Dauid hanc Deo gloriam, cùm lyram pulſauit Pſalm. 67. n. 20. *Benedictus* (inquit) *Dominus die, quotidie*, &c. Affectus piè Vates eſt, cùm Deum perpetuò laudandum eſſe docet, Dominúmque appellat glorioſè: cauſam verò addit n. 21. *Deus noſter, Deus ſaluos faciendi, & Domini, Domini exitus mortis*, &c. Ab hominibus ſeruatis nomen ſibi, ac decus facit Magnus Deus; inde ſcio appellatum dominantium Dominum, vnde ſalutem parauit gens humana. Iam verò Deus apud Iſaiam cap. 43. n. 11. *Ego ſum*, (inquit) *ego ſum Dominus; & non eſt abſque me Saluator*, &c. Iactat Deus poteſtatem dominandi, eo quòd ſtudet hominibus latè ſeruandis: quaſi id ſibi officium & gratioſius & glorioſius eſſe probet. Accedit Zacharias *c. 9. n. 9.* Deúmque Regem dicit, & Saluatorem tranſnominat. *Rex* (inquit) *tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator*, &c. Hoc enim Chriſti regnum eſt, ſeruare homines, leuare miſeros, iuuare pauperes, humanámque gentem vindicare à fortuna qualicumque.

Pſ. 67. n. 20.

Iſa. 43. n. 11.

Zach. n. 9. 9.

Nec ſe titulo Regio dignum eſſe credit, niſi priùs ſalutè peregerit humani generis. Abnuit

alibi honorem Regium, admittit alibi. Committo loca, vt inde colligam, quo id iure factum. Mensam hominibus apponit Christus: epulo recreantur homines, & inuitantur, vt Christum sibi Regem constituant, apud Ioan. *cap. 6. num. 15.* Christus verò *fugit iterum in montem*, &c. Id quidem rectè; nondum enim confectum erat facinus humanæ salutis; ac proinde titulum abnuit Regium. Admittit verò, vbi Crucem Deus subit: nónne erat inibi, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*? &c. ait Ioannes *cap. 19. num. 19.* nec titulum Christus abigit honorarium, nec se hominum Regem esse negat: imò vrget, vt negantibus dicat iudex: *Quod scripsi, scripsi*, &c. *num. 22.* scilicet videri voluit nomenclatura dignus Regia, cùm salutem peregisset humani generis, vita piè donata, & condonata iniuria. Quo iure meus Iesus apud Ioannem *est Princeps Regum*, &c. *Apoc. 1. num. 5.* Sed vbi Seruator hominum *lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo*, &c. satis admonens, se altè, famáque nobili erectum esse, ob homines seruatos: nec, nisi re benè gesta, gratum sibi, iustúmque principatum esse.

Ioan. 6. n. 15. *Rex verè est, qui seruat homines.*

Ioan. 19. n. 19. 22.

Apoc. 1. n. 5.

5. Hoc aspectu, quidquid agit, causa humanæ salutis id sibi lucrum esse putat. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, &c. Cant. 4. n. 6. ait Pastor hominum Magnus Deus *Cant. 4. n. 6.* Vtique viâ adornat, vt virginem ab ipsis, victimísque Dæmonũ ad fidem traducat, & religionem; sonat textus Hebraicè, *Vadam mihi*, &c. Ita ne bone Pastor, quæ ad sanãdam, seruandáque virginem piè facis, hæc tibi lucra esse putas, & doces? Cur non ita? Monet Gilbertus *serm. 28.* Pastorémque loquentem inducit. *Mibi dulce, mihi iucundum est, quod ad illam vado*, &c. Quanta Deo voluptas de salute hominum, vnde suum sibi regnum condit? Ita tamen Dauid iam cecinerat *Psalm. 97.* Deum inducit Vates Seruatorem hominum, vbi Pater Christum misit ad homines, causa humanæ salutis. *Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam*, &c. *n. 2. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri*, &c. Quòd promissis Deus stetit Christo in terrã misso, iustitia quædam est: quòd omnes omnino homines voluit saluos fieri, summa est bonitas. Sed quid vox illa sonat? *saluauit sibi dextera eius*, &c. *n. 1.* Sonat salutem humani generis bonam Deo fortunam esse. Vnde Basilius de bono Deo illud ingerit. *Immensa vsus benignitate hominum vitam docet sunm esse commodum: propterea non dicit, saluauit eos, sed saluauit sibi*, &c. Video, quo iure dixerit Hildebertus Epist. 33. *Officiosissima est hominibus Dei gratia, & velut in eorum iurata obsequium*, &c. Ita se Deus addixit hominibus adiuuandis, vt videri velit facere ex iustitia, quidquid facit ex gratia. An suum curat lucrum, dum curat salutem hominum? Curat, vt credas. Ac proinde Ozias vt Bethulienses erigeret in spem veniæ, & gratiæ, exponit, quantum inde lucri Deo accedat: *& dabit gloriam nomini suo*, &c. & quidem, teste Seneca ad Neron. lib. 1. c. 25. *Felicitas est, multis salutem dare, & clementia mereri ciuicam*, &c. scilicet offensarum acerbitate deposita. Ad metam propero; illudque verso, quàm rerum sciens Ozias lenierit commotum populum, tumultu paulatim mitigato. Neque enim dolentibus, ac furentibus hominibus sese opponit pertinaciter, sed quædam ait, quædam negat, vt tumultuantem plebem reuocet ad rationes bene agendi: norunt enim viri magni

Quod hominibus Iesus facit, id Seruator suum dicit lucrum. Psal. 97. n. 1. 2.

Officiosè Deus prodest hominibus.

PARÆNET. XLV.

Curari benè vitium pia astutia.

1. SCitè Dauid ad regni fasces optat, & quærit viros manu strenuos, & consilio bonos, vt conficiat virtus mascula quod monet prudens cõsultatio. Stat res summa vtroque præsidio, quod in rerum administro, morumque Præfecto Vates laudat, Psal. 59. n. 4. *Ephraim* (inquit) *fortitudo capitis mei*, &c. Psal. 59. n. 4. Græcis enim sonat, *Virtus Ducis mei*, &c. Et eruitur à verbo ראש *rosc*, quod Ducem, capútque significat. Ac si nemo ducat benè populos, rebusque publicis rectè prouideat, qui non sit felix sano cerebro; ac nemo imperio valeat, qui non valeat ingenio. Quæ Dei sedem circunstant animalia, Regésque loco superant, Apoc. 4. n. 6. *plena oculis ante & retro*, &c. signant homines præfectos hominibus, qui principatum siue sacrum, siue profanum administrant. Cur tam multos habeant oculos? nisi velis quod Rupertus *lib. 3.* Præfectos hominum egere sano cerebro, & maturo consilio, vt rectè suum faciant officium. *Quia quique Prælati, si legitimè præsunt, tam in externa actione, quàm interna contemplatione, cauti sunt, & prouidi*, &c. Rectè monet, cùm sit aliquando opus, vt Princeps, morúmque Præfectus, actu pio, curet vitia debacchantis plebeculæ. Ars est, prudentia est, cùm præfectus hominum dolores fallit promissis, libidines mora distrahit, furoréque mulcet locis mutatis: quædam permittit, quædam negat, vt paulatim frangat vires scelerum, dum pio fallit dolo affectiones appetentis animi.

Bonus est Princeps, qui multo valet cerebro.

Apoc. 4. n. 6.

Bene prouidet, qui bene prauidet.

2. Prudens admodum est Pontifex in sedanda plebecula ad Idolomaniam excitata. Sic Hebræus ad Sacerdotem Max. *Surge*, (inquit,) *& fac nobis Deos*, &c. *Exod. cap. 32. n. 1.* Exod. 32. n. 1. 2. Furit omnino populus, debacchatur, ac tumultuatur. Furorem vt fallat Pontifex, mora interposita, petit aurum ab hominibus; & quod multo est grauius, vxorum inaures, virginum lenocinia, & ornamenta iuuenum. *Tollite*, (& vox hæc vim sonat) *Tollite* (inquit) *inaures aureas de vxorum, filiarum, & filiorum vestrorum auribus, & afferte ad me*, &c. *num. 2.* Opponit difficultates Pontifex, vt dum aurum vi cogunt homines, imponat moram furentibus; quo vsque tandem Moyses reueniat, & furentes compescat homines. Hac vna, piáque astutia furores hominũ curare voluit Pontifex, sed non potuit: quod Lyra notat. Vnde monet Oleastrius, cùm mores formet. *Adnersùs illum, contra quem vi nequis agere, optimum*

Ægrè mulieres deponunt lenocinia.

Fallenda pio æstu est libido hominum.

optimum est amari æstutia : & summa prudentia est, ab eo, quem æstu libidinis incensum videris, difficilia petere ; vt sic rerum difficultate retractus ab incepto desistat, &c. Quòd si neque hac via langueſcant furores hominum, ars est mutare loca.

3. Ardet ad vindictam schola Apostolica, & cùm Magistri causam tueri volunt discipuli, suam vlciſci conantur iniuriam. Sensit Magister Deus, quo in affectu essent homines, spirantes naribus ignes, dictísque auertit acerbis, Luc. 9. num. 54. *& conuersus increpauit illos*, &c. sed fremere adhuc videntur Apostoli ; quare, Magistro iubente, *abierunt in aliud castellum*, &c. *n.* 56. sciebat Magister optimus furorem hominum mitigari, nisi mutarent loca, non posse; iubet, vt locum fugiant, & occasionem tollant irascendi : quod obseruat Petr. Damiani Epist. 7. ad Firminum Episc. *Abierunt in aliud castellum ; acsi non lingua, sed opere loquerentur : Date locum iræ*, &c. sic falli solet furor locis mutatis distractus: quæ boni Magistri ars est. Lego Christum persæpe abiisse ab oculis hominum, cùm maximè furerent, ac debaccharentur. Magistrum ciues de saxo deiectum volunt: sed Lucas ad cap. 4. num. 29. *Ipse* (inquit) *transiens per medium illorum ibat*, &c. Ioannem Herodes interficit, Matth. 14. num. 10. *Quod cùm audisset Iesus, secessit inde*, &c. terram fugit mari transmisso. Quæsitus ad necem Christus, Ioann. cap. 10. num. 39. *Abiit iterum trans Iordanem*, &c. Mitto loca plura, quò Magister abiit, hominum furorem longè fugiens, vt absens falleret. Neque enim vir apprimè sciens opponit se furentibus ; sed qua potest via, subtrahit ; & sibi consulens, ne pereat, & aliis prouidens, ne perdant. quod Ozias in loco fecisse visus est, cùm moram tumultuantibus interponit. *& hos quinque dies expectemus*, &c. scilicet, mora interiecta, difflatus elangueſcit furor.

Trudenda irascendi occasio.

Luc. 9. n. 54.

Luc. 4. n. 29. Matth. 14. n. 10.

Io. 10. n. 39.

4 Hoc æstu fallit Moyses turpes appetitiones militis. Iubet è Deiscito, ne quis mulierem bello captam ducat vxorem, nisi post mensem. *Sedens* (inquit) *in domo sua flebit patrem, & matrem vno mense ; & post hæc intrabis ad eam*, &c. *Deut. 21. num. 13.* Multus est apparatus ceremoniarum, multa flendi mora, priusquam Hebræus mulierem sibi adamatam ducat in matrimonium. Causa verò cunctandi non vna est. Apud Clementem Alex. 2. *strom. cap.* 8. Venerem ea mora fallendam esse docet Moyses. *Non permittit explere voluptatem ; sed spatio præstituto cupiditatem resecat*, &c. scilicet castigatum, matrimonio ritè contracto, voluit abusum libidinandi, & ementiam amandi sedatam, mora interposita. Addit Philo pulchrum Deiscitum esse, *quod amorem examinat, num merè sit furiosus : ratio enim concupiscentiam cohibet, ne quid agat insolentius*, &c. *ad lib. de Charit.* sic Deus morum Præfectus Optimus, dum moras nectit amantibus, furorem lenit: & fallit amandi. Non interscindit vno ictu appetitiones hominis ; sed ait, & negat ; pióque æstu moderatur, vt amantem, & inde amen-

Deut. 21. n. 13.

Fallendus mora amor est, imò furor.

Festinat malè furor, cunctatur ratio.

rem, hominem traducat ad rationes castè viuendi.

5. Multa Pædagogus hominum concessit, vt multa subtraheret, prudenti consilio. Vnde Hebræum aris, victimis, lotionibus occupatum voluit, quod toto constat Leuitico, vt cessarent à sacris Dæmonum : quod enim Hebræus gentilismo acceperat, non facilè eraderet, & quod annis plurimis hauserat, non citò detergeret. *Pædagogi igitur, ac Medici more, patrios ritus partim subtraxit, partim concessit ; neque enim facile est ab iis, quæ longo vsu firmata sunt, ad alia transire*, &c. ait Nazianzenus *Orat.* 38. Pulchrè ad rem meam, qui velim curari benè, pia astutia, affectiones humanæ improbitatis ; nec tolli motu subito, sed falli mora lenta : partem Deus permittit, vt partem neget. quod Iacobus Ierosolymis fecisse visus est. Quæsitum concilio Apostolico est, circuncidi ne oporteret, an non, qui fidem susciperent? motis calculis rationum, negat id Petrus de Cathedra Act. cap. 15. numer. 10. *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum*, &c. Nec à Petro dissentit Iacobus Ierosolymis præfectus Antistes: sed addit num. 19. *Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum ; sed scribere, vt abstineant se à suffocato, & sanguine*, &c. Hæc quidem Moyses imperauerat, ad Leuit. cap. 7. numer. 27. ad cap. 17. numer. 10. ad cap. 19. numer. 22. *Non comedetis cum sanguine*, &c. scio nullum hac de re dissidium fuisse inter discipulos Antiochenses : vnam de Gentibus ad fidem circuncidendis esse dissensionem, cur Iacobus legem tollit de sacramento Circuncisionis, & legem de suffocato seruandam curat? Scitè Chrysostomus Hom. 33. *Versatur in hoc, de quo nihil scriptum erat, vt curata illorum mente, concedendo tempestiuè, inducat etiam illud*, &c. Dolebat Iudæus abrogatam esse legem de Sacramento nobili, vt dolorem minuat Iacobus, legem permittit aliam ; facilè enim rebus negatis abstineo, si quid mihi permissum est. Permittat igitur quædam Princeps, vt quædam prudenter neget.

Ægrè dediscat senex, quod longo puer. vsu didicit.

Act. 5. n. 10.

Leu. 7. n. 27. & 7. n. 10. & 19. n. 21.

Quædam permittit, quædam negat ; prudens admodum Pontifex.

6. Iam olim Deus Regum Princeps instruxit hac lege homines, à quibus vt facilè eliceret obsequium, plura, quàm negaret, permisit. Ad Noethum Deus Gen. cap. 9. num. 3. *Omne* (ait) *quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum*, &c. Larga quidem manu cœnam apponit basilicam viro bono Deus Optimus, *excepto, quòd carnem cum sanguine non comeditis*, &c. *n.* 4. scilicet sanguinem aut potabilem, aut coactum farciminibus, aut animalculo suffocato, sumi vetat, communi interpretum assensu. Videó plura à Deo bono dari, quàm vetuerit ; negatísque donata præire. quo id consilio factum, docet Tertullianus ad lib. de Ieiun. cap. 4. *Materiam* (inquit) *libertatis emisit, per veniam supparans disciplinam ; permittens omnia, vt demeret quædam ; plura exacturus, si plura commisisset : abstinentiâ imperaturus, cùm indulgentiam præmisisset*, &c. Hæc Deus ab æuo prisco, vt

Gen. 9. n. 3.

Negat improbè, qui semper negat Princeps.

permiſſis negata miſcerent Principes, ac temperarent: ſic enim prudenter abrogantur quæ longo vſu confirmata ſunt. Mirantur viri boni, cur Paulus Timotheum cultro Iudaico circunciſum eſſe voluerit, & curauerit, qui adduci non potuit, vt Titum circunciderent? De Tito ſermo eſt *in Epiſtol. ad Galat. cap. 2. num. 3.* De Timotheo habes in Actis ad cap. 16. num. 2. *& aſſumens circuncidit eum*, &c. Cur ita Paule optime? agis ne, quod agendum negas? an tibi conſtas, cùm eandem omnino legem nunc annuis, nunc abnuis? Duabus id ſellis ſedere eſt, ſed pro loco modum variat Magiſter morum optimus, eo quòd lex Chriſto occiſo mortua, nondum eſſet mortifera. Dolebat Iudæus ſolui Synagogam Chriſti ſchola, fide legem tolli, Chriſto Moyſen vinci quod Paulus docebat publicè; proindeque neceſſe erat, vt modò legem ſeruaret, modò ſolueret; quo Iudæum piè falleret, piáque aſtutia ad Chriſti fidem, ſchola[illegible]que traduceret, ait Chryſoſtomus Hom. 34. in Acta. *Igitur prædicaturus, ne Iudæos verberaret dupliciter, circuncidit illum*, &c. Quid Ozias? Hac vna fallit aſtutia dolorem Bethulienſium, vbi moram interponit, qua dolor elangueſcat. Opus tandem confectum Chriſto duce; & Matre comite; quibus ego meos conatus piè dicatos volo.

Galat. 2. n. 3.

Act. 16. n. 2.

Multus Paulo aſtus eſt in fallendo auditorum vitio.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM, QVÆ IN HOC
Tomo continentur.

C. notat Commentarium; D. signat Disquisitionem; N. ostendit Numerum; P. indicat Paræneticum.

A.

Abela.

ABELA Hebræo Academia. In com. cap. 1. n. 8.
Abela consilij mater. loco citato.

Abel.

Abel Hebræa schola vanitas. p. 4. n. 1. ad c. 5. in com. cap. 6. num. 40.

Abraham.

Abrahamus Deum iratum lenit oratione humili. p. 10. n. 2. ad cap. 7.
iurat Abramus, ne mendax credatur. p. 11. n. 1. ad cap. 5.
Abramus nusquam Deos coluit. in com. c. 5. num. 36.
Abramus pacis amans. p. 13. n. 3. ad cap. 5.
Abramus veri Magister. in com. cap. 6. n. 39.

Absentia.

Absentia fugatur inuidia. p. 10. n. 2. ad cap. 1.
Absente Magistro, discipulus malè habet. p. 17. n. 4. ad cap. 1.
Absentia lenitur, & sedatur ira. p. 12. n. 3. p. 21. n. 5. ad cap. 2.
Reuerentiam alit absentia. in com. c. 5. n. 44.
Hero absente audet malus seruus. p. 15. n. 7. ad cap. 4.
Augustior è latebris maiestas elucet. in com. cap. 5. n. 45.
Absentia deferuescit amor. p. 10. n. 2. ad cap. 6.
Absentia excitatur verus amor. p. 10. n. 4. ad cap. 6. p. 17. n. 6. ad cap. 7.
Absentem, & præsentem laudat amicum sanus amor. p. 10. n. 5. ad cap. 6.
Amicitiam explorat absentia. p. 10. num. 3. ad cap. 6.

Academia.

Academia euersa, regnum euertitur. in com. cap. 1. n. 8.
Academia auditorum mater. in com. c. 1. n. 8.
Academiam excitare est Regum opus. p. 5. n. 4. ad cap. 1.
ex Academia nata morum comitas, & bonitas. in com. c. 5. n. 32. p. 6. n. 1. & 4. ad c. 1.
Magistris Academicis prouidet bonus Princeps. p. 5. n. 1. ad cap. 1.

Accusator.

Accusant falsò, qui veris falsa miscent. in com. cap. 5. n. 22.
Faciles ad accusandum homines de seruili genio. p. 1. n. 2. ad c. 5. in com. c. 5. n. 4.
Accusatio eo est firmior, quo plures sunt testes. p. 23. n. 2. ad cap. 7.
Accusator natura curiosus est. p. 7. n. 4. ad c. 5. in com. cap. 6. n. 18.
Accusator alas sumit, vt citò noceat. in com. cap. 5. num. 3.
Accusatores, quasi turpes nomen perdunt. p. 1. n. 1. ad cap. 5.
Accusator clandestinus dictis diffidit suis. in com. cap. 6. n. 24.

Adam.

Potestas Adamo reddita post scelerum pœnitentiam. p. 47. n. 5. ad cap. 5.
Adami furtum punit fames hominum. p. 22. n. 3. ad cap. 2.
Adamo sua explicatur nobilitas, vt pactum seruet. p. 7. n. 6. ad cap. 8.
Adamum sine consilio Deus non condit. p. 3. n. 2. ad cap. 2.

Admonitio.

Ascensu ad sellam admonetur Iudex quisque de morum profectu. p. 8. n. 1. ad c. 4.
Abnuunt homines, quæ pungunt, salutis admonitiones. p. 1. n. 1. d. 3.
Grauius peccat, qui peccat admonitus de officio. p. 28. n. 1. ad cap. 5.
Monendus adhuc ne moneat. p. 12. num. 1. ad cap. 1.
Malus à Præfecto admonitus obloquitur. p. 18. n. 4. ad cap. 7.
Piè admonere munus est angelicum. in com. cap. 5. n. 42.

Adulator.

Adulator, & Chamæleon, & simia. in com. cap. 2. n. 5. & 7.
Fallit adulator & magnos viros. in com. cap. 2. n. 6. in com. cap. 7. n. 30.
Adulator in Venerem leno est. in com. c. 2. n. 6.
Adulatio est seruile vitium. in com. cap. 2. n. 7. p. 2. n. 3. ad cap. 2.

Index Rerum.

Adulator virum bonum, vt canis, mordet, in com. c.2. n.7.
Adulator blanditur affectibus alienis. p. 2.ad cap. 2.
Adulator,& dolo nocet,& veneno. p. 2. n. 1. ad cap.2.
Adulator latè mentitur. p. 2. n.2. ad cap. p.2. n. 2. d. 3.
Adulatio ex metu nata. p.2.n.1.ad cap.2. p.5. n.4. ad cap.3. In com. cap.3.n.17. p.7. n.5. ad cap. 2. In com. cap.6.n.14.
Adulatio quasi Idolomania est.p.2.n.3.ad c.2. in com. cap.3.n.33.in com.cap.5.n.107.
Adulatio antonomasticè peccatum. p.2. n. 4. ad cap.2.
Adulator mores corrumpit hominum. p. 2. n.4. ad cap.2.
Non adulatur Magister morum bonus. p.2.n.5. ad cap.2.
Adulatorem non patitur vir bonus. p.2. n.6. ad cap.2.
Adulatores studio placendi malignè referunt. in com.cap.5.n.3.p.1.n. 2.ad cap.5.
Contemnit adulator solem occidentem. p.1.n. 1.ad cap.1.
Suam cauet sortem adulator iniuria aliena. in com. cap.7.n.31.
Malè adulator audit, & pulsator.in com. cap.7. num. 31.
Adulator animo varius, & lingua mendax. in com.cap.7.n.33.p.2.n.2.d.3.
Adulationibus non flectitur bonus homo. p.7.n.3.ad cap.2.
Adulator peccatum eleuat alienum. p.7. n.2. ad cap.2.

Adulterium.

Adulterium & malum,& fœdum est, p.13.ad cap.4.
Prima viri calamitas est vxor adultera. p.13.n.1. ad cap.4.
Adultera in fœminis vilissima. p.13. num.1. ad cap.4.
Adultera in asinam deficit. p. 13. num. 2. ad cap.4.
Adultera quasi Idololatrix. p. 13. num. 2. ad cap.4.
Adulterium verè est propudium. p. 13. n. 3. ad cap.4.
Nomen perdit,quæ pudorem terit adultera. p.13.n.3.ad cap.4.
Pudet castam vxorem interpellari de adulterio. p.13.n.3.ad cap.4.
Latebras amat Venus adultera. p. 14. n. 2. ad cap.4.

AEdificare.

Ædificare magnificè magnum est. p.2. ad c.1.
Arces furtis exædificatæ hostem prouocant. p.2.n.3.ad cap.1.

Affectus.

Affectus ratione sedari oportet. p. 6. n. 3. ad cap. 3.
Vocem intercludit affectus impotens.p.17. n.7. ad cap.7.
Affectu senex flecti nescit. p.4. n.2.ad cap.2.
Errat Princeps affectu cæcutiens. p.6. n.2. ad cap.8.
Affectus scindit, qui scindit cogitationes. p.24. n.1.ad cap.4.
Affectum in sacris Deus poscit. in com.cap.3. n.36. p. 19.n.1.ad cap.6.
Via ad rectè viuendum affectu ineunda. p.19. n.4. ad cap.6.

Alloquium.

Alloquium latinè solatium. in com.c.4.n.32.
Dolorem mitigant allocutiones familiares. p.16.n.3. ad cap.4.

Ambitus.

Ambitum rerum carpit Magister Deus. p. 2. n.1. ad cap.5.
Ambiendi studium à viro bono alienum. in com. cap.2. n.15.
Ab honoris ambitu magna seruitus. in com.cap.5. n.80.
Alienus à regni ambitu Dauid. p. 10. n. 4. ad cap.5.
Honores meretur,qui non ambit. p. 2.n.2. ad cap.5.
Magistratum iure consequitur,qui non venatur. p.2. n.3.ad cap.5.
Absurda Apostolo est honorum fames. in com. cap.2. n.15.
Vi trahitur ad honores gens Deo sacra. p.10. n.4. ad cap.5.

Amicitia.

Amicitia hominum temporaria. in com.c. 4. num. 6.
Amicitia Regum vana. d. 4. n.5. p.10.n.1. ad cap. 6.
Abesse ab amico nescit amicus.p.10.n.1.ad cap.6.
Horaria est amicitia ex commodo nata. p.3. n.1. ad cap.4.
Rara,nisi ex commodo amicitia. p. 3. n.1. ad cap.4.
Amicitia filo, & quidem tenui suspenditur. p.3. n.1. ad cap.4.
Auarus rarò amicus. p.3.n.2.ad cap.4.
Probatur aduersis amicitia. in com.cap. 6. num.26.
Amicitia probatur absentia. p.10.ad cap.6.
Ægrè amicitiam absens alit. p. 10. n.1.ad cap.6.

Amœnitas.

Deum piè repræsentat Amœnitas agraria. p.29.n.7. ad cap.5.
Ex arborum aspectu Dei notiones iustus capit. p.29.n.8.ad cap.5.
ad Dei Amorem ducit hortus. p 9.n.4.ad c.3.
Lucus tumulo additus ad alendam Venerem. in com. cap.3.n.30.
Nutrit venerem locorum Amœnitas. in com. cap.5.n.70.in com.cap.3.n.30.
Arbores maleficis habiles.in com.c.3.n.30.

Amor.

Amari Christus voluit, timeri Antichristus volet. p.8.n.6.ad cap.2.
Amare Deum,quàm timere malunt viri boni. p.8.n.9. ad cap.2.
Amorem potius,quàm timorem Deus poscit. in com.c.3.n.36. p.15.n.2. ad cap.1.
Qui verè amat,satis sibi non facit in agendo. p.17.n.3.ad cap.4.
Ille Deum amat verè,qui toto amat conatu. p.23.n.2.ad cap.4.
Dei amorem diuidi non decet. p. 24. n. 1. ad cap.4.

Amorem

Index Rerum.

Amorem ſuum amans Deus, ne vocis quidem ſono diuidi patitur. p.24.n.2.ad cap.4.
Ne Dei amorem intermittant, oculos tegunt Seraphines. p.24.n.2. ad cap.4.
Dei amorem diuidit, quæ domo exit virgo. p.24.n.3.ad cap.4.
Dei amorem accendit pia confabulatio. p.20.n.2.ad cap.4.
Alas, quibus auolat, habet vanus amor. p.3.n.1.ad cap.4.
Abſentia deferueſcit vanus amor. p.10. n.2.ad cap.6.
Verus amor excitatur abſentia. p.10. n.4. ad cap.6. p.17.n.6.ad cap.7.
Verus amor & præſentem, & abſentem laudat amicum. p.10.n.5.ad cap.6.
Solus non amat, qui Deum amat. p.18. n.1.ad cap.6.
Gratus Deo ſuffitus eſt ab amore imperatus. p.19.n.2.ad cap
Amore nimio verba deficiunt. p.2. n.4. ad cap.6.
Qui Deum quærit amans, non languet ineptè. p.8.n.3.ad cap.7.
Ingens cognatis amor eſt, duce natura. p.25.n.5.ad cap.7.
Fallendus mora amoris furor eſt. p.45. n.4.ad cap.7.

Ange.

Montes Ange aliis alij. in com.c.2.n.32.
Mons Ange Amanus videtur. in com. cap.2.n.35.

Angelus.

Vigilat Angelus ad obediendum. p.15. n.3.ad cap.2.in com.cap.3.n.9.
Equo vectus obtemperat Angelus. p.18. n.2.ad cap.5.
Deo Angelus de humana ſalute cauſam reddit. p.3.n.3.ad cap.2.
Malo Angelico ſapiunt homines. p.1.n.3. ad cap.3.
Miniſtrat Angelus, ne laborent homines. in com.cap.5.n.73.
Gaudet Angelus extructa Dei aula. p.3. n.3.ad cap.1.
Modeſtus in hominum cenſura eſt Iudex Angelus. p.14.n.2.ad cap.2.
Grates Deo ſoluit Angelus pro bonis hominum. p.1.n.7.ad cap.2.
Angelus ad aram obarmatus abſterret homines. p.39.n.4.ad cap.5.
Libro notat Angelus, quæ ad aram quiſque peccet. p.39.n.4.ad cap.5.
Rebus piè geſtis nomen ſibi parit Angelus. p.3.n.3.ad cap.3.
Deo adſtat Angelus ad nutum vigilans. in com.cap.3.n.9.
Angelus quo nobilior, eo maiorem dictis fidem facit. p.1.n.7. d.1.
Perſcrutatur Iudex Angelus ſacra Diis loca. p.25.n.5.ad cap.4.
Munus eſt Angelicum piè admonere. in com.cap.5.n.42.

Annona.

Annona laborantibus prouidenda. p.16. ad cap.2.
Regum eſt prouidere de annona publica. p.16.n.1.ad.cap.2.
Annona ſeruis præſtanda. p.16.n.2. ad cap.2.
Annona miniſtro parata occaſiones furandi reſcindit. p.16.n.5.ad cap.2.
Annona militibus procuranda. p.17. n.4.ad cap.2.
Regis, ac Patris eſt agere de annona curanda. p.31.n.1.ad cap.5.
Qui annonam ſibi ſubtractam dolet, iuſtè dolet. p.32.n.3.ad cap.5.
Qui annonam diſpenſat, ſcripto referat. p.35.n.1.ad cap.5.

Appetitus.

Ardentius appetitur, quod latet. p.38.n.4 ad cap.5.

Arphaxad.

Arphaxadus benè Deioces. d.4.n.1.
Arphaxadus Meda notus ſapientia. in com. cap.1.n.6.& 7.
Arphaxadus malè à Merodacho mulctatus. d.4.n.2.in com.cap.1.n.16.
Arphaxadus ab Aſſyrio defecit. in com.c.1. num.1.
Arphaxadus Ecbatanam operibus adornat. in com.cap.1.n.2.
Arphaxadus gloriarum plenus homo, laborat inuidia. in com.cap.1.n.11.& 12.

Ars, & Artifex.

Artis cuiuſque inuentores Diis pares fecit antiquitas. p.20.n.1.ad cap.2.
De arte ſolus artifex ſcitè diſputat. p.4. n.3.ad cap.2.
Artes aduocat hominum labor dolore mixtus. p.19.n.3.ad cap.5.
Princeps cuiuſque artis, Pater vocatur. in com.c.2.n.44.
Princeps cuiuſque artis conſulendus. in com.c.2.n.10.
Inuentores artis etiam ſordidæ ſuo gaudent titulo. p.20.n.1.ad cap.2.

Aſpectus.

Multa ex arborum aſpectu eſt, piaque voluptas. p.9.n.5.ad cap.3.
Ex agri aſpectu via patet ad virtutem colendam. p.9.n.6.ad cap.3.
Ad aſpectum viri boni eminent ſordes vitæ alienæ. p.13.n.2.ad c.5.
Dei aſpectus bonis hominibus eſt ratio benè agendi. in com.c.5.n.84.p.44.n.6. ad cap.5.
Parentum aſpectus pueris morum lumen eſt. p.44.n.7.ad cap.5.
Magiſtri aſpectus continet diſcipulos. p.17. n.3.ad cap.1.
Nocet aſpectus ſcelerum. p.12. num.1.ad cap.5.

Aſſentatio, Aſſentator.

Aſſentator ſpe, & metu peſſimus, in com.c.6. n.14.p.7.ad c.2.
Aſſentandi affectus mentem obturbat. p.7. n.1.ad cap.2.
Aſſentator auri cupiens. p.7. num.2. ad cap.2.
Aſſentator lucri ſpe belluam coluerit. p.7.n.1. ad cap.2.
Peius aſſentantur priores magiſtratu. p.7. n.4.ad cap.2.
Vide Adulatorem.

Index Rerum.

Auaritia.

Auaris cogitationibus sese opponit Deus. in com. cap. 2. n. 42.
Auaritia longè, ac latè progreditur. in com. cap. 3. n. 12.
Auarus suo se affectu perdit. in com. cap. 5. num. 6.
Auaritia nec copia minuitur, nec inopia. in com. c. 1. n. 27.
Ex auaritia dissidium. p. 6. n. 2. ad cap. 7.
Asinus est, qui lucris seruit auarus. p. 34. n. 3. ad cap. 7.

Aula.

Aula impensè adulatrix. in com. cap. 2. n. 18.
Aula bono consiliario benè culta. in com. cap. 4. n. 12.
Flagrat aula delatoribus. p. 1. n. 1. ad cap. 5.
Facit ad aulam facies benè composita. in com. cap. 4. n. 2.
Aulam non amat, qui vocatur in aulam. p. 2. n. 3. ad ca. p. 5
Longè ab aula veritas euagatur. in com. cap. 5. n. 20.
Aula virtutum nouerca. p. 29. n. 2. ad cap. 5.
A curia morum incuria. p. 13. n. 2. ad c. 6.
Potest quisque in aula bonus esse. p. 1. num. 5. d. 5.

B.

Bellum.

BElli inepta ratio est capiendi occasio. p. 2. n. 2. d. 4.
Bellum mouent rerum appetentes homines. p. 10. ad cap. 1. in com. cap. 2. n. 13. & 36.
Belli consilium à Senatu militari optimum. p. 4. n. 3. ad cap. 2.
ad Belli aleam maturè facto opus est. in com. cap. 7. n. 1.
Bellum necessitate, non voluntate mouendum. in com. cap. 3. n. 11.
Bellum inconsultò initum malè cedit. in com. cap. 5. n. 2.
Bello peccator quatitur, vt à peccando abstineat. in com. cap. 5. n. 85. p. 46. n. 4. ad cap 5.
Duces bello nobiles terrarum Domini vocantur. in com. c. 6 n. 7.
Iuuenes bello gerundo habiles. in com. cap 7. n. 1.
Fortunam belli conciliant preces Deo humiles. in com. cap. 7. n. 22.

Beneficium.

ad Benefaciendum prior Deo motus est. p. 3. n. 4. ad cap. 5.
Benefaciendo propè Deus adest, qui natura longè abest. in com. cap. 5. n. 44.
Cum benè Deus facit, benè sibi factum putat. p. 44. n. 5. ad cap. 7.
Benè hominibus facit Deus, etsi acceptus malè. in com. cap. 5 n 73.
Beneficiarium obligant beneficia. p. 32. n. 5. ad cap. 5.
Beneficium abradit animo iniuria leuiuscula. p. 12. n. 2. ad cap. 2.
Benefacti ingratus non meminit. p. 1. n. 1. ad cap. 2.
Beneficium ingratus negat, si qua potest. p. 1. n. 3. ad cap. 2.
Vrgent Dei beneficia ad canendum piè. p. 12. n. 3. ad cap. 6.
Allicit beneficentia potius, quàm iustitia. in com. cap. 6. n. 25.

Bethulia.

Bethulia Hebræo virgo est. in com. c. 6. n. 13.

Bibliotheca.

Bibliothecis extruendis student sapientes. in com. cap 1. n. 9.
Bibliothecam Deus Magister habet. in com. cap. 1. n. 10.

Bona.

Bonis Deus malas afficit homines, vt occasiones rescindat malè agendi. p. 32. num. 5. ad cap. 5.
Ad fletum adigunt bona Dæmonum. p. 17. n. 3. ad cap. 7.

Bonus.

Bonus homo, si quid boni facit, parui id facit. p. 10. n. 1. ad cap. 1.
Qui bonum fugit virum, bonam viuendi viam fugit. p. 13. n. 4. ad cap. 1.
Dolet bonus homo humanam vicem. p. 13. n. 1. ad cap. 2.
Viuit bonus in Dei oculis, vt Deum inspiciat. in com. cap. 3. n. 8.
Bonus prudenter sibi timet. p. 1. n. 2. ad cap. 4.
Malis bonus pulsatur, vt Deum adeat. p. 12. n. 1. ad cap. 4.
Viri boni sunt multoculi, vt se recognoscant. p. 7. n. 3. ad cap. 4.
Quidquid boni agit, Deo tribuit homo bonus. p. 2. n. 3. d. 1.
Vitam bonus agit nec leuiter, nec segniter. in com. cap. 4. n. 47.
Bonus, & malus, vt moribus, sic partibus dissident. p. 13. n. 1. ad cap. 5.
Nemo bonus bono cum Deo comparatus. p. 13. n. 2. ad cap. 5.
Vir bonus verè testis, ac censor est vitæ alienæ. p. 13. n. 3. ad cap. 5.
Boni, pauci; mali, multi. in com. cap. 5. n. 38. p. 15. n. 2. ad cap. 5. p. 2. n. 6. d. 3.
Bonorum hominum sub Antichristo penuria. p. 15. n. 2. ad cap. 5.
Boni libello, mali multis clauduntur libris. p. 15. n. 3. ad cap. 5.
Bonus Dei aspectu benè agit. p. 25. n. 3. ad c. 5.
Bonis viris Deus petra est. in com. c. 5. n. 76.
Bonus malis prodest siue docendo, siue scribendo. p. 2. n. 2. d. 2.
Bonus vtraque schola est beneficus. in com. cap. 6. n. 15.
Non friget bonus aliena improbitate. p. 12. ad cap. 6.
Bonum virum cogit ad viuendum benè improbitas aliena. p. 12. n. 4. ad cap. 6.
Flagrat bonus affectu salutis alienæ. p. 18. ad cap. 6.
Bonis placere solatium est. p. 18. num. 6. ad cap. 7.
Bonus homo vnum agit hominem. p. 22. n. 4. ad cap. 7.
Cura viro bono est de magni Dei honore. in com. cap. 7. n. 65.

Index Rerum.

C.

Calamitas.

CAlamitas continet homines pio in officio. p.2.n.1.d.5.
Calamitas pios vrget motus animi. p.2. n.2. d.5. in com.cap.7.n.47.
Calamitas aliena hostem piè mouet.p.13.n.1. & 2. ad cap.2.
Calamitate aliena sapiunt homines. p. 1. ad c.3.in com.c.3.n.26. p.14.n.2.ad cap.3.
maturè Calamitas ad Deum trahit homines. in com.cap.4.n.29.p.12.n.1.& 2.ad cap.4.
Dolorem minuit explicata calamitas. in com.cap.7.n.75.
Peccat, & punitur grauius,qui non eruditur aliena calamitate p.1.n.4. ad cap.3.
Calamitates peccantium compedes. in com. cap.4.n.27.
Calamitas virtutum schola.p.12.num.1.& 3. ad cap.4.
Calamitas ingenium excitat. p. 19. num. 2. ad cap. 5.
Calamitates salutem conciliant animi. p. 28. n.5.ad c.5.
Calamitatibus homines Deus premit, vt faueat ex merito. p.20.n.4.ad cap.6.
Calamitates hominum testantur Dei iustitiam. in com.c.7.n.49.& 50.
Aduersa virum bonum à Deo non auertunt. p.24.n.1.ad cap.7.
Mens Deo pia aduersis tacta canit. p. 24. ad cap.7.
Aduersis vrgetur conscientia,pœnitentiáque scelerum. p.27.ad cap.7.
Adigit calamitas ad peccati confessionem. p.27.n.2.ad cap.7.
De mala cruce agnoscit latro sordes scelerum.p.27.n.4.ad cap.7.
Prodest, si peccator nouerit calamitatem Dei censuram esse.p.28.n.1. ad cap.7.in com.cap.7.n.53.
Calamitas aliena exprimit lachrymas à bono,pioque viro. in com.c.7.n.67.
Magnus homo est, qui aduersis non deficit. in com.cap.7.n.47.

Cantio, Cantus.

Cantu, & saltatu gaudet Asia notabiliter. in com.cap.3.n. 6.
Cantu molli delectatur malus homo.in com. cap.3.n.20.
Malè sonant molles cantiones. p. 11. ad cap.3.
Alliciunt fortiter molles cantiones. p. 11. n.1.ad cap.3.
Faciles cantionibus edendis mulieres.p.11. n.2.ad cap.3.
Cantiones proliciunt amasium. p.11. num.3. ad cap.3.
Lenitur cantu vita pastoritia.p.11.num. 4. ad cap.3.
Ad sirenum cantiones saltitant Dæmones. p.11.n.5.ad cap.3.
Cantu ne frangatur Iacobus, fugit.p.11.n.6. ad cap.3.
Venerem acuunt molles cantiones. p.11. n.6.ad cap.3.

Castitas.

Prima ad Dei aram lex morum castitas. p.39.n.3.ad cap.5.
Periclitatur castitas forma laudata. p. 1. n.1.d.6.
Castus Magister benè monet.p.12.num.1.ad cap.1.
Impudicitiam trahit vestis impudicè tacta. p.13.n.2.ad cap.1.
Meretrix à Deo est aliena. p.4. n. 5. ad c.6.
Flagrat in tenebris Venus. in com. cap. 3. n.30.
Venerem facies indicat. p.1.n.3.ad cap.4.
Multa castis loquendi honestas. p.14.n.1. & 2.ad cap.4.
Qui pudicè loquitur, non agit impudicè. p.14.n.2.ad c.4.
Pudor Paulo est loqui de vsu coniugali. 14.n.3.ad c.4.
Rem turpem honestè carpit honestus homo.p.14.ad c.4.
Castus homo vincit ea in somnis.p. 2. n. 4. ad cap.7.
Castitatem seruat benè vestis asperior. p. 22. n.4.ad c.4.
Ne castum soluat amorem,cauet Deivirgo. p.24 n.3.ad c.4.
Fuga seruatur castitas. p.12.n.3.ad cap.5.
Castæ mentis vox apud Deum. magna. in com.c.4.n.17.
Castitatis hostes sunt molles sermones. p. 1. d.6.
Aduersus castam fœminam malè furit Diabolus. p.2.n.3.ad c.7.
Castitatis amore tegitur virgo cauta.p. 22. n.4.ad c.4.
Castitas sapientiæ mater. in com. c. 6. n. 13. p.4.ad c.6.
Castitas à Dei consiliis est. p. 4. num. 1.ad c.6.
à Castitatis cultu vires cogis sapientia p. 4. n.3. ad cap. 6.
Vna castitas est tota morum sanctitas. p.4. n.3.ad c.6.
Prodest castitas ad interpretationes sacrarum literatum. p.4.n.3.ad c.6.

Cautio, Cauere.

Cauta ad Angeli vocem Magna Mater. p. 1. n.3.d.6.
Cauenda est viri mali cœna. p. 13. num. 3.ad cap.1.
Cauet metus benè. in com.cap.3.n.1.
Cautè agendum cum hoste domestico. p. 4. n.2.ad c.5.
Fidendum æquè, ac videndum. p. 27. n. 5. ad cap.5.
Timet,vt caueat,facti pœnitens. p.43.n.5. ad cap.5.
Cauta ex lapsu virgo. p. 43. num. 6. ad cap.5.
Cautus homo suis tantùm fidit oculis.in com. c.7.n.24.
Cauet benè virgo, ne suo prodatur egressu. p.24.n.3.ad cap.4.
Cauet ex metu virgo laudes hominum. p. 1. n.2.d.6.

Celeritas.

Multa in negotio conficiendo celeritas. in com.c. 7.n.1.

Lentè

Index Rerum.

Lentè festinandum est. in com.cap.7.n.2.
Premitur hostis celeritate. in com.c.7.n.3.
Laudata in dubiis celeritas auxiliandi. in com.cap.7.n.3.
Auget mora periculum. in com.c.7.n.3.
Festinant homines ad malè agendum. p. . ad cap.7.
Festinat malè furor, cunctatur benè ratio. p.45.n.4.ad cap.7.
Festinat Deus in salutem hominum. p. 17. n.1.ad cap.5.

Censura.

Absurda censura est malè agere, ac benè iubere. in com.cap. .n.21.
Durus in censura, qui censuram passus est. p.12.n. .ad cap.1.
Modestus in hominum censura Iudex est Angelus. p.14.n.2.ad cap.2.
Censuram malus timet à vita viri boni.p.13. n.2.ad cap.5.
Sera licet,bona est Dei censura de peccantibus. p.46.n.4.ad cap.5.
Sanat mores censura Dei seuerior. p. 46. n.5.ad cap.5. in com. cap.5.n.42.
Vide Iudicem.

Chaldæa.

Chaldæa Astrologis mater,& schola.in com. cap.5. n.28.

Charitas.

Charitas viri boni fidem humanam superat. p.18.n.3.ad c.1.
Facilè soluitur fraterna charitas. p.3.ad c.4.

Christus.

A Deo Christus, vt à Patre suam tulit crucem libenter,ac fortiter.p.28.n.7.ad c.7.
Magna Christi bonitas explicari non potest,nisi lingua varia. p.2.n.1.d.2.
Ardet Christus affectu humanæ salutis. p.18.n.5.ad c.6.
Quærit Christus, & curat terra, marique salutem hominum. p. 19. n.5.ad cap.2.
Christum mala cruce premere scelus immane est. p.2.n.2.d.3.
Adulantibus Christus non adulatur. p. 2. n.5.ad c.2.
Christus à Patre laudatus excitatur ad crucem ferendam. p.15.n.3.ad c.6.
Christus amat patriam. p.19.n.1.ad c.2.
Nomen sibi Christus non parat incruenta victoria. p.3.n.4.ad c.5.
Vrgetur Christus ad agendum ex nomenclatura nobili. p.7.n.2. ad c.3.
Ingens Christo pudor est de peccatis hominum. p.12.n.4.ad c.3.
Totum se Christus mancipauit hominibus. in com.c.4.n.13.
Christus, vt Patrem consulat,templum adit. p.9.n.4.ad c.4.
Vrbes Christus lustrat,vt miseris consulat hominibus. p.15.n.4.ad c.4.
Odit Christus dolorem affectatum iussis lachrymis. p.23.n.2. ad c.4.
Christi labore mulcentur labores hominum. p.30.ad c.5.
Quod patitur Christus, non pudet Christianum pati. p.30. n.1.ad cap.5.
Christo duce strenuè discipulus crucem tulerit. p.30.n.2.ad c.5.
Luget Christus,quod mala perpetimur. in com.c.5.n.86.
Notam Christus de alumni impatientia timet,& cauet. p.45.n. 4.ad c. 5.
Gaudet Christus de salute hominum.p.38. n.4.ad cap.5.
Christus suo de clauo clauem fecit veniæ p.42.n.1.ad c.5.
Maior Christo laus est ab hominibus seruandis,quàm à regendis.p.26.num.3.ad cap.5.
Luget Christus,vt peccator norit, quo vrgetur malo. p.11.n.4. ad c.6.
Mouetur Christus ad peccati, non ad crucis aspectum. p.11.n.5.ad cap.6.

Cilicium.

Adornantur preces habitu cilicino. p.11. ad cap.4.
Vestis cilicina aduersus Deum lorica est. p.11.n.2.ad cap.4.
Habitu cilicino Deum exorat Pontifex. p.11.n.3.ad cap.4.p.10.n.1.ad cap.7.
Saccos humiles intuetur Deus vultu placido. p.11.n.4.ad cap.4.
Deum placat iratum vestitus cilicinus. in com.4.n.23.p.22.n.3.ad cap.4.
Ad cilicium habitu cilicino vrget homines hominum Magister.in com.c.4.n.44.
Dubitatur,gerendum ne sit tectè cilicium, an palàm? p.22.ad cap.4.
Auctoritatem dictis addit vestis cilicina. p.22.n.1. ad cap.4.
Cilicium hominum oculis exponendum curat Deus. p.22.n.1.ad cap.4.
Cilicium morum ornamentum. p.22.num.2. ad cap.4.
Tegit, ac tuetur bonos mores vestis cilicina. p.22.n.4.ad cap.4.
Cilicio benè seruatur castitas. p. 22. n. 4. ad cap.4.
Tinea ex habitu cilicino vana gloriola. p.22.n.5.ad cap.4.
Habitu cilicino auertit à se Magister molles homines. p.22.n.6.ad c.4.

Cinis.

Sacra cineraria, verè piacularia. in com. cap.4.n.45.
Cinerum sparsio humanæ sortis significatio. in com.cap.4.n.45.in com.cap.7.n.22.
Aqua cinerali vrgentur homines ad sui cognitionem. p.21.n.1.ad cap.4.
Multus cinerum vsus in sacris est, ne qua mortis obrepat obliuio.p.21.n.2.ad c.4.
Cineres Sacerdos curat, ne Sacerdotio intumescat. p.21.n.2.ad cap.1.
Iactus cinerum dolorem ostentat intimum. in com.cap.7.n.16.
Peccatum detestatur, qui se verè cinerem esse testatur. p.9.n.2.ad cap.7.

Ciuitas.

Magna ciuitas magna scelerum schola. in com.cap.1.n.15.
Magna ciuitas magnum affectat imperium. in com.cap.3.n.26.
Delenda hostium ciuitas metu perfidiæ.in com.cap.3.n.26.

Cœlesyria.

Sola videtur Cœlesyria. in com.cap.1.n.2.

Index Rerum.

Cœlum.

Cœli amans terris inuitus agit. p. 4. n. 4. ad c. 1.
Cœlum cogitans laborat terris ſtrenuè. p. 4. n. 4. ad cap. 1.
Qui cœlum non ſuſpicit, Deum odit. p. 1. n. 1. ad cap. 4.
Quod piè cœlum petimus, Dei pietas eſt. p. 15. n. 1. ad cap. 5.
Cœlum adire paucis datũ eſt. p. 15. n. 2. ad c. 5.
Voluptatem è cœlo trahit locus aſperior. p. 29. n. 7. ad cap. 5.

Cœna.

Eadem, qua ciues, cœna fruitur bonus Princeps. in com. cap. 6. n. 41.
Cœna eſt pura, quæ ſine cruentis eſt dapibus. in com. cap. 6. n. 43.
Cœnandum ita eſt, vt à cœna preces inire poſſis. in com. c 6. n. 44. p. 22. ad c. 6.
Nocet agendis precibus cœna lauta. p. 22. n. 1. ad cap. 6.
Cœnandum parcè docet Euchariſtia poſt cibum ſumpta. p. 22. n. 4. ad cap. 6.
Preces adiuuat menſa caſtigata. p. 10. n. 3. & 4. ad cap. 7.
De cœna quæritur vilior plebecula. p. 19. ad cap. 7.
De cibo non curat Chriſti diſcipulus. p. 19. n. 3. & 4. ad cap. 7.
Cura de cœna ſeruitus eſt. p. 19. n. 3. ad c. 7.
Minus ſapit cœna viri boni. p. 19. n. 4. ad cap. 7.

Concio, Concionator.

Conciones lucernam oleant. p. 2. n. 7. d. 3.
Concionatores veritatis verè terrarum ciues. p. 19. n. 5. ad cap. 2.
Rara auis in terris eſt bonus concionator. p. 2. n. 6. d. 3.
Concionibus ſacris iuuantur auditores. p. 20. ad cap. 4.
Dei conciones verè conſolationes. p. 20. n. 1. ad cap. 4.
Pius concionator Deo iungit auditorium. p. 20. n. 2. ad cap. 4.
Dei verbis multa ad perſuadendum virtus ineſt. p. 20. n. 3. ad cap 4.
Concionatores timet, fugit, cauet malus homo. p. 20. n. 4. ad cap. 4. p. 15. n. 7. ad c. 7.
Concionandi lumina è ſacro textu petenda. p. 20 n. 4. ad cap. 4.
Conciones rarò audit princeps veri negligens. p. 10. n. 1. ad cap. 5.
Decet ne concionatorem politè loqui? p. 26. ad cap. 7.
Pungendum concionibus, non mulcendum eſt auditorium. p. 26. n. 1. ad cap. 7.
Iniquè, ac ineptè agunt concionatores, qui ſacros textus malè proferunt ad plauſus inanes. p. 2. n. 1. d. 3.
Artem fucatam dicendi oderunt ſapientes. p. 26. n. 2. ad cap. 7.
Rationes dicendi obſcurat malus concionator. p. 26. n. 3. ad cap. 7.
Fucos in dicendo refutat ſanus concionator. p. 26. n. 4. ad cap. 7.
Concionandum ornatu virili. p. 26. num. 5. ad cap. 7.
Tuba, non lyra perſonat bonus concionator. p. 26. n. 5. ad cap. 7.
In ſacro textu color eſt dicendi rhetoricus. p. 26. n. 7. ad cap. 7.
Dicat ornatè, qui perſuadere velit, concionator. p. 26. n. 9. ad cap. 7.
Sanus, ac ſanctus concionator non damnat omnino humaniorem literaturam. p. 26. n. 10. ad cap. 7.
Canendum ſimul, ac tonandum in ſacro auditorio. p. 26. n. 11. ad cap. 7.
Vide Prædicatorem.

Concordia.

Multi homines concordia vnus homo. in com. cap. 1. n. 29.
Victores facile concordes milites. p. 16. n. 1. ad cap. 1.
Firmant regnum concordes Principes. p. 16. n. 1. ad cap. 1.
Aſſenſu communi profecit ſchola Chriſtiana. p. 16. n. 2. ad cap. 1.
Concentus Deo eſt rerum conſenſus. p. 16. n. 3. ad cap. 1.
Concordia mundũ adornat. p. 16. n. 3. ad c. 1.
Conſenſu mutuo inter hypoſtaſes conſtat benè Deus. p. 16. n. 4. ad cap. 1.
Vbi concordia, eò loci Deus aduolat. p. 16. n. 6. ad cap. 1.
Vrbes concordia ſorores. in com. c. 3. n. 3.
Soluit concordiam vana ſapientia. p. 49. n. 2. ad cap. 5.
Fit citò, quod faciunt concordes homines. in com. cap. 2. n. 20.
Preces à concordia vtiles precantibus. p. 11. ad cap. 7.
In vitiis & hoſtes ſunt concordes. in com. cap. 7. n. n. 8. p. 4. n. 4. & 5. ad cap. 7.
Concordant aduerſus hoſtem diſcordes Reges. p. 4. n. 5. ad cap. 7.

Confeſſio.

Ad peccati confeſſionem vrget Dei metus. p. 27. n. 1. & 2. ad cap. 7.
Terret Deus Iudex, vt confeſſionẽ ſcelerũ ab hominibus eliciat. p. 27. n. 5. ad c. 7.
Veniam extorta confeſſio non impetrat. p. 27 n. 6. ad cap. 7.
Non prodeſt ad veniam affectata ſcelerum confeſſio. p. 27. n. 7. ad cap. 7.
Veniam peccator non obtinet, qui ſuum quærit honorem peracta confeſſione. p. 27. n. 8. ad cap. 7.
Iuuatur lachrymis peccatorum confeſſio. in com. cap. 7. n. 59.
Grata Deo eſt plena ſcelerum confeſſio. in com. cap. 7. n. 60. p. 33. ad c. 7.
Iuuatur fletus pœnitentium confeſſione. p. 33. n. 1. ad cap. 7.
Ad confeſſionem ſcelerum Deus allicit. p. 33. n. 1. ad cap. 7.
Scelerum compaſſio vel Iudam ſanaret. p. 33. n. 2. ad cap. 7.
Frequentanda ſcelerum confeſſio eſt. p. 33. n. 2. ad cap. 7.
Confeſſione peracta regnum donat pœnitentia. p. 33. n. 4. ad cap. 7.
Grata Chriſto eſt latronum confeſſio. p. 33. n. 4. ad cap. 7.
Deo blanditur ſcelerum confeſſio. p. 33 n. 4. ad cap. 7.
Vide Pœnitentiam.

Index Rerum.

Coniux, Coniugium.

A iugo est coniugium. p.25.n.1.ad cap.7.
Diuidia inter coniuges ex zelotypia est. p.25.n.3.ad cap.7.
Dura cõiugum fortuna est. p.25.n.1.ad c.7.
Nota inter coniuges diuidia ex affectu alieno. p.25.n.3.ad c.7. *Vide* Vxorem.

Consilium.

Consilium ab vili etiam homunculo captandum. in com.cap.2.n.8.
Consilium quærit & consiliarius. in com. cap.2.n.8.
Consilium nec Deus abnuit. in com. c.2.n.8.
Consilio sapientes egeht. p.3.ad c.2.in com. cap.4.n.12.
Consilio, vt virtute constat Resp. p.3.n.1. ad cap.2.
Consultores ad agendum cogit Deus. p. 3. n.2.ad cap.2.
Sine consilio Deus Adamum non condit. p.3.n.3.ad cap.2.
Angelos quasi consiliarios Deus adhibet. p.3.n.3.ad cap.2.
Nemo suo consilio satis prospicit.p.3.n.4. ad cap.2.
Petrum Paulus consulit, ne quid agat, sine consilio. p.3.n.5.ad cap.2.
Seniorum senex consulat, necesse est, in com.cap.2.n.9.
Consultores rerum scientes esse oportet. in com. cap.2.n.10.
Princeps cuiusque artis consulendus. in com. cap.2.n.10.
Consulendus est senex, ac rerum sciens. p.4. ad cap. 2. in com.cap.5.n.20.
Nullum sine senibus sanum est consilium. p.4.n.1.ad cap.2.
Consilium à sapientia commendatum. p.4. n.3.ad cap.2.
Consilium tenebris, ac latebris ineundum. in com.cap.2.n.11.p.5.n.1.ad cap.2.in com. cap.7.n.25.
Consultoribus numen est silentiũ.p.5.ad c.2.
Consilium manu iuuandum.p.5. n. 1. ad c.2.
Consultor optimus, qui non timet. in com. cap.2.n.19.
Consultorem non admittit affectus malè Princeps. p.6.n.2.ad cap.3.
Nihil sine consilio agendum est. in com. cap.4.n.12 in com.cap.5.n.1.
Consilium à precibus optimum. p.9 num.1. ad cap.4.
Quod inconsulto fit bellum, malè cedit. in com.cap.5.n.2.
Consilio iuuantur vires. in com. cap. 5. n.8. p.26.n.4.ad cap.5.
Qui se ingerunt, consultores suspicionem de se mouent. p.2. ad cap 5.
Malus est consiliarius, qui opes cupit. in com.cap.2.n.19.
Exequitur benè, qui præstat consilium. in com.cap.7.n.38.
Vnus in consilium, nullus homo est. in com. cap.7.n.46.
Ex multo consultorum numero multa est decreti auctoritas. p.23.ad cap.7.
Sanum, & firmum est consilium multorum capitum. p.23.n.2.ad cap.7.

Contemplatio.

Ab imis summa contemplatur bonus homo. p.4.n.2.ad cap.3.
Multa Dei contemplatio à rebus conditis. p.9.n.5.ad cap.3.
Pia è syluis Dei contemplatio.p.9.num.6. ad cap.3.
Bona ex agro meditatio mentem Deo iungit. p.9.n.6.ad cap 3.
Multa Dei contemplatio vastis in locis. p.16.n.4.ad cap. 5.
Contemplationem interturbat consuetudo cum hominibus inita. p. 16.n.4.ad cap. 5.
Deum Petrus non videt, nisi abstractus ab hominibus. p.16.n.4.ad cap.5.
Ad contemplandum ab agendo fortius itur. p.15.n.4.ad cap.3.
Vide Solitudinem.

Contemptus.

Contemptus superbo cruciatus est. p. 1. num. 2. d. 4.
Contemptus è commercio facili nascitur. p.7.n.2.ad cap.1.in com. cap.5.n.43.& 45.
Contemptum aliquando interrogationes inferunt. in com.cap.5.n.12.
Contemptus silentio clausus.in com.c.6.n.6.

Conuiuium.

Conuiuium adornat conuiuarum comitas. p.38.n.4.ad cap.5. in com. cap.6.n.42.
Conuiuari cum viro magno magnum est. p.37.n.1.ad cap.5.in com. cap. 6.n.41.
Vide Cœnam.

Corona.

